

# PATROLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRÆ, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,  
OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

### RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA  
ECCLESIAE SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS:

PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS  
DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI  
SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM

DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM

ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

INNUMERABILIBUS INDICIBUS LOCUPLETATA; SED, PRÆSERTIM QUONIAM IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO

SCILICET HERUM, QUO CONSULTO, QUINQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM AUTEM UNUSQUISQUE

PATREM, ABSQUE ULLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR;

ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBIUM QUINAM PATRES ET

IN QUIDUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A

PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS,

CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS

TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER

SIMILIS, PERTINENTIA, PRÆSERTINQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA,

SÆCULORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM,

PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ETATES,

LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

### SERIES PRIMA,

IN QUÆ PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIAE LATINÆ  
A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNÈ,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIAE, DUABUS PARTIBUS CONSTAT SIMUL AC DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. ILLA PENITUS EXARATA, NOVENDECIM ET DUCENTIS VOLUMINIBUS EST IMMENSÆ, CENTUMQUE ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA SUBDIVIDITUR ET DUPLI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM, UNA CUM VERSIONE LATINA, LATERALIS AMPLECTITUR, ET FORSAN CENTUM VOLUMINUM EXCEEDET NUMERUM. POSTERIOR AUTEM HANCCE VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUAGINTA CIRCITER VOLUMINA RETINEBITUR. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR: VERUM, IN UTROQUE CASU, ID EST AD FRUENDUM HOC BENEFICIO, COLLECTIONEM INTEGRAM, SIVE ORIENTALEM, SIVE OCCIDENTALEM CONDUCAT EMPTOR NECESSE ERIT; ALIAS CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA EQUABUNT.

### PATROLOGIÆ TOMUS XXXIV.

S. AURELII AUGUSTINI

TOMUS TERTIUS (PARS PRIOR).

X

EXCEDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNÈ EDITOREM,  
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFÈR NOMINATAM,  
SEU PETIT-MONTROUË.

1845

56.





SÆCULA IV-V.

SANCTI AURELII

# AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

## OPERA OMNIA,

POST LOVANIENSIVM THEOLOGORVM RECENSIONEM,

CASTIGATA DENUO AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICOS, VATICANOS, BELGICOS, ETC.,

NECNON AD EDITIONES ANTIQUIORES ET CASTIGATIONES,

OPERA ET STUDIO

MONACHORVM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAUR.

*Editio novissima, emendata et auctior,*

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLĒSIÆ RAMOS EDITORE.

---

TOMUS TERTIVS.

PARS PRIOR.

---

VENIUNT 16 VOLUMINA 86 FRANCIS GALLICIS.

21

EXCDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM  
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORVM VULGO D'ENFER NOMINATAM,  
SEU PETIT-MONTROUGE.

1841

SG

# ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC TERTIO TOMO CONTINENTUR,

---

## IN I PARTE.

DE DOCTRINA CHRISTIANA LIBRI IV.	Pag. 15
DE VERA RELIGIONE LIBER UNUS.	121
DE GENESI CONTRA MANICHÆOS LIBRI II.	173
DE GENESI AD LITTERAM IMPERFECTUS LIBER.	219
DE GENESI AD LITTERAM LIBRI XII.	245
SCRIPTURÆ SACRÆ LOCUTIONUM LIBRI VII.	485
QUESTIONUM IN PENTATEUCHUM LIBRI VII.	547
ANNOTATIONUM IN JOB LIBER UNUS.	825
DE SCRIPTURA SACRA SPECULUM.	887
DE CONSENSU EVANGELISTARUM LIBRI IV.	1041
DE SERMONE DOMINI IA MONTE LIBRI II.	1229



---

Ex typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.

# IN TERTIUM TOMUM

## Præfatio.

Cum scientiam sanctarum Scripturarum, cœu castas animæ suæ delicias (*Confess. lib. 11, c. 2*), ab inito maxime sacerdotio unam excoluerit Augustinus; operæ pretium erat, ut ab ipso statim limine primis ejus scriptis et epistolis succederent sacræ ipsius commentationes, et recto quidem ac naturali ordine disponerentur. Nam, si libros polemicos, qui adversus Manichæos, Donatistas, Pelagianos, aliosque hæreticos ab eo conscripti sunt, in unam classem editores studiosorum gratia digesserunt; idem sane in Exegeticis præstandum erat, quod in recensendis Patribus, Ambrosio, Gregorio, aliisque nuper factum est. Id enim non modo argumenti dignitas, sed etiam piorum lectorum causa, qui Augustinum de sanctis Litteris disserentem auscultare amant, postularo videbatur; ut dispositis ex ordine Scripturis, continuas sancti Doctoris expositiones in promptu haberent. Hinc est quod cum istæ antehac in quasdam veluti lacinias inconcinne divulsæ, ac dispersæ extarent per varios hinc inde tomos; eas in unum decimum adducere visum est, ne illa pars quæ potiores sibi curas, majoremque religionem merito vindicabat, tanquam minus a nobis curata haberetur, si perturbatum et confusum superiorum editionum ordinem retineremus.

Quapropter, quæ Augustini in sacras Litteras lucubrationes in tertio, quarto ac nono tomo distractæ erant, eas in hoc volumen pro serie Veteris ac Novi Testamenti ordinate coniecimus; præmissis in fronte libris de Doctrina Christiana, quæ veluti clavis atque ars est recte interpretandi rationis, quam adhibuit Augustinus, et post eum catholici commentatores. Hunc autem ordinem nulla sane singularitatis affectatione institimus, sed virorum eruditorum consilio, atque animo juvandi lectores christianos, qui reconditos Scripturarum sensus ex Patrum traditione depromere ac discere malunt, quam ex libris recentiorum auctorum, rati plus latentis efficacis cœlestisque virtutis illis inesse, qui ad ipsos fontes propius accedunt, non solum tempore, sed etiam sanctitate.

Cum enim Scripturæ sacræ expositio in duabus maxime partibus consistat, nimirum in vero germanoque sensu eliciendo, et in excitandis ad pietatem lectorum animis; ita comparati sunt piorum doctorumque simul hominum plerique, ut non solum plus valeat apud eos veterum quam recentiorum auctoritas, sed etiam longe amplius in Dei cultum et amorem ex illorum lectione accendantur: sive id oriatur ex insita veneratione majorum, sive ex cœlesti quadam virtute eorum libris infusa, atque ex quodam genuinæ sanctitatis succo et gustu, qui ex eorum scriptis percipitur. Etsi porro in explicando sensu litterali seu grammaticali nonnulla feliciter assecuti sint recentiores quidam, quam veteres; magis tamen ad roborandam fidem conducunt hi quam illi: at si reconditæ pietatis sensum in utrisque compares, in novis pene emarcida et languens jacet intelligentia Scripturarum; in antiquis sacro charitatis igne succensa animos legentium fovet ac recreat. Id sane experiri licet præcipue in Augustino, imo experti sunt quicumque sedulam ejus commentariis ac scriptis navarunt operam. Nam, si docendi sunt lectores, sicut sol in lumine excedit omnes planetas, ita Augustinus omnes excessit in exponendo sacras Scripturas, inquit Remigius Autissio Iorensis (*Comment. in 11 Cor.*). Si commovendi et excitandi sunt legentium affectus, nullus id suavius et efficacius præstat quam Augustinus. Probat hoc jam olim Fulgentius tanti Magistri discipulus, qui ubi omnia quæ sibi dura videbantur expertus, adjutorio gratiæ spiritualis voluntati suæ sensit suppetere facultatem; beati Augustini exponentis trigesimum sextum Psalmum disputatione commonitus et compunctus, publicare suum statuit votum (*In vita S. Fulg. cap. 3*) quod de monastico instituto conceperat.

Has autem sancti Doctoris in exponendis Scripturis dotes ita suspexere non modo posteri, verum etiam ejus aequales, ut ad ipsum in obscuris ac dubiis locis, tanquam ad cœleste oraculum, missis epistolis confugerint Simplicianus Mediolanensis, Paulinus Nolensis, Evodius Uzalensis antistites: imo ad eundem Orosius presbyter, ab ultima Hispania, solo sanctarum Scripturarum ardore inflammatus advenerit (*August. epist. 169, n. 13*). Hinc Augustinum Audax Oraculum legis appellat (*Epist. inter August. 260*); asseritque Volusianus legi deesse, quidquid contigerit ab eo ignorari (*Ibid. 133, n. 2*). Sed illud in primis commendatione dignum, quod non tantum privati doctissimi quique homines, sed ipsa Concilia, scilicet Numidiæ et Carthaginis, sanctissimo Doctore, tanquam canonico interpreti, sacras Scripturas exponendi curam et provinciam commiserint (*Epist. 213, n. 4*), ut quod jam divina providentia ipsi creditum fuerat, etiam suffragante ac postulante Ecclesia exsequeretur.

Ad eam vero sacrorum Librorum intelligentiam pervenerat Vir sanctissimus imprimis vitæ integritate ac puritate. Unde Paulinus ad ipsum: *Lucere non dubito sanctæ animæ tuæ, quæ de interioris oculi puritate meruit illuminationem Spiritus sancti, per quem scrutari et inspicere possit alta Dei.* (*Epist. inter Aug. 121, n. 18*). Deinde quæ ipsius erat in sacram Scripturam religio et reverentia, tantum ejus animo venerationis incus-

serat, ut perpetuo miraretur profunditatem eloquiorum divinatorum, et ipsi horror esset intendere in eam (*Confess. lib. 12, c. 14*). Unde, quemadmodum temerarius Scripturarum scrutator opprimitur a gloria (*Prov. xxv, 27*); sic e contrario ejus splendore ipse religiosus admirator totus illustrabatur. His accessis fervens et indefessum Augustini in eadem Scripturas studium, adeo ut totus inardesceret meditari in lego Dei, nolletque in aliud horas diffluere, quas a vitæ necessitatibus liberas inveniebat (*Confess. lib. 2, c. 2*). Ideo cum ad extremam vitæ periodum pervenisset, successorem sibi substitui curavit, quo pastoralibus curis expeditus, totus in eam meditationem intenderet animum (*Epist. 213, n. 4*); quasi non aliam, universæ Ecclesiæ magis utilem necessariamque operam navare posset.

Sed huic intelligentiæ cumulum imposuisse videntur ejus charitas et modestia. Modestia quippe imperitiam atque inscitiam suam profitetur, modo expositiones suas timide pro conjecturis proponit: tum alios ad meliores invenendas hortatur; et si quid ipse profecerit, non suæ ipsius industriæ, sed aliorum meritis et orationibus ascribit. Denique charitas efficit, ut in varias sese formas componat, et ad res minutissimas demittat, qualis est numerorum expositio, ut sæculi sui genio ac studiis sese accommodet. Quæ res tantum abest ut minorem de ejus commentariis opinionem generare, quin ex adverso majorem eis gratiam conciliare debeat; quo magis accedit ad illam sapientiæ divinæ formam, quæ rudium et imperitorum hominum causa quodammodo puerascere non erubuit. Non ergo audiendi sunt quidam minus religiosi censores, qui in sacris Libris nonnisi grammaticalia fere elementa pensantes, in sanctissimo Doctore carpere ausi sunt humilem interpretandi modum, qui ad regulas artis divinæ totus compositus est, non ad humanæ illius, quam isti tam studiose consecantur, humanæ eloquentiæ pompam.

Neque quemquam offendere debent allegoriæ, quibus aliquando Vir sanctus usus est in explanando præcipue Veteri Testamento. Hac enim religione in ejusmodi rebus agere solebat, ut illum cæteris expositorem præferret, qui omnia quæ dicta sunt, secundum litteram acciperet, dummodo posset evitare blasphemias (*De Genesi contra Manich. lib. 2, c. 2*); id est indignum Deo sensum. Sin minus, ad allegoricum sensum confugiendum esse docebat exemplo Apostolorum, qui eo sensu non semel usi sunt. Et certe quoniam Scriptura vetus rationem habet historiæ, prophetiæ atque legis; pro triplici ista ratione triplex sensus a sacris interpretibus merito usurpatus est; literalis qui historiæ, allegoricus qui prophetiæ, moralis qui legi respondet. Itaque, etsi sensus ille mysticus ad finiendam et stabiliendam Ecclesiæ dogmata solus non sufficiat, nisi in sacris Litteris contineatur; utilissimus tamen est, ubi promovendæ legis perfectioni inservit, scilicet charitati; et ubi ducit ad Christum, qui finis est legis ac charitatis. Duplicem hunc scopum, seu duplicem regulam, sibi proponit Augustinus in commentariis suis: unde fit ut nihil spirare videantur, nisi Christum; nihil inspirare, nisi charitatem. Accedit quod prudenter admodum hunc sensum inducit, eumque plurimum elicit ex literalis; nec ad eum facilius confugit, etiam in illis libris quos edidit adversus Manichæos (præterquam in primo suo super Genesim opere), tametsi opportuna ejus scopo hæc ratio videretur ad explicanda quædam veterum Patrum facta, quibus hæretici illi abutebantur. Sicubi vero Doctor sapientissimus unicum profert allegoricum sensum; id facit vel quia litteralem sibi obscurum ignotumve constitetur; vel quia literalis ipse per sese ita dilucidus est, ut explicatione non eget; vel denique quod aliis in locis eum exposuerit. Hoc enim pertinet ad prudentiam catholici Doctoris, ut non quavis occasione litteralem, ne vilesceat, inculcet; sed aliquando præferat mysticum ac spirituale, ubi auditorum studia et affectus id postulare videbuntur; imo etiam ipsa res, cum sensus allegoricus literalis gerit vicem.

Hic fortasse occurrendum esset censuræ quorundam hominum levis auctoritatis, qui verbis inverecundis Augustino exprobrare ausi sunt imperitiam linguarum, ex quarum ignoratione lapsus sit aliquando, ut mollius reddamus ejusmodi neoterici dictum, quod atroci et impudenti vocabulo expressit. Sed ejusmodi convicia in auctorem ipsum recidunt, constatque apud æquos rerum æstimatores, Augustinum ad intelligentiam Novi Testamenti subsidio græcæ linguæ, ad quam omnes latinæ editiones conditæ sunt, satis instructum fuisse, ut probant variæ Lectiones ex græcis fontibus deductæ, quas Vir sanctus in locis dubiis aut mendosis adhibuit. Fatetur quidem in Confessionibus suis Vir modestissimus se, cum puerulus latinæ litteras adamaret, græcas odisse (*Confess. lib. 1, c. 13*); sed jam episcopus, jam senex, ait Erasmus, *ad puero sibi fastiditas græcas litteras reversus est*. Qua in re egregium dedit specimen suæ in sacras Scripturas sedulitatis et reverentiæ, qui jam senex tot negotiis distractus, ad elementa græcæ descendere non gravatus est, ut ad sacrarum Litterarum intelligendum textum esset instructor.

Quod attinet ad Vetus Testamentum, in eo exponendo Vir sanctus præ oculis habuit versionem Septuaginta interpretum, quæ sola tunc in auctoritate erat jam inde ab Apostolorum temporibus: sed eam ita secutus est, ut in nullum inductus sit grave erratum; tametsi uberiores fortasse et locupletiores fuissent ipsius commentarii, si in hebraicas litteras penetrasset. Porro græcus contextus Septuaginta ab eo receptus, ille ipse est quem recensuit Nobilius; cujus pleræque variantes ex Augustino lectiones oriuntur ex editionum vitis, quæ subsidio veterum librorum in hac editione sustulimus. Eam autem interpretationem credimus illam esse, quam ipse *Usitam* appellat (*De Consensu Evang. lib. 2, c. 66*), Hieronymus Veterem et Vulgatam (*Lib. de Optimo genere interpret. et in Eccle. 1, 7, ssq.*), eandem fortasse quam cæteris præfert Augustinus, nempe Italiam, ab ipso laudatam in libro secundo de Doctrina Christiana, capite decimo quinto, tanquam verborum tenaciorem

cum perspicuitate sententiæ : si tamen Italica hæc aliud complectebatur quam Novum Testamentum ; quod ex Augustini verbis non penitus exploratum est. Caterum in libris Locutionum et Quæstionum in Heptateuchum, quos composuit jam senex, versionem ex hebræis fontibus proxime derivatam consulere solet, vulgari nostræ convenientem ; forsam quæ auctore Hieronymo prodierat, quam versione Septuaginta tandem accuratiorum agnoscit in libro quarto de Doctrina Christiana ( *Cap. 7, n. 15* ), scripto per id tempus, quo retractandis opusculis suis incumberebat. Paulo post, id est, sub finem vitæ suæ, hanc versionem adhibuit in condendo Speculo, quod ex Scripturæ centonibus ad usum vulgi tum meditabatur : sicque factum est ut hæc in manus populi ab Augustino tradita, evasêrit vulgaris ac receptissima, versione Septuaginta interim quamdam retinente auctoritatem etiam in Ecclesia Romana, ut sancti Gregorii ad Leandrum Hispalensem super Jobi expositionem epistola contestatur.

Denique si nostram in recensendis istis Augustini libris operam commemorare juvat ; summa cum ubique cura et fide, tum maxime ubi in sacro textu mutandum aliquid vel tantillum fuit, agendum esse duximus. Quapropter cum in nonnullis Scripturæ testimoniis varietatem apud Augustinum nostrum deprehendat lector, atque unam eandemque sententiam non constanter a nobis in integrum ubique, sed certis quibusdam in locis restitutam ; id minime tribuet negligentiae aut temeritati, sed religioni et sinceræ fidei nostræ. Nam ea in re secuti sumus veterum codicum fidem, sicubi quid vel castigandum erat, vel retinendum : ne si pro arbitrio unam eandemque sententiam, quam aliquando corrigendam esse docebant melioris notæ codices, in aliis locis diversam absque suffragio codicum similiter emendarem ; excideret non levis, qui ex variis Augustini scriptis percipitur fructus, nempe ut ex variantibus ejus lectionibus argumenta deducantur tum ad restituendam Bibliorum quæ modo in Ecclesia leguntur integritatem, tum ad eorum auctoritatem stabiliendam.

## ADMONITIO

### IN LIBROS DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Exegeticis opusculis, quæ tomus hic tertius complectitur, præfigendos curavimus libros de Doctrina Christiana, quorum videlicet argumentum eo pertinet, ut ad sacrarum Scripturarum intelligentiam et tractationem necessariis quibusdam documentis et præceptis imbuamur. Opus pro rei dignitate studiose elaboratum, nec profecto indignum, cui locus in Bibliorum limine cum Hieronymianis præfationibus concedatur. Id suscepto non ita pridem episcopatu, sicuti ex Retractionum serie intelligimus, id est, sub Christi annum trecentessimum nonagesimum septimum inchoaverat Augustinus, et cum ad eam duntaxat libri tertii partem, cui numerica nota 36 nunc præfigitur, perduxisset, impedire non potuit quo minus continuo prodiret in publicum : quando quidem in libris contra Faustum, circiter annum quadringentesimum conscriptis, locum ex eo quemdam de Ægyptiis per Hebræos Dei jussu exspoliatis commemorat in hæc verba : *Quid præfiguraverit, jam in quibusdam libris, quos de Doctrina Christiana prænotavi, quantum mihi tunc occurrit, me recolo posuisse (Lib. 22, cont. Faust. c. 91)*. Postmodum vero recognoscens opuscula sua, cum imperfectum illud comperisset, prius absolvere voluit, quam ad alia retractanda gradum faceret : tuncque non modo librum tertium complevit, sed etiam quartum adjecit, anno a sua in Mauritaniam Cæsareensem profectioe circiter octavo, id est Christi 426, aut 427, quemadmodum hic ad ejusdem quarti libri caput vigesimum quartum observamus.

Librorum autem argumenta hæc sunt. In primo quidem libro facta operis partitione, suscipitur tractatio de rebus : quibus explicatis, docetur Legis et omnium divinarum Scripturarum plenitudinem ac finem esse dilectionem rei qua fruendum est, et rei quæ nobis cum ea re frui potest, id est Dei et proximi.

In secundo libro de signis verbisque Scripturæ sacræ disputatur. Quoniam vero hujus sensus plerumque aut præ signorum ignorantia ; aut præ eorum ambiguitate non percipitur ; ideo prolato in primis divinarum Librorum canone, declarare pergit Augustinus quarumnam potissimum linguarum peritia, quænamve disciplinæ ac scientiæ conferant ad illam signorum ignorantiam removendam. Ubi, data occasione, de repudiandis superstitionis artibus agit. Quemadmodum etiam animo comparatus is esse debeat, qui operam studio Scripturarum navaturus sit, declarat sub initium et ad finem libri.

In tertio libro transit S. Doctor ad considerationem ambiguitatis, quæ cum in propriis, tum in translatis signis occurrere potest : discutit sedulo quibus ex fontibus oriatur isthæc ambiguitas, quæve ratione possit auferri. Illæc tradit regulas quibus dignoscatur an locutio figurata sit ; et si quidem figurata, quo pacto debeat explicari. Tum ipsius Tichonii septem Regulas singulatim expendit.

Hactenus de investigando Scripturæ sensu. Jam autem in quarto libro tractat de disserendo, ibique partes et officia christiani oratoris persequitur ; cui sacrarum Litterarum auctores et doctores ecclesiasticos imitandos proponit, ex eorum scriptis sanæ eloquentiæ exempla in vario dicendi genere subjiciens. Postremo ipsium ec-

clesiasten hortatur, ut in primis orationi det operam; et quod verbis docet alios, id omnino vita et moribus exhibeat.

Hoc ipsum opus olim Angilbertus Corbeia Abbas in usum Ludovici Francorum Regis, fratris Carolomani, describi curavit, uti constat in Corbeiensis codicis fronte præfixi, in quibus hi præter alios leguntur:

Hunc Abbas humilis jussit fabricare libellum  
 Angilbertus eula vilis et exiguus:  
 Quem daret ille pro celesti numine fulto  
 Hlodovico regi, qui est pius atque humilla.

Vide lib. 2 Retractationum, cap. 4, col. 631–632, a verbis, *Libros de Doctrina Christiana*, usque ad verba, *Præcepta quædam*. M.

# S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI DE DOCTRINA CHRISTIANA LIBRI QUATUOR<sup>(a)</sup>.

## Prologus.

doctrinam de Scriptura tractanda haud superfluo tradi.

1. Sunt præcepta quædam tractandarum Scripturarum, quæ studiosis earum video non incommode posse tradi; ut non solum legendo alios qui divinarum Litterarum opera aperuerunt, sed et aliis ipsi aperiendo proficiant. Hæc tradere institui volentibus et valentibus discere, si Deus ac Dominus noster ea quæ de hac re cogitanti solet suggerere, etiam scribenti mihi non deneget. Quod antequam exordiar, videtur mihi respondendum esse his qui hæc reprehensuri sunt, aut reprehensuri essent, si eos non ante placemus. Quod si nonnulli etiam post ista reprehenderint, saltem alios non movebunt, nec ab utili studio ad imperitiæ pigrilitatem revocabunt, quos movere possent, nisi prænumitiam præparatosque invenirent.

2. Quidam enim reprehensuri sunt hoc opus nostrum, cum ea quæ præcepturi sumus non intellexerint. Quidam vero cum intellectis uti voluerint, conatque fuerint Scripturas divinas secundum hæc præcepta tractare, neque valuerint aperire atque explicare quod cupiunt, inaviter me laborasse arbitrantur; et quia ipsi non adjurabuntur hoc opere,

multum adjuvari posse censebunt. Tertium genus est reprehensorum, qui divinas Scripturas vel revera bene tractant, vel bene tractare sibi videntur: qui quoniam nullis hujusmodi observationibus lectis, quales nunc tradere institui, facultatem exponendorum sanctorum Librorum se assecutos vel vident, vel putant, nemini esse ista præcepta necessaria, sed potius totum quod de illarum Litterarum obscuritatibus laudabiliter aperitur, divino munere fieri posse clamitabant.

3. Quibus omnibus breviter respondens, illis qui hæc quæ scribimus non intelligunt, hoc dico: me ita non esse reprehendum, quia hæc non intelligunt; tanquam si lunam veterem vel novam, sidusve aliquid minime clarum vellent videre, quod ego intento digito demonstrarem; illis autem nec ad ipsum digitum meum videndum sufficiens esset acies oculorum, non propterea mihi succensere deberent. Illi vero qui etiam istis præceptis cognitis atque perceptis, ea quæ in divinis Scripturis obscura sunt intueri nequiverint, arbitrantur se digitum quidem meum videre posse.

ADMÓNITIO PP. BENEDICTINORUM.

De Doctrina Christiana Libri quatuor recogniti sunt de novo ad codices manuscriptorum triginta, scilicet ad Vaticanos tres, ad Corbeiensis duos, quorum alter optime notæ et ante annos circiter mille descriptus videtur; ad unum e Bibliotheca Regia, unum e Thuanea et unum e Germanensi nostra. Alios suppeditarunt Collegium Navarricum et Sorbonicum, PP. Franciscani majoris conventus Parisiensis, PP. Dominici via Jacobea, PP. Augustiniani ad Sequane ripam, D. *de Vion d'Herrouval*, D. *Bigot*, Cisterciensis Abbatia, item Abbatia Floriacensis, Vindocinensis, Gemmeticensis, Beccensis, Pratellensis, Lyrensis, S. Arnulphi Metensis, S. Albini Andegavensis, S. Audoeni Rotomagensis, S. Martialis Lemovicensis, S. Michaelis in Periculo maris, S. Remigii Remensis, S. Theoderici prope Remes et Casalis Benedicti. Præterea, libris iisdem emendandis adhibita sunt variantes lectiones, quas olim ex Belgicis sex Mss. colligerunt Lovanienses Theologi: collatae etiam fuerunt antiquiores et potiores editiones, Bal. id est que Jodoci Badii Ascensii studio recognita, atque Joannis parvi typi: excusa est Parisiis, an. 1502; Am. que ex Joannis Amerbachii officina prodiit Basilea, an. 1506; Et. quam scilicet Desiderius Erasmus a se recessitam et emendatam curavit Frobeniano prelo excudi Basilea, an. 1528; et Lov. id est, quam Lovaniensium Theologorum opera castigatorem cæteris hactenus habebamus, ex Plantiniana typographia proactam an. 1570.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., t. 1, memoratas, et insuper Lov. 1586, id est alteram Lovaniensium, datam Parisiis anno 1586, necnon Helm., id est, quam Georgius Caietus juris publici fecit Helmestadii, anno 1655* M.

(a) inchoati circiter Christi annum 307 absoluti sub an. 426.

sidera vero quibus demonstrandis intenditur, videre non posse. Et illi ergo, et isti me reprehendere desinant, et lumen oculorum divinitus sibi præberi deprecantur. Non enim si possum membrum meum ad aliquid demonstrandum movere, possum etiam oculos accendere, quibus vel ipsa demonstratio mea, vel etiam illud quod volo demonstrare, cernatur.

4. Jamvero eorum qui divino munere exsultant, et sine talibus præceptis, qualia nunc tradere institui, se sanctos Libros intelligere atque tractare gloriantur, et propterea superflua voluisse me scribere existimant, sic est lenienda commotio, ut quamvis magno Dei dono jure lætentur, recordentur se tamen per homines didicisse vel litteras; nec propterea sibi ab Antonio sancto et perfecto viro Ægyptio monacho insultari debere, qui sine ulla scientia litterarum Scripturas divinas et memoriter audiendo tenuisse, et prudenter cogitando intellexisse prædicatur; aut ab illo servo Barbaro christiano<sup>1</sup>, de quo a gravissimis fideque dignissimis viris nuper accepimus, qui litteras quoque ipsas nullo docente homine, in plenam notitiam orando ut sibi revelarentur, accepit triduanis precibus impetrans ut etiam codicem oblatum, stupentibus qui aderant, legendo percurreret.

5. Aut<sup>2</sup> si hæc quisque falsa esse arbitratur, non ago pugnaciter. Certe enim quoniam cum Christianis nobis res est, qui se Scripturas sanctas sine duce homine gaudent nosse, et si ita est, vero et non mediocri gaudent bono; concedant necesse est unumquemque nostrum et ab ineunte pueritia consuetudine audiendi linguam suam didicisse, et aliam aliquam vel græcâ vel hebræam vel quamlibet cæterarum, aut similiter audiendo, aut per hominem præceptorum accepisse. Jam ergo si placet, moneamus omnes fratres, ne parvulos suos ista doceant, quia momento temporis adveniente Spiritu sancto, repleti Apostoli omnium gentium linguis locuti sunt; aut cui talia non provenerint, non se arbitretur esse christianum, aut Spiritum sanctum accepisse se dubitet. Imo vero et quod per hominem descendum est, sine superbia discat; et per quem docetur alius, sine superbia et sine invidia tradat quod accepit: neque tentemus eum cui credidimus, ne talibus inimici versutiis et perversitate decepti, ad ipsum quoque audiendum Evangelium atque discendum nolimus ire in ecclesias, aut codicem legere, aut legentem prædicantemque hominem audire; et expectemus rapi usque in tertium cælum, sive in corpore, sive extra corpus, sicut dicit Apostolus, et ibi audire ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui (II Cor. XII, 2-4), aut ibi videre Dominum Jesum Christum, et ab illo potius quam ab hominibus audire Evangelium.

6. Caveamus tales tentationes superbissimas et periculosissimas, magisque cogitemus et ipsum apostolum Paulum, licet divina et celesti voce prostratum et instru-

ctum, ad hominem tamen missum esse, ut sacramenta perciperet, atque copularetur Ecclesiæ (Act. IX, 3-7); et centurionem Cornelium quamvis exauditas orationes ejus, elemosynasque respectas ei angelus nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum; per quem non solum sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret (Id. X, 1-6). Et poterant utique omnia per angelum fieri, sed abjecta esset humana conditio, si per homines hominibus Deus verbum suum ministrare nolle videretur. Quomodo enim verum esset quod dictum est, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I Cor. III, 17); si Deus de humano templo responsa non redderet, et totum quod descendum hominibus tradi vellet, de cælo atque per Angelos personaret? Deinde ipsa charitas, quæ sibi invicem homines nodo unitatis astringit, non haberet aditum refundendorum et quasi miscendorum sibi met animorum, si homines per homines nihil discerent.

7. Et certe spadonem illum qui Isaiam prophetam legens non intelligebat, neque ad angelum apostolus misit, nec ei per angelum id quod non intelligebat expositum, aut divinitus in mente sine hominis ministerio revelatum est; sed potius suggestionem divina missus est ad eum, seditque cum eo Philippus, qui noverat Isaiam prophetam, eique humanis verbis et lingua quod in Scriptura illa tectum erat, aperuit (Act. VIII, 27-35). Nonne cum Moyse Deus loquebatur, et tamen consilium regnandi atque administrandi tam magni populi a socero suo, alienigena scilicet homine, et maxime providus et minime superbus accepit (Exod. XVIII, 14-26)? Noverat enim ille vir, ex quacumque anima verum consilium processisset, non ei, sed illi qui est veritas, incommutabili Deo tribuendum esse.

8. Postremo quisquis se nullis præceptis instructum divino munere quacumque in Scripturis obscura sunt intelligere gloriatur, bene quidem credit, et verum est, non esse illam suam facultatem quasi a seipso existentem, sed divinitus traditam; ita enim Dei gloriam querit et non suam: sed cum legit, et nullo sibi hominum exponente intelligit, cur ipse aliis affectat exponere, ac non potius eos remittit Deo, ut ipsi quoque non per hominem, sed illo intus docente intelligant? Sed videlicet timet ne audiat a Domino, *Serre nequam, darea pecuniam meam nummularis* (Matth. XXV, 26, 27). Sicut ergo hi ea quæ intelligunt, produnt cæteris vel loquendo vel scribendo; ita ego quoque si non solum ea quæ intelligant<sup>1</sup>, sed etiam intelligendo ea quæ observent, prodidero, culpari ab eis profecto non debeo: quanquam nemo debet aliquid sic habere quasi suum proprium, nisi forte mendacium. Nam omne verum ab illo est, qui ait: *Ego sum veritas* (Joan. XIV, 6). Quid enim habemus quod non accepimus? Quod si accepimus, quid gloriamur quasi non accepimus? (I Cor. IV, 7)?

9. Qui legit audientibus litteras, utique quas agnoscit enuntiat; qui autem ipsas litteras tradit, hoc agit

<sup>1</sup> Mss. e Vaticanis duo, *Barbarico Macario*: quod servi illius nomen in aliis codicibus et apud Cassiodorum Senatorum, qui id miraculi profert in præfatione ad institutionum libros, frustra quaesivimus.

<sup>2</sup> Sic Mss. Edili vero, *et si hæc*.

<sup>1</sup> Mss. viginti tres, *intelligo*.

ut alii quoque legere noverint : uterque tamen id insinuat quod accepit. Sic etiam qui ea quæ in Scripturis intelligit, exponit audientibus, tanquam litteras quas agnoscit pronuntiat lectoris officio; qui autem præcipit quomodo intelligendum sit, similis est tradenti litteras, hoc est præcipienti quomodo sit legendum : ut quomodo ille qui legere novit, alio lectore non indiget, cum codicem invenerit, a quo audiat quid ibi scriptum sit; sic iste qui præcepta quæ conamur tradere acceperit, cum in libris aliquid obscuritatis invenerit, quasdam regulas veluti litteras te-

nens intellectorem alium non requirat, per quem sibi quod opertum est retegatur; sed quibusdam vestigiis indagatis ad occultum sensum sine ullo errore ipse perveniat, aut certe in absurditatem prævæ sententiæ non incidat. Quapropter, quanquam et in ipso opere satis apparere possit huic officioso labori nostro non recte aliquem contradicere; tamen, si huiusmodi proœmio quiboslibet obsistentibus convenienter videatur esse responsum, huius viæ quam in hoc libro ingredi volumus, tale nobis occurrit exordium

## LIBER PRIMUS.

Principio fit, acitio totius operis, quo Scripturarum studiosus cum ad earum investigandum sensum, tum ad edisserendum instituitur. Mox observata eorum de quibus doctrina tradenda est distinctio in res et signa, suscipitur in hoc prioro libro tractatio de rebus. Res porro alias esse quibus frui, alias quibus non nisi ut nobis liceat: et quidem Deo soli fruitione inhærendum esse, eoque nos ipsius incarnatione Verbi et rebus ab ipso temporaliter gestis, atque traditis Ecclesie clavibus pronoveri; inter eas vero res quæ in usum veniunt, nonnullas esse quibus dilecto jure impenditur, sed in Deum relata. Quibus explicatis docetur totius Scripturæ sacræ plenitudinem et finem esse geminam charitatem, Dei propter seipsum, ac proximi propter Deum.



**CAPUT PRIMUM.** — *Inventionis et enuntiationis nittur Scripturæ tractatio; quæ cum Dei auxilio suscipienda.*

4. Dux sunt res quibus nittitur omnis tractatio Scripturarum; modus inveniendi quæ intelligenda sunt, et modus proferendi quæ intellecta sunt. De inveniendi prius, de proferendo postea disseremus. Magnum opus<sup>1</sup> et arduum, et si ad sustinendum difficile, vereor ne ad suscipiendum temerarium. Ita sane si de nobis ipsis presumeremus: nunc vero cum in illo sit spes peragendi huius operis, a quo nobis in cogitatione multa de hac re jam tradita tenemus, non est metuendum ne dare desinat cætera, cum ea quæ data sunt cœperimus impendere. Omnis enim res quæ dantur non deficit, dum habetur et non datur, nondum habetur quomodo habenda est. Ille autem ait: *Qui habet, dabitur ei (Matth. xiii, 12)*. Dabit ergo habentibus, id est, cum benignitate utentibus eo quod acceperunt, adimplebit atque cumulabit quod dedit. Illi quinque et illi septem erant panes, antequam inciperent dari esurientibus; quod ubi fieri cœpit, cophinos et sportas satiatis tot hominum millibus impleverunt (*Id. xiv, 17-21; et xv, 34-38*). Sicut ergo ille panis dum frangeretur accrevit, sic ea quæ ad hoc opus aggrediendum jam Dominus præbuit, cum dispensari cœperint, eo ipso suggerente multiplicabuntur, ut in ipso hoc nostro ministerio, non solum nullam patiamur inopiam, sed de mirabili etiam abundantia gaudeamus.

**CAPUT II.** — *Quid res, quid signa.*

2. Omnis doctrina vel rerum est vel signorum, sed res per signa discuntur. Proprie autem nunc res appellavi, quæ non ad significandum aliquid adhibentur, sicuti est lignum, lapis, pecus, atque huiusmodi cætera. Sed non illud lignum quod in aquas amaras Moysen misisse legimus, ut amaritudine carerent (*Exod. xv, 25*); neque ille lapis quem Jacob sibi ad

<sup>1</sup> *Ant. Er. et Mss. quinque, unus.*

caput posuerat (*Genes. xxviii, 11*); neque illud pecus quod pro filio immolavit Abraham (*Id. xxii, 13*). Hæ namque ita res sunt, ut aliarum etiam signa sint rerum. Sunt autem alia signa quorum omnis usus in significando est, sicuti sunt verba. Nemo enim utitur verbis, nisi aliquid significandi gratia. Ex quo intelligitur quid appellentur signa; res eas videlicet quæ ad significandum aliquid adhibentur. Quamobrem omne signum etiam res aliqua est; quod enim nulla res est, omnino nihil est: non autem omnis res etiam signum est. Et ideo in hac divisione rerum atque signorum, cum de rebus loquemur, ita loquemur ut etiamsi earum aliqua adhiberi ad significandum possint, non impediant partitionem, quia prius de rebus, postea de signis disseremus; memoriterque teneamus id nunc in rebus considerandum esse quod sunt, non quod aliud etiam præter seipsas significant.

**CAPUT III.** — *Rerum divisio*

5. Res ergo alie sunt quibus fruendum est, alie quibus utendum, alie quæ fruuntur et utuntur. Hæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, et quasi adminiculamur, ut ad illas quæ nos beatos faciant, pervenire, atque his inhærerere possimus. Nos vero qui fruimur et utimur, inter utrasque constituti, si eis quibus utendum est frui voluerimus, impeditur cursus noster, et aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus quibus fruendum est obtinendis vel retardemur, vel etiam revocemur, inferiorum amore præpediti.

**CAPUT IV.** — *Frui et uti, quid sit.*

4. Frui enim est amore alicui rei inhærerere propter seipsam. Uti autem, quod in usum venerit ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam usus illicitus, abusus potius vel abusus nominandus est. Quomodo ergo, si essemus peregrini, qui beate vivere nisi in patria non possemus, eaque peroratione utique miseri et miseriam finire cupientes,



in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel marinis vehiculis quibus utendum esset ut ad patriam, qua fruendum erat, pervenire valeremus; quod si amœnitates itineris, et ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, et conversi ad fruendum his quibus uti debuimus, nollemus cito viam finire, et perversa suavitate implicati alienaremur a patria, cujus suavitas faceret beatos: sic in hujus mortalitatis vita peregrinantes a Domino (II Cor. v, 6), si redire in patriam volumus, ubi beati esse possumus, utendum est hoc mundo, non fruendum; ut invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur (Rom. i, 20), hoc est, ut de corporalibus temporalibusque rebus æterna et spiritualia capiamus.

CAPUT V. — *Deus Trinitas, res qua fruendum.*

5. Res igitur quibus fruendum est, Pater et Filius et Spiritus sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa res, communisque omnibus fruentibus ea; si tamen res et non rerum omnium causa sit, si tamen et causa. Non enim facile nomen quod tantæ excellentiæ conveniat potest inveniri, nisi quod melius ita dicitur Trinitas hæc, unus Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (Rom. xi, 36). Ita Pater et Filius et Spiritus sanctus, et singulus quisque horum Deus, et simul omnes unus Deus; et singulus quisque horum plena substantia, et simul omnes una substantia. Pater nec Filius est nec Spiritus sanctus, Filius nec Pater est nec Spiritus sanctus, Spiritus sanctus nec Pater est nec Filius; sed Pater tantum Pater, et Filius tantum Filius, et Spiritus sanctus tantum Spiritus sanctus. Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem majestas, eadem potestas. In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia: et tria hæc unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum.

CAPUT VI. — *Deus ineffabilis, quomodo.*

6. Diximusne aliquid et sonuimus aliquid dignum Deo? Imo vero nihil me aliud quam dicere voluisse sentio: si autem dixi, non hoc est quod dicere volui. Hoc unde scio, nisi quia Deus ineffabilis est; quod autem a me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset? Ac per hoc ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia et hoc cum dicitur, aliquid dicitur. Et si nescio quæ pugna verborum, quoniam si illud est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile quod vel ineffabile dici potest. Quæ pugna verborum silentio cavenda potius quam voce pacanda est. Et tamen Deus, cum de illo nihil digne dici possit, admisit humanæ vocis obsequium, et verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit. Nam inde est et quod dicitur Deus. Non enim revera in strepitu istarum duarum syllabarum ipse cognoscitur; sed tamen omnes latinæ linguæ scios<sup>1</sup>, cum aures eorum sonus iste tetigerit, movet ad cogitandam excellentissimam quamdam immortalisque naturam.

<sup>1</sup> Apud Am. Fr. et Mss. septendecim, socios.

CAPUT VII. — *Deum omnes intelligunt in quo nihil melius.*

7. Nam cum ille unus cogitatur deorum Deus, ab his etiã qui alios et suspicantur et vocant et colunt deos sive in cœlo sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid quo nihil melius sit atque sublimius illa cogitatio conetur attingere. Sane quoniam diversis moventur bonis, partim eis quæ ad corporis sensum, partim eis quæ ad animi intelligentiam pertinent; illi qui dediti sunt corporis sensibus, aut ipsum cœlum, aut quod in cœlo fulgentissimum vident, aut ipsum mundum, Deum deorum esse arbitrantur: aut, si extra mundum ire contendunt, aliquid lucidum imaginantur, idque vel infinitum, vel ea forma quæ optima videtur, inani suspitione constituunt, aut humani corporis figuram cogitant, si eam<sup>1</sup> cæteris anteponunt. Quod si unum Deum deorum esse non putant, et potius multos aut innumerabiles æqualis ordinis deos; etiam eos tamen prout cuique aliquid corporis videtur excellere, ita figuratos animo tenent. Illi autem qui per intelligentiam pergunt videre quod Deus est, omnibus eum naturis visibilibus et corporalibus, intelligibilibus etiam et spiritualibus, omnibus mutabilibus præferunt. Omnes tamen certatim pro excellentia Dei dimicant; nec quisquam inveniri potest qui hoc Deum credat esse quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiant esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt.

CAPUT VIII. — *Deus cum sit sapientia incommutabilis, rebus omnibus anteponendus.*

8. Et quoniam omnes qui de Deo cogitant, vitam aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda et indigna existimare de Deo, qui vitam ipsam cogitant, et quæcumque illis forma occurrerit corporis, eam vitam vivere vel non vivere statuunt, et viventem non viventi anteponunt; eamque ipsam viventem corporis formam, quantalibet luce præfulgeat, quantalibet magnitudine præemineat, quantalibet pulchritudine ornetur, aliud esse ipsam, aliud vitam qua vegetatur intelligunt, eamque illi moti quæ ab illa vegetatur et animatur, dignitate incomparabili præferunt. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere, et si eam sine sensu vegetantem invenerint, qualis est arborum, præponunt eis sentientem, qualis est pecorum; et huic rursus intelligentem, qualis est hominum. Quam cum adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem coguntur præponere, illam scilicet vitam quæ non aliquando desipit, aliquando sapit, sed est potius ipsa Sapientia. Sapiens enim mens, id est, adepta sapientiam, antequam adipisceretur non erat sapiens; at vero ipsa Sapientia nec fuit unquam insipientis, nec esse unquam potest. Quam si non viderent, nullo modo plena fiducia vitam incommutabiliter sapientem commutabili vite anteponerent. Ipsam quippe<sup>2</sup> regulam veritatis, qua illam clamant esse meliorem, incommutabilem vident; nec uspiam nisi supra suam

<sup>1</sup> Editi, sic eam. At Mss. prope omnes, si eam.

<sup>2</sup> Ita in Mss. plerisque, ubi in editis habetur, ipsam quæ.

caturam vident, quandoquidem se vident mutabiles.

CAPUT IX. — *Sapientiam immutabilem mutabili præferendam esse omnes norunt.*

9. Nemo est enim tam impudenter<sup>1</sup> insulsus qui dicat: Unde scis incommutabiliter sapientem vitam mutabili esse præferendam? Idipsum enim quod interrogat, unde sciam, omnibus ad contemplandum eommunitè atque incommutabiliter præsto est. Et hoc qui non videt, ita est quasi cæcus in sole, cui nihil prodest ipsis locis oculorum ejus tam claræ ac præsentis lucis fulgor infusus. Qui autem videt et refugit, consuetudine umbrarum carnalium invalidam mentis aciem gerit. Pravorum igitur morum quasi contrariis flatibus ab ipsa patria repercutiuntur homines; posteriora atque inferiora sectantes, quam illud quod esse melius atque præstantius consistunt.

CAPUT X. — *Ad videndum Deum purgandus animus.*

10. Quapropter, cum illa veritate perfruedum sit, quæ incommutabiliter vivit, et in ea Trinitas Deus, auctor et conditor universitatis, rebus quas condidit consulat; purgandus est animus, ut et perspicere illam lucem valeat, et inhærere perspectæ<sup>2</sup>. Quam purificationem quasi ambulationem quamdam, et quasi navigationem ad patriam esse arbitremur. Non enim ad eum qui ubique præsens est, locis movemur, sed bono studio bonisque moribus.

CAPUT XI. — *Purgandi animi exemplum Sapientia incarnata.*

11. Quod non possemus, nisi ipsa Sapientia tantæ etiam nostræ infirmitati congruere dignaretur, et vivendi nobis præberet exemplum, non aliter quam in homine, quoniam et nos homines sumus. Sed quia nos cum ad illam venimus, sapienter facimus; ipsa cum ad nos venit, ab hominibus superbis quasi stulte fecisse putata est. Et quoniam nos cum ad illam venimus, convalescimus; ipsa cum ad nos venit, quasi infirma existimata est. Sed quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (I Cor. 1, 25). Cum ergo ipsa sit patria, viam se quoque nobis fecit ad patriam.

CAPUT XII. — *Quomodo Sapientia Dei ad nos venit.*

Et cum sano et puro interiori oculo ubique sit præsens, eorum qui oculum illum infirmum immundumque habent, oculis etiam carnis apparere dignata est. Quia enim in Sapientia Dei non poterat mundus per Sapientiam cognoscere Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes (I Cor. 1, 21).

12. Non igitur per locorum spatia veniendo, sed in carne mortali mortalibus apparendo, venisse ad nos dicitur. Illuc ergo venit ubi erat, quia in hoc mundo erat, et mundus per eam factus est. Sed quoniam cupiditate fruendi pro ipso Creatore creatura, homines configurati huic mundo, et mundi nomine congruentissime vocati, non eam cognoverunt, propterea dixit Evangelista: *Et mundus eum non cognovit*

<sup>1</sup> In excusis, *tam imprudenter*. In Mss. tredecim, *tam immodenter*.

<sup>2</sup> Editi, *inhærere perfecte*. Elegantius Mss., *perspectæ*.

*vit* (Joan. 1, 10). Itaque in Sapientia Dei non poterat mundus per Sapientiam cognoscere Deum. Cur ergo venit cum hic esset, nisi quia placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes?

CAPUT XIII. — *Verbum caro factum est.*

Quomodo venit, nisi quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Joan. 1, 14)? Sicuti cum loquimur, ut id quod animo gerimus, in audientis animum per aures carneas illabatur, fit sonus verbum quod corde gestamus, et locutio vocatur; nec tamen in eundem sonum cogitatio nostra convertitur, sed apud se manens integra, formam vocis qua se insinuat auribus, sine aliqua labe suæ mutationis<sup>1</sup> assumit: ita Verbum Dei non commutatum, caro tamen factum est, ut habitaret in nobis.

CAPUT XIV. — *Hominem quomodo sanavit Dei Sapientia.*

13. Sicut autem curatio via est ad sanitatem, sic ista curatio peccatores sanandos resciendosque suscepit. Et quemadmodum medici cum alligant vulnera, non incomposite, sed apte id faciunt, ut vinculi utilitatem quædam pulchritudo etiam consequatur: sic medicina Sapientiæ per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus; de quibusdam contrariis curans, et de quibusdam similibus. Sicut etiam ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, sicut frigidum calido, vel humidum sicco, vel si quid aliud hujusmodi; adhibet etiam quædam similia, sicut linteolum vel rotundo vulnere rotundum, vel oblongum oblongo, ligaturamque ipsam non eandem membris omnibus, sed similem similibus coaptat: sic sapientia Dei hominem curans, seipsam exhibuit ad sanandum, ipsa medicus, ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur. Quemadmodum autem illa Sapientia vocabatur, erat autem stultitia contemnens Deum; sic ista quæ vocatur stultitia, Sapientia est vincens diabolum. Nos immortalitate male usi sumus, ut moremur; Christus mortalitate bene usus est, ut viveremus. Corrupto animo feminæ ingressus est morbus; integro corpore feminæ processit salus. Ad eadem contraria pertinet, quod etiam exemplo virtutum ejus vitia nostra curantur. Jamvero similia quasi ligamenta membris et vulneribus nostris adhibita, illa sunt, quod per feminam deceptos per feminam natus, homo homines, mortales mortales, morte mortuos liberavit. Multa quoque alia diligentius considerantibus quos instituti operis peragendi necessitas non rapit, vel a contrariis, vel a similibus medicinæ christianæ apparet instructio.

CAPUT XV. — *Resurrectione et ascensione Christi fulcitur fides, excitatur iudicio.*

14. Jamvero credita Domini a mortuis resurrectio, et in cælum ascensio, magna spe fulcit fidem nostram. Multum enim ostendit quam voluntarie pro nobis animam posuerit, qui eam sic habuit in potestate resumere. Quanta ergo se fiducia spes credentium con-

<sup>1</sup> Am. et Fr.: *Sine aliqua labe, sine mutatione*.

solutur, considerans quantus quanta pro nondum credentibus passus sit? Cum vero iudex vivorum atque mortuorum exspectatur e caelo, magnum timorem incutit negligentibus, ut se ad diligentiam<sup>1</sup> convertant, eumque magis bene agendo desiderent, quam male agendo formident. Quibus autem verbis dici, aut qua cogitatione capi potest praemium, quod ille in fine daturus est; quando ad consolationem hujus itineris de Spiritu suo tantum dedit, quo in adversis vitae hujus fiduciam charitatemque tantam ejus, quem nondum videmus, habeamus, et dona<sup>2</sup> unicuique propria ad instructionem Ecclesiae suae, ut id quod ostendit esse faciendum, non solum sine murmure, sed etiam cum delectatione<sup>3</sup> faciamus?

CAPUT XVI. — *Ecclesia Christi corpus et conjux medicinalibus molestiis ab ipso purgatur.*

15. Est enim Ecclesia corpus ejus, sicut apostolica doctrina commendat (*Ephes. 1, 23*), quae etiam conjux ejus dicitur. Corpus ergo suum multis membris diversa officia gerentibus (*Rom. xii, 4*), nodo unitatis et charitatis tanquam sanitatis astringit. Exercet autem hoc tempore et purgat medicinalibus quibusdam molestiis, ut erutam de hoc saeculo, in aeternum sibi copulet conjugem Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi (*Ephes. v, 23-32*).

CAPUT XVII. — *Christus donando peccata viam aperuit ad patriam.*

16. Porro quoniam in via sumus, nec via ista locorum est, sed affectuum, quam intercludebat, quasi septa quaedam spinosa, praeteritorum malitia<sup>4</sup> peccatorum; quid liberalius et misericordius facere potuit, qui seipsum nobis, qua<sup>5</sup> rediremus, substernere voluit, nisi ut omnia donaret peccata conversis, et graviter fixa interdicta redditus nostri pro nobis crucifixus evelleret?

CAPUT XVIII. — *Claves traditae Ecclesiae.*

17. Has igitur claves dedit Ecclesiae suae, ut quae solveret in terra, soluta essent in caelo; quae ligaret in terra, ligata essent et in caelo (*Matth. xvi, 19*): scilicet ut quisquis in Ecclesia ejus dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur; quisquis autem crederet, seque ab his correctus averteret, in ejusdem Ecclesiae gremio constitutus, eadem fide atque correctione sanaretur. Quisquis enim non credit dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando, quasi nihil illi melius quam malum esse remaneat, ubi de fructu suae conversionis infidus est.

CAPUT XIX. — *Corporis et animi mors atque resurrectio.*

18. Jamvero sicut animi quaedam mors est, vitae prioris morumque relictio<sup>6</sup>, quae fit poenitendo; sic etiam corporis mors est animationis pristinae resolu-

<sup>1</sup> Ead. Am. et Er., *indulgentiam*. Melius caeteri codices, *diligentiam*.

<sup>2</sup> Lov., *donat*. Substituimus *donu*, ex Am. Er. et Mss. plerisque melioris notae.

<sup>3</sup> Mss. quinque, *cum dilectione*.

<sup>4</sup> Editi, *intercludebant.... malitia*: pro quo Mss. magno consensu, *intercludebat... malitia*.

<sup>5</sup> Editi, *quo rediremus*. At Mss. septemdecim, *qua*: praeter quinque alios, qui habent, *viam qua*.

<sup>6</sup> Am. et Er., *rejectio*.

tio: et quomodo animus post poenitentiam, qua prioris mores perditos interemit, reformatur in melius; sic etiam corpus post istam mortem, quam vinculo peccati omnes debemus, credendum et sperandum est resurrectionis tempore in melius commutari, ut non caro et sanguis regnum Dei possideant, quod fieri non potest; sed corruptibile hoc induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem (*I Cor. xv, 50-53*), nullamque faciens molestiam, quia nullam patietur indigentiam, a beata perfectaue anima cum summa quiete vegetetur.

CAPUT XX. — *Qui non ad vitam sed ad supplicia renascantur.*

19. Cujus autem animus non moritur huic saeculo, neque incipit configurari veritati, in graviorem mortem morte corporis trahitur; neque ad commutationem<sup>1</sup> caelestis habitudinis, sed ad luenda supplicia reviviscet.

CAPUT XXI. — *Rursus corporis de resurrectione.*

Hoc itaque fides habet, atque ita se rem habere credendum est, neque animum, neque corpus humanum omnimodum interitum pati; sed impios resurgere ad poenas inestimabiles, pios autem ad vitam aeternam.

CAPUT XXII. — *Solo Deo fruendum.*

20. In his igitur omnibus rebus illae tantum sunt quibus fruendum est, quas aeternas atque incommutabiles commemoravimus; caeteris autem utendum est, ut ad illarum perfectionem pervenire possimus. Nos itaque qui fruimur et utimur alijs rebus, res aliqua sumus. Magna enim quaedam res est homo, factus ad imaginem et similitudinem Dei, non in quantum mortali corpore includitur, sed in quantum bestias rationalis animae honore praecedit<sup>2</sup>. Itaque magna quaestio est utrum frui se homines debeant, an uti, an utrumque. Praeceptum est enim nobis ut diligamus invicem; sed quaeritur utrum propter se homo ab homine diligendus sit, an propter aliud. Si enim propter se, fruimur eo; si propter aliud, utimur eo. Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata; cujus etiamsi nondum res, tamen spes ejus nos hoc tempore consolatur. Maledictus autem qui spem suam ponit in homine (*Jerem. xvii, 5*).

21. Sed nec seipso quisquam frui debet, si liquido advertas; quia nec seipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illum quo fruendum est. Tunc est quippe optimus homo, cum tota vita sua pergit<sup>3</sup> in incommutabilem vitam; et toto affectu inhæret illi: si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum; sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur. Et propterea jam cum defectu aliquo se fruitur; quia melior est cum totus hæret

<sup>1</sup> Tres e Vat. Mss., *ad communicationem*. Alius Vat., *ad communionem*. Huic Frasmus consentit; sed libri caeteri ferunt, *ad commutationem*: inique in Mss. prope omnibus legimus, *caelestis habitudinis*; pro quo apud Am., *habitudinis*, et apud Fr. et Lov., *beatitudinis*.

<sup>2</sup> Sic undecim Mss. [*præcellit*].

<sup>3</sup> Am. et Fr., *peragitur*.

atque constringitur incommutabili bono, quam cum inde vel ad seipsum relaxatur. Si ergo seipsum non propter te debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est: *Dilige, inquit, proximum tuum sicut teipsum; Deum vero ex toto corde, et ex tota anima et ex tota mente* (Levit. xix, 18; Deut. vi, 5; et Matth. xxii, 37, 39); ut omnes cogitationes tuas et omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa qua confers. Cum autem ait, *toto corde, tota anima, tota mente*, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat et quasi locum dare ut alia re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligit Deum. Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui et illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum ducti extra patitur, cuius derivatione minuat.

CAPUT XXIII. — *Homini præcepto non opus est, ut se et suum corpus diligit. Prava sui dilectio.*

22. Non autem omnia quibus utendum est, diligenda sunt, sed ea sola quæ aut nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicuti est homo, vel angelus; aut ad nos relata, beneficio Dei per nos indigent, sicuti est corpus. Nam utique martyres non dilexerunt scelus persequentium se, quo tamen usi sunt ad promerendum Deum. Cum ergo quatuor sint diligenda, unum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod iuxta nos est, quartum quod infra nos est; de secundo et quarto nulla præcepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat a veritate, remanet illi dilectio sui et dilectio corporis sui. Fugax enim animus ab incommutabili lumine omnium regnatorum, id agit ut ipse sibi regnet et corpori suo; et ideo non potest nisi et se et corpus suum diligere.

23. Magnum autem aliquid adeptum se putat, si etiam sociis, id est aliis hominibus, dominari potuerit. Inest enim vitioso animo id magis appetere, et sibi tanquam debitum vindicare, quod uni proprie debetur Deo. Talis autem sui dilectio melius odium vocatur. Iniquum est enim, quia vult sibi servire quod infra se est, cum ipse servire superiori nolit; rectissimeque dictum est, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (Psal. x, 6): et ideo sit infirmus animus, et de mortali corpore cruciatur. Necesse est enim ut illud diligit, et ejus corruptione prægravetur. Immortalitas enim et incorruptio corporis de sanitate animi existit; sanitas autem animi est firmissime inherere potiori, hoc est incommutabili Deo. Cum vero etiam eis qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est, hominibus, dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est.

CAPUT XXIV. — *Nemo carnem suam odit, nequidem illi qui in eam insurgunt.*

24. Nemo ergo se odit. Et hinc quidem nulla cum

aliqua secta quæstio fuit<sup>1</sup>. Sed neque corpus suum quisquam odit: verum est enim quod ait Apostolus, *Nemo unquam carnem suam odio habuit* (Ephes. v, 29). Et quod nonnulli dicunt, male se omnino esse sine corpore, omnino falluntur: non enim corpus suum, sed corruptiones ejus et pondus oderunt. Non itaque nullum corpus, sed incorruptum et celerrimum<sup>2</sup> corpus volunt habere: sed putant nullum corpus esse si tale fuerit, quia tale aliquid esse animam putant. Quod autem continentia quadam et laboribus quasi persequi videntur corpora sua; qui hoc recte faciunt, non id agunt ut non habeant corpus, sed ut habeant subjugatum et paratum ad opera necessaria. Libidines enim male utentes corpore, id est consuetudines et inclinationes<sup>3</sup> animæ ad fruendum inferioribus, per ipsius corporis laboriosam quandam militiam extinguere affectant. Nam non se interimunt, sed curam suæ voluptudinis gerunt.

25. Qui autem perverse id agunt, quasi naturaliter inimico suo corpori bellum ingerunt. In quo fallit eos quod legunt: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; hæc enim sibi invicem adversantur* (Galat. v, 17). Dictum est enim hoc propter indomitam carnalem consuetudinem, adversus quam spiritus concupiscit; non ut interimat corpus, sed ut concupiscentia ejus, id est consuetudine mala edomita, faciat spiritui subjugatum<sup>4</sup>, quod naturalis ordo desiderat. Quia enim hoc erit post resurrectionem, ut corpus omnimodo cum quiete summa spiritui subditum immortaliter vigeat, hoc etiam in hac vita meditandum est, ut consuetudo carnalis mutetur in melius, nec inordinatis motibus resistat spiritui. Quod donec fiat, caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem: non per odium resistente spiritu, sed per principatum; quia magis quod diligit vult subditum esse meliori: nec per odium resistente carne, sed per consuetudinis vinculum, quod a parentum etiam propagine inveteratum naturæ lege inolevit. Id ergo agit spiritus in domanda carne, ut solvat male consuetudinis quasi pacta perversa, et fiat pax consuetudinis bonæ. Tamen nec isti qui falsa opinione depravati corpora sua detestantur, parati essent unum oculum vel sine sensu doloris amittere, etiamsi in altero tantus cernendi sensus remaneret, quantum erat in duobus, nisi aliqua res quæ præponenda esset, urgeret. Isto atque hujusmodi documento satis ostenditur eis qui sine pertinacia verum requirunt, quam certa sententia sit Apostoli, ubi ait: *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit. Addidit etiam: Sed nutrit et fovet eam, sicut Christus Ecclesiam.*

CAPUT XXV. — *Etsi aliquid amplius diligitur quam corpus, non tamen corpus odio habetur.*

26. Modus ergo diligendi præcipiendus est homini,

<sup>1</sup> Bad. Am. et Er.: *Et hinc quidem cum aliqua secta nonnulla quæstio fuit.*

<sup>2</sup> Bad. Am. et Er., uno tantum suffragante Ms., *intelligissimum.*

<sup>3</sup> Quatuor melioris notæ Mss., *inclinationis.*

<sup>4</sup> Editi hæcenus: *Sed ut concupiscentiam ejus, id est consuetudinem male domitam faciat spiritui subjugatam.* Cui lectioni præstat longe ea quam ex Mss. restituimus.

id est, quomodo se diligit ut prosit sibi. Quia autem se diligit et prodesse sibi velit, dubitare dementis est. Præcipiendum etiam quomodo corpus suum diligit, ut ei ordinate prouidenterque consulat. Nam quod diligit etiam corpus suum, idque saluum habere atque integrum velit, æque manifestum est. Aliquid itaque amplius diligere aliquis potest, quam salutem atque integritatem corporis sui. Nam multi et dolores et amissiones nonnullorum membrorum voluntarias suscepisse inveniuntur, sed ut alia quæ amplius diligebant, consequerentur. Non ergo propterea quisquam dicendus est non diligere salutem atque incolumitatem corporis sui, quia plus aliquid diligit. Nam et avarus quavis pecuniam diligit, tamen emit sibi panem: quod cum facit, dat pecuniam quam multum diligit et augere desiderat; sed quia plura æstimat salutem corporis sui, quæ illo pane fulcitur. Supervacaneum est diutius de re manifestissima disputare, quod tamen plerumque nos facere cogit error impiorum.

CAPUT XXVI. — *Præceptum de Deo et proximo, imo et de seipso diligendo datum est.*

27. Ergo, quoniam præcepto non opus est ut se quisque et corpus suum diligit, id est, quoniam id quod sumus, et id quod infra nos est, ad nos tamen pertinet, inconcessa naturæ lege diligimus, quæ in bestias etiam promulgata est (nam et bestiæ se atque corpora sua diligunt); restabat ut et de illo quod supra nos est, et de illo quod juxta nos est, præcepta sumeremus. *Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et diliges proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (Matth. xxii, 37-40).* Finis itaque præcepti est dilectio (I Tim. i, 5), et ea gemina, id est Dei et proximi. Quod si te totum intelligas, id est animum et corpus tuum, et proximum totum, id est animum et corpus ejus (homo enim ex animo constat et corpore), nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermisum est. Cum enim præcurrat dilectio Dei, ejusque dilectionis modus præscriptus appareat, ita ut cætera in illum confluant, de dilectione tua nihil dictum videtur; sed cum dictum est, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum*, simul et tui abs te dilectio non prætermisum est.

CAPUT XXVII. — *Ordo dilectionis.*

28. Ille autem juste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator est: ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligit quod non est diligendum, aut non diligit quod est diligendum, aut amplius diligit quod minus est diligendum, aut æque diligit quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod æque diligendum est. Omnis peccator in quantum peccator est, non est diligendus; et omnis homo in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus vero propter seipsum. Et si Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque debet Deum diligere quam seipsum. Item amplius alius homo diligendus est quam corpus nostrum: quia propter Deum omnia ista diligenda

sunt, et potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus; quia corpus per animam vivit qua fruimur Deo.

CAPUT XXVIII. — *Cui succurrendum, quando succurrere omnibus, vel duobus non possis.*

29. Omnes autem æque diligendi sunt: sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictus tibi quasi quadam sorte junguntur. Sicut enim, si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret; nihil justius faceres quam ut sorte legeres, cui dandum esset quod dari utrique non posset: sic in hominibus quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi temporaliter colligatus adherere poterit.

CAPUT XXIX. — *Optandum et agendum ut omnes Deum diligant.*

30. Omnium autem qui nobiscum frui possunt Deo, partim eos diligimus<sup>1</sup> quos ipsi adjuvamus, partim eos a quibus adjuvamus, partim quorum et indigemus adjutorio, et indigentia subvenimus; partim quibus nec ipsi conferimus aliquid commodi, nec ab eis ut nobis conferatur attendimus. Velle tamen debemus ut omnes nobiscum diligant Deum, et totum quod vel eos adjuvamus vel adjuvamus ab eis, ad unum illum finem referendum est. Si enim in theatris nequitia qui aliquem diligit histrionem, et tanquam magno vel etiam summo bono ejus arte perfruitur, omnes diligit qui eum diligunt secum, non propter illos, sed propter eum quem pariter diligant; et quanto est in ejus amore ferventior, tanto agit quibus potest modis, ut a pluribus diligatur, et tanto pluribus eum cupit ostendere; et quem frigidior videt, excitat eum quantum potest laudibus illius; si autem contravenientem invenerit, odit in illo vehementer odium dilecti sui, et quibus modis valet, instat ut auferat: quid nos in societate dilectionis Dei agere convenit, quo perfrui, beate vivere est; et a quo habent omnes qui eum diligunt, et quod sunt, et quod eum diligunt; de quo nihil metuemus, ne cuiquam possit cognitum displicere; et qui se vult diligi, non ut sibi aliquid, sed ut eis qui diligunt, æternum præmium conferatur, hoc est ipse quem diligunt? Hinc efficitur ut inimicos etiam nostros diligamus: non enim eos timemus, quia nobis quod diligimus auferre non possunt; sed miseramur potius, quia tanto magis nos oderunt, quanto ab illo quem diligimus separati sunt. Ad quem si conversi fuerint, et illum tanquam beatificum bonum, et nos tanquam socius tanti boni necesse est ut diligant.

CAPUT XXX. — *Proximi nostri, omnes homines, et ipsi Angeli.*

31. Oritur autem hoc loco de Angelis nonnulla quæstio. Illo enim fruente, etiam ipsi beati sunt, que

<sup>1</sup> Editi, *diligamus*. At. MSS., excepto uno, *diligimus*

et nos frui desideramus : et quanto in hac vita fruimur vel per speculum vel in ænigmate (I Cor. xiii, 12), tanto nostram peregrinationem et tolerabilius sustinemus, et ardentius finire cupimus. Sed utrum ad lila duo præcepta etiam dilectio pertineat Angelorum, non irrationabiliter queri potest. Nam quod nullum hominum exceperit qui præcepit ut proximum diligamus, et ipse in Evangelio Dominus ostendit, et Paulus apostolus. Namque ille cui duo ipsa præcepta protulerat, atque in eis pendere totam Legem Prophetasque dixerat, cum interrogaret eum dicens, *Et quis est meus proximus*<sup>1</sup>? hominem quemdam proposuit descendente ab Jerusalem in Jericho, incidisse in latrones, et ab eis graviter vulceratum, saucium et semivivum esse derelictum; cui proximum esse non docuit, nisi qui erga illum recreandum atque curandum misericors exstitit, ita ut hoc qui interrogaverat, interrogatus ipse fateretur. Cui Dominus ait, *Vade, et tu fac similiter* (Luc. x, 27, 37); ut videlicet eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret. Ex quo est jam consequens ut etiam ille a quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster. Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem exceptum esse cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat, quando usque ad inimicos etiam porrectum est, eodem Domino dicente: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos* (Math. v, 44)?

32. Ita quoque Paulus apostolus docet, cum dicit: *Nam non adulterabis, non homicidium facies, non suraberis, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur* (Rom. xiii, 9, 10). Quisquis ergo arbitratur non de omni homine Apostolum præcepisse, cogitur fateri, quod absurdissimum et sceleratissimum est, fuisse visum Apostolo non esse peccatum si quis aut non christiani, aut inimici adulteraverit uxorem, aut eum occiderit, aut ejus rem concupierit: quod si dementis est dicere, manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum, quia erga neminem operandum est malum.

33. Jamvero si vel cui præbendum est, vel a quo nobis præbendum est officium misericordiæ, recte proximus dicitur; manifestum est hoc præcepto quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiæ impendantur officia, quanta multis divinarum Scripturarum locis animadvertere facile est. Ex quo et ipse Deus et Dominus noster proximum se nostrum dici voluit. Nam et seipsum significat Dominus Jesus Christus opitulatum esse semivivo jacenti in via afflicto et reflicto a latronibus. Et propheta in oratione ait: *Sicut proximum, sicut fratrem nostrum, ita complacbam* (Psal. xxxiv, 14). Sed quoniam excellentior ac supra nostram naturam est divina substantia, præceptum

<sup>1</sup> Omnes prope Mss., et quis est mihi proximus?

quo diligamus Deum, a proximi dilectione distinctum est<sup>1</sup>. Ille enim nobis præbet misericordiam propter suam bonitatem, nos autem nobis invicem propter illius: id est, ille nostri miseretur, ut se perfruamus; nos vero invicem nostri miseremur, ut illo perfruamur.

CAPUT XXXI. — *Deus nobis non fruitur, sed utitur.*

34. Quapropter adhuc ambiguum esse videtur, cum dicimus ea re nos perfrui, quam diligimus propter seipsam, et ea re nobis fruendum esse tantum, qua efficitur beati, cæteris vero utendum. Diligit enim nos Deus, et multum nobis dilectionem ejus erga nos divina Scriptura commendat: quomodo ergo diligit? ut nobis utatur, an ut fruatur? Sed si fruitur, cæget bono nostro, quod nemo sanus dixerit. Omne enim bonum nostrum vel ipse, vel ab ipso est: cui autem obscurum vel dubium est, non egere lucem rerum harum nitore quas ipsa illustraverit? Dicit etiam apertissime propheta: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (Psal. xv, 2). Non ergo fruitur nobis, sed utitur. Nam si neque fruitur neque utitur, non invenio quemadmodum diligit.

CAPUT XXXII. — *Deus homine quomodo utatur.*

35. Sed neque sic utitur ut nos: nam nos res quibus utimur ad id referimus, ut Dei bonitate perfruamur; Deus vero ad suam bonitatem usum nostrum refert. Quia enim bonus est, sumus; et in quantum sumus, boni sumus. Porro autem quia etiam justus est, non impii sumus mali; et in quantum mali sumus, in tantum etiam minus sumus. Ille enim summe ac primitus est, qui omnino incommutabilis est, et qui plenissime dicere potuit: *Ego sum qui sum*; et, *Dices eis, Qui est, misit me ad vos* (Exod. iii, 14). Ut cætera quæ sunt, et nisi ab illo esse non possint, et in tantum bona sint<sup>2</sup>, in quantum acceperunt ut sint. Ille igitur usus qui dicitur Dei, quo nobis utitur, non ad ejus, sed ad nostram utilitatem refertur, ad ejus autem tantummodo bonitatem. Cujus autem nos mereamur, et cui consulimus, ad ejus quidem utilitatem id facimus, eamque intuemur; sed nescio quomodo etiam nostra sit<sup>3</sup> consequens, cum eam misericordiam quam impendimus egenti, sine mercede non relinquit Deus. Hæc autem merces summa est ut ipso perfruamur, et omnes qui eo fruimur, nobis etiam invicem in ipso perfruamur.

CAPUT XXXIII. — *Quomodo homine frui conveniat.*

36. Nam si in nobis id facinus, remanemus in via, et spem beatitudinis nostræ in homine vel in angelo collocamus. Quod et homo superbus et angelus superbus arrogant sibi, atque in se aliorum spem gaudent constitui. Sanctus autem homo et sanctus angelus etiam fessos nos atque in se acquiescere et remanere cupientes, reficiunt potius, aut eo sumptu quem propter nos, aut illo etiam quem propter se

<sup>1</sup> Adhuc hic Mss. Vaticani duo: *Nos vero quia natura æquales sumus, et remota jactantia nihil aliud omnes quam homines sumus, præceptum quo diligamus proximum a nostra dilectione distinctum non est.*

<sup>2</sup> Excussit: *At cætera quæ sunt, et nisi ab illo esse non possunt, et in tantum boni sunt.* Non male; melior tamen visus est lectio Mss.

<sup>3</sup> Editi, sit. At Mss., sit.

acceperunt, acceperant tamen; atque ita relectos in illum ire compellant, quo fruente pariter beati sumus. Nam et Apostolus clamat: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis* (1 Cor. 1, 13)? et, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (Id. III, 7). Et angelus hominem se adorantem monet ut potius illum adoret, sub quo ei Domino etiam ipse conservus est (Apoc. XIX, 10).

37. Cum autem homine in Deo frueris, Deo potius quam homine frueris. Illo enim frueris quo efficieris beatus; et ad eum te pervenisse lætaberis, in quo spem ponis ut venias. Inde ad Philemonem Paulus: *Ita, frater, inquit, ego te fruar in Domino* (Philem. 20). Quod si non addidisset, *in Domino*, et *te fruar* tantum dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis sue. Quanquam etiam vicinissime dicitur frui, cum delectatione uti<sup>1</sup>. Cum enim adest quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat: per quam si transieris, eamque ad illud ubi permanendum est, reuderis; uteris ea, et abusive, non proprie, diceris frui. Si vero inlaxeris atque permanseris, finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc vere et proprie frui ulcendus es: quod non faciendum est nisi in illa Trinitate, id est summo et incommutabili bono.

CAPUT XXXIV. — *Primum ad Deum via, Christus.*

38. Vide quemadmodum cum ipsa Veritas, et Verbum per quod facta sunt omnia, caro factum esset, ut habitaret in nobis (Joan. III, 3, 14), tamen ait Apostolus: *Et si novimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus* (II Cor. 5, 16). Ille quippe qui non solum perveniens possessionem, sed etiam viam præbere se voluit venientibus ad principium viarum<sup>2</sup>, voluit carnem assumere: unde etiam illud, *Dominus creavit me in principio viarum suarum* (Prov. VIII, 22); ut inde inciperent, qui vellet venire. Apostolus igitur quamvis adhuc ambularet in via, et ad palmam supernæ vocationis sequeretur vocantem Deum, tamen ea quæ retro sunt obliviscens, et in ea quæ ante sunt extentus (Philipp. III, 12-14), jam principium viarum transierat; hoc est, eo non indigebat, a quo tamen aggrediendum et exordium iter est omnibus qui ad veritatem pervenire, et in vita æterna permanere desiderant. Sic enim ait, *Ego sum via, et veritas, et vita* (Joan. XIV, 6); hoc est, per me venit, ad me pervenitur, in me permanetur. Cum enim ad ipsum pervenitur, etiam ad Patrem pervenitur; quia per æqualem ille cui est æqualis agnoscitur; vinciente et tanquam agglutinante nos Spiritu sancto, quo in summo atque incommutabili bono permanere possimus. Ex quo intelligitur quam nulla res<sup>3</sup> in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire; ne rebus temporalibus, quamvis ab illo pro salute nostra susceptis et gestis, hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus alacriter, ut

<sup>1</sup> Veteres codices, *cum dilectione uti.*

<sup>2</sup> Am. Er. et Ms. Theodericensis, *ad se principium viarum.*

<sup>3</sup> Editi, *quæ*. At Mss. melioris notæ, *quam nulla res.*

ad eum ipsum, qui nostram naturam a temporalibus liberavit, et collocavit ad dexteram Patris, perveli atque perveli mereamur.

CAPUT XXXV. — *Scripturæ plenitudo, finisque, amor Dei et proximi.*

39. Omnium igitur quæ dicta sunt, ex quo de rebus tractamus, hæc summa est, ut intelligatur Legis et omnium divinarum Scripturarum plenitudo et finis esse dilectio (Rom. XIII, 10; et I. Tim. I, 5) rei quæ fruendum est, et rei quæ nobiscum ea re frui potest; quia ut se quisque diligit, præcepto non opus est. Hoc ergo ut nossemus atque possemus, facta est tota pro salute nostra per divinam providentiam dispensatio temporalis, quæ debemus uti, non quasi mansoria quadam dilectione atque delectatione, sed transitoria potius, tanquam viæ, tanquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet instrumentorum, aut si quid congruentius dici potest; ut ea quibus ferimur, propter illud ad quod ferimur, diligamus.

CAPUT XXXVI. — *Interpretatio Scripturæ licet vitiosa, non est mendax nec perniciose fallax, si modo utilis sit edificandæ charitati. Corrigendus tamen interpretes qui sic fallitur.*

40. Quisquis igitur Scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei et proximi, nondum intellexit. Quisquis vero talem inde sententiam duxerit<sup>1</sup>, ut licet edificandæ charitati sit utilis, nec tamen hoc dixerit quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, non perniciose fallitur, nec omnino mentitur. Inest, quippe in mentiente voluntas falsa dicendi: et ideo multos invenimus, qui mentiri velint; qui autem falli, neminem. Cum igitur hoc sciens homo faciat, illud nesciens patitur, satis in una eademque re apparet illum qui fallitur, eo qui mentitur esse meliorem; quandoquidem pati melius est iniquitatem, quam facere: omnis autem qui mentitur, iniquitatem facit<sup>2</sup>; et si cuiquam videtur utile aliquando esse mendacium, potest videri utilem aliquando esse iniquitatem. Nemo enim mentiens, in eo quod mentitur, servat fidem; nam hoc utique vult, ut cui mentitur fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non servat: omnis autem fidei violator, iniquus est. Aut igitur iniquitas aliquando utilis est, quod fieri non potest; aut mendacium semper inutile est.

41. Sed quisquis in Scripturis aliud sentit quam ille qui scripsit, illis non mentientibus fallitur: sed tamen, ut dicere cœperam, si ea sententia fallitur, quæ ædificet charitatem, quæ finis præcepti est, ita fallitur. ac si quisquam errore deserens viam, eo tamen per agrum pergat, quo etiam via illa perducit. Corrigendus est tamen, et quam sit utilius viam non deserere demonstrandum est, ne consuetudine deviandi etiam in transversum aut perversum ire cogatur.

<sup>1</sup> In Vulgatis, *pervenire*; cuius loco in Mss., *perveli.*

<sup>2</sup> Am. et undecim Mss., *dixerit.*

<sup>3</sup> Octodecim Mss., *qui mentitur inique facit. Unus quinque.*

CAPUT XXXVII. — *Malum inest periculi in hac interpretatione vitiosa.*

Asserendo enim temere quod ille non sensit quem legit, plerumque incurrit in alia quæ illi sententiæ contexere noqueat: quæ si vera et certa esse consentit, illud non possit verum esse quod asserat; atque in eo, nescio quomodo, ut amando sententiam suam, Scripturæ incipiat offensior esse quam sibi. Quod malum si serpere siverit, evortetur ex eo. Per fidem enim ambulamus, non per speciem (II Cor. v, 7); titubabit autem fides, si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas: porro fide titubante, claritas etiam ipsa languescit. Nam si a fide quisque ceciderit, a charitate etiam necesse est cadat; non enim potest diligere quod esse non credit: porro si et credit et diligit, bene agendo et præceptis morum bonorum obtemperando efficit, ut etiam speret se ad id quod diligit esse venturum. Itaque tria hæc sunt, quibus et scientia omnis et prophetia militat, fides, spes, charitas.

CAPUT XXXVIII. — *Charitas perpetuo manet.*

42. Sed fidei succedit species<sup>1</sup>, quam videbimus; et spei succedit beatitudo ipsa, ad quam perventuri sumus: charitas autem etiam istis decedentibus augebitur potius. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis cum videre cœperimus? et si sperando diligimus quo nondum pervenimus, quanto magis cum pervenerimus? Inter temporalia quippe atque æterna hoc interest, quod temporale aliquid plus diligenter antequam habeatur, vilescit autem cum advenerit; non enim satiat animam, cui vera est et certa sedes æternitas: æternum autem ardentius diligitur adeptam, quam desideratum: nulli enim desideranti conceditur plus de illo existimare quam se habet, ut ei vilescat cum minus invenerit; sed quantum quisque veniens existimare po-

<sup>1</sup> Sic Mss. tredecim. Editi vero, *succedit spes*: prave, uti intelligitur ex sequentibus verbis, *quam vide. inus.*

tuerit, plus perveniens inventurus est.

CAPUT XXXIX. — *Scripturis non indiget homo fide, spe et charitate instructus.*

43. Homo itaque fide, spe et charitate subnixus, eaque inconcusso retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt. Unde in illis arbitror jam impletum esse quod dictum est: *Sive prophetiæ evacuantur, sive linguæ cessabunt, sive scientia evacuetur.* Quibus tamen quasi machinis tanta fidei et spei et charitatis in eis surrexit instructio, ut perfectum aliquid tenentes, ea quæ sunt ex parte non quarant: perfectum sane, quantum in hęc vita potest; nam in comparatione futuræ vitæ nullius justi et sancti est vita ista perfecta. Ideo *manet*, inquit, *fides, spes, charitas; tria hæc: major autem horum est charitas* (I Cor. XIII, 8, 13); quia et cum quisque ad æterna pervenerit, duobus istis decedentibus charitas auctior et certior permanebit.

CAPUT XL. — *Qualem lectorem Scriptura postulet.*

44. Quapropter, cum quisque cognoverit finem præcepti esse charitatem, *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I Tim. I, 5), omnem intellectum divinarum Scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationem illorum Librorum securus accedat. Cum enim diceret, *charitas, addidit, de corde puro, ut nihil aliud quam id quod diligendum est, diligitur. Conscientiam vero bonam conjunxit propter spem: ille enim se ad id quod credit et diligit perventurum esse desperat, cui malæ conscientiæ scrupulus inest. Tertio, et fide, inquit, non ficta.* Si enim fides nostra mendacio caruerit, tunc et non diligimus quod non est diligendum, et recte vivendo id speramus, ut nullo modo spes nostra fallatur. Propterea de rebus continentibus fidem, quantum pro tempore satis esse arbitratus sum, dicere volui, quia in aliis voluminibus, sive per alios sive per nos multa jam dicta sunt. Modus itaque sit iste libri hujus. Cætera de signis, quantum Dominus dederit, disseremus.

## LIBER SECUNDUS.

Jam de signis verbisque Scripturæ sacræ sermonem instituit Augustinus, ostenditque hujus germanum sensum plerumque ideo non percipi, quia signa illa aut ignota sunt, aut ambigua. Quapropter prolato in primis divinarum Librorum caute, declarare pergit quarum potissimum linguarum peritia, quænamque disciplinæ ac scientiæ conferant ad illam signorum ignorantiam removendam. Ubi data occasione de repudiandis superstitiosis artibus et doctrinis st. ictim, sed j. r. uale disputat. Quemadmodum etiam animo comparatus is esse debeat, qui operam studio Scripturarum navaturus sit, declarat sub initium et ad finem libri.



CAPUT PRIMUM. — *Signum quid et quotplex.*

1. Quoniam de rebus cum scriberem, præmisi commoneo ne quis in eis attenderet nisi quod sunt, non etiam si quid aliud præter se significant; vicissim de signis disserens hoc dico, ne quis in eis attendat quod sunt, sed potius quod signa sunt, id est, quod significant. Signum est enim res, præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire: sicut vestigio viso, transisse animal cujus vestigium est, cogitamus; et fumo viso, ignem subesse cognoscimus; et voce animantis audita, affectionem animi ejus advertimus; et tuba sonante, milites vel progredi se<sup>1</sup>, vel regredi, et si quid aliud

pugna postulat, oportere noverunt.

2. Signorum igitur alia sunt naturalia, alia data. Naturalia sunt, quæ sine voluntate atque ullo appetitu significanti, præter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt, sicuti est fumus significans ignem. Non enim volens significare id facit, sed rerum expertarum animadversione et notatione cognoscitur ignem subesse, etiam si fumus solus appareat. Sed et vestigium transientis animantis ad hoc genus pertinet: et vultus irati seu tristici affectionem animi significat, etiam nulla ejus voluntate qui aut iratus aut tristis est; aut si quis alius

<sup>1</sup> Am. Fr. Lugd. Ven. Lov. Helm. ferunt, *vel progredi vel recedi*, nec habent se. M.



motus animi vultu indice proditur, etiam nobis non id agentibus ut prodatur. Sed de hoc toto genere nunc disserere non est propositum. Quoniam tamen incidit in partitionem nostram, præteriri omnino non potuit; atque id hactenus notatum esse suffocet.

CAPUT II. — *De quo signorum genere hic tractandum.*

3. Data vero signa sunt, quæ sibi quæque viventia invicem dant ad demonstrandos, quantum possunt, motus animi sui, vel sensa, aut intellecta quælibet. Nec ulla causa est nobis significandi, id est signi dandi, nisi ad depromendum et trahendum in alterius animum id quod animo gerit is qui signum dat. Horum igitur signorum genus, quantum ad homines attinet, considerare atque tractare statuimus; quia et signa divinitus data, quæ in Scripturis sanctis continentur, per homines nobis indicata sunt, qui ea conscripserunt. Habent etiam bestię quædam inter se signa, quibus produnt appetitum animi sui. Nam et gallus gallinaceus reperto cibo, dat signum vocis gallinæ ut accurrat; et columbus gemitu columbam vocat, vel ab ea vicissim vocatur; et multa hujusmodi animadverti solent. Quæ utrum, sicut vultus aut dolentis clamor, sine significandi voluntate sequantur motum animi, an vere ad significandum dentur, alia quæstio est, et ad rem quæ agitur non pertinet: quam partem ab hoc opere tanquam non necessariam removimus.

CAPUT III. — *Inter signa principatum obtinent verba.*

4. Signorum igitur quibus inter se homines sua sensa communicant, quædam pertinent ad oculorum sensum, pleraque ad aurium, paucissima ad cæteris sensus. Nam cum innuimus, non damus signum nisi oculis ejus quem volumus per hoc signum voluntatis nostræ participem facere. Et quidam motu<sup>1</sup> manuum pleraque significant: et histriones omnium membrorum motibus dant signa quædam scientibus, et cum oculis eorum quasi fabulantur; et vexilla draconesque militares per oculos insinuant voluntatem ducum: et sunt hæc omnia quasi quædam verba visibilia. Ad aures autem quæ pertinent, ut dixi, plura sunt, in verbis maxime. Nam et tuba, et tibia, et cithara, dant plerumque non solum suavem, sed etiam significantem sonum. Sed hæc omnia signa verbis comparata paucissima sunt. Verba enim prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, si ea quisque prodere velit. Nam et odore unguenti Dominus, quo perfusi sunt pedes ejus, signum aliquod dedit (*Joan. xii, 3 et 7*); et Sacramento corporis et sanguinis sui prægustato<sup>2</sup>, significavit quod voluit (*Luc. xxi, 19, 20*); et cum mulier tangendo simbriam vestimenti ejus, salva facta est, nonnihil significat (*Matth. ix, 21*): sed innumerabilis multitudo signorum, quibus suas cogitationes

homines exerunt, in verbis constituta est. Nam illa signa omnia quorum genera breviter attingi, potui verbis enuntiare; verba vero illis signis nullo modo possem.

CAPUT IV. — *Unde litteræ.*

5. Sed quia verborum acere statim transeunt, nec diutius manent quam sonant, instituta sunt per litteras signa verborum. Ita voces oculis ostenduntur, non per seipsas, sed per signa quædam sua. Ista igitur signa non potuerunt communia esse omnibus gentibus, peccato quodam dissensionis humanæ, cum ad se quisque principatum rapit. Cujus superbiæ signum est erecta illa turris in cælum, ubi homines impij non solum animos, sed etiam voces dissonas habere meruerunt (*Gen. xi, 1-9*).

CAPUT V. — *Diversitas linguarum.*

6. Ex quo factum est ut etiam Scriptura divina, qua tantis morbis humanarum voluntatum subvenitur, ab una lingua profecta, qua<sup>3</sup> opportune potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas longe lateque diffusa innotesceret gentibus ad salutem: quam legentes nihil aliud appetant quam cogitationes voluntatemque illorum a quibus conscripta est, invenire, et per illas voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos credimus.

CAPUT VI. — *Obscuritas Scripturæ in tropis et figuris quorsum utilis.*

7. Sed multis et multiplicibus obscuritatibus, et ambiguitatibus decipiuntur qui temere legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis quid vel falso suspicentur non inveniunt, ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum proviam divinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio revocandum<sup>4</sup>, cui facile investigata plerumque viliscent. Quid enim est, quæso, quod si quisquam dicat sanctos esse homines atque perfectos, quorum vita et moribus Christi Ecclesia de quibuslibet superstitionibus præciliit eos qui ad se veniunt, et imitatione bonorum sibi temerè quodammodo incorporat; qui boni fideles et veri<sup>5</sup> Dei servi, deponentes onera sæculi, ad sanctum Baptismi lavacrum venerunt, atque inde ascendentes conceptione sancti Spiritus fructum dant geminæ charitatis, id est, Dei et proximi: quid ergo quod si hæc quisque dicat, minus delectat audientem, quam si ad eundem sensum locum illum exponat de Canticis canticorum, ubi dictum est Ecclesie, cum tanquam pulchra quædam femina laudaretur, *Dentes tui sicut grex detonsarum, ascendens de lavacro, quæ omnes geminos creat, et non est sterilis in eis* (*Cant. iv, 2*)? Num aliud homo discit, quam cum illud planissimis verbis, sine similitudinis hujus adminiculo audiret? Et tamen nescio quomodo suaviter intueor sanctos, cum eos quasi dentes Ecclesie video præcidere ab erroribus homines, a quo in ejus corpus, emollita duritia, quasi demorsos manse que

<sup>1</sup> Editti pluresque Mss., et quidam motus. Melius Mss. alii, per motus; vel, motu.

<sup>2</sup> Sic Editti, quibus suffragantur Mss. perpauci; cum Iurini habeant, pergustato; et alii quinque optime notæ, per gustatum: in quam lectionem incidit altera, quæ trium Mss. est, per gustum; quippe in antiquis codicibus passim reperire ut gustatum, loco gustum.

<sup>3</sup> Ital. Am. Fr. et aliquot Mss., quæ.

<sup>4</sup> Lov. nonnullique Mss., revocandum. Alii, cum Am. et Fr., revocantem.

In duobus Mss., veri. In aliis tribus, vere.

transferre Oves etiam jucundissime agnosco detonsas, oneribus sæcularibus tanquam velleribus positis, et ascendentes de lavacro, id est de Baptismate, creare omnes geminos, id est duo præcepta dilectionis, et nullam esse ab isto sancto fructu sterilem video.

8. Sed quare suavius videam, quam si nulla de divinis Libris talis similitudo promeretur, cum res eadem sit eademque cognitio, difficile est dicere, et alia quæstio est. Nunc tamen nemo ambigit, et per similitudines libentius quæque cognosci, et cum aliqua difficultate quæsitæ multo gratius inveniri. Qui enim prorsus non inveniunt quod quærunt, fame laborant; qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidio sæpe marcescunt: in utroque autem languor cavendus est. Magnifice igitur et salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detegeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperitur.

CAPUT VII. — *Gradus ad sapientiam: primus, timor; secundus, pietas; tertius, scientia; quartus, fortitudo; quintus, consilium; sextus, purgatio cordis; septimus gradus seu finis, sapientia.*

9. Ante omnia igitur opus est Dei timore converti ad cognoscendam ejus voluntatem, quid nobis appetendum fugiendumque præcipiat. Timor autem isto cogitationem de nostra mortalitate et de futura morte necesse est inexcitiat, et quasi clavatis carnibus omnes superbæ motus ligno crucis affligat. Deinde miscere opus est pietate, neque contradicere divinæ Scripturæ sive intellectæ, si aliqua vitia nostra percutit; sive non intellectæ, quasi nos melius sapere meliusque præcipere possimus: sed cogitare potius et credere id esse melius et verius quod ibi scriptum est, etiam si lateat, quam id quod nos per nosmetipsos sapere possumus.

10. Post istos duos gradus timoris atque pietatis ad tertium venit scientiæ gradum, de quo nunc agere institui. Nam in eo se exercet omnis divinarum Scripturarum studiosus, nihil in eis aliud inventurus quam diligendum esse Deum propter Deum, et proximum propter Deum: et illum quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere; proximum vero tanquam seipsum (*Matth. xxii, 37 et 39*), id est, ut tota proximi, sicut etiam nostri, dilectio referatur in Deum. De quibus duobus præceptis, cum de rebus ageremus, libro superiore tractavimus. Necesse est ergo, ut primo se quisque in Scripturis inveniat amore hujus sæculi, hoc est, temporalium rerum, implicatur, longe sejunctum esse a tanto amore Dei et tanto amore proximi, quantum Scriptura ipsa præscribit. Tum vero ille timor quo cogitat de judicio Dei, et illa pietas qua non potest nisi credere et cedere auctoritati sanctorum Librorum, cogit eum seipsum lugere. Nam ista scientia bonæ spei hominem non se jactantem, sed lamentantem facit: quo affectu impetrat sedulis precibus consolationem divini adjutorii, ne desperatione frangatur, et esse incipit in quarto gradu, hoc est fortitudinis, quo esurit et sititur justitia. Hoc enim affectu ab omni

<sup>1</sup> Am. et quatuor Mss., *percipere.*

mortifera jucunditate rerum transeuntium sese extrahit, et inde se avertens convertit ad dilectionem æternorum, incommutabilem scilicet unitatem eandemque Trinitatem.

11. Quam ubi aspexerit, quantum potest, in longinqua radiantem, sui que aspectus infirmitate sustinere se illam lucem non posse persenserit; in quinto gradu, hoc est in consilio misericordiæ, purgat animam tumultuantem quodammodo atque obstrepentem sibi de appetitu inferiorum conceptis sordibus. Hic vero se in dilectione proximi graviter exercet, in eaque perficitur; et spe jam plenus atque integer viribus, cum pervenerit usque ad inimici dilectionem, ascendit in sextum gradum, ubi jam ipsum oculum purgat, quo videri Deus potest, quantum potest ab iis qui huic sæculo moriuntur quantum possunt. Nam in tantum vident, in quantum moriuntur huic sæculo; in quantum autem huic vivunt, non vident. Et ideo quamvis jam certior, et non solum tolerabilior, sed etiam jucundior species lucis illius incipiat apparere; in ænigmate adhuc tamen et per speculum videri dicitur (*I Cor. xiii, 12*), quia magis per fidem quam per speciem ambulatur, cum in hac vita peregrinamur (*II Cor. v, 6, 7*), quamvis conversationem habeamus in cælis (*Philipp. iii, 20*). In hoc autem gradu ita purgat oculum cordis, ut veritati se ipsum quidem præferat aut conferat proximum; ergo nec seipsum, quia nec illum quem diligit sicut seipsum. Erit ergo iste sanctus tam simplici corde atque mundato, ut neque hominibus placendi studio detorqueatur a vero, nec respectu devitandorum quorumlibet incommo-  
rum suorum, quæ adversantur huic vitæ. Talis filius ascendit ad sapientiam, quæ ultima et septima est, qua pacatus tranquillisque perfruitur. Initium enim sapientiæ timor Domini (*Psal. cx, 10, et Eccli. i, 16*). Ab illo enim usque ad ipsam per hos gradus tenditur, et venit.

#### CAPUT VIII. — *Libri canonici.*

12. Sed nos ad tertium illum gradum considerationem referamus, de quo disserere quod Dominus suggesterit, atque tractare instituimus. Erit igitur divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, et si nondum intellectu, jam tamen lectione, duntaxat eas quæ appellantur canonicæ. Nam cæteras securius leget fidei veritatis instructus, ne præoccupent imbecillum animum, et periculosas mendacis atque phantasmatis eludentes præjudicent aliquid contra sanam intelligentiam. In canonicis autem Scripturis, Ecclesiarum catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur; inter quas sane illæ sint, quæ apostolicas Sedes habere et Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, præponat eis quas quadam non accipiunt: in eis vero quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quamquam hoc

facile invenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.

13. Totus autem canon Scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur (a) : Quinque Moyses, id est Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio; et uno libro Josæ Nave, uno Judicum, uno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principium videtur pertinere; deinde quatuor Regnorum, et duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi a latere adjunctis simulque pergentibus. Hæc est historia, quæ sibiinet annexa tempora continet, atque ordinem rerum : sunt aliæ tanquam ex diverso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Job, et Tobias, et Esther, et Judith, et Machabæorum libri duo, et Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam usque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam : deinde Prophete, in quibus David unus liber Psalmorum; et Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica canticorum, et Ecclesiastes. Nam illi duo libri, unus qui Sapientia, et alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur : nam Jesus Sirach eos conscripsisse constantissime perhibetur (b), qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui proprie Prophete appellantur, duodecim Prophetarum libri singuli, qui connexi sibiinet, quoniam nunquam se juncti sunt, pro uno habentur : quorum Prophetarum nomina sunt hæc, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nabum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias : deinde quatuor Prophete sunt majorum voluminum, Isaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris Testamenti Veteris terminatur auctoritas (c) : Novi autem, quatuor libris Evangelii, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem; quatuordecim Epistolis Pauli apostoli, ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses duabus, ad Colossenses, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri duabus; tribus Joannis; una Judæ, et una Jacobi; Actibus Apostolorum libro uno, et Apocalypsi Joannis libro uno.

<sup>1</sup> Sic Mss. At editi, *principia*.

(a) Confer Hippo. concil. an. 393, can. 38; et Carthag. 3, an. 397, can. 47.

(b) Quod attinet ad sapientie librum, non esse ejus auctorem Jesum filium Sirach didicit postea Augustinus, uti in lib. 2 Retract., cap. 4, n. 2, admonet. Salomonis nomine laudat auctor, quisquis est, operis de symbolo ad Catechumenos, lib. 2, c. 2; imo et Cyprianus in lib. de Mortalitate, Basilus in lib. 5 contra Eunomium, et passim Ambrosius. At Augustinus non hic tantum, sed etiam in admonitione ad speculum de libro sapientie, Salomoni tributum existimat, « propter quamdam eloqui similitudinem. Nam Salomonis non esse, inquit, nihil dubitant quique doctores : » additque, illius quisnam sit auctor non aperire. Hieronymus librum eundem, cui jam olim titulus erat, Sapientia Salomonis, *pseudepigraphon* appellat, et dicit Philoni Judæo ascriptum a veteribus, atque ipsius stilum græcam eloquentiam redolere. Sunt jam nonnulli qui velint sententias quidem ex Salomone, ex Philone autem earum collectionem phrasimque græcam produisse.

(c) Retract. lib. 2, c. 4, n. 2.

SANCT. AUGUST. III

CAPUT IX. — *Qua ratione vacandum studio Scripturæ.*

14. In his omnibus libris timentes Deum et pietate mansueti, querunt voluntatem Dei. Cujus operis et laboris prima observatio est, ut diximus, nosse istos libros, ejsi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa quæ in eis aperte posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, solertius diligentiusque investiganda sunt : quæ tanto quisque plura invenit, quanto est intelligentia<sup>1</sup> capacior. In his enim quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moresque vivendi, spem scilicet atque charitatem, de quibus libro superiore tractavimus. Tum vero, facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum, in ea quæ obscura sunt aperienda et discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant. In qua re memoria valet plurimum : quæ si defuerit, non potest his præceptis dari.

CAPUT X. — *Scripturam contingit non intelligi ob ignota signa vel ambigua.*

15. Duabus autem causis non intelliguntur quæ scripta sunt, si aut ignotis, aut ambiguis signis obtentur. Sunt autem signa vel propria, vel translata. Propria dicuntur, cum his rebus significandis adhibentur, propter quas sunt instituta; sicut dicimus bovem, cum intelligimus pecus<sup>2</sup>, quod omnes nobiscum latinæ linguæ homines hoc nomine vocant. Translata sunt, cum et ipsæ res quas propriis verbis significamus, ad aliud aliquid significandum usurpantur : sicut dicimus bovem, et per has duas syllabas intelligimus pecus quod isto nomine appellari solet; sed rursus per illud pecus intelligimus evangelistam, quem significavit Scriptura, interpretante Apostolo, dicens, *Bovem triturantem non infrenabis* (1 Cor. ix, 9).

CAPUT XI. — *Ut ignorantia signorum tollatur, necessaria est linguarum cognitio, ac præsertim græcæ et hebrææ.*

16. Contra ignota signa propria magnum remedium est linguarum cognitio. Et latinæ quidem linguæ homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, hebræa scilicet et græca; ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas. Quanquam et hebræa verba non interpretata sæpe inveniamus in libris, sicut Amen, et Alleluia, et Racha, et Hosanna, et si qua sunt alia : quorum partim propter sanctionem auctoritatem, quamvis interpretari potuissent, servata est antiquitas, sicut est Amen, et Alleluia; partim vero in aliam linguam transferri non potuisse dicuntur, sicut alia duo quæ posuimus. Sunt enim quædam verba certarum linguarum, quæ in usum al-

<sup>1</sup> Editi, *intelligentia*. Mss. aliquot, *intelligentia*.

<sup>2</sup> Editi : *Sicut cum dicimus bovem, intelligimus pecus*. Aliquot Mss. : *sicut dicimus bovem, et pecus intelligimus*. Alii : *sicut dicimus bovem, cum intelligimus pecus*.

(Deut.)

terius linguae per interpretationem transire non possint. Et hoc maxime interjectionibus accidit, quæ verba motum animi significant potius, quam sententiæ conceptæ<sup>1</sup> ullam particulam; nam et hæc duo talia esse perhibentur: dicunt enim Racha indignantis esse vocem, Hosanna lætantis. Sed non propter hæc pauca, quæ notare atque interrogare facillimum est, sed propter diversitates, ut dictum est, interpretum, illarum linguarum est cognitio necessaria. Qui enim Scripturas ex hebræa lingua in græcam verterunt, numerari possunt; latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari,

CAPUT XII. — *Diversitas interpretationum utilis. Ex verborum ambiguitate ut accidit error interpretum.*

17. Quæ quidem res plus adjuvit intelligentiam, quam impedit, si modo legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum sæpe manifestavit inspectio, sicut illud Isaïæ prophætæ unus interpretis ait, *Et domesticos seminis tui ne despexeris*; alius autem ait, *Et carnem tuam ne despexeris* (Isai. LVIII, 7): uterque sibi invicem attestatus est. Namque alter ex altero exponitur, quia et caro posset accipi proprie, ut corpus suum quisque ne despiceret, se putaret admonitum; et domestici seminis translate, Christiani possent intelligi, ex eodem verbi semine nobiscum spiritualiter nati: nunc autem collato interpretum sensu, probabilior occurrit sententia proprie de consanguineis non despiciendis esse præceptum, quoniam domesticos seminis cum ad carnem retuleris, consanguinei potissimum occurrunt; unde esse arbitror illud Apostoli quod ait, *Si quo modo ad æmulationem adducere potuero carnem meam, ut salvos faciam aliquos ex illis* (Rom. XI, 14); id est, ut æmulando eos qui crediderant, et ipsi crederent. Carnem enim suam dixit Judæos, propter consanguinitatem. Item illud ejusdem Isaïæ prophætæ, *Nisi credideritis, non intelligetis*; alius interpretatus est, *Nisi credideritis, non permanebitis* (Isai. VII, 9): quis horum verba<sup>2</sup> secutus sit, nisi exemplaria linguæ præcedentis legantur, incertum est. Sed tamen ex utroque magnum aliquid insinuat scienter legentibus. Difficile est enim ita diversos a se interpretes fieri, ut non se aliqua vicinitate contingant. Ergo, quoniam intellectus in specie sempiterna est, fides vero in rerum temporalium quibusdam cunabulis quasi lacte alit parvulos; nunc autem per fidem ambulamus, non per speciem (II Cor. V, 7); nisi autem per fidem ambulaverimus, ad speciem pervenire non poterimus quæ non transit, sed permanet, per intellectum purgatum nobis cohærentibus veritati: propterea ille ait, *Nisi credideritis, non permanebitis*; ille vero, *Nisi credideritis, non intelligetis*.

18. Et ex ambiguo linguæ præcedentis plerumque interpres fallitur, cui non bene nota sententia est, et eam significationem transfert, quæ a sensu scriptoris

<sup>1</sup> Vna tres contexte.

<sup>2</sup> Sic tres Mss. Alii cum editis, *verò*.

penitus aliena est: sicut quidam codices habent, *Accurrit pedes eorum ad effundendum sanguinem*; ἄφο; enim et acutum apud Græcos, et velocem significat. Ille ergo vidit sententiam, qui transtulit, *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem* (Psalm. XIII, 3); ille autem alius ancipiti signo in aliam partem raptus erravit. Et talia quidem non obscura, sed falsa sunt: quorum alia conditio est; non enim intelligendos, sed emendandos tales codices potius præcipiendum est. Hinc est etiam illud, quoniam *μῆχος* græce vitulus dicitur, *μωχέματα* quidam non intellexerunt esse *plantationes*, et *vitulina* interpretati sunt: qui error tam multos codices præoccupavit, ut vix innoviatur aliter scriptum; et tamen sententia manifestissima est, quia clarescit consequentibus verbis: namque, *Adulterinas plantationes non dabunt radices altas* (Sap. IV, 3), convenientius dicitur quam, *vitulina*, quæ pedibus in terra gradiuntur, et non hærent radicibus. Hanc translationem in eo loco etiam cætera contexta custodiunt.

CAPUT XIII. — *Interpretationis vitium unde emendari possit.*

19. Sed quoniam et quæ sit ipsa sententia, quam plures interpretes pro sua quisque facultate atque iudicio conantur eloqui, non apparet, nisi in ea lingua inspiciatur quam interpretantur; et plerumque a sensu auctoris devius aberrat interpres, si non sit doctissimus: aut linguarum illarum, ex quibus in latinam Scriptura pervenit, petenda cognitio est; aut habendæ interpretationes eorum qui se verbis nimis obstrinxerunt; non quia sufficient, sed ut ex eis veritas vel error detegatur aliorum<sup>1</sup>, qui non magis verba quam sententias interpretando sequi maluerunt. Nam non solum verba singula, sed etiam locutiones sæpe transferuntur, quæ omnino in latinæ linguæ usum, si quis consuetudinem veterum qui latine locuti sunt, tenere voluerit, transire non possunt. Quæ aliquando intellectui nihil adimunt, sed offendunt tamen eos qui plus delectantur rebus, cum etiam in earum signis sua quædam servatur integritas. Nam solœcismus qui dicitur, nihil aliud est quam cum verba non ea lege sibi coaptantur, qua coaptaverunt qui priores nobis non sine auctoritate aliqua locuti sunt. Utrum enim Inter homines, an, Inter hominibus dicatur, ad rerum non pertinet cognitorem. Item barbarismus quid aliud est, nisi verbum non eis litteris vel sono enuntiatum, quo ab eis qui latine ante nos locuti sunt, enuntiare solet? Utrum enim Ignoscere producta an correpta tertia syllaba dicatur, non multum curat qui peccatis suis Deum ut ignoscat petit, quolibet modo illud verbum sonare potuerit. Quid est ergo integritas locutionis, nisi alienæ<sup>2</sup> consuetudinis conservatio, loquentium veterum auctoritate firmata.

20. Sed tamen eo magis inde offenduntur homines, quo infirmiores sunt; et eo sunt infirmiores, quo doctiores videri volunt, non rerum scientia qua adhi-

<sup>1</sup> Editi: *Libertas vel error dirigitur abhorum*. Reposuimus ex undecim Mss. fide, *veritas*; moxque ex conjectura, *delegatur*: cui conjecturæ unicus lavet Floriacensis codex la quo legere est, *deligatur*.

<sup>2</sup> Sic Mss. plerique. At editi, *nisi latine consuetudinis*.

tantur, sed signorum qua non inflari omnino difficile est, cum et ipsa rerum scientia sæpe cervicem erigat, nisi domiuico reprimatur iugo. Quid enim obest intellectori, quod ita scriptum est: *Quæ est terra in qua isti insidunt super eam, si bona est an nequam; et quæ sunt civitates in quibus ipsi inhabitant in ipsis* (Num. XIII, 20)? Quam locutionem magis alienæ linguæ esse arbitror, quam sensum aliquem altiore. Illud etiam quod jam auferre non possumus de ore cantantium populorum, *Super ipsum autem floriet sanctificatio mea* (Psal. CXXXI, 18), nihil profecto sententiæ detrahit: auditor tamen peritor mallet hoc corrigi, ut non *floriet, sed florebit* diceretur; nec quidquam impedit correctionem, nisi consuetudo cantantium. Ista ergo facile etiam contemni possunt, si quis ea cavere noluerit, quæ sano intellectui nihil detrahunt. At vero illud quod ait Apostolus, *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I Cor. I, 25): si quis in eo græcam locutionem servare voluisset, ut diceret, *Quod stultum est Dei, sapientius est hominum; et quod infirmum est Dei, fortius est hominum; iret quidem vigilantia lectoris intentio in sententiæ veritate, sed tamen aliquid tardior aut non intelligeret, aut etiam perverse intelligeret. Non enim tantum vitiosa locutio est in latina lingua talis, verum et in ambiguitatem cadit; ut quasi hominum stultum vel hominum infirmum sapientius vel fortius videatur esse quam Dei. Quanquam et illud, *sapientius est hominibus*, non caret ambiguo, etiamsi solœcismo caret. Utrum enim his *hominibus* ab eo quod est, Huic homini; an his *hominibus* ab eo quod est, Ab hoc homine, dictum sit, non apparet nisi illuminatione sententiæ. Melius itaque dicitur, Sapientius est quam homines, et fortius est quam homines.*

CAPUT XIV. — *Ignoti verbi et ignota locutionis unde eruenda cognitio.*

21. De ambiguis autem signis post loquemur; nunc de incognitis agimus, quorum duæ formæ sunt, quantum ad verba pertinet. Namque aut ignotum verbum facit hæere lectorem, aut ignota locutio. Quæ si ex alienis linguis veniunt, aut querenda sunt ab earum linguarum hominibus, aut eadem linguæ, si et otium est et ingenium, ediscendæ, aut plurimum interpretum consulenda collatio est. Si autem ipsius linguæ nostræ aliqua verba locutionesque ignoramus, legendi consuetudine audiendique innotescunt. Nulla sane sunt magis mandanda memoriæ, quam illa verborum locutionumque genera quæ ignoramus; ut cum vel peritor occurrerit de quo queri possint, vel talis lectio quæ vel ex præcedentibus vel consequentibus vel utriusque ostendat quam vim habeat, quidve significet quod ignoramus, facile adjuvante memoria possumus advertere et discere. Quanquam tanta est vis consuetudinis etiam ad discendum, ut qui in Scripturis sanctis quodammodo nutriti educatique sunt, magis alias locutiones mirentur, easque minus latinas putent, quam illas quas in Scripturis didicerunt, neque in latinæ linguæ auctoribus reperiuntur. Plurimum hic quo-

que juvat interpretum numerositas collatis codicibus inspecta atque discussa; tantum absit falsitas: nam codicibus emendandis primitas debet invigilare solertia eorum qui Scripturas divinas nosse desiderant, ut emendatis non emendati cedant, ex uno duntaxat interpretationis genere venientes.

CAPUT XV. — *Commendatur Italæ versio latina, et græca Septuaginta interpretum.*

22. In ipsis autem interpretationibus, Italæ cæteris præferatur; nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. Et latinis quibuslibet emendandis, græci adhibeantur, in quibus Septuaginta interpretum, quod ad Vetus Testamentum attinet, excellit auctoritas (a); qui jam per omnes peritiores Ecclesias tanta præsentia sancti Spiritus interpretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit. Qui si, ut fertur, multi- que non indigni fide prædicant (b), singuli cellis etiam singulis separati cum interpretati essent, nihil in alicujus eorum codice inventum est quod non liædem verbis eodemque verborum ordine inveniretur in cæteris; quis huic auctoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat? Si autem contulerunt ut una omnium communi tractatu iudicioque vox fieret, nec sic quidem quemquam unum hominem qualibet peritia, ad emendandum tot seniorum doctorumque consensum aspirare oportet aut deest. Quamobrem, etiamsi aliquid aliter in hebræis exemplaribus invenitur quam isti posuerunt, cedendum esse arbitror divinæ dispensationi quæ per eos facta est, ut libri quos gens Judæa cæteris populis, vel religione vel invidia prodece nobat, credituris per Dominum Gentibus ministra regis Ptolemæi potestate tanto ante proderentur. Itaque fieri potest ut sic illi interpretati sint, quemadmodum congruere Gentibus ille qui eos agebat, et qui unum os omnibus fecerat, Spiritus sanctus iudicavit. Sed tamen, ut superius dixi, horum quoque interpretum qui verbis tenacius inhæserunt, collatio non est inutilis ad explanandam sæpe sententiam. Latini ergo, ut dicere cœperam, codices Veteris Testamenti, si necesse fuerit, græcorum auctoritate emendandi sunt, et eorum potissimum qui cum Septuaginta essent, oræ uno interpretati esse perhibentur. Libros autem Novi Testamenti, si quid in latinis varietatibus titubat, græcis cedere oportere non dubium est, et maxime qui apud Ecclesias doctiores et diligentiores reperiuntur.

CAPUT XVI. — *Ut translata signa intelligantur juxta tum linguarum notitia, tum rerum.*

23. In translatis vero signis si qua forte ignota

(a) De Civit. Dei, lib. 18, c. 43.

(b) Inter eos Irenæus, lib. 3, c. 25; Clemens Alexandrinus, lib. 1 Stromatum; Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 4; Hilarius, in Psal. 2, etc.; sed ante hos Justinus martyr, qui in oratione ad Gentes, cellularum in quibus LXX interpretes Ptolemæi jussu scripturis vertendis seorsim vacaverunt, vestigia quædam Alexandriæ se conspexisse profitetur. Verumtamen Hieronymus in præfatione in Pentateuchum necesse se ait, « quis primus auctor septuaginta cellularum Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scripturarum: quippe cum Aristæus Ptolemæi « *superaspitès*, et multo post tempore Josephus nihil « tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse « scribant, non prophetasse. »

cogunt hærere lectorem, partim linguarum notitia, partim rerum, investiganda sunt. Aliquid enim ad similitudinem valet, et procul dubio secretum quiddam insinuat Siloa piscina, ubi faciem lavare jussus est cui oculos Dominus luto de sputo facto inunxerat (*Joan. ix, 7*): quod tamen nomen linguæ incognitæ, nisi Evangelista interpretatus esset, tam magnus intellectus lateret. Sic etiam multa, quæ ab auctoribus eorundem Librorum interpretata non sunt, nomina hebræa, non est dubitandum habere non parvam vim atque adiutorium ad solvenda ænigmata Scripturaram, si quis ea possit interpretari: quod nonnulli ejusdem linguæ periti viri, non sane parvum beneficium posteris contulerunt, qui separata de Scriptoris eadem omnia verba interpretati sunt; et quid sit Adam, quid Eva, quid Abraham, quid Moyses; sive etiam locorum nomina, quid sit Jerusalem, vel Sion, vel Jericho, vel Sina, vel Libanus, vel Jordanis; vel quæcumque alia in illa lingua nobis sunt incognita nomina: quibus apertis et interpretatis, multæ in Scripturis figuratæ locutiones manifestantur.

24. Rerum autem ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, cum ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumve rerum, quæ plerumque in Scripturis similitudinis alicujus gratia ponuntur. Nam et de serpente quod notum est, totum corpus eum pro capite objicere ferientibus, quantum illustrat sensum illum, quo Dominus jubet astutos nos esse sicut serpentes (*Math. x, 16*); ut scilicet pro capite nostro, quod est Christus, corpus potius persequentibus offeramus, ne fides christiana tanquam necetur in nobis, si parentes corpori negemus Deum! vel illud, quod per cavernæ angustias coarctatus, deposita veteri tunica virces novas accipere dicitur, quantum concinit ad imitandam ipsam serpentis astutiam, exuendumque ipsam veterem hominem, sicut Apostolus dicit, ut induamur novo (*Ephes. iv, 22, 24; Coloss. iii, 9, 10*); et exuendum per angustias, dicente Domino, *Intrate per angustam portam* (*Math. vii, 13*)! Ut ergo notitia naturæ serpentis illustrat multas similitudines quas de hoc animante dare Scriptura consuevit; sic ignorantia nonnullorum animalium quæ non minus per similitudines commemorat, impedit plurimum intellectorem. Sic lapidum, sic herbarum, vel quæcumque tenentur radicibus. Nam et carbunculi notitia, quod lucet in tenebris, multa illuminat etiam obscura librorum, ubicumque propter similitudinem ponitur; et ignorantia berylli vel adamantis claudit plerumque intelligentiæ fores. Nec aliam ob causam facile est intelligere pacem perpetuam significari oleæ ramusclo, quem rediens ad arcam columba pertulit (*Gen. viii, 11*), nisi quia novimus et olei lenem contactum non facile alieno humore corrumpi, et arborem ipsam frondere perenniter. Multi autem propter ignorantiam hyssopi, dum nesciunt quam vim habeat, vel ad purgandum pulmonem, vel, ut dicitur, ad saxa radicibus

<sup>1</sup> Editi addunt hic, *caput*; quæ vox abest ab omnibus Mss.

In vulgatis, *lectorem*. At in Mss., *intellectorem*

penetranda, cum sit herba brevis atque humilis, omnino invenire non possunt quare sit dictam, *Asperges me hyssopo, et mundabor* (*Psal. l, 9*).

25. Numerorum etiam imperitia multa facit non intelligi, translate ac mystice posita in Scripturis. Ingenium quippe, ut ita dixerim, ingenuum non potest non moveri quid sibi velit quod et Moyses, et Elias, et ipse Dominus quadraginta diebus jejunaverunt (*Exod. xxiv, 18; III Reg. xix, 8; et Math. iv, 2*). Cujus actionis figuratus quidam nodus, nisi hujus numeri cognitione et consideratione, non solvitur. Habet enim denarium quater, tanquam cognitionem omnium rerum intextam temporibus. Quaternario namque numero et diurna et annua curricula peraguntur: diurna matutinis, meridianis, vespertinis, nocturnisque horarum spatii; annua vernis, æstivis, autumnalibus, hiemalibusque mensibus. A temporum autem delectatione dum in temporibus vivimus, propter æternitatem in qua vivere volumus, abstincendum et jejunandum est: quamvis temporum cursibus ipsa nobis insinuetur doctrina contemnendorum temporum et appetendorum æternorum. Porro autem denarius numerus Creatoris atque creaturæ significat scientiam: nam trinitas Creatoris est, septenarius autem numerus creaturam indicat, propter vitam et corpus. Nam in illa tria sunt, unde etiam toto corde, tota anima, tota mente diligendus est Deus (*Id. xxii, 37*); in corpore autem quatuor manifestissima apparent, quibus constat, elementa. In hoc ergo denario dum temporaliter nobis insinuat, id est, quater ducitur, caste et continenter, a temporum delectatione vivere, hoc est quadraginta diebus jejunare monemur. Hoc Lex, cujus persona est in Moysse, hoc Prophetia, cujus personam gerit Elias, hoc ipse Dominus monet; qui tanquam testimonium habens ex Lege et Prophetis, medius inter illos in monte, tribus discipulis videntibus atque stupentibus, claruit (*Id., xvii, 2, 3*). Deinde ita queritur quomodo quinquagenarius de quadragenario numero existat, qui non mediocriter in nostra religione sacratus est propter Pentecosten (*Act. ii*), et quomodo ter ductus propter tria tempora, ante Legem, sub Lege, sub Gratia, vel propter nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, adjuncta eminentius ipsa Trinitate, ad purgatissimæ Ecclesiæ mysterium referatur, perveniatque ad centum quinquaginta tres pisces, quos retia post resurrectionem Domini in dexteram partem missa ceperunt (*Joan. xxi, 11*). Ita multis aliis atque aliis numerorum formis quædam similitudinum in sanctis Libris secreta ponuntur, quæ propter numerorum imperitiam legentibus clausa sunt.

26. Non pauca etiam claudit atque obtegunt nonnullarum rerum musicarum ignorantia. Nam et de psalterii et citharæ differentia, quidam non inconcinne aliquas rerum figuras aperuit: et decem chordarum psalterium (*Psal. xxxii, 2; et Psal. xci, 4*), non importune inter doctos queritur utrum habeat aliquam musicæ legem, quæ ad tantum nervorum numerum cogat; an vero, si non habet, eo ipso magis sacratè accipiendus sit ipse numerus, vel propter decalogum

Legis, de quo item numero si quaeratur, nonnulli ad Creatorem creaturamque referendus est, vel propter superius expositum ipsum denarium. Et illa numerus aedificationis templi, qui commemoratur in Evangelio, quadraginta scilicet et sex annorum (*Joan.* II, 20), nescio quid musicum sonat; et relatus ad fabricam Dominici corporis, propter quam templi mentio facta est, cogit nonnullos hæreticos confiteri Filium Dei non falso, sed vero et humano corpore indutum: et numerum quippe et musicam plerisque locis in sanctis Scripturis honorabiliter posita invenimus.

CAPUT XVII. — *Origo fabulae Musarum novem.*

27. Non enim audiendi sunt errores gentilium superstitionum, qui novem Musas Jovis et Memoriae filias esse fluxerunt. Refellit eos Varro, quo nescio utram apud eos quisquam talium rerum doctior vel curiosior esse possit. Dicit enim civitatem nescio quam, non enim nomen recolo, locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quod in templo Apollinis donum poneret, ut quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimum electa emeret. Itaque contigisse ut opera sua quoque illi artifices æque pulchra explicarent, et placuisse civitati omnes novem, atque omnes esse emptas, ut in Apollinis templo dedicarentur; quibus postea dicit Hesiodum poetam imposuisse vocabula. Non ergo Jupiter novem Musas genuit, sed tres fabri ternas creaverunt. Tres autem non propterea illa civitas locaverat, quia in somnis eas viderat, aut tot se cujusquam illorum oculis demonstraverant; sed quia facile erat animadvertere omnem sonum, quæ materies cantilenarum est, triforem esse naturam. Aut enim voce editur, sicut eorum est qui faucibus sine organo canunt; aut flatu, sicut tabarum et tibarum; aut pulsu, sicut in citharis et tympanis, et quibuslibet aliis quæ percutiendi canora sunt.

CAPUT XVIII. — *Profani si quid bene dixerunt, non aspernandum.*

28. Sed sive ita se habeat quod Varro retulit, sive non ita; nos tamen non propter superstitionem profanorum debemus musicam fugere, si quid inde utile ad intelligendas sanctas Scripturas rapere potuerimus; nec ad illorum theatricas nugas converti, si aliquid de citharis et de organis, quod ad spiritualia capienda valeat, disputemus. Neque enim et litteras discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium; aut quia justitiæ virtutisque templa dedicarunt, et quæ corde gestanda sunt in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis justitiæ virtusque fugienda est: imo vero quisquis bonus verusque christianus est, Domini sui esse intelligat, ubicumque invenerit veritatem, quam confitens et agnoscens, etiam in Litteris sacris superstitiosa signa repudiet; doleatque homines atque caveat, qui cognoscentes Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gra-

tias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est cor insipientis eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, et immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium (*Rom.* I, 21 27q.).

CAPUT XIX. — *Doctrinarum genera duo reperta apud Ethnicos.*

29. Sed ut totum istum locum, nam est maxime necessarius, diligentius explicemus; duo sunt genera doctrinarum, quæ in gentilibus etiam moribus exercentur. Unum earum rerum quas instituerunt homines; alterum earum quas animadverterunt jam peractas aut divinitus institutas. Illud quod est secundum institutiones hominum, partim superstitiosum est, partim non est.

CAPUT XX. — *Scientiæ quas homines instituerunt aliquæ superstitionum plenæ. Catonis dictum lepidum.*

30. Superstitiosum est quicquid institutum est ab hominibus ad faciendam et colenda idola pertinens, vel ad colendam sicuti Deum creaturam partemve ullam creaturæ; vel ad consultationes et pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque foederata, qualia sunt molimina magicarum artium, quæ quidem commemorare potius quam docere assolent poetæ. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, aruspicum et augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis quos characteres vocant, sive in quibusque rebus suspendendis atque illigandis, vel etiam aptandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas, aut etiam manifestas; quæ mitiore nomine physica vocant, ut quasi non superstitione implicare, sed natura prodesse videantur: sicut sunt inaures in summo aurium singularum, aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut cum tibi dicitur singultienti, ut dextera manu sinistrum pollicem teneas.

31. His adjunguntur millia inanissimarum observationum, si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantis amicus lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit: atque illud quod lapidem calcant, tanquam diremptorem amicitiae, minus molestum est, quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantis intercurrit. Sed bellum est quod aliquando pueri vindicant a canibus: nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, ut etiam canem qui medius intervenerit, ferire audeant, non impune; namque a vano remedio cito ille interdum percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa, limen calcare cum ante domum suam transit; redire ad lectum, si quis dum se calceat sternutaverit; redire domum, si procedens offenderit; cum vestis a soricibus roditur, plus tremere suspicio-

<sup>1</sup> Mss. duo e Vaticanis, *Novemque*. Alii, omnes codices, *Memoriae*. Sic vero etiam in lib. 2 de Ordine, cap. 14, n. 41.

<sup>2</sup> Mss. prope omnes, *earum Deum dicunt*.

<sup>3</sup> Mss. plusquam viginti, *conferens*: consentit editio Am.

<sup>4</sup> Codices editi et Mss., *saltandis quodammodo*: excepto uno Remigiano, cujus auctoritate restituimus, *aptandis*.

ne<sup>1</sup> futuri mali, quam præsens damnata dolere. Unde illud eleganter dictum est Catonis, qui cum esset consaltus a quodam, qui sibi a soricibus erosas caligas diceret; respondit non esse illud monstrum, sed vere monstrum habendum fuisse, si sorices a caligis roderentur.

CAPUT XXI. — *Superstitio mathematicorum.*

32. Neque illi ab hoc genere perniciosæ superstitionis segregandi sunt, qui genethliaci, propter natalium dierum considerationes, nunc autem vulgo mathematici vocantur. Nam et ipsi quamvis veram stellarum positionem, cum quisque nascitur, consectentur, et aliquando etiam perverstigent; tamen quod inde emanant vel actiones nostras vel actionum eventa prædicere, nimis errant, et vendunt imperitis hominibus miserabilem servitutem. Nam quisque liber ad hujusmodi mathematicum cum ingressus fuerit, dat pecuniam ut servus inde exeat aut Martis, aut Veneris, vel potius omnium siderum; quibus illi qui primi erraverunt, erroremque posteris propinaverunt, vel bestiarum propter similitudinem, vel hominum ad ipsos homines honorandos imposuerunt vocabula. Non enim mirandum est, cum etiam propioribus recentioribusque temporibus, sidus quod appellamus Luciferum, honori et nomini Cæsaris Romani dicere conati sunt (a). Et fortasse factum esset atque læset in vetustatem, nisi avia ejus Venus præoccupasset hoc nominis prædium; neque jure ullo ad hæredes trajiceret, quod nunquam viva possederat aut possidendum petiverat. Nam ubi vacabat locus, neque alicujus priorum mortuorum honore tenebatur, factum est quod in rebus talibus fieri solet. Pro quintili enim et sextili mensibus, Julium atque Augustum vocamus, de honoribus hominum Julii Cæsaris et Augusti Cæsaris nuncupatos; et facile qui voluerit intelligat etiam illa sidera prius sine his nominibus cælo vagata esse: mortuis autem illis quorum honorare memoriam vel coacti sunt homines regia potestate, vel placuit humana vanitate, nomina eorum imponentes sideribus, eos ipsos sibi mortuos in cælum levare videbantur. Sed quodlibet vocentur ab hominibus, sunt tamen sidera, quæ Deus instituit et ordinavit ut voluit; et est certus motus illorum, quo tempora distinguuntur atque variantur. Quem motum notare, cum quisque nascitur, quo modo se habeat, facile est, per eorum inventas conscriptasque regulas, quos sancta Scriptura condemnat, dicens: *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo ejus Dominum non facilius invenerunt* ( Sap. XIII, 9 ) ?

CAPUT XXII. — *Observatio siderum ad cognoscendam vitæ seriem vana.*

33. Sed ex ea notatione velle nascentium mores, actus, eventa prædicere, magnus error et magna dementia est. Et apud eos quidem qui talia dediscenda didicerunt, sine ulla dubitatione refellitur hæc superstitio. Constellationes enim quas vocant, notatio

<sup>1</sup> Sic Mss. melloris notæ. At editi, *timere suspicionem*

(a) Sic Virg. Ecl. 9 :

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

est siderum, quomodo se habebant cum ille nasceretur, de quo isti miseri a miserioribus consuluntur. Fieri autem potest, ut aliqui gemini tam sequaciter fundantur ex utero, ut intervallum temporis inter eos nullum possit apprehendi, et constellationum numeris annotari. Unde necesse est nonnullos geminos eandem habere constellationes, cum paria rerum, vel quas agunt vel quas patiuntur, eventa non habeant, sed plerumque ita disparia, ut alius felicissimus, alius infelicissimus vivat: sicut Esau et Jacob geminos accepimus natos, ita ut Jacob, qui posterior nascebatur, manu plantam præcedentis fratris tenens inveniretur (Gen. xxv, 25). Horum certe dies atque hora nascentium aliter notari non posset, nisi ut amborum constellatio esset una; quantum autem intersit inter amborum mores, facta, labores atque successus, Scriptura testis est, jam ore omnium gentium pervagata<sup>2</sup>.

34. Neque enim ad rem pertinet, quod dicunt ipsum momentum minimum atque angustissimum temporis, quod geminorum partum determinat, multum valere in rerum natura atque cælestium corporum rapidissima velocitate. Etsi enim concedam ut plurimum valeat, tamen in constellationibus a mathematico inveniri non potest, quibus inspectis se fata dicere profitetur. Quod ergo in constellationibus non invenit, quas necesse est unas inspiciat, sive de Jacob, sive de ejus fratre consulatur; quid ei prodest si distat in cælo quod temere securus infamat, et non distat<sup>3</sup> in tabula quam frustra sollicitus intaetur? Quare istæ quoque opiniones quibusdam rerum signis humanam præsumptione insultatis, ad eadem illa quasi quædam cum dæmonibus pacta et conventa referenda sunt.

CAPUT XXIII. — *Cur repudianda genethliacorum scientia.*

35. Hinc enim fit ut occulto quodam judicio divino, cupidi maharum rerum homines tradantur illudendi et decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus eos atque decipientibus prævaricatoribus angelis; quibus ista mundi pars infima, secundum pulcherrimum ordinem rerum, divinæ providentiæ lege subjecta est. Quibus illusionibus et deceptionibus evenit, ut istis superstitionis et perniciosi divinationum generibus multa præterita et futura dicantur, nec aliter accidant, quam dicuntur; multaque observantibus secundum observationes suas eveniant, quibus implicati curiosiores fiunt, et sese magis magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ salubriter divina Scriptura non tacuit; neque ab ea sic deterruit animam, ut propterea talia negaret esse sectanda quia falsa dicuntur a professoribus eorum, sed etiam si dixerint vobis, inquit, *et ita evenerit, ne credatis eis* (Deut. xiiii, 1-3). Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli regi

<sup>1</sup> Mss., tres pervulgata.

<sup>2</sup> In excusis hætenus, *si distat in cælo.... et non distat in tabula*. Sed incunctanter ex Mss. reponendum utroque loco *distat*: quandoquidem id confutatur, quod Mathematici garrunt, momentum vel minimum quo geminorum partum determinatur, in tanta cælestium corporum velocitate valere plurimum.



vera prænantiauit (1 Reg. xxviii, 14-20; Eccli. xlvj, 23), propterea talia sacrilegia, quibus imago illa præsentata est, minus execranda sunt: aut quia in Actibus Apostolorum ventriloqua<sup>1</sup> femina verum testimonium perhibuit Apostolis Domini, idcirco Paulus apostolus pepercit illi spiritui, ac non potius feminam illius dæmonii correptione atque exclusione mundavit (Act. xvi, 16-18).

36. Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoriz vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum et dæmonum, quasi pacta quædam infidelis et dolosæ amicitiz constituta, penitus sunt repudianda et fugienda christiano: *Non quod idolum sit aliquid, ait Apostolus, sed quia quæ immolant, dæmonis immolant, et non Deo; nolo autem vos socios dæmoniorum fieri* (1 Cor. x, 19, 20). Quod autem de idolis, et de immolationibus, quæ honori eorum exhibentur, dixit Apostolus, hoc de omnibus imaginariis signis sentiendum est, quæ vel ad cultum idolorum, vel ad creaturam ejusque partes tanquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum aliarumque observationum curam pertinent; quæ non sunt divinitus ad dilectionem Dei et proximi tanquam publice constituta, sed per privatas appetitiones rerum temporalium corda dissipant miserorum. In omnibus ergo istis doctrinis societas dæmonum formidanda atque vitanda est, qui nihil cum principe suo diabolo nisi relictam nostram claudere atque obserare conantur. Sicut autem de stellis, quas condidit et ordinavit Deus, humanæ et deceptoriz conjecturæ ab hominibus institutz sunt; sic etiam de quibusque nascentibus vel quoquo modo divinæ providentiæ administratione existentibus rebus, multi multa humanis suspicionibus, quasi regulariter conjectata<sup>2</sup>, litteris mandaverunt, si forte insolite acciderint, tanquam si mulla pariat, aut fulmine aliquid percutiatur.

CAPUT XXIV. — *Societas et pactum cum dæmonibus in superstitioso rerum usu.*

37. Quæ omnia tantum valent, quantum præsumptione animorum quasi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata sunt. Quæ tamen plena sunt omnia pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ servitutis. Non enim quia valebant, animadversa sunt; sed animadvertendo atque signando<sup>3</sup> factum est ut valerent. Et ideo diversis diverse proveniunt secundum cogitationes et præsumptiones suas. Illi enim spiritus qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per suspensiones et consensiones ejus vident. Sicut enim, verbi gratia,

<sup>1</sup> Mss. tres, *ventiloqua*. Verius alii, *ventriloqua*. Græce, *eggastrimuthos*, uti Pythonissa mulier, 1 Reg. xxvii, 7, vocatur a, ud LXX Interpretes, qui hanc vocem passim adhibent; eamque Basiliius in Isai. viii, 19, interpretatur ad hæc verba, *zêtêsale eggastrimuthous*, « Hoc est, ait, qui in Pythone futura prædicunt, per ventrem obsessi, ipso spiritu loquente, qui et de terra loquuntur, inania quædam effluentia. » Annotaverat hic Erasmus ad oram libri, fuisse suo etiam tempore apud Italos divinatorum genus, qui sic dicti sunt, quod ore non edentes sonum, per ventrem loqui visi sunt.

<sup>2</sup> Editi, *conjecta litteris*. At Mss., *conjectata*.

<sup>3</sup> Mss. quinque, *servando*.

una figura litteræ X quæ decussatim notatur, aliud apud Græcos, aliud apud Latinos valet, non natura, sed placito et consensione significandi; et ideo qui utramque linguam novit, si homini Græco velit aliquid significare scribendo, non in ea significatione ponit hanc litteram, in qua eam ponit cum homini scribit Latino: et Beta uno eodemque sono, apud Græcos litteræ, apud Latinos oleris nomen est; et cum dico, Lege, in his duabus syllabis, aliud Græcus, aliud Latinus intelligit: sicut ergo hæc omnes significationes pro sua cujusque societatis consensione animos movent, et quia diversa consensio est, diverse movent; nec ideo consenserunt in eas homines, quia jam valebant ad significationem, sed ideo valent, quia consenserunt in eas: sic etiam illa signa, quibus pernicioza dæmonum societas comparatur, pro cujusque observationibus valent. Quod manifestissime ostendit ritus augurum, qui et antequam observent, et posteaquam observata signa tenuerint, id agunt ne videant volatus, aut audiant voces avium; quia nulla ista signa sunt, nisi consensus observantis accedat.

CAPUT XXV. — *In institutis humanis non superstitiosis quædam superflua, quædam commoda et necessaria.*

38. Quibus amputatis atque eradicatis ab anime christiano, deinceps videndæ sunt institutiones hominum non superstitiosæ, id est, non cum dæmonibus, sed cum ipsis hominibus institutz. Namque omnia quæ ideo valent inter homines, quia placuit inter eos ut valeant, instituta hominum sunt: quorum partim superflua luxuriosaque instituta sunt, partim commoda et necessaria. Illa enim signa quæ saltando faciunt histriones, si natura, non instituto et consensione hominum valerent; non primis temporibus, saltante pantomimo (a), præco pronuntiaret populis Carthaginiis quid saltator vellet intelligi. Quod adhuc multi meminerunt senes, quorum relatu hæc solemus audire. Quod ideo credendum est, quia nunc quoque si quis theatrum talium nugarum imperitus intraverit, nisi ei dicatur ab altero quid illi motus significant, frustra totus intentus est. Appetunt tamen omnes quamdam similitudinem in significando, ut ipsa signa, in quantum possunt, rebus quæ significantur similia sint. Sed quia multis modis simile aliquid alicui potest esse, non constant talia signa inter homines, nisi consensus accedat.

39. In picturis vero et statuis, cæterisque hujusmodi simulatis operibus, maxime peritorum artificum, nemo errat cum similia viderit, ut agnoscat quibus sint rebus similia. Et hoc totum genus inter superflua hominum instituta numerandum est, nisi cum interest quid eorum, qua de causa, et ubi, et quando, et cujus auctoritate fiat. Millia denique fictarum fabularum et falsitatum, quarum mendaciis homines delectantur, humana instituta sunt. Et nulla magis hominum propria, quæ a seipsis habent, existimanda sunt, quam quæque falsa atque mendacia. Commoda vero et necessaria

(a) *Pantomimos*, qui quoslibet gestus moresque exprimebat.

hominum cum hominibus instituta sunt, quæcumque in habitu et cultu corporis ad sexus vel honores discernendos differentia placuit; et innumerabilia genera significationum sine quibus humana societas, aut non omnino, aut minus commode geritur; quæque in ponderibus atque mensuris, et numerorum impressionibus vel æstimationibus, sua cuique civitati et populo sunt propria; et cætera hujusmodi, quæ nisi hominum instituta essent, non per diversos populos varia essent, nec in ipsis singulis populis pro arbitrio suorum principum motarentur.

40. Sed hæc tota pars humanorum institutorum, quæ ad usum vitæ necessarium proficiunt, nequaquam est fugienda christiano; imo etiam quantum satis est, futuenda, memoriaque retinenda.

CAPUT XXVI. — *Quæ hominum instituta fugienda, et quæ amplectenda sint.*

Adumbrata enim quædam et naturalibus utcumque similia hominum instituta sunt. Quorum ea quæ ad societatem, ut dictum est, dæmonum pertinent, penitus repudianda sunt et detestanda: ea vero quæ homines cum hominibus habent, assumenda, in quantum non sunt luxuriosa atque superflua; et maxime litterarum figuræ, sine quibus legere non possumus, linguarumque varietas quantum satis est, de qua superius disputavimus. Ex eo genere sunt etiam notæ, quas qui didicerunt proprie jam notarii appellantur. Utilia sunt ista, nec discuntur illicite, nec superstitione implicant, nec luxu emervant, si tantum occupent, ut majoribus rebus, ad quas adipiscendas servire debent, non sint impedimento.

CAPUT XXVII. — *Scientiarum quas homines non instituerunt, aliqua juvant ad intelligentiam Scripturarum.*

41. Jamvero illa quæ non instituendo, sed aut transacta temporibus, aut divinitus instituta, investigando homines prodiderunt, ubicumque discantur, non sunt hominum instituta existimanda. Quorum alia sunt ad sensum corporis, alia vero ad rationem animi pertinentia. Sed illa quæ sensu corporis attinguntur, vel narrata credimus, vel demonstrata sentimus, vel experta conjicimus.

CAPUT XXVIII. — *Historia quatenus juvet.*

42. Quidquid igitur de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos Libros intelligendos, etiam præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam et per Olympiadas, et per Consulium nomina multa sæpe quaeruntur a nobis; et ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, et quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum, quia per tot annos ædificatum templum esse dictum est a Judæis, quod imaginem Dominici corporis habebat. Et annorum quidem fere triginta baptizatum esse retinemus auctoritate evangelica (*Luc. in, 23*): sed postea quot annos in hac vita egerit, quanquam textu ipso actionum ejus animadverti possit; tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Evangelio, liqui-

dius certiusque colligitur. Tunc enim videbitur non frustra esse dictum, quod quadraginta sex annis templum ædificatum sit, ut cum referri late numerus ad ætatem Domini non potuerit, ad secretiorem instructionem humani corporis referatur, quo indui propter nos non dignatus est unicus Dei Filius, per quem facta sunt omnia.

43. De utilitate autem historiarum, ut omittam Græcos, quantum noster Ambrosius questionem solvit, calumniantibus Platonis lectoribus et dilectoribus; qui dicere ausi sunt omnes Domini nostri Jesu Christi sententias, quas mirari et prædicare coguntur, de Platonis libris cum didicisse, quoniam longe ante humanum adventum Domini Platonem fuisse, negari non potest! Nonne memoratus episcopus, considerata historia gentium, cum reperisset Platonem Jeremiæ temporibus profectum fuisse in Ægyptum, ubi propheta ille tunc erat (a), probabilius esse ostendit quod Plato potius nostris Litteris per Jeremiam fuerit imbutus; ut illa posset docere vel scribere quæ jure laudantur? Ante Litteras enim gentis Hebræorum, in qua unus Dei cultus emicuit, ex qua secundum carnem venit Dominus noster, nec ipse quidem Pythagoras fuit, a cujus posteris Platonem theologiam didicisse isti asserunt. Ita consideratis temporibus sit multo credibilius istos potius de Litteris nostris habuisse quæcumque bona et vera dixerunt, quam de Platonis Dominum Jesum Christum, quod dementissimum est credere.

44. Narratio autem historica cum præterita etiam hominum instituta narratur, non inter humana instituta ipsa historia numeranda est; quia jam quæ transierunt, nec infecta fieri possunt; in ordine temporum habenda sunt, quorum est conditor et administrator Deus. Aliud est enim facta narrare, aliud docere facienda. Historia facta narrat fideliter atque utiliter; libri autem aruspicum, et quæque similes litteræ, faciendæ vel observandæ intendunt docere, monitoris audacia, non indicis<sup>1</sup> fide.

CAPUT XXIX. — *Ad Scripturarum intelligentiam quatenus conducatur animalium, herbarum, etc., præsertimque siderum cognitio.*

45. Est etiam narratio demonstrationi similis, qua non præterita, sed præsentia indicantur ignavis. In quo genere sunt quæcumque de locorum situ, naturisque animalium, lignorum, herbarum, lapidum, aliorumve corporum scripta sunt. De quo genere superius egimus, eamque cognitionem valere ad ænigmata Scripturarum solvenda docuimus: non ut pro quibusdam signis adhibeantur, tanquam ad remedia vel machinamenta superstitionis alicujus; nam et illud genus jam distinctum ab hoc licito et libero separavimus. Aliud est enim dicere, Tritam istam herbam si biberis, venter non dolebit; et aliud est dicere, Istam herbam collo si suspenderit, venter non dolebit. Ibi enim probatur contemperatio salubris, hic significatio superstitionis damnatur. Quanquam ubi præcantiones,

<sup>1</sup> Editi, *judicis*. Patet legendum cum melioris notæ *Ms.*, *indictis*.

(a) II *Retract.* cap. 4, n. 2.

et invocationes, et characteres non sunt, plerumque dubium est utrum res quæ alligatur, aut quoquo modo adjungitur sanando corpori, vi naturæ valeat, quod libere adhibendum est, an significativa quadam obligatione proveniat, quod tanto prudentius oportet cavere christianum, quanto efficacius prodesse videbitur. Sed ubi latet qua causa quid valeat, quo animo quisque utatur interest, duntaxat in sanandis vel temperandis corporibus, sive in medicina, sive in agricultura.

46. Siderum autem ergnoscedorum non narratio, sed demonstratio est, quorum perpauca Scriptura commemorat. Sicut autem plurimis notus est lunæ cursus, qui etiam ad passionem Domini anniversarie celebrandam solemniter adhibetur; sic paucissimis cæterorum quoque siderum vel ortus, vel occasus, vel alia quælibet momenta sine ullo sunt errore notissima. Quæ per seipsam cognitio, quanquam superstitione non alliget, non multum tamen ac prope nihil adjuvat tractationem divinarum Scripturarum, et infructuosa intentione plus impedit; et quia familiaris est perniciosissimo errori fatua fata cantantium, commodius honestiusque contemnitur. Habet autem præter demonstrationem præsentium, etiam præteritorum narrationi simile aliquid, quod a præsentis positione, motuque siderum, et in præteritis eorum vestigia regulariter licet recurrere. Habet etiam futurorum regulares conjecturas, non suspiciosas et ominosas, sed ratas et certas; non ut ex eis aliquid trahere in nostra facta et eventa tentemus, qualia genethliacorum deliramenta sunt, sed quantum ad ipsa pertinet sidera. Nam sicut is qui computat lunam, cum hodie inspexerit quota sit, et ante quotlibet annos quota fuerit, et post quotlibet annos quota futura sit potest dicere; sic de unoquoque siderum, qui ea perite computant, respondere consueverunt. De qua tota cognitione, quantum ad usum ejus attinet, quid mihi videretur aperui.

CAPUT XXX. — *Quid eodem conferant artes mechanicae.*

47. Artium etiam cæterarum, quibus aliquid fabricatur, vel quod remaneat post operationem artificis ab illo effectum, sicut domus, et scamnum, et vas aliquod, atque alia hujusmodi; vel quæ ministerium quoddam exhibent operanti Deo, sicut medicina, et agricultura, et gubernatio; vel quarum omnis effectus est actio, sicut saltationum et cursuum et luctaminum: harum ergo cunctarum artium de præteritis experimenta faciunt etiam futura conjici; nam nullus earum artifex membra movet in operando, nisi præteritorum memoriam cum futurorum expectatione contextat. Harum autem cognitio tenuiter in ipsa humana vita cursimque usurpanda est, non ad operandum, nisi forte officium aliquod cogat, de quo nunc non agimus; sed ad iudicandum, ne omnino nesciamus quid Scriptura velit insinuare, cum de his artibus aliquas figuratas locutiones inserit.

CAPUT XXXI. — *Quid juvet dialectica. Sophismata.*

48. Restant ea quæ non ad corporis sensus, sed ad rationem animi pertinent, ubi disciplina regnat

Bad. Am. Er. et Mss. sex, in nostra fata.

disputationis et numeri. Sed disputationis disciplina ad omnia genera questionum, quæ in Literis sanctis sunt penetranda et dissolvenda, plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi, et pœcillis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, et plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipiant. Proposuit enim quidam, dicens et cum quo loquebatur: Quod ego sum, tu non es. At ille consentit: verum enim erat ex parte, vel eo ipso quod iste insidiosus, ille simplex erat. Tunc iste ardidit: Ego autem homo sum. Hoc quoque cum ab illo accepisset, conclusit dicens: Tu igitur non es homo (a). Quod genus captiosarum conclusionum Scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco, ubi dictum est: *Qui sophisticæ loquitur, odibilis est (Eccli. xxxvii, 23)*. Quanquam etiam sermo non captiosus, sed tamen abundantius quam gravitatem decet, verborum ornamenta consecrans, sophisticus dicitur.

49. Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationis falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius cum quo agitur: quæ tamen ad hoc inferuntur a bono et docto homine, ut in his erubescens ille cuius errorem consequuntur, eundem relinquat errorem; quia si in eodem manere voluerit, necesse est etiam illa quæ damnat, tenere cogatur. Non enim vera inferebat Apostolus, cum diceret, *Neque Christus resurrexit*; et illa alia, *Inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra (I Cor. xv, 14)*; et deinceps alia quæ omnino falsa sunt, quia et Christus resurrexit, et non erat inanis prædicatio eorum qui hoc annuntiabant, nec fides eorum qui hoc crediderant: sed ista falsa verissime connectebantur illi sententiæ qua dicebatur non esse resurrectionem mortuorum. Istis autem falsis repndiatis, quoniam vera erant si mortui non resurgunt, consequens erit resurrectio mortuorum. Cum ergo sint veræ connexiones, non solum verarum, sed etiam falsarum sententiarum, facile est veritatem connexionum etiam in scholis illis discere, quæ præter Ecclesiam sunt. Sententiarum autem veritas in sanctis Libris ecclesiasticis investiganda est.

CAPUT XXXII. — *Veritas connexionum non ab hominibus instituta est, sed tantum observata.*

50. Ipsa tamen veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus et notata, ut eam possint vel discere vel docere: nam est in rerum ratione perpetua et divinitus instituta. Sicut enim qui narrat ordinem temporum, non eum ipse componit; et locorum situs, aut naturas animalium vel stirpium vel lapidum qui ostendit, non res ostendit ab hominibus institutas; et ille qui demonstrat sidera eorumque motus, non a se vel ab homine aliquo rem institutam demonstrat: sic etiam qui dicit, Cum falsum est quod consequitur, necesse est ut falsum sit quod præcedit; verissime dicit, neque ipse facit ut ita sit, sed tantum ita esse demonstrat. Ex

(a) Hoc syllogismo quidam aduersus Diogenem, ipse facta a Diogene conversione captus deridebatur

hæc regula illud est quod de apostolo Paulo commemoravimus; præcedit enim non esse resurrectionem mortuorum, quod dicebant illi quorum errorem destruere volebat Apostolus. Porro illam sententiam præcedentem, qua dicebant non esse resurrectionem mortuorum, necessario sequitur, *Neque Christus resurrexit*: hoc autem quod sequitur, falsum est; Christus enim resurrexit: falsum est ergo et quod præcedit; præcedit autem, non esse resurrectionem mortuorum: est igitur resurrectio mortuorum. Quod totum breviter ita dicitur: Si non est resurrectio mortuorum, neque Christus resurrexit: Christus autem resurrexit; est igitur resurrectio mortuorum. Hoc ergo, et consequenti ablato auferatur etiam necessario quod præcedit, non instituerunt homines, sed ostenderunt. Et hæc regula pertinet ad veritatem connexionum, non ad veritatem sententiarum.

CAPUT XXXIII. — *In falsis sententiis conclusiones veræ esse possunt, et in veris falsæ.*

51. Sed in hoc loco de resurrectione cum ageretur, et regula connexionis vera est, et ipsa in conclusione sententia. In falsis autem sententiis, connexionis veritas est isto modo: faciamus aliquem concessisse, Si animal est cochlea, vocem habet; hoc concessio, cum probatum fuerit vocem cochleam non habere, quoniam consequenti ablato illud quod præcedit auferitur, concluditur non esse animal cochleam. Quæ sententia falsa est, sed ex concessio falso vera est conclusionis connexio. Veritas itaque sententiæ per seipsam valet; veritas autem connexionis ex ejus cum quo agitur, opinione vel concessione consistit. Ideo autem, ut supra diximus, infertur vera connexione quod falsum est, ut eum cujus errorem corrigere volumus, peniteat concessisse præcedentia, quorum consequentia videt esse respuenda. Jam hinc intelligere facile est, sicut in falsis sententiis veras, sic in veris sententiis falsas conclusiones esse posse. Fac enim aliquem proposuisse, Si justus est ille, bonus est, et esse concessum; deinde assumpsisse, Non est autem justus; quo item concessio, intulisse conclusionem, Non est igitur bonus. Quæ tamen etsi vera sint omnia, non est tamen vera regula conclusionis. Non enim sicut ablato consequenti auferitur necessario quod præcedit, ita etiam ablato præcedenti auferitur necessario quod consequitur. Quia verum est, cum dicimus, Si orator est, homo est: ex qua propositione si assumamus, Non est autem orator; non erit consequens cum intuleris, Non est igitur homo.

CAPUT XXXIV. — *Aliud est nosse leges conclusionum, aliud veritatem sententiarum.*

52. Quapropter aliud est nosse regulas connexionum, aliud sententiarum veritatem. In illis discitur quid sit consequens, quid non consequens, quid repugnans. Consequens est, Si orator est, homo est: inconsequens, Si homo est, orator est: repugnans, Si homo est, quadrupes est. Hic ergo de ipsa connexione judicatur. In veritate autem sententiarum ipsæ per se sententiæ, non earum connexio consideranda est: sed veris certisque sententiis, cum incertæ

vera connexionione junguntur, etiam ipsæ certæ fiant, necesse est. Quidam autem sic se jactant, cum veritatem connexionum didicerint, quasi sententiarum ipsa sit veritas. Et rursus, quidam plerumque retinentes veram sententiam, male se contemnunt, quia leges conclusionis ignorant; cum melior sit qui novit esse resurrectionem mortuorum, quam ille qui novit consequens esse, ut si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.

CAPUT XXXV. — *Scientia definiendi et dividendi non est falsa etiam si falsis adhibeatur. Falsum quid.*

53. Item scientia definiendi, dividendi, atque partiendi, quanquam etiam rebus falsis plerumque adhibeatur, ipsa tamen falsa non est, neque ab hominibus instituta, sed in rerum ratione comperta. Non enim quia et fabulis suis poetæ, et opinionibus erroris sui vel falsi philosophi, vel etiam hæretici, hoc est, falsi christiani adhibere consueverunt, propterea falsum est neque in definiendo, neque in dividendo aut partiendo, aliquid complectendum esse quod ad rem ipsam non pertinet, aut aliquid quod pertinet prætereundum. Hoc verum est, etiam si ea quæ definiuntur aut distribuuntur, vera non sint. Nam et ipsum falsum definitur, cum dicimus falsum esse significationem rei non ita se habentis ut significatur, sive alio aliquo modo: quæ definitio vera est, quamvis falsum verum esse non possit. Possumus etiam dividere, dicentes, duo esse genera falsi: unum eorum quæ omnino esse non possunt; alterum eorum quæ non sunt, quamvis esse possint. Nam qui dicit septem et tria undecim esse, id dicit quod omnino esse non potest: qui autem dicit calendis, verbi gratia, januarii pluuisse, tamenetsi factum non sit, id tamen dicit quod fieri potuerit. Definitio igitur et divisio falsorum potest esse verissima, quamvis falsa ipsa utique vera non sint.

CAPUT XXXVI. — *Eloquentiæ præcepta vera sunt, quamvis eis interdum falsa persuadeantur.*

54. Sunt etiam quædam præcepta uberioris disputationis, quæ jam eloquentia nominatur, quæ nihilominus vera sunt, quamvis eis possint etiam falsa persuaderi: sed quia et vera possunt<sup>1</sup>, non est facultas ipsa culpabilis, sed ea male utentium perversitas. Nam neque hoc ab hominibus institutum est, ut charitatis<sup>2</sup> expressio conciliet auditorem, aut ut facile quod intendit, insinuet brevis et aperta narratio, et varietas ejus sine fastidio teneat intentos; et cæteræ hujusmodi observationes, quæ sive in falsis sive in veris causis, veræ sunt tamen, in quantum vel sciri vel credi aliquid faciunt, aut ad expetendum fugiendumve animos movent, et inventæ potius quod ita se habeant, quam ut ita se haberent institutæ.

CAPUT XXXVII. — *Quæ utilitas rhetoriæ et dialecticæ.*

55. Sed hæc pars<sup>3</sup> cum discitur, magis ut proferat

<sup>1</sup> Editi, vera esse possunt. Mss., vera possunt; supple, persuaderi.

<sup>2</sup> Editi, veritatis expressio. At Mss. octodecim, charitatis

<sup>3</sup> Unicus Ms., hæc ars. Mox editiones Bad. Am. Er. et no-

unes ea quæ intellecta sunt, quam ut intelligamus, adhibenda est. Illa vero conclusionum et definitionum et distributionum, plurimum intellectorem adjuvat: tantum absit error, quo videntur homines sibi ipsam beatæ vitæ veritatem didicisse, cum ista didicerint. Quanquam plerumque accidat ut facilius homines res eas assequantur, propter quas assequendas ista discuntur, quam tallium præceptorum nodosissimas et spinosissimas disciplinas. Tanquam si quispiam dare volens præcepta ambulandi, moneat non esse levandam posteriorem pedem, nisi cum posueris priorem, deinde minutatim quemadmodum articularum et poplitem cardines oporteat movere, describat. Vera enim dicit, nec aliter ambolari potest; sed facilius homines hæc faciendo ambulant, quam animadvertunt cum faciunt, aut intelligunt cum audiunt. Qui autem ambulare non possunt, multo minus ea curant, quæ nec experiendo possunt attendere. Ita plerumque citius ingeniosus videt non esse ratam conclusionem, quam præcepta ejus capit; tardus autem non eam videt; sed multo minus quod de illa præcipitur: magisque in his omnibus ipsa spectacula veritatis sæpe delectant, quam ex eis in disputando aut judicando adjuvamus; nisi forte quod exercitiora reddunt ingenia, si etiam maligniora aut inflatiora non reddant, hoc est, ut aut declpere verisimili sermone atque interrogationibus ament, aut aliquid magnum, quo se bonis atque innocentibus anteponant, se assecutos putent qui ista didicerunt.

CAPUT XXXVIII. — *Numerorum scientia non ex hominum instituta, sed ex rerum natura est ab hominibus adinventata.*

56. Jam vero numeri disciplina cuilibet tardissimo clarum est quod non sit ab hominibus instituta, sed potius indagata atque inventa. Non enim sicut primam syllabam Italice, quam brevem pronuntiaverunt veteres, voluit Virgilius, et longa facta est; ita quisquam potest efficere cum voluerit, ut ter terna aut non sint novem, aut non possint efficere quadratam figuram, aut non ad ternarium numerum tripla sint, ad senarium sescupla, ad nullum dupla, quia intelligibiles numeri semissem non habent. Sive ergo in seipsis considerentur, sive ad figurarum aut ad sonorum aliarumve motionum leges numeri adhibeantur, incommutabiles regulas habent, neque ullo modo ab hominibus institutas, sed ingeniosorum sagacitate compertas.

57. Quæ tamen omnia quisquis ita dilexerit, ut jactare se inter imperitos velit, et non potius querere an de sint vera, quæ tantummodo vera esse persenserit; et unde quædam non solum vera sed etiam incommutabilia, quæ incommutabilia esse comprehenderit; ac sic a specie corporum usque ad humanam mentem perveniens, cum et ipsam mutabilem invenerit, quod nunc docta, nunc indocta sit, constituta tamen inter incommutabilem supra se veritatem, et mutabilia infra se cætera, ad unius Dei laudem atque

vero Mss., cum dicitur: alii decem codices, cum dicitur. At Lov., cum discutitur.

dilectionem cuncta convertere, a quo cuncta esse cognoscit; doctus videri potest, esse autem sapiens nullo modo.

CAPUT XXXIX. — *Quibus ex supra notatis disciplinis quove animo danda opera. Leges humanae.*

58. Quamobrem videtur mihi studiosis et ingeniosis adolescentibus, et timentibus Deam, beatamque vitam querentibus, salubriter præcipi ut nullas doctrinas quæ præter Ecclesiam Christi exercentur, tanquam ad beatam vitam capessendam secure sequi audeant, sed eas sobrie diligenterque dijudicent: et si quas invenerint ab hominibus institutas, varias propter diversam voluntatem instituentium, et ignotas propter suspensiones errantium, maxime si habent etiam cum demonibus initam societatem per quarundam significationum quasi quædam pacta atque conventa; repudient penitus et detestentur; alienent etiam studium a superfluis et luxuriosis hominum institutis. Illa vero instituta hominum, quæ ad societatem conviventium valent, pro ipsa hujus vitæ necessitate non negligant. In cæteris autem doctrinis, quæ apud gentes inveniuntur, præter historiam rerum, vel præteriti temporis vel præsentis, ad sensus corporis pertinentium, quibus etiam utilium artium corporaliū experimenta et conjecturæ annumerantur, et præter rationem disputationis et numeri, nihil utile esse arbitror. In quibus omnibus tenendum est,

Ne quid nimis;  
(Terent. in Andr., act. 1, scen. 1.)

et maxime in iis quæ ad corporis sensus pertinentia,volvuntur temporibus, et continentur locis.

59. Sicut autem quidam de verbis omnibus et nominibus hebræis, et syris, et ægyptiis, vel si qua alia lingua in Scripturis sanctis inveniri potest, quæ in eis sine interpretatione sunt posita, fecerunt, ut ea separatim interpretarentur; et quod Eusebius fecit de temporum historia propter divinorum Librorum questiones, quæ usum ejus flagitant: quod ergo hi fecerunt de his rebus, ut non sit necesse christiano in multis propter pauca laborare; sic video posse fieri, si quem eorum qui possunt, benignam sane operam fraternæ utilitati delectet impendere, ut quoscumque terrarum locos, quæve animalia vel herbas atque arbores sive lapides vel metalla incognita, speciesque quaslibet Scriptura commemorat, ea generatim digerens, sola exposita litteris mandet. Potest etiam de numeris fieri, ut eorum tantummodo numerorum exposita ratio conscribatur, quos divina Scriptura meminit. Quorum aliqua aut omnia forte jam facta sunt, sicut multa quæ a bonis doctisque christianis elaborata atque conscripta non arbitrabamur, invenimus<sup>1</sup>; sed sive propter turbas negligentium, sive propter invidiorum occultationes latent. Quod utrum de ratione disputandi fieri possit, ignoro: et videtur mihi non posse, quia per totum textum Scripturarum colligata est nervorum vice; et ideo magis ad ambigua solvenda

<sup>1</sup> Er. et Lov., *conventium*; pro quo Bad. Am. et Mss., *conviventium*.

<sup>2</sup> Sic novemdecim Mss. At vulgati habent: *neque conscripta arbitramur, non invenimus*.

et explicanda, de quibus post loquemur, legentes adjuvat, quam ad incognita signa, de quibus nunc agimus, cognoscenda.

CAPUT XL.— *Ab Ethnicis si quid recte dictum, in nostrum usum est convertendum.*

60. Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostræ accommodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Ægypti non solum idola habebant et onera gravia, quæ populus Israel detestaretur et fogeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et argento, et vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto, sibi potius tanquam ad usum meliorem elancato vindicavit; non auctoritate propria, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur (*Exod. iii, 22, et xii, 35*): sic doctrinæ omnes Gentilium non solum simulata et superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacane laboris habeant, quæ unusquisque nostrum duce Christo de societate Gentilium exiens, debet abominari atque devitare; sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, et quædam morum præcepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos; quod eorum tanquam aurum et argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infusa est, eruerunt, et quo perverse atque injuriose ad obsequia dæmonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre christianus ad usum justum prædicandi Evangelii. Vestem quoque illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in usum convertenda christianum.

61. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspiciunt quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam? quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est quod eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum (*Act. vii, 22*). Quibus omnibus viris superstitiosa Gentium consuetudo, et maxime illis temporibus, cum Christi recutiens jugum Christianos persequeretur, disciplinas quas utiles habebat, nunquam commodaret, si eas in usum colendi unius Dei, quo vanus idolorum cultus excinderetur, conversum iri suspicaretur: sed dederunt aurum, et argentum, et vestem suam exeunti populo Dei de Ægypto, nescientes quemadmodum illa quæ dabant, in Christi obsequium cederent. Illud enim in Exodo factum, sine dubio figuratum est, ut hoc præsignaret; quod sine præjudicio alterius, aut parisi, aut melioris intelligentiæ dixerim.

CAPUT XLI.— *Studium Scripturæ sacræ, qualem animam requirat. Hyssopi proprietates.*

62. Sed hoc modo instructus divinarum Scripturarum studiosus, cum ad eas perscrutandas accedere cœperit, illud apostolicum cogitare non cesset; *Scientia inflat, charitas ædificat* (*I Cor. viii, 1*). Ita enim sentiet, quamvis de Ægypto dives exeat, tamen nisi Pascha egerit, salvum se esse non posse. Pascha autem nostrum immolatus est Christus (*Id. v, 7*), nihilque magis immolatio Christi nos docet, quam illud quod ipse clamat, tanquam ad eos quos in Ægypto sub Pharaone videt laborare: *Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum lenis est, et sarcina mea levis est* (*Matth. xi, 28-30*): quibus, nisi mitibus et humilibus corde, quos non inflat scientia, sed charitas ædificat? Meminerunt ergo eorum qui Pascha illo tempore per umbrarum imaginaria celebrabant<sup>1</sup>, cum signari postes sanguine agni juberentur, hyssopo suisce signatos (*Exod. xii, 22*). Herba hæc mitis et humilis est, et nihil fortius et penetrabilius ejus radicibus: ut in charitate radicanti et fundati possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et altitudo, et profundum, id est, crucem Domini: cujus latitudo dicitur in transverso ligno, quo extenduntur manus; longitudo, a terra usque ad ipsam latitudinem, quo a manibus et infra totum corpus affligitur; altitudo, a latitudine sursum usque ad summum, cui adhaeret caput<sup>2</sup>; profundum vero, quod terræ infixum absconditur. Quo signo crucis, omnis actio christiana describitur, bene operari in Christo, et ei perseveranter inhærere, sperare cœlestia, sacramenta non profanare (a). Per hanc actionem purgati valebimus cognoscere etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi<sup>3</sup>, qua æqualis est Patri, per quem facta sunt omnia, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei (*Ephes. iii, 17-19*). Est etiam in hyssopo vis purgatoria, ne inflante scientia de divitiis ab Ægypto ablati, superbe aliquid pulino tumidus anhelet: *Asperges me, inquit, hyssopo et mundabor; lavabis me, et super nivem dealabor. Audisti n eo dabis exultationem et lætitiã. Deinde consequenter annexit ut ostendat purgationem a superbia significari hyssopo, *Et exultabunt ossa humiliata* (*Psal. l, 9, 10*).*

CAPUT XLII.— *Sacræ Scripturæ cum profana comparatio.*

63. Quantum autem minor est auri, argenti vestisque copia, quam de Ægypto secum ille populus abs-

<sup>1</sup> Bad. Am. et Er., per umbram imaginariam celebrabant.

<sup>2</sup> Bad. Am. Er. et plerique Mss., ad summum quo adhaeret caput.

<sup>3</sup> Editi: Supereminentem scientiam charitatis Christi. At plures et melioris notæ Mss., scientiæ charitatem.

(a) Legendum videtur, *propalare*, quo sicut analogia ad superiora isthæc verba: *Profundum vero quod terræ infixum absconditur*. Sic in epist. 55, ad Januarium, cap. 11, n. 25, ubi dominicæ crucis partes, eundemque Apostoli ad Ephes. 3 locum ad christianos mores itidem transfert Augustinus, a Profundum, ait, quod terræ infixum est secretum sacramenti præfiguratum.

tulit, in comparatione divitiarum quas postea Jerosolymæ consecutus est, quæ maxime in Salomone rege ostenduntur (III Reg. x, 14-23); tanta sit cuncta scientia, quæ quidem est utilis, collecta de libris Gentium, si divinarum Scripturarum scientiæ comparatur. Nam quicquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur. Et cum ibi quisque invenerit omnia quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine et mirabili humilitate di-

scuntur. Hac igitur instructione præditum cum signa incognita lectorem non impediunt, mitem et numilem corde, subjugatum leniter Christo, et oneratum sarcina levi, fundatum et radicatum et ædificatum in charitate, quem scientia inflare non possit, accedat ad ambigua signa in Scripturis consideranda et discutienda, de quibus jam tertio volumine dicere aggrediar, quod Dominus donare dignabitur.

<sup>1</sup> Editi: *in charitate, quam scientia inflare.* Florique Man- quem.

## LIBER TERTIUS.

Postquam egit in superiore libro de removenda signorum ignorantia, transit nunc S. Doctor ad considerationem ambiguitatis, quæ cum in propriis tum in translatis signis occurrit. In propriis quidem ex interpunctione vocum, ex earum pronuntiatione, ex antiqui significatu: quod genus ambiguitatis ex contextu sermonis, et collatione interpretum, aut ejus linguae unde Scriptura translata est inspectione resolvi ostendit. In translatis vero signis ambiguitas contingit, cum ipsa dictio non ad litteræ sensum ponitur in Scripturis: qua de re operosus disputat, traditque regulas quibus dignoscatur an locutio figurata sit, et si quidem figurata, quo pacto debeat explicari. Ad extremam ipsius Tichonii septem regulas singulatin expendit.



### CAPUT PRIMUM. — Summa superiorum librorum, et scopus sequentis.

1. Homo timens Deum, voluntatem ejus in Scripturis sanctis diligenter inquiri. Et ne amet certamina, pietate mansuetus; præmunitus etiam scientia linguarum, ne in verbis locutionibusque ignotis hæreat; præmunitus etiam cognitione quarundam rerum necessariorum, ne vim naturamve earum quæ propter similitudinem adhibentur, ignoret; adjuvante etiam codicum veritate, quam solers emendationis diligentia procuravit: veniat ita instructus ad ambigua Scripturarum discutienda atque solvenda. Ut autem signis ambiguis non decipiatur, quantum per vos instrui potest<sup>1</sup>; fieri autem potest ut istas vias quas ostendere volumus, tanquam pueriles vel magnitudine ingenii, vel majoris illuminationis claritate derideat: sed tamen, ut coepam dicere, quantum per nos instrui potest, qui eo loco animi est, ut per nos instrui valeat, sciat ambiguitatem Scripturæ aut in verbis propriis esse, aut in translatis; quæ genera in secundo libro demonstravimus.

### CAPUT II. — Ambiguitas ex verborum distinctione quo modo tollenda.

2. Sed cum verba propria faciunt ambiguum Scripturam, primo videndum est ne male distinxerimus, aut pronuntiaverimus. Cum ergo adhibita intentio incertum esse perviderit quomodo distinguendum aut quomodo pronuntiandum sit, consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis et Ecclesiæ auctoritate percepit; de qua satis egimus, cum de rebus in primo libro loqueremur. Quod si ambæ vel etiam omnes, si plures fuerint partes, ambiguitatem secundum fidem souerint, textus ipse sermonis a præcedentibus et consequentibus partibus, quæ

ambiguitatem illam in medio posterunt, restat consulendus, ut videamus cuiam sententiæ, de pluribus quæ se ostendunt, ferat suffragium, eamque sibi contexti patiat.

3. Jam nunc exempla considera. Illa hæretica distinctio, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat*, ut alius sensus sit, *Verbum hoc erat in principio apud Deum*, non vult Verbum Deum confiteri. Sed hoc regula fidei refellendum est, quæ nobis de Trinitatis æqualitate præscribitur ut dicamus, *Et Deus erat Verbum*; deinde subjungamus, *Hoc erat in principio apud Deum* (Joan. 1, 1, 2).

4. Illa vero distinctionis ambiguitas neutra parte resistit fidei, et ideo textu ipso sermonis dijudicanda est, ubi ait Apostolus: *Et quid eligam ignoro: compellor autem ex duobus; concupiscentiam habens dissolvi, et esse cum Christo; multo enim magis optimum: manere in carne necessarium propter vos* (Philipp. 1, 23, 24). Incertum enim est utrum ex duobus concupiscentiam habens, an compellor autem ex duobus, ut illud adjungatur, *concupiscentiam habens dissolvi, et esse cum Christo*. Sed quoniam ita sequitur, *multo enim magis optimum*, apparet eum ejus optimi dicere se habere concupiscentiam, ut cum ex duobus compellatur, alterius tamen habeat concupiscentiam, alterius necessitatem; concupiscentiam scilicet esse cum Christo, necessitatem manere in carne. Quæ ambiguitas uno consequenti verbo dijudicatur, quod positum est, *enim*: quam particulam qui abstulerunt interpretes, illa potius sententiæ ducti sunt, ut non solum compelli ex duobus, sed etiam duorum habere concupiscentiam videretur. Sic ergo distinguendum est: *Et quid eligam ignoro: compellor autem ex duobus*; quam distinctionem sequitur, *concupiscentiam habens dissolvi, et esse cum Christo*. Et tanquam quaereretur quare hujus rei potius habeat concupiscentiam; *multo enim magis optimum*, inquit. Cur ergo e duobus compellitur? Quia est manendi necessitas,

<sup>1</sup> Mss. Romig. Theoderic. et Cisterc. hic addunt: *Juvante Domino, hæc demonstrare totus noster conatus est.* Floriacensis vero unicum interponit verbum, *explicabo*: utrumque ineptum glossema.

quam ita subiecit, *Manere in carne necessarium propter vos.*

5. Ubi autem neque praescripto fidel, neque ipsius sermonis textu ambiguitas explicari potest, nihil obest secundum quamlibet earum quae ostenduntur, sententiam distinguere. Veluti est illa ad Corinthios, *Has ergo promissiones habentes, charissimi, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Capite nos. Nemini nocimus* (II. Cor. VII, 1, 2). Dubium est quippe utrum, *Mundemus nos ab omni coinquinatione carnis et spiritus*, secundum illam sententiam, *Ut sit sancta et corpore et spiritu* (I Cor. VII, 34); an, *Mundemus nos ab omni coinquinatione carnis*, ut alius sit sensus, *Et spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei capite nos.* Tales igitur distinctionum ambiguitates in potestate legentis sunt.

CAPUT III.—*Qua ratione expediatur ambiguitas ex pronuntiatione. Percontatio et interrogatio quo differant.*

6. Quaecumque autem de ambiguis distinctionibus diximus, eadem observanda sunt et in ambiguis pronuntiationibus. Nam et ipsae nisi lectoris nimia vitentur incuria, aut regulis fidel corriguntur, aut praecedentis vel consequentis contextione sermonis; aut si neutrum horum adhibetur ad correctionem, nihilominus dubiae remanebant, ut quolibet modo lector pronuntiaverit, non sit in culpa. Nisi enim fides revocet, qua credimus Deum non accusaturum adversus electos suos, et Christum non condemnaturum electos suos, potest illud sic pronuntiarum, *Quis accusabit adversus electos Dei?* ut haec interrogationem quasi responsio subsequatur, *Deus qui justificat.* Et iterum interrogetur, *Quis est qui condemnat?* et respondeatur, *Christus Jesus qui mortuus est.* Quod credere quia depreciosissimum est, ita pronuntiabitur, ut praecedat percontatio, sequatur interrogatio. Inter percontationem autem et interrogationem hoc veteres interesse dixerunt, quod ad percontationem multa responderi possunt; ad interrogationem vero, aut Non, aut Etiam. Pronuntiabitur ergo ita, ut post percontationem qua dicimus, *Quis accusabit adversus electos Dei?* illud quod sequitur sono interrogantis enuntietur, *Deus qui justificat?* ut tacite respondeatur, *Non*; et item percontemur, *Quis est qui condemnat?* rursus quo interrogemus, *Christus Jesus qui mortuus est, magis autem qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui et interpellat pro nobis* (Rom. VIII, 33, 34)? ut ubique tacite respondeatur, *Non.* At vero illo loco ubi ait, *Quid ergo dicemus? Quia gentes quae non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam* (Rom. IX, 30); nisi post percontationem qua dictum est, *Quis ergo dicimus?* responsio subjiciatur, *Quis gentes quae non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam,* textus consequens non cohaerebit. Qualibet autem voce pronuntietur illud quod Nathanael dixit, *A Nazareth potest aliquid boni esse* (Joan. I, 46), sive affirmantis, ut illud solum ad interrogationem pertinet quod ait, *A Nazareth?* sive totum cum dubitatione interrogantis; non video quomodo discernatur: uterque autem sen-

sus fidem non impedit.

7. Est etiam ambiguitas in sono dubio syllabarum, et haec utique ad pronuntiationem pertinet. Nam quod scriptum est, *Non est absconditum a te os meum, quod fecisti in abscondito* (Psal. CXXXVIII, 15), non electo legenti utrum corrupta littera os pronuntiet, an producta. Si enim corripiat, ab eo quod sunt ora; si autem producat, ab eo quod sunt ora, intelligitur numerus singularis. Sed talia linguae praecedentis inspectione dijudicantur: nam in Graeco non *εστίν*, sed *εστις* positum est. Unde plerumque loquendi consuetudo vulgaris utilior est significandis rebus, quam integritas litterata. Mallem quippe cum barbarismo dici, *Non est absconditum a te os meum, quam ut ideo esset minus aperta, quia magis latinum est.* Sed aliquando dubius syllabae sonus etiam vicine verbo ad eandem sententiam pertinente dijudicatur: sicut est illud Apostoli, *Quis praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (Galat. V, 21). Si tantummodo dixisset, *Quis praedico vobis,* neque subjunxisset, *sicut praedixi,* non nisi ad eodidem praecedente linguam recurrendum esset, ut cognosceremus utrum in eo quod dixit, *praedico,* producenda an corripienda esset media syllaba: nunc autem manifestum est producendam esse; non enim ait, *Sicut praedicaui,* sed *sicut praedixi.*

CAPUT IV.—*Ambiguitas dictionis qua ratione expediatur.*

8. Non solum autem istae, sed etiam illae ambiguitates quae non ad distinctionem vel ad pronuntiationem pertinent, similiter considerandae sunt: quales illae est ad Thessalonicenses, *propterea consolati sumus, fratres, in vobis* (I Thes. III, 7). Dubium est enim utrum, *O fratres; an, Hos fratres*: neutrum autem horum est contra fidem; sed graeca lingua hoc casus pares non habet, et ideo illa inspecta resonantur vocalivus, id est, *O fratres.* Quod si voluisset interpret dicere, *Propterea consolationem habuimus, fratres, in vobis;* minus servitum esset verbis, sed minus de sententia dubitaretur: aut certe si addideretur, *Nemini, nemo fore ambiguitat vocalivum esse casum, cum audisset, Propterea consolati sumus, fratres nostri, in vobis.* Sed jam hoc periculosius permittitur. Ita factum est in illa ad Corinthios, cum ait Apostolus: *Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu* (I Cor. XV, 31). Ait enim quidam interpres, *Quotidie morior, per vestram juro gloriam;* quia in graeco vox jurantis (οι) manifesta est sine ambiguo sono. Rarissime igitur et difficillime inveniri potest ambiguitas in propria verbis, quantum ad libros divinarum Scripturarum spectat, quem non aut circumstantia ipsa sermonis qua cognoscitur scriptorum intentio, aut interpretum collatio, aut praecedentis linguae solvat inspectio.

CAPUT V.—*Scripturae figuratas locutiones ad litteram accipere servitum miserabilis.*

9. Sed verborum translatorum ambiguitates, de quibus deinceps loquendum est, non mediocre curam industriamque desiderant. Nam in principio ea-



vendum est ne figuratam locutionem ad litteram accipias. Et ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus: *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (II Cor. iii, 6). Cum enim figurate dictum sic accipitur, tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur. Neque ulla mors animæ congruentius appellatur, quam cum id etiam quod in ea bestiis antecellit, hoc est, intelligentia carni subijcitur sequendo litteram. Qui enim sequitur litteram, translata verba sicut propria tenet, neque illud quod proprio verbo significatur, refert ad aliam significationem: sed si Sabbatum audierit, verbi gratia, non intelligit nisi unum diem de septem, qui continuo volumine repetuntur; et cum audierit Sacrificium, non excedit cogitatione illud quod fieri de victimis pecorum terrenisque fructibus solet. Ea demum est miserabilis animæ servitus, signa pro rebus accipere; et supra creaturam corpoream, oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse.

CAPUT VI. — *Judaorum servitus sub signis utilibus.*

40. Quæ tamen servitus in Judæo populo longe a cæterarum gentium more<sup>1</sup> distabat; quandoquidem rebus temporalibus ita subjugati erant, ut unus eis in omnibus commendaretur Deus. Et quanquam signa rerum spiritualium pro ipsis rebus observarent, nescientes quo referrentur, id tamen insitum habebant, quod tali servitute uni omnium, quem non videbant, placerent Deo. Quam custodiam tanquam sub pedagogo parvulorum fuisse scribit Apostolus (*Galat. iii, 24*). Et ideo qui talibus signis pertinaciter inhæserunt, contemnitentem ista Dominum, cum jam tempus revelationis eorum venisset, ferre non potuerunt (*Matth. xii, 2*); atque inde calumnias, quod sabbato curaret, moliti sunt principes eorum (*Luc. vi, 7*); populusque signis illis tanquam rebus adstrictus, non credebat Deum esse, vel a Deo venisse, qui ea sicut a Judæis observabantur, nollet attendere. Sed qui crediderunt, ex quibus facta est prima Ecclesia Jerosolymitana, satis ostenderunt quanta utilitas fuerit eo modo sub pedagogo custodiri, ut signa quæ temporaliter imposita erant servitutibus, ad unius Dei cultum, qui fecit cælum et terram, opinionem observantium religarent. Namque illi quia proximi spiritualibus fuerunt (in ipsis enim temporalibus et carnalibus votis<sup>2</sup> atque signis, quamvis quomodo spiritualiter essent intelligenda nescirent, unum tamen didicerant venerari æternum Deum), tam capaces exsisterunt Spiritus sancti, ut omnia sua venderent, eorumque pretium indigentibus distribuendum, ante Apostolorum pedes ponerent (*Act. iv, 34*), seque totos dedicarent Deo tanquam templum novam, cujus terrene imaginis, hoc est, templo veteri, serviebant.

41. Non enim hoc ulla ecclesias Gentium fecisse scriptum est, quia non tam prope inventi erant, qui simulacra manufacta deos habebant.

<sup>1</sup> Vetus codex Corin., *morie*.

<sup>2</sup> Am., *reus*: pro quo Erasmus haud feliciter substituit, *coribus*. Sic etiam Lov. Al Bad. et Mss. magno consensu ferunt, *reus*, ut est, oblationibus.

CAPUT VII. — *Servitus gentium sub signis inutilibus.*

Et si quando aliqui eorum illa tanquam signa interpretari conabantur, ad creaturam colendam venerandamque referebant. Quid enim mihi prodest simulacrum, verbi gratia, Neptuni non ipsum habendum Deum, sed eo significari universum mare, vel etiam omnes aquas cæteras, quæ fontibus prouunt? sicut a quodam poeta illorum describitur, si bene recolo, ita dicente:

Tu, Neptune pater, cui tempora cana crepanti  
Cincta salo resonant, magnus cui perpete mento  
Profuit oceanus, et flumina crinibus errant.

Hæc siliqua intra dulce tectorium sonantes lapillos quatit (*n*); non est autem hominum, sed porcorum cibus. Novit quid dicam, qui Evangelium novit (*Luc. xv, 16*). Quid ergo mihi prodest quod Neptuni simulacrum ad illam significationem refertur, nisi forte ut neutrum colam? tam enim mihi statua quælibet, quam mare universum, non est Deus. Fateor tamen altius demersos esse, qui opera hominum deos putant, quam qui opera Dei; sed nobis unus diligendus et colendus Deus præcipitur (*Deut. vi, 5*), qui fecit hæc omnia, quorum illi simulacra venerantur, vel tanquam deos, vel tanquam signa et imagines deorum. Si ergo signum utiliter institutum pro ipsa re sequi, cui significandæ institutum est, carnalis est servitus; quanto magis inutilium rerum signa instituta pro rebus accipere? Quæ si retuleris ad ea ipsa quæ his significantur, eis que colendis animum obligaveris, nihilominus servilli carnalique onere atque velamine non carebis.

CAPUT VIII. — *Aliter Judæi a signorum servitute liberati, aliter Gentiles.*

42. Quamobrem christiana libertas eos quos invenit sub signis utilibus, tanquam prope inventos, interpretatis signis quibus subditi erant, elevatos ad eos res quarum illa signa sunt, liberavit: ex his factæ sunt Ecclesiæ sanctorum Israelitarum. Quos autem invenit sub signis inutilibus, non solum servilem operationem sub talibus signis, sed etiam ipsa signa frustravit removitque omnia: ut a corruptione multitudinis simulacrorum deorum, quam sæpe ac proprie Scriptura fornicationem vocat, ad unius Dei cultum Gentes convertirentur; nec sub ipsis jam signis utilibus servitute, sed exercitaturæ potius animum in eorum intelligentia spirituali.

CAPUT IX. — *Quis signorum servitute premitur, quis non. Baptismus. Eucharistia.*

43. Sub signo enim servit qui operatur aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet: qui vero aut operatur, aut veneratur utile signum divinitus institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur et transit, sed illud potius quo talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo spiritualis et liber est, etiam tempore servitutis, quo carnalibus animis nondum operet signa illa revelari, quorum jugo edomandi sunt.

Tales autem spirituales erant Patriarchæ ac Prophetae, omnesque in populo Israel per quos nobis Spiritus sanctus ipsa Scripturarum et auxilia et solatia ministravit. Hoc vero tempore posteaquam resurrectione Domini nostri manifestissimum iudicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum, quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati sumus; sed quædam pauca pro multis, eademque facta facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima ipse Dominus et apostolica tradidit disciplina: sicuti est Baptismi sacramentum, et celebratio corporis et sanguinis Domini. Quæ unusquisque cum percipit, quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spirituali potius libertate veneretur. Ut autem litteram sequi, et signa pro rebus quæ iis significatur accipere, servilis infirmitatis est; ita inutiliter signa interpretari, male vagantis erroris est. Qui autem non intelligit quid significet signum, et tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur servitute. Melius est autem vel premi incognitis, sed utilis signis, quam inutiliter ea interpretando, a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere.

CAPUT X. — Unde dignoscatur an figurata sit locutio. Regula generalis. Charitas. Cupiditas. Flagitium. Facinus. Utilitas. Beneficentia.

14. Illic autem observationi qua cavemus figuratam locutionem, id est, translatam quasi propriam sequi; adjungenda etiam illa est, ne propriam quasi figuratam velimus accipere. Demonstrandus est igitur prius modus inveniendæ locutionis, propriæ an figuratæ sit. Et iste omnino modus est, ut quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratam esse cognoscatur. Morum honestas ad diligendum Deum et proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum et proximum pertinet. Spes autem sua cuique est in conscientia propria, quemadmodum se sentit ad dilectionem Dei et proximi, cognitionemque proficere. De quibus omnibus primo libro dictum est.

15. Sed quoniam proclive est humanum genus non ex momenti ipsius libidinis, sed potius suæ consuetudinis æstimare peccata, sit plerumque ut quisque hominum ea tantum culpanda arbitretur, quæ suæ regionis et temporis homines vituperare atque damnare consueverunt; et ea tantum probanda atque laudanda, quæ consuetudo eorum cum quibus vivit, admittit: eoque contingit ut si quid Scriptura vel præceperit quod abhorret a consuetudine audientium, vel quod non abhorret culpaverit, si animum eorum jam verbi vixit auctoritas, figuratam locutionem putent. Non autem præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpatur nisi cupiditatem; et eo modo informat mores hominum. Item si animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quidquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur. Non autem asserit nisi catholicam fidem, rebus præteritis, et futuris, et præsentibus. Præteritorum narratio est, futurorum prænantio, præsentium demonstratio: sed omnia hæc ad eandem

charitatem nutriendam atque corroborandam, et cupiditatem vincendam atque extinguendam valet.

16. Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum: cupiditatem autem, motum animi ad fruendum se et proximo et quolibet corpore non propter Deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrupendum animum et corpus suum, flagitium vocatur: quod autem agit ut alteri noceat, facinus dicitur. Et hæc sunt duo genera omnium peccatorum; sed flagitia priora sunt. Quæ cum exinaniverint animum, et ad quamdam egestatem perduxerint, in facinora prosiliunt, quo removeantur impedimenta flagitiorum, aut adjumenta quaerantur. Item quod agit charitas quo sibi prosit, utilitas est: quod autem agit ut prosit proximo, beneficentia nominatur. Et hic præcedit utilitas; quia nemo potest ex eo quod non habet, prodese alteri. Quanto autem magis regnum cupiditatis destruitur, tanto charitatis augetur.

CAPUT XI. — Regula de iis quæ servitium volunt, referanturque nihilominus ex persona Dei vel sanctorum.

17. Quidquid ergo asperum et quasi ævum factu dictaque in sanctis Scripturis legitur ex persona Dei vel sanctorum ejus, ad cupiditatis regnum destruendum valet. Quod si perspicue sonat, non est ad aliud referendum quasi figurate dictum sit. Sicuti est illud Apostoli: *Thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua: iis quidem qui secundum sustinentiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem querentibus, vitam æternam; iis autem qui ex contentione sunt, et diffidunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam bonis operantis malum, Judæi primum et Græci (Rom. ii, 5-9)*. Sed hoc ad eos, cum quibus evertuntur ipsa cupiditas, qui eam vincere noluerunt. Cum autem in homine cui dominabatur, regna cupiditatis subvertuntur, illa est aperta locutio: *Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus<sup>1</sup> et concupiscentiis (Galat. v, 24)*. Nisi quia et hic quædam verba translata tractantur, sicuti est, *ira Dei, et, crucifixerunt*: sed non tam multa sunt, vel ita posita, ut obtegant sensum, et allegoriam vel ænigma faciant, quam proprie figuratam locutionem voco. Quod autem Jeremiæ dicitur, *Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipas (Jerem. i, 10)*; non dubium quin figurata locutio tota sit, ad eum finem referenda quem diximus.

CAPUT XII. — Regula de dictis et factis quasi flagitiosis imperitorum iudicio, quæ Deo vel sanctis viris tribuuntur. Facta iudicantur ex circumstantiis.

18. Quæ autem quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tantum dicta, sive etiam facta sunt, vel ex Dei

<sup>1</sup> Editi, *ritiis*; pro quo Mas., *passionibus*. Hanc vocem reddidit passim Augustinus pro *græca, totis patemasi*.

persona, vel ex hominum quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt: quorum ad ebriitatis pastam enucleanda secreta sunt. Quisquis autem rebus prætereuntibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum cum quibus vivit, aut temperans aut superstitiosus est: quisquis vero sic dis utitur, ut metas consuetudinis honorum inter quas versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. Neque ullo modo quisquam sobrius crediderit, Domini pedes ita unguento pretiosius a muliere perfusus (*Joan. xii, 3*), ut luxuriosorum et nequam hominum solent, quorum talia convivia detestamur. Odor enim bonus, fama bona est, quam quisquis bonæ vitæ operibus habuerit, dem vestigia Christi sequitur, quasi pedes ejus pretiosissimo odore perfundit. Ita quod in aliis personis plerumque flagitium est, in divina vel prophetica persona magnæ cujusdam rei signum est. Alia est quippe in perditis moribus, alia in Osee prophete vaticinatione conjunctio meretricis (*Osee 1, 2*): nec, si flagitiose in conviviis temulentorum et lascivorum nudantur corpora; propterea in balneis nodum esse flagitium est.

19. Quid igitur licitis et temporibus personisque conveniat, diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus. Fieri enim potest ut sine aliquo vitio cupiditatis<sup>1</sup> vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur; insipiens autem foedissima gulæ flamma in vilissimum ardescat. Et sanus<sup>2</sup> quisque maluerit more Domini pisce vesci (*Luc. xxiv, 43*), quam lenticula more Esau nepotis Abraham (*Gen. xxv, 34*), aut hordeo more jumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestię, quia villoribus aluntur escis. Nam in omnibus hujusmodi rebus, non ex earum rerum natura quibus utimur, sed ex causa utendi et modo appetendi vel probandum est, vel improbandum quod facimus.

20. Regno terreno veteres justi cœleste regnum imaginabantur, et prænuuntiabant. Sufficiendæ<sup>3</sup> prolis causa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo (*Id. xvi, 3, xxv, 1; et II Reg. v, 13*); et ideo unam feminam maritos habere plurimos honestum non erat: non enim mulier eo est fecundior, sed meretricia potius turpitudine est, vel quæstum vel liberos vulgo querere. In hujusmodi moribus quidquid illorum temporum sancti non libidinose faciebant, quamvis ea facerent quæ hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt, non culpant Scriptura. Et quidquid ibi tale narratur, non solum historię ac proprie, sed etiam figurate ac prophetice acceptum, interpretandum est usque in finem illum charitatis, sive Dei, sive proximi, sive utriusque.

<sup>1</sup> Editi, vitio cupiditatis; vel, cupi-tinis. Al Mss., vitio cupiditatis, id est vilioso ciborum lautiorum suaviorumque appetitu.

<sup>2</sup> Editi, et sanius quisque. Mss., sanus.

<sup>3</sup> Mss. aliquot, suscipiendæ. Alii cum editis, Sufficiendæ; quod Virgilianum est, *Georg. lib. 3, v. 63*:

Aliam ex alia generando suffice prolem.

SANCT. AUGUST. III.

Sicut enim talares et manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat; nunc autem honesto loco natis, eum tunicati sunt, non eas habere flagitium est: sic animadvertendum est, in cetero quoque rerum abesse oportere libidinem, quæ non solum ipsa eorum, inter quos vivit, consuetudine nequiter abutitur; sed etiam rursus finis ejus egressa, locutionem suam, quæ inter claustra morum solemnium latitabat, flagitiosissima eruptione manifestat.

#### CAPUT XIII. — *Continuatio ejusdem argumenti.*

21. Quidquid autem congruit consuetudini eorum cum quibus vita ista degenda vel necessitate imponitur, vel officio suscipitur, a bonis et magnis hominibus ad utilitatem et beneficentiam referendam est; vel proprie, sicut et nos debemus, vel etiam figurate, sicut Prophetis licet.

#### CAPUT XIV. — *Error opinantium nullam esse justitiam per seipsam.*

22. In quæ facta legenda cum incurrunt indocti alterius consuetudinis, nisi auctoritate reprimantur, flagitia putant; nec possunt animadvertere totam conversationem suam, vel in conjugii, vel in conviviis, vel in vestitu, cæteroque humano victu atque cultu, aliis gentibus et aliis temporibus flagitiosam videri. Qua varietate innumerabilium consuetudinum commoti quidam dormitantes, ut ita dicam, qui neque alto somno stultitiæ sopiebantur, nec in sapientiæ lucem poterant evigilare, putaverunt nullam esse justitiam per seipsam, sed unicuique genti consuetudinem suam justam videri: quæ cum sit diversa omnibus gentibus, debeat autem incommutabilis manere justitia, fieri manifestum nullam usquam esse justitiam. Non intellexerunt, ne multa commemorem, *Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris* (*Tobiæ iv, 16; Matth. vii, 12*), nullo modo posse ulla eorum gentili diversitate variari. Quæ sententia cum refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur; cum ad proximi, omnia facinora. Nemo enim vult corrumpi habitaculum suum: non ergo debet corrumpere habitaculum Dei, seipsum scilicet. Et nemo vult sibi a quoquam noceri: nec ipse igitur cuiquam nocuerit.

#### CAPUT XV. — *Regula in figuratis locutionibus servanda.*

23. Sic eversa tyrannide cupiditatis, charitas regnat justissimis legibus dilectionis Dei propter Deum, sicut et proximi propter Deum. Servabitur ergo in locutionibus figuratis regula hujusmodi, ut tam diu versetur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc jam proprie sonat, nulla putetur figurata locutio.

#### CAPUT XVI. — *Regula de locutionibus præceptivis.*

24. Si præceptiva locutio est aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. *Nisi manducaveritis, inquit, carnem filii hominis, et sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis* (*Joan. vi, 54*). Facinus vel flagitium videtur ju-

(*Tross.*)

here : figura est ergo, præcipiens passioni dominicæ communicandum, et suaviter atque utiliter recou-  
dam in memoria quod pro nobis caro ejus crucifixa  
et vulnerata sit. Ait Scriptura : *Si esurierit inimicus  
tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi.* Hic nullo du-  
bitante beneficentiam præcipit : sed quod sequitur,  
*Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput  
ejus* (*Prov. xxv, 21, 22; Rom. xii, 20*); malevolentiae  
facinus potes juberi : ne igitur dubitaveris figurate  
dictum, et cum possit dupliciter interpretari, uno  
modo ad nocendum, altero ad præstandum; ad bene-  
ficentiam te potius charitas revocet, ut intelligas car-  
bones ignis esse urentes penitentiae gemitus, quibus  
superbia sanatur ejus qui dolet se inimicum fuisse  
hominis, a quo ejus miseræ subvenitur. Item cum  
ait Dominus, *Qui amat animam suam, perdet eam*  
(*Joan. xii, 25*), non utilitatem vetare putandus est,  
qua debet quisque conservare animam suam; sed figu-  
rate dictum, *perdat animam*, id est, perimat atque  
amittat usum ejus, quem nunc habet, perversum sci-  
licet atque præposterum, quo inclinatur temporali-  
bus, ut æterna non quaerat. Scriptum est : *Da miseri-  
cordi, et ne suscipias peccatorem* (*Eccli. xii, 4*). Posterior  
pars hujus sententiæ videtur vetare beneficentiam;  
ait enim, *Ne suscipias peccatorem* : intelligas ergo figu-  
rate positum pro peccato *peccatorem*, ut peccatum  
ejus non suscipias.

CAPUT XVII. — *Alia omnibus communiter, alia sin-  
gulis seorsim præcipi.*

25. Sæpe autem accidit ut quisquis in meliori  
gradu spiritualis vitæ vel est, vel esse se putat, figu-  
rate dicta esse arbitretur, quæ inferioribus gradibus  
præcipiuntur : ut verbi gratiæ, si calibem amplexus  
est vitam, et se castravit propter regnum cælorum  
(*Math. xix, 12*), quidquid de uxore diligenda et re-  
genda sancti Libri præcipiunt, non proprie sed trans-  
late accipi oportere contendat; et si quis statuit  
servare innuptam virginem suam, tanquam figuratam  
locutionem conetur interpretari qua dictum est,  
*Trade filiam, et grande opus perfereris* (*Eccli. vii, 27*).  
Erit igitur etiam hoc in observationibus intelligenda-  
rum Scripturarum, ut sciamus alia omnibus com-  
muniter præcipi, alia singulis quibusque generibus  
personarum; ut non solum ad universum statum va-  
letudinis, sed etiam ad suam cujusque membri pro-  
prium infirmitatem medicina pertineat<sup>1</sup>. In suo quippe  
genere curandum est, quod ad melius genus non  
potest erigi.

CAPUT XVIII. — *Quo tempore quid præceptum vel  
licitum sit, considerandum.*

26. Item cavendum est ne forte quod in Scripturis  
veteribus pro illorum temporum conditione, etiamsi  
non figurate, sed proprie intelligatur, non est flagi-  
tium neque facinus, ad ista etiam tempora quis putet  
in usum vitæ posse transferri. Quod nisi dominante  
cupiditate, et ipsarum quoque Scripturarum, quibus  
evertenda est, satellitium quaerente, non faciet; nec  
intelligit miser ad hanc utilitatem illa sic esse posita,

<sup>1</sup> Mss. duodecim, *percedit*.

ut spei bonæ homines salubriter videant et consuetu-  
dinem quam asperrantur posse habere usum bonum,  
et eam quam amplexantur esse posse damnabilem,  
si et illi charitas utentium, et hic cupiditas atten-  
datur.

27. Nam si multis uxoribus caste uti qui quam pro  
tempore potuit, potest alius una libidinosè. Magis  
enim probo multarum fecunditate utentem propter  
aliud, quam unius carne fruentem propter ipsam. Ibi  
enim quaeritur utilitas temporum opportunitatibus  
congrua, hic satiatur cupiditas temporalibus volupta-  
tibus implicata: inferiorisque gradus ad Deum sunt,  
quibus secundum veniam concedit Apostolus carna-  
lem cum singulis conjugibus consuetudinem propter  
intemperantiam eorum (I Cor. vii, 2), quam illi qui  
plures singuli cum haberent, sicut sapiens in cibo et  
potu non nisi salutem corporis, sic in concubitu non  
nisi procreationem filiorum intuebantur. Itaque si eos  
in hac vita invenisset Domini adventus, cum jam non  
mittendi, sed colligendi lapides tempus esset (*Ecclie.*  
*iii, 5*), statim seipsum castrarent propter regnum cæ-  
lorum: non enim est in carendo difficultas, nisi cum  
est in habendo cupiditas. Noverant quippe illi homi-  
nes etiam in ipsis conjugibus luxuriam esse abutendi  
intemperantiam: quod Tobiae testatur oratio, quando  
est copulatus uxori. Ait enim: *Benedictus es, Domine  
Deus patrum nostrorum; et benedictum nomen tuum in  
omni sæcula sæculorum. Benedicam te cæli et omnium  
creatura tua. Tu fecisti Adam, et dedisti illi adjutorium  
Evam: et nunc, Domine, tu scis quoniam non luxurie  
causa accipio sororem meam, sed ipsa veritate, ut mi-  
sererearis nostri, Domine* (*Tob. vii, 7, 9*).

CAPUT XIX. — *Mali alios de suo astimant ingenio.*

28. Sed qui effrenata libidine, vel per multa supra  
diffuentes evagantur, vel in ipsa una conjuge, non  
solum excedunt ad liberorum procreationem perti-  
nentem modum, sed etiam inhumanioris<sup>1</sup> intempe-  
rantiae sordes inverecunda omnino licentia servilis  
cujusdam libertatis accumulunt; non credunt fieri  
potuisse ut temperaverit multis feminis antiqui ute-  
rentur viri, nihil servantes in usu illo nisi congruum  
tempori propagandæ proles officium; et quod ipsi la-  
queis libidinis obstricti, vel in una non faciunt, nulla  
modo in multis fieri posse arbitrantur.

29. Sed isti possunt dicere nec honorari quidem at-  
que laudari oportere viros bonos et sanctos, quia ipsi  
cum honorantur atque laudantur, intumescunt super-  
bia; tanto avidiores inanissimæ gloriæ, quanto eos  
frequentius atque latius lingua blandior ventilaverit;  
qua ita leves fiunt, ut eos rumoris aura, sive quæ  
prospera, sive quæ adversa existimatur, in quaslibet  
invelat voragine flagitorum, aut in facinorum etiam  
saxa collidat. Videant ergo quam sibi arduum sit at-  
que difficile nec laudis esca illici, nec contumeliarum  
aculeis penetrari; et non ex se alios metiantur.

CAPUT XX. — *In quavis vivendi ratione boni sui  
sunt similes.*

Credant potius Apostolos nostros nec cum suspi-

<sup>1</sup> Mss. ceto *inmanioris*.

coerentur ab hominibus, inflatos fuisse; nec cum despicerentur, elisos. Neutra quippe tentatio defuit illis viris: nam et credentium celebrabantur praconio, et persecutium maledictis infamabantur. Sicut ergo isti pro tempore utebantur his omnibus, et non corumpelantur; sic illi veteres, usum feminarum ad sui temporis convenientiam referentes, non patiebantur eam dominationem libidinis, cui serviunt qui ista non credunt.

30. Et ideo isti sese nullo modo cohiberent ab inexpiabili odio filiorum, a quibus vel uxores vel concubinas suas attentatas, aut atrectatas esse cognoscerent, si eis forte tale aliquid accidisset.

CAPUT XXI. — *David quanquam in adulterium lapsus, longe fuit a libidinosorum intemperantia.*

Rex autem David cum hoc ab impio atque immo filio passus esset, non solum ferocientem toleravit, sed etiam planxit extinctum (II Reg. xviii, 33). Non enim carnali zelo irretitus tenebatur, quem nullo modo injuriæ suæ, sed peccata filii commovebant. Nam ideo, si vinceretur, eum occidi prohibuerat, ut edomito servaretur poenitentis locus: et quia non potuit, non orbitatem doluit in ejus interitu, sed noverat in quas penas tam imple adultera<sup>1</sup> et parricidalis anima raperetur. Namque alio prius filio qui innocens erat, pro quo ægrotante affligebatur, moriente latatus est.

31. Ex hoc maxime apparet qua moderatione ac temperantia illi viri feminis utebantur, quod cum in unam illicite irruisset rex idem, æstu quodam ætatis et temporalium rerum prosperitatibus abreptus, cujus etiam maritum occidendum præceperat; accusatus est per prophetam: qui cum ad eum venisset convincendum de peccato, proposuit ei similitudinem de paupere qui habebat ovem unam, cujus viciniam cum haberet multas, ad adventum hospitis sui unicam potius vicini sui pauperis oviculam exhibuit epulandam. In quem commotus David occidi eum jussit, et quadruplicari ovem pauperi; ut se nesciens condemnaret, qui peccaverat sciens. Quod cum ei manifestatum esset, et divinitus denunciata vindicta, diluit poenitendo peccatum (II Reg. xii, 1-14). Sed tamen in hac similitudine stuprum tantummodo designatum est de ove vicini pauperis; de marito autem mulieris intercepto, hoc est, de ipso paupere, qui unam habebat ovem, occiso, non est per similitudinem interrogatus David, ut in solum adulterium diceret<sup>2</sup> sententiam damnationis suæ. Ex quo intelligitur quanta temperantia multas mulieres habuerit, quando de una in qua excessit modum, a seipso puniri coactus est. Sed in isto viro immoderatæ hujus libidinis non persistio, sed transitus fuit: propterea etiam ab arguente Propheta ille illicitus appetitus hospes vocatus est. Non enim dixit eum regi suo, sed hospiti suo vicini pauperis ovem ad epulandum exhibuisse. At vero in ejus filio Salomone, non quasi hospes transitum ha-

buit, sed regnum ista libido possedit: de quo Scriptura non tacuit, culpans cum fuisse amatorem mulierum (III Reg. xi, 1). Cujus tamen initia desiderio sapientiæ flagraverant (II Paralip. i, 7-12); quam cum amore spirituali adeptus esset, amore carnali amisit.

CAPUT XXII. — *Regula de Scripturæ locis, ubi laudantur facta quædam bonorum hodie moribus contraria.*

32. Ergo, quanquam omnia vel pene omnia quæ in Veteris Testamenti libris gesta continentur, non solum proprie, sed etiam figurate accipienda sint: tamen etiam illa quæ proprie lector accepit, si laudati sunt illi qui ea fecerunt, sed ea tamen abhorrent a consuetudine bonorum, qui post adventum Domini divina præcepta custodiunt; figuram ad intelligentiam referat, factum vero ipsum ad mores non transferat. Multa enim sunt quæ illo tempore officiose facta sunt, quæ modo nisi libidinosè fieri non possunt.

CAPUT XXIII. — *Regula de locis ubi magnorum virorum peccata referuntur.*

Si qua vero peccata magnorum virorum legerit, tametsi aliquam in eis figuram rerum futurarum animadvertere atque indagare potuerit; rei tamen gestas proprietatem ad hunc usum assumat, ut se nequam recte factis suis jactare audeat, et præ sua justitia cæteros tanquam peccatores contemnat, cum videat tantorum virorum et cavendas tempestates, et flenda naufragia. Ad hoc enim etiam peccata illorum hominum scripta sunt, ut Apostolica illa sententia ubique tremenda sit, qua ait: *Quapropter qui videtur stare, videat, ne cadat* (I Cor. x, 12). Nulla enim fere pagina est sanctorum Librorum, in qua non sonet quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

CAPUT XXIV. — *Ante omnia considerandum genus locutionis.*

34. Maxime itaque investigandum est utrum propria sit, an figurata locutio, quam intelligere conamur. Nam comperto quod figurata sit, adhibitis regulis rerum quas in primo libro digessimus, facile est eam versare omnibus modis, donec perveniamus ad sententiam veritatis, præsertim cum usus accesserit pietatis exercitatione roboratus. Invenimus autem utrum propria sit, an figurata locutio, illa intuentes quæ supra dicta sunt.

CAPUT XXV. — *Idem verbum non idem significat ubique.*

Quod cum apparuerit, verba quibus continetur, aut a similibus rebus ducta inveniuntur, aut ab aliqua vicinitate attingentibus.

35. Sed quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus esse præscriptum ut quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significaverit, hoc eam semper significare credamus. Nam et in vituperatione fermentum posuit Dominus, cum diceret, *Cavete a fermento Phariseorum* (Matth. xvi, 11); et in laude, cum diceret, *Simile est regnum cælorum mulieri quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ, donec fermentaretur totum* (Luc. xiii, 21).

<sup>1</sup> Ad. Er. et Mss. septem, *tam impia et adultera*. Bad., *tam impii adultera*.

<sup>2</sup> Sic Mss.; editi vero, *in solo adulterio disceres*.

36. (a) Hujus igitur varietatis observatio duas habet formas. Sic enim aliud atque aliud res quæque significant, ut aut contraria, aut tantummodo diversa significant. Contraria scilicet, cum alias in bono, alias in malo res eadem per similitudinem ponitur, sicut hoc est quod de fermento supra diximus. Tale est etiam quod leo significat Christum, ubi dicitur, *Vicit leo de tribu Juda (Apoc. v, 5)*; significat et diabolum, ubi scriptum est, *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem devoret (I Petr. v, 8)*. Ita serpens in bono est, *Astuti ut serpentes (Matth. x, 16)*; in malo autem, *Serpens Evam seduxit in astutia sua (II Cor. xi, 3)*. In bono panis, *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi (Joan. vi, 51)*; in malo, *Panes occultos libenter edite (Prov. ix, 17)*: sic et alia plurima. Et hæc quidem quæ commemoravi, minime dubiam significationem gerunt, quia exempli gratia commemorari non nisi manifesta debuerunt. Sunt autem quæ incertum sit in quam partem accipi debeant, sicut, *Calix in manu Domini vini ueri plenus est mixto*. Incertum est enim utrum iram Dei significet non usque ad novissimam poenam, id est usque ad facem; an potius gratiam Scripturarum a Judæis ad Gentes transeuntem, quia *inclinavit ex hoc in hoc*, remanentibus apud Judæos observationibus quas carnaliter sapiunt, quia *scæx ejus non est examinata (Psal. lxxiv, 9)*. Cum vero res eadem non in contraria, sed tantum in diversa significatione ponitur, illud est in exemplum, quod aqua et populum significat, sicut in Apocalypsi legimus (*Apoc. xvii, 15, et xix, 6*); et Spiritum sanctum, unde est illud, *Flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus (Joan. vii, 38)*; et si quid aliud atque aliud, pro locis in quibus ponitur, aqua significare intelligitur.

37. Sic et aliæ res non singulæ, sed unaquæque earum, non solum duo aliqua diversa, sed etiam nonnunquam multa significat, pro loco sententiæ, sicut posita reperitur.

CAPUT XXVI. — *Obscura ex locis apertioribus explicanda.*

Ubi autem apertius ponuntur, ibi descendum est quomodo in locis intelligantur obscuris. Neque enim melius potest intelligi quod dictum est Deo, *Apprehenda arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi (Psal. xxxiv, 2)*, quam ex illo loco ubi legitur, *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos (Psal. v, 13)*. Nec tamen ita ut jam ubicumque scutum pro aliquo monumento legerimus positum, non accipiamus nisi bonam voluntatem Dei: dictum est enim et *scutum fidei, in quo possitis*, inquit, *omnes sagittas maligni ignitas extinguere (Ephes. vi, 16)*. Nec rursim ideo debemus in armis hujusmodi spiritualibus scuto tantummodo fidem tribuere, cum alio loco etiam lorica dicta sit fidei: *Induit, inquit, lorica fidei et charitatis (I Thess. v, 8)*.

(a) Reliquum hujus libri, totumque librum quartum adjecti Augustinus, quando hoc opus suo ordine recognovit, ex lib. 2 Retract., cap. 4.

CAPUT XXVII. — *Eundem locum varie intelligi nihil prohibet.*

38. Quando autem ex eisdem Scripturæ verbis, non unum aliquid, sed duo vel plura sentiantur, etiam si latet quid senserit ille qui scripsit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sanctarum Scripturarum doceri potest: id tamen eo conante qui divina scrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniat auctoris, per quem Scripturam illam sanctus operatus est Spiritus; sive hoc assequatur, sive aliam sententiam de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragatur, excuspat, testimonium habens a quocumque alio loco divinorum eloquiorum. Ille quippe auctor in eisdem verbis quæ intelligere volumus, et ipsam sententiam forsitan vidit; et certe Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occurruram lectori vel auditori, sine dubitatione prævidit; imo ut occurreret, quia et ipsa est veritate subnixta, providit. Nam quid in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus providi, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina contestantia faciant approbari?

CAPUT XXVIII. — *Locus incertus tutius per alios Scripturæ locos, quam per rationem manifestatur.*

39. Ubi autem talis sensus eruitur, cujus incertum certis sanctarum Scripturarum testimoniis non possit aperiri, restat ut ratione reddita manifestus appareat, etiam si ille cujus verba intelligere querimus, eum forte non sensit. Sed hæc consuetudo periculosa est: per Scripturas enim divinas multo tutius ambulatur; quas verbis translatis opacatas cum scrutari volumus, aut hoc inde exeat quod non habeat controversiam; aut, si habet, ex eadem Scriptura ubicumque inventis atque adhibitis testibus terminetur.

CAPUT XXIX. — *Troporum cognitio necessaria*

40. Sciant autem litterati, modis omnibus locutionis, quos grammatici græco nomine tropos vocant, auctores nostros usos fuisse, et multiplicius atque copiosius, quam possunt existimare vel credere qui nesciunt eos, et in aliis ista didicerunt. Quos tamen tropos qui noverunt, agnoscunt in Litteris sanctis, eorumque scientia ad eas intelligendas aliquantulum adjuvantur. Sed hic eos ignaris tradere non decet, ne artem grammaticam docere videamur. Extra sane ut discantur admoneo, quamvis jam superius id admonuerim, id est, in secundo libro, ubi de linguarum necessaria cognitione disserui. Nam litteræ, a quibus ipsa grammatica nomen accepit, Γραμματικῆ quim Græci litteras vocant, signa utique sunt sonorum ad articulatam vocem qua loquimur pertinentium. Istorum autem troporum non solum exempla, sicut omnium, sed quorundam etiam nomina in divinis Libris leguntur, sicut allegoria, ænigma, parabola. Quamvis pone omnes ii tropi, qui liberali dicuntur arte cognosci, etiam in eorum reperiantur loquelis, qui nullos grammaticos audierunt, et eo quo vulgus utitur sermone contenti sunt. Quis enim non dicit, Sic flores? qui tropus metaphora vocatur. Quis non dicit piscinam etiam

quæ non habet pisces, nec facta est propter pisces, et tamen a piscibus nomen accepit? qui tropus catachrestis dicitur.

41. Longum est isto modo ceteros persequi: nam neque ad illos pervenit vulgi locutio, qui propterea mirabiliores sunt, quia contra quam dicitur significant, sicuti est quæ appellatur ironia vel antiphrasis. Sed ironia pronuntiatione indicat quid velit intelligi, uti cum dicimus homini mala facienti, Res bonas facis: antiphrasis vero ut contraria significet, non voce pronuntiantis efficitur, sed aut verba habet sua, quorum origo e contrario est, sicut appellatur lucus, quod minime luceat; aut consuevit aliquid ita dici, quanvis dicatur etiam non e contrario, veluti cum quærimus accipere quod ibi non est, et respondetur nobis, Abundat; aut adjunctis verbis facimus ut a contrario intelligatur quod loquimur, veluti si dicamus, Cave illum, quia bonus homo est. Et quis talia non dicit indoctus, nec omnino sciens qui sint, vel quid vocentur hi tropi? Quorum cognitio propterea Scripturarum ambiguitatibus dissolvendis est necessaria, quia cum sensus, ad proprietatem verborum si accipiatur, absurdus est, quærendum est utique ne forte illo vel illo tropo dictum sit quod non intelligimus; et sic pleraque inventa sunt quæ latebant.

CAPUT XXX. — *Regulæ Tichonii donatistæ expendantur.*

42. Tichonius quidam qui contra Donatistas invictissime scripsit, cum fuerit donatista, et illic invenitur absurdissimi cordis, ubi eos non omni ex parte relinquere voluit, fecit librum quem Regularum vocavit (α), quia in eo quasdam septem regulas exsecutus est, quibus quasi clavibus divinarum Scripturarum aperirentur occulta. Quarum primam ponit, De Domino et ejus corpore; secundam, De Domini corpore bipartito; tertiam, De promissis et Lege; quartam, De specie et genere; quintam, De temporibus; sextam, De recapitulatione; septimam, De diabolo et ejus corpore. Quæ quidem consideratæ, sicut ab illo aperiuntur, non parum adjuvant ad penetranda quæ tecta sunt divinatorum eloquiorum: nec tamen omnia quæ ita scripta sunt ut non facile intelligantur, possunt his regulis inveniri, sed aliis modis pluribus, quos hoc numero septenario usque adeo non est iste complexus, ut idem ipse multa exponat obscura, in quibus harum regularum adhibet nullam, quoniam nec opus est. Neque enim aliquid illic tale veratur aut quæritur, sicut in Apocalypsi Joannis quærit, quemadmodum intelligendi sint angeli Ecclesiarum septem, quibus scribere jubetur, et ratiocinatur multipliciter, et ad hoc pervenit ut ipsos angelos intelligamus Ecclesias (Apoc. 1, 20). In qua copiosissima disputatione nihil istarum est regularum, et utique res illic obscurissima quæritur; quod exempli gratia satis dictum sit: nam colligere omnia, nimis longum et nimis operosum est, quæ ita obscura sunt in Scripturis canonicis, ut nihil istarum septem ibi requirendum sit.

(α) Exstat in Bibliotheca Patrum, tom. 13, edit. Colon. an. 1622; et in Lugdun. an. 1677, tom. 6.

43. Iste autem cum has velut regulas commendaret, tantum eis tribuit, quasi omnia quæ in Lege, id est, in divinis Libris obscure posita invenerimus, his bene cognitis atque adhibitis intelligere valeamus. Ita quippe exorsus est eundem librum ut diceret: *Necessarium duxi ante omnia, quæ mihi videntur, libellum Regularum scribere, et secretorum Legis veluti claves et luminaria fabricare. Sunt enim quedam regulæ mysticæ, quæ universæ Legis recessus obtinent, et veritatis thesaurus aliquibus invisibiles visibiles faciunt. Quarum si ratio regularum sine invidia, ut communicamus, accepta fuerit; clausa quæque patefient, et obscura diucidabuntur; ut quis prophetiæ immensam silvam perambulans, his regulis quodammodo lucis tramitibus deductus ab errore defendatur.* Illic si dixisset, Sunt enim quedam regulæ mysticæ, quæ nonnullos Legis recessus obtinent, aut certe, quæ Legis magnos recessus obtinent; non autem quod ait, *universæ Legis recessus*: neque dixisset, *Clausa quæque patefient*, sed, *clausa multa patefient*; verum dixisset, nec tam elaborato atque utili operi verum plusquam res ipsa postulat dando, in spem falsam lectorem ejus cogitoremque misisset. Quod ideo dicendum putavi, ut liber ipse et legatur a studiosis, quia plurimum adjuvat ad Scripturas intelligendas, et non de illo speretur tantum quantum non habet. Cautè sane legendus est, non solum propter quedam in quibus ut homo erravit; sed maxime propter illa quæ sicut donatista hæreticus loquitur. Quid autem doceant vel admoneant istæ septem regulæ, breviter ostendam.

CAPUT XXXI. — *Regula prima Tichonii.*

44. Prima de Domino et ejus corpore est; in quæscientes aliquando capitis et corporis, id est, Christi et Ecclesiæ unam personam nobis intimari (neque enim frustra dictum est fidelibus, *Ergo Abrahamæ semen estis* [Galat. 3, 29], cum sit unum semen Abrahamæ, quod est Christus), non hæsitemus quando a capite ad corpus, vel a corpore transitur ad caput, et tamen non receditur ab una eademque persona. Una enim persona loquitur dicens, *sicut sponsa imposuit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento* (Isai. LXI, 10); et tamen quid horum duorum capiti, quid corpori, id est, quid Christo, quid Ecclesiæ conveniat, utique intelligendum est.

CAPUT XXXII. — *Regula secunda Tichonii.*

Secunda est de Domini corpore bipartito, quod quidem non ita debuit appellari; non enim revera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum: sed dicendum fuit, De Domini corpore vero atque permixto, aut, vero atque simulato, vel quid aliud; quia non solum in æternum, verum etiam nunc hypocritiæ non cum illo esse dicendi sunt, quanvis in ejus esse videantur Ecclesia. Unde poterat ista regula et sic appellari, ut diceretur de permixta Ecclesia. Quæ regulæ lectorem vigilantem requirit, quando Scriptura cum ad alios jam loquatur, tanquam ad eos ipsos ad quos loquebatur, videtur loqui; vel de ipsis, cum de aliis jam loquatur; tanquam unum sit utrorumque corpus, propter temporalem commixtionem et communionem

Sacramentorum. Ad hoc pertinet in Canticis canticorum, *Fusca sum et speciosa ut tabernacula Cedar, ut pelles Salomonis (Cant. 1. 5)*. Non enim ait, Fusca fui ut tabernacula Cedar, et speciosa sum ut pelles Salomonis; sed utrumque se esse dixit, propter temporalem unitatem intra una retia piscium bonorum et malorum (*Matth. XIII, 48*). Tabernacula enim Cedar ad Ismaelem pertinent, qui non erit hæres cum filio liberæ (*Gen. XXI, 10; Galat. IV, 30*). Itaque cum de bona parto Deus dicat, *Ducam cæcos in viam quam non noverunt, et semitas quas non noverunt calcabunt; et faciam illis tenebras in lucem, et prava in directum: hæc verba faciam, et non derelinquam eos: mox de alia parte, quæ male permixta est, dicit, Ipsi autem conversi sunt retro (Isai. XLII, 16, 17)*, quamvis alii jam significentur his verbis. Sed quoniam nunc in uno sunt, tanquam de ipsis loquitur de quibus loquebatur: non tamen semper in uno erunt. Ipse est quippe ille servus commemoratus in Evangelio, cujus dominus cum venerit, dividet eum, et partem ejus cum hypocritis ponet (*Matth. XXIV, 51*)

CAPUT XXXIII. — *Regula tertia Tichonii. Liber de Spiritu et Littera.*

46. Tertia regula est de Promissis et Lege, quæ alio modo dici potest de spiritu et littera, sicut nos eam appellavimus, cum de hac re librum scriberemus (a). Potest etiam sic dici, de gratia et mandato. Hæc autem magis mihi videtur magna quæstio quam regula, quæ solvendis quæstionibus adhibenda est. Hæc est quam non intelligentes Pelagiani, vel condiderunt suam hæresim, vel auxerunt. Laboravit in ea dissolvenda Tichonius bene, sed non plene. Disputans enim de fide et operibus, opera nobis dixit a Deo dari merito fidei; ipsam vero fidem sic esse a nobis, ut nobis non sit a Deo. Nec attendit Apostolum dicentem, *Pax fratribus et charitas cum fide a Deo Patre et Domino Jesu Christo (Ephes. VI, 23)*. Sed non erat expectus hanc hæresim, quæ nostro tempore exorta, multum nos, ut gratiam Dei quæ per Dominum nostrum Jesum Christum est, adversus eam defenderemus, exercuit; et secundum id quod ait Apostolus, *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis (I Cor. XI, 19)*, multo vigilantiores diligentioresque reddidit, ut adverteremus in Scripturis sanctis, quod istum Tichonium minus attentum, minusque sine hoste sollicitum fugit, etiam ipsam scilicet fidem donum illius esse qui ejus mensuram unicuique partitur (*Rom. XII, 5*). Ex qua sententia quibusdam dictum est, *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro eo patiamini (Philipp. I, 29)*. Unde quis dubitet utrumque esse Dei donum, qui fideliter atque intelligenter audit utrumque donatum? Plura sunt et alia testimonia quibus id ostenditur: sed hoc nunc non agimus; alibi autem atque alibi sæpissime ista egimus.

CAPUT XXXIV. — *Regula quarta Tichonii.*

47. Quarta Tichonii regula est de specie et genere.

<sup>a</sup> Mss. novem, *dissercnda*.

(a) Liber de Spiritu et Littera.

Sic enim eam vocat, volens intelligi speciem partem, genus autem totum, cujus ea pars est quam nuncupat speciem, sicut unaquæque civitas pars est utique universitatis gentium: hanc ille vocat speciem; genus autem omnes gentes. Neque hic ea discernendi subtilitas adhibenda est, quæ a dialecticis traditur qui, inter partem et speciem quid intersit acutissime disputant. Eadem ratio est, si non de unaquæque civitate, sed de unaquæque provincia vel gente vel regno tale aliquid in divinis reperiatur eloquiis. Non solum enim, verbi gratia, de Jerusalem, vel de aliqua gentium civitate, sive Tyro, sive Babylonia, sive alia quolibet dicitur aliquid in Scripturis sanctis, quod modum ejus excedat, et conveniat potius omnibus gentibus: verum etiam de Judæa, de Ægypto, de Assyria, et quacumque alia gente, in qua sunt plurimæ civitates, non tamen totus orbis, sed pars ejus est, dicitur quod transeat ejus modum, et congruat potius universo, cujus hæc pars est: vel sicut iste appellat, generi, cujus hæc species est. Unde et in notitiis vulgi verba ista venerunt, ut etiam idiotæ intelligant quid specialiter, quid generaliter in quocumque præcepto imperiali sit constitutum. Fit hoc etiam de hominibus; sicut ea quæ de Salomone dicuntur, excedunt ejus modum, et potius ad Christum vel Ecclesiam, cujus ille pars est, relata clarescunt.

48. Nec species semper exceditur; sæpe enim talia dicuntur quæ vel ei quoque, vel ei fortasse tantummodo apertissime congruant: sed cum a specie transitur ad genus, quasi adhuc de specie loquente Scriptura, ibi vigilare debet lectoris intentio, ne quærat in specie quod in genere potest melius et certius invenire. Facile quippe est illud quod ait propheta Ezechiel, *Domus Israel habitavit in terra, et polluerunt illam in via sua, et in idolis suis, et peccatis suis; secundum immunditiam menstruatæ facta est via eorum ante faciem meam. Et effudi iram meam super eos, et dispersi illos inter nationes, et ventilavi eos in regiones; secundum vias eorum et secundum peccata eorum judicavi eos (Ezech. XXXVI, 17-19)*: facile est, inquam, hoc intelligere de illa domo Israel, de qua dicit Apostolus, *Videte Israel secundum carnem (I Cor. X, 18)*; quia hæc omnia carnalis populus Israel et fecit, et passus est. Alia etiam quæ sequuntur, eisdem intelliguntur populo convenire: sed cum cœperit dicere, *Et sanctificabo nomen meum sanctum illud magnum, quod pollutum est inter nationes, quod polluitis in medio earum; et scient gentes quia ego sum Dominus; jam intentus debet esse, qui legit, quemadmodum species excedatur, et adjungatur genus. Sequitur enim et dicit: Et dum sanctificabor in vobis ante oculos eorum, et accipiam vos de gentibus, et congregabo vos ex omnibus terris, et inducam vos in terram vestram; et aspergam vos aqua munda, et mundabimini ab omnibus simulacris vestris, et mundabo vos: et dabo vobis cor novum, et Spiritum novum dabo in vos; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et Spiritum meum dabo in vos: et faciam ut in justitiis*

<sup>a</sup> Mss. undecim, *dissercendi*.



*maris ambuletis, et iudicia mea custodistis, et faciatis: et habitabit in terra, quam dedi patribus vestris; et eritis nihil in populum, et ego ero vobis in Deum; et mundabo vos ex omnibus immunditiis vestris* (Ezech. xxxvi, 23-29). Hoc de Novo Testamento esse prophetatum, ad quod pertinet non solum una gens illa in reliquiis suis, ne quibus alibi scriptum est, *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquæ salvæ fient* (Isai. x, 22), verum etiam cæteræ gentes, quæ promissæ sunt patribus eorum, qui etiam nostri sunt; non ambigit quisquis intuetur et lavacrum regenerationis hic esse promissum, quod nunc videmus omnibus gentibus redditum: et illud quod ait Apostolus, cum Novi Testamenti gratiam commendaret, ut in comparatione Veteris emineret, *Epistola nostra vobis estis, scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II Cor. iii, 2, 3), hinc esse respicit et perspicit ductum ubi isto propheta dicit, *Et dabo vobis cor novum, et Spiritum novum dabo in vos; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum*. Cor quippe carneum, unde ait Apostolus, *tabulis cordis carnalibus*, a corde lapideo voluit vita sentiente discerni, et per vitam sentientem significavit intelligentem. Sic fit Israel spiritualis, non unius gentis, sed omnium quæ promissæ sunt patribus in eorum semine, quod est Christus.

49. Hic ergo Israel spiritualis ab illo Israele carnali, qui est unius gentis, novitate gratiæ, non nobilitate patriæ, et mente non gente distinguitur: sed altitudo prophetica dum de illo vel ad illum loquitur, latenter transit ad hunc; et cum jam de isto vel ad istum loquatur, adhuc de illo vel ad illum loqui videtur; non intellectum Scripturarum nobis quasi hostiliter invicentis, sed exercens medicinaliter nostrum. Unde et illud quod ait, *Et inducam vos in terram vestram*; et paulo post, tanquam idipsum repetens, *Et habitabit in terra quam dedi patribus vestris*; non carnaliter sicut carnalis Israel, sed spiritualiter sicut spiritualis debemus accipere. Ecclesia quippe sine macula et ruga (Ephes. v, 27) ex omnibus gentibus congregata, atque in æternum regnatura cum Christo, ipsa est terra beatorum, terra viventium (Psal. xxvi, 13); ipsa intelligenda est patribus data, quando eis certa et incommutabili Dei voluntate promissa est: quoniam ipsa promissionis vel prædestinationis is firmitate jam data est, quæ danda suo tempore a patribus credita est; sicut de ipsa gratia quæ sanctis datur, scribens ad Timotheum Apostolus ait, *Non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante sæcula æterna, manifestata aut nunc per adventum Salvatoris nostri* (II Tim. i, 9, 10). Datam dixit gratiam, quando nec erant adhuc quibus daretur; quoniam in dispositione ac prædestinatione Dei jam factum erat quod suo tempore futurum erat, quod ipse dicit mani estatum. Quamvis hæc possint intelligi et de terra futuri sæculi, quando erit cælum novum et terra nova (Apoc. xxi, 1), in qua iniusti habitare non poterunt. Et ideo recte dicitur piis quod ipsa sit terra

eorum, quæ ulla ex parte non erit impiorum; quia et ipsa similiter data est, quando danda firmata est.

#### CAPUT XXXV. — Regula quinta Tichonii.

50. Quintam Tichonius regulam ponit, quam de temporibus appellat: qua regula plerumque inveniri vel conjici possit latens in Scripturis sanctis quantitas temporum. Duobus autem modis vigere dicit hanc regulam; aut tropo synecdoche, aut legitimis numeris. Tropus synecdoche, aut a parte totum, aut a toto partem facit intelligi: sicut unus evangelista post dies octo factum dicit, quod alius post dies sex, quando in monte discipulis tantum tribus presentibus facies Domini fuisit ut sol, et vestimenta ejus sicut nix (Luc. ix, 28; Matth. xvii, 1, 2; Marc. ix, 1, 2). Utrumque enim verum esse non posset, quod de numero dierum dictum est, nisi ille qui dixit, *post dies octo*, intelligatur partem novissimam diei ex quo id Christus prædixit futurum, et partem primam diei quo id estendit impletum, pro totis diebus duobus atque integris posuisse; is vero qui dixit, *post dies sex*, integros omnes et totos, sed solos medietate computasse. Hoc modo locutionis, quo significatur a parte totum, etiam illa de resurrectione Christi solvitur quæstio. Pars enim novissima diei quo passus est, nisi pro toto die accipiatur, id est, adjuncta etiam nocte præterita; et nox in cujus parte ultima resurrexit, nisi totus dies accipiatur, adjuncto scilicet die illucescente dominico, non possunt esse tres dies et tres noctes, quibus se in corde terræ prædixit futurum (Matth. xii, 40).

51. Legitimos autem numeros dicit, quos eminentius divina Scriptura commendat, sicut septenarium, vel denarium, vel duodenarium, et quicumque alii sunt, quos legendo studiosi libenter agnoscunt. Plerumque enim hujusmodi numeri pro universo tempore ponuntur: sicut, *Septies in die laudabo te* (Psal. cxviii, 164), nihil est aliud quam, *Semper laus ejus in ore meo* (Psal. xxxiii, 2). Tantumdem valent et cum multiplicantur, sive per denarium, sicut septuaginta et septingenti; unde possunt et septuaginta anni Jeremiæ (Jerem. xxv, 11) pro universo tempore spiritualiter accipi, quo est apud alienos Ecclesia: sive per seipsos, sicut decem per decem, centum sunt; et duodecim per duodecim, centum quadraginta quatuor; quo numero significatur universitas sanctorum in Apocalypsi (Apoc. vii, 4). Unde apparet non solas temporum quæstiones istis numeris esse solvendas, sed latius patere significationes eorum, et in multa proserpere. Neque enim numerus iste in Apocalypsi ad tempora pertinet, sed ad homines.

#### CAPUT XXXVI. — Regula sexta Tichonii.

52. Sextam regulam Tichonius Recapitulationem vocat, in obscuritate Scripturarum satis vigilantem inventam. Sic enim dicuntur quædam quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cum ad priora quæ prætermissa fuerant, latenter narratio revocetur: quod nisi ex hac regula intelligatur, erratur. Sicut in Genesi, *Et plantavit, inquit, Dominus Deus paradysum in Eden ad orientem, et posuit ibi hominem quem formavit; et produxit Deus ad huc et*



usque quantum visum est, satis egimus; non solum admonendi sunt studiosi venerabilium Litterarum, ut in Scripturis sanctis genera locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat, vigilantiter advertant, memoriterque retineant; verum etiam, quod est præcipuum et maxime necessarium, orent ut intelligant. In eis quippe Litteris, quarum studiosi sunt,

legunt quoniam *Dominus dat sapientiam, et a facie ejus scientia et intellectus.* (Prov. II, 6); a quo et ipsorum studium, si pietate præditum est, acceperunt. Sed hæc satis etiam de signis, quantum ad verba pertinet dicta sunt. Restat ut de proferendis eis quæ sentimus, sequenti volumine, quæ Dominus donaverit, disseramus.

## LIBER QUARTUS.

hactenus de investigando Scripturæ sensu, nunc demum agitur de disserendo. Et quidem rhetoricæ artis præcepta ad hujus libri institutum pertinere non vult Augustinus; sed tamen summa diligentia christiani oratoris partes præstantissimos imitandos proponit, ex eorum scriptis elocutionis exempla in vario dicendi genere subjiciens. Postremo ipsum ecclesiasticum hortatur, ut in primis orationi det operam; et quod veritas docet alios, id omnino vita et moribus præstat.



**CAPUT PRIMUM.** — *Rhetoricæ præcepta tradere non est hujus instituti.*

1. Hæc opus nostrum quod inscribitur de Doctrina Christiana, in duo quædam fueram prima distributione partitus. Nam post præcæmium, quo respondi eis qui hoc fuerant reprehensuri: *Dux sunt res, inquam, quibus nititur omnis tractatio Scripturarum; modus inveniendi quæ intelligenda sunt, et modus proferendi quæ intellecta sunt. De inveniendi prius, de proferendo postea disseremus.* Quia ergo de inveniendi multa jam diximus, et tria de hac una parte volumina absolvimus, Domino adjuvante, de proferendo pauca dicemus; ut, si fieri potuerit, uno libro cuncta claudamus, totumque hoc opus quatuor voluminibus terminetur.

2. Primo itaque expectationem legentium, qui forte me putant rhetorica daturum esse præcepta quæ in scholis sæcularibus et didici et docui, ista prælocutione colibeo, atque ut a me non expectentur, admonero: non quod nihil habeant utilitatis; sed quod, si quid habent, seorsum discendum est, si cui fortassis bono viro etiam hæc vacat discere, non autem a me vel in hoc opere, vel in aliquo alio requirendum.

**CAPUT II.** — *Rhetorica facultas christianum doctorem uti convenit.*

3. Nam cum per artem rhetoricam et vera suadeantur et falsa, quis audeat dicere, adversus mendacium in defensoribus suis incriminari debere consistere veritatem, ut videlicet illi qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum, vel docilem præcæmio facere; isti autem non noverint? illi falsa breviter, aperte, verisimiliter; et isti vera sic narrent, ut audire lædeat, intelligere non pateat, credere postremo non libeat? illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem; isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare? illi animos audientium in errore moventes impellentesque dicendo terreant, contristent, exhilarent, exhortentur ardentur; isti pro veritate, lenti frigidique dormitent? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Cum ergo sit in medio posita facultas eloquii, quæ ad persuadendam seu prava seu recta valet plurimum; cur non

bonorum studio comparatur, ut militet veritati, si eam mali ad obtinendas perversas vanasque causas in usus iniquitatis et erroris usurpant?

**CAPUT III.** — *Rhetoricæ præcepta quæ ætate, quæ ratione disci possunt.*

4. Sed quæcumque sunt de hac re observationes atque præcepta, quibus cum accedit in verbis plurimum ornamentisque verborum exercitatoris linguæ solertissima consuetudo, sit illa quæ facundia vel eloquentia nominatur; extra istas litteras nostras, seposito ad hoc congruo temporis spatio, apta et convenienti ætate discenda sunt eis qui hoc celerriter possunt. Nam et ipsos Romanæ principis eloquentiæ non piguit dicere quod hanc artem nisi quis cito possit, nunquam omnino possit perdiscere (*Cicero, de Oratore*). Quod utrum verum sit, quid opus est querere? Non enim, etiam si possint hæc a tardioribus tandem aliquando perdisci, nos ea tantum pendimus, ut eis discendis jam maturas vel etiam graves hominum ætates velimus impendi. Satis est ut adolescentulorum ista sit cura; nec ipsorum omnium quos utilitati ecclesiasticæ cupimus erudiri, sed eorum quos nondum magis urgens, et huic rei sine dubio præponeuda necessitas occupavit. Quoniam si acutum et fervens adsit ingenium, facilius adhæret eloquentiæ legentibus et audientibus eloquentes, quam eloquentiæ præcepta sectantibus. Nec desunt ecclesiasticæ litteræ, etiam præter canonem in auctoritatis arce salubriter collocatum, quas legendo homo capax, etsi id non agat, sed tantummodo rebus quæ ibi dicuntur intentus sit, etiam eloquio quo dicuntur, dum in his versatur, imbuatur; accedente vel maxime exercitatione sive scribendi, sive dictandi, postremo etiam dicendi, quæ secundum pietatis ac fidei regulam sentit. Si autem tale desit ingenium, nec illa rhetorica præcepta capiuntur; nec, si magno labore inculcata quantalacumque ex parte capiantur, aliquid prosunt. Quandoquidem etiam ipsi qui ea didicerunt, et copiose ornateque dicunt, non omnes ut secundum ipsa dicant, possunt ea cogitare cum dicunt, si non de his disputant: imo vero vix ullos eorum esse existimo, qui utrumque possint, et dicere bene, et ad hoc faciendum præcepta illa dicendi cogitare cum dicunt. Cavendum est enim ne fugiant ex animo quæ dicenda sunt, dum attenditur

terra omne lignum speciosum, et bonum in escam; ita videtur dictum tanquam id factum sit posteaquam factum posuit Deus hominem in paradiso: cum breviter utroque commemorato, id est, quod plantavit Deus paradysum, et posuit ibi hominem quem formavit, recapitulando redeat et dicat quod præterminiserat, quomodo scilicet paradysus fuerit plantatus, quia produxit Deus adhuc de terra omne lignum speciosum et bonum in escam. Denique secutus adjunxit: *Et lignum vitæ in medio paradisi, et lignum scientiæ boui et mali.* Deinde flumen, quo paradysus irrigaretur, divisum in quatuor principia fluviorum quatuor, explicatur; quod totum pertinet ad institutionem paradisi. Quod ubi terminavit, repetivit illud quod jam dixerat, et revera hoc sequebatur, atque ait: *Et sumpsit Dominus Deus hominem quem finxit, et posuit eum in paradiso (Gen. ii, 8, 9), etc.* Post ista enim facta ibi est positus homo, sicut nunc ordo ipse demonstrat: non post hominem ibi positum facta sunt ista, sicut prius dictum putari potest, nisi recapitulatio illic vigilanter intelligatur, qua reditur ad ea quæ fuerant prætermissa.

53. Itemque in eodem libro, cum commemorarentur generationes filiorum Noe, dictum est: *Illi filii Cham in tribubus suis, secundum linguas suas in regionibus suis<sup>1</sup> et in gentibus suis.* Enumeratis quoque filiis Sem dicitur: *Hi filii Sem in tribubus suis, secundum linguas suas in regionibus suis et in gentibus suis.* Et annectitur de omnibus: *Hæ tribus filiorum Noe, secundum generationes eorum et secundum gentes eorum. Ab his dispersæ sunt insulæ gentium super terram post diluvium. Et erat omnis terra labium unum, et vox una omnibus (Id. x, 20, 31, 32, et xi, 1).* Hoc itaque quod adjunctum est, *Et erat omnis terra labium unum, et vox una omnibus*, id est, una lingua omnium, ita dictum videtur tanquam eo jam tempore, quo dispersi fuerant super terram etiam secundum insulas gentium, una fuerit omnibus lingua communis; quod procul dubio repugnat superioribus verbis, ubi dictum est, *In tribubus suis secundum linguas suas.* Neque enim dicerentur habuisse jam linguas suas singulæ tribus, quæ gentes singulas fecerant, quando erat omnibus una communis. Ac per hoc recapitulando adjunctum est, *Et erat omnis terra labium unum, et vox una omnibus*, latenter narratione redeunte, ut diceretur quomodo factum sit, ut ex una omnium lingua fuerint divisi per multas: et continuo de illa turris ædificatione narratur, ubi hæc eis iudicio divino ingesta est pena superbiæ; post quod factum dispersi sunt super terram secundum linguas suas.

54. Fit ista recapitulatio etiam obscurius: sicut in Evangelio Dominus dicit, *Die quo exiit Loth a Sodomia, pluit ignem de caelo, et perdidit omnes: secundum hæc erit dies Filii hominis, quo revelabitur. Illa hora, qui erit in tecto, et vasa ejus in domo, non descendat tollere illa; et qui in agro, similiter non revertatur retro: meminerit uxoris Loth (Luc. xvii, 29-32; Gen. xix, 20).* Numquid cum Dominus fuerit revelatus,

<sup>1</sup> Mss. quatuor, in generationibus. cæteri codices, in regionibus; juxta versionem LXX, in tæis chorais.

tunc sunt ista servanda, ne quisque retro respiciat, id est, vitam præteritam cui renuntiavit, inquiret; et non potius isto tempore, ut cum Dominus fuerit revelatus, retributionem pro eis quæ quisque servavit vel contempsit, inveniat? Et tamen quia dictum est, *In illa hora*, tunc putantur ista servanda, cum fuerit Dominus revelatus, nisi ad intelligendam recapitulationem, sensus legentis invigilet, adjuvante alia Scriptura quæ ipsorum Apostolorum adhuc tempore clamavit, *Filii, novissima hora est (I Joan. ii, 18).* Tempus ergo ipsum quo Evangelium prædicatur, quousque Dominus reveletur, hora est in qua oportet ista servari; quia et ipsa revelatio Domini ad eandem horam pertinet, quæ die iudicii terminabitur (*Rom. ii 5, et xiii, 11*).

#### CAPUT XXXVII. — Regula septima Tichonii.

55. Septima Tichonii regula est, eademque postrema, De diabolo et ejus corpore. Est enim et ipse caput impiorum, qui sunt ejus quodammodo corpus, ituri cum illo in supplicium ignis æterni (*Math. xxv, 41*): sicut Christus caput est Ecclesiæ, quod est corpus ejus, futurum cum illo in regno et gloria sempiterna (*Ephes. i, 22*). Sicut ergo in prima regula, quam vocat de Domino et ejus corpore, vigilandum est ut intelligatur, cum de una eademque persona Scriptura loquitur, quid conveniat capiti, quod corpori; sic et in ista novissima, aliquando in diabolum dicitur quod non in ipso, sed potius in ejus corpore possit agnosci, quod habet non solum in eis qui manifestissime foris sunt, sed in eis etiam qui cum ad ipsum pertineant, tamen ad tempus miscentur Ecclesiæ, donec unusquisque de hac vita exeat, vel a frumento palca ventilabro ultimo separetur (*Luc. iii, 17*). Quod enim scriptum est apud Isaiam, *Quomodo cecidit de caelo Lucifer mane oriens (Isai. xiv, 12)*, et cætera, quæ sub figura regis Babylonix de eadem persona, vel ad eandem personam dicta sunt in ipsa contextione sermonis, de diabolo utique intelliguntur; et tamen quod ibi dictum est, *Contritum est in terra, qui mittit ad omnes gentes*, non totum ipsi capiti congruit. Nam etsi mittit ad omnes gentes diabolus angelos suos, tamen in terra corpus ejus, non ipse, conteritur; nisi quia ipse est in corpore suo, quod contritum fit ut pulvis, quem projicit ventus a facie terræ (*Psal. i, 4*).

56. Hæc autem omnes regulæ, excepta una, quæ vocatur De promissis et Lege, aliud ex alio faciunt intelligi, quod est proprium tropicæ locutionis, quæ latius patet quam ut possit, ut mihi videtur, ab aliquo universa comprehendi. Nam ubicumque velut aliud dicitur ut aliud intelligatur, etsi nomen ipsius tropi in loquendi arte non invenitur, tropica locutio est. Quæ cum fit ubi fieri solet, sine labore sequitur intellectus: cum vero ubi non solet, laboratur ut intelligatur, ab aliis magis, ab aliis minus, sicut magis minusve dona Dei sunt in ingenis hominum, vel adjutoria tribuuntur. Proinde sicut in verbis propriis, de quibus superius disputavimus, ubi res ut dicuntur intelligendæ sunt; sic in translatis quæ faciunt tropicas locutiones, ubi aliud ex alio intelligendum est, de quibus hæc

usque quantum visum est, satis egimus; non solum admonendi sunt studiosi venerabilium Litterarum, ut in Scripturis sanctis genera locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat, vigilantiter advertant, memoriterque retineant; verum etiam, quod est præcipuum et maxime necessarium, orent ut intelligant. In eis quippe Litteris, quarum studiosi sunt,

legunt quoniam *Dominus dat sapientiam, et a facie ejus scientia et intellectus.* (Prov. II, 6); a quo et ipsum studium, si pietate præditum est, acceperunt. Sed hæc satis etiam de signis, quantum ad verba pertinet dicta sint. Restat ut de proferendis eis quæ sentimus, sequenti volumine, quæ Dominus donaverit, disseramus.

## LIBER QUARTUS.

Hactenus de investigando scripturæ sensu, nunc demum agitur de disserendo. Et quidem rhetoricæ artis præcepta ad hujus libri institutum pertinere non vult Augustinus; sed tamen summa diligentia christiani oratoris partes perscrutantissimos imitandos proponit, ex eorum scriptis elocutionis exempla in vario dicendi genere subjiciens. Postremo ipsum ecclesiam hortatur, ut in primis orationi det o, eram; et quod veritas docet alios, id omnino vita et moribus præset.



CAPUT PRIMUM. — *Rhetoricæ præcepta tradere non est hujus instituti.*

1. Hoc opus nostrum quod inscribitur de Doctrina Christiana, in duo quædam fueram prima distributione partitus. Nam post præcimum, quo respondi eis qui hoc fuerant reprehensuri: *Dux sunt res, inquam, quibus nititur omnis tractatio Scripturarum; modus inveniendi quæ intelligenda sunt, et modus proferendi quæ intellecta sunt. De inveniendi prius, de proferendo postea disseremus.* Quia ergo de inveniendi multa jam diximus, et tria de hac una parte volumina absolvimus, Domino adjuvante, de proferendo pauca dicemus; ut, si fieri poterit, uno libro cuncta claudamus, totumque hoc opus quatuor voluminibus terminetur.

2. Primo itaque expectationem legentium, qui forte me putant rhetorica daturum esse præcepta quæ ibi scholæ secularibus et didici et docui, ista præcutione colibeo, atque ut a me non expectentur, admonéo: non quod nihil habeant utilitatis; sed quod, si quid habent, seorsum discendum est, si cui fortassis bono viro etiam hæc vacat discere, non autem a me vel in hoc opere, vel in aliquo alio requirendum.

CAPUT II. — *Rhetorica facultate christianum doctorem uti convenit.*

3. Nam cum per artem rhetoricam et vera suadeantur et falsa, quis audeat dicere, adversus mendacium in defensoribus suis incriminem debere consistere veritatem, ut videlicet illi qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum, vel docilem præmio facere; isti autem non noverint? illi falsa breviter, aperte, verisimiliter; et isti verâ sic narrent, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere postremo non liceat? illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem; isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare? illi animos audientium in errorem moventes impellentesque dicendo terreant, contristent, exhilarent, exhortentur ardentur; isti pro veritate, lenti frigidique dormitent? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Cum ergo sit in medio posita facultas eloqui, quæ ad persuadendam seu prava seu recta valet plurimum; cur non

honorum studio comparatur, ut militet veritati, si eam mali ad obtinendas perversas vanasque causas in usus iniquitatis et erroris usurpant?

CAPUT III. — *Rhetoricæ præcepta qua ætate, quæ ratione disci possunt.*

4. Sed quæcumque sunt de hac re observationes atque præcepta, quibus cum accedit in verbis plurimis ornamentisque verborum exercitatoris lingue solertissima consuetudo, sit illa quæ facundia vel eloquentia nominatur; extra istas litteras nostras, seposito ad hoc congruo temporis spatio, apta et convenienti a tate discenda sunt eis qui hoc celeriter possunt. Nam et ipsos Romanæ principes eloquentiæ non piguit dicere quod hanc artem nisi quis cito possit, nunquam omnino possit perdiscere (*Cicero, de Oratore*). Quod utrum verum sit, quid opus est querere? Non enim, etiam si possint hæc a tardioribus tandem aliquando perdisci, nos ea tanti pendimus, ut eis discendis jam naturas vel etiam graves hominum artes velimus impendi. Satis est ut adolescentulorum ista sit cura; nec ipsorum omnium quos utilitati ecclesiasticæ cupimus erudiri, sed eorum quos nondum magis urgens, et huic rei sine dubio præponeuda necessitas occupavit. Quoniam si acutum et fervens adsit ingenium, facilius adhæret eloquentia legentibus et audientibus eloquentes, quam eloquentiæ præcepta sectantibus. Nec desunt ecclesiasticæ litteræ, etiam præter canonem in auctoritatis arce salubriter collocatum, quas legendo homo capax, etsi id non agat, sed tantummodo rebus quæ ibi dicuntur intentus sit, etiam eloquio quo dicuntur, dum in his versatur, imbuatur; accedente vel maxime exercitatione sive scribendi, sive dictandi, postremo etiam dicendi, quæ secundum pietatis ac fidei regulam sentit. Si autem tale desit ingenium, nec illa rhetorica præcepta capiuntur; nec, si magno labore inculcata quantalacumque ex parte capiantur, aliquid prosunt. Quandoquidem etiam ipsi qui ea didicerunt, et copiose ornateque dicunt, non omnes ut secundum ipsa dicant, possunt ea cogitare cum dicunt, si non de his disputant: imo vero vix ullos eorum esse existimo, qui utrunque possint, et dicere bene, et ad hoc faciendum præcepta illa dicendi cogitare cum dicunt. Cavendum est enim ne fugiant ex animo quæ dicenda sunt, dum attenditur

ut arte dicantur. Et tamen in sermonibus atque dietionibus eloquentium, impleta reperuntur præcepta eloquentiæ, de quibus illi ut eloquerentur, vel cum eloquerentur, non cogitaverunt, sive illa didicissent, sive ne attigissent quidem. Implent quippe illa, quia eloquentes sunt; non adhibent, ut sint eloquentes.

5. Quapropter, cum ex infantibus loquentes non fiant, nisi locutiones discendo loquentium; cur eloquentes fieri non possunt, nulla eloquendi arte tradita, sed elocutiones eloquentium legendo et audiendo, et quantum assequi conceditur, imitando? Quid, quod ita fieri ipsis quoque experimur exemplis? Nam sine præceptis rhetoricis novimus plurimos eloquentiores plurimis qui illa didicerunt; sine lectis vero et auditis eloquentium disputationibus vel dictionibus, neminem. Nam neque ipsa arte grammatica, qua discitur locutionis integritas, indigerent pueri, si eis inter homines, qui integre loquerentur, crescere daretur et vivere. Nescientes quippe ulla nomina vitiorum, quidquid vitiosum cuiusquam ore loquentis audirent, sana sua consuetudine reprehenderent et caverent; sicut rusticos urani reprehendunt, etiam qui litteras nesciunt.

#### CAPUT IV. — *Officium doctoris christiani.*

6. Debet igitur divinarum Scripturarum tractator et doctor, defensor rectæ fidei ac debellator erroris, et bona docere, et mala dedocere; atque in hoc opere sermonis conciliare adversos<sup>1</sup>, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant intimare. Ubi autem benevolos, intentos, dociles aut invenerit, aut ipse fecerit, cætera peragenda sunt, sicut postulat causa. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est, si tamen indigeat, ut res de qua agitur innotescat. Ut autem quæ dubia sunt certa fiant, documentis adhibitis ratiocinandum est. Si vero qui audiunt movendi sunt potius quam docendi, ut in eo quod jam sciunt, agendo non torpeant, et rebus assensum, quas veras esse fatentur, accommodent, majoribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes et increpationes, concitationes et coercitiones, et quæcumque alia valent ad commovendos animos, sunt necessaria.

7. Et hæc quidem cuncta quæ dixi, omnes fere homines in iis quæ eloquendo agunt<sup>2</sup>, facere non quiescunt.

CAPUT V. — *Interest magis ut sapienter dicat christianus orator, quam ut eloquenter. Unde consequi id valeat.*

Sed cum alii faciunt obtuse, deformiter, frigide; alii acute, ornate, vehementer; illum ad hoc opus unde agimus, jam oportet accedere, qui potest disputare vel dicere sapienter, etiamsi non potest eloquenter, ut prosit audientibus, etiamsi minus quam prodesset, si et eloquenter posset dicere. Qui vero affluit insipienti eloquentia, tanto magis cavendus est, quanto magis ab eo in iis quæ audire inutile est, delectatur auditor, et cum quoniam diserte dicere audit, etiam

vere dicere existimat. Hæc autem sententia nec illos fugit, qui artem rhetoricam docendam putarunt: fassi sunt enim sapientiam sine eloquentia parum profdesse civitatibus<sup>3</sup>; eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, profdesse nunquam (*Cicero, lib. 1 de Inventione*). Si ergo hoc illi qui præcepta eloquentiæ tradiderunt, in eisdem libris in quibus id egerunt, veritate instigante coacti sunt confiteri, veram, hoc est, supernam quæ a Patre luminum descendit, sapientiam nescientes; quanto magis nos non aliud sentire debemus, qui hujus sapientiæ filii et ministri sumus? Sapienter autem dicit homo tanto magis vel minus, quanto in Scripturis sanctis magis minusve profecit. Non dico in eis nullum legendis memoriæque mandandis, sed bene intelligendis, et diligenter earum sensibus indagandis. Sunt enim qui eas legunt, et negligunt; legunt ut teneant, negligunt ne intelligant. Quibus longe sine dubio præferendi sunt qui verba earum minus tenent, et cor earum sui cordis oculis vident. Sed utrisque ille melior, qui et cum volet eas dicit, et sicut oportet intelligit.

8. Huic ergo qui sapienter debet dicere, etiam quod non potest eloquenter, verba Scripturarum tenere maxime necessarium est. Quanto enim se pauperiorem cernit in suis, tanto cum oportet in istis esse ditiores; ut quod dixerit suis verbis, probet ex illis; et qui propriis verbis minor erat, maiorum<sup>4</sup> testimonio quodammodo crescat. Probando enim delectat, qui minus potest delectare dicendo. Porro qui non solum sapienter, verum etiam eloquenter vult dicere, quoniam profecto plus poterit, si utrumque poterit; ad legendos vel audicendos et exercitatione imitandos eloquentes cum mitto libentius, quam magistris artis rhetoriæ vacare præcipio: si tamen ii qui leguntur et audiuntur, non solum eloquenter, sed etiam sapienter dixisse vel dicere veraci prædicatione laudantur. Qui enim eloquenter dicunt, suaviter; qui sapienter, salubriter audiuntur. Propter quod non ait Scriptura, Multitudo eloquentium; sed, *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum* (*Sap. vi, 26*). Sicut autem sæpe sumenda sunt et amara salubria, ita semper vitanda est pernicioza dulcedo. Sed salubri suavitate, vel suavi salubritate quid melius? Quanto enim magis illic appetitur suavitas, tanto facilius salubritas prodest. Sunt ergo ecclesiastici viri qui divina eloquia non solum sapienter, sed eloquenter etiam tractaverunt: quibus legendis magis non sufficit tempus, quam deesse ipsi studentibus et vacantibus possunt.

CAPUT VI. *Sapientia juncta cum eloquentia in sacris auctoribus.*

9. Hic aliquis forsitan quaerit utrum auctores nostri, quorum scripta divinitus inspirata canonem nobis saluberrima auctoritate fecerunt, sapientes tantummodo, an eloquentes etiam nuncupandi sint. Quæ quidem quaestio apud meipsum, et apud eos qui necum quod dico sentiunt, facillime solvitur. Nam

<sup>1</sup> *vel. Am. Er. et septem Mss., aversos.*

<sup>2</sup> *Duo Mss., quæ loquendo arguunt.*

<sup>3</sup> *lov., civibus. Alii editi et Mss., civitatibus.*

<sup>4</sup> *Mss. duo e Vatic., myorum.*

ubi eos intelligo, non solum nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes qui recte intelligunt quod illi loquuntur, simul intelligere non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quædam eloquentia quæ magis ætatem juvenilem decet, est quæ senilem; nec jam dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentis: ita est quædam, quæ viros summa auctoritate dignissimos planeque divinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit; alios autem, quanto videtur humilior, tanto alius non ventositate, sed soliditate transcendit. Ubi vero non eos intelligo, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est ubi intelligo. Ipsa quoque obscuritas divinarum salubriumque dictorum tali eloquentiæ miscenda fuerat, in qua proficere noster intellectus, non solum inventionem, verum etiam exercitationem deberet.

10. Possem quidem, si vacaret, omnes virtutes et ornamenta eloquentiæ, de quibus instantur isti qui linguam suam nostrorum auctorum linguæ, non magnitudine, sed timore præponunt, ostendere in istorum Litteris sacris, quos nobis erudiendis, et ab hoc sæculo pravo in beatum sæculum transferendis, providentia divina providit. Sed non ipsa me plus quam dici potest in illa eloquentia delectant, quæ sunt his viris cum oratoribus Gentilium poetisve communia: illud magis admiror et stupeo, quod ista nostra eloquentia ita usi sunt per alteram quamdam eloquentiam suam, ut nec deesset eis, nec emineret in ois: quia eam nec improbari ab illis, nec ostentari oportebat; quorum alterum fieret, si vitaretur; alterum putari posset, si facile agnosceretur. Et in quibus forte locis agnoscitur a doctis, tales res dicuntur, ut verba quibus dicuntur, non a dicente adhibita, sed ipsis rebus vel sponte subijuncta videantur: quasi sapientiam de domo sua, id est, pectore sapientis procedere intelligas, et tanquam inseparabilem famulam etiam non vocatam sequi eloquentiam.

CAPUT VII. — *Pulchre docet, adductis exemplis, in sacris Litteris inesse germanam eloquentiam, quæ sapientiæ adhæret velut inseparabilis comes. Exemplum ponuntur ex Epistolis Pauli, et ex Amos propheta. Exemplum aliud sanæ eloquentiæ ex Amos 6, 1.*

11. Quis enim non videat quid voluerit dicere, et quam sapienter dixerit Apostolus: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom. v, 3-5)*? Hic si quis, ut ita dixerim, imperite peritis, artis eloquentiæ præcepta Apostolum secutum fuisse contemnat, nonne a Christianis doctis indoctisque ridebitur? Et tamen agnoscitur hic figura, quæ *κλίμαξ* græcè, latine vero a quibusdam est appellata gradatio, quoniam scilicet dicere noluerunt, cum verba vel sensa connectuntur alterum ex altero; sicut hic, ex tribulatione patientiam, ex patientia proba-

tionem, ex probatione spem connexam videmus. Agnoscitur et aliud decus, quoniam post aliqua pronuntiationis voce singula finita, quæ nostri membra et cæsa, Græci autem *κῶλα* et *κόμματα* vocant, sequitur ambitus sive circuitus, quem *περίοδος* illi appellant, cujus membra suspenduntur voce dicentis, donec ultimo finiatur. Nam eorum quæ præcedunt circuitum, membrum illud est primum, *quoniam tribulatio patientiam operatur*; secundum, *patientia autem probationem*; tertium, *probatio vero spem*. Deinde subjungitur ipse circuitus, qui tribus peragitur membris, quorum primum est, *spes autem non confundit*; secundum, *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*; tertium, *per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. At hæc aliqua hujusmodi in elocutionis arte traduntur. Sicut ergo Apostolum præcepta eloquentiæ secutum fuisse non dicimus, ita quod ejus sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus.

12. Scribens ad Corinthios, in secunda Epistola redarguit quosdam, qui erant ex Judæis pseudoapostoli, eique detrahebant: et quoniam seipsum prædicare compellitur, hanc sibi velut insipientiam tribuens, quam sapienter dicit, quamque eloquenter? sed comes sapientiæ, dux eloquentiæ; illam sequens, istam præcedens et sequentem non respiciens. *Iterum dico, inquit, ne quis me existimet insipientem esse; alioquin velut insipientem suscipite me, ut et ego modicum quid gloriar. Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in stultitia, in hac substantia gloriæ. Quoniam quidem multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor. Libenter enim sustinetis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Toleratis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmati simus. In quo autem quis audeat (in insipientia dico), audeo et ego. Hebræi sunt? et ego. Israelitæ sunt? et ego. Semen Abraham sunt? et ego. Ministri Christi sunt? (insipiens dico) super ego<sup>1</sup>. In laboribus plurimum, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus sæpius. A Judæis quinquies, quadraginta una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci: nocte et die in profundo maris fui; in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore et arumna, in vigiliis sæpius, in fame et siti, in jejuniis sæpius, in frigore et nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt, incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Si gloriari oportet, in his quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor (II Cor. xi, 16-30). Quanta sapientia ista sint dicta vigilantes vident. Quanto vero etiam eloquentiæ concurrerint flumine, et qui sterit advertit.*

13. Porro autem qui novit, agnoscit quod ea causa

<sup>1</sup> Miss. duo, plus ego. At alii omnes cum editis, super ego. Græcè, super ego. ubi interpretes verba magis reddidit quam sententiam.

que *ἄμματα* Græci vocant, et membra, et circuitus, de quibus paulo ante disserui, cum decentissime varietate interponerentur, totam istam speciem dictionis, et quasi ejus vultum, quo etiam indocti delectantur moventurque, fecerunt. Nam unde cœpimus hunc locum inserere, circuitus sunt: primus minimus, hoc est bimembris; minimus enim quam duo membra circuitus habere non possunt, plura vero possunt: ergo ille primus est, *Iterum dico, ne quis me existimet insipientem esse*. Sequitur alius trimembris, *Alioquin velut insipientem suscipite me, ut et ego modicum quid glorier*. Tertius qui sequitur membra habet quatuor, *Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in stultitia, in hac substantia gloriæ*. Quartus duo habet, *Quaerquidem multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor*. Et quintus habet duo, *Libenter enim sustinetis insipientes, cum sitis ipsi sapientes*. Etiam sextus bimembris est, *Toleratis enim, si quis vos in servitute redigit*. Sequuntur tria cæsa, *Si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur*. Deinde tria membra, *Si quis in faciem vos credidit, secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmati simus*. Additur trimembris circuitus, *In quo autem quis audet (in insipientia dico), audco et ego*. Hinc jam singulis quibusque cæsis interrogando positis, singula iisdem cæsis responsione redduntur, tria tribus, *Hebræi sunt? et ego. Israëlites sunt? et ego. Semen Abrahamæ sunt? et ego*. Quarto autem cæso simili interrogazione posito, non alterius cæsi, sed membri oppositione respondet, *Ministri Christi sunt? (insipienti dico) super ego*. Jam cæsa quatuor sequentia, remota decentissime interrogazione funduntur, *In laboribus plurimum, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus sapiens*. Deinde interponitur brevis circuitus, quoniam suspensa pronuntiatione distinguendum est<sup>1</sup>, *A Judæis quinquies, ut hoc ait unum membrum, cui connectitur alterum, quadraginta una vinitus accepti*. Inde redditur ad cæsa, et ponuntur tria, *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci*. Sequitur membrum: *Nocte ac die in profundo maris fui*. Deinde quatuordecim cæsa decentissimo impetu profluunt, *In itinere sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore et ærumna, in vigiliis sæpius, in fame et siti, in jejuniis sæpius, in frigore et nuditate*. Post hæc interponit trimembrem circuitum, *Præter illa quæ extrinsecus sunt, incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Et huic duo membra percontatione subjungit, *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Postremo totus iste quasi anhelans locus, bimembris circuitu terminatur, *Si gloriari oportet, in iis quæ infirmitatis vestræ sunt gloriabor*. Quod vero post hunc impetum interposita narratiuncula quodammodo requiescit, et requiescere facit auditorem, quid decoris, quid delectationis habeat, satis dici non potest. Sequitur enim dicens: *Deus et Pater Domini*

<sup>1</sup> Mss. quatuor, qui suspensa pronuntiatione distinguendus est.

nostri Jesu Christi scilicet, qui est benedictus in sæcula, quod non mentior (II Cor. xi, 31). Ac deinde quomodo periclitatus fuerit, et quomodo evaserit, brevissime narrat.

14. Longum est cætera persequi, vel in aliis sanctorum Scripturarum locis ista monstrare. Quid, si etiam figuras locutionis quæ illa arte traduntur, in iis saltem quæ de Apostoli eloquio commemoravi, ostendere voluissem? nonne facilius graves homines me nimium, quam quisquam studiosorum sibi sufficientem putarent? Hæc omnia quando a magistris doceantur, pro magno habentur, magno emuntur pretio, magna jactatione venduntur. Quam jactationem etiam ego redolere vereor, dum ista sic dissero. Sed male doctis hominibus respondendum fuit, qui nostros auctores contemnendos putant, non quia non habent, sed quia non ostentant, quam nimis isti diligunt, eloquentiam.

15. Sed forte quis putat, tanquam eloquentem nostrum elegisse me apostolum Paulum. Videtur enim ubi ait, *Etsi imperitus sermone, sed non scientia (Ibid., 6)*, quasi concolendo obrectatoribus sic locutus, non tanquam id verum agnosceret, confitendo. Si autem dixisset, *Imperitus quidem sermone, sed non scientia*<sup>1</sup>, nullo modo aliud posset intelligi. Scientiam plane non cunctatus est profiteri, sine qua esse doctor Gentium non valeret. Certe si quid ejus proferimus ad exemplum eloquentiæ, ex illis Epistolis utique proferrimus, quas etiam ipsi obrectatores ejus, qui sermone presentis contemptibilem putari volebant, graves et fortes esse confossi sunt (Ibid. x, 10). Dicendum ergo mihi aliquid esse video et de eloquentia Prophetarum, ubi per tropologiam multa obtegentur. Quæ quanto magis translatis verbis videntur operiri, tanto magis cum fuerint aperta dulcescant. Sed hoc loco tale aliquid commemorare debeo, ubi quæ dicta sunt non cogar exponere, sed commendem tantum quomodo dicta sint. Et ex illius propheta libro potissimum hoc faciam, qui se pastorem vel armentarium fuisse dicit, atque inde divinitus ablatum atque missum, ut Dei populo prophetaret (Amos vii, 14, 15). Non autem secundum Septuaginta interpretes, qui etiam ipsi divino Spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spirituales sensum scrutandum magis admoneretur lectoris intentio; unde etiam obscuriora nonnulla, quia magis tropica, sunt eorum: sed sicut ex hebræo in latinum eloquium, presbytero Hieronymo utriusque linguæ perito interpretante, translata sunt.

16. Cum igitur argueret impios, superbos, luxuriosos, et fraternæ ideæ negligentissimos charitatis, rusticus vel ex rustico iste propheta exclamavit, dicens: *Væ qui oplantur cæcis in Sion, et confiditis in monte Samaria, optimates capita populorum, ingredientiæ pompaticæ domum Israel! Transit in Chalamne, et videte, et ite inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palesinorum, et ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est. Qui sepa-*

<sup>1</sup> Sic Bad. Am. Er. et Mss. At Lov., et non addidisset, sed non scientia



rați estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armeni: qui canitis ad vocem Psalterii. Sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti: et nihil patiebantur super contritione Joseph (Amos vi, 1-6). Numquidnam isti, qui Prophetas nostros tanquam ineruditos et elocutionis ignaros veluti docti disertique contemnunt, si aliquid eis tale vel in tales dicendum fuisset, aliter se voluissent dicere, qui tamen eorum insanire noluisse?

17. Quid enim est quod isto eloquio anres sobriæ plus desiderent? Primo ipsa invectio, quasi sopitis sensibus ut evigilarent. quo fremitu illisa est? *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel!* Dein, de ut beneficiis Dei, qui eis ampla spatia regni dedit, ostendat ingratos, quoniam confidebant in monte Samariæ, ubi utique idola colebantur, *Transite, inquit, in Chalanne, et videte, et ite inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est.* Simul etiam cum ista dicuntur, locorum nominibus tanquam luminibus ornatur eloquium, quæ sunt Sion, Samaria, Chalanne, Emath magna, et Geth Palæstinorum. Deinde verba quæ his adjunguntur locis, decentissime variantur: *Opulenti estis, confiditis, transite, ite, descendite.*

18. Consequenter denuntiatur futura sub iniquo rege appropinquare captivitas, cum adjungitur, *Qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis.* Tunc subjiciuntur merita luxuriæ, *Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armeni.* Ista sex membra tres bimembres circuitus ediderunt. Non enim ait, Qui separati estis in diem malum, qui appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, qui lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti; si ita diceretur, esset quidem et hoc pulchrum, ut ab uno pronomine repetito singula sex membra decurrerent, et pronuntiantis voce singula finirentur: sed pulchrius factum est, ut eidem pronomini essent bina subnexa, quæ tres sententias explicarent; unam ad captivitatis prænnuntiationem, *Qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis;* alteram ad libidinem, *Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris;* ad voracitatem vero tertiam pertinentem, *Qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti:* ut in potestate sit pronuntiantis, utrum singula uniat, et membra sint sex, an primum et tertium et quintum voce suspendat, et secundum primum, quartum tertio, sextum quinto connectendo, tres bimembres circuitus decentissime faciat; unum quo calamitas imminens, alterum quo lectus impurus, tertium quo prodiga mensa monstretur.

19. Deinde luxuriosam remordet aurium voluptatem. Ubi cum dixisset, *Qui canitis ad vocem psalterii,*

quoniam potest exerceri sapienter a sapientibus musica, mirabilis decore dicendi, invectio impetu relaxato, et non ad illos, sed de illis jam loquens, ut nos musicam sapientis a musica luxuriantis distinguere commoneret, non ait, Qui canitis ad vocem psalterii, et sicut David putatis vos habere vasa cantici: sed cum illud ad illos dixisset, quod luxuriosi audire deberent, *Qui canitis ad vocem psalterii,* imperitiam quoque eorum aliis quodammodo indicavit, adjungens, *Sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti.* Tria hæc melius pronuntiantur, si suspensis duobus prioribus membris circuitus, tertio finiuntur.

20. Jam vero quod his omnibus adjicitur, *Et nihil patiebantur super contritione Joseph,* sive continuatim dicatur ut unum sit membrum, sive decentius suspendatur, et nihil patiebantur, et post hanc distinctionem inseratur, *super contritione Joseph,* atque sit bimembris circuitus; miro decore non dictum est, Nihil patiebantur super contritione fratris, sed positus est pro fratre, *Joseph,* ut quicumque frater proprio significaretur ejus nomine, cujus ex fratribus fama præclara est, vel in malis quæ pendit, vel in bonis quæ rependit. Iste certe tropus ubi Joseph quemcumque fratrem facit intelligi, nescio utrum illa quam didicimus et docuimus, arte tradatur. Quam sit tamen pulcher, et quemadmodum afficiat legentes atque intelligentes, non opus est cuiquam dici, si ipse non sentit.

21. Et plura quidem, quæ pertinent ad præcepta eloquentiæ, in hoc ipso loco, quem pro exemplo posuimus, possunt reperiri. Sed bonum auditorem, non tam si diligenter discutiatur, instruit, quam si ardentem pronuntietur, accendit. Neque enim hæc humana industria composita, sed divina mente sunt fusa et sapienter et eloquenter; non intenta in eloquentiam sapientia, sed a sapientia non recedente eloquentia. Si enim, sicut quidam disertissimi atque acutissimi viri videre ac dicere potuerunt, ea quæ velut oratoria arte discuntur, non observarentur et notarentur, et in hanc doctrinam non redigerentur, nisi prius in oratorum invenirentur ingeniis; quid mirum si et in istis inveniantur, quos ille misit qui facit ingenia? Quapropter et eloquentes quidem, non solum sapientes, canonicos nostros auctores doctoresque fateamur, tali eloquentia<sup>1</sup>, qualis personis ejusmodi congruebat.

CAPUT VIII. — *Obscuritas sacrorum auctorum licet eloquens, non imitanda a doctoribus christianis.*

22. Sed nos etsi de litteris eorum, quæ sine difficultate intelliguntur nonnulla sumimus elocutionis exempla; nequaquam tamen potare debemus imitandos eos nobis esse in iis quæ ad exercendas et eliminandas quodammodo mentes legentium, et ad rumpendas fastiditæ atque acuta studia discere volentium, celandos quoque, sive ut ad pietatem convertantur, sive ut a mysteriis secludantur, animos impiorum, utili ac salubri obscuritate dixerant. Sic quippe illi lo-

<sup>1</sup> Bad. Am. Er. et Mss. septem, tali eloquentia usos.

<sup>2</sup> Mss. tres, zelandos. Sic etiam Bad. Am. et Er.

cuti sunt, ut posteriores qui eos recte intelligerent et exponerent, alteram gratiam, disparem quidem, veruntamen subloquentem in Dei Ecclesia reperirent. Non ergo expositores eorum ita loqui debent, tanquam se ipsi exponendos simili auctoritate proponant; sed in omnibus sermonibus suis primitus ac maxime ut intelligantur elaboret, ea quantum possunt perspicuitate dicendi, ut aut multum tardus sit qui non intelligat, aut in rerum quas explicare atque ostendere volumus difficultate ac subtilitate, non in nostra locutione sit causa quo minus tardiusve quod dicimus possit intelligi.

CAPUT IX. — *Difficilius intellectus apud quos et quomodo tractanda.*

23. Sunt enim quedam quævi sua non intelliguntur, aut vix intelliguntur, quantolibet et quantunlibet, quamvis planissime, dicentis versentur eloquio; quæ in populi audientiam, vel raro, si aliquid urget, vel nunquam omnino mittenda sunt. In libris autem, qui ita scribuntur ut ipsi sibi quodammodo lectorem teneant cum intelliguntur, cum autem non intelliguntur molesti non sint molentibus legere, et in aliquorum colloctionibus<sup>1</sup>, non est hoc officium deserendum, ut vera, quamvis difficillima ad intelligendum, quæ ipsi jam percepimus, cum quantumcumque labore disputationis ad aliorum intelligentiam perducamus, si tenet auditorem vel collocutorem discendi cupiditas, nec mentis capacitas desit, quæ quoquo modo intimata possit accipere; non curante illo qui docet, quanta eloquentia doceat, sed quanta evidentia.

CAPUT X. — *Perspicuitatis in dicendo studium.*

24. Cujus evidentia diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet atque intimet quod ostendere intendit. Unde ait quidam, cum de tali genere locutionis ageret, esse in ea quamdam diligentem negligentiam (*Cicero, in Oratore*). Hæc tamen sic detrahit ornatum, ut sordes non contrahat. Quamvis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit, vel esse debeat, ut verbum quod nisi obscurum sit vel ambiguum, latinum esse non potest, vulgi autem more sic dicitur ut ambiguitas obscuritasque vitetur, non sic dicatur ut a doctis, sed potius ut ab indoctis dici solet. Si enim non piguit dicere interpretes nostros, *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus (Psal. xv, 4)*, quoniam senserunt ad rem pertinere, ut eo loco pluraliter enumeraretur hoc nomen, quod in latina lingua tantummodo singulariter dicitur; cur pietatis doctorem piget imperitis loquentem, ossum potius quam os dicere, ne ista syllaba non ab eo quod sunt ossa, sed ab eo quod sunt ora intelligatur, ubi Afræ aures de correptione vocalium vel productione non judicant? Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino

<sup>1</sup> In prius editis, cum intelliguntur, molesti non sint volentibus legere: cum autem non intelliguntur, molesti non sunt molentibus legere. Et in aliquorum, etc. Hunc locum Mss. subsidio liberavimus ab inepto glossemate, et a prava interpunctione, quæ a se invicem distrahebat partes propositionis hujus: in libris autem..... non est hoc officium deserendum.

nulla sit causa, si quod loquimur non intelligant, propter quos ut intelligant loquimur? Qui ergo docet, vitabit omnia verba quæ non docent; et si pro eis alia integra, quæ intelligantur, potest dicere, id magis eligit: si autem non potest, sive quia non sunt, sive quia in præsentia non occurrunt, utetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipsa doceatur atque discatur integre.

25. Et hoc quidem non solum in colloctionibus, sive fiant cum aliquo uno, sive cum pluribus; verum etiam multo magis in populis quando sermo promitur, ut intelligamur instandum est. Quia in colloctionibus est cuique interrogandi potestas: ubi autem omnes tacent ut audiatur unus, et in eum intenta ora convertant, ibi ut requirat quisque quod non intellexerit, nec moris est nec decoris; ac per hoc debet maxime tacenti subvenire cura dicentis. Solet autem motu suo significare utrum intellexerit cognoscendi avida multitudo: quod donec significet, versandum est quod agitur, multimoda varietate dicendi; quod in potestate non habent, qui præparata et ad verbum memoriter retenta pronuntiant. Mox autem ut intellectum esse constiterit, aut sermo finiendus, aut in alia transeundum est. Sicut enim gratus est qui cognoscenda enubilat; sic onerosus est qui cognita inculcat, eis duntaxat quorum tota expectatio in dissolvenda eorum, quæ paudentur, difficultate pendeat. Nam delectandi gratia etiam nota dicuntur; ubi non ipsa, sed modus quo dicuntur attenditur. Quod si et ipse jam notus est, atque auditoribus placet, pene nihil interest utrum is qui dicit, dictor vel lector sit. Solent enim et ea quæ commode scripta sunt, non solum ab iis quibus primitus innotescunt, jucunde legi; verum ab iis etiam quibus jam nota sunt, neque adhuc illa de memoria delevit oblivio, non sine jucunditate relægi, vel ab utrisque libenter audiri. Quæ autem quisque jam oblitus est, cum commoneatur, docetur. Sed de modo delectandi nunc non ago; de modo quo docendi sunt qui discere desiderant, loquor. Is autem est optimus, quo fit ut qui audit, verum audiat, et quod audit intelligat. Ad quem finem cum ventum fuerit, nihil tunc amplius de ipsa re tanquam diutius docenda laborandum est, sed forte de commendanda ut in corde figatur: quod si faciendum videbitur, ita modeste faciendum est, ne perveniatur ad Ledium.

CAPUT XI. — *Quare conanti docere dicendum perspicue, non tamen insuaviter.*

26. Prorsus hæc est in docendo eloquentia, qua fit dicendo, non ut libeat quod horrebat, aut ut fiat quod pigebat, sed ut appareat quod latebat. Quod tamen si fiat insuaviter, ad paucos quidem studiosissimos suos pervenit fructus, qui ea quæ discenda sunt, quamvis abjecte inculteque dicantur, scire desiderant. Quod cum adepti fuerint, ipsa delectabiliter veritate pascuntur: bonorumque ingeniorum insignis est idoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil querimus nisi patere quod clausum est. Sed

quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes atque discentes, propter fastidia plurimorum, etiam ipsa sine quibus vivi non potest, alimenta condenda sunt.

CAPUT XII. — *Oratoria est docere, delectare, flectere, ex Cicerone, de Oratore. Quo modo hæc tria præstare debet.*

27. Dixit ergo quidam eloquens, et verum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Deinde addidit: *Docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ* (Cicero, de Oratore). Horum trium quod primo loco positum est, hoc est docendi necessitas, in rebus est constituta quas dicimus; reliqua duo, in modo quo dicimus. Qui ergo dicit cum docere vult, quandiu non intelligitur, nondum se existimet dixisse quod vult ei quem vult docere. Quia etsi dixit quod ipse intelligit, nondum illi dixisse putandus est, a quo intellectus non est: si vero intellectus est, quocumque modo dixerit, dixit. Quod si etiam delectare vult cum cui dicit, aut flectere, non quocumque modo dixerit, faciet; sed interest quomodo dicat, ut faciat. Sicut est autem, ut tenentur ad audiendum, delectandus auditor; ita flectendus, ut moveatur ad agendum. Et sicut delectatur, si suaviter loquaris; ita flectitur, si amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas amplectatur, quod dolendum exaggeras doceat; cum quid lætandum prædicas gaudeat, misereatur eorum quos miserandos ante oculos dicendo constituis; fugiat eos quos cavendos terrendo proponis; et quidquid aliud grandi eloquentia fieri potest ad commovendos animos auditorum, non quid agendum sit ut sciant, sed ut agant quod agendum esse jam sciunt.

28. Si autem adhuc nesciunt, prius utique docendi sunt quam movendi. Et fortasse rebus ipsis cognitis ita movebuntur, ut eos non opus sit majoribus eloquentiæ viribus jam moveri. Quod tamen cum opus est, faciendum est: tunc autem opus est, quando cum scierint quid agendum sit, non agunt. Ac per hoc docere necessitatis est. Possunt enim homines et agere et non agere quod sciunt. Quis autem dixerit eos agere debere quod nesciunt? Et ideo flectere necessitatis non est, quia non semper opus est, si tantum docenti vel etiam delectanti consentit auditor. Ideo autem victoriæ est flectere, quia fieri potest ut doceatur et delectetur, et non assentiatur. Quid autem illa duo proderunt, si desit hoc tertium? Sed neque delectare necessitatis est: quandoquidem cum dicendo vera monstrantur, quod ad officium docendi pertinet, non eloquio agitur, neque hoc attenditur, ut vel ipsa vel ipsum delectet eloquium, sed per se ipsa, quoniam vera sunt, manifestata delectant. Unde plerumque delectant etiam falsa patefacta atque convicta. Neque enim delectant, quia falsa sunt; sed quia falsa esse verum est, delectat et dictio qua hoc verum esse monstratum est.

CAPUT XIII. — *Dicendo demum flectendi animi.*

29. Propter eos autem quibus fastidientibus non

placet veritas, si alio quocumque modo, nisi eo modo dicatur, ut placeat et sermo dicentis, datus est in eloquentia non parvus etiam delectationi locus. Quæ tamen addita non sufficit duris, quos nec intellexisse, nec docentis elocutione delectatos esse profuerit. Quid enim hæc duo conferunt homini, qui et constitetur verum, et collaudat eloquium, nec inclinat assensum, propter quem solum, cum aliquid suadetur, rebus quæ dicuntur invigilat dicentis intentio? Si enim talia docentur quæ credere vel nosse sufficiat, nihil est aliud eis consentire, nisi constiteri vera esse. Cum vero id docetur quod agendum est, et ideo docetur ut agatur, frustra persuadetur verum esse quod dicitur; frustra placet modus ipse quod dicitur, si non ita discitur ut agatur. Oportet igitur eloquentem ecclesiasticum, quando suadet aliquid quod agendum est, non solum docere ut instruat, et delectare ut toneat, verum etiam flectere ut vincat. Ipse quippe jam remanet ad consensionem flectendus eloquentiæ granditate, in quo id non egit usque ad ejus confessionem demonstrata veritas, adjuncta etiam suavitate dictionis.

CAPUT XIV. — *Dictionis suavitatis pro ratione argumenti procuranda est.*

30. Cui suavitati tantum operæ impensum est ab hominibus, ut non solum non faciendæ, verum etiam fugienda ac detestanda tot et tanta mala atque turpia, quæ malis et turpibus disertissime persuasa sunt, non ut eis consentiatur, sed sola delectationis gratia, lectitentur. Avertat autem Deus ab Ecclesia sua quod de synagoga Judæorum Jeremias propheta commemorat dicens: *Pavor et horrenda facta sunt super terram: Prophetæ prophetabant iniqua, et sacerdotes plausum dederunt manibus suis, et plebs mea dilexit sic. Et quid facietis in futurum* (Jerem. v, 50, 51)? O eloquentia tanto terribilior, quanto purior; et quanto solidior, tanto vehementior! O vere securis concidens petras! huic enim rei simile esse verbum suum, quod per sanctos Prophetas fecit, per hunc ipsum prophetam Deus ipse dixit (*Id. XLVI, 22*). Absit itaque, absit a nobis, ut sacerdotes plaudant iniqua dicentibus, et plebs Dei diligat sic. Absit a nobis, inquam, tanta demontia: nam quid faciemus in futurum? Et certe minus intelligantur, minus placeant, minus moveant quæ dicuntur; verumtamen dicantur; et justa<sup>1</sup>, non iniqua libenter audiantur: quod utique non fieret, nisi suaviter dicerentur.

31. In populo autem gravi, de quo dictum est Deo, *In populo gravi laudabo te* (*Psal. XXXIV, 18*), nec illa suavitatis delectabilis est, quæ non quidem iniqua dicuntur, sed exigua et fragilia bona spumeo verborum ambitu ornantur, quali nec magna atque stabilia decenter et graviter ornarentur. Est tale aliquid in epistola beatissimi Cypriani, quod ideo puto vel accidisse, vel consulto factum esse, ut sciretur a posteris, quam linguam doctrinæ christianæ sanitas ab ista redundantiâ revocaverit, et ad eloquentiam gravio rem modestioremque restrinxerit; qualis in ejus conse-

<sup>1</sup> Sic MSS. melioris notæ. At editi, *vera tamen dicuntur et justa.*

quæ omnibus litteris secure amatur, religioso appetitur, sed difficillime impletur. Ait erga quosdam loco: *Petamus hanc eodem: dant successum vicina secreta; ubi dum erratici pulsantur lapsus pendulis nexibus per arundines bajulas repunt, vitæam porticum frondea testis fecerunt* (Cypr., *Epist. 1 ad Donatum*). Non dicuntur ista nisi mirabiliter affluentissima fecunditate facundiam, ac profusione nimia gravitati displiceant. Qui vero hæc amant, profecto eos qui non ita dicunt, sed castigatius eloquuntur, non posse ita eloqui existimant, non iudicio ista deviare. Quapropter iste vir sanctus et posse se ostendit sic dicere, quia dixit alicubi, et nollo, quoniam postmodum nunquam.

CAPUT XV. — *Orandus Deus doctore ecclesiastico ante concionem.*

32. Agit itaque noster iste eloquens, cum et iusta et sancta et bona dicit, neque enim alia debet dicere; agit ergo quantum potest cum ista dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: et hæc se posse, si poterit, et in quantum poterit, pietate magis orationum, quam oratorum facultate non dubitet; ut orando pro se, ac pro illis quos est allocuturus, sit orator antequam diotor. Hæc hora jam ut dicat accedens, priusquam exeret profertentem linguam, ad Deum leves animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat. Cum enim de unaquaque re, quæ secundum fidem dilectionemque tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, et multi modi quibus dicantur ab eis qui hæc sciunt; quis novit quid ad præsens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? et quis facit ut quod oportet, et quemadmodum oportet, dicatur a nobis, nisi in cuius manu sunt et nos et sermones nostri (*Sap. vii, 16*)? Ac per hoc, dicat quidem omnia quæ docenda sunt, qui et nosse vult et docere; facultatemque dicendi, ut docet virum ecclesiasticum, comparet: ad horam vero ipsius dilectionis, illud potius bonæ menti cogitet convenire quod Dominus ait, *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquamini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth. x, 19, 20*). Si ergo loquitur in eis Spiritus sanctus, qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non et in eis qui tradunt discipulis Christum?

CAPUT XVI. — *Docendi præcepta non superfluo dantur ab homine, tametsi doctores efficiat Deus.*

33. Quisquis autem dicit non esse hominibus præcipiendum quid, vel quemadmodum doceant, si doctores sanctus efficit Spiritus, potest dicere nec orandum nobis esse, quia Dominus ait, *Scit pater vester quid vobis necessarium sit, prius quam petatis ab eo* (*Id. vi, 8*); aut apostolum Paulum Timotheo et Tito non debuisse præcipere quid, vel quemadmodum præciperent aliis. Quas tres apostolicas Epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia doctoris persona imposita. Nonne in prima ad Timotheum le-

<sup>1</sup> Editi, *delectationemque*. Mss. potiores, *dilectionemque*.

gitur: *Annuntia hæc et dace* (*I Tim. iv, 11*)? quæ autem sicut, supra dictam est. Nonne ibi est: *Seniores ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* (*Id. v, 1*)? Nonne in secunda ei dicitur: *Formam habe verborum sanctorum, quæ a me audisti* (*II Tim. i, 13*)? Nonne ibi ei dicitur: *Satis age, teipsum probabilem operarium exhibens Deo, non erubescens, verbum veritatis recte tractantem* (*Id. ii, 15*)? Ibi est et illud: *Prædica verbum, iusta opportune, importans; argue, obsecra, increpa in omni longanimitate et doctrina* (*II Tim. iv, 5*). Itemque ad Titum, nonne dicit episcopum juxta doctrinam fidelis verbi perseverantem esse debere, ut potens sit in doctrina sana et contradicentes redarguere (*Tit. i, 9*)? Ibi etiam dicit: *Tu vero loquere quæ docent sanam doctrinam, senes sobrios esse* (*Id. ii, 1, 2*), et quæ sequuntur. Ibi et illud: *Hæc loquere, et exhortare, et increpa cum omni imperio. Nemo te contemnat* (*Ibid. 15*). *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse* (*Id. iii, 1*), etc. Quid ergo putamus? Numquid contra seipsum sentit Apostolus, qui cum dicat doctores operatione fieri Spiritus sancti, ipse illis præcipit quid et quemadmodum doceant? An intelligendum est, et hominum officia ipso sancto Spiritu largiente, in docendis etiam ipsis doctoribus non debere cessare; et tamen neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat, sed Deum qui incrementum dat (*I Cor. iii, 7*)? Unde ipsis quoque ministris sanctis hominibus, vel etiam sanctis Angelis operantibus, nemo recte dicit quæ pertinent ad vivendum cum Deo, nisi fiat a Deo docilis Deo<sup>1</sup>, cui dicitur in Psalme: *Docce me facere voluntatem tuam, quoniam tu es Deus meus* (*Psal. cxlii, 10*). Unde et ipsi Timotheo idem dicit apostolus, loquens utique ad discipulum doctor: *Tu autem persevera in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didicisti* (*II Tim. iii, 14*). Sicut enim corporis medicamenta, quæ hominibus ab hominibus adhibentur, non nisi eis prosunt quibus Deus operatur salutem, qui et sine illis moderari potest, cum sine ipso illa non possint, et tamen adhibentur; et si hoc officiose fiat, inter opera misericordie vel beneficentie deputatur: ita et adjuvamenta doctrinæ tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cum Deus operatur ut prosint, qui potuit Evangelium dare homini, etiam non ab hominibus, neque per hominem.

CAPUT XVII. — *Ad docendum delectandum et flectendum pertinet triplex dicendi genus.*

34. Qui ergo nititur dicendo persuadere quod bonum est, nihil horum trium spernens, ut scilicet doceat, ut delectet, ut flectat; oret atque agat, ut quemadmodum supra diximus, intelligenter, libenter, obedienterque audiatur. Quod cum apte et convenienter facit, non immerito eloquens dici potest, etsi non eum sequatur auditoris assensus. Ad hæc enim tria, id est ut doceat, ut delectet, ut flectat, etiam tria illa videtur pertinere voluisse idem ipse Romani auctor eloquii, cum itidem dixit, *Is igitur erit eloquens, qui poterit parva submisisse, modica temperate, magna gran-*

<sup>1</sup> Hic vulgati omittunt, *Deo*; quod Mss. habent, nec superfluo.

*diu dicere (Cicero, de Oratore)* : tanquam si adderet illa etiam tria, et sic explicaret unam eandemque sententiam dicens, is erit igitur eloquens, qui ut doceat, poterit parva submisisse; ut delectet, modica temperate; ut flectat, magna granditer dicere.

CAPUT XVIII. — *Ecclesiasticus orator in materia grandi semper versatur.*

35. Hæc autem tria ille, sicut ab eo dicta sunt, in causis forensibus possêt ostendere; non autem hic, hoc est in ecclesiasticis quæstionibus, in quibus huiusmodi, quem volumus informare, sermo versatur. In illis enim ea parva dicuntur, ubi de rebus pecuniariis iudicandum est; ea magna, ubi de salute ac de capite hominum: ea vero ubi nihil horum iudicandum est, nihilque agitur ut agat sive decernat, sed tantummodo ut delectetur auditor, inter utrumque quasi media, et ob hoc modica, hoc est moderata dixerunt. Modicis enim modus nomen imposuit: nam modica pro parvis abusive, non proprie dicimus. In istis autem nostris, quandoquidem omnia, maxime quæ de loco superiore populi dicimus, ad hominum salutem, nec temporariam, sed æternam referre debemus, ubi etiam cavendus est æternus iuteritus, omnia magna sunt quæ dicimus; usque adeo ut nec de ipsis pecuniariis rebus vel acquirendis vel amittendis parva videri debeant, quæ doctor ecclesiasticus dicit, sive sit illa magna, sive parva pecunia. Neque enim parva est iustitia, quam profecto et in parva pecunia custodire debemus, dicente Domino: *Qui in minimo fidelis est, et in magno fidelis est (Luc. xvi, 10)*. Quod ergo minimum est, minimum est; sed in minimo fidelem esse, magnum est. Nam sicut ratio rotunditatis, id est ut a puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur, eadem est in magno disco, quæ in nummulo exiguo; ita ubi parva juste geruntur, non minuitur iustitiæ magnitudo.

36. De iudiciis denique sæcularibus (quibus utique nisi pecuniariis?) cum loqueretur Apostolus: *Ande quisquam vestrum, inquit, adversus alterum habens negotium, iudicari ab iniquis, et non apud sanctos? An nescitis quia sancti mundum iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicatis? Nescitis quia Angelos iudicabimus, nodum sæcularia? Sæcularia igitur iudicia si habueritis, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandum<sup>1</sup>. Ad reverentiam vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare? Sed frater cum fratre iudicatur, et hoc apud infideles. Jam quidem omnino delictum est, quia iudicia habetis vobiscum. Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis, et fraudatis, et hoc fratres<sup>2</sup>. An nescitis quia iniusti regnum Dei non hereditabunt (I Cor. vi, 1-9)?* Quid est quod sic indignatur Apostolus, sic corripit, sic exprobrat, sic increpat, sic minatur? quid est quod sui ani-

mi affectum tam crebra et tam aspera vocis mutatione testatur? quid est postremo quod de rebus minimis tam granditer dicit? Tantumne de illo negotia sæcularia meruerunt? Absit. Sed hoc facit propter iustitiam, charitatem, pietatem, quæ, nulla sobria mente dubitante, etiam in rebus quamlibet parvulis magna sunt.

37. Sano si moneremus homines quemadmodum ipsa negotia sæcularia vel pro se vel pro suis apud ecclesiasticos iudices agere deberent, recte admoneremus ut agerent tanquam parva submisisse: cum vero de illius viri disseramus eloquio, quem volumus earum rerum esse doctorem, quibus liberamur ab æternis malis, atque ad æterna pervenimus bona; ubicumque agantur hæc, sive ad populum sive privatim, sive ad unum sive ad plures, sive ad amicos sive ad inimicos, sive in perpetua dictione sive in colloctione, sive in tractatibus sive in libris, sive in epistolis vel longissimis vel brevissimis, magna sunt. Nisi forte quoniam calix aquæ frigidæ, res minima atque vilissima est, ideo minimum aliquid atque vilissimam Dominus ait, quod eum qui dederit discipulo ejus, non perdet mercedem suam (*Math. x, 49*): aut vero quando iste doctor in Ecclesia facit inde sermonem, parvum aliquid debet existimare se dicere; et ideo non temperate, non granditer, sed submisso sibi esse dicendum. Nonne quando accidit ut de hac re loqueremur ad populum, et Deus adfuit ut non incongrue diceremus, tanquam de illa aqua frigida quædam flamma surrexit (*II Mach. i, 32*), quæ etiam frigida hominum pectora, ad misericordiæ opera facienda, spe cælestis mercedis accenderet?

CAPUT XIX. — *Alias alio utendum dicendi genere.*

38. Et tamen cum doctor iste debeat rerum dictor esse magnarum, non semper eas debet granditer dicere, sed submisso, cum aliquid docetur; temperate, cum aliquid vituperatur sive laudatur: cum vero aliquid agendum est, et ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea quæ magna sunt, dicenda sunt granditer, et ad flectendos animos congruenter. Et aliquando de una eademque re magna, et submisso dicitur, si docetur; et temperate, si prædicatur; et granditer, si aversus inde animus ut convertatur impellitur. Quid enim Deo ipso majus est? Numquid ideo non discitur<sup>3</sup>? Aut qui docet unitatem Trinitatis, debet nisi submissa disputatione agere, ut res ad dignoscendum difficilis, quantum datur, possit intelligi? Numquid hic ornamenta, et non documenta quærentur? numquid ut aliquid agat est flectendus auditor, et non potius ut discat instruendus? Porro cum laudatur Deus sive de seipso, sive de operibus suis, quanta facies pulchritæ ac splendide dictionis oboritur ei qui potest quantum potest laudare, quem nemo convenienter laudat, nemo quomodocumque non laudat! At si non colatur, aut cum illo vel etiam præ illo colantur idola, sive dæmonia, sive quæcumque creatura; quantum hoc malum sit, atque ut ab

<sup>1</sup> *Mss., collocatis*; et prope omnes omittunt, *ad iudicandum*: quod etiam abest a græco textu Apostoli.

<sup>2</sup> *Mss. quinque, et hoc apud fratres. Alii tres, et hoc fratribus.*

<sup>3</sup> *Editi, dicitur. Sed concinnius Mss., discitur.*

(*Quatre.*)

SANCT. AUGUST. III.

hoc malo avertantur homines, debet utique granditer dici.

CAPUT XX.— *Exempla ex sacris Litteris, primum, dictionis submissæ; deinde temperatæ; postremo, grandis: hæc tria ex Epistolis Pauli.*

39. Submissæ dictionis exemplum est apud apostolum Paulum, ut planius aliquid commemorem, ubi ait: *Dicite mihi, sub Lege volentes esse, Legem non audistis? Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera: sed ille qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt in allegoria. Hæc enim sunt duo Testamenta: unum quidem a monte Sina in servitum generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est huic quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra (Galat. 17, 21-26), etc.* Itemque ubi ratiocinatur, et dicit: *Fratres, secundum hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abraham dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit, Et seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est Lex, non infirmat ad evacuandas promissiones. Si enim ex Lege hæreditas, jam non ex promissione. Abraham autem per repromissionem cognovit Deus. Et quia occurrere poterat audientis cogitationi, Utquid ergo Lex data est, si ex illa non est hæreditas? ipse sibi hoc objecit, atque ait velut interrogans: Quid ergo Lex? Deinde respondit: Transgressionis gratia proposita est, donec veniret semen cui promissum est, disposita per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est, Deus vero unus est. Et hic occurrebat, quod sibi ipse proposuit, Lex ergo adversus promissa Dei? Et respondit, Absit: reddiditque rationem, dicens, Si enim data esset Lex quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus, etc. (Galat. 111, 15-22); vel si quid ejusmodi est. Pertinet ergo ad docendi curam non solum aperire clausa, et nodos solvere quæstionum; sed etiam dum hoc agitur, aliis quæstionibus, quæ fortassis inciderint, ne id quod dicimus improbetur per illas aut refellatur, occurrere: si tamen et ipsa earum solutio pariter occurrerit, ne moveamus quod auferre non possumus. Fit autem ut cum incidentes quæstioni aliæ quæstiones, et aliæ rursus incidentibus incidentes pertractantur atque solvantur, in eam longitudinem ratiocinationis extendatur intentio, ut nisi memoria plurimum valeat atque vigeat, ad caput unde agebatur disputator redire non possit. Valde autem bonum est ut quidquid contradici potest, si occurrerit, refutetur; ne ibi occurrat, ubi non erit qui respondeat; aut præsentem quidem, sed tacenti occurrat, et minus sanatus abscedat.*

40. In illis autem apostolicis verbis dictio tempe-

<sup>1</sup> In MSS. fere omnibus, quæ conjuncta est.

<sup>2</sup> In MSS. plerisque, dispositum.

rata est: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juniorem ut fratrem, animum ut matrem, adolescentulam ut sororem (1 Tim. v, 1, 2).* Et in illis: *Obsecro autem vos, fratres, per miserationem Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. Et totus fere ipsius exhortationis locus temperatam habet elocutionis genus: ubi illa pulchriora sunt, in quibus propria propriis tanquam debita reddita decenter excurrunt, sicuti est, Habentes dona diversa secundum gratiam quæ data est nobis; sive prophetiam, secundum regulam fidei; sive ministerium, in ministrando; sive qui docet, in doctrina; sive qui exhortatur, in exhortatione; qui tribuit, in simplicitate; qui præest, in sollicitudine; qui miseretur, in hilaritate. Dilectio sine simulatione; odio habentes malum, adhærentes bono: charitate fraternitatis invicem diligentes, honore mutuo prævenientes, studio non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communi-cantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos; benedicite, et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: id ipsum invicem sentientes (Rom. xii, 1, 6-16).* Et quam pulchre ista omnia sic effusa, bimembri circuitu terminantur, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes!* Et aliquanto post: *In hoc ipso, inquit, perseverantes, redditus omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Quæ membratim fusa clauduntur etiam ipsa circuitu, quem duo membra contextant: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Et post paululum: *Nox præcessit, inquit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus itaque opera tenebrarum, et induamus arma lucis: sicut in die honeste ambulemus; non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contentione et emulatione; sed induite Dominum Jesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis (Id. xiii, 6-8, 12-14).* Quod si quisquam ita diceret, Et carnis providentiam ne in concupiscentiis feceritis; sine dubio aures clausula numerosiore mulceret: sed gravior interpretet etiam ordinem maluit tenere verborum. Quomodo autem hoc in græco eloquio sonet, quo est locutus Apostolus, viderint ejus eloqui usque ad ista doctiores: mihi tamen quod nobis eodem verborum ordine interpretatum est, nec ibi videtur currere nunce-

41. Sane hunc elocutionis ornatum, qui numerosis sit clausulis, deesse fatendum est auctoribus nostris. Quod utrum per interpretes factum sit, an (quod magis arbitror) consulto illi hæc plausibilia devitaverint, affirmare non audeo, quoniam me fateor ignorare. Illud tamen scio, quod si quisquam hujus numerositatis peritus illorum clausulas eorundem numerorum lege componat, quod facillime fit mutatis quibusdam verbis, quæ tantumdem significatione valent, vel mutato eorum quæ invenerit ordine; nihil illorum quæ velut magna in scholis grammaticorum aut rhetorum didicit, illis divinis viris defuisse cogno-

scel : et multa reperiet locutionis genera tanti decoris, quæ quidem et in nostra, sed maxime in sua lingua decora sunt, quorum nullum in eis. quibus isti infantur, litteris invenitur. Sed cavendum est ne divinis gravibusque sententiis, dum additur numerus, pondus detrahatur. Nam illa musica disciplina, ubi numerus iste plenissime discitur, usque adeo non defuit Prophetis nostris, ut vir doctissimus Hieronymus quorundam etiam metra commemoret, in hebræa dumtaxat lingua (*Hieron. in prologo super Job*) : cuius ut veritatem servaret in verbis, hæc inde non transtulit. Ego autem ut de sensu meo loquar, qui mihi quam aliis et quam aliorum est utique notior, sicut in meo eloquio, quantum modeste fieri arbitror, non prætermitto istos numeros clausularum ; ita in auctoribus nostris hoc mihi plus placet, quod ibi eos rarissime invenio.

42. Grande autem dicendi genus hoc maxime distat ab isto genere temperato, quod non tam verborum ornatis comptum est, quam violentum animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamenta pene omnia ; sed ea si non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu suo, et elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi rerum rapit, non cura decoris assumit. Satis enim est ei propter quod agitur, ut verba congruentia, non oris eligantur industria, sed pectoris sequantur ardorem. Nam si aurato gemmatoque ferro vir fortis armetur, intentissimus pugnae, agit quidem illis armis quod agit, non quia pretiosa, sed quia arma sunt : idem ipse est tamen, et valet plurimum, etiam cum rimanti telum ira facit<sup>1</sup>. Agit Apostolus, ut pro evangelico ministerio patienter mala hujus temporis, cum solatio donorum Dei, omnia tolerentur. Magna res est, et granditer agitur, nec desunt ornamenta dicendi : *Ecce, inquit, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nullam in quoquam dantes offensio-nem, ut non reprehendatur ministerium nostrum : sed in omnibus commendantes nosmetipsos ut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in benignitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei : per arma justitiæ a dextris et a sinistris<sup>2</sup>, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam ; ut seductores, et veraces ; ut qui ignoramur, et cognoscimur ; quasi morientes, et ecce vivimus : ut coerciti, et non mortificati ; ut tristes, semper autem gaudentes ; sicut egeni, multos autem ditantes ; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. Vide adhuc ardentem, (Is nostrum patet ad vos, o Corinthii ; cor nostrum dilatatum est (II Cor. vi, 2-11), et cætera, quæ persequi longam est.*

<sup>1</sup> *Loc., rimanti telo mira facti.* Sed verum aliæ editiones et Mss., rimanti telum ira facit. Quod usurpatum est ex Virgilio, *Æneid.* 7 :

Hic torre armatus obesto,

stipites hic gravidi nodis : quod cuique repertum

Rimanti telum ira facit.

<sup>2</sup> Mss. aliquot optimæ notæ, arma justitiæ dextra et sinistra.

43. Itemque ad Romanos agit, ut persecutioes hujus mundi charitate vincantur, spe certa in adiutorio Dei. Agit autem et granditer et ornate : *Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt<sup>1</sup>. Quoniam quos ante præscivit, et prædestinavit conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, illos et vocavit ; et quos vocavit, ipsos et justificavit ; quos autem justificavit, illos et glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc ? Si Deus pro nobis, quis contra nos ? Qui proprio Filio non percipit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit ? Quis accusabit adversus electos Dei ? Deus qui justificat ? Quis est qui condemnet ? Christus Jesus qui mortuus est, magis autem qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui et interpellat pro nobis ? Quis nos separabit a charitate Christi ? Tribulatio ? an angustia ? an persecutio ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an gladius ? Sicut scriptum est, Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis (Psal. XLIII, 22). Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro (Rom. VIII, 28-39).*

44. Ad Galatas autem quamvis tota ipsa Epistola submisso dicendi genere scripta sit, nisi in extremis partibus ubi est eloquium temperatum ; tamen interponit quemdam locum eo motu animi, ut sine ullis quidem talibus ornamentis, qualia sunt in iis quæ modo posuimus, non posset tamen nisi granditer dici. *Dica, inquit, observatis, et menses, et annos, et tempora. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vos<sup>2</sup>. Estote sicut et ego, quoniam et ego sicut vos : fratres, precor vos ; nihil me læsistis. Scitis quia per infirmitatem carnis jampridem evangelizavi vobis, et tentationes vestras<sup>3</sup> in carne mea non sprevisistis, neque respicistis ; sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. Quæ ergo fuit beatitudo vestra ? Testimonium vobis perhibeo, quoniam si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi. Ergo inimicus factus sum vobis verum prædicans ? Æmulantur vos non bene ; sed excludere vos volunt, ut eos æmulemini. Bonum est autem in bono æmulari semper, et non solum cum præsens sum apud vos. Filioli mei, quos iterum parturio aonee formetur Christus in vobis. Vellem autem nunc adesse apud vos, et mutare vocem meam, quia confundor in vobis (Gal. iv, 10-20). Numquid hic aut contraria contrariis verba sunt reddita, aut aliqua gradatione sibi subnexa sunt, aut cæsa et membra circuitusve sonuerunt ? et tamen non ideo tepuit grandis affectus, quo eloquium fervere sentimus.*

<sup>1</sup> Editi, vocati sunt sancti. Et petulo post., conformes fieri. At Mss. carent vocibus, sancti et fieri ; quæ prætermitti solent ab Augustino, et a græco textu absunt.

<sup>2</sup> Editi, in vobis. At Mss., in vos : juxta græcum, et similes.

<sup>3</sup> Mss. plerique habent, et tentationem vestram.

CAPUT XXI. — *Exempla triplicis hujus generis dictionis ex doctoribus ecclesiasticis, nempe Cypriano et Ambrosio desumantur.*

45. Sed apostolica ista sic clara sunt, ut et profunda sint; atque ita conscripta memoriaeque mandata, ut non solum lectore vel auditore, verum etiam expositore opus habeant, si quis in eis non superficie contentus altitudinem quaerat. Quapropter videamus ista genera dicendi in eis qui istorum lectione ad rerum divinarum atque salubrium scientiam profecerunt, eamque Ecclesiae ministrarunt. Beatus Cyprianus submisso dicendi genere utitur in eo libro ubi de Sacramento calicis disputat. Solvitur quippe ibi quaestio, in qua quaeritur utrum calix dominicus aquam solam, an eam vino mixtam debeat habere. Sed exempli gratia aliquid inde ponendum est. Post principium ergo epistolae, jam solvere incipientis propositam quaestionem: *Admonitos autem nos ecclesiae, inquit, ut in calice offerendo dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix qui in commemorationem ejus offertur, vino mixtus offeratur. Nam cum dicat Christus, « Ego sum vitis vera » (Joan. xv, 5); sanguis Christi, non aqua est utique, sed vinum; nec potest videri sanguis ejus, quo redempti et vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur; qui Scripturarum omnium sacramento ac testimonio praedicatur. Invenimus enim in Genesi circa sacramentum Noe hoc idem praecurrisse, et figuram dominicae passionis illic existisse, quod vinum bibit, quod inebriatus est, quod in domo sua nudatus est, quod fuit recubans nudus et patentibus femoribus; quod nuditas illa patris a medio fuit denotata est; a majore vero et minore connecta (Gen. ix, 20-25), et caetera quae necesse non est exsequi, cum satis sit hoc solum complecti, quod Noe typum futurae veritatis ostendens, non aquam sed vinum biberit; et sic imaginem dominicae passionis expresserit. Item in sacerdote Melchisedech dominicum Sacramentum praefiguratum videmus<sup>1</sup>, secundum quod Scriptura divina testatur, et dicit: « Et Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham » (Id. xiv, 18). Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus, ex persona Patris ad Filium dicens: « Ante Luciferum genui te. Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech » (Paul. cix, 4). Haec et alia quae sequuntur hujus epistolae (Cypr. Epist. 65, ad Caecilium, de Sacramento calicis), submissae dictionis modum servant, quod facile est explorare legentibus.*

46. Sanctus quoque Ambrosius cum agat rem magnam de Spiritu sancto, ut eum Patri et Filio demonstret aequalem, submisso tamen dicendi genere utitur; quoniam res suscepta non ornamenta verborum, aut ad flectendos animos commotionis affectum, sed rerum documenta desiderat. Ergo inter caetera,

<sup>1</sup> Sic in Mss. At in prius editis, *dominici Sacramenti praefiguratum videmus mysterium*. Apud Cyprianum vero, *sacri-  
ficii dominici Sacramentum*.

in principio hujus operis ait: *Commotus oraculo Ge-  
deon, cum audisset quod deficientibus flect populorum  
millibus, in uno viro Dominus plebem suam ad hostibus  
liberaret, obtulit haedum caprarum, cujus carnem se-  
cundum praeceptum angeli, et asynum supra petram  
posuit, et ea jure perfudit: quae simul ut virgam occu-  
mine, quam gerebat, angelus Dei contigit, de petra ignis  
erupit, atque ita sacrificium quod offerebatur absumptum  
est (Jud. vi, 11-21). Quo indicio declaratum videtur,  
quod petra illa typum habuerit corporis Christi; quia  
scriptum est, « Bibeant de consequenti petra, petra  
autem erat Christus » (I Cor. x, 4). Quod utique non ad  
divinitatem ejus, sed ad carnem relatum est, quae sitien-  
tium corda populorum perenni rivo sui sanguinis inun-  
davit. Jam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia  
Dominus Jesus in carne sua, totius mundi peccata cru-  
cifixus aboleret, nec solum delicta factorum, sed etiam  
cupiditates animorum. Caro enim haedi ad culpam facti  
refertur; jus ad illecebras cupiditatum, sicut scriptum  
est, « Quia concupivit populus cupiditatem pessimam, et  
dixerunt, Quis nos cibabit carne » (Num. xi, 4)? Quod  
igitur extendit angelus virgam, et tetigit petram, de qua  
ignis exiit, ostendit quod caro Domini Spiritu repleta  
divino, peccata omnia humanae conditionis excerneret. Unde  
et Dominus ait, « Ignem veni mittere in terram » (Luc.  
xii, 49); et caetera, in quibus rei docendae ac probandae maxime incumbit (Ambros. lib. 1 de Spiritu  
sancto, in prologo).*

47. De genere temperato est apud Cyprianam vir-  
ginitatis illa laudatio: *Nunc nobis ad virgines sermo  
est, quarum quo sublimior gloria est, major et cura. Flos  
est ille ecclesiastici germine, decus atque ornamentum  
gratiae spiritualis, laeta indoles laudis et honoris, opus  
integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad  
sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.  
Gaudet per ipsas, atque in illis largiter floret Ecclesiae  
matris gloriosa fecunditas: quantoque plus gloriosa  
virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium ma-  
tris augetur. Et alio loco in fine epistolae: Quomodo  
portavimus, inquit, imaginem ejus qui de limo est,  
sic portemus et imaginem ejus qui de caelo est (I Cor.  
xv, 49). Hanc imaginem virginitas portat, portat inte-  
gritatem, sanctitatem portat et veritatem; portant disciplinae Dei  
memores, justitiam cum religione retinentes, stabiles in  
fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes,  
ad sustinendas injurias mites, ad faciendam misericor-  
diam faciles, fraternam pace unanimis atque concordis.  
Quae vos singula, o bonae virgines, observare, diligere,  
implere debetis, quae Deo et Christo vacantes, ad Domi-  
num cui vos dicastis, majore et meliore parte praeceditis.  
Profectus annis, junioribus facite magistratum; minores  
natae, praebete majoribus ministerium, comparibus inci-  
tamentum; hortamentis vos mutuis excitate, aemulis de  
virtute documentis ad gloriam provocate; durate fortiter,  
spiritualiter pergitte, pervenite feliciter; tantum memento  
tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari  
(Cypr. Tract. de disciplina et habitu Virginitatis).*

48. Ambrosius etiam genere dicendi temperato est

<sup>1</sup> Atque Cyprianum, *copiosa*; in Floriacensi Ms., *generosa*.



orato professis virginibus proponit, tanquam sub exempli forma, quod moribus imitentur, et dicit: *Virgo erat, non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior; non in incerto divitiarum, sed in præce pauperis spem reponens; intenta operi, verecunda sermone; arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum querere; nullum lædere, bene velle omnibus; assurgere majoribus natu, aequalibus non invidere; fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidisti humilem? quando risi debilem? quando vitavit inopem? Eos solos solita castus virorum inviser, quos misericordia non erubesceret, neque præteritis verecundia. Nihil torum in oculis, nihil in verbis procas, nihil in actu inverecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis specles simulacrum fuerit mentis, et figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo præstendat ingressu nihil intus latere tenebrarum, tanquam lucernæ lux intus posita, foris luceat. Quid ego exsequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam; alterum ultra naturam superfuisse, alterum ipsi naturæ pene defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hic congeninati jejuniæ dies; et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius qui mortem arceret, non delicias ministraret (Ambros. de Virginibus, lib. 3, in princip.), etc. Hæc autem propterea in exemplo hujus temperati generis posui, quia non hic agit ut virginitatem voveant quæ nondum voverunt; sed quales esse debeant quæ jam votæ sunt. Nam ut aggrediatur animus tantum ac tale propositum, grandi utique dicendi genere debet excitari et accendi. Sed martyr Cyprianus de habitu virginum, non de suscipiendo virginitatis proposito scripsit. Iste vero episcopus etiam ad hoc eas magno accendit eloquio.*

49. Verum ex eo quod ambo egerunt, dictionis grandis exempla memorabo. Ambo quippe invecti sunt in eas quæ formam pigmentis colorant, vel potius decolorant: quorum prior ille cum hoc ageret, ait inter cætera: *Si quis pingendi artifex vultum aliqujus et speciem, et corporis qualitatem æmulo colore signasset; et signato jam consummatoque simulacro, manus alius inferret, ut jam formata, jam picta quasi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria et iusta indignatio videretur. Tu te existimas impune luturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim impudica circa homines, et incesta acis lenocinantibus non sis, corruptis violatisque quæ Dei sunt, pejor adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, prævaricatio est veritatis. Moneatis Apostoli vox est: «Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque festa celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis» (1 Cor. v, 7, 8). Num sinceritas perseverat et veritas, quando quæ sincera sunt pollun-*

tur, et colorum adulteriis, et medicaminum<sup>1</sup> fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit, «Non potes facere capillum unum album aut nigrum» (Matth. v, 36); et tu ad vincendam Domini tui vocem vis te eas potiorum. Audaci conatu et sacrilego contemptu crines tuos inficis; malo præsepio futurorum capillos jam tibi flammeos auspicias (Cypr. Tract. de disciplina et habitu Virginum). Longum est inacerere omnia quæ sequuntur.

50. Illo vero posterior ut in tales diceret: *Hinc illa, inquit, nascuntur incentiva vitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, et de adulterio vultus meditentur adulterium castitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam querere, et dum verentur maritalis judicium, prodero<sup>2</sup> suum? Prior enim de se pronuntiavit, quæ cupit mutare quod natu est: ita dum alii studet placere, prius ipsa sibi displicet. Quam judicem, mulier, verioram requiremus deformitatis tuæ, quam teipsam; quæ videri times? Si pulchra es, cur absconderis? si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere: et irasceris si amet alteram, qui adulterare in te docetur. Mala magistra es injuriæ tuæ. Lenocinari enim refugit, etiam quæ est passa lenocem; ac licet vitis mulier, non alteri tamen, sed sibi peccat. Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt: ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur (Ambros. de Virginibus, lib. 1). Satis, ut existimo, apparet feminas ne suam fucis adulterent formam, et ad pudorem et ad timorem hac facundia vehementer impelli. Proinde neque submissum neque temperatum, sed grande omnino genus hoc elocutionis agnoscimus. Et in his autem quos duos ex omnibus proponere volui, et in aliis ecclesiasticis viris et bona, et bene, id est sicut res postulat, acute, ornate, ardentemque dicentibus, per multa eorum scripta vel dicta possunt hæc tria genera reperiri, et assidua lectione vel auditione, admixta etiam exercitatione, studentibus inolescere.*

CAPUT XXII. — *Omnibus generibus dictio varianda est.*

51. Nec quisquam præter disciplinam esse existimet ista miscere: imo quantum congrue fieri potest, omnibus generibus dictio varianda est. Nam quando proluxa est in uno genere, minus detinet auditorem. Cum vero fit in aliud ab alio transitus, etiamsi longius eat, decentius procedit oratio: quamvis habeant et singula genera varietates suas in sermone eloquentium, quibus non sinuntur in eorum qui audiunt, frigescere vel tepescere sensibus. Veruntamen facilius submissum solum, quam solum grande diutius tolerari potest. Commotio quippe animi quanto magis excitanda est, ut nobis assentiatur auditor, tanto minus in ea diu teneri potest, cum fuerit quantum satis est excitata. Et ideo cavendum est, ne dum volumus altius erigere quod erectum est, etiam inde decidat, quo fuerat ex-

<sup>1</sup> Editi et Mss. apud Augustinum, *et colorum adulteriis medicaminum*. Castigamus ex Cypriani libro, *et colorum adulteriis, et medicaminum*.

<sup>2</sup> Ita apud Ambrosium. At in Augustinianis codicibus aliquot, *perdere*. In aliis, *perdidere*, aut, *perdidimus*.

elatione perductum. Interpositis vero quæ sunt dicenda submissis, bene reditur ad ea quæ opus est granditer dici, ut dictionis impetus sicut maris æstus alternet. Ex quo fit ut grande dicendi genus, si diutius est dicendum, non debeat esse solum, sed aliorum generum interpositione varietur: ei tamen genere dictio tota tribuitur, cujus copia prævaluerit.

CAPUT XXIII. — *Quomodo internoscenda dictionis genera.*

52. Interest enim quod genus cui generi interponatur, vel adhibeatur, certis et necessariis locis. Nam et in grandi genere semper aut pene semper temperata decet esse principia. Et in potestate est eloquentis ut dicantur nonnulla submisse, etiam quæ possent granditer dici; ut ea quæ dicuntur granditer, ex illorum flant comparatione grandiora, et eorum tanquam umbris luminosiora reddantur. In quocumque autem genere aliqua quæstionum vincula solvenda sunt, acumine opus est, quod sibi submissum genus proprie vindicat. Ac per hoc eo genere utendum est et in aliis duobus generibus, quando eis ista incidunt: sicut laudandum aliquid vel vituperandum, ubi nec damnatio cujusquam nec liberatio, nec ad actionem quamlibet assensio requiritur, in quocumque alio genere occurrerit, genus adhibendum et interponendum est temperatum. In grandi ergo genere inveniunt locos suos duo cætera, et in submisso similiter. Temperatum autem genus non quidem semper, sed tamen aliquando submisso indiget, si, ut dixi, quæstio cujus nodus est solvendus, incurrat; vel quando nonnulla quæ ornari possent, ideo non ornantur, sed submisso sermone dicuntur, ut quibusdam quasi toris ornamentorum præbeant eminentiorem locum. Grande autem genus temperata dictio non requirit: ad delectandos quippe animos, non ad movendos ipsa suscipitur.

CAPUT XXIV. — *Sublime dicendi genus quid efficiat.*

53. Non sane si dicenti crobrius et vehementius acclametur, ideo granditer putandus est dicere: hoc enim et acumina submissi generis, et ornamenta faciunt temperati. Grande autem genus plerumque pondere suo voces premit, sed lacrymas exprimit. Denique cum apud Cæsaream Mauritaniam populo dissuaderem pugnam civilem, vel potius plus quam civilem, quam *Catervam* vocabant; neque enim cives tantummodo, verum etiam propinqui, fratres, postremo parentes ac filii lapidibus inter se in duas partes divisi, per aliquot dies continuos, certo tempore anni solemniter dimicabant, et quisque ut quemque poterat occidebat: egi quidem granditer, quantum valui, ut tam crudele atque inveteratum malum de cordibus et moribus eorum avellerem, pelleremque dicendo; non tamen egisse aliquid me putavi, cum eos audirem acclamantes, sed cum flentes viderem. Acclamationibus quippe se doceri et delectari, flecti autem lacrymis indicabant. Quas ubi aspexi, immanem illam consuetudinem a patribus et avis, longeque a majoribus traditam, quæ pectora eorum hostiliter obsidebat, vel potius, possidebat, devictam, antequam re ipsa id

ostenderent, credidi. Moxque sermone finito ad agendas Deo gratias corda atque ora converti. Et ecce jam ferme octo vel amplius anni sunt, propitio Christo, ex quo illic nihil tale tentatum est (a). Sunt et alia multa experimenta quibus didicimus, homines, quid in eis fecerit sapientis granditas dictionis, non clamore potius quam gemitu, aliquando etiam lacrymis, postremo vitæ mutatione monstrasse.

54. Submisso etiam dicendi genere sunt plerique mutati: sed ut quod nesciebant, scirent, aut quod eis videbatur incredibile, crederent; non autem ut agerent quod agendum jam noverant, et agere nolebant. Ad huiusmodi namque duritiam flectendam, debet granditer dici. Nam et laudes et vituperationes quando eloquenter dicuntur, cum sint in genere temperato, sic efficiunt quosdam, ut non solum in laudibus et vituperationibus eloquentia delectentur, verum et ipsi laudabiliter appetant, fugiantque vituperabiliter vivere. Sed numquid omnes qui delectantur, mutantur? sicut in grandi genere omnes qui flectuntur, agunt; et in submisso genere omnes qui docentur, sciunt, aut credunt verum esse quod nesciunt?

CAPUT XXV. — *Temperatum dicendi genus quem in finem referri decet.*

55. Unde colligitur illa duo genera quod efficere intendunt, hoc eis esse maxime necessarium, qui sapienter et eloquenter volunt dicere. Illud vero quod agitur genere temperato, id est, ut eloquentia ipsa delectet, non est propter seipsum usurpandum; sed ut rebus quæ utiliter honesteque dicuntur, si nec docente indigent eloquio nec movente, quia et scientes et faventes auditores habent, aliquanto promptius ex delectatione ipsa elocutionis, accedat vel tenacius adhaerescat assensus. Nam cum eloquentiæ sit universale officium, in quocumque istorum trium generum, dicere apte ad persuasionem; finis autem, id quod intenderis, persuadere dicendo: in quocumque istorum trium generum dicit quidem eloquens apte ad persuasionem, sed nisi persuadeat, ad finem non pervenit eloquentiæ. Persuadet autem in submisso genere vera esse quæ dicit; persuadet in grandi, ut agantur quæ agenda esse jam sciuntur, nec aguntur; persuadet in genere temperato, pulchre ornateque se dicere: quo fine nobis quid opus est? Appetant eum qui lingua gloriantur, et se in panegyricis talibusque dictionibus jactant, ubi nec docendus, nec ad aliquid agendum movendus, sed tantummodo est delectandus auditor. Nos vero istum finem reframus ad alterum finem, ut scilicet quod efficere volumus, cum granditer dicimus; hoc etiam isto velimus, id est, ut bona morum diligantur, vel devitentur mala; si ab hac actione non sic alieni sunt homines, ut ad eam grandi genere dictionis urgendi videantur: aut, si jam id agunt, ut agant studiosius, atque in eo firmiter perso-

<sup>1</sup> Mss. quatuor, *imitantur*.

(a) Hic itaque liber perfectus fuit sub annum 426. Nam Augustini in Mauritaniam Cæsareensem profectio pertinet ad annum 418, ex epist. 190, et 195, n. 1. Atque apud Cæsaream, ubi se concionem illam ante octo aut amplius annos habuisse memorat, agebat S. Doctor mense septembri ejusdem anni 418, ex lib. de Gestis cum Emerito.

verent. Ita fit ut etiam temperati generis ornatu, non jactanter, sed prudenter utamur : non ejus sine contenti, quo tantummodo delectatur auditor; sed hoc potius agentes, ut etiam ipso ad bonum quod persuadere volumus, adjuvetur.

CAPUT XXVI. — *In unoquoque dicendi genere intendere debet orator, ut intelligenter, libenter et obedienter audiatur.*

56. Illa itaque tria, quæ supra posuimus, eum qui sapienter dicit, si etiam eloquenter vult dicere, id agere debere, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur, non sic accipienda sunt tanquam singula illis tribus dicendi generibus ita tribuantur, ut ad submissum intelligenter, ad temperatum libenter, ad grande pertineat obedienter audiri; sed sic potius ut hæc tria semper intendat, et quantum potest agat, etiam cum in illorum singulo quoque versatur. Nolumus enim fastidiri, etiam quod submisso dicimus; ac per hoc volumus non solum intelligenter, verum etiam libenter audiri. Quid autem agimus, divinis testimoniis docendo quod dicimus, nisi ut obedienter audiamur, id est ut credatur eis, opitulante illo cui dictum est, *Testimonia tua credita facta sunt valde* (Psal. xcii, 5)? Quid etiam cupit nisi credi, qui aliquid, licet submisso eloquio, discentibus narrat? et quis eum velit audire, nisi auditorem nonnulla etiam suavitate detineat? Nam si non intelligatur, quis nesciat nec libenter eum posse, nec obedienter audiri? Plerumque autem dicitio ipsa submissa, dum solvit<sup>1</sup> difficillimas quæstiones, et inopinata manifestatione demonstrat; dum sententias acutissimas de nescio quibus quasi cavernis, unde non sperabatur, eruit, et ostendit; dum adversarii convincit errorem, et docet falsum esse quod ab illo dici videbatur invictum; maxime quando adest ei quoddam decus non appetitum, sed quodammodo naturale, et nonnulla, non jactantia, sed quasi necessaria, atque, ut ita dicam, ipsis rebus extorta<sup>2</sup> numerositas clausularum; tantas acclamationes excitat, ut vix intelligatur esse submissa. Non enim quia neque incedit ornata, neque armata, sed tanquam nuda congredditur, ideo non adversarium nervis lacertisque collidit; et obsistentem subruit ac destruit membris fortissimis falsitatem. Unde autem crebro et multum acclamatur ita dicentibus, nisi quia veritas sic demonstrata, sic defensa, sic invicta delectat? Et in hoc igitur genere submisso iste noster doctor et dictor id agere debet, ut non solum intelligenter, verum etiam libenter et obedienter audiatur.

57. Illa quoque eloquentia generis temperati apud eloquentem ecclesiasticum, nec inornata relinquitur, nec indecenter ornatur: nec solum hoc appetit ut delectet, quod solum apud alios proficitur; verum etiam in iis quæ laudat, sive vituperat, istis appetendis vel firmiter tenendis, illis autem devitandis vel respuen-

<sup>1</sup> Editi, *credibilia*. At Mss., *credita*. Sic passim Augustinus, juxta græcam versionem LXX, *Éπιστολῆσαν*.

<sup>2</sup> In vulgatis, *dissolvit*: ac paulo infra, *et quando nonnulla non jactantia*. Hic vero particula, *quando*, abest a Mss. et sane redundat, si superius legatur, *dum solvit*, uti reipsa ferunt Mss. omnes.

<sup>3</sup> Mss. plures, *exoluta*.

dis, vult utique obedienter audiri. Si autem non audiri intelligenter, nec libenter potest. Proinde illa tria, ut intelligant qui audiunt, ut delectentur, ut obediant, etiam in hoc genere agendum est, ubi tenet delectatio principatum.

58. Jam vero ubi movere et flectere grandi genere opus est auditorem (quod tunc est opus, quando et veraciter dici et suaviter constitetur, et tamen non vult facere quod dicitur), dicendum est procul dubio granditer. Sed quis movetur; si nescit quod dicitur? aut quis tenetur ut audiat, si non delectatur? Unde et in isto genere, ubi ad obedientiam cor durum dictionis granditate flectendum est, nisi et intelligenter et libenter qui dicit audiatur, non potest obedienter audiri.

CAPUT XXVII. — *Obedientius audiri cujus vita dictioni respondet.*

59. Habet autem ut obedienter audiatur, quantumcumque granditate dictionis majus pondus vita dicentis. Nam qui sapienter et eloquenter dicit, vivit autem nequiter, erudit quidem multos discendi studiosos, quamvis animæ suæ sit inutilis (Eccli. xxxvii, 22), sicut scriptum est<sup>1</sup>. Unde ait et Apostolus: *Sive occasione, sive veritate, Christus annuntiatur* (Philipp. i, 18). Christus autem veritas est, et tamen etiam non veritate annuntiari veritas potest; id est, ut pravo et fallaci corde, quæ recta et vera sunt, prædicentur. Sic quippe annuntiatur Jesus Christus ab eis qui sua quærent, non quæ Jesu Christi. Sed quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Dominum obedienter audiunt, qui ait, *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, et non faciunt*; ideo audiuntur utiliter, qui etiam utiliter non agunt. Sua enim quærent student, sed sua docere non audent, de loco scilicet superiori sedis ecclesiasticæ, quam sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominus priusquam de talibus, quod commemoravi, diceret, præmisit, *Super cathedram Moysi sederunt* (Matth. xxiii, 2, 3). Illa ergo cathedra, non eorum sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua; docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena.

60. Multis itaque prosunt dicendo quæ non faciunt; sed longe pluribus prodessent faciendo quæ dicunt. Abundant enim qui malæ vitæ suæ defensionem ex ipsis suis præpositis et doctoribus quærant, respondentes corde suo, aut etiam si ad hoc erumpunt, oro suo, atque dicentes: Quod mihi præcipis, cur ipse non facis? Ita fit ut cum non obedienter audiant, qui se ipse non audit, et Dei verbum quod eis prædicatur,

<sup>1</sup> Editi: *Sicut scriptum est, Scribæ et Pharisei in cathedra Moysi sederunt. Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, et non faciunt*. Abest ab omnibus Mss. hæc Scripturæ sententia, hunc in locum, opinamur, immissa propter clausulam, *sicut scriptum est*, quæ referenda fuerat ad præcedentia verba ex Eccli. xxxvii, 22, ubi legitur, *Est vir astutus nullorum eruditior, et animæ suæ inutilis est*: in antiqua lectione græca, quæ nunc exstat, *achrestos estin*, pro quo latine versionis vulgatæ auctor legebat, *chrēstos*: quandoquidem reddidit, *suavis est*, quæ una erat lectio in Mss. nostris Bibliis, ubi jam in excusis utraque conjunctim reperitur.

simul cum ipso prædicatore contemnant. Denique Apostolus scribens ad Timotheum, cum dixisset, *Nemo adolescentiam tuam contemnat*; subjecti unde non contemneretur, atque ait: *Sed forma esto fidelium in sermone, in conversatione, in dictione, in fide, in castitate* (I Tim. iv, 12).

**CAPUT XXVIII.** — *Veritati potius quam verbis studendum. Verbis contendere quid sit.*

61. Talis doctor ut obedienter audiatur, non impudenter non solum submisso ac temperate, verum etiam granditer dicit, quia non contemptibiliter vivit. Sic namque eligit bonam vitam, ut etiam bonam non negligat famam, sed prævideat bona coram Deo et hominibus (II Cor. viii, 24), quantum potest, illum timendo, his consulendo. In ipso etiam sermone malit rebus placere quam verbis; nec æstimet dici melius, nisi quod dicitur verius; nec doctor verbis serviat, sed verba doctori. Hoc est enim quod Apostolus ait: *Non in sapientia verbi, ne evanescat crux Christi* (I Cor. i, 17). Ad hoc valet etiam quod ait ad Timotheum: *Noli verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium* (II Tim. ii, 14). Neque enim hoc ideo dictum est, ut adversariis oppugnantibus veritatem, nihil nos pro veritate dicamus. Et ubi erit quod cum ostenderet qualis esse episcopus debeat, ait inter cætera: *Ut potens sit in doctrina summa et contradicentes redarguere* (Tit. i, 9)? Verbis enim contendere, est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. Porro qui non verbis contendit, sive submisso, sive temperate, sive granditer dicat, id agit verbis ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat; quoniam nec ipsa, quæ præcepti finis et plenitudo Legis est charitas (I Tim. i, 5; et Rom. xiii, 10), ullo modo recta esse potest, si ea quæ dilliguntur, non vera, sed falsa sunt. Sicut autem cujus pulchrum corpus et deformis est animus, magis dolendus est, quam si deforme haberet et corpus; ita qui eloquenter ea quæ falsa sunt dicunt, magis miserandi sunt, quam si talia deformiter dicerent. Quid est ergo non solum eloquenter, verum etiam sapienter dicere, nisi verba in submisso genere sufficientia, in temperato splendentia, in grandi vehementia, veris tamen rebus, quas audiri oporteat, adhibere? Sed qui utrumque non potest, dicat sapienter quod non dicit eloquenter, potius quam dicat eloquenter quod dicit insipienter.

**CAPUT XXIX.** — *Non culpandus ecclesiastes, qui a peritioribus sumit conscriptum eloquium, quod ad populum proferat.*

Si autem ne hoc quidem potest, ita conversetur, ut non solum sibi præmium comparet, sed etiam præbeat aliis exemplum, et sit ejus quasi copia dicendi forma vivendi.

62. Sunt sane quidam qui bene pronuntiare possunt, quid autem pronuntient, excogitare non possunt. Quod si ab aliis sumant eloquenter sapienterque conscriptum, memoriæque commendat, atque ad populum proferant; si eam personam gerunt, non improbe faciunt. Sic enim, quod profecto utile est, multi

prædicatores veritatis fiunt, nec multi magistri, si unius veri magistri idipsam dicant omnes, et non sint in eis schismata (I Cor. i, 10). Nec deterrendi sunt isti voce Jeremiæ prophetæ, per quem Deus arguit eos qui *surantur verba ejus, unusquisque a proximo suo* (Jerem. xxiii, 30). Qui enim surantur, alienum auferunt; verbum autem Dei non est ab eis alienum, qui obtemperant ei: potiusque ille dicit aliena, qui cum dicat bene, vivit male. Quæcumque enim bona dicit, ejus excogitari videntur ingenio, sed ab ejus moribus aliena sunt. Eos itaque dixit Deus surari verba sua, qui boni volunt videri, loquendo quæ Dei sunt; cum mali sint, faciendo quæ sua sunt. Nec sane ipsi dicunt bona quæ dicunt, si diligenter attendas. Quomodo enim dicunt verbis, quod negant factis? Non enim frustra de talibus ait Apostolus: *Constat se nosse Deum, factis autem negant* (Tit. i, 16). Modo ergo quodam ipsi dicunt, et rursus alio modo non ipsi dicunt, quoniam utrumque verum est quod Veritas ait. De talibus enim loquens, *Quæ dicunt, inquit, facite; quæ autem faciunt, facere nolite*; hoc est, Quod ex ore illorum auditis, facite; quod in opere videtis, facere nolite: *dicunt enim, inquit, et non faciunt* (Math. xxiii, 5). Ergo quamvis non faciant, dicunt tamen. Sed alio loco tales arguens: *Hypocritæ, inquit, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali* (Id. xii, 34)? Ac per hoc et ea quæ dicunt, quando bona dicunt, non ipsi dicunt, voluntate scilicet atque opere negando quod dicunt. Unde contingit ut homo disertus et malus, sermonem quo veritas prædicetur, dicendum ab alio non diserto sed bono, ipse componat; quod cum fit, ipse a seipso tradit alienum, ille ab alieno accipit suum. Cum vero boni fideles bonis fidelibus hanc operam commodant, utriusque sua dicunt: quia et Deus ipsorum est, cujus sunt illa quæ dicunt; et ea sua faciunt, quæ non ipsi componere potuerunt, qui secundum illa compositæ vivunt.

**CAPUT XXX.** — *Concionator præmittat orationem ad Deum.*

63. Sive autem apud populum vel apud quoslibet jamjamque dicturus, sive quod apud populum dicendum vel ab eis qui voluerint aut potuerint legendum, est dictaturus; oret ut Deus sermonem bonum det in os ejus. Si enim regina oravit Esther, pro suæ gentis temporaria salute locutura apud regem, ut in os ejus Deus congruum sermonem darct (Esther. xiv, 15); quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo et doctrina laborat? Illi vero qui ea dicturi sunt quæ ab aliis acceperunt, et antequam accipiant, orent pro eis a quibus accipiunt, ut eis detur quod per eos accipere volunt; et cum acceperint, orent ut bene et ipsi proferant, et illi ad quos proferunt sumant; et de prospero exitu dictionis eidem gratias agant, a quo id se accepisse non dubitant: ut qui gloriatur, in illo gloriatur, in cujus manu sunt et nos et sermones nostri (Sap. vii, 16).

CAPUT XXXI — *Excusat proficitatem libri.*

64. Longior evasit liber hic quam volebam, quamque putaveram. Sed legenti vel audienti, cui gratus est, longus non est: cui autem longus est, per partes eum legat, qui habere vult cognitam; quem vero cognitionis ejus piget, de longitudine non queratur.

Ego tamen Deo nostro gratias ago, quod in his quatuor libris non qualis ego casem, cui multa desunt, sed qualis esse debeat, qui in doctrina sana, id est christiana, non solum sibi, sed etiam aliis laborare studet, quantumcumque potui facultate disserui.

## ADMONITIO

## DE SEQUENTE LIBRO DE VERA RELIGIONE (a).

Inter opuscula quae S. Augustinus nondum presbyter (quam dignitatem anno 391 adeptus est) emisit in locum, postremum in Retractationibus locum assignat libro de vera Religione; quem ideo ad annum 399 referendum censemus. Jam ante annos aliquot hujus argumenti tractationem Romaniano civi suo et Maecenati pollicitus erat, uti meminit capite septimo, numero duodecimo. Id vero in se receperat scribens anno 386 contra Academicos, libro secundo, capite tertio, numero octavo. Porro in epistola decima quinta, ad Romanianum, numero primo, confectum a se opus memorat, ipsi propediem transmittendum.

Evodium postea de existentia Dei dubia quaedam proponentem ad hunc librum remittit in epistola centesima sexagesima secunda, numero secundo; patetque ex epistola vigesima septima, numero quarto, ad Paulinum, eundem librum unum esse ex quinque illis, quos *Pentateuchum contra Manichaeos* appellat Paulinus, qui eos ab Alypio dono acceperat, et quorum occasione in laudem Augustini sic exclamat in epistola vigesima quinta, numero primo: *O vere sal terrae, quo praecordia nostra, ne possint saeculi vanescere errore, conduntur! O lucerna digne supra candelabrum Ecclesiae posita, quae late catholicis urbibus de septiformi lychno partum oleo laetitiae lumen effundens, densas licet haereticorum caligines discutis, et lucem veritatis a confusionis tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilas!* etc. Certe liber de vera Religione, si quis alius, hoc elogium Augustino demeretur. Etsi enim recens tum, cum eum scripsit, in verae religionis partes perductus esset, nec alio quam christiani catholici nomine praeditus; eo tamen sublimi modo christianae religionis sacramenta exponit, oppositorumque dogmatum in primis Manichaeorum revellit fundamenta, ut jam tum absolutissimi doctoris et strenuissimi episcopi vices impleverit.

Vide lib. 1, cap. 13, Retractationum, col. 602, a verbis; Tunc etiam de Vera Religione, n. 1, usque ad col. 605, n. 9, verbis, Vitae bonae ac beatae via. M.

(a) In B., librum de Moribus Manichaeorum sequitur liber de vera Religione. Melius hic adaptari videtur, utpote naturale libri de Doctrina Christiana complementum. M.

# S. AURELII AUGUSTINI

## HIPPONENSIS EPISCOPI

# DE VERA RELIGIONE

### Libri unus (a).

Praemisso veram religionem non reperiri apud Paganos, neque in secta ulla, praeterquam in catholica Ecclesia; mox divinae oeconomiae erga humanam salutem historia (quod quidem christianae religionis caput ac fundamentum est) sic explicatur, ut Manichaeorum de duabus praesertim naturis seu de mali origine et natura errores revincantur. Agitur de duplici via qua Deus hominibus consultit, auctoritate credentes ad salutem vocans, intelligentes ratione. Quippe ratione subnixus homo ex rebus inferioribus ad Deum evehitur: imo ad ipsum prosequendum admonetur ex ipsis vitis, de quorum triplici genere prolixum hic sermonem instituit Augustinus; qui denique unum verum Deum, id est, Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum vera religione colendum esse concludit.



CAPUT PRIMUM. — *Philosophi de religione aliud in scholis docebant, aliud in templis profitebantur.*

1. Cum omnis vitae bonae ac beatae via in vera religione

sit constituta, qua unus Deus colitur, et purgatissima pietate cognoscitur principium naturarum omnium, a quo universitas et inchoatur et perficitur et continetur.

## ADMONITIO PP. SEQUENTIUM.

In hujus libri recensione consultimus Mss. Thuaneum, Regium, Navarricum, Sorbonicum, Victorinum, Casalensem, Corbeicensem, Gemmeticensem, Audoenensem, Beccensem, Germanensem, e Bibliotheca Remensis ecclesiae unum; lectiones ad nos miseras Mss. Cisterciensis, Arnulienensis, Vaticani, et lectiones Belgicorum quaeque apud Lov.; editiones denique Bad. Fr. Lov. et Arnaldi.

Comparavimus praeterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., t. 1, memoratas. M.

(a) Scriptus circiter an. Christi 390.

tur : hinc evidentiùs error deprehenditur eorum populorum, qui multos deos colere, quam unum verum Deum et Dominum omnium maluerunt, quod eorum sapientes, quos philosophos vocant, scholas habebant dissentientes et templa communia. Non enim vel populos vel sacerdotes latebat, de ipsorum deorum natura quam diversa sentirent, cum suam quisque opinionem publice profiteri non formidaret, atque omnibus, si posset, persuadere moliretur; omnes tamen cum auctoribus suis diversa et adversa sentientibus, ad sacra communia nullo prohibente veniebant. Non nunc agitur, quis eorum verius senserit; sed certe illud satis, quantum mihi videtur, apparet, aliud eos in religione suscepisse cum populo, et aliud eodem ipso populo audiente defendisse privatim.

CAPUT II. — *De diis quid Socrates senserit. Mundus hic pro Deo habitus.*

2. Socrates tamen audacior cæteris fuisse perhibetur jurando per canem quemlibet, et lapidem quemlibet, et quidquid juraturo esset in promptu, et quasi ad manum occurrisset. Credo, intelligebat qualiacumque opera naturæ, quæ administrante divina providentia gignerentur, multo quam hominum et quorumlibet opificum esse meliora, et ideo divinis honoribus digniora, quam ea quæ in templis colebantur. Non quod vere lapis et canis essent colenda sapientibus, sed ut hoc modo intelligerent qui possent, tanta superstitione demersos esse homines, ut emergentibus hic esset tam turpis demonstrandus gradus, ad quem venire si puderet, viderent quanto magis pudendum esset in turpiore consistere. Simul et illos qui mundum istum visibilem, summum Deum esse opinabantur, admonebat turpitudinis suæ, docens esse consequens ut quilibet lapis tanquam summi Dei particula jure coleretur. Quod si execrarentur, mutarent sententiam, et unum Deum quærerent<sup>1</sup>, quem solum supra mentes nostras esse, et a quo omnem animam et totum istum mundum fabricatum esse constaret. Postea suavius ad legendum, quam potentius ad persuadendum scripsit Plato. Non enim sic isti nati erant, ut populorum suorum opinionem ad verum cultum veri Dei, a simulacrorum superstitione atque ab hujus mundi vanitate converterent. Itaque et ipse Socrates cum populo simulacra venerabatur, et post ejus damnationem mortemque, nemo ausus est jurare per canem, nec appellare quemcumque lapidem Jovem, sed hæc tantummodo memoriæ litterisque mandare. Quod utrum timore severitatis<sup>2</sup>, an aliqua cognitione temporum fecerint, judicare non est meum.

CAPUT III. — *Vera religio christiana, quæ hominibus persuasit, quod illis persuaderi posse Plato non credidit.*

3. Illud tamen fidentissime dixerim, pace horum omnium, qui eorum libros pervicaciter diligunt, christianis temporibus quænam religio potissimum tenenda sit, et quæ ad veritatem ac beatitatem via est, non esse dubitandum. Si enim Plato ipse viveret, et me in-

<sup>1</sup> Mss. sexdecim, ut unum Deum quærerent.

<sup>2</sup> Mss. novem omittunt, *severitatis*; e quibus Gemmet. Ita proseguitur, *an aliqua cognitione*, etc.

terrogantem non aspernaretur, vel potius, si quis ejus discipulus eo ipso tempore quo vivebat, eum interrogaret, cum sibi ab illo persuaderetur, non corporeis oculis, sed pura mente veritatem videri; cui quæcumque anima inhæsisset, eam beatam fieri atque perfectam: ad quam percipiendam nihil magis impedire, quam vitam libidinibus deditam et falsas imagines rerum sensibilium, quæ nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressæ, varias opiniones erroneasque generarent; quamobrem sanandum esse animam ad intuendam incommutabilem rerum formam, et eodem modo semper se habentem atque undique sui similem pulchritudinem, nec distentam locis, nec tempore variatam, sed unum atque idem omni ex parte servantem, quam non crederent esse homines, cum ipsa vere summeque sit: cætera nasci, occidere, fluere, labi; et tamen in quantum sunt, ab illo æterno Deo per ejus veritatem fabricata constare: in quibus animæ tantum rationali et intellectuali datum est, ut ejus æternitatis contemplatione perfrueretur, atque afficiatur ornaturque ex ea, æternamque vitam possit mereri; sed dum nascentium atque transeuntium rerum amore ac dolore sauciatur, et dedita consuetudini hujus vitæ atque sensibus corporis, inanibus evanescent imaginibus, irridet eos, qui dicunt esse aliquid, quod nec istis videatur oculis, nec ullo phantasmate cogitur, sed mente sola et intelligentia cerni queat: cum hæc ergo a magistro sibi persuaderentur, si ex eo quæreret ille discipulus, utrum si quisquam existeret vir magnus atque divinus, qui talia populis persuaderet credenda saltem, si percipere non valerent, aut si qui possent percipere, non pravis opinionibus multitudinis implicati, vulgaribus obruerentur erroribus; eum divinis honoribus dignum judicaret: responderet, credo, ille, non posse hoc ab homine fieri, nisi quem forte ipsa Dei Virtus atque Sapientia ab ipsa rerum natura exceptum, nec hominum magisterio, sed intima illuminatione ab incunabulis illustratum, tanta honestaret gratia, tanta firmitate roboraret, tanta domique majestate subveberet, ut omnia contemnendo quæ pravi homines capiunt, et omnia perpetuando quæ horrescunt, et omnia faciendo quæ mirantur, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore atque auctoritate converteret. De honoribus vero ejus frustra se consuli, cum facile possit existimari quanti honores debeantur Sapientiæ Dei, qua gestante et gubernante ille pro vera salute generis humani, magnum aliquid proprium, et quod supra homines esset, microretur.

4. Quæ si facta sunt, si litteris monumentisque celebrantur, si ab una regione terrarum, in qua sola unus colebatur Deus, et ubi talem nasci oportebat, per totum orbem terrarum missi electi viri, virtutibus atque sermonibus divini amoris incendia concitarunt; si confirmata saluberrima disciplina, illuminatas terras posteris reliquerunt; et, ne de præteritis loquar, quæ potest quisque non credere, si hodie per gentes populosque prædicatur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc*

erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (Joan. 1, 1-3). Si ad hoc percipiendum, diligendum, perfruendum ut anima sanetur, et tantæ luci hauriendæ mentis acies conualescat, dicitur avaris, *Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea et ærugo exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur; sed thesaurisate vobis thesauros in celo, ubi neque tinea neque rubigo exterminant, neque fures effodiunt, neque furantur: ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (Matth. vi, 19-21): dicitur luxuriosis, *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem: qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam* (Galat. vi, 8): dicitur superbis, *Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. xiv, 11): dicitur iracundis, *Accepisti alapam, para alteram maxillam* (Matth. v, 39): dicitur discordiosis, *Diligite inimicos vestros* (Ibid. 44): dicitur superstitiosis, *Regnum Dei intra vos est* (Luc. xvii, 21): dicitur curiosis, *Nolite quærere quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt* (II Cor. iv, 18): postremo dicitur omnibus, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (I Joan. ii, 15, 16).

5. Si hæc per totum orbem jam populis leguntur, et cum veneratione libentissime audiuntur. Si post tantum sanguinem, tantos ignes, tot cruces martyrum, tanto fertillius et uberius usque ad barbaras nationes Ecclesiæ pullularunt. Si tot juvenum et virginum milia contemnentium nuptias castæque viventium jam nemo miratur: quod cum fecisset Plato, usque adeo perversam temporum suorum timuit opinionem, ut perhibeatur sacrificasse naturæ<sup>1</sup>, ut tanquam peccatum illud aboleretur. Si hæc sic accipiuntur, ut quomodo antea talia disputare, sic nunc contra disputare monstruosum sit. Si tali pollicitationi atque sponsioni per omnes terrarum partes quas homines incolunt, sacra christiana traduntur. Si hæc quotidie leguntur in ecclesiis, et a sacerdotibus exponuntur. Si tundunt pectora qui conantur hæc implere; si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam, ut desertis divitiis et honoribus hujus mundi ex omni hominum genere uni Deo summo totam vitam dicare volentium, desertæ quondam insulæ ac multarum terrarum solitudo compleatur. Si denique per urbes atque oppida, castella, vicos et agros etiam, villasque privatas in tantum aperte persuadetur et appetitur a terrenis aversio, et in unum Deum verumque conversio, ut quotidie per universum orbem humanum genus una pene voce respondeat, *sursum corda se habere ad Dominum* (Ex can. Missæ): quid adhuc oscitamus crapulam hesternam, et in mortuis pecudibus divina eloquia perscrutatur; si quando autem ad disputationem venit, Platónico nomine ora crepantia, quam pectus vero plenum, magis habere gestimus?

<sup>1</sup> In Mss. septem, *sacrificasse naturæ naturam exsecratus, ut unquam*, etc.

#### CAPUT IV. — *Philosophi qui sensibilibus toti hæreus contemnendi.*

6. Qui ergo sensibilem istum mundum contemnere et animam virtute purgandam, summo Deo subijcere atque subjungere, vanum aut inavum putant, alia ratione refellendi sunt: si tamen cum his dignum est disputare. Qui autem honum et appetendum fatentur, cognoscant Deum et cedant Deo, per quem populis jam omnibus hæc credenda persuasa sunt. Quod utique ab ipsis fieret, si tantum valerent: aut si non fieret, crimen invidentiæ vitare non possent. Ergo cedant ei a quo factum est, nec curiositate aut inani jactantia impediuntur, quominus agnoscant, quid intersit inter paucorum timidæ<sup>1</sup> conjecturas, et manifestam salutem correptionemque populorum. Illi enim si reviviscerent, quorum isti nominibus gloriantur, et invenirent refertas ecclesias, templaque deserta, et a cupiditate bonorum temporalium et fluentium ad spem vitæ æternæ et bona spiritualia et intelligibilia vocari et currere humanum genus; dicerent fortasse (si tales essent, quales fuisse memorantur): Hæc sunt quæ nos persuadere populis non ausi sumus, et eorum potius consuetudini cessimus, quam illos in nostram fidem voluntatemque traduximus.

7. Itaque si hanc vitam illi viri noliscum-rursum agere potuissent, viderent profecto cujus auctoritate facilius consuleretur hominibus, et paucis mutatis verbis atque sententiis christiani fierent, sicut plerique recentiorum nostrorumque temporum Platonici fecerunt. Aut si hoc non faterentur neque facerent, in superbia et invidia remanentes, nescio utrum possent ad ea ipsa quæ appetenda et desideranda esse dixerant, cum istis sordibus viscoque revolare. Nam tertio vitio curiositatis in percunctandis dæmonibus, quo isti maxime, cum quibus nunc agitur, Pagani a christiana salute revocantur, quia nimis puerile est, nescio utrum tales illi præpedirentur viri.

#### CAPUT V. — *In quibus sectis vera religio. Munus divinum. Spiritus sanctus.*

8. Sed quoquo modo se habeat philosophorum jactantia, illud cuius intelligere facile est, religionem ab eis non esse quærendam, qui eadem sacra suscipiebant cum populis, et de suorum deorum natura ac summo bono, diversas contrariasque sententias in scholis suis, eadem teste multitudine, personabant. Quod si hoc unum tantum vitium christiana disciplina sanatum videremus, ineffabili laude prædicandam esse, neminem negare oporteret. Hæreses namque tam innumerabiles a regula Christianitatis aversæ, testes sunt non admitti ad communicanda Sacramenta eos qui de Patre Deo, et Sapientia ejus, et Munere divino aliter sentiunt et hominibus persuadere conantur, quam veritas postulat. Sic enim creditur et docetur, quod est humanæ salutis caput, non aliam esse philosophiam, id est sapientiæ studium, et aliam religionem, cum ii quorum doctrinam non approbamus, nec Sacramenta nobiscum communicant.

9. Quod in illis minus mirandum est, qui eorum

<sup>1</sup> sic in Mss. melioris notæ. At in vulg. legitur, *timidus*

quoque Sacramentorum ritu dispares esse voluerunt, sicut nescio qui Serpentina qui appellantur (a), sicut<sup>1</sup> Manichæi, sicut alii nonnulli. Sed in illis magis animadvertendum hoc magisque prædicandum, qui paria Sacramenta celebrantes, tamen quia sententia dispares sunt, et errores suos animosius defendere, quam cautius corrigere maluerunt, exclusi a catholica communione, et a participatione quamvis parium Sacramentorum, propria vocabula propriosque conventus, non in sermone tantum, sed etiam in superstitione meruerunt: ut Photiniani, Ariani, multique præterea. Nam de his qui schismata fecerunt, alia quaestio est. Posset enim eos area frumina usque ad tempus ultimæ ventilationis velut paleas sustinere (*Math.* III, 12), nisi vento superbix nimia levitate cessissent, et sese a nobis ultro separassent. Judæi vero quamvis uni omnipotenti Deo supplicent, sola tamen temporalia et visibilia bona de illo expectantes, rudimenta novi populi ab humilitate surgentia, in ipsis suis Scripturis nimia securitate noluerunt advertere, atque ita in veteri homine remanserunt. Quæ cum ita sint, neque in confusione Paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Judæorum quaerenda est religio, sed apud eos solos qui Christiani catholici, vel orthodoxi nominantur, id est integritatis custodes, et recta sectantes.

CAPUT VI. — *Vera religio in sola Ecclesia catholica, quæ omnibus errantibus utitur ad proventus suos.*

*Boni nonnunquam ex Ecclesia per seditiosos expulsi.*

10. Hæc enim Ecclesia catholica per totum orbem valide lateque diffusa, omnibus errantibus utitur ad proventus suos, et ad eorum correctionem, cum evigilare voluerint. Utitur enim Gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit: omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem; sive illi formandi sint adhuc<sup>2</sup>, sive reformandi, sive recolligendi, sive admittendi. Carnales autem suos, id est viventes aut sentientes carnaliter, tanquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quisque vel palca, vel frumentum est, tamdiu sustinetur peccatum aut error cujuslibet, donec aut accusatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animositate defendat. Exclusi autem aut pœnitendo redeunt, aut in nequitiam male liberi defluunt, ad admonitionem nostræ diligentix; aut schisma faciunt, ad exercitationem nostræ patientiæ; aut hæresim aliquam gi-gnant, ad examen sive occasionem nostræ intelligentiæ. Hi sunt exitus christianorum carnalium qui non potuerunt corrigi aut sustineri.

<sup>1</sup> In excusis omittitur *sicut*, quam vocem in plerisque MSS. repertam restitimus, quia Serpentina a Manichæis non obscure secernit Augustinus in lib. 2 de Genesi contra Manichæos, cap. 26, et clarius in libro de Hæresibus.

<sup>2</sup> Edili, sive illi informandi sint adhuc. Sed sincerius MSS. *formandi*.

(a) Ophitæ.

11. Sæpe etiam sinit divina providentia, per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione christiana, etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cum patientissime pro Ecclesiæ pace tolerent, neque eas novitates vel schismatis vel hæresis moti fuerint, docebant homines quam vero affectu, et quanta sinceritate charitatis Deo servendum sit. Taliæ ergo virorum propositum est, aut sedatis remeare turbidibus; aut si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel de suo reditu talis aut savior oriatur; tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis quorum motibus perturbationibusque cesserunt, sine ulla conventiculorum segregatione usque ad mortem defendentes, et testimonio juvantes eam fidem quam in Ecclesia catholica predicari sciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt: imo plura sunt quam credi potest. Ita omnibus generibus hominum et exemplorum ad animarum curationem, et ad institutionem spiritualis populi, utitur divina providentia.

CAPUT VII. — *Catholicæ Ecclesiæ religio amplectenda. Quid illa profiteatur.*

12. Quamobrem, cum ante paucos annos promiserim tibi scribere, charissime mihi Romaniane, quid de vera religione sentirem (*Lib. 2 contra Academicos, cap. 3, n. 8*), tempus nunc esse arbitratus sum<sup>1</sup>, postquam tuas acerrimas interrogationes, sine ullo certo fine fluctuare, ea charitate qua tibi obstrictus sum, diutius sustinere non possem. Repudiatis igitur omnibus qui neque in sacris philosophantur, nec in philosophia consecrantur; et iis qui vel prava opinione, vel aliqua similitate superbiæ, a regula et communione Ecclesiæ catholicæ deviarunt; et iis qui sanctarum Scripturarum lumen, et spiritualis populi gratiam, quod Novum Testamentum vocatur, habere noluerunt, quos quanta potui brevitate perstrinxi: tenenda est nobis christiana religio, et ejus Ecclesiæ communicatio quæ catholica est, et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque hæretici, et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.

13. Hujus religionis sectandæ caput est historia et prophetia dispensationis temporalis divinæ providentiæ, pro salute generis humani in æternam vitam reformandi atque reparandi. Quæ cum credita fuerit, mentem purgabit vitæ modus divinis præceptis conciliatus, et idoneam faciet spiritualibus percipiendis, quæ nec præterita sunt, nec futura, sed eodem modo semper manentia, nulli mutabilitati obnoxia; id est, unum ipsum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum: qua Trinitate quantum in hac vita datum est

<sup>1</sup> Sic juxta Er. Lugd. Ven. Lov. in B., *nunc esse arbitratus postquam, etc.* M.



cognita, omnis intellectualis et animalis et corporalis creatura, ab eadem Trinitate creatrice esse in quantum est, et speciem suam habere<sup>1</sup>, et ordinatissime administrari; sine ulla dubitatione perspicitur; non ut aliam partem totius creaturæ fecisse intelligatur Pater, et aliam Filius, et aliam Spiritus sanctus, sed et simul omnia et unamquamque naturam Patrem fecisse per Filium in dono Spiritus sancti. Omnis enim res, vel substantia, vel essentia, vel natura, vel si quo alio verbo melius enuntiatur, simul hæc tria habet; ut et unum aliquid sit, et specie propria discernatur a cæteris, et rerum ordinem non excedat.

CAPUT VIII. — *Quæ primo auctoritate ducti credidimus, postmodum ratione intelligimus. Hæretici prosumt Ecclesiæ.*

14. Quo cognito, satis apparebit quantum homo assequi potest, quam necessariis et invictis et iustis legibus, Deo et Domino suo cuncta subjecta sint: ex quo illa omnia, quæ primo credidimus, nihil nisi auctoritatem secuti, partim sic intelliguntur, ut videamus esse certissima; partim sic, ut videamus fieri posse, atque ita fieri oportuisse, dolcamusque illos hæc non credentes, qui nos antea credentes irridere, quam nobiscum credere maluerunt. Non enim jam illa hominis sacrosancta susceptio, et Virginis partus, et mors Filii Dei pro nobis, et resurrectio a mortuis, et in cælum ascensio, et consensus ad dexteram Patris, et peccatorum abolitio, et iudicii dies, et corporum resuscitatio, cognita æternitate Trinitatis et mutabilitate creaturæ, creduntur tantum, et non etiam iudicantur ad summi Dei misericordiam, quam generi humano exhibet, pertinere.

15. Sed quoniam verissime dictum est, *Oportet multas hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos* (I Cor. xi, 19); utamur etiam isto divinæ providentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiamsi essent in Ecclesia, nihilominus errarent. Cum autem foris sunt, plurimum prosunt, non verum doceudo, quod nesciunt; sed ad verum quærendum carnales, et ad verum aperiendum spirituales catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Ecclesia sancta Deo probati viri, sed manifesti non fiunt inter nos, quamdiu imperitiæ nostræ tenebris delectati dormire malumus, quam lucem veritatis intueri. Quapropter multi, ut diem Dei videant et gaudeant, per hæreticos de somno excitantur. Utamur ergo etiam hæreticis non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam adversus eorum insidias asserentes, vigilantiores et cautiores simus, etiamsi eos ad salutem revocare non possumus.

CAPUT IX. — *Manichæorum error de duobus principiis et duabus animabus.*

16. Credo autem affuturum Deum, ut ista scriptura, præcedente pietate, legentibus bonis, non adversus unam aliquam, sed adversus omnes pravas et falsas opiniones possit valere. Contra eos tamen potissimum

est instituta, qui duas naturas vel substantias singulis principiis adversus invicem rebelles esse arbitrantur. Offensi enim quibusdam rebus, et rursus quibusdam delectati, non earum quibus offendantur, sed earum quibus delectantur, volunt esse auctorem Deum. Et cum consuetudinem suam vincere nequeunt, jam carnalibus laqueis irretiti, duas animas esse in uno corpore existimant: unam de Deo, quæ naturaliter hoc sit quod ipse; alteram de gente tenebrarum, quam Deus nec genuerit, nec fecerit, nec protulerit, nec abjecerit; sed quæ suam vitam, suam terram, suos fetus et animalia, suum postremo regnum habuerit, ingenitumque principium; sed quodam tempore adversus Deum rebellasse, Deum autem cum aliud quod faceret non haberet, et quomodo aliter posset hosti resistere non inveniret, necessitate oppressum misisse huc animam bonam, et quamdam particulam suæ substantiæ, cujus commixtione atque miscela<sup>1</sup> hostem temperatum esse somniant, et mundum fabricatum.

17. Neque nunc opiniones eorum refellimus, quod partim jam fecimus, partim quantum Deus siverit faciemus: sed in hoc opere quomodo adversus eos fides catholica tuta sit, et quomodo non perturbent animum ea quibus commoti homines in eorum cedunt sententiam, rationibus quas Dominus dare dignatur, quantum possumus demonstramus. Illud sane in primis tenere te volo, qui bene nosti animum meum, non hoc me fugiendæ arrogantix gratia quasi solemniter dicere, quidquid in his litteris erroris inveniri poterit, hoc solum mihi esse tribuendum; quidquid autem verum et convenienter expositum, uni omnium bonorum munerum largitori Deo.

CAPUT X. — *Historiam divinæ æconomix erga nostram salutem narraturus, ostendit primum unde error in religione contingat, et quomodo perfecta religio Deo subveniente instauretur.*

18. Quamobrem sit tibi manifestum atque perceptum, nullum errorem in religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animam, aut corpus, aut phantasmata sua (a), aut horum aliqua duo conjuncta, aut certe simul omnia: sed in hac vita societati generis humani sine dolo temporaliter congruens, æterna meditaretur, unum Deum colens; qui nisi permaneret incommutabilis, nulla mutabilis natura remaneret. Mutari autem animam posse, non quidem localiter, sed tamen temporaliter, suis affectionibus quisque cognoscit. Corpus vero et temporibus et locis esse mutabile, cuius advertere facile est. Phantasmata porro nihil sunt aliud quam de specie corporis corporeo sensu attracta signimenta: quæ memoriæ mandare ut accepta sunt, vel partiri, vel multiplicare, vel contrahere, vel distendere, vel ordinare, vel perturbare, vel quolibet modo figurare cogitando facilitimum est, sed cum verum quaeritur, cavere et vitare difficile.

<sup>1</sup> Mss. undecim carent his verbis, et speciem suam habere; quæ tamen hic apprimè conveniunt propter secundam Trinitatis personam.

<sup>1</sup> Mss. novemdecim, atque miseria. Ita etiam Bad. et Fr. (a) 1 Retract. cap. 13, n. 2.

49. Non ergo creaturæ potius quam Creatori scribamus, nec evanescamus in cogitationibus nostris, et perfecta religio est (a). Æterno enim Creatori adherentes, et nos æternitate afficiamur necesse est. Sed quia hoc anima peccatis suis obruta et implicata, per seipsam videre ac tenere non posset, nullo in rebus humanis ad divina capessenda interposito gradu, per quem ad Dei similitudinem a terrena vita homo niteretur, ineffabili misericordia Dei temporali dispensatione per creaturam mutabilem, sed tamen æternis legibus servientem, ad commemorationem primæ suæ perfectæque naturæ partim singulis hominibus, partim vero ipsi hominum generi subvenitur. Ea est nostris temporibus christiana religio, quam cognoscere ac sequi, securissima ac certissima salus est (b).

20. Defendi autem adversus loquaces, et aperiri quærentibus, multis modis potest; omnipotente ipso Deo per seipsum demonstrante quæ vera sunt, et ad hæc intuenda et percipienda bonas voluntates per bonos Angelos et quoslibet homines adjuvante. Eo modo autem quisque utitur, quem videt congruere iis cum quibus agit. Ego itaque diu multumque considerans quales oblatrantes, et quales quærentes expertus sim, vel qualis ipse, sive cum latrarem, sive cum quærerem, fuerim; hoc modo mihi utendum putavi. Quæ vera esse perspexeris, tene, et Ecclesiæ catholicæ tribue; quæ falsa, respue, et mihi qui homo sum ignosce; quæ dubia, crede, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel præcipiat auctoritas. Intende igitur in hæc quæ sequuntur, diligenter et pie, quantum potes: tales enim adjuvat Deus (c).

CAPUT XI. — *Omnis vita a Deo. Mors animæ, nequitia.*

21. Nulla vita est quæ non sit ex Deo, quia Deus utique summa vita est et ipse fons vitæ, nec aliqua vita in quantum vita est, malum est, sed in quantum vergit ad mortem: mors autem vitæ non est, nisi nequitia, quæ ab eo quod ne quidquam sit, dicta est; et ideo nequissimi homines, nihili homines appellantur. Vita ergo voluntario defectu deficiens ab eo qui eam fecit, et cujus essentia fruebatur, et volens contra Dei legem frui corporibus, quibus eam Deus præfecit, vergit ad nihilum; et hæc est nequitia: non quia corpus jam nihilum est. Nam et ipsum habet aliquam concordiam partium suarum, sine qua omnino esse non posset. Ergo ab eo factum est et corpus, quod omnis concordie caput est. Habet corpus quamdam pacem suæ formæ, sine qua prorsus nihil esset. Ergo ille est et corporis conditor, a quo pax omnis est, et qui forma est infabricata, atque omnium formosissima. Habet aliquam speciem, sine qua corpus non est corpus. Si ergo quæritur quis instituerit corpus, ille quærat qui est omnium speciosissimus. Omnis enim species ab illo est. Quis est autem hic, nisi unus Deus, una veritas, una salus omnium, et prima

(a) I Retract. cap. 13, n. 2.

(b) Ibid., n. 3.

(c) Ibid., n. 4.

atque summa essentia, ex qua est omne quidquid est, in quantum est; quia in quantum est quidquid est, bonum est.

22. Et ideo ex Deo non est mors. Non enim Deus mortem fecit, nec latetur in perditione vivorum (Sap. 1, 13): quoniam summa essentia esse facit omne quod est, unde et essentia dicitur. Mors autem non esse cogit quidquid moritur, in quantum moritur. Nam si ea quæ moriuntur, penitus morerentur, ad nihilum sine dubio pervenirent; sed tantum moriuntur, quantum minus essentia participant: quod brevius ita dici potest: tanto magis moriuntur, quanto minus sunt. Corpus autem minus est quam vita quælibet; quoniam quantumcumque manet in specie, per vitam manet, sive qua unumquodque animal, sive qua universa mundi natura administratur. Corpus ergo magis subjacet morti, et ideo vicinius esse nihilo: quapropter vita, quæ fructu corporis delectata negligit Deum, inclinatur ad nihilum, et ista est nequitia.

CAPUT XII. — *Lapsus et reparatio totius hominis.*

23. Hoc autem pacto vita carnalis et terrena efficitur, et ob hoc etiam caro et terra nominatur; et quamdiu ita est, regnum Dei non possidebit, et eripitur ei quod amat. Id enim amat quod et minus est quam vita, quia corpus est; et propter ipsum peccatum, quod amatur sit corruptibile, ut fluendo deserat amatorem suum, quia et ille hoc amando deseruit Deum. Præcepta enim ejus neglexit dicens: Hoc manduca, et hoc noli (Gen. 11, 16, 17). Trahitur ergo ad pœnas: quia diligendo inferiora, in egestate voluptatum suarum et in doloribus apud inferos ordinatur. Quid est enim dolor, qui dicitur corporis, nisi corruptio repentina salutis ejus rei quam male utendo anima corruptioni obnoxiauit? Quid autem dolor, qui dicitur animi, nisi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur, aut frui se posse speraverat? Et hoc est totum quod dicitur malum, id est, peccatum, et pœna peccati.

24. Si autem dum in hoc stadio vitæ humanæ anima degit, vincat eas quas adversum se nutrit cupiditates fruendo mortalibus, et ad eas vincendas gratia Dei se adjuvari credat, mente illi serviens et bona voluntate; sine dubitatione reparabitur, et a multis mutabilibus ad unum incommutabile revertetur, reformata per Sapientiam non formatam, sed per quam formantur universa, fruaturque Deo per Spiritum sanctum, quod est Donum Dei. Ita fit homo spiritualis omnia judicans, ut ipse a nemine judicetur (1 Cor. 11, 15), diligens Dominum Deum suum in toto corde suo, in tota anima, in tota mente, et diligens proximum suum non carnaliter, sed tanquam seipsum. Se autem spiritualiter diligit, qui ex toto, quod in eo vivit, Deum diligit. In his enim duobus præceptis tota Lex pendet, et Prophetæ (Math. 22, 1, 37-40).

25. Inde jam erit consequens ut post mortem corporalem, quam debemus primo peccato, tempore suo atque ordine suo hoc corpus restituatur pristina

<sup>1</sup> Sic Mss. omnes. Al Edd. habent, fecit obnoxiam.

stabilitati (a), quam non per se habebit, sed per animam stabilitam in Deo. Quæ rursus non per se stabilitur, sed per Deum quo fruatur; ideoque amplius quam corpus vigeat: corpus enim per ipsam vigeat, et ipsa per incommutabilem veritatem, qui Filius Dei unicus est; atque ita et corpus per ipsum Filium Dei vigeat, quia omnia per ipsum. Dono etiam ejus, quod animæ datur, id est sancto Spiritu, non solum anima, cui datur, salva et pacata et sancta sit, sed ipsum etiam corpus vivificabitur, eritque in natura sua mundissimum. Ipse enim dixit: *Mundate quæ intus sunt, et quæ foris sunt munda erunt* (Matth. xxiii, 26). Dicit et Apostolus: *Vivificabit et mortalia corpora vestra propter Spiritum manentem in vobis* (Rom. viii, 11). Ablato ergo peccato, auferetur et pœna peccati: et ubi est malum? *Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus?* Vincit enim essentia nihilum, et sic absorbetur mors in victoriam (I Cor. xv, 54, 55).

#### CAPUT XIII. — Angelorum differentia.

26. Nec aliquid sanctificatis malus angelus oberit, qui diabolus dicitur; quia et ipse, in quantum angelus est, non est malus, sed in quantum perversus est propria voluntate. Fatendum est enim, et Angelos natura esse mutabiles, si solus Deus est incommutabilis: sed ea voluntate qua magis Deum quam se diligunt, firmi et stabiles manent in illo, et fruuntur maiestate ipsius, ei uni libentissime subditi. Ille autem angelus magis seipsum quam Deum diligendo, subditus ei esse noluit, et intumuit per superbiam, et a summa essentia defecit, et lapsus est: et ob hoc minus est quam fuit, quia eo quod minus erat frui voluit, cum magis voluit sua potentia frui, quam Dei. Quanquam enim non summe, tamen amplius erat, quando eo quod summe est, fruebatur, quoniam Deus solus summe est. Quidquid autem minus est quam erat, non in quantum est, sed in quantum minus est, malum est. Eo enim, quo minus est quam erat, tendit ad mortem. Quid autem mirum si ex defectu inopia, et ex inopia invidentia, qua diabolus utique diabolus est?

#### CAPUT XIV. — A libero arbitrio peccatum.

27. Defectus autem iste quod peccatum vocatur, si tanquam febris invitum occuparet, recte injusta pœna videretur, quæ peccantem consequitur, et quæ damnatio nuncupatur. Nunc vero usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium (b); et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi. Non autem recte negat peccasse animam, qui et pœnitendo eam corrigi fatetur, et veniam pœnitenti dari, et perseverantem in peccatis iusta lege Dei damnari. Postremo, si non voluntate male factus, nemo objurgandus est omnino, aut monendus: quibus sublati Christiana lex et disciplina omnis re-

ligionis auferatur necesse est. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium est, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim servos suos meliores esse Deus iudicavit, si ei servirent liberaliter: quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.

28. Liberaliter igitur Deo Angeli serviunt, neque hoc Deo, sed ipsis prodest. Deus enim bono alterius non indiget, quoniam a seipso est. Quod autem ab eo genitum est, id ipsum est; quia non est factum, sed genitum. Illa vero quæ facta sunt, ejus bono indigent, summo scilicet bono, id est summa essentia. Minus autem sunt quam erant, cum per animæ peccatum minus ad illum moventur: nec tamen penitus separantur; nam omnino nulla essent. Quod autem affectibus contingit animæ, hoc locis corpori: nam illa movetur voluntate, corpus autem spatio. Quod autem homini a perverso angelo persuasum dicitur, etiam ad hoc utique voluntate consensit. Nam si necessitate id fecisset, nullo peccati crimine teneretur.

#### CAPUT XV. — Pœna ipsa peccati ad resipiscendum erudimur.

29. Quod vero corpus hominis, cum ante peccatum esset in suo genere optimum, post peccatum factum est imbecillosum<sup>1</sup> et morti destinatum, quanquam iusta vindicta peccati sit, plus tamen clementiæ Domini quam severitatis ostendit. Ita enim nobis suadet a corporis voluptatibus, ad æternam essentiam veritatis amorem nostrum oportere converti. Et est iustitiæ pulchritudo cum benignitatis gratiâ concordans, ut quoniam bonorum inferiorum dulcedine decepti sumus, amaritudine pœnarum erudiamur. Nam ita etiam nostra supplicia divina providentia moderata est, ut et in hoc corpore tam corruptibili ad iustitiam tendere liceret, et deposita omni superbia uni Deo vero collum subdere, nihil de seipso fidere, illi uni se regendum tuendumque committere. Ita ipso duce homo bonæ voluntatis molestias hujus vite in usum fortitudinis vertit: in copia vero voluptatum prosperisque successibus temporalium, temperantiam suam probat et roborat; acuit in tentationibus prudentiam, ut non solum in eas non inducatur, sed fiat etiam vigilantior, et in amorem veritatis, quæ sola non fallit, ardentior.

#### CAPUT XVI. — Incarnato Verbo beneficentius homini consultum est.

30. Sed cum omnibus modis medeatur animis Deus pro temporum opportunitatibus, quæ mira sapientia ejus ordinantur, de quibus aut non est tractandum, aut inter pios perfectosque tractandum est; nullo modo beneficentius consuluit generi humano, quam cum ipsa Sapientia Dei, id est unicus Filius consubstantialis Patri et cœternus, totum hominem suscipere dignatus est, et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Joan. i, 14). Ita enim demonstravit carnalibus, et non valeantibus intueri mente veri-

(a) t. retract. cap. 13, n. 4.

(b) ibid. n. 5.

<sup>1</sup> Fr. Lov. et Arn., *imbecillum*; pro quo Bad. et Mas., *imbecillosum*.

tateni, corporeisque sensibus deditis, quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, quod non solum visibiliter (nam id poterat et in aliquo aethereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato), sed hominibus in vero homine apparuit: ipsa enim natura suscipienda erat quæ liberanda. Et ne quis forte sexus a suo Creatore se contemptum putaret, virum suscepit, natus ex femina.

31. Nihil egit vi, sed omnia suadendo et monendo (a). Veteri quippe servitute transacta, tempus libertatis illuxerat, et opportune jam homini suadebatur atque salubriter, quam libero esset creatus arbitrio. Miraculis commovit fidem Deo qui erat, passione homini quem gerebat. Ita loquens ad turbas ut Deus, nuntiata sibi matrem negavit (*Matth. xii, 48*): et tamen, ut Evangelium loquitur, puer parentibus subditus erat (*Luc. ii, 51*). Doctrina enim Deus apparebat, ætatibus homo. Item aquam in vinum conversurus ut Deus, dicit, *Recede a me, mulier: mihi et tibi quid est? Nondum venit hora mea (Joan. ii, 4)*. Cum autem venisset hora, qua ut homo moreretur, de cruce cognitam matrem commendavit discipulo, quem præ cæteris diligebat (*Id. xix, 26, 27*). Satellites voluptatum divitiarum perniciose populi appetebant: pauper esse voluit. Honoribus et imperiis inhibebant: rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant: tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissime horrebant: omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur: quæ major injuria quam justum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur: flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant: morte muliatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant: crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non recte vivebamus, carendo vilefecit. Omnia quæ vitare cupientes a studio deviamus veritatis, perpetiundo dejecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi aut dum appetuntur ea quæ ille contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit.

32. Totâ itaque vita ejus in terris, per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. Resurrectio vero ejus a mortuis, nihil hominis perire naturæ, cum omnia salva sunt Deo, satis indicavit, et quemadmodum cuncta serviant Creatori suo, sive ad vindictam peccatorum, sive ad hominis liberationem, quamque facile corpus animæ serviat, cum ipsa subjicitur Deo. Quibus perfectis non solum nulla substantia malum est, quod fieri nunquam potest; sed etiam nullo malo afficitur, quod fieri per peccatum et vindictam potuit. Et hæc est disciplina naturalis (b),

<sup>1</sup> Bad. et Er., *qui in eo erat*. Paulo post Mss. tres optimæ notæ habent, *homini quem gerebat*. Alii cum Edd., *gerebat*. Utraque lectio recepta Augustino, qui superius cap. 3, n. 3, susceptum hominem Sapientia Dei gestante et gubernante meruisse dicit.

<sup>2</sup> Ita in Mss. At in Edd., *vilia fecit*.

<sup>3</sup> Mss. non habent vocem *veritatis*. — Quidam critici putant vocem hæc a librariis additam, et eorundem vitio vocem studio pro *atque* obrepisse. M.

(a) I *Retract.* cap. 13, n. 6.

(b) Alludit ad antiquam Philosophiæ partitionem in natu-

Christianis minus intelligentibus plena fide digna, intelligentibus autem omni errore purgata.

CAPUT XVII. — *Doctrinæ ratio in vera religione quam optima, seu Vetus seu Novum Testamentum spectetur.*

33. Jamvero ipse totius doctrinæ modus, partim apertissimus<sup>1</sup>, partim similitudinibus, in dictis, in factis, in sacramentis, ad omnem animæ instructionem exercitationemque accommodatus, quid aliud quam rationalis disciplinæ regulam implevit? Nam et mysteriorum expositio ad ea dirigitur, quæ apertissime dicta sunt. Et si ea tantum essent quæ facillime intelliguntur, nec studiose quæreretur, nec suaviter inveniretur veritas. Neque si essent in Scripturis sacramenta<sup>2</sup>, et in sacramentis non essent signacula veritatis, satis cum cognitione actio conveniret. Nunc vero quoniam pietas timore inchoatur, charitate perficitur; populus timore constrictus tempore servitutis in veteri Lege multis Sacramentis onerabatur. Hoc enim talibus utile erat ad desiderandam gratiam Dei, quæ per Prophetas ventura canebatur. Quæ ubi venit, ab ipsa Dei Sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus<sup>3</sup>, pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem christiani populi, hoc est sub uno Deo liberæ multitudinis, continerent. Multa vero quæ populo Hebræo, hoc est sub eodem uno Deo compeditæ multitudini imposita erant, ab actione remota sunt, in fide atque interpretatione manserunt. Ita nunc nec serviliter alligant, et exercent liberaliter animum.

34. Quisquis autem ideo negat utrumque Testamentum ab uno Deo esse posse, quia non eisdem sacramentis tenetur populus noster, quibus Judæi tenebantur vel adhuc tenentur; potest dicere non posse fieri ut unus paterfamilias justissimus aliud imperet eis quibus servitutem duriores utillem judicat, aliud eis quos in filiorum gradum adoptare dignatur. Si autem præcepta vitæ movent, quod in veteri Lege minora sunt, in Evangelio majora, et ideo putatur non ad unum Deum utraque pertinere; potest qui hoc putat perturbari, si unus medicus alia per ministros suos imbecillioribus, alia per seipsum valentioribus præcipiat ad reparandam, vel obtinendam salutem. Ut enim ars medicinæ, cum eadem maneat, neque ullo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita divina providentia, cum sit ipsa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ varie subvenit, et pro diversitate morborum alias alia jubet aut vetat; ut a vitio unde mors incipit, et ab ipsa morte, ad naturam suam et essentiam, ea quæ deficiunt, id est ad nihilum tendunt, reducat et firmet.

<sup>1</sup> Sic Mss. septemdecim et Arn. At Bad. Er. et Lov. habent, *partim apertissimis rationibus, partim similitudinibus*, etc.

<sup>2</sup> Absent vox, *sacramenta*, a Mss. Germanensi, Gemmeticensi, et aliquot aliis non deterioris notæ.

<sup>3</sup> Perlique Mss., *homine assumpto, et in libertatem vocati sumus*.

ralem, moralem et rationalem. Moralem supra commemoravit, cum ait vitam Christi disciplinam morum fuisse: nullo errore, naturalem; mox in sequenti capite, rationalem.

CAPUT XVIII. — *Creaturæ quare mutabiles.*

35. Sed dicis mihi: Quare deficiunt? Quia mutabilia sunt. Quare mutabilia sunt? Quia non summe sunt. Quare non summe sunt? Quia inferiora sunt eo a quo facta sunt. Quis ea fecit? Qui summe est. Quis hic est? Deus incommutabilis Trinitas, quoniam et per summam Sapientiam ea fecit, et summa benignitate conservat. Cur ea fecit? Ut essent. Ipsum enim quantumcunque esse, bonum est; quia summum bonum est summe esse. Unde fecit? Ex nihilo. Quoniam quidquid est, quantumlacumque species sit necesse est<sup>1</sup>; ita etsi minimum bonum, tamen bonum erit, et ex Deo erit. Nam quoniam summa species summum bonum est, minima species minimum bonum est. Omne autem bonum, aut Deus, aut ex Deo est. Ergo ex Deo est etiam minima species. Sane quod de specie, hoc etiam de forma dici potest. Neque enim frustra tam speciosissimum, quam etiam formosissimum in laude ponitur. Id ergo est, unde fecit Deus omnia, quod nullam speciem habet, nullamque formam; quod nihil est aliud quam nihil. Nam illud quod in comparatione perfectorum informe dicitur, si habet aliquid formæ, quamvis exiguum, quamvis inchoatum, nondum est nihil, ac per hoc id quoque in quantum est, non est nisi ex Deo.

36. Quapropter etiam si de aliqua informi materia factus est mundus, hæc ipsa facta est omnino de nihilo. Nam et quod nondum formatum est, tamen aliquo modo ut formari possit inchoatum est, Dei beneficio formabile est: bonum est enim esse formatum. Nonnullum ergo bonum est et capacitas formæ: et ideo bonorum omnium auctor, qui præstitit formam, ipse fecit etiam posse formari. Ita omne quod est, in quantum est; et omne quod nondum est, in quantum esse potest, ex Deo habet. Quod alio modo sic dicitur: omne formatum, in quantum formatum est; et omne quod nondum formatum est, in quantum formari potest, ex Deo habet. Nulla autem res obtinet integritatem naturæ suæ, nisi in suo genere salva sit. Ab eo autem est omnis salus, a quo est omne bonum; at omne bonum ex Deo: salus igitur omnis ex Deo.

CAPUT XIX. — *Bona sunt, sed non summa bona, quæ vitari possunt.*

37. Hinc jam cui oculi mentis patent, nec pernicioso studio vanæ victoriæ caligant atque turbantur, facile intelligit, omnia quæ vitiantur et moriuntur, bona esse, quanquam ipsum vitium, et ipsa mors, malum sit. Nisi enim salute aliqua privarentur, non eis noceret vitium vel mors: sed si non noceret vitium, nullo modo esset vitium. Si ergo salutem adversatur vitium, et nullo dubitante salutem bonum est; bona omnia sunt, quibus adversatur vitium; quibus autem adversatur vitium, ipsa vitiantur: bona sunt ergo quæ vitiantur; sed ideo vitiantur, quia non summa bona sunt. Quia igitur bona sunt, ex Deo sunt: quia non summa bona sunt, non sunt Deus. Bonum ergo quod vitari non potest, Deus est. Cætera autem omnia bona

ex ipso sunt, quæ per seipsa possunt vitari, quia per seipsa nihil sunt: per ipsam autem partem non vitantur, partim vitata sanantur<sup>1</sup>.

CAPUT XX. — *Unde animæ vitium.*

38. Est autem vitium primum animæ rationalis, voluntas ea faciendi quæ vetat summa et intima veritas. Ita homo de paradiso in hoc seculum expulsus est, id est ab æternis ad temporalia, a copiosis ad egena, a firmitate ad infirma: non ergo a bono substantiali ad malum substantiale, quia nulla substantia malum est; sed a bono æterno ad bonum temporale, a bono spirituali ad bonum materiale, a bono intelligibili ad bonum sensibile, a bono summo ad bonum infimum. Est igitur quoddam bonum, quod si diligit anima rationalis, peccat; quia infra illam ordinatum est: quare ipsum peccatum malum est, non ea substantia quæ peccando diligitur. Non ergo arbor illa malum est, quæ in medio paradiso plantata scribitur, sed divini præcepti transgressio. Quæ cum consequentem habet justam damnationem, contingit ex illa arbore, quæ contra vitium tacta est, dignoscentia boni et mali: quia cum suo peccato anima fuerit implicata, luendo poenas, discit quid intersit inter præceptum quod custodire noluit, et peccatum quod fecit; atque hoc modo malum, quod cavendo non didicit, discit sentiendo; et bonum quod non obtemperando minus diligebat, ardentius diligit comparando.

39. Vitium ergo animæ est quod fecit, et difficultas ex vitio poena est quam patitur; et hoc est totum malum. Facere autem et pati non est substantia: quapropter substantia non est malum. Sic enim nec aqua malum est, nec animal quod vivit in aere; nam istæ substantiæ sunt: sed malum est voluntaria præcipitatio in aquam, et suffocatio quam mersus patitur. Stilus ferreus alia parte qua scribamur, alia qua delectamur, affabre factus est, et in suo genere pulcher, et ad usum nostrum accommodatus. At si quispiam ea parte scribere qua delctur, et ea veli delere qua scribitur, nullo modo stilum malum fecerit, cum ipsum factum jure vituperetur: quod si corrigat, ubi erit malum? Si quis repente meridianum solem intueatur, repercussi oculi turbabuntur: num ideo aut sol malum erit aut oculi? Nullo modo; sunt enim substantiæ: sed malum est inordinatus aspectus, et ipsa quæ consequitur perturbatio; quod malum non erit, cum oculi fuerint recreati, et lucem suam congruenter aspexerint. Neque cum eadem lux quæ ad oculos pertinet, pro luce sapientiæ quæ ad mentem pertinet, colitur, ipsa sit malum: sed superstitio malum est, qua creaturæ potius quam Creatori servitur; quod malum omnino nullum erit, cum anima recognovit Creatorem, ipsi uni se subjecerit, et cætera per eam subjecta sibi esse persenserit.

40. Ita omnis corporea creatura, si tantummodo possideatur ab anima quæ diligit Deum, bonum est infimum, et in genere suo pulchrum; quoniam forma

<sup>1</sup> In Cisterciensi Ms. habetur: *partim non vitantur, ut angeli; partim vitata sanantur, ut homines.*

<sup>2</sup> Mss. nonnulli, *quod in obtemperando. Alii, quod obtemperando.*

<sup>3</sup> *ms. septem, quantumlacumque species sit, necesse est, etc. nec in. vus bene.*

ei specie continetur: si autem diligatur ab anima quæ negligit Deum, ne sic quidem malum sit ipsa; sed quoniam peccatum malum est, quo ita diligitur, sit poenalis dilectori suo, et eum implicat ærumnis, et pascit fallacibus voluptatibus: quia neque permanent, neque satiant, sed torquent doloribus. Quia cum ordinem suum peragit pulchra mutabilitas temporum, deserit amantem species concupita, et per cruciatum sentientis discedit a sensibus, et erroribus agitat; ut hanc esse primam speciem putet, quæ omnium infima est, naturæ scilicet corporeæ<sup>1</sup>, quam per lubricos sensus caro male delectata nuntiaverit<sup>2</sup>, ut cum aliquid cogitat, intelligere credat, umbris illusos phantasmatum. Si quando autem non tenens integram divinæ providentiæ disciplinam, sed tenere se arbitrans, carni resistere conatur; usque ad visibilium rerum imagines pervenit, et lucis hujus quam certis terminis circumscriptionem videt, immensa spatia cogitatione format inaniter: et hanc speciem<sup>3</sup> sibi futuræ habitacionis pollicetur; nesciens oculorum concupiscentiam se trahere, et cum hoc mundo ire velle extra mundum; quem propterea ipsum esse non putat, quia ejus clariorem partem per infinitum falsa cogitatione distendit. Quod non solum de hac luce, sed etiam de aqua, postremo de vino, de melle, de auro, de argento, de ipsis denique pulpis, vel sanguine, vel ossibus quorumlibet animalium, et cæteris hujusmodi rebus facillime fieri potest. Nihil enim est corporis, quod non vel unum visum possit innumerabiliter cogitari, vel in parvo spatio visum possit eadem imaginandi facultate per infinita diffundi. Sed facillimum est exterari carnem, difficillimum autem non carnaliter sapere.

CAPUT XXI. — *Anima seducitur, dum fugaces corporum pulchritudines consecratur.*

41. Hac ergo perversitate animæ, quæ contingit peccato atque supplicio, sit omnis natura corporea illud quod per Salomonem dicitur: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quæ abundantia homini in omni labore ejus, quo ipse laborat sub sole (Eccle. 1, 2, 3)?* Neque enim frustra est additum, *vanitatum*, quia si vanitantes detrahas, qui tanquam prima sectantur extrema, non erit corpus vanitas; sed in suo genere, quamvis extremam, pulchritudinem sine ullo errore monstrabit. Temporalium enim specierum multiformitas ab unitate Dei hominem lapsam per carnales sensus diverberavit, et mutabili varietate multiplicavit ejus affectum: ita facta est abundantia laboriosa, et, si dici potest, copiosa egestas, dum aliud et aliud sequitur, et nihil cum eo permanet. Sic a tempore frumenti, vini et olei sui multiplicatus est, ut non inveniat idipsum (*Psal. iv, 8, 9*), id est naturam incommutabilem et singularem, quam secutus non erret, et assecutus non doleat. Habebit enim etiam consequentem redemptionem corporis sui (*Rom. vii, 23*), quod

<sup>1</sup> Editi: *Natura scilicet corporea*. At Mss. decem, *naturæ scilicet corporeæ*.

<sup>2</sup> Editi, *male delecta nuntiaverat*. Mss. octo, *maledicta nuntiaverit*. Alii duo, *male docta*; unus, *male ducta*; aliquot alii, *male delectata nuntiaverit*.

<sup>3</sup> Lov. et Arn., *spem*. sed melius antiquæ editiones et Mss., *speciem*.

jam non corrumpitur. Nunc vero corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem (*Sap. ix, 15*), quia rapitur in ordinem successionis extrema corporum pulchritudo. Nam ideo extrema est, quia simul non potest habere omnia; sed dum alia cedunt atque succedunt, temporalium formarum numerum in unam pulchritudinem complent<sup>1</sup>.

CAPUT XXII. — *Rerum transæuntium administratio solis impiis displicet.*

42. Et hoc totum non propterea malum, quia transit. Sic enim et versus in suo genere pulcher est, quamvis duæ syllabæ simul dici nullo modo possint. Nec enim secunda enuntiatur, nisi prima transierit; atque ita per ordinem pervenitur ad finem, ut cum sola ultima sonat, non secum sonantibus superioribus, formam tamen et decus metricum cum præteritis contexta perficiat. Nec ideo tamen ars ipsa qua versus fabricatur, sic tempori obnoxia est, ut pulchritudo ejus per mensuras morarum digeratur: sed simul habet omnia, quibus efficit versus non simul habentem omnia, sed posterioribus priora tollentem; propterea tamen pulchrum, quia extrema vestigia illius pulchritudinis ostendat, quam constanter atque incommutabiliter ars ipsa custodit.

43. Itaque, ut nonnulli perversi magis amant versus, quam artem ipsam qua conficitur versus, quia plus se auribus quam intelligentiæ dederunt: ita multi temporalia diligunt, conditricem vero ac mædatricem temporum divinam providentiam non requirunt; atque in ipsa dilectione temporalium nolunt transire quod amant, et tam sunt absurdi, quam si quisquam in recitatione præclari carminis unam aliquam syllabam solam perpetuo vellet audire. Sed tales audiores carminum non inveniuntur; talibus autem rerum æstimatoribus plena sunt omnia; propterea quia nemo est, qui non facile non modo totum versus, sed etiam totum carmen possit audire; totum autem ordinem sæculorum sentire nullus hominum potest. Huc accedit quod carminis non sumus partes, sæculorum vero partes damnatione facti sumus. Illud ergo canitur sub judicio nostro, ista peraguntur de labore nostro. Nulli autem victo ludi agonistici placeat, sed tamen cum ejus dedecore decori sunt: et hæc enim quedam imitatio veritatis est. Nec ob aliud a talibus prohibemur spectaculis, nisi ne umbris rerum decepti, ab ipsis rebus quarum illæ umbræ sunt, aberremus. Ita universitatis hujus conditio atque administratio, solis impiis animis damnatisque non placet; sed etiam cum miseria earum<sup>2</sup>, multis vel in terra victicibus, vel in cælo sine periculo spectantibus placet: nihil enim justum displicet justo.

CAPUT XXIII. — *Omnia substantia bona.*

44. Quocirca, cum omnis anima rationalis aut pec-

<sup>1</sup> Sic Mss. plerique. At Er. Lov. et Arn., *numeros in pulchritudinem complent*.

<sup>2</sup> Er. et Ms. Casalensis: *Sed etiam animalibus sanctis cum miseria earum*. Lov., *sed etiam animalibus sanctis cum*, etc. Locus interpolatus, quem Mss. plerique necnon editores Bad. et Arn. sic exhibent: *sed etiam cum miseria*, etc.

catis suis misera sit, aut recte factis beata; omnis autem irrationalis aut cedat potentiori, aut pareat meliori, aut comparetur æquali, aut certantem<sup>1</sup> exerceat<sup>2</sup>, aut damnato noceat; et omne corpus suæ animæ serviat, quantum pro ejus meritis, et pro rerum ordine sinitur: nullum malum est naturæ universæ, sed sua cuique culpa sit malum. Porro cum anima per Dei gratiam regenerata, et in integrum restituta, et illi subdita uni a quo est creata, instaurato etiam corpore in pristinam firmitatem, non cum mundo possideri, sed mundum possidere cœperit, nullum ei malum erit: quia ista infima pulchritudo temporalium vicissitudinum, quæ cum ipsa peragebatur, sub ipsa peragetur; et erit, ut scriptum est, *Cælum novum et terra nova* (*Isai. LXV, 17, et Apoc. XXI, 1*), non in parte laborantibus animis, sed in universitate regnantibus. *Omnia enim vestra*, inquit Apostolus, *vos autem Christi, Christus autem Dei* (*I Cor. III, 22*): et, *Caput mulieris vir, caput viri Christus; caput autem Christi Deus* (*Id. XI, 3*). Quoniam igitur vitium animæ non natura ejus, sed contra naturam ejus est, nihilque aliud est quam peccatum et pœna peccati; inde intelligitur nullam naturam, vel, si melius ita dicitur, nullam substantiam sive essentiam malum esse. Neque de peccatis pœnisque ejus animæ efficitur, ut universitas ulla deformitate turpetur. Quia rationalis substantia, quæ ab omni peccato munda est, Deo subjecta, subjectis sibi cæteris dominatur. Ea vero quæ peccavit, ibi ordinata est, ubi esse tales decet, ut Deo conditore atque rectore universitatis decora sint omnia. Et est pulchritudo universæ creaturæ per hæc tria inculpabilis; damnationem peccatorum, exercitationem justorum, perfectionem beatorum.

CAPUT XXIV. — *Duplici via salutis hominis consultitur, auctoritate et ratione: ac primo de auctoritatis subsidio agitur usque ad caput 29.*

45. Quamobrem ipsa quoque animæ medicina, quæ divina providentia et ineffabili beneficentia geritur, gradatim distincteque pulcherrima est. Distribuit enim in auctoritatem atque rationem. Auctoritas fidem flagitat, et rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quanquam neque auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur cui sit credendum; et certe summa est ipsius jam cognitæ atque perspicuæ veritatis auctoritas. Sed quia in temporalia devenimus, et eorum amore ab æternis impedimur, quædam temporalis medicina, quæ non scientes, sed credentes ad salutem vocat, non naturæ et excellentiæ<sup>3</sup>, sed ipsius temporis ordine prior est. Nam in quem locum quisque ceciderit, ibi debet incumbere ut surgat. Ergo ipsis carnalibus formis, quibus detinemur, nitendum est, ad eas cognoscendas quas caro non nuntiat. Eas enim carnales voco, quæ per carnem sentiri queunt, id est per oculos, per aures, cæterosque corporis sensus. Illis ergo carnalibus vel corporalibus formis inhærere

amore pueros necesse est; adolescentæ vero prope necesse est; hinc jam procedente ætate non est necesse.

CAPUT XXV. — *Quorum hominum seu librorum auctoritati de Dei cultu credendum.*

46. Quoniam igitur divina providentia, non solum singulis hominibus quasi privatim, sed universo generi humano tanquam publice consultit; quid cum singulis agatur, Deus qui agit atque ipsi cum quibus agitur sciunt. Quid autem agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit, et per prophetiam. Temporalium autem rerum fides, sive præteritarum, sive futurarum, magis credendo quam intelligendo valet. Sed nostrum est considerare, quibus vel hominibus vel libris credendum sit ad colendum recte Deum, quæ una salus est. Hujus rei prima disceptatio est, utrum iis potius credamus, qui ad multos deos, an iis qui ad unum Deum colendum nos vocant. Quis dubitet eos potissimum sequendos qui ad unum vocant, præsertim cum illi multorum cultores, de hoc uno Domino cunctorum et rectore consentiant? et certe ab uno incipit numerus. Prius ergo isti sequendi sunt, qui unum Deum summum solum verum Deum, et solum colendum esse dicunt. Si apud hos veritas non eluxerit, tum demum migrandum est (a). Sicut enim in ipsa rerum natura major est auctoritas unius ad unum omnia redigentis, nec in genere humano multitudinis ulla potentia est nisi consentientis, id est unum sentientis: ita in religione qui ad unum vocant, eorum major et fide dignior case debet auctoritas.

47. Altera consideratio est dissensionis ejus quæ de unius Dei cultu inter homines orta est. Sed accipimus, majores nostros eo gradu fidei<sup>4</sup>, quo a temporalibus ad æterna conscenditur, visibilia miracula (non enim aliter poterant) secutos esse: per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, et eorum consuetudine frigeret genus humanum, quorum novitate flagravit (b): nec jam nobis dubium esse oportet iis esse credendum, qui cum ea prædicarent quæ pauci assequuntur, se tamen sequendos populis persuadere potuerunt. Nunc enim agitur quibus credendum sit, antequam quisque sit idoneus ineundæ rationi de divinis et invisibilibus rebus; nam ipsi rationi purgatoris animæ, quæ ad perspicuam veritatem pervenit, nullo modo auctoritas humana præponitur: sed ad hanc nulla superbia perducit<sup>5</sup>. Quæ si non esset, non essent hæretici, neque schismatici, nec carne circumcisi, nec creaturæ simulacrorumque cultores. Hi autem si non essent ante perfectionem populi, quæ promittitur, multo pigrius veritas quæreretur.

<sup>1</sup> Abest *fidei* a Mss. quindecim, necnon a Bad. et Fr. Editi, *nulla superbia humanu perducit*. Abest *humana* a Mss.

(a) I Retract. cap. 15, n. 6.

(b) Ibid. n. 7.

<sup>1</sup> Lov. et Arn., *certamen*. Sed concinnius Bad. Er. et Mss. octo, *certantem*.

<sup>2</sup> Mss. quamvis, *non natura excellentiæ*.

CAPUT XXVI. — *Divina providentia erga nostram salutem ad sex ætates hominis veteris ac novi.*

48. Dispensatio ergo temporalis, et medicina divinæ providentiæ, erga illos qui peccato mortalitatem meruerunt, sic traditur. Primo unius cujuslibet hominis nascentis natura, et eruditio cogitatur. Prima hujus ætas infantia in nutrimentis corporalibus agitur, penitus obliviscenda crescenti. Eam pueritia sequitur, unde incipimus aliquid meminisse. Huic succedit adolescentia, cui jam propagationem proles natura permittit, et patrem facit. Porro adolescentiam juvenus excipit, jam exercenda muneribus publicis, et domanda sub legibus; in qua vehementior prohibitio peccatorum, et pœna peccantium serviliter coercens, carnalibus animis atrociores impetus libidinis gignit, et omnia commissa congeminat. Non enim simplex peccatum est, non solum malum, sed etiam vetitum admittere. Post labores autem juventutis, seniori pax nonnulla conceditur. Inde usque ad mortem deterior ætas ac decolor, et morbis subjectior debilisque perducit. Hæc est vita hominis viventis ex corpore, et cupiditatibus rerum temporalium colligati. Hic dicitur vetus homo, et exterior, et terrenus, etiamsi obtineat eam quam vulgus vocat felicitatem, in bene constituta terrena civitate, sive sub regibus, sive sub principibus, sive sub legibus, sive sub his omnibus: aliter enim bene constitui populus non potest, etiam qui terrena sectatur; habet quippe et ipse modum quemdam pulchritudinis suæ.

49. Hunc autem hominem, quem veterem et exteriorem et terrenum descripsimus, sive in suo genere moderatum, sive etiam servilis justitiæ modum excedentem, nonnulli agunt totum ab istius vitæ ortu usque ad occasum. Nonnulli autem istam vitam necessario ab illo incipiunt, sed renascuntur interior, et cæteras ejus partes suo robore spirituali et incrementis sapientiæ corrumpunt et necant, et in cœlestes leges, donec post visibilem mortem totum instauretur, adstringunt. Iste dicitur novus homo, et interior, et cœlestis, habens et ipse proportionem, non annis, sed propectibus distinctas quasdam spirituales ætates suas. Primam in uberibus utilis historiæ, quæ nutrit exemplis. Secundam jam obliviscentem humana, et ad divina tendentem, in qua non auctoritatis humanæ sinu continetur, sed ad summam et incommutabilem legem passibus rationis innititur. Tertiam jam fidentiore, et carnalem appetitum rationis robore maritantem, gaudentemque intrinsecus in quadam dulcedine conjugali, cum anima menti copulatur, et velamento pudoris obnubitur, ut jam recte vivere non cogatur, sed etiamsi omnes concedant, peccare non libeat. Quartam jam idipsum multo firmiter ordinatiusque facientem et emicantem in virum perfectum, atque aptam et idoneam omnibus et persecutionibus, et mundi hujus tempestatibus ac fluctibus sustinendis atque frangendis. Quintam pacatam atque ex omni parte tranquillam, viventem in opibus et abundantia incommutabilis regni summæ atque ineffabilis sapientiæ. Sextam omnimodæ voluptationis in æternam vitam,

et usque ad totam oblivionem vite temporalis transcurrentem in perfectam formam, quæ facta est ad imaginem et similitudinem Dei. Septima enim jam quies æterna est, et nullis ætatibus distinguenda beatitudo perpetua. Ut enim finis veteris hominis mors est, sic finis novi hominis vita æterna. Ille namque homo peccati est, iste justitiæ.

CAPUT XXVII. — *Utriusque hominis decursus in universo hominum genere.*

50. Sicut autem isti ambo nullo dubitante ita sunt, ut unum eorum, id est veterem atque terrenum, possit in hac tota vita unus homo agere, novum vero et cœlestem nemo in hac vita possit nisi cum veterem; nam et ab ipso incipiat necesse est, et usque ad visibilem mortem cum illo, quamvis eo deficiente, se proficiente, perduret: sic proportione universum genus humanum, cujus tanquam unius hominis vita est ab Adam usque ad finem hujus sæculi, ita sub divinæ providentiæ legibus administratur, ut in duo genera distributum appareat. Quorum in uno est turba impiorum, terreni hominis imaginem ab initio sæculi usque ad finem gerentium. In altero, series populi uni Deo dediti, sed ab Adam usque ad Joannem Baptistam terreni hominis vitam gerentis servili quadam justitia: cujus historia Vetus Testamentum vocatur, quasi terrenum pollicens regnum; quæ tota nihil aliud est quam imago novi populi, et Novi Testamenti pollicentis regnum cœlorum. Cujus populi vita interior temporalis incipit a Domini adventu in humilitate, usque ad diem judicii, quando in claritate venturus est. Post quod judicium, veterem hominem extincto, erit illa mutatio quæ angelicam vitam pollicetur: *Omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur* (1 Cor. xv, 51). Resurget ergo pius populus, ut veteris hominis sui reliquias transformet in novum. Resurget autem impius populus, qui ab initio usque ad finem veterem hominem gessit, ut in secundam mortem præcipitetur. Ætatum autem articulos, qui diligenter legunt, inveniunt; nec zizania nec paleas perhorrescunt. Impius namque pio vivit, et peccator justo, ut eorum comparatione alacrius, donec perficiatur, assurgat.

CAPUT XXVIII. — *Quæ, quibus et quo pacto tradenda.*

51. Quisquis autem populi terreni temporibus usque ad illuminationem interioris hominis meruit pervenire, genus humanum pro tempore adjuvit, exhibens ei quod ætas illa poscebat, et per prophetiam intimans id quod exhibere opportunum non erat: quales Patriarchæ ac Prophetæ inveniuntur ab iis qui non pueriliter insiliunt (a), sed pie diligenterque pertractant divinarum et humanarum rerum tam bonum, et tam grande secretum. Quod etiam temporibus novi populi, a magnis et spiritualibus viris Ecclesiæ catholice alumnis video cautissime provideri: ne quid populariter agant, quod nondum esse temporis, ut cum populo agatur, intelligunt; alimenta lactea large avidis infirmioribus pluribus atque instanter infundunt, validioribus autem cibis cum sapientibus paucis ve-

(a) Ut Manichei.



seuntur. Sapientiam enim loquuntur inter perfectos, carnalibus vero et animalibus, quamvis novis hominibus, adhuc tamen parvulis, nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur. Non enim honoribus suis vanis consulunt et inanibus laudibus; sed utilitati eorum cum quibus societatem vitæ hujus inire meruerunt. Hæc enim lex est divinæ providentiæ, ut nemo a superioribus adjuvetur ad cognoscendam et percipiendam gratiam Dei, qui non ad eandem puro affectu inferiores adjuverit. Ita de peccato nostro, quod in homine peccatore ipsa natura nostra commisit, et genus humanum factum est magnum decus ornamentumque terrarum, et tam decenter divinæ providentiæ procuratione administratur, ut ars ineffabilis medicinæ ipsam vitiorum fœditatem in nescio quam sui generis pulchritudinem vertat.

**CAPUT XXIX.** — *De altero salutis subsidio, scilicet ratione; quomodo hac duce ad Deum homo evahitur: hæc primum sensibus præstare deprehenditur.*

52. Et quoniam de auctoritatis beneficentia, quantum in præsentia satis visum est, locuti sumus; videamus quatenus ratio possit progredi a visibilibus ad invisibilia, et a temporalibus ad æterna conscendens. Non enim frustra et inaniter intueri oportet pulchritudinem cæli, ordinem siderum, candorem lucis, diurnum et nocturnum vicissitudines, lunæ menstrua curricula, anni quadrifariam temperationem, quadripartitis elementis congruentem, tantam vim seminum species numerosque gignentium, et omnia in suo genere modum proprium naturamque servantia. In quorum consideratione non vana et peritura curiositas exercenda est, sed gradus ad immortalia et semper manentia faciendus. Proximum enim est, attendere quæ ista sit natura vitalis, quæ cuncta ista sentit: quæ profecto quoniam vitam dat corpori, præstantior eo sit necesse est. Non enim qualiscumque moles, quamquam ista visibili luce præfulgeat, si vita caret, magni æstimanda est. Quælibet namque viva substantia cuiuslibet non vivæ substantiæ, naturæ lege præponitur (a).

53. Sed quia irrationalia quoque animantia vivere atque sentire nemo ambigit, illud in animo humano præstantissimum est, non quo sentit sensibilia, sed quo judicat de sensibilibus. Nam et vident acutius, et cæteris corporis sensibus acrius corpora attingunt pleræque bestię quam homines: sed judicare de corporibus non sentientis tantum vitæ, sed etiam ratiocinantis est; qua illæ carent, nos excellimus. Jam vero illud videre facillimum est, præstantiorem esse judicantem, quam illa res est de qua judicatur. Non solum autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoque sensibus judicat; cur in aqua remum infractum oporteat apparere cum rectus sit, et cur ita per oculos sentiri necesse sit: nam ipse aspectus oculorum renuntiare id potest, judicare autem nullo modo. Quare manifestum est, ut sensualem vitam corpori, ita rationalem utrique præstare.

**CAPUT XXX.** — *At ratione præstantior lex immutabilis, scilicet veritas secundum quam judicat.*

54. Itaque si rationalis vita secundum seipsam ju-

(a) Comm. lib. 2 de Libero Arbitrio, cap 3 et seqq.

dicat, nulla jam est natura præstantior. Sed quia clarum est eam esse mutabilem, quando nunc perita, nunc imperita invenitur; tanto autem melius judicat, quanto est peritior; et tanto est peritior, quanto alicujus artis vel disciplinæ vel sapientiæ particeps est: ipsius artis natura quærenda est. Neque nunc artem intelligi volo, quæ notatur experiendo, sed quæ ratiocinando indagatur. Quid enim præclarum novit, qui novit ea impensa quæ calce et arena confit, tenacius lapides coherere, quam luto? aut qui tam eleganter ædificat, ut quæ plura sunt, paria paribus respondeant; quæ autem singula, medium locum tenent? quanquam iste sensus jam sit rationi veritatique vicinior. Sed certe quærendum est cur nos offendat, si duabus fenestris non super invicem, sed juxta invicem locatis, una earum major minorve sit, cum æquales esse potuerint: si vero super invicem fuerint, ambæque dimidio<sup>1</sup> quamvis impares, non ita offendat illa inæqualitas; et cur non multum coremus, quanto sit una earum aut major aut minor, quia duæ sunt. In tribus autem sensus ipse videtur expetere ut aut impares non sint, aut inter maximam et minimam ita sit media, ut tanto præcedat minorem, quanto a majore præceditur. Ita enim primo quasi natura ipsa consultiur quid probet. Ubi potissimum notandum est, quemadmodum quod solum inspectum minus displicerit, in melioris comparatione re-putatur. Ita reperitur nihil esse aliud artem vulgarem, nisi rerum expertarum placitarumque memoriam, usu quodam corporis atque operationis adjuncto: quo si careas, judicare de operibus possis, quod multo est excellentius, quamvis operari artificiosa non possis.

55. Sed cum in omnibus artibus convenientia placeat, qua una salva et pulchra sint omnia; ipsa vero convenientia æqualitatem unitatemque appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium: quis est qui summam æqualitatem vel similitudinem in corporibus inveniat, audeatque dicere, cum diligenter consideraverit quodlibet corpus vere ac simpliciter unum esse; cum omnia vel de specie in speciem, vel de loco in locum transcenduntur, et partibus constant sua loca obtinentibus, per quæ in spatia diversa dividuntur? Porro ipsa vera æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera et prima unitas, non oculis carnis, neque ullo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Unde enim qualiscumque in corporibus appeteretur æqualitas, aut unde convinceretur, longe plurimum differre a perfecta, nisi ea quæ perfecta est, mente videretur? si tamen quæ facta non est, perfecta dicenda est.

56. Et cum omnia quæ sensibiliter pulchra sunt, sive natura edita, sive artibus elaborata, locis et temporibus sint pulchra, ut corpus et corporis motus; illa æqualitas et unitas menti tantummodo cognita, secundam quam de corporea pulchritudine sensu internuntio judicatur, nec loco tumida est, nec instabilis tempore. Non enim recte dici potest secundam eam judicari rotundum canthum, et non secundam

<sup>1</sup> Sic præstantiores Mss. At Edd. habent, de media.

eam rotundum vasculum; aut secundum eam rotundum vasculum, et non secundum eam rotundum denarium. Similiter in temporibus atque in motibus corporum, ridicule dicitur secundum eam judicari æquales annos, et non secundum eam æquales menses; aut secundum eam æquales menses, et non secundum eam æquales dies. Sed sive per hæc spatia, sive per horas, sive per breviora momenta convenienter moveatur aliquid, eadem una et incommutabili æqualitate judicatur. Quod si minora et majora spatia figurarum atque motionum secundum eandem legem paritatis, vel similitudinis, vel congruentiæ judicantur, ipsa lex major est his omnibus, sed potentia. Cæterum spatio aut loci aut temporis, nec major nec minor: quia si major esset, non secundum totam judicaretur minor; si autem minor esset, non secundum eam judicaretur majora<sup>1</sup>. Nunc vero cum secundum totam quadraturæ legem judicetur et forum quadratum, et lapis quadratus, et tabella et gemma quadrata; rursus secundum totam æqualitatis legem judicentur convenire sibi motus pedum currentis formice, et secundum eam gradientis elephantis: quis eam dubitet locorum intervallis ac temporum, nec majorem esse, nec minorem, cum potentia superet omnia? Hæc autem lex omnium artium cum sit omnino incommutabilis, mens vero humana cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur.

CAPUT XXXI. — *Deus summa ista lex est secundum quam ratio judicat, sed quam judicare non licet.*

57. Nec jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse; et ibi esse primam vitam et primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium recte dicitur, et ars omnipotentis artificis. Itaque cum se anima sentiat nec corporum speciem motumque judicare secundum seipsam, simul oportet agnoscat præstare suam naturam ei naturæ de qua judicat; præstare autem sibi eam naturam, secundum quam judicat, et de qua judicare nullo modo potest. Possum enim dicere quare similia sibi ex utraque parte respondere membra cujusque corporis debeant; quia summa æqualitate delector, quam non oculis corporis, sed mentis contueor: quapropter tanto meliora esse judico quæ oculis cerno, quanto pro sua natura viciniore sunt iis quæ animo intelligo. Quare autem illa ita sint, nullus potest dicere: nec ita debere esse quisquam sobrie dixerit, quasi possint esse non ita.

58. Quare autem nobis placeant, et cur ea, quando melius sapimus, vehementissime diligamus, ne id quidem quisquam, si ea rite intelligit, dicere audebit. Ut enim nos et omnes animæ rationales, secundum veritatem de inferioribus recte judicamus; sic de nobis, quando eidem cohæremus, sola ipsa Veritas judicat.

<sup>1</sup> Editi: *Non secundum eam judicaretur majora.* Melius *Mss., non secundum totam.*

De ipsa vero nec Pater, non enim minor est quam ipse<sup>1</sup>, et ideo quæ Pater judicat, per ipsam judicat. Omnia enim quæ appetunt unitatem, hanc habent regulam, vel formam, vel exemplum, vel si quo alio verbo dici se sinit; quoniam sola ejus similitudinem a quo esse accepit, implevit: si tamen, accepit, non incongrue dicitur, pro ea significatione, qua Filius appellatur, quia non de seipso est, sed de primo summoque principio, qui Pater dicitur; *ex quo omnis paternitas in cælo et in terra nominatur* (Ephes. iii, 15). *Pater ergo non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (Joan. v, 22): et, *spiritualis homo judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur*. (I Cor. ii, 15), id est a nullo hominè, sed a sola ipsa lege secundum quam judicat omnia; quoniam et illud verissime dictum est, *Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi* (II Cor. v, 10). Omnia ergo judicat, quia super omnia est, quando cum Deo est. Cum illo autem est, quando purissime intelligit, et tota charitate, quod intelligit, diligit. Ita etiam, quantum potest, lex ipsa etiam ipse fit, secundum quam judicat omnia, et de qua judicare nullus potest. Sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. Condito tamen legum temporalium, si vir bonus est et sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est; ut secundum ejus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum vetandumque discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, judicare non fas est. Hoc autem interest, quod ad cognoscendum satis est ut videamus ita esse aliquid vel non ita: ad judicandum vero addimus aliquid quo significemus posse esse et aliter; velut cum dicimus, Ita esse debet, aut, ita esse debuit, aut, ita esse debet; ut in suis operibus artifices faciunt.

CAPUT XXXII. — *Unitatis in corporibus est vestigium, sed ipsa unitas non nisi mente conspicitur.*

59. Sed multis finis est humana delectatio, nec volunt tendere ad superiora, ut judicent cur ista visibilia placeant. Itaque si quæram ab artifice, uno arcu constructo, cur alterum parem contra in altera parte molitur; respondebit, credo, ut paria paribus ædificii membra respondeant. Porro si pergam quærere, id ipsum cur eligat; dicet hoc decere, hoc esse pulchrum, hoc delectare cernentes: nihil audebit amplius. Inclinatus enim recumbit oculis, et unde pendeat non intelligit. At ego virum intrinsecus oculatum, et invisibiliter videntem non desinam commonere cur ista placeant, ut iudex esse audeat ipsius delectationis humanæ. Ita enim superfertur illi, nec ab ea tenetur, dum non secundum ipsam, sed ipsam judicat. Et prius quæram utrum ideo pulchra sint, quia delectant; an ideo delectent, quia pulchra sunt. Hic mihi sine dubitatione respondebitur, ideo delectare quia pulchra sunt. Quæram ergo deinceps, quare sint pulchra; et si titubabitur, subjiciam, utrum ideo quia similes sibi par-

<sup>1</sup> *Mss. duodecim habent: Non enim minus est quam ipse*

tes sunt, et aliqua copulatione ad unam convenientiam rediguntur.

60. Quod cum ita esse compererit, interrogabo utrum hanc ipsam unitatem, quam convincuntur appetere, summe impleant, an longe infra jaceant, et eam quodammodo mentiantur. Quod si ita est (nam quis non admonitus videat, neque ullam speciem, neque ullum omnino esse corpus quod non habeat unitatis qualescumque vestigium; neque quantumvis pulcherrimum corpus, cum intervallis locorum necessario aliud alibi habeat, posse assequi eam quam sequitur unitatem?): quare si hoc ita est, flagitabo ut respondeat, ubi videat ipse unitatem hanc, aut unde videat: quam si non videret, unde cognosceret et quid imitaretur corporum species, et quid implere non posset? Nunc vero cum dicit corporibus, Vos quidem nisi aliqua unitas contineret, nihil essetis, sed rursus si vos essetis ipsa unitas, corpora non essetis; recte illi dicitur, Unde illam nosti unitatem, secundum quam judicas corpora, quam nisi videres, judicare non posses quod eam non impleant: si autem his corporeis oculis eam videres, non vere diceres, quanquam ejus vestigio teneantur, longe tamen ab ea distare? nam istis oculis corporeis non nisi corporalia vides: mente igitur eam videmus. Sed ubi videmus? Si hoc loco esset ubi corpus nostrum est, non eam videret qui hoc modo in Oriente de corporibus judicat. Non ergo ista continetur loco; et cum adest ubicumque judicanti, nusquam est per spatia locorum, et per potentiam nusquam non est.

CAPUT XXXIII. — *Non corpora, nec sensus corporis, sed judicium mentitur. Differunt mentiens et fallens.*

61. Quod si eam corpora mentiuntur, non est credendum mentientibus, ne incidamus in vanitates vanitantium: sed querendum potius est, cum ideo mentiuntur, quia eam videntur ostendere oculis carnis, cum illa mente pura videatur, utrum in tantum mentiuntur, in quantum ei similia sunt, an in quantum eam non assequuntur. Nam si assequerentur, quod imitantur implerent. Si autem implerent, omnino essent similia. Si omnino essent similia, nihil inter illam naturam et istam interesset. Quod si ita esset, non eam mentiuntur: id enim essent quod illa est. Nec tamen mentiuntur diligentius considerantibus: quia ille mentitur qui vult videri id quod non est; quod autem non volens aliud putatur quam est, non mentitur, sed fallit tantum. Nam ita discernitur mentiens a fallente, quod inest omni mentienti voluntas fallendi, etiamsi non ei credatur: fallens autem esse non potest, qui non fallit. Ergo corporea species, quia nullam voluntatem habet, non mentitur: si vero etiam non putetur esse quod non est, nec fallit.

62. Sed ne ipsi quidem oculi fallunt; non enim renuntiare possunt animo nisi affectionem suam. Quod si non solum ipsi, sed etiam omnes corporis sensus ita renuntiant ut afficiuntur; quid ab eis amplius exigere debeamus ignoro. Tolle itaque vanitantes, et nulla erit vanitas. Si quis remum frangi in aqua opinatur, et cum inde aufertur integrari; non malum habet internuntium, sed malus est iudex. Nam ille pro

sua natura non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit: si enim aliud est aer, aliud aqua, justum est ut aliter in aere, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus recte; ad hoc enim factus est ut tantum videat: sed animus perverse, cui ad contemplandam summam pulchritudinem mens, non oculus factus est. Ille autem vult mentem convertere ad corpora, oculos ad Deum. Querit enim intelligere carnalia, et videre spiritualia; quod fieri non potest.

CAPUT XXXIV. — *Conficta phantasmata quomodo judicentur.*

63. Quare ista perversitas corrigenda est, quia nisi fecerit quod sursum est deorsum, et quod deorsum est sursum, regno caelorum aptus non erit. Non ergo summa quaeramus in infimis, nec ipsis infimis inhareamus<sup>1</sup>. Judicemus ea, ne cum ipsis judicemur; id est, tantum eis tribuamus, quantum species meretur extrema, ne cum in novissimis prima quaerimus, a primis inter novissima numeremur. Quod nihil ipsis novissimis obest, sed nobis plurimum. Nec ideo divinae providentiae administratio minus decora sit; quia et injusti juste, et sordi pulchre ordinantur. Et si propterea nos fallit rerum visibilium pulchritudo, quia unitate continetur, et non implet unitatem; intelligamus, si possumus, non ex eo quod est nos falli, sed ex eo quod non est. Omne quippe corpus verum corpus est, sed falsa unitas. Non enim summe unum est, aut in tantum id imitatur ut impleat: et tamen nec corpus ipsum esset, nisi utcumque unum esset. Porro utcumque unum esse non posset, nisi ab eo quod summe unum est, id haberet.

64. O animae perversae (a), date mihi qui videat sine ulla imaginatione visorum carnalium. Date mihi qui videat omnis unius principium non esse, nisi unum solum a quo sit omne unum, sive illud impleat, sive non impleat. Qui videat date, non qui litiget, non qui videri velit se videre quod non videt. Date qui resistat sensibus carnis, et plagis quibus per illos in anima vapulavit: qui resistat consuetudini hominum, resistat laudibus hominum, qui compungatur in cubili suo, qui rescupat suum spiritum, qui non foris diligit vanitates, et querat mendacia (Paul. iv, 3, 4); qui jam sibi novit dicere: Si una Roma est, quam circa Tiberim nescio quis Romulus dicitur condidisse, falsa est ista quam cogitans fingo: non enim est ipsa, nec ibi sum animo<sup>2</sup>; nam quid ibi agatur modo, utique scirem. Si unus est sol, falsus est iste quem cogitans fingo: nam ille cutricula sua certis locis et temporibus peragit; istum ego ubi volo, et quando volo constituo. Si unus est ille amicus meus, falsus est iste quem cogitans fingo: nam ille ubi sit nescio; iste ibi fingitur, ubi volo. Ego ipse certe unum sum, et hoc loco esse sentio corpus meum; et tamen figmento cogitationis pergo quo libet, loquor cum quo libet. Falsa sunt haec; nec quisquam intelligit falsa. Non ergo intelligo, cum ista contemplor, et istis credo; quia ve-

<sup>1</sup> Mss. duodecim, *imideamus.*

<sup>2</sup> Rad. Lov. et Ara., *neq. ibi sum modo. Sed preferenda visa est lectio Er. et Mss. decem, nec ibi sum animo.*

(a) Manichaei phantasmatibus addicti, lib. 3 Confess., 1. 6, et lib. 9, c. 4.

rum esse oportet quod intellectu contempler : numquid forte sunt ista quæ phantasmata dici solent? Unde ergo impleta est anima mea illusionibus? Ubi est verum, quod mente conspicitur? Ita cogitanti jam dici potest : Illa lux vera est qua hæc non esse vera cognoscis. Per hanc illud unum vides, quo iudicas unum esse quiddam aliud vides, nec tamen hoc esse quod illud est, quiddam mutabile vides.

CAPUT XXXV. — *Vacandum ut Deus cognoscatur.*

65. Quod si hæc intueri palpitat mentis aspectus, quiescite; nolite certare, nisi cum consuetudine corporum : ipsam vincite, et victa erunt omnia. Unum certe querimus, quo simplicius nihil est. Ergo in simplicitate cordis queramus illum. *Agite otium*, inquit, *et agnosceitis quia ego sum Dominus (Psal. xlv, 11)* : non otium desidæ, sed otium cogitationis, ut a locis et temporibus vacet. Hæc enim phantasmata tumoris et volubilitatis, constantem unitatem videre non sinunt. Loca offerunt quod amemus, tempora surripiunt quod amamus, et relinquunt in anima turbas phantasmatum, quibus in aliud atque aliud cupiditas incitur. Ita fit inquietus et ærumnosus animus, frustra tenere a quibus tenetur, exoptans. Vocatur ergo ad otium, id est, ut ista non diligat, quæ diligi sine labore non possunt. Sic etiam eis dominabitur, sic non tenebitur, sed tenebit. *Jugum meum*, inquit, *leve est (Matth. xi, 30)*. Huic jugo qui subjectus est, subjecta habet cætera. Non ergo laborabit; non enim resistit quod subjectum est. Sed miseri amici hujus mundi, cujus domini erunt, si filii Dei esse voluerint, quoniam dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan. i, 12*); amici ergo hujus mundi tam timent ab ejus amplexu separari, ut nihil eis sit laboriosius, quam non laborare.

CAPUT XXXVI. — *Verbum Dei ipsa est veritas, quia omnino implet id a quo principio unum est quiddam est unum. Falsitas non ex rebus, sed ex peccatis.*

66. Sed cui saltem illud manifestum est, falsitatem esse, qua id putatur esse quod non est, intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id quod est. At si corpora in tantum fallunt, in quantum non implent illud unum quod convincuntur imitari, a quo Principio unum est quiddam est, ad cujus similitudinem quiddam imitur, naturaliter approbamus; quia naturaliter improbamus quiddam ab unitate discedit, atque in ejus dissimilitudinem tendit : datur intelligi esse aliquid, quod illius unius solius, a quo Principio unum est quiddam aliquo modo unum est, ita simile sit ut hoc omnino impleat ac sit id ipsum; et hæc est Veritas et Verbum in Principio, et Verbum Deus apud Deum. Si enim falsitas ex his est quæ imitantur unum, non in quantum id imitantur, sed in quantum implere non possunt; illa est Veritas quæ id implere potuit, et id esse quod est illud; ipsa est quæ illud ostendit sicut est : unde et Verbum ejus et Lux ejus rectissime dicitur (*Joan. i, 9*). Cætera illius unius similia dici possunt in quantum sunt, in tantum enim et vera sunt : hæc est autem ipsa ejus similitudo, et ideo Veritas. Ut enim veritate sunt vera, quæ vera sunt; ita similitudine similia sunt, quæcumque similia sunt. Ut ergo

veritas forma verorum est, ita similitudo forma similitum est. Quapropter vera quoniam in tantum vera sunt, in quantum sunt; in tantum autem sunt, in quantum principalis unius similia sunt : ea forma est omnium quæ sunt, quæ est summa similitudo Principii; et Veritas est, quia sine ulla dissimilitudine est.

67. Unde falsitas oritur, non rebus ipsis fallentibus, quæ nihil aliud ostendunt sentienti quam speciem suam, quam pro suæ pulchritudinis acceperunt gradu; neque ipsis sensibus fallentibus, qui pro natura sui corporis affecti, non aliud quam suas affectiones præcidenti animo nuntiant : sed peccata animas fallunt, cum verum querunt, relicta et neglecta veritate. Nam quoniam opera magis quam artificem atque ipsam artem dilexerunt, hoc errore puniuntur, ut in operibus artificem artemque conquirant; et cum invenire nequiverint (Deus enim non corporalibus sensibus subjacet, sed ipsi menti supereminet), ipsa opera existiment esse et artem et artificem.

CAPUT XXXVII. — *Impictas idololatriæ multiplicis orta ex amore creaturæ.*

68. Hinc oritur omnis impictas, non modo peccantium, sed etiam damnatorum pro peccatis suis. Non enim tantum scrutari creaturam contra præceptum Dei, et ea frui potius quam ipsa lege et veritate volunt, quod primi hominis peccatum deprehenditur, male utentis libero arbitrio; sed hoc quoque in ipsa damnatione addunt, ut non modo diligant, sed etiam serviant creaturæ potius quam Creatori (*Rom. i, 25*), et eam colant per partes ejus, a summis usque ad ima venientes. Sed aliqui se in hoc tenent, ut pro summo Deo animam colant, et primam intellectualem creaturam, quam per Veritatem Pater fabricavit, ad ipsam Veritatem semper intuendam, et se per ipsam<sup>1</sup>, quia omni modo ei simillima est. Deinde veniunt ad vitam genitalem, per quam creaturam visibilia et temporalia gignentia Deus æternus et incommutabilis operatur. Hinc ad animalia, et inde ad ipsa corpora colenda dilabuntur; et in his primo eligunt pulchriora, in quibus cœlestia maxime excellunt. Ergo in primis solis corpus occurrit, et in eo nonnulli remanent. Aliqui et lunæ splendorem religione dignum putant : est enim nobis, ut perhibetur, propinquior; unde viciniorum speciem habere sentitur. Alii etiam cæterorum siderum corpora adjungunt, et totum cœlum cum stellis suis. Alii cœlo ætherco copulant aerem, et istis duobus superioribus elementis corporeis subjiciunt animas suas. Sed inter hos illi sibi videntur religiosissimi, qui universam simul creaturam, id est mundum totum cum omnibus quæ in eo sunt, et vitam qua spiratur et animatur, quam quidam corpoream, quidam incorpoream esse crediderunt : hoc ergo totum simul unum Deum magnum esse arbitrantur, cujus partes sint cæteræ. Non enim universæ creaturæ auctorem conditoremque noverunt. Inde in simulacra præcipitantur, et ab operibus Dei usque in opera sua demerguntur, quæ tamen adhuc visibilia sunt.

<sup>1</sup> *Loc., et per seipsam.* Sed legendum ut in aliis editionibus et in omnibus Mss. habetur, et se per ipsam.

CAPUT XXXVIII. — *Aliud idololatras genus, quo peccator triplici cupiditati servit.*

69. Est enim alius deterior et inferior cultus simulariorum, quo phantasmata sua colunt, et quidquid animo errante cum superbia vel timore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine observant, donec fiat in anima nihil omnino colendum esse, et errare homines qui superstitioni se involvunt, et misera se implicant servitute. Sed frustra hoc sentiunt: non enim efficiunt ut non serviant; remanent quippe ipsa vitia, quibus ut ipsa colenda opinarentur attracti sunt. Serviunt enim cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi. Nego esse quemquam istorum qui nihil colendum existimant, qui non aut carnalibus gaudiis subditus sit, aut potentiam vanam foveat, aut aliquo spectaculo delectatus insaniat. Ita nescientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem expectent. His autem rebus quibus quisque beatus vult effici, serviat necesse est, velit nolit. Nam quocumque duxerint, sequitur; et quisquis ea visus fuerit auferre posse, metuitur. Posunt autem auferre ista, et scintilla ignis et aliqua parva bestiola. Postremo, ut omnium innumerabiles adversitates, tempus ipsum auferat necesse est omnia transeuntia. Itaque cum omnia temporalia mundus iste concludat, omnibus mundi partibus serviunt, qui propterea putant nihil colendum esse ne serviant.

70. Verumtamen quamquam in hac rerum extremitate miseri jaceant, ut vitia sua sibi dominari patiantur, vel libidine, vel superbia, vel curiositate damnati, vel duobus horum, vel omnibus: quamdiu sunt in hoc stadio vitæ humanæ, licet eis congredi et vincere, si prius credant quod intelligere nondum valent, et non diligant mundum; *quoniam omne quod in mundo est, sicut divinitus dictum est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (1 Joan. II, 16). Hoc modo tria illa sunt notata: nam concupiscentia carnis, voluptatis inflamæ amatores significat; concupiscentia oculorum, curiosos; ambitio sæculi, superbos.

71. Triplex etiam tentatio in homine, quem Veritas ipsa suscepit, cavenda monstrata est. *Dic, inquit tentator, lupidibus istis, ut panes fiant.* At ille unus et solus magister: *Non, inquit, in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.* Ita enim domitam docuit esse oportere cupiditatem voluptatis, ut nec fami cedendum sit. Sed forte dominationis temporalis fastu decipi poterat, qui carnis voluptate non potuit; omnia ergo mundi regna monstrata sunt, et dictum est: *Omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me.* Cui responsum est: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Ita calcata est superbia. Subjecta est autem extrema etiam curiositatis illecebra: non enim ut se de fastigio templi præcipitaret urgebat, nisi causa tantum aliquid experiendi. Sed neque hic victus est, et ideo sic respondit, ut intelligeremus non opus esse ad cognoscendum Deum, tentationibus visibiliter divina explorare molientibus: *Non tentabis, inquit, Dominum Deum tuum* (Matth. IV, 1-10, et Luc. IV, 2-12). Quamobrem quisquis intus verbo Dei pascitur,

non querit in ista eremo voluptatem. Qui uni Deo tantum subjectus est, non querit in monte, id est in terrena elatione jactantiam. Quisquis æterno spectaculo incommutabilis veritatis adhærescit, non per fastigium hujus corporis, id est per hos oculos præcipitatur, ut temporalia et inferiora cognoscat.

CAPUT XXXIX. — *Ex ipsis vitiis suis animam admoneri ut primam pulchritudinem requirat: quod primo de vitio voluptatis ostenditur usque ad caput 43.*

72. Quid igitur restat, unde non possit anima recordari primam pulchritudinem quam reliquit, quando de ipsis suis vitiis potest? Ita enim Sapientia Dei perterrita a fine usque ad finem fortiter (*Sap. VIII, 1*). Ita per hanc summus ille artifex opera sua in unum finem decoris ordinata contexit. Ita illa bonitas a summo usque ad extremum nulli pulchritudini, quæ ab ipso solo esse posset, invidit; ut nemo ab ipsa veritate dejiciatur, qui non excipitur ab aliqua effigie veritatis. Quære in corporis voluptate quid teneat, nihil aliud invenies quam convenientiam: nam si resistentia pariant dolorem, convenientia pariant voluptatem. Recognosce igitur quæ sit summa convenientia. Noli foras ire, in teipsum redi; in interiore homine habitat veritas; et si tuam naturam mutabilem inveneris, transcede et teipsum. Sed memento cum te transcendis, ratiocinantem animam te transcendere. Illuc ergo tende, unde ipsum lumen rationis accenditur. Quo enim pervenit omnis bonus ratiocinator, nisi ad veritatem? cum ad seipsam veritas non utique ratiocinando perveniat, sed quod ratiocinantes appetunt, ipse a sit. Vide ibi convenientiam qua superior esse non possit, et ipse conveni cum ea. Confitere te non esse quod ipsa est: siquidem se ipsa non querit; tu autem ad ipsam quærendo venisti, non locorum spatio, sed mentis affectu, ut ipse interior homo cum suo inhabitatore, non infima et carnali, sed summa et spiritali voluptate<sup>1</sup> conveniat.

73. Aut si non cernis quæ dico, et an vera sint dubitas, cerne saltem utrum te de iis dubitare non dubites; et si certum est te esse dubitantem, quære unde sit certum: non illic tibi, non omnino solis hujus lumen occurret<sup>2</sup>, sed lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Juan. I, 9*). Quod his oculis videri non potest; nec illis quibus phantasmata cogitantur, per eosdem oculos animæ impacta; sed illis quibus ipsis phantasmatis dicitur: *Non estis vos quod ego quæro, neque illud estis unde ego vos ordino; et quod mihi inter vos sædum occurrerit, improbo; quod pulchrum, approbo; cum pulchrius sit illud unde improbo et approbo: quare hoc ipsum magis approbo, et non solum vobis, sed illis omnibus corporibus unde vos hausit, antepono.* Deinde regulam ipsam quam vides, concipe hoc modo: *Omnis qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, et de hac re quam intelligit certus*

<sup>1</sup> Lov. et Arn., *voluntate*, pro quo Bad. Fr. et Mss. septem, *voluptate*.

<sup>2</sup> Ven. Lov. sic regunt hunc locum: *Non illic tibi omnibus solis hujus lumen occurret.* 31.

est: de vero igitur certus est. Omnis igitur qui utrum sit veritas dubitat, in seipso habet verum unde non dubitet; nec ullum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubitare. Ubi videntur hæc, ibi est lumen sine spatio locorum et temporum, et sine ullo spatiorum talium phantasmate. Numquid ista ex aliqua parte corrumpi possunt, etiamsi omnis ratiocinator intereat, aut apud carnales inferos veterascat? Non enim ratiocinatio talia facit, sed invenit. Ergo antequam inveniantur, in se manent, et cum inveniuntur, nos innovant.

CAPUT XL. — *De pulchritudine corporum carnisque voluptate, et de peccantium pœna.*

74. Ita renascitur interior homo, et exterior corrumpitur de die in diem (II Cor. iv, 16). Sed interior exteriorem respicit, et in sua comparatione fœdum videt; in proprio tamen genere pulchrum et corporum convenientia lætantem, et corruptentem quod in bonum suum convertit, alimenta scilicet carnis: quæ tamen corrupta, id est amittentia formam suam, in membrorum istorum fabricam migrant, et corrupta reficiunt, in aliam formam per convenientiam trans-euntia; et per vitalem motum dijudicantur quodammodo, ut ex eis in structuram hujus visibilis pulchri quæ apta sunt assumantur, non apta vero per congruos<sup>1</sup> meatus ejiciantur. Quorum aliud faculentissimum redditur terræ ad alias formas assumendas, aliud per totum corpus exhalat, aliud totius animalis latentes numeros accipit, et inchoatur in prolem, et sine convenientia duorum corporum, sive tali aliquo phantasmate commotum, per genitales vias ab ipso vertice defluit in infima voluptate<sup>2</sup>. Jamvero in matre per certos numeros temporum in locorum numerum coaptatur, ut suas regiones quæque membra occupent; et si modum parilitatis servaverint, luce coloris adjuncta, nascitur corpus quod formosum vocatur, et a suis dilectoribus amatur acerrime: non tamen in eo plus placet forma quæ movetur, quam vita quæ movet. Nam illud animal si nos amet, allicit violentius: si oderit autem, succensemus, et ferre non possumus, etiamsi formam ipsam præbeat fruenti. Hoc totum est voluptatis regnum, et ima pulchritudo; subjacet enim corruptioni: quod si non esset, summa putaretur.

75. Sed adest divina providentia, quæ hanc ostendat et non malam, propter tam manifesta vestigia primorum numerorum, in quibus sapientiæ Dei non est numerus; et extremam tamen esse, miscens ei dolores et morbos et distortionem membrorum, et tenebras coloris, et animorum simultates ac dissensiones, ut ex his admoneamur incommutabile aliquid esse querendum. Et hoc facit per infima ministeria<sup>3</sup>,

<sup>1</sup> Lov. et nonnulli Mss., *incongruos*. Sed verius Bad. Er. Arn. et Mss. alii duodecim, *congruos*. Quippe hic describitur exterioris hominis pulchritudo, in cujus structura nihil incongruum.

<sup>2</sup> Mss. octo, *defluit infima voluptate*.

<sup>3</sup> In excusis, *per infima ministeria eorum quibus*, etc. At a Mss. abest vox, *eorum*. Unde intelligimus non officia quædam hisce verbis denotari, sed ipsos angelos malos, qui

quibus id agere voluptatis est: quos exterminatores et angelos iracundiæ, divinæ Scripturæ nominant, quamvis ipsi nesciant quid de se agatur boni. His similes sunt homines qui gaudent miseriis alienis, et risus sibi ac ludicra spectacula exhibent, vel exhiberi volunt eversioribus et erroribus aliorum (a). Atque ita in his omnibus boni admoventur, et exercentur, et vincunt, et triumphant, et regnant. Mali vero decipiuntur, cruciantur, vincuntur, damnantur, et serviunt; non uni omnium summo Domino, sed ultimis servis, illis videlicet angelis, qui doloribus et miseria damnatorum pascuntur, et pro ista malevolentia bonorum liberatione torquentur.

76. Ita ordinantur omnes officii et finibus suis in pulchritudinem universitatis, ut quod horremus in parte, si cum toto consideremus, plurimum placeat: quia nec in ædificio judicando unum tantum angulum considerare debemus, nec in homine pulchro solos capillos, nec in bene pronuntiante solum digitorum motum, nec in lunæ cursu aliquas tridui tantum figuras. Ista enim, quæ propterea sunt infima, quia partibus imperfectis tota perfecta sunt, sive in statu, sive in motu pulchra sentiuntur, tota consideranda sunt, si recte volumus judicare. Verum enim nostrum iudicium, sive de toto, sive de parte iudicet, pulchrum est: universo quippe mundo superfertur, nec alicui parti ejus, in quantum verum iudicamus, adhæremus. Error autem noster parti adhærens ejus, ipse per se fœdus est. Sed sicut niger color in pictura cum toto fit pulcher; sic totum istum agonem decenter cõlit incommutabilis divina providentia, aliud victis, aliud certantibus, aliud victoribus, aliud spectatoribus, aliud quietis et solum Deum contemplantibus tribuens: cum in his omnibus non sit malum nisi peccatum, et pœna peccati, hoc est defectus voluntarius a summa essentia, et labor in ultima non voluntarius; quod alio modo sic dici potest, libertas a justitia, et servitus sub peccato.

CAPUT XLI. — *In peccantis animæ pœna pulchritudo.*

77. Corrumpitur autem homo exterior aut profectu interioris, aut defectu suo. Sed profectu interioris ita corrumpitur, ut totus in melius reformetur, et restitatur in integrum in novissima tuba, ut jam non corrumpatur neque corrumpat. Defectu autem suo in pulchritudines corruptibiliores, id est pœnarum ordinem præcipitur. Nec miremur quod adhuc pulchritudines nomino: nihil enim est ordinatum, quod non sit pulchrum; et, sicut ait Apostolus (b), *omnis ordo à Deo est* (Rom. xii, 1). Necesse est autem fateamur meliorem esse hominem plorantem, quam lætantem vermiculum: et tamen vermiculi laudem sine ullo mendacii copiose possum dicere, considerans nitorem coloris, figuram teretem corporis, priora cum mediis, media cum posterioribus congruentia, et unitatis appetentiam pro suæ naturæ humilitate ser-

mox appellantur, *ultimi servi*: contra vero boni Angelus inferioris, cap. 55, *excellentissimus*, et *sacra Dei ministeria*.

(a) I Confess. cap. 5, n. 6.

(b) I Retract. cap. 15, n. 7.

vantia; nihil ex una parte formatum, quod non ex altera parili dimensione respondeat. Quid jam de anima ipsa dicam vegetante modulum corporis sui, quomodo eum numerose moveat, quomodo appetat convenientia, quomodo vincat aut caveat obstantia quantum potest, et ad unum sensum incolumitatis referens omnia, unitatem illam conditricem naturarum omnium, multo evidentius quam corpus insinuet? liquor de vermiculo animante qualicumque. Cineris et stercoreis laudem verissime atque uberrime plerique dixerunt (*Cato apud Ciceronem, in Catone majore*). Quid ergo mirum est, si hominis animam, quæ ubicumque sit et qualiscumque sit, omni corpore est melior, dicam pulchre ordinari, et de penis ejus alias pulchritudines fieri, cum ibi non sit quando misera eat, ubi beatos esse decet, sed ibi sit ubi esse miseros decet?

78. Prorsus nemo nos fallat. Quidquid recte vituperatur, in melioris comparatione respicitur (a). Omnis autem natura quamvis extrema, quamvis infima, in comparatione nihili jure laudatur. Et tunc cuique non est bene, si melius esse potest. Quare si nobis potest bene esse cum ipsa veritate, male sumus cum quolibet vestigio veritatis: multo ergo deterius cum extremitate vestigii, quando carnis voluptatibus adheremus. Vincamus ergo hujus cupiditatis vel blanditiæ vel molestias; subjungamus nobis hanc feminam, si viri sumus. Nobis ducibus et ipsa erit melior, nec jam cupiditas, sed temperantia nominabitur. Nam cum ipsa ducit, nos autem sequimur, cupiditas illa et libido, nos vero temeritas et stultitia nuncupamur. Sequamur Christum caput nostrum, ut et nos sequatur cui caput sumus. Hoc et feminis præcipi potest, non maritali, sed fraterno jure; quo jure in Christo nec masculus nec femina sumus. Habent enim et illæ virile quiddam unde femineas subjungunt voluptates, unde Christo servant, et imperent cupiditati. Quod in multis viduis et virginibus Dei, in multis etiam maritalitatis, sed jam fraterne conjugalitatis jura servantibus, christiani populi dispensatione manifestum est. Quod si ab ea parte cui dominari Deus non jubet, atque ut in nostram possessionem restituamur, et hortatur et opitalatur: si ergo ab hac parte per negligentiam et impietatem vir subditus fuerit, id est mens et ratio, erit quidem homo turpis et miser; sed destinatur in hac vita, et post hanc vitam ordinatur, quo eum destinari et ubi ordinari summus ille rector et Dominus judicat. Nulla itaque fœditate universa creatura maculari permittitur.

CAPUT XLII. — *Voluptas carnis admonet ut numeros indivisibiles queramus. An tales in sint in aliquo vitali motu.*

79. Ambulemus ergo dum diem habemus, id est, dum ratione uti possumus, ut ad Deum conversi, Verbo ejus, quod verum tumen est illustrari, mereamur, ne nos tenebræ comprehendant (*Joan. xii, 35*). Dies est enim presentia illius luminis quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Id. i, 9*).

(e) I retract. cap. 13, n. 8.

*Hominem dixit, quia ratione uti potest*<sup>1</sup>, et ubi cecidit, ibi incumbere ut surgat. Si ergo voluptas carnis diligitur, ea ipsa diligentius consideretur; et cum ibi recognita fuerint quorundam vestigia numerorum, quærentium est ubi sine tumore sint. Ibi enim magis unum est quod est. Et si tales sunt in ipsa motione vitali, quæ in seminibus operatur, magis ibi mirandi sunt quam in corpore. Si enim numeri seminum sicut ipsa semina tumerent, de dimidio grano fici, arbor dimidia nasceretur, neque de animalium seminibus etiam non totis, animalia tota et integra gignerentur, neque tantillum et unum semen vim haberet sui cui jusque generis innumerabilem. De uno quippe secundum suam naturam possunt, vel segetes segetum, vel silvæ silvarum, vel greges gregum, vel populi populorum per sæcula propagari, ut nullum folium sit, vel nullus pilus per tam numerosam successionem, cujus non ratio in illo primo et uno semine fuerit. Deinde illud cogitandum est, quam numerosas, quam suaves sonorum pulchritudines verberatus aer trajaical cantante luscinia, quas illius avicula anima non tam libere<sup>2</sup>, cum liberet, fabricaretur, nisi vitali motu incorporaliter haberet impressas. Hoc et in cæteris animalibus, quæ ratione carentia, sensu tamen non carent, animadverti potest. Nullum enim horum est, quod non vel in sono vocis, vel in cætero motu atque operatione membrorum, numerosum aliquid et in suo genere moderatum gerat, non aliqua scientia, sed tamen intimis naturæ terminis, ab illa incommutabili numerorum lege modulatis.

CAPUT XLIII. — *In homine vis judicandi de corporum et temporum proportione. Qui in perpetua veritate modus ordinis.*

80. Redeamus ad nos, et omittamus ea quæ cum arbutis et bestis habemus communia. Uno namque modo hirundo nidificat, et nunquodque avium genus uno aliquo suo modo. Quid est ergo in nobis, quo et de illis omnibus judicamus, quas figuras appetant, et quatenus impleant, et nos in ædificiis aliisque corporis operibus, tanquam domini omnium talium figurarum, innumerabilia machinamur? Quid est in nobis, quod intus intelligit has ipsas visibiles corporum moles proportione magnas esse, vel parvas; et omne corpus habere dimidiam, quantumcumque sit; et si dimidium, innumerabiles partes: itaque omne granum illi suæ parti tantæ, quantum in hoc mundo nostrum corpus tenet, tam magnum esse quam mundus est nobis, totumque istum mundum figurarum ratione pulchrum esse, non mole; magnum autem videri, non pro sua quantitate, sed pro brevitate nostra, id est animalium quibus est plenus; quæ rursus cum habeant infinitatem divisionis, non ipsa per se, sed in aliorum, et maxime ipsius universi comparatione tam parva sunt? Nec in spatio temporum alia ratio est; quia ut omnis loci, sic omnis temporis longitudo habet dimidium sui: quamvis enim sit brevissima, et

<sup>1</sup> Editi, qui ratione uti potest; et paulo post Lov. et Arn., incumbere debet ut surgat. At Mss. habent, quia ratione, etc. et altero loco carent voce debet, quæ etiam abest a Bad. et Er.

<sup>2</sup> In Mss. non est, tam libere.

incipit, et progreditur, et desinit. Itaque non potest nisi habere dimidium, dum ibi dividitur qua transit ad finem. Ac per hoc et brevis syllabæ tempus in comparatione longioris breve, et hora brumalis æstivæ horæ comparata minor est (a). Sic mora unius horæ ad diem, et diei ad mensem, et mensis ad annum, et anni ad lustrum, et lustrum ad majores circuitus, et ipsi ad universum tempus relati breves sunt; cum illa ipsa numerosa successio, et quedam gradatio, sive localium, sive temporalium spatiorum, non timore vel mora, sed ordinata convenientia pulchra judicetur.

81. Ipse autem ordinis modus vivit in veritate perpetua, nec mole vastus, nec protractione volubilis; sed potentia supra omnes locos magnus, æternitate super omnia tempora immobilis: sine quo tamen nec ullius molis vastitas in unum redigi, nec ullius temporis productio potest ab errore cohiberi, et aliquid esse vel corpus ut corpus sit, vel motus ut motus sit. Ipsum est unum principale, nec per finitum nec per infinitum crassum, nec per finitum nec per infinitum mutabile. Non enim habet aliud hic, aliud alibi; aut aliud nunc, aliud postea: quia summe unus est Pater Veritatis, Pater suæ Sapientie, quæ nulla ex parte dissimilis, similitudo ejus dicta est et imago, quia de ipso est. Itaque etiam Filius recte dicitur ex ipso, cætera per ipsum. Præcessit enim forma omnium summe implens unum de quo est, ut cætera quæ sunt, in quantum sunt uni similia, per eam formam fierent.

CAPUT XLIV. — *Dei imago Filii, ad quam facta quædam.*

82. Horum alia sic sunt per ipsam, ut ad ipsam etiam sint, ut omnis rationalis et intellectualis creatura, in qua homo rectissime dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei: non enim aliter incommutabilem veritatem posset mente conspiciere. Alia vero ita sunt per ipsam facta, ut non sint ad ipsam. Et ideo rationalis anima si Creatori suo serviat, a quo facta est, per quem facta est, et ad quem facta est, cuncta ei cætera serviant: et vita ultima, quæ tam vicina illi est, et est adiutorium ejus, per quod imperat corpori; et ipsum corpus, extrema natura et essentia, cui omni modo cedenti ad arbitrium dominabitur, nullam de illo sentiens molestiam; quia jam non ex illo, nec per illud quæret beatitudinem, sed ex Deo per seipsam percipiet. Reformatum ergo corpus ac sanctificatum, sine detrimento corruptionis, et sine onere difficultatis administrabit. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in calis (Matth. xxii, 30). Esca vero ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et illas destruet (I Cor. vi, 13); quoniam non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium (Rom. xiv, 17).

CAPUT XLV. — *Voluptatis imbecillitas protrudit nos ad sublimiora. De superbia vitio, usque ad cap. 49: quomodo per hoc admonemur ad amplectendam virtutem.*

83. Quapropter, etiam in ista corporis voluptate in-

(a) Ex eorum consuetudine qui ab ortu solis ad occasum duodecim horas constanter numerant, hieme breviores, æstate longiores.

venimus unde commonemur eam contemnere; non quia malum est natura corporis, sed quia in extremi boni dilectione turpiter volutatur, cui primis inhærerere fruique concessum est. Cum trahitur auriga, et suæ temeritatis dat pœnas, quidquid illud est quo utebatur, accusat: sed impleret auxilium, jubeat Dominus rerum, obsistatur equis, alia jam spectacula de illius præcipitatione facientibus, et nisi subveniatur de morte facturis, restituitur in locum, super rotas collocetur, habenarum jura reddantur, regat cautius obtemperantes, et edonitas bestias; tunc sentiet quam bene currus, et tota illa junctio fabricata sit, quæ ruina ejus, et ipsum affligebat, et cursum decentissimæ moderationis amiserat: quia et huic corpori imbecillitatem peperit animæ male<sup>1</sup> utentis aviditas in paradiso, usurpans vetitum cibum contra medici disciplinam, qua sempiterna continetur salus.

84. Si ergo in ista ipsa visibilis carnis imbecillitate, ubi beata vita esse non potest, invenitur admonitio beatæ vitæ propter speciem de summo usque<sup>2</sup> ad ima venientem; quanto magis in appetitione nobilitatis et excellentiæ, et in omni superbia vanaque pompa hujus mundi? Quid enim aliud in ea homo appetit, nisi solus esse, si fieri possit, cui cuncta subjecta sint, perversa scilicet imitatione omnipotentis Dei? Quem si subditus imitaretur, secundum præcepta ejus vivendo, per eum haberet subdita cætera, nec ad tantam deformitatem veniret, ut bestiolam timeret, qui vult hominibus imperare. Habet ergo et superbia quemdam appetitum unitatis et omnipotentis; sed in rerum temporalium principatu, quæ omnia transeunt tanquam umbra.

85. Invicti esse volumus, et recte; habet enim hoc animi nostri natura post Deum a quo ad ejus inaginem factus est: sed ejus præcepta erant servanda, quibus servatis nemo nos vinceret. Nunc vero, dum ipsa cujus verbis turpiter consensimus, domatur dolore parienti, et nos in terra laboramus, et cum magno dedecore superamur ab omnibus quæ nos commovere ac perturbare potuerint. Itaque nolumus ab hominibus vinci, et iram non possumus vincere. Qua turpitudine quid execrabilius dici potest? Fatemur hominem hoc esse quod nos sumus, qui tamen etsi habeat vitia, non est tamen ipse vitium. Quanto igitur honestius homo nos vincit, quam vitium? Quis autem dubitet immane vitium esse invidentiam, qua necesse est torqueatur et subjiciatur qui non vult in rebus temporalibus vinci? Melius est ergo ut homo nos vincat, quam invidentia vel quodlibet aliud vitium.

CAPUT XLVI. — *Invictus qui id solum amat quod amanti eripi non potest, id est Deum ex toto corde et proximum sicut seipsum.*

86. Sed nec ab homine vinci potest, qui vitia sua vicerit. Non enim vincitur, nisi cui eripitur ab adversario quod amat. Qui ergo amat id solum quod amanti eripi non potest, ille indubitanter invictus est, nec

<sup>1</sup> In B., *malæ*. Restituimus, *male*, ex Er. Ven. et Lov. Par. N.

<sup>2</sup> Editi: *De summo bono usque*, etc. At abest homo a Mss.



ula cruciatur invidia. Id enim diligit, ad quod diligendum et percipiendum quanto plures venerint, tanto eia uberius gratulatur. Diligit enim Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente; et diligit proximum tanquam seipsum. Non ergo illi invidet, ut sit quod ipse est; imo adjuvat etiam quantum potest. Nec potest amittere proximum, quem diligit tanquam seipsum; quia neque in seipso ea diligit quæ oculis subjacent, aut ullis aliis corporis sensibus. Ergo apud seipsum habet quem diligit tanquam seipsum.

87. Ea autem est regula dilectionis, ut quæ sibi vult bona provenire, et illi velit; et quæ accidere sibi mala non vult, et illi nolit (*Tob. iv, 16*): hanc voluntatem erga omnes homines servat. Nam erga neminem operandum est malum; et dilectio proximi malum non operatur (*Rom. xiii, 10*). Diligamus ergo, ut præceptum est, etiam inimicos nostros (*Math. v, 44*), si vere invicti esse volumus. Non enim per seipsum quisquam hominum invictus est; sed per illam incommutabilem legem, cui quicumque serviunt, soli sunt liberi. Sic enim eis quod diligunt auferri non potest: quæ res una invictos facit et perfectos viros. Nam si vel ipsum hominem homo dilexerit, non tanquam seipsum, sed tanquam jumentum, aut balneas, aut aviculam pictam vel garrulam, id est, ut ex eo aliquid temporalis voluptatis aut commodi capiat; serviat necesse est, non homini, sed, quod est turpius, tam fædo et detestabili vitio, quo non amat hominem sicut homo amandus est. Quo vitio dominante, usque ad extremam vitam, vel potius mortem perducitur.

88. Sed nec sic quidem ab homine homo diligendus est, ut diliguntur carnales fratres, vel filii, vel conjuges, vel quique cognati, vel affines aut cives. Nam et dilectio ista temporalis est. Non enim ulla tales necessitudines haberemus, quæ nascendo et moriendo contingunt, si natura nostra in præceptis, et imagine Dei manens, in istam corruptionem non relegaretur (a). Itaque ad pristinam perfectamque naturam nos ipsa Veritas vocans, præcipit ut carnali consuetudini resistamus, docens neminem aptum esse regno Dei, qui non istas carnales necessitudines oderit (*Luc. ix, 60, 62, et xiv, 26*). Neque hoc cuiquam inhumanum videri debet. Magis enim est inhumanum, non amare in homine quod homo est, sed amare quod filius est: hoc est enim non in eo amare illud quod ad Deum pertinet, sed amare illud quod ad se pertinet. Quid ergo mirum si ad regnum non pervenit, qui non communem, sed privatam rem diligit? Imo utrumque, ait

<sup>1</sup> *Gov. et Arn., quod vitium est. At Bad. Er. et Mss. magno consensu habent, quod filius est. Quæ lectio magis probatur, quia subjicit Augustinus, amare hoc, esse amare illud quod ad se pertinet: utiturque simili modo loquendi in lib. 1 de sermone Domini in monte, ubi rursus de necessitudinum ejusmodi temporalium odio disserens, postquam explicuit quodammodo amoris odiique genus uxori vir impendere debeat, et hoc est, inquit, diligere in ea quod homo est, odisse quod uxor est; tum addit hoc et de patre et de matre et ceteris vinculis carnis intelligendum esse, ut in eis oderimus quod genus humanum nascendo et moriendo sortitum est; diligamus autem quod nobiscum potest ad illa regna perducere, ubi nemo dicit, pater meus: sed omnes unumque nos Deo, pater noster.*

(a) I Retract. cap. 13, n. 8.

quispiam: Imo illud unum, dicit Deus. Dicit enim verissime Veritas: *Nemo potest duobus dominis servire (Math. vi, 24)*. Nemo enim potest perfecte diligere quo vocatur, nisi oderit unde revocatur. Vocatur autem ad perfectam naturam humanam, qualem ante peccatum nostrum Deus fecit: revocatur autem ab ejus dilectione, quam peccando meruimus. Quare oderimus oportet, unde ut liberemur optamus.

89. Oderimus ergo temporales necessitudines, si æternitatis charitate flagramus. Diligat homo proximum tanquam seipsum. Certe enim sibi ipsi nemo est pater, aut filius, aut affinis, aut aliquid hujusmodi, sed tantum homo: qui ergo diligit aliquem tanquam seipsum, hoc in eo debet diligere, quod sibi ipse est. Corpora vero non sunt quod nos sumus: non ergo in homine corpus est expetendum aut desiderandum. Valet enim ad hoc etiam quod præceptum est: *Ne concupiscas rem proximi tui (Exod. 20, 17)*. Quapropter quisquis in proximo aliud diligit quam sibi ipse est, non eum diligit tanquam seipsum. Ipsa igitur natura humana sine carnali conditione diligenda est, sive sit perficienda sive perfecta. Omnes sub uno Deo patre cognati sunt, qui eum diligunt et faciunt voluntatem ipsius. Et invicem sibi sunt, et patres cum sibi consulunt, et filii cum sibi obtemperant, et fratres maxime, quia eos unus Pater testamento suo ad unam hæreditatem vocat.

CAPUT XLVII. — *Vera proximi dilectio, quam qui impendit invictus est.*

90. Quapropter, cur iste non invictus sit hominem diligendo, cum in eo nihil præter hominem diligit, id est creaturam Dei ad ejus imaginem factam, nec ei possit deesse perfecta natura quam diligit, cum ipse perfectus est? Sicut enim, verbi gratia, si quisquam diligit bene cantantem, non hunc aut illum, sed tantum bene cantantem quemlibet, cum sit cantor ipse perfectus; ita vult omnes tales esse, ut tamen ei non desit quod diligit, quia ipse bene cantat. Nam si cuiquam invidet bene cantanti, non jam illud diligit, sed aut laudem, aut aliquid aliud, quo bene cantando vult pervenire; et potest ei minui vel auferri, si et alius bene cantaverit. Qui ergo invidet bene cantanti, non amat bene cantantem: sed rursus qui eo indiget, non bene cantat. Quod multo accommodatius de bene vivente dici potest, quia invidere nulli potest: quo enim perveniunt bene viventes, tantumdem est omnibus, nec minus sit cum plures habuerint. Et potest esse tempus quo bonus cantor cantare non decenter queat, et indigeat voce alterius, qua sibi exhibeat quod diligit; tanquam si alicubi convivetur, ubi eum cantare turpe sit, sed deceat audire cantantem: bene autem vivere semper decet. Quare quisquis hoc et diligit et facit, non solum non invidet imitantibus, sed et his se præbet libentissime atque humanissime quantum potest; nec tamen eis indiget. Nam quod in illis diligit, in seipso habet totum atque perfectum. Ita cum diligit proximum tanquam seipsum, non invidet ei, quia nec sibi ipsi; præstat ei quod potest, quia et sibi ipsi; non eo indiget, quia nec seipso: tan-

tum Deo indiget, cui adherendo beatus est. Nemo autem illi eripit Deum. Ille ergo verissime atque certissime invictus homo est qui cohaeret Deo, non ut ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud quam ipsum haerere Deo bonum est.

91. Illic vir quamdiu est in hac vita, utitur amico ad rependendam gratiam, utitur inimico ad patientiam, utitur quibus potest ad beneficentiam, utitur omnibus ad benevolentiam. Et quanquam temporalia non diligit, ipse recte utitur temporalibus, et pro eorum sorte hominibus consulit, si aequaliter non potest omnibus. Quare si aliquem familiarium suorum promptius quam quemlibet alloquitur, non eum magis diligit, sed ad eum habet majorem fiduciam, et apertioris temporis januam. Tractat enim tempori deditos tanto melius, quanto minus ipse obligatus est tempori. Cum itaque omnibus, quos pariter diligit, prodesse non possit, nisi conjunctioribus prodesse malit, injustus est. Animi autem conjunctio major est, quam locorum aut temporum quibus in hoc corpore gignimur<sup>1</sup>; sed ea maxima est quae omnibus praevalet. Non ergo iste affligitur morte cujusquam, quoniam qui toto animo Deum diligit, novit nec sibi perire quod Deo non perit. Deus autem dominus est et vivorum et mortuorum. Non cujusquam miseria miser est, quia nec cujusquam justitia justus est<sup>2</sup>. Et ut nemo illi justitiam et Deum, sic nemo aufert beatitudinem. Et si aliquando forte alicujus periculo, vel errore, vel dolore commovetur; usque ad illius auxilium, aut correctionem, aut consolationem, non usque ad suam subversionem valere patitur.

92. In omnibus autem officiosis laboribus, futuræ quietis certa expectatione, non frangitur. Quid enim ei nocebit, qui bene uti etiam inimico potest? Ejus enim praesidio atque munimento inimicitias non pertimescit, cujus praecepto et dono diligit inimicos. Huic viro in tribulationibus parum est non contristari, nisi etiam gaudeat, sciens quod *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spes, spes autem non confundit: quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom. v, 3-5)*. Quis huic nocebit? Quis hunc subjugabit? Ille qui prosperis rebus proficit, asperis quid profecerit discit. Cum enim mutabilium bonorum adest copia, non eis confidit; sed cum subtrahuntur, agnoscit utrum eum non ceperint: quia plerumque cum adsunt nobis, putamus quod non ea diligamus; sed cum abesse ceperint, invenimus qui simus. Hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit. Videtur ergo vincere, cum vincatur, qui superando ad id pervenit, quod cum dolore amissurus est: et vincit cum vinci videatur, quisquis cedendo ad id pervenit, quod non amittit invitus.

CAPUT XLVIII. — *Quæ sit perfecta justitia.*

95. Quem ergo delectat libertas, ab amore mutabilitatis rerum liber esse appetat; et quem regnare

<sup>1</sup> Lov. et Arn., *junguntur*. Bad. et Er., *junguntur*. Al Mss. undecim, *gignimur*.

<sup>2</sup> Mss. seculi, *nec cujusquam injustitia fit injustus*.

delectat, uni omnium regnatori Deo subditus haereat, plus eum diligendo quam seipsum. Et hæc est perfecta justitia, qua potius potiora, et minus minora diligimus. Sapientem animam atque perfectam talem diligit, qualem illam videt; stultam non talem, sed quia esse perfecta et sapiens potest: quia nec seipsum debet stultum diligere. Nam qui se diligit stultum, non proficiet ad sapientiam; nec fiet quisquis qualis cupit esse, nisi se oderit qualis est. Sed donec ad sapientiam perfectionemque veniatur, eo animo ferat stultitiam proximi, quo suam ferret, si stultus esset, et amaret sapientiam. Quapropter si et ipsa superbia veræ libertatis et veri regni umbra est, etiam per ipsam nos commemorat divina providentia quid significemus vitiosi, et quo debeamus redire correcti.

CAPUT XLIX. — *De curiositate deinceps, ut hoc vitio admonemur ad contemplandam veritatem.*

94. Jam vero cuncta spectacula, et omnis illa quæ appellatur curiositas, quid aliud quaerit quam de rerum cognitione lætitiæ? Quid ergo admirabilis, quid speciosius ipsa veritate, ad quam omnis spectator pervenire se cupere conficitur, cum vehementer ne fallatur invigilat, et inde se jaclat si quid acutius cæteris, et vivacius in spectando cognoscat et judicet? Ipsum denique præstigiatorum, nihil aliud quam fallaciam profitentem, diligenter intuentur, et cautissime observant; et si eluduntur, quia sua non possunt, illius delectantur scientia qui eos eludit. Nam si et ille nesciret quibus causis fallantur intuentes, vel nescire crederetur, pariter erranti nullus plauderet. Si quis autem de populo unus cum deprehenderit, majorem illo laudem se mereri putat, non ob aliud, nisi quia decipi fallique non potuit. Si autem multis apertus sit, non ille laudatur; sed irridentur cæteri qui talia deprehendere nequeunt. Ita omnis palma cognitioni datur, et artificio, et comprehensioni veritatis: ad quam nullo modo perveniunt qui foris eam quaerunt.

95. Itaque in tantas nugas et turpitudines versi sumus, ut cum interrogati quid sit melius, verum an falsum, ore uno respondeamus, verum esse melius; jocis et ludis tamen, ubi nos utique non vera, sed ficta delectant, multo propensius quam præceptis ipsius veritatis haereamus. Ita nostro judicio et ore punimur, aliud ratione approbantem, aliud vanitate sectantes. Tandiu autem est ludicrum et joculari aliquid, quamdiu novimus in cuius veri comparatione rideatur. Sed diligendo talia excidimus a vero, et non jam invenimus quarum rerum imitamenta sint, quibus tanquam primis pulchris inhiamus, et ab eis recedentes amplexamur nostra phantasmata. Nam redeuntibus nobis ad investigandam veritatem, ipsa in itinere occurrunt. et nos transire non sinunt, nullis viribus, sed magnis insidiis latrocinantia, non intelligentibus quam late pateat quod dictum est: *Cavete a simulacris (1 Joan. v, 21)*.

96. Itaque alii per innumerabiles mundos vaga cogitatione volutati sunt. Alii Deum esse non posse, nisi corpus igneum putaverunt. Alii candorem lucis immense per infinita spatia usquequaque porrectum,

ex una tamen parte quasi nigro quodam cuneo fissam, duo adversa regna opinantes, et talia rebus constituentes principia, cum suis phantasmatis fabulati sum. Quos si jurare cogam utrum hæc vera esse sciant, fortasse non audeant, sed vicissim dicant: Tu igitur ostende quid verum sit. Quibus si nihil respondeam, nisi ut illam lucem quærant, qua eis apparet et certum est aliud esse credere, aliud intelligere; jurarent et ipsi, nec oculis videri posse istam lucem, nec cum aliqua locorum vastitate cogitari, et nusquam non præsto esse quærentibus, et nihil ea certius atque serenius inveniri.

97. Quæ rursus omnia, quæ de hac luce mentis nunc a me dicta sunt, nulla alia quam eadem luce manifesta sunt. Per hanc enim intelligo vera esse quæ dicta sunt, et hæc me intelligere per hanc rursus intelligo. Et hoc rursus et rursus cum quisque se aliquid intelligere intelligit, et idipsum rursus intelligit, in infinitum pergere intelligo, et nulla hic esse spatia cujusquam tumoris aut volubilitatis intelligo: intelligo etiam non me posse intelligere, nisi vivam, et me vivaciorem intelligendo fieri, certius intelligo. Æterna enim vita vitam temporalem vivacitate ipsa superat: nec quid sit æternitas, nisi intelligendo conspicio. Mentis quippe aspectu omnem mutabilitatem ab æternitate sejungo, et in ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno; quia spatia temporis præteritis et futuris rerum motibus constant. Nihil autem præterit in æterno, et nihil futurum est; quia et quod præterit, esse desinit, et quod futurum est, nondum esse cœpit: æternitas autem, tantummodo est; nec fuit, quasi jam non sit; nec erit, quasi adhuc non sit. Quare sola ipsa verissime dicere potuit humanæ menti, *Ego sum qui sum*; et de illa verissime dici potuit, *Misit me, qui est* (Exod. III, 14).

CAPUT L. — *Scripturarum et interpretationum ratio. Allegoria quadruplex.*

98. Cui si nondum possumus inhærere, objurgemus saltem nostra phantasmata, et tam nugatorios et deceptorios ludos de spectaculo mentis ejiciamus. Utamur gradibus quos nobis divina providentia fabricare dignata est. Cum enim figmentis ludicris nimium delectati evanesceremus in cogitationibus nostris, et totam vitam in quædam vana somnia verteremus; rationali creatura<sup>1</sup> serviente legibus suis, per sonos ac litteras, ignem, fumum, nubem, columnam, quasi quædam verba visibilia, cum infantia nostra parabolis ac similitudinibus quodammodo ludere, et interiores oculos nostros luto hujuscemodi curare non aspernata est ineffabilis misericordia Dei.

99. Distinguamus ergo quam fidem debeamus historiarum, quam fidem debeamus intelligentiæ, quid man-

<sup>1</sup> Erudito viro risum erat legendum esse, *irrationali*, sed Mss. omnes et Edd. ferunt, *rationali creatura*: quibus verba, nisi fallimur, intelligenti veniunt Angeli, ut infra n. 99, in hac, et in lib. 3 de Libero Arbitrio, cap. 10, n. 30. Quippe Deus per Angelos loquebatur antiquis Patribus, eorumque ministerio exhibebat sonos, *litteras, ignem, fumum, nubem, columnam*, et similia portenta, quæ in sacris Libris narratur. Sic autem proseguuntur Mss. perique, *serviente de legibus suis*, etc.

demus memoriæ, verum esse nescientes, sed credentes tamen. Et ubi sit verum, quod non venit et transit, sed semper eodem modo manet. Qui sit modus interpretandæ allegoriæ, quæ per sapientiam dicta creditur in Spiritu sancto: utrum a visibilibus antiquioribus ad visibilia recentiora eam perducere sufficiat; an usque ad animæ affectiones atque naturam, an usque ad incommutabilem æternitatem: an aliæ significent gesta visibilia, aliæ motus animorum, aliæ legem æternitatis; an aliquæ inveniantur, in quibus hæc omnia vestiganda sint. Et quæ sit stabilis fides, sive historica et temporalis, sive spiritualis et æterna, ad quam omnis interpretatio auctoritatis dirigenda sit. Et quid prosit ad intelligenda et obtinenda æterna, ubi finis est omnium bonarum actionum, fides rerum temporalium. Et quid intersit inter allegoriam historiarum, et allegoriam facti, et allegoriam sermonis, et allegoriam sacramenti. Et quomodo ipsa locutio divinarum Scripturarum secundum cujusque linguæ proprietatem accipienda sit. Habet enim omnis lingua sua quædam propria genera locutionum, quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda. Quid prosit tanta loquendi humilitas, ut non solum ira Dei, et tristitia, et a somno expergefactio, et memoria, et oblivio, et alia nonnulla quæ in bonos homines cadere possunt, sed etiam pœnitentiæ, zeli, crapulæ nomina, et alia hujusmodi in sacris Libris inveniantur. Et utrum oculi Dei, et manus, et pedes, et alia hujus generis membra, quæ in Scripturis nominantur, ad visibilem formam humani corporis referenda sint; an ad significationes intelligibilium et spiritualium potentiarum, sicut galea, et scutum, et gladius, et cingulum, et cætera talia. Et quod maxime quærendum est, quid prosit generi humano, quod sic nobiscum per rationalem, et genitalem, et corporalem creaturam sibi servientem divina providentia locuta est. Quo uno cognito, omnis ab animis protervitas (a) puerilis excluditur, et introducitur sacrosancta religio.

CAPUT LI. — *Scripturarum perscrutatio in curiositatis medellam.*

100. Omissis igitur et repudiatis nugis theatricis et poeticis, divinarum Scripturarum consideratione et tractatione pascamus animum atque potemus vanæ curiositatis fame ac siti fessum et æstuantem, et inanibus phantasmatis, tanquam pictis epulis, frustra refici satiarique cupientem: hoc vere liberali, et ingenio ludo salubriter erudiamur. Si nos miracula spectaculorum, et pulchritudo delectant, illam desideremus videre Sapientiam, quæ pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (Sap. VIII, 1). Quid enim mirabilius, vi incorporea mundum corporeum fabricante et administrante? aut quid pulchrius ordinante et ornante?

CAPUT LII. — *Et curiositas et alia vitia sunt occasio ad virtutem.*

101. Si autem omnes fatentur per corpus ista sentire, et animum meliorem esse quam corpus, nihilne per se animus ipse conspiciet, aut quod conspiciet

(a) Nempe Manichæorum in Vetus Testamentum.

potest esse, nisi multo excellentius longeque præstantius? Inno vero commemorati<sup>1</sup> ab iis quæ judicamus, intueri quid sit secundum quod judicamus, et ab operibus artium conversi ad legem artium, eam speciem mente contuebimur, cujus comparatione sæda sunt quæ ipsius benignitate sunt pulchra. *Invisibilia enim Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, et sempiterna ejus virtus et divinitas* (Rom. 1, 20). Hæc est a temporalibus ad æterna regressio, et ex vita veteris hominis in novum hominem reformatio. Quid est autem unde homo commemorari non possit ad virtutes capessendas, quando de ipsis vitis potest? Quid enim appetit curiositas nisi cognitionem, quæ certa esse non potest, nisi rerum æternarum et eodem modo se semper habentium? Quid appetit superbia nisi potentiam, quæ refertur ad agendi facilitatem, quam non invenit anima perfecta nisi Deo subdita<sup>2</sup>, et ad ejus regnum summa charitate conversa? Quid appetit voluptas corporis nisi quietem, quæ non est nisi ubi nulla est indigentia et nulla corruptio? Cavendi sunt ergo inferiores inferi, id est præst hanc vitam pœnæ graviores, ubi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio: ideo nulla ratiocinatio, quia non eam perfundit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. 1, 9). Quare festinemus, et ambulemus cum dies præsto est, ne nos tenebræ comprehendant (Id. 12, 35). Festinemus a secunda morte liberari (Apoc. 20, 6, 14, et 21, 8), ubi nemo est qui memor Dei sit, et ab inferno, ubi nemo constabitur Deo (Psal. 6, 6).

CAPUT LIII. — *Scopi stultorum ac sapientium diversi.*

102. Sed miseri homines, quibus cognita vilescunt, et novitatibus gaudent, libentius discunt quam norunt, cum cognitio sit finis discendi. Et quibus vilis est facilitas actionis, libentius certant quam vincunt, cum victoria sit finis certandi. Et quibus vilis est corporis salus, malunt vesci quam satiari, et malunt frui genitalibus membris quam nullam talem commotionem pati; inveniuntur etiam qui malunt dormire quam non dormire: cum omnis illius voluptatis sit finis, non esurire ac sitire, et non desiderare concubitum, et non esse corpore fatigato.

103. Quare qui fines ipsos desiderant, prius curiositate carcent, cognoscentes eam esse certam cognitionem quæ intus est, et ea perfruentes quantum in hac vita queunt. Deinde accipiunt actionis facilitatem perveacia posita, scientes majorem esse facilioremque victoriam, non resistere animositati cujusquam; et hoc, quantum in hac vita queunt, sentiunt: postremo, etiam quietem corporis, abstinendo ab iis rebus sine quibus agi hæc vita potest; ita gustant quam suavis est Dominus. Nec erit dubium<sup>3</sup> quid post hanc vitam

<sup>1</sup> Mss. duo, *commoniti*. A' *homines commemorati*; et paulo infra habent, *commemorari*. Hoc vero frequens videtur Augustinus pro, *commoneri*, quod hic in edd. fuerat substitutum.

<sup>2</sup> Editi, *nisi anima perfecta et Deo subdita*. At Mss. probe notæ, *anima perfecta nisi Deo subdita*.

<sup>3</sup> Er. Lov., *nec erit eis dubium*. M.

futurum sit; et perfectionis suæ fide, spe, charitate nutriuntur. Post hanc autem vitam et cognitio perficitur; quia ex parte nunc scimus, cum autem venerit quod perfectum est, non erit ex parte (I Cor. xii, 9, 10): et pax omnis aderit; nunc enim alia lex in membris meis repugnat legi mentis meæ; sed liberabit nos de corpore mortis hujus gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (Rom. vii, 23-25); quia ex magna parte concordamus cum adversario, dum cum illo sumus in via: et tota sanitas, et nulla indigentia, et nulla fatigatio aderit corpori; quia corruptibile hoc, tempore atque ordine suo quo resurrectio carnis futura est, induetur incorruptione (I Cor. xv, 53). Non mirum autem, si hoc dabitur iis qui in cognitione solam veritatem amant, et in actione solam pacem, et in corpore solam sanitatem. Hoc enim in eis perficitur post hanc vitam, quod in hac vita plus diligunt.

CAPUT LIV. — *Supplicia damnatorum quam habeant rationem ad eorum vitia.*

104. Qui ergo male utuntur tanto mentis bono, ut extra eam visibilia magis appetant, quibus ad conspicienda<sup>1</sup> et diligenda intelligibilia commemorari debuerunt, dabuntur eis exteriores tenebræ. Harum quippe initium est carnis prudentia, et sensuum corporeorum imbecillitas. Et qui certaminibus delectantur, alienabuntur a pace, et summis difficultatibus implicabuntur. Initium enim summæ difficultatis est bellum atque contentio. Et hoc significare arbitror, quod ligantur ei manus et pedes, id est, facilitas omnis auferitur operum. Et qui sitire et esurire volunt, et in libidinem ardescere et defatigari, ut libenter edant, et bibant, et concumbant, et dormiant, amant indigentiam, quod est initium summorum dolorum. Perficietur ergo in eis quod amant, ut ibi sint ubi eis sit ploratus<sup>2</sup> et stridor dentium (Math. xxii, 13).

105. Plures enim sunt qui hæc omnia simul vitia diligunt, et quorum vita est spectare, contendere, manducare, libere, concumbere, dormire, et in cogitatione sua nihil aliud quam phantasmata, quæ de tali vita colligunt, amplexari; et ex eorum fallacia, superstitionis vel impietatis regulas figere, quibus decipiuntur, et quibus inhærent, etiam si ab illecebris carnis se abstinere conentur. Quia non bene utuntur talento sibi commisso, id est mentis acie, qua videntur omnes, qui docti aut urbani aut faceti nominantur, excellere. Sed habent eam in sudario ligatam, aut in terra obrutam, id est delicatis et superfluis rebus, aut terrenis cupiditatibus involutam et oppressam. Ligabuntur ergo his manus et pedes, et mittentur in tenebras exteriores; ibi erit ploratus et stridor dentium. Non quia ipsa dilexerunt; (quis enim hæc diligit?) sed quia illa quæ dilexerunt, initia sunt istorum, et necessario dilectores suos ad ista perducunt. Qui enim magis amant ire quam redire aut pervenire, in longinquiora mittendi sunt; quoniam caro sunt, et spiritus ambulans et non revertens.

106. Qui vero bene utitur vel ipsis quinque sensibus

<sup>1</sup> Ita Mss. At excusi habent, *ad concupiscenda*.

<sup>2</sup> Ita Mss. plerisque, *ut eis ibi sit ploratus, etc.*

corporis ad credenda et prædicanda opera Dei, et nutriendam charitatem ipsius, vel actione vel cognitione ad pacificandam naturam suam, et cognoscendam Deum, intrat in gaudium Domini sui. Propterea talentum quod male utenti auferitur, illi datur qui talentis quinque bene usus est (*Matth. xxv, 14-30, et Luc. xix, 15-26*): non quia transferri potest acumen intelligentiæ, sed ita significatum est posse hoc amittere negligentes et impios ingeniosos, et ad eam pervenire diligentes et pios, quamvis ingenio tardiores. Non enim datum est illud talentum ei qui acceperat duo; habet enim et hoc, qui jam in actione et cognitione bene vivit; sed ei qui acceperat quinque. Nondum enim habet ad æterna contemplanda idoneam mentis aciem, qui visibilibus tantum, id est temporalibus credit: sed habere potest, qui horum omnium sensibilibus Deum artificem laudat, et cum persuadet fide, et expectat spe, et quærit charitate.

CAPUT LV. — *Epilogus exhortans ad veram religionem, et a falsa deterrens. Qualis erat Manichæorum religio. Opiniones falsæ de diis. Vera religio.*

107. Quæ cum ita sint, hortor vos, homines charissimi et proximi mei, meque ipsum hortor vobiscum, ut ad id quo nos per sapientiam suam Deus hortatur, quanta possumus celeritate curramus. Non diligamus mundum, quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum est, et ambitio sæculi (*I Joan. ii, 15, 16*). Non diligamus per carnis voluptatem corrumpere atque corrumpi, ne ad miserabiliorem corruptionem dolorum tormentorumque veniamus. Non diligamus certamina, ne angelis qui talibus gaudent, in potestatem deimur, humiliandi, vincendi, verberandi. Non diligamus visibilia spectacula, ne ab ipsa veritate aberrando et amando umbras, in tenebras proiciamur.

108. Non sit nobis religio in phantasmatis nostris. Melius est enim quaecumque verum, quam omne quiddam pro arbitrio fingi potest; et tamen animam ipsam, quamvis anima vera sit cum falsa imaginatur, colere non debemus. Melior est vera stipula, quam lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata; et tamen stipulam, quam sentimus et tangimus, dementis est credere colendam. Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus bestiarum. Meliores enim sunt extremi homines, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si pie vixerunt, non sic habentur ut tales quærant honores; sed illi a nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes<sup>1</sup>. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem male vixerunt, ubicumque sint non sunt colendi. Non sit nobis religio cultus dæmonum; quia omnis superstitio cum sit magna pœna hominum, et periculosissima turpitudò, honor est ac triumphus illorum.

109. Non sit nobis religio terrarum cultus et aqua-

<sup>1</sup> Iures e Mss. et Er., *conservos*.

SANCT. AUGUST. III.

rum; quia istis purior et lucidior est aer, etiam caliginosus, quem tamen colere non debemus. Non sit nobis religio etiam purioris aeris et serenioris cultus: quia luce absente inumbratur; et purior illo est fulgor ignis etiam huius, quem tamen, quoniam pro voluntate accendimus et extinguimus, colere utique non debemus. Non sit nobis religio cultus corporum æthereorum atque cœlestium, quæ quamvis omnibus cæteris corporibus recte præponantur, melior tamen ipsis est quæcumque vita. Quapropter si animata sunt, melior est quævis anima per seipsam, quam corpus quodlibet animatum; et tamen animam vitiosam nemo colendam esse censuerit. Non sit nobis religio cultus illius vitæ, qua dicuntur arbores vivere: quoniam nullus sensus in illa est; et ex eo genere est ista qua nostri etiam corporis numerositas agitur, qua etiam capilli et ossa vivunt, quæ sine sensu præciduntur: hac autem melior est vita sentiens; et tamen vitam bestiarum colere non debemus.

110. Non sit nobis religio vel ipsa perfecta et sapiens anima rationalis, sive in ministerio universitatis, sive in ministerio partium stabilita, sive quæ in summis hominibus expectat commutationem reformationemque portiois suæ; quoniam omnis vita rationalis si perfecta est, incommutabili veritati secum intrinsecus sine strepitu loquenti obtemperat, non obtemperans autem vitiosa fit. Non ergo per se excellit, sed per illam cui libenter obtemperat. Quod ergo colit summus angelus, id colendum est etiam ab homine ultimo, quia ipsa hominis natura id non colendo facta est ultima. Non enim aliunde sapiens angelus, aliunde homo; aliunde ille verax, aliunde homo; sed ab una incommutabili sapientia et veritate. Nam id ipsum actum est temporali dispensatione ad salutem nostram, ut naturam humanam ipsa Dei Virtus, et Dei Sapientia incommutabilis, et consubstantialis Patri et cœterna, suscipere dignaretur, per quam nos doceret id esse homini colendum, quod ab omni creatura intellectuali et rationali colendum est. Hoc etiam ipsos optimos Angelos, et excellentissima Dei ministeria velle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum, cujus contemplatione beati sunt. Neque enim et nos videndo angelum beati sumus; sed videndo veritatem, qua etiam ipsos diligimus Angelos, et his congratulamur. Nec invidemus quod ea paratiores, vel nullis molestiis interpedientibus perfruuntur: sed magis eos diligimus, quoniam et nos tale aliquid sperare a communi Domino iussi sumus. Quare honoramus eos charitate, non servitute. Nec eis templa construimus: nolunt enim se sic honorari a nobis; quia nos ipsos cum boni surus, templa summi Dei esse noverunt. Recte itaque scribitur, hominem ab angelo prohiberi ne se adoraret, sed unum Dominum sub quo ei esset et ille conservus (*Apoc. xxii, 9*).

111. Qui autem nos invitant ut sibi serviamus, et tanquam deos colamus, similes sunt superbis hominibus, quibus si liceat, similiter coli volunt: sed istos homines perpeti minus, illos vero colere magis periculosum est. Omnis enim hominum dominatus in ho-

(Six.)

mines, aut dominantium aut servientium morte finitur : servitus autem sub angelorum malorum superbia ; propter ipsum tempus quod est post mortem magis metuenda est. Illud etiam cuius cognoscere facile est, quod sub homine dominante liberae cogitationes habere concessum est : illos autem dominos in mentibus ipsis formidamus, qui unus est oculus intuentis ac percipiendae veritatis. Quare si omnibus potestatibus, quae dantur hominibus ad regendam rempublicam, pro nostro vinculo subditi sumus, reddentes Caesari quod Caesaris est, et Deo quod Dei est (*Math. xxii, 21*), non est metuendum ne hoc post mortem nostram aliquis exigat. Et aliud est servitus animae, aliud servitus corporis. Iusti autem homines, et in uno Deo habentes omnia gaudia sua, quando per eorum facta Deus benedicitur, congratulantur laudantibus : cum vero ipsi tanquam ipsi laudantur, corrigunt errantes quos possunt ; quos autem non possunt, non eis gratulantur, et ab illo vitio corrigi volunt. Quibus si similes, vel etiam mundiores atque sanctiores sunt boni Angeli, et omnia sancta Dei ministeria ; quid metuimus ne aliquem illorum offendimus, si non superstitiosi fuerimus, cum ipsis adjuvantibus ad unum Deum tendentes, et ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus (a)?

112. Ecce unum Deum colo, unum omnium Principium, et Sapientiam qua sapiens est quaecumque anima sapiens est, et ipsum Munus quo beata sunt quaecumque beata sunt. Quisquis Angelorum diligit hunc Deum, certus sum quod etiam me diligit. Quisquis in illo manet, et potest humanas preces sentire, in illo me exaudit. Quisquis ipsum habet bonum suum, in ipso me adjuvat, nec mihi ejus participationem potest invidere. Dicant ergo mihi adoratores, aut adulatorem partium mundi, quem non optimum sibi conciliet, qui hoc unum colit, quod omnis optimus diligit, et cuius cognitione gaudet, et ad quod principium recurrendo sit optimus. Quisquis vero angelus excessus suos diligit, et veritati esse subditus non vult, et privato suo letari cupiens a communi omnium bono et vera bea-

(a) I retract. cap. 13, n. 9.

titudine lapsus est <sup>1</sup>, cui omnes mali subjugandi et premeendi, nullus autem bonus nisi exercendus in potestatem datur; nullo dubitante non est colendus; cuius laetitia est nostra miseria et cuius damnum est nostra reversio.

113. Religet ergo nos religio uni omnipotenti Deo ; quia inter mentem nostram qua illum intelligimus Patrem, et veritatem, id est lucem interiorem per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est. Quare ipsam quoque Veritatem nulla ex parte dissimilem in ipso, et cum ipso veneremur, quae forma est omnium, quae ab uno facta sunt, et ad unum nituntur. Unde apparet spiritualibus animis, per hanc formam esse facta omnia, quae sola implet quod appetunt omnia. Quae tamen omnia neque fierent a Patre per Filium, neque suis finibus salva essent, nisi Deus summe bonus esset : qui et nulli naturae, quae ab ipso bona esse posset, invidit ; et in bono ipso alia quantum vellent, alia quantum possent, ut manerent dedit. Quare ipsum Donum Dei cum Patre et Filio aequae incommutabile colere et tenere nos convenit : unius substantiae Trinitatem, unum Deum a quo sumus, per quem sumus, in quosumus : a quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, a quo perire non permissi sumus : principium ad quod recurrimus, et formam quam sequimur, et gratiam qua reconciliamur : unum Deum quo auctore conditi sumus, et similitudinem ejus per quam ad unitatem formamur <sup>2</sup>, et pacem qua unitati adhaeremus : Deum qui dixit, *Fiat* (*Gen. 1*) ; et Verbum per quod factum est omne quod substantialiter et naturaliter factum est ; et Donum benignitatis ejus, quo placuit et conciliatum est auctori suo, ut non interiret quicquid ab eo per Verbum factum est : unum Deum quo creatore vivimus, per quem reformati sapienter vivimus, quem diligentes et quo fruentes beate vivimus : unum Deum ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in saecula saeculorum. Amen (*Rom. xi, 36*).

<sup>1</sup> Mss. quatuordecim, *communi omnium bonorum et vera beatitudine lapsus est, etc.*

<sup>2</sup> Ita in Mss. At in excusis legitur : *per quem ad unitatem reformamur.*

## DE SEQUENTIBUS DUOBUS LIBRIS

### DE GENESI CONTRA MANICHÆOS (a).

S. AUGUSTINUS IN LIB. VIII DE GENESI AD LITT., CAP. II.

*Contra Manichæos, qui has litteras Veteris Testamenti non aliter quam oportet accipiendo errant, sed omnino non accipiendo et detestando blasphemant, duos conscripsi libros recenti tempore conversionis meae ; cito volens eorum vel confutare deliramenta, vel erigere intentionem ad quaerendam in Litteris quas oderunt, christianam et evangelicam fidem. Et quia non mihi tunc occurrebant omnia quemadmodum proprie possent accipi, magisque non posse accipi videbantur, aut vix posse aut difficile ; ne retardarer, quid figurate significarent ea, quae ad litteram non potui invenire, quanta valui brevitate et perspicuitate explicavi, ne vel multa lectione vel disputationis obscuritate deterriti, in manus ea sumere non curarent.*

Vide praeterea librum 1, cap. 10, *Retractionum*, tom. 1, col. 599, n. 1, a verbis, Jam vero in Africa, usque ad col. 600, n. 3, verbis, Manichæi quos deciperent. M.

(a) Hi duo libri de Genesi contra Manichæos tres de libero Arbitrio libros in editione Benedictina sequuntur. Illic translati sunt ob paritatem argumenti. M.

# S. AURELII AUGUSTINI

## HIPPONENSIS EPISCOPI

# DE GENESI

## CONTRA MANICHÆOS

### LIBRI DUO <sup>(a)</sup>.

---

### LIBER PRIMUS.

*In quo a Manichæorum calumniis vindicatur initium Genesios, scilicet ab hocce versiculo, cap. 1: In principio creavit Deus cælum et terram, usque ad versiculum 2, cap. 2, quo Deus septimo Die requievissæ dicitur.*

✠

**CAPUT PRIMUM.** — *In veteris Legis defensionem contra Manichæos scripturus est stilo ad imperitiorum captum demisso.*

1. Si eligerent Manichæi quos deciperent, eligere-mus et nos verba quibus eis responderemus: cum vero illi et doctos litteris, et indoctos errore suo perse-quantur, et cum promittunt veritatem, a veritate conentur avertere; non ornato politoque sermone, sed rebus manifestis convincenda est vanitas eorum. Placuit enim mihi quorundam vere christianorum sententia, qui cum sint eruditi liberalibus litteris, ta-men alios libros nostros, quos adversus Manichæos edidimus, cum legissent, viderunt eos ab imperitioribus, aut non aut difficile intelligi, et me benevolentissime monuerunt ut communem loquendi consuetudinem non desererem, si errores illos tam perniciosos ab animis etiam imperitorum expellere cogitarem. Hunc enim sermonem usitatum et simplicem etiam docti intelligunt, illum autem indocti non intelligunt.

2. Solent ergo Manichæi Scripturas Veteris Testa-menti, quas non noverunt, vituperare, et ea vitupe-ratione infirmos et parvulos nostros, non inventientes quomodo sibi respondeant, irridere atque decipere: quia nulla Scriptura est, quæ non apud eos qui illam non intelligunt, facile possit reprehendi. Sed ideo di-vina providentia multos diversi erroris hæreticos esse permittit, ut cum insultant nobis, et interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, et di-vinas Scripturas nosse cupiamus. Propterea et Apo-stolus dicit: *Oportet hæreses esse<sup>1</sup>, ut probati mani-festi fiant inter vos* (1 Cor. xi, 19). Illi enim Deo pro-bati sunt, qui bene possunt docere: sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cum docent; docere autem nolunt, nisi eos qui doceri quærunt<sup>2</sup>. Sed multi

ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias et insultationes hæreticorum quasi de somno excitentur, et de imperitia sua erubescant sibi, et de illa imperitia sua periclitari se sentiant. Qui homines si bonæ sunt fidei, non cedunt hæreticis<sup>1</sup>, sed quid eis respon-deant diligenter inquirunt. Nec eos deserit Deus, ut petentes accipiant, et quærentes inveniant, et pul-santibus aperiatur (*Math. vii, 7*). Qui autem despe-rant se posse in catholica disciplina invenire quod quærunt, atteruntur erroribus; et si perseveranter inquirunt, ad ipsos fontes a quibus aberraverunt, post magnos labores fatigati atque sitiētes, et pene mor-tui revertuntur.

**CAPUT II.** — *Versiculus 1, cap. 1 Genesios, vindicatur contra obtrectantes, quid faceret Deus ante mundi crea-tionem et unde subito placuerit ei mundum creare.*

3. Primum ergo librum Veteris Testamenti, qui inscribitur *Genesis*, sic solent Manichæi reprehendere. Quod scriptum est, *In principio fecit Deus cælum et terram*, quærunt, in quo principio; et dicunt: Si in principio aliquo temporis fecit Deus cælum et terram, quid agebat antequam faceret cælum et terram? et quid ei subito placuit facere, quod nunquam antea fe-cerat per tempora æterna? His respondemus, Deum in principio fecisse cælum et terram, non in princi-pio temporis, sed in Christo, cum Verbum esset apud Patrem, per quod facta et in quo facta sunt omnia (*Joan. 1, 1, 3*). Dominus enim noster Jesus Christus, cum eum Judæi interrogassent quis esset, respondit, *Principium, quia et loquor vobis* (*Id. viii, 25*). Sed etsi in principio temporis Deum fecisse cælum et terram credamus, debemus utique intelligere quod ante prin-cipium temporis non erat tempus. Deus enim fecit et tempora: et ideo antequam faceret tempora, non

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Castigati sunt (hi duo libri) ad Regium codicem an. fere 1000, et ad optimæ notæ Mss. Theodericensem, Gemmeticensem, Martiuensem, Audoenensem, Pratiellensem, Casalensem, Arnulfensem, Cisterciensem, Regio-Montensem, duos Victorinos, Sorbonicum, Christianæanum, Vedastinum, Vaticanum; ad lectiones ex duobus Belgicis Lovaniensium cura collectas: et ad editiones Am. Er. et Lov.

*Comparavimus præterea omnes eas editiones initio Retr. et Confess., t. 1, memoratas. M.*

<sup>1</sup> Mss. tredecim, oportet multas hæreses esse.

<sup>2</sup> Mss. plerique, nisi eos qui quærunt; omisso, doceri.

(a) Scribitur circiter annum: Christi 589

<sup>1</sup> Er., credunt hæreticis. Lov., concedunt hæreticis. M

erant tempora. Non ergo possumus dicere fuisse aliquod tempus quando Deus nondum aliquid fecerat. Quomodo enim erat tempus quod Deus non fecerat, cum omnium temporum ipse sit fabricator? Et si tempus cum cœlo et terra esse cœpit, non potest inveniri tempus quo Deus nondum fecerat cœlum et terram. Cum autem dicitur, Quid ei placuit subito, sic dicitur, quasi aliqua tempora transierint, quibus Deus nihil operatus est. Non enim transire poterat tempus, quod nondum fecerat Deus; quia non potest esse operator temporum, nisi qui est ante tempora. Certe et ipsi Manichæi legunt apostolum Paulum, et laudant et honorant; et ejus Epistolas male interpretando multos decipiunt. Dicant ergo nobis quid dixerit apostolus Paulus, *Agnitionem veritatis quæ est secundum pietatem Dei in spem vitæ æternæ, quam promissit non mendax Deus ante tempora æterna* (Tit. 1, 4, 2): æterna enim tempora quid ante se habere potuerunt? Hoc ergo cogantur expere, ut intelligant se non intelligere, cum temere volunt reprehendere quod diligenter querere debuerunt.

4. Si autem non dicunt, Quid placuit Deo subito facere cœlum et terram, sed tollunt inde, subito; et hoc tantum dicunt, Quid placuit Deo facere cœlum et terram? Non enim cœvum Deo mundum istum dicimus, quia non ejus æternitatis est hic mundus, cujus æternitatis est Deus: mundum quippe fecit Deus, et sic cum ipsa creatura quam Deus fecit, tempora esse cœperunt; et ideo dicuntur tempora æterna. Non tamen sic sunt æterna tempora quomodo æternus est Deus, quia Deus est ante tempora, qui fabricator est temporum: sicut omnia quæ fecit Deus bona sunt valde, sed non sic bona sunt, quomodo bonus est Deus, quia ille fecit, hæc autem facta sunt: nec ea genuit de seipso, ut hoc essent quod ipse est; sed ea fecit de nihilo, ut non essent æqualia, nec ei a quo facta sunt; nec Filio ejus per quem facta sunt; justum est enim<sup>1</sup>. Si ergo isti dixerint, Quid placuit Deo facere cœlum et terram? respondendum est eis, ut prius discant vim voluntatis humanæ, qui voluntatem Dei nosse desiderant. Causas enim voluntatis Dei scire quærent, cum voluntas Dei omnium quæ sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedit voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit, Quare fecit Deus cœlum et terram? respondendum est ei, Quia voluit. Voluntas enim Dei causa est cœli et terræ, et ideo major est voluntas Dei quam cœlum et terra. Qui autem dicit, Quare voluit facere cœlum et terram? majus aliquid querit quam est voluntas Dei: nihil autem majus inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, et id quod non est non quærat, ne id quod est non inveniat. Et si voluntatem Dei nosse quisquam desiderat, fiat amicus Deo: quia si voluntatem hominis nosse quisquam vellet, cujus amicus non esset, omnes ejus impudentiam ac stultitiam deriderent. Non autem quisquam efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus, et illo fine præcepti de quo Apostolus

<sup>1</sup> Editi, *justus est enim*. Mss. *quatuor*.

dicit, *Finis autem præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non facta* (1 Tim. 1, 5): quod isti si haberent, non essent hæretici.

#### CAPUT III. — *Defenditur vers. 2.*

5. Quod autem sequitur in libro Geneseos, *Terra autem erat invisibilis et incomposita*, sic reprehendunt Manichæi, ut dicant: Quomodo fecit Deus in principio cœlum et terram, si jam et terra erat invisibilis et incomposita? Ita, cum volunt Scripturas divinas prius vituperare quam nosse, etiam res aperitissimas non intelligunt. Quid enim manifestius dici potuit, quam hoc dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram; terra autem erat invisibilis et incomposita*; id est, in principio fecit Deus cœlum et terram; terra autem ipsa quam fecit Deus, invisibilis erat et incomposita, antequam Deus omnium rerum formis locis et sedibus suis ordinata distinctione disponeret: antequam diceret, *Fiat lux*, et, *Fiat firmamentum*, et, *Congregentur aquæ*, et, *Appareat arida*, et cætera quæ in eodem libro sic exponuntur per ordinem, quemadmodum possint ea parvuli capere? Quæ omnia continent tam magna mysteria, ut quisquis ea didicerit, omnium hæreticorum vanitatem vel doleat quia homines sunt, vel derideat quia superbi sunt.

6. Sequitur in eodem libro, *Et tenebræ erant super abyssum*. Quod Manichæi reprehendunt dicentes: In tenebris ergo erat Deus, antequam faceret lucem? Vere ipsi sunt in tenebris ignorantiae, et ideo non intelligunt lucem, in qua Deus erat antequam faceret istam lucem. Non enim norunt isti lucem, nisi quam carnis oculis vident. Et ideo istum solem, quem pariter non solum cum bestiis majoribus, sed etiam cum muscis et vermiculis cernimus, illi sic colunt ut particulam dicant esse lucis illius in qua habitat Deus. Sed nos intelligamus etiam lucem esse in qua Deus habitat, unde est illud lumen de quo in Evangelio legitur, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joun. 1, 9). Nam solis istius lumen non illuminat omnem hominem, sed corpus hominis et mortales oculos, in quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui solem istum multo melius quam nos dicuntur aspicere. Illud autem lumen non irrationabilium avium<sup>1</sup> oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, et ab amore visibilium rerum et temporalium se ad ejus præcepta implenda convertunt. Quod omnes homines possunt si velint (a), quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum. Ergo tenebræ erant super abyssum antequam lux ista fieret: de qua consequenter hoc loco dicitur.

#### CAPUT IV. — *In defensionem vers. 3 ostenditur tenebras nihil esse.*

7. *Et dixit Deus, Fiat lux*. Quia ubi lux non est, tenebræ sunt, non quia aliquid sunt tenebræ, sed ipsa lucis absentia tenebræ dicuntur. Sicut silentium non aliqua res est, sed ubi sonus non est, silentium

<sup>1</sup> Editi, *animalium*. Sed Mss., *avium*, scilicet aquilarum. (a) I retract. cap. 10, n. 2.



dicitur. Et nuditas aliqua res non est, sed in corpore ubi tegumentum non est, nuditas dicitur. Et inanitas non est aliquid, sed locus ubi corpus non est, inanis dicitur. Sic tenebræ non aliquid sunt, sed ubi lux non est, tenebræ dicuntur. Hoc ideo dicimus, quia solent dicere: Unde erant ipsæ tenebræ super abyssum, antequam faceret Deus lucem? quis illas fecerat vel genuerat? aut si nemo fecerat vel genuerat eas, a tenebræ erant tenebræ. Quasi aliquid sint tenebræ: sed, ut dictum est, lucis absentia hoc nomen accepit. Sed quia ipsi fabulis suis decepti crediderunt gentem esse tenebrarum, in qua et corpora et formas et animas in illis corporibus fuisse arbitrantur, ideo putant quod tenebræ aliquid sint: et non intelligunt non sentiri tenebras, nisi quando non videmus, sicut non sentitur silentium, nisi quando non audimus. Sicut autem silentium nihil est, sic et tenebræ nihil sunt. Sicut autem isti dicunt gentem tenebrarum contra lucem Dei pugnasse; sic potest et alius similiter vanus dicere, gentem silentiorum contra vocem Dei pugnasse. Sed illas vanitates modo non suscepimus refellere atque convincere. Nunc enim ea quæ reprehendunt in Veteri Testamento, statuimus defendere quantum vires Dominus præstare dignatur, et in eis ostendere contra veritatem Dei nihil valere hominum cæcitate.

CAPUT V. — *Ut intelligendum quod Spiritus Dei superferrebat super aquas juxta vers. 2.*

8. Quod autem scriptum est, *Et Spiritus Dei superferrebat super aquam*, sic solent Manichæi reprehendere, ut dicant: Aqua ergo erat habitaculum Spiritus Dei, et ipsa continebat Spiritum Dei? Totum conantur perversa mente pervertere, et execrantur malitia sua. Cum enim dicimus, Sol superfertur super terram, numquid hoc intelligi volumus, quod in terra habitet sol, et terra solem contineat? Et tamen non sic Spiritus Dei superferrebat super aquam, sicut superfertur sol super terram; sed alio modo quem pauci intelligunt. Non enim per spatia locorum superferrebatur aquæ ille Spiritus, sicut sol terræ superfertur; sed per potentiam invisibilis sublimitatis suæ. Dicant autem vobis isti, quomodo iis rebus quæ fabricandæ sunt, superferatur voluntas fabri. Quod si hæc humana et quotidiana non comprehendunt, timeant Deum, et simplici corde quod non intelligunt querant, ne cum volunt verbis sacrilegis concidere veritatem quam videre non possunt, redeat illis securis in crura. Nam illa concidi non potest quæ incommutabilis manet; sed quæcumque plagæ in illam emissæ fuerint repercutiuntur, et majore ictu redeunt in eos qui cædere audent, quod credere deberent, ut intelligere mererentur.

9. Deinde querunt, et insultando interrogant: Unde erat ipsa aqua super quam ferebat Spiritus Dei? numquid enim superius scriptum est quod Deus aquam fecerat? Hoc si pie quererent, invenirent quemadmodum intelligendum esset. Non enim aqua sic appellata est hoc loco, ut hæc a nobis intelligatur quam videre jam possumus et tangere: quomodo nec

terra quæ incomposita et invisibilis dicta est, talis erat qualis ista quæ jam videri et tractari potest. Sed illud quod dictum est, *In principio fecit Deus cælum et terram*, cæli et terræ nomine universa creatura significata est, quam fecit et condidit Deus. Ideo autem nominibus visibilium rerum hæc appellata sunt, propter parvulorum infirmitatem, qui minus idonei sunt invisibilia comprehendere. Primo ergo materia facta est confusa et informis, unde omnia fierent quæ distincta atque formata sunt, quod credo a Græcis chaos appellari. Sic enim et alio loco legimus dictum in laudibus Dei, *Qui fecisti mandum de materia informi* (*Sap. xi, 18*): quod aliqui codices habent, *de materia invisita*.

CAPUT VI. — *Materies informis ex nihilo, et ex illa omnia.*

10. Et ideo Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est. Non enim debemus esse similes istis qui omnipotentem Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cum considerant fabros et quoslibet opifices non posse aliquid fabricare, nisi habuerint unde fabricent. Et ligna enim adjuvant fabrum, et argentum adjuvat argentarium, et aurum aurificem, et terra figulum adjuvat ut possit perficere opera sua. Si enim non adjuventur ea materia unde aliquid faciunt, nihil possunt facere, cum materiam ipsam ipsi non faciant. Non enim faber lignum facit, sed de ligno facit aliquid: sic et cæteri omnes hujusmodi opifices. Omnipotens autem Deus nulla re adjuvandum erat, quam ipse non fecerat, ut quod volebat efficeret. Si enim ad eas res quas facere volebat, adjuvabat eum aliqua res quam ipse non fecerat, non erat omnipotens: quod sacrilegum est credere.

CAPUT VII. — *Informis materia variis nominibus designata.*

11. Informis ergo illa materia quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo cælum et terra, et dictum est, *In principio fecit Deus cælum et terram*; non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat: nam et cælum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes; dicamus ibi esse radices, et robur, et ramos, et fructus, et folia; non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt: sic dictum est, *In principio fecit Deus cælum et terram*, quasi semen cæli et terræ, cum in confuso adhuc esset cæli et terræ materia; sed quia certum erat inde futurum esse cælum et terram, jam et ipsa materia cælum et terra appellata est. Isto genere locutionis etiam Dominus loquitur, cum dicit, *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan. xv, 15*): non quia jam factum erat, sed quia certissime futurum erat. Nam post paululum dicit illis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Id. xvi, 12*). Ulquid ergo dixerat, *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis*; nisi quia se sciebat hoc esse facturum? Sic etiam cælum

et terra potuit dici materia unde nondum erat factum cœlum et terra, sed tamen non erat aliunde faciendum. Innumerabiles tales locutiones in Scripturis divinis inveniuntur. Sicut in consuetudine sermonis nostri, cum id quod certissime speramus futurum dicimus, Jam factum puta.

12. Hanc autem adhuc informem materiam, etiam terram invisibilem atque incompositam voluit appellare, quia inter omnia elementa mundi terra videtur minus speciosa quam cœtera. Invisibilem autem dixit, propter obscuritatem; et incompositam, propter informitatem. Eandem ipsam materiam etiam aquam appellavit, super quam ferebatur Spiritus Dei, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis. Quod etsi paucorum intelligentia potest attingere, humanis tamen verbis, nescio utrum vel a paucis hominibus, possit exponi. Propterea vero non absurde etiam aqua dicta est ista materia, quia omnia quæ in terra nascuntur, sive animalia, sive arbores vel herbæ, et si qua similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri. Hæc ergo nomina omnia, sive cœlum et terra, sive terra invisibilis et incomposita et abyssus cum tenebris, sive aqua super quam Spiritus ferebatur, nomina sunt informis materiæ: ut res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus; et non uno vocabulo, sed multis, ne si unum esset, hoc putaretur esse quod consueverant homines in illo vocabulo intelligere. Dictum est ergo cœlum et terra, quia inde futurum erat cœlum et terra. Dicta est terra invisibilis et incomposita et tenebræ super abyssum, quia informis erat, et nulla specie cerni aut tractari poterat, etiam si esset homo qui videret atque tractaret. Dicta est aqua, quia facilis et ductilis subiacebat operanti, ut de illa omnia formarentur. Sed sub his omnibus nominibus materia erat invisibilis et informis, de qua Deus condidit mundum.

CAPUT VIII. — *Reprimitur Manichæorum calunnia de vers. 4.*

13. *Et dixit Deus, Fiat lux. Et facta est lux.* Hoc non solent reprehendere Manichæi, sed illud quod sequitur, *Et vidit Deus lucem quia bona est.* Dicunt enim: Ergo non noverat Deus lucem, aut non noverat bonum. Miseri homines, quibus displicet, quod Deo placuerunt opera sua, cum videant etiam hominem artificem, verbi gratia, lignarium fabrum; quamvis in comparatione sapientiæ et potentiæ Dei pene nullus sit, tamen tam diu lignum cædere atque tractare dolando, asciano, planando, vel tornando atque poliando quousque ad artis regulas perducat, quantum potest, et placeat artificis suo. Numquid ergo quia placet ei quod fecit, ideo non noverat bonum? Prorsus noverat intus in animo, ubi ars ipsa pulchrior est, quam illa quæ arte fabricantur. Sed quod videt artifex intus in arte, hoc foris probat in opere, et hoc est perfectum quod artificis suo placet. *Vidit ergo Deus lucem quia bona est:* quibus verbis non ostenditur eluxisse Deo insolitum bonum, sed placuisse perfectum.

14. Quid si dictum esset, Miratus est Deus lucem

quia bona est? quantum clamarent? quantum litigerent? Admiratio enim revera de rebus insperatis nasci solet, et tamen legunt isti, et laudant Dominum nostrum Jesum Christum in Evangelio admiratum esse fidem credentium (*Matth. viii, 10*). Quis autem in illis fecerat ipsam fidem, nisi ipse qui eam mirabatur? Quod si et alius eam fecisset, utquid miraretur, qui præsciens erat? Si solvunt Manichæi quæstionem istam, videant quia et illa solvi potest. Si autem non solvunt, quid ista reprehendunt quæ ad se nolunt pertinere, cum illa quæ ad se pertinere dicunt, non noverint? Quod enim miratur Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus sic moveri. Omnes ergo tales motus ejus non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri. Sic sunt et verba Veteris Testamenti, quæ non Deum infirmum docent, sed nostræ infirmitati blandiuntur. Nihil enim de Deo digne dici potest. Nobis tamen ut nutriamur<sup>1</sup>, et ad ea perveniamus quæ nullo humano sermone dici possunt, ea dicuntur quæ capere possumus.

CAPUT IX. — *Agitur pro altera parte ejusdem vers. et pro prima parte vers. sequentis.*

15. *Et divisit Deus inter lucem et tenebras, et vocavit Deus diem lucem, et tenebras vocavit noctem.* Hic non dictum est, Fecit Deus tenebras; quia tenebræ, sicut superius dictum est, lucis absentia est: distinctio tamen facta est inter lucem et tenebras. Quemadmodum nos clamando vocem facimus; silentium autem non sonando facimus, quia cessatio vocis silentium est: distinguimus tamen sensu quodam inter vocem et silentium, et illud vocamus vocem, illud silentium; quemadmodum ergo recte dicimus facere silentium, sic recte multis divinarum Scripturarum locis Deus dicitur facere tenebras, quia lucem quibus vult temporibus et locis vel non dat, vel detrahit. Hoc autem totum ad intellectum nostrum dictum est. Qua enim lingua vocavit Deus diem lucem, et tenebras noctem? utrum hebræa, an græca, an latina, an aliqua alia? et sic omnia quæ vocavit, quæri potest qua lingua vocaverit. Sed apud Deum purus intellectus est, sine strepitu et diversitate linguarum. *Vocavit autem dictum est, vocari fecit;* quia sic distinxit omnia, et ordinavit, ut et discerni possent, et nomina accipere. Sed postea suo loco requiremus, utrum vere sic est accipiendum, quia vocavit Deus; quoniam quantum accedimus in Scripturis et in eis assuescimus, tantum nobis locutiones earum innotescunt. Sic enim dicimus, Ille paterfamilias ædificavit domum istam, id est ædificari fecit, et multa talia per omnes libros divinarum Scripturarum inveniuntur.

CAPUT X. — *Ut recte intelligitur carpisse et transisse dies unus juxta vers. 5.*

16. *Et facta est vespera<sup>2</sup>, et factum est mane dies unus.* Et hic calumniantur Manichæi, dum putant ita dictum esse, quasi a vespera dies cœperit. Non intelligunt operationem illam qua lux facta est, et divi

<sup>1</sup> Editi, *ut nutriatur fides*. At Regius codex perveustus et of. timæ notæ, alique decem Mss. terunt, *ut nutriamur*.

<sup>2</sup> In editis, *Et factum est vesperæ*. In Mss. constanter, *Et facta est vesperæ*.

sum est inter lucem et tenebras, et vocata est lux dies, et tenebræ nox; hanc ergo totam operationem non intelligunt ad diem pertinere: post hanc autem operationem tanquam finito die facta est vespera. Sed quia etiam nox ad diem suum pertinet, non dicitur transisse dies unus, nisi etiam nocte transacta cum factum est mane: sic deinceps reliqui dies computantur a mane usque in mane. Nunc enim cum factum est mane, et transactus est unus dies, incipit operatio, quæ sequitur ab ipso mane quod jam factum est, et post ipsam operationem fit vespera, deinde mane, et transit alter dies: atque ita deinceps cæteri dies transeunt.

CAPUT XI. — *Aquæ ut firmamento divisæ: vers. 6-8.*

17. *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ, et sit divisio inter aquam et aquam; et sic factum est. Et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus inter aquam quæ est super firmamentum, et inter aquam quæ est sub firmamento, et vocavit Deus firmamentum cælum: et vidit Deus quia bonum est.* Hæc non memini Manichæos reprehendere solere: tamen quod divisæ sunt aquæ ut aliæ essent super firmamentum, et aliæ sub firmamento, quoniam materiam illam dicebamus nomine aquæ appellatam, credo firmamento cæli materiam corporalem rerum visibilibus ab illa incorporali rerum invisibilium fuisse discretam. Cum enim cælum sit corpus pulcherrimum, omnis invisibilis creatura excedit etiam pulchritudinem cæli; et ideo fortasse super cælum esse dicuntur aquæ invisibiles, quæ a paucis intelliguntur non locorum sedibus, sed dignitate naturæ superare cælum: quanquam de hac re nihil temere affirmandum est; obscura est enim, et remota a sensibus hominum: sed quoquo modo se habeat, antequam intelligatur, credenda est. *Et facta est vespera, et factum est mane dies secundus.* Jam omnia hæc quæ repetuntur, sicut superius intelligenda atque tractanda sunt.

CAPUT XII. — *Aquarum congregatio de qua vers. 9 et 10, est ipsa earum formatio.*

18. *Et dixit Deus, Congregetur aqua, quæ est sub cælo, in congregationem unam, et appareat arida; et sic factum est. Et congregata est aqua, quæ erat sub cælo, in congregationem unam, et apparuit arida. Et vocavit Deus aridam, terram; et congregationem aquæ vocavit mare. Et vidit Deus quia bonum est.* In isto loco Manichæi dicunt: Si totum aquis plenum erat, quomodo poterant aquæ congregari in unum? Sed jam superius dictum est, nomine aquarum materiam illam appellatam super quam ferebatur Spiritus Dei, unde erat Deus omnia formaturus. Nunc vero cum dicitur, *Congregetur aqua, quæ est sub cælo, in congregationem unam;* hoc dicitur ut illa materia corporalis formetur in eam speciem quam habent aquæ istæ visibiles. Ipsa enim congregatio in unum, ipsa est aquarum istarum formatio, quas videmus et tangimus. Omnis enim forma ad unitatis regulam cogitur. Et quod dicitur, *Appareat arida,* quid aliud dici intelligendum est, nisi

<sup>1</sup> *Estis, credo sub firmamento caeli.* Al. *Miss.* carent particula, *sub*

ut illa materies accipiat visibilem formam, quam nunc habet terra ista quam videmus et tangimus? Superius ergo quod nominabatur terra invisibilis et incomposita, materiæ confusio et obscuritas nominabatur; et quod nominabatur aqua super quam ferebatur Spiritus Dei, eadem rursus materia nominabatur. Nunc vero aqua ista et terra formantur ex illa materia, quæ ipsis nominibus appellabatur, antequam formas istas, quas nunc videmus, acciperet. Sane dicitur, in hebræa locutione omnem aquarum congregationem, sive salinarum sive dulcium, mare appellari.

CAPUT XIII. — *Exploditur congestio circa vers. 11-13, scilicet, infrugifera et noxia quare gignit tellus.*

19. *Et dixit Deus, Germinet terra herbam pabuli ferentem semen secundum suum genus et similitudinem, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in se secundum suam similitudinem. Et sic est factum. Et eiecit terra herbam pabuli, ferentem semen secundum suum genus, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen est in se secundum suam similitudinem, secundum suum genus super terram. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespera, et factum est mane dies tertius (Gen. III, 17-19).* Hic solent dicere: Si Deus jussit nasci de terra herbam pabuli, et lignum fructiferum, quis jussit nasci tantas herbas vel spinosas vel venenosas, quæ ad pabulum non proficiunt, et tam multa ligna quæ nullum fructum ferunt? Quibus sic respondendum est, ut nulla indignis aperiantur mysteria, neque ostendatur in qua figura futurorum ista sic dicta sint. Ergo dicendum est, quod per peccatum hominis terra maledicta sit, ut spinas pareret: non ut ipsa pœnas sentiret, quæ sine sensu est, sed ut peccati humani crinen semper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquando a peccatis, et ad Dei præcepta converteri. Herbæ autem venosæ ad pœnam, vel ad exercitationem mortalium creatæ sunt; et hoc totum propter peccatum, quia mortales post peccatum facti sumus. Per infructuosas vero arbores insultatur hominibus, ut intelligant quæ sit erubescendum sine fructu bonorum operum esse in agro Dei, hoc est in Ecclesia; et timeant ne deserat eos Deus, quia et ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, nec aliquam culturam eis adhibent. Ante peccatum ergo hominis non est scriptum, quod terra aliud protulerit nisi herbam pabuli et ligna fructuosa: post peccatum autem videmus multa horrida et infructuosa de terra nasci, credo propter eam causam quam diximus. Sic enim dicitur ad primum hominem posteaquam peccavit: *Maledicta erit terra tibi in omnibus operibus tuis; in tristitia et gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: spinas et tribulos ejiciet tibi, et edes pabulum agri tui: in sudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia terra es, et in terram ibis.*

CAPUT XIV. — *Resolvuntur difficultates circa vers. 14-19.*

20. *Et dixit Deus, Fiant sidera in firmamento cæli, sic ut luceant super terram, et dividant inter diem et noctem, et sint in signa, et in tempora, et in dies, et in*

annos; et sint in splendorem in firmamento cæli, sic ut luceant super terram. Et sic est factum. Et fecit Deus duo luminaria, majus et minus: luminare majus in inchoationem diei, et luminare minus in inchoationem noctis, et stellas. Et posuit illas Deus in firmamento cæli, sic ut luceant super terram, et præsent diei et nocti, et dividant inter diem et noctem. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespera, et factum est mane dies quartus. Illic primo quærent quomodo quarto die facta sint sidera, id est sol, et luna, et stellæ. Tres enim dies superiores quomodo esse sine sole potuerunt, cum videamus nunc solis ortu et occasu diem transigi, noctem vero nobis fieri solis absentia, cum ab alia parte mundi ad orientem redit? Quibus respondemus, potuisse fieri ut tres superiores dies singuli per tantam moram temporis computarentur, per quantam moram circumit sol, ex quo procedit ab oriente quousque rursus ad orientem revertitur. Hanc enim moram et longitudinem temporis possent sentire homines etiamsi in speluncis habitarent, ubi orientem et occidentem solem videre non possent. Atque ita sentitur potuisse istam moram fieri etiam sine sole antequam sol factus esset, atque ipsam moram in illo triduo per dies singulos computatam. Hoc ergo responderemus, nisi nos revocaret quod ibi dicitur, *Et facta est vespera, et factum est mane*, quod nunc sine solis cursu videmus fieri non posse. Restat ergo ut intelligamus, in ipsa quidem mora temporis ipsas distinctiones operum sic appellatas, vesperam propter transactionem consummati operis, et mane propter inchoationem futuri operis; de similitudine scilicet humanorum operum, quia plerumque a mane incipiunt, et ad vesperam desinunt. Habent enim consuetudinem divinæ Scripturæ de rebus humanis ad divinas res verba transferre.

21. Deinde quærent utquid dictum sit de sideribus: *Et sint in signa et in tempora*. Numquid enim, aiunt, tres illi dies sine temporibus esse potuerunt, aut ad temporis spatia non pertinent? Sed, *in signa et tempora* dictum est, ut per hæc sidera tempora distinguantur, et ab hominibus dignoscantur: quia si currant tempora, et nullis distinguantur articulis, qui articuli per siderum cursum notantur, possunt quidem currere tempora atque præterire; sed intelligi et discerni ab hominibus non possunt. Sicut horæ quando nubilus dies est, transeunt quidem, et sua spatia peragunt; sed distinguere a nobis et notari non possunt.

22. Quod autem dictum est, *Et fecit Deus duo luminaria; luminare majus in inchoationem diei, et luminare minus in inchoationem noctis*, pro eo dictum est ac si diceretur, in principatum diei et in principatum noctis. Non enim sol tantummodo inchoat diem, et non etiam peragit et finit: luna vero aliquando media nocte vel in fine noctis ad nos procedit; si ergo illic noctes, quibus hoc facit, non ab ista inchoantur, quomodo in inchoationem noctis facta est? Si autem per inchoationem principium intelligas, et per principium principatum, manifestum est, quia per diem sol principatum tenet; luna vero per noctem, quia etsi cætera

sidera tunc apparent, illa tamen suo fulgore superat omnia, et ideo princeps eorum rectissime dicitur.

23. Quod autem dictum est, *Et dividant inter diem et noctem*; potest hic fieri calumnia, ut dicatur: Quomodo jam Deus diviserat superius inter diem et noctem, si hoc, quarto die, sidera faciunt? Sic igitur hic dictum est, *Dividant inter diem et noctem*, tanquam si diceretur, Sic inter se diem dividant et noctem, ut soli dies detur, nox autem lunæ et sideribus cæteris. Quæ duo jam divisa erant, sed nondum inter sidera, ut jam certum esset de siderum numero, quid per diem, et quid per noctem appareret hominibus.

CAPUT XV. — *Aerem nebulosum aquæ nomine designari vers. 20, etc.*

24. *Et dixit Deus, Ejciant aquæ reptilia animarum vivarum, et volatilia volantia super terram sub firmamento cæli. Et sic factum est. Et fecit Deus celos magnos, et omnem animam animalium et reptilium quæ ejecerunt aquæ secundum uniuscujusque genus, et omne genus volatile pennatum secundum genus. Et vidit Deus quia bona sunt; et benedixit illa Deus dicens: Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris, et volatilia multiplicentur super terram. Et facta est vespera, et factum est mane dies quintus.* Illic solent reprehendere, quærentes vel potius calumniantes, quare animalia non solum ea quæ in aquis vivunt, sed etiam ea quæ in aere volitant, et omnia pennata de aquis nata scriptum sit. Sed sciant omnes quos hæc movent, istum aerem nebulosum et humidum, in quo aves volant, a doctissimis hominibus qui hæc diligenter inquirunt, cum aquis solere deputari. Concrevit enim et crassus efficitur exhalationibus et quasi vaporibus maris et terræ, et de ipso humore pinguescit quodammodo ut volatus avium portare possit. Ideo per noctes serenas etiam rorat, cujus roris guttæ mane in herbis inveniuntur. Nam mons ille Mæcedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis esse dicitur, ut in ejus cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant, quia excedit altitudine sua totum istum aerem humidum in quo aves volant, et ideo nec aves ibi volare asseverantur. Quod ab eis proditum dicitur, qui per singulos annos solebant, nescio quorum sacrificiorum causa, memorati montis cacumen ascendere, et aliquas notas in pulvere scribere, quas alio anno integras inveniebant: quod fieri non posset, si ventum aut pluviam locus ille pateretur. Deinde quia tenuitas aeris illius qui ibi est, non eos inspirabat, durare ibi non poterant, nisi spongias humectas naribus applicarent, unde crassiore et consuetum spiritum ducentes: hi ergo indicaverunt se etiam nullam avem in eo loco aliquando vidisse. Non itaque immerito non solum pisces et cætera quæ in aquis sunt animalia, sed etiam aves de aquis natas esse, fidelissima Scriptura commemorat; quia per istum aerem volare possunt, qui de maris et terræ humoribus surgit.

CAPUT XVI. — *Perniciosa animantia cur creata.*

25. *Et dixit Deus, Ejciant terra animam vivam secundum unumquodque genus quadrupedum et serpentium*

*et bestiarum terræ. Et sic est factum. Et fecit Deus bestias terræ secundum genus, et pecora secundum genus, et omnia reptantia terræ secundum genus. Et vidit Deus quia bona sunt. Solent etiam istam Manichæi movere quæstionem ut dicant: Quid opus erat ut tam multa animalia Deus faceret, sive in aquis, sive in terra, quæ hominibus non sunt necessaria? multa etiam perniciosas sunt et timenda. Sed cum ista dicunt, non intelligunt quemadmodum omnia pulchra sunt conditori et artifice suo, qui omnibus utitur ad gubernationem universitatis, cui summa lege dominatur. Si enim in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta quorum causas ignorat, et si multum est insipiens, superflua putat. Jamvero si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, seipsum vulneraverit, etiam perniciosas et noxias existimat ibi esse multa. Quorum tamen usum quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, et verba inepta non curans, officinam suam instanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant, sed cum ea viderint credant esse necessaria, et propter usum aliquos instituta: in hoc autem mundo cujus conditor et administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere quorum causas non vident, et in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire quod nesciunt.*

26. Ego vero fateor me nescire mures et ranæ quare creatæ sint, aut muscæ aut vermiculi: video tamen omnia in suo genere pulchra esse, quamvis propter peccata nostra multa nobis videantur adversa. Non enim animalis alicujus corpus et membra considero, ubi non mensuras et numeros et ordinem inveniam ad unitatem concordie pertinere. Quæ omnia unde veniant non intelligo, nisi a summa mensura et numero et ordine, quæ in ipsa Dei sublimitate incommutabili atque æterna consistunt. Quod si cogitarent isti loquacissimi et ineptissimi, non nobis tedium facerent, sed ipsi considerando omnes pulchritudines et summas et infimas, Deum artificem ubique laudarent; et quoniam nusquam offenditur ratio, sicubi forte sensus carnalis offenditur, non rerum ipsarum vitio, sed nostre mortalitatis meritis imputarent. Et certe omnia animalia aut utilia nobis sunt, aut perniciosas, aut superflua. Adversus utilia non habent quid dicant. De perniciosis autem vel punimur, vel exercemur, vel terremur, ut non vitam istam multis periculis et laboribus subditam, sed aliam meliorem, ubi securitas summa est, diligamus et desideremus, et eam nobis pietatis meritis comparemus. De superfluis vero quid nobis est quærere? Si tibi displicet quod non prosunt, placet quod non obsunt; quia etsi domui nostre non sunt necessaria, eis tamen completur hujus universitatis integritas, quæ multo major est quam domus nostra et multo melior. Hanc enim multo melius administrat Deus, quam unusquisque nostrum domum suam. Usurpa ergo utilia, cave perniciosas, relinque superflua. In omnibus tamen cum mensuras et nume-

ros et ordinem vides, artificem quære. Nec alium invenies, nisi ubi summa mensura, et summus numerus, et summus ordo est, id est Deum, de quo verissime dictum est, quod omnia in mensura, et numero, et pondere disposuerit (*Sap. xi, 21*). Sic fortasse uberiorem capies fructum, cum Deum laudas in humilitate formicæ, quam cum transis fluvium in alicujus jumentum altitudine.

CAPUT XVII. — *Ut intelligitur ad imaginem Dei factus homo, juxta vers. 26.*

27. *Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et habeat potestatem piscium maris et volatilium cæli, et omnium pecorum et ferarum, et omnis terræ, et omnium reptantium, quæ super terram repunt, et cætera usque ad vesperam et mane quo completur dies sextus. Istam maxime quæstionem solent Manichæi loquaciter agitare, et insultare nobis quod hominem credamus factum ad imaginem et similitudinem Dei. Attendunt enim figuram corporis nostri, et infeliciter quærunt utrum habeat Deus nares et dentes et barbam, et membra etiam interiora, et cætera quæ in nobis sunt necessaria. In Deo autem talia ridiculum est, imo impium credere, et ideo negant hominem factum esse ad imaginem et similitudinem Dei. Quibus respondemus, membra quidem ista in Scripturis plerumque nominari, cum Deus insinuat audientibus parvulis; et hoc non solum in Veteris Testamenti libris, sed etiam in Novi. Nam et oculi Dei commemorantur, et aures, et labia<sup>1</sup>, et pedes, et ad dexteram Dei Patris sedere evangelizatur Filius. Et ipse Dominus dicit: *Nolite per cælum jurare, quia sedes Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est* (*Matth. v, 34, 35*). Item ipse dicit quod in digito Dei eiciebat dæmonia (*Luc. xi, 20*). Sed omnes qui spiritualiter intelligunt Scripturas, non membra corporea per ista nomina, sed spirituales potentias accipere didicerunt, sicut galeas, et scutum, et gladium (*Ephes. vi, 16, 17*), et alia multa. Primo ergo istis hæreticis dicendum est, quia impudentia de talibus verbis Veteri Testamento calumniatur, cum etiam in Novo hæc posita videant, aut fortasse non videant, sed cum litigant excæcentur.*

28. Sed tamen noverint in catholica disciplina spirituales fideles non credere Deum forma corporea definitum; et quod homo ad imaginem Dei factus dicitur, secundum interiorem hominem dici, ubi est ratio et intellectus: unde etiam habet potestatem piscium maris, et volatilium cæli, et omnium pecorum et ferarum, et omnis terræ, et omnium reptantium quæ repunt super terram. Cum enim dixisset, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*; addidit continuo, *Et habeat potestatem piscium maris et volatilium cæli, et cætera*: ut intelligeremus non propter corpus dici hominem factum ad imaginem Dei, sed propter eam potestatem qua omnia pecora superat. Omnia enim animalia cætera subjecta sunt homini, non propter corpus, sed propter intellectum, quem nos habemus, et illa non habent: quamvis

<sup>1</sup> Editi, et labia et dentes et pedes, etc.; sed a Mss. abest, et dentes.

etiam corpus nostrum sic fabricatum sit, ut indicet nos meliores esse quam bestias, et propterea Deo similes. Omnium enim animalium corpora, sive quæ in aquis, sive quæ in terra vivunt, sive quæ in aere volitant, inclinata sunt ad terram, et non sunt erecta sicut hominis corpus. Quo significatur, etiam animum nostrum in superna sua <sup>1</sup>, id est in æterna spiritualia, erectum esse debere. Ita intelligitur per animum maxime, attestante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem et similitudinem Dei.

CAPUT XVIII. — *Potestas hominis in bestias.*

29. Aliquando etiam solent dicere: Quomodo accipit homo potestatem piscium maris et volatilium cæli et omnium pecorum et ferarum, cum videamus a multis feris homines occidi, et a multis volatilibus nobis noceri, quæ volumus vel vitare vel capere et plerumque non possumus? quomodo ergo in hæc accipimus potestatem? Illic illis prius dicendum est quod multum errent qui post peccatum considerant hominem, cum in hujus vitæ mortalitatem damnatus est, et amisit perfectionem illam qua factus est ad imaginem Dei. Sed si damnatio <sup>2</sup> ejus tantum valet, ut tam multis pecoribus imperet: quamvis enim a multis feris propter fragilitatem corporis possit occidi, a nullis tamen domari potest, cum ipse tam multas et prope omnes domet: si ergo hæc hominis damnatio tantum valet, quid de regno ejus cogitandum est, quod ei renovato et liberato divina voce promittitur?

CAPUT XIX. — *Ut spiritualiter accipiendus vers. 28.*

30. Quod autem scriptum est, *Masculum et feminam fecit illos; et benedixit eos Deus dicens, Crescite et multiplicamini, et generate, et replete terram*; rectissime quæritur quemadmodum accipienda sit conjunctio masculi et femine ante peccatum, et ista benedictio qua dictum est, *Crescite et multiplicamini, et generate, et replete terram*: utrum carnaliter, an spiritualiter accipienda sit. Licet enim nobis eam etiam spiritualiter accipere, ut in carnalem fecunditatem post peccatum conversa esse credatur (a). Erat enim prius casta conjunctio masculi et femine; hujus ad regendum, illius ad obtemperandum accommodata: et spiritualis fetus intelligibilium et immortalium gaudiorum replens terram, id est, vivificans corpus, et dominans ejus; id est, ita subjectum habens, ut nullam ex eo adversitatem, nullam molestiam pateretur. Quod ideo sic credendum est, quia nondum erant filii sæculi hujus antequam peccarent. Filii enim sæculi hujus generant et generantur, sicut Dominus dicit, cum in comparatione futuræ vitæ quæ nobis promittitur, carnalem istam generationem contemnendam esse demonstrat (Luc. xx, 34-36).

CAPUT XX. — *Bestiis dominari, per allegoriam.*

31. Et quod eis dictum est, *Habete potestatem piscium maris, et volatilium cæli, et reptantium omnium quæ repant super terram*: salvo quidem intellectu, quomodo manifestum est omnibus his animalibus hominem ra-

<sup>1</sup> Huc revocavimus, sua, ex duodecim Mss., quæ vox in vulgato ommissa est.

<sup>2</sup> Editt hic et paulo post, *dominatio*: prætereaque Lov. habet, *dominari*. Sed corrigendum ad Mss. collices, *damnatio* et *domari*.

(a) I retract. cap. 10, n. 2.

tionem dominari; recte tamen intelligitur etiam spiritualiter, ut omnes affectiones et motus animi, quos habemus istis animalibus similes, subditos habereamus, et eorum dominaremur per temperantiam et modestiam. Cum enim non reguntur isti motus, erumpunt et pergunt in foedissimas consuetudines, et per diversas perniciosasque delectationes nos rapiunt, et faciunt similes omni generi bestiarum. Cum autem reguntur et subjiciuntur, omnino mansuescunt et nobiscum concorditer vivunt. Non enim a nobis alieni sunt motus animi nostri. Pascuntur etiam nobiscum cognitione rationum et morum optimorum, et vitæ æternæ, tanquam herbis seminalibus et lignis fructiferis et herbis viridibus. Et hæc est hominis vita beata atque tranquilla, cum omnes motus ejus rationi veritatibus consentiunt; et vocantur gaudia, et amores sancti, et casti et boni. Si autem non consentiunt, nihilominus <sup>1</sup> dum negligenter geruntur, conscindunt et dissipant animum, et faciunt vitam miserrimam; et vocantur perturbationes, et libidines, et concupiscentiæ malæ. De quibus jam nobis præcipitur, ut eas cum quanto possumus labore crucifigamus in nobis, donec absorbeatur mors in victoriam (I Cor., xv, 54). Dicit enim Apostolus: *Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum perturbationibus et concupiscentiis* (Galat. v, 24). Vel hinc enim quisvis admoneri debet non carnaliter hæc esse intelligenda, quia herbe virides et ligna fructifera omni generi bestiarum, et omnibus volatilibus et omnibus serpentibus in Genesi dantur ad cibum, cum videamus leones, et accipitres, et milvos, et aquilas non pasci nisi carnibus, et interfectione aliorum animalium. Quod etiam de nonnullis serpentibus credo, qui sunt in arenosis et desertis locis, ubi nec lignum nec herba nascitur (a).

CAPUT XXI. — *In vers. 31, cur dicitur, Bona valde.*

32. Sane non est negligenter prætereundum quod dictum est, *Et vidit Deus omnia quæcumque fecit, esse bona valde*. Cum enim de singulis ageret, dicebat tantum, *Vidit Deus quia bonum est*: cum autem de omnibus diceretur, parum fuit dicere *bona*, nisi adderetur et *valde*. Si enim singula opera Dei cum considerantur a prudentibus, inveniuntur habere laudabiles mensuras et numeros et ordines in suo quæque genere constituta; quanto magis omnia simul, id est ipsa universitas, quæ istis singulis in unum collectis impletur? Omnis enim pulchritudo quæ partibus constat, multo est laudabilior in toto quam in parte: sicut in corpore humano, si laudamus oculos solos, si nasum solum, si solas genas, aut solum caput, aut solas manus, aut solas pedes, et cætera si pulchra singula et sola laudamus; quanto magis totum corpus, cui omnia membra, quæ singula pulchra sunt, conferunt pulchritudinem suam: ita ut manus pulchra, quæ etiam sola laudabatur in corpore, si separaretur a corpore, et ipsa amitteret gratiam suam, et cætera sine illa inhonesta sint? Tanta est vis et potentia integritatis et unitatis, ut etiam quæ multa sunt bona

<sup>1</sup> Mss. septem non habent, *nihilominus*. Et alii tres paulo post pro *geruntur*, substituunt, *reguntur*.

(a) I retract. cap. 10, n. 2.

tunc placeant<sup>1</sup>, cum in universum aliquid conveniunt atque concurrunt. Universum autem ab unitate nomen accepit. Quod si Manichæi considerarent, laudarent universalitatis auctorem et conditorem Deum; et quod eos propter conditionem nostræ mortalitatis in parte offendit, redigerent ad universi pulchritudinem, et viderent quemadmodum Deus fecerit omnia non solum bona, sed etiam bona valde. Quia etiam in sermone aliquo ornato atque composito si consideremus singulas syllabas, vel etiam singulas litteras, quæ cum sonnerint statim transeunt, non in eis invenimus quid delectet atque laudandum sit. Totus enim ille sermo non de singulis syllabis aut litteris, sed de omnibus pulcher est.

CAPUT XXII. — *Requies diei septimi per allegoriam: cap. 2, vers. 1-3.*

33. Jam nunc videamus etiam illud, quod solent majore impudentia, quam imperitia deridere, quod scriptum est, Deum consummato cælo et terra et omnibus quæ fecit, requiesisse die septimo ab omnibus operibus suis, et benedixisse diei septimum, et sanctificasse eum, quia requievit ab operibus suis. Dicunt enim: Quid opus erat ut Deus requiesceret? an forte operibus sex dierum fatigatus et lassatus erat? Addunt etiam Domini testimonium, ubi ait, *Pater meus usque nunc operatur* (Joan. v, 17); et hinc multos imperitos decipiunt, quibus persuadere conantur Novum Testamentum Veteri Testamento adversari. Sed sicut illi quibus Dominus dicit, *Pater meus usque nunc operatur*, carnaliter opinabantur requiem Dei, et carnaliter sabbatum observantes non videbant quid illius diei significatio figuraret; sic et isti diversa quidem voluntate, pariter tamen non intelligunt sabbati sacramentum. Et illi enim carnaliter observando, et isti carnaliter exsecrando, sabbatum non noverunt. Transeat ergo unusquisque ad Christum ut auferatur velamen, sicut Apostolus dicit (II Cor. iii, 16). Velamen enim auferitur, quando similitudinis et allegoriæ cooperimento ablato, veritas nudatur, ut possit videri.

34. Primo ergo hujus locutionis regula in multis divinarum Scripturarum locis animadvertenda atque discenda est<sup>2</sup>. Quid enim aliud significat, quod dicitur Deus requiesisse ab omnibus operibus suis, quæ fecit bona valde, nisi requiem nostram, quam nobis daturus est ab omnibus operibus nostris, si et nos bona opera fecerimus? Secundum ipsam figuram locutionis dicit et Apostolus: *Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (Rom. viii, 26). Non enim Spiritus sanctus gemit, quasi indigeat aut angustias patiatur, qui secundum Deum interpellat pro sanctis: sed quia ipse nos movet ad orandum cum gemimus, quod ipso movente nos facimus, ipse facere dictus est. Sic dicitur etiam illud: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (Deut. xiii, 3). Non enim

ut sciat ipse quem nihil latet, sed ut sciro nos faciat, quantum in ejus dilectione profecerimus, tentari nos permittit. Secundum ipsam locutionem dicit et Dominus noster, nescire se diem et horam de fine sæculi (Matth. xxiv, 36). Quid enim potest esse quod ille nesciat? Sed quia hoc utiliter occultabat discipulis, nescientem se esse dixit, quia illos nescientes occultando faciebat. Secundum hanc figuram etiam Patrem solum dixit scire diem ipsum, quia eundem Filium scire faceret. Ex hac figura multæ quæstiones in divinis Scripturis, eis qui jam genus locutionis hujus noverunt, sine ulla difficultate solvuntur. Talibus locutionibus etiam abundat nostra consuetudo, cum dicimus lætum diem, quia nos lætos facit; et pigrum frigus, quia nos pigros facit; et fossam cæcam, quia nos eam non videmus; et linguam politam, quia verba polita facit: postremo etiam quietum ab omnibus molestiis tempus dicimus, in quo nos ab omnibus molestiis quieti sumus. Sed et Deus requiesisse dictus est ab omnibus operibus suis, quæ fecit bona valde, quia in illo requiescimus ab omnibus operibus nostris, si opera bona fecerimus: quia et ipsa bona opera nostra illi tribuenda sunt qui vocat, qui præcipit, qui viam veritatis ostendit, qui ut et velimus invitat, et vires implendi ea quæ imperat, subministrat.

CAPUT XXIII. — *Septem dies, et septem ætates mundi.*

35. 1<sup>a</sup> ÆTAS. Sed quare septimo die<sup>1</sup> requies ista tribuatur, diligentius considerandum arbitror. Video enim per totum textum divinarum Scripturarum sex quasdam ætates operosas, certis quasi limitibus suis esse distinctas, ut in septima speretur requies; et easdem sex ætates habere similitudinem istorum sex dierum, in quibus ea facta sunt quæ Deum fecisse Scriptura commemorat. Primordia enim generis humani, in quibus ista luce frui cœpit, bene comparantur primo diei quo fecit Deus lucem. Hæc ætas tanquam infantia deputanda est ipsius universi sæculi, quod tanquam unum hominem proportionem magnitudinis suæ cogitare debemus; quia unusquisque homo cum primo nascitur, et exit ad lucem, primam ætatem agit infantiam. Hæc tenditur ab Adam usque ad Noe generationibus decem. Quasi vespera hujus diei sit diluvium<sup>2</sup>; quia et infantia nostra tanquam oblivionis diluvio deletur.

36. 2<sup>a</sup> ÆTAS. Et incipit mane a temporibus Noe secunda ætas tanquam pueritia, et tenditur hæc ætas usque ad Abraham alii generationibus decem. Et bene comparatur secundo diei quo factum est firmamentum inter aquam et aquam; quia et arca in qua erat Noe cum suis, firmamentum erat inter aquas inferiores in quibus natabat, et superiores quibus complebatur. Hæc ætas non diluvio deletur, quia et pueritia nostra non oblivione tergitur de memoria. Meminimus enim nos fuisse pueros, infantes autem non meminimus. Hujus vespera est confusio linguarum in eis qui tur-

<sup>1</sup> sic Mss. At editi habent: *Ut quæ bona sunt, tunc multum vitium placeant.*

<sup>2</sup> Mss. quinquæ, discernenda est.

<sup>1</sup> Mss. septem habent, *septimo diei.*

<sup>2</sup> Mss. septem, in diluvio.

rem faciebant, et sit mane ab Abraham. Sed nec ista ætas secunda generavit populum Dei, quia nec pueritia apta est ad generandum.

37. 3<sup>a</sup> ÆTAS. Mane ergo fit ab Abrah., et succedit ætas tertia similis adolescentiæ. Et bene comparatur diei tertio, quo ab aquis terra separata est. Ab omnibus enim gentibus, quarum error instabilis et vanis simulacrorum doctrinis tanquam ventis omnibus mobilis, maris nomine bene significatur; ab hac ergo gentium vanitate et hujus sæculi fluctibus separatus est populus Dei per Abraham, tanquam terra cum apparuit arida, id est, sitiens imbrem cœlestem divinorum mandatorum: qui populus unum Deum colendo, tanquam irrigata terra, ut fructus utiles posset asferre, sanctas Scripturas et Prophetias<sup>1</sup> accepit. Hæc enim ætas potuit jam generare populum Deo, quia et tertia ætas, id est adolescentia filios habere jam potest. Et ideo ad Abraham dictum est: *Patrem multarum gentium posui te<sup>2</sup>, et augeam te nimis valde, et ponam te in gentes; et reges de te exient. Et ponam testamentum meum inter me et te, et inter semen tuum post te, in generationes eorum in testamentum æternum; ut sim tibi Deus, et semini tuo post te: et dabo tibi et semini tuo post te terram in qua habitas, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, et ero illis Deus (Gen. xvii, 5-8)*. Hæc ætas porrigitur ab Abraham usque ad David quatuordecim generationibus. Hujus vespera est in populo peccatis, quibus divina mandata præteribant, usque ad malitiam pessimi regis Saül.

38. 4<sup>a</sup> ÆTAS. Et inde fit mane regnum David. Hæc ætas similis juventutis est. Et revera inter omnes ætates regnat juvenus, et ipsa est firmum ornamentum<sup>3</sup> omnium ætatum: et ideo bene comparatur quarto diei, quo facta sunt sidera in firmamento cœli. Quid enim evidentius significat splendorem regni, quam solis excellentia? Et plebem obtemperantem regno splendor lunæ ostendit, tanquam synagogam ipsam, et stellæ principes ejus, et omnia tanquam in firmamento in regni stabilitate fundata. Hujus quasi vespera est in peccatis regum, quibus illa gens meruit captivari atque servire.

39. 5<sup>a</sup> ÆTAS. Et fit mane transmigratio in Babylo-niam, cum in ea captivitate populus leniter in peregrino otio collocatus est. Et porrigitur hæc ætas usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, id est quinta ætas, scilicet declinatio a juventute ad senectutem, nondum senectus, sed jam non juvenus: quæ senioris ætas est, quem Græci πρεσβύτης vocant. Nam senex apud eos non πρεσβύτης, sed γέρων dicitur. Et revera sic ista ætas a regni robore inclinata et fracta est in populo Judæorum, quemadmodum homo a juventute

fit senior. Et bene comparatur illi diei quinto, quo facta sunt in aquis animalia, et volatilia cœli, posteaquam illi homines inter gentes, tanquam in mari, vivere creperunt, et habere incertam sedem et instabilem, sicut volantes aves. Sed plane erant ibi etiam ceti magni, id est illi magni homines qui magis dominari fluctibus sæculi, quam servire in illa captivitate potuerunt. Non enim ad cultum idolorum aliquo terrore depravati sunt. Ubi sane animadvertendum est quod benedixit Deus illa animalia, dicens, *Crescite et multiplicamini, et implete aquas maris, et volatilia multiplicentur super terram*: quia revera gens Judæorum, ex quo dispersa est per gentes, valde multiplicata est. Hujus diei, hoc est hujus ætatis, quasi vespera est multiplicatio peccatorum in populo Judæorum, quia sic excecati sunt, ut etiam Dominum Jesum Christum non possent agnoscere.

40. 6<sup>a</sup> ÆTAS. Mane autem fit ex prædicatione Evang. per Dominum nostrum Jesum Christum, et finitur dies quintus: incipit sextus, in quo senectus veteris hominis apparet. Hæc enim ætate illud carnale regnum vehementer attritum est, quando et templum dejectum est, et sacrificia ipsa cessaverunt; et nunc ea gens quantum ad regni sui vires attinet, quasi extremam vitam trahit. In ista tamen ætate tanquam in senectute veteris hominis, homo novus nascitur, qui jam spiritualiter vivit. Sexta enim die dictum erat: *Producat terra animam vivam*. Nam quinto die dictum erat: *Producant aquæ, non animam vivam, sed reptilia animarum vivarum*; quoniam corpora sunt reptilia, et adhuc corporali circumcissione et sacrificiis tanquam in mari Gentium populus ille serviebat Legi (a). Istam vero animam vivam dicit, qua vita jam incipiunt æterna desiderari<sup>4</sup>. Serpentes ergo et pecora quæ terra producit, gentes significant jam stabiliter Evangelio credituras. De quibus dicitur in illo vase quod Petro demonstratum est in Actibus Apostolorum: *Macla, et manduca*. Et cum ille immunda diceret, responsum est ei: *Quæ Deus mundavit, tu ne immunda dixeris (Act. x, 13-15)*. Tunc fit homo ad imaginem et similitudinem Dei, sicut in ista sexta ætate nascitur in carne Dominus noster, de quo dictum est per prophetam, *Et homo est, et quis agnoscat eum?* Et quemadmodum in illo die masculus et femina, sic et in ista ætate Christus et Ecclesia. Et præponitur homo in illo die pecoribus et serpentibus et volatilibus cœli, sicut in ista ætate Christus regit animas obtemperantes sibi, quæ ad Ecclesiam ejus, partim de Gentibus, partim de populo Judæorum venerunt; ut ab eo domarentur atque mansuescerent homines, vel carnali concupiscentiæ dediti sicut pecora, vel tenebrosa curiositate obscurati quasi serpentes, vel elati superbia quasi aves. Et sicut in illo die pascitur homo et animalia, quæ cum ipso sunt, herbis seminalibus et lignis fructiferis et herbis viridibus; sic ista ætate spiritualis homo quicumque bonus minister est Christi, et eum bene quantum potest imitatur, cum ipso populo spi-

<sup>1</sup> Regius codex et alii quinque: *et possit fructus utiles afferre sanctarum Scripturarum et Prophetarum*.

<sup>2</sup> In prius vulgatis Am. Er. et Lov. post, *posui te*, hæc interseruntur: *ante Deum cui credidisti, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Qui contra spem in spem credidit, ut feret pater multarum gentium, secundum quod dictum est: Sic erit semen tuum: quæ omnia a Mss. absunt*.

<sup>3</sup> Filii: *Firmamentum et ornamentum*. At Mss., *firmum ornamentum*; atque ex iis nonnulli paulo post habent, et *plebem obtemperantem regi*.

<sup>4</sup> Sic Mss. At prius vulgati habent: *Quæ vitam incipientem æternam desiderare*.

(a) I retract. cap. 40, n. 3.



ritualiter pascitur sanctarum Scripturarum alimentis et lege divina : partim ad concipiendam fecunditatem rationum atque sermonum, tanquam herbis seminalibus; partim ad utilitatem morum conversationis humanæ, tanquam lignis fructiferis; partim ad vigorem fidei, spei et charitatis in vitam æternam, tanquam herbis viridibus, id est vigentibus, quæ nullo æstu tribulationum possint arefcere. Sed spiritualis sic istis alimentis pascitur, ut multa intelligat; carnalis autem, id est parvulus in Christo, tanquam pecus Dei, ut multa credat quæ intelligere nondum potest: tamen eosdem cibos omnes habent.

41. 7<sup>o</sup> ETAS. Hujus autem ætatis quasi vespera, quæ utinam nos non inveniatur, si tamen nondum cœpit, illa est de qua Dominus dicit: *Putas cum veniet Filius hominis, inveniet fidem super terram* (Luc. xviii, 8)? Post istam vesperam fiet mane, cum ipse Dominus in claritate venturus est: tunc requiescent cum Christo ab omnibus operibus suis in quibus dictum est, *Estote perfecti, sicut Pater vester qui in cœlis est* (Math. v, 48). Tales enim faciunt opera bona valde. Post enim talia opera speranda est requies in die septimo, qui vesperam non habet. Nullo ergo modo verbis dici potest quemadmodum Deus fecerit, et condiderit cœlum et terram et omnem creaturam quam condidit: sed ista expositio per ordinem dierum sic indicat tanquam historiam rerum factarum, ut prædicationem futurorum maxime observet.

#### CAPUT XXIV.—Ætates mundi quare inæquales.

42. Si autem aliquem movet quod in istis ætatibus sæculi duas ætates primas deus generationibus adverimus explicari, tres autem consequentes singulæ quatuordecim generationibus contextuntur, sexta vero ista nullo generationum numero definita est (Math. i, 1); facile est videre, etiam in unoquoque homine duas primas ætates, infantiam et pueritiam, corporis sensibus inherere. Qui sensus corporis quinque sunt, visus, auditus, olfactus, gustus et tactus: quinarius autem numerus duplicatus, quoniam duplex est sexus humanus, unde generationes tales existunt, masculinas et femininas; quinarius ergo, ut dixi, duplicatus denarium numerum facit. Jamvero ab adolescentia et deinceps, ubi ratio jam incipit in homine prævalere, accedit quinque sensibus cognitio et actio, quibus vita regitur et administratur, ut jam septenarius numerus incipiat esse: qui similiter duplicatus, propter duplicem sexum, in quatuordecim generationibus eminet et apparet, quas habent tres ætates consequentes, tanquam adolescentis, et juvenis, et senioris. Senectutis vero ætas sicut in nobis nullo statuto annorum tempore definitur, sed post quinque illas ætates quantum quisque vixerit, senectuti deputatur: sic et in ista ætate sæculi non apparent generationes, ut etiam occultus sit ultimus dies, quem utiliter Dominus latere oportere demonstravit (Id. xxiv, 36).

#### CAPUT XXV.—Septem dierum altior allegoria.

43. Habet etiam unusquisque nostrum in bonis

operibus et recta vita tanquam distinctos istos sex dies, post quos debet quietem sperare. Primo die lucem fidei, quando prius visibilibus credit<sup>1</sup>, propter quam fidem Dominus visibiliter apparere dignatus est. Secundo die tanquam firmamentum disciplinæ, quo discernit inter carnalia et spiritualia, sicut inter aquas inferiores et superiores. Tertio die, quo mentem suam ad ferendos bonorum operum fructus, a labe et fluctibus tentationum carnalium, tanquam aridam terram a perturbationibus maris seceruit, ut jam possit dicere, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (Rom. vii, 25). Quarto die, quo jam in illo firmamento disciplinæ spirituales intelligentias operatur atque distinguit, videt quæ sit incommutabilis veritas, quæ tanquam sol fulget in anima; et quemadmodum anima ipsius veritatis particeps fiat, et corpori ordinem et pulchritudinem præstet, tanquam luna illuminans noctem; et quemadmodum stellæ omnes, scilicet intelligentiæ spirituales, in hujus vitæ obscuritate tanquam in nocte micent et fulgeant. Quarta rerum notitia fortior effectus incipiat quinta die in actionibus turbulentissimi sæculi, tanquam in aqua maris operari, propter utilitatem fraternæ societatis; et de corporalibus actionibus<sup>2</sup>, quæ ad ipsam mare pertinent, id est ad hanc vitam, producere animarum vivarum reptilia, id est opera quæ prosint animis vivis; et cetos magnos, id est fortissimas actiones, quibus fluctus sæculi dirumpuntur et contemnuntur, et volatilia cœli, id est voces cœlestia prædicantes. Sexto autem die producat de terra animam vivam, id est de ipsa stabilitate mentis suæ ubi spirituales habet fructus, id est bonas cogitationes, motus omnes animi sui regat, ut sit in illo anima viva, id est rationi et justitiæ serviens, non temeritati atque peccato. Ita fiat etiam homo ad imaginem et similitudinem Dei, masculus et femina, id est intellectus et actio, quorum copulatione spiritualis fetus terram impleat, id est carnem subiciat, et cætera quæ jam in hominis perfectione superiora dicta sunt. In istis autem tanquam diebus vespera est in ipsa perfectione singulorum operum, et mane in inchoatione consequentium. Post istorum quasi sex dierum opera bona valde, speret homo quietem perpetuam, et intelligat quid sit, *Requiescit Deus septimo die ab omnibus operibus suis*: quia et ipse in nobis hæc bona operatur, qui ut operemur jubet; et ipse recte requiescere dicitur, quia post hæc omnia opera requiem nobis ipse præstabit. Quomodo enim recte dicitur paterfamilias ædificare domum, cum hoc non opere suo faciat, sed eorum quibus servientibus imperat; sic recte dicitur et ab operibus requiescere, cum post perfectionem fabricæ, illis quibus imperabat permittit ut vacent, et jucundo otio perfuantur.

<sup>1</sup> Lov., invisibilibus credit. Sed melius Erasmus, negius cœdex, et alii mss. decem, visibilibus credit.

<sup>2</sup> Mss. tres, agnitionibus. Pauloque post habent, fortissimas agnitiones.

## LIBER SECUNDUS.

Persequitur expositionem Geneseos ab hoc vers. 4 cap. 2: *Hic liber creaturæ cæli et terræ, etc., usque ad Iudam quo Adam et Eva de Paradiso eiciuntur. Ad extremum, Ecclesie dogmata cum Manichæorum erroribus confert.*

•••••

### CAPUT PRIMUM. — *Recitatio secundi et tertii capituli Geneseos.*

1. Post enumerationem et expositionem dierum septem, interposita est quasi quedam conclusio, et appellatus est liber creaturæ cæli et terræ, quidquid superius dictum est, cum sit parva pars libri: sed ideo sic meruit vocari, quia universi sæculi a capite usque ad finem quasi quedam imago in his diebus septem figurata est. Deinde incipit de homine diligentius narrari. Quæ omnis narratio non aperte, sed figurate explicatur, ut exerceat mentes quærentium veritatem, et spirituali negotio a negotiis carnalibus avocet. Sic enim se continet: *Hic est liber creaturæ cæli et terræ, cum factus esset dies quo fecit Deus cælum et terram, et omnia viridia agri, antequam essent super terram, et omne pabulum agri, antequam germinaret. Nondum enim pluerat Deus super terram, neque erat homo qui operaretur in ea. Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ. Et tunc finxit Deus hominem de limo terræ, et insufflavit in faciem ejus flatum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Et tunc plantavit Deus paradysum in Eden ad orientem, et posuit ibi hominem quem finxerat. Et produxit adhuc Deus de terra omne lignum formosum ad aspectum, et bonum ad escam: et lignum vitæ plantavit in medio paradisi, et lignum scientiæ boni et mali. Flumen autem prodibat ex Eden, et irrigabat paradysum: quod inde dividitur in quatuor partes. Nomen uni Phison; hoc est quod circuit totam terram Evilath, ibi est aurum, aurum autem terræ illius optimum<sup>1</sup>; ibi est carbunculus et lapis prasinus. Et nomen secundi fluminis Geon; hoc circuit totam terram Æthiopiæ. Et flumen tertium Tigris; hoc est quod vadit contra Assyrios. Et flumen quartum dicitur Euphrates. Et sumpsit Dominus Deus hominem quem fecerat, et posuit eum in paradiso, ut operaretur ibi, et custodiret eum. Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens: Ex omni ligno quod est in paradiso, edes ad escam; de ligno autem scientiæ boni et mali non edetis ab eo: qua die enim ederitis ab illo, morte moriemini. Et dixit Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Et quæcumque finxerat Deus ex omni genere pecorum, et ex omni genere bestiarum agri, et ex omni genere volatilium volantium sub cælo, perduxit ea ad Adam, ut videret quid ea vocaret: et quod vocavit ea omnia Adam animam vivam, hoc est nomen ejus. Et post hæc vocavit Adam nomina omnium pecorum, et omnium avium cæli, et omnium bestiarum agri; et secundum quod vocavit ea Adam, hoc est nomen eorum usque in hodiernum diem. Ipsi autem Adæ nondum fuit adjutorium simile illi. Et inmisit Deus soporem in Adam, et obdormivit: et sumpsit*

<sup>1</sup> Ita Vss. At Am. Fr. et Lov. habent: *ibi aurum nascitur, et aurum terræ, etc.*

*Deus unam de costis ejus, et implevit locum ejus carne, et formavit Deus costam quam accepit ab Adam in mulierem. Et adduxit illam ad Adam, ut videret quid eam vocaret. Et dixit Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta est<sup>2</sup>; et hæc erit mihi adjutorium. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adjungetur uxori suæ; et erunt duo in carne una. Et erant ambo nudi, Adam et mulier ejus, et non confundebantur.*

2. *Serpens autem erat sapientior omnium bestiarum, quæ erant super terram, quas fecerat Dominus Deus. Et dixit serpens ad mulierem: Quare dixit Deus ne edatis ab omni ligno quod est in paradiso? Et dixit mulier ad serpentem: Ex omni ligno quod est in paradiso edemus; a fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit Deus ne edamus, sed neque tangamus, ne moriamur. Et dixit serpens mulieri: Non morte moriemini; sciebat enim Deus quia qua die manducaveritis ex illo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Et vidit mulier quia bonum est lignum in escam, et quia bonum est oculis ad videndum et cognoscendum; et sumpsit fructum de ligno illo, et manducavit, et dedit viro suo; et accepit Adam, et manducavit: et aperti sunt oculi eorum, et tunc scierunt quia nudi erant; et sumpserunt sibi folia ficu, et fecerunt sibi succinctoria. Et cum audissent vocem Domini deambulantis in paradiso ad vesperam, absconderunt se Adam et mulier ejus ab ante faciem Domini Dei<sup>3</sup>, ad illam arborem quæ erat in medio paradiso. Et vocavit Dominus Deus Adam, et dixit illi: Adam, ubi es? Et dixit ille: Vocem tuam audivi, Domine, in paradiso, et timui, et abscondi me, quia nudus sum. Et dixit Dominus Deus: Quis nuntiavit tibi, quia nudus es, nisi quia ab illa arbore de qua dixeram tibi ex illa sola non manducare, ex illa manducasti? Et dixit Adam: Mulier quam dedisti mihi<sup>4</sup>, dedit ut ederem, et manducari. Et dixit Deus mulieri: Quid hoc fecisti? Et dixit mulier: Serpens seduxit me, et manducavi. Et dixit Dominus Deus serpenti: Quia hoc fecisti, maledictus tu ab omni pecore, et omni genere bestiarum. Pectore et ventre repes, et terram manducabis omnibus diebus vitæ tuæ. Et inimicitiam ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum, et inter semen illius. Ipsa tuam observabit caput, et tu ejus calcaneum. Et mulieri dixit: Multiplicans multiplicabo dolores tuos, et suspiria tua, et in doloribus paries filios tuos; et ad virum tuum conversis tua, et ille tui dominabitur. Et tunc dixit Deus cæli*

<sup>1</sup> Omititur suo, in editione Lov., quæ vox in Vss. Am. et Fr. nec non in graeco textu LXX continetur *et tui andros antea*.

<sup>2</sup> Editi, *adhæret* it; pro quo Vss. habent, *adjungetur*.

<sup>3</sup> Am. Fr. et Lov., *Domini Dei sui*. At Vss. carent voce, sui. — Pro, *ab ante faciem*, Er. et Ven. habeat, *a facie*; Lov., *ante faciem*. M.

<sup>4</sup> Sic in ex-*usis* additur *socium*, quæ vox abest a Vss.

Adam : Quia audisti vocem mulieris tuæ, et manducasti de ligno de quo præceperam tibi, ex illo solo ne ederes, maledicta terra erit tibi in omnibus operibus tuis, et in tristitia et gemitu tuo manducabis ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinæ et tribulos germinabit tibi, et edes pabulum agri tui. In sudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia terra es, et in terram ibis. Et tunc Adam imposuit nomen uxori suæ, Vita; quia mater est omnium vivorum. Et tunc fecit Dominus Deus Adæ et mulieri ejus tunicas pelliceas, et induit illos. Et dixit: Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis, ad scientiam cognoscendi bonum et malum. Et tunc ne porrigeret manum suam Adam ad arborem vitæ et sumeret sibi inde, et ederet et viveret in æternum, dimisit eum Dominus Deus de paradiso suavitatis, ut operaretur terram de qua et sumptus fuerat. Et ejectus foras de paradiso, moratus est contra paradisum voluptatis. Et Cherubim et illam flammeam frameam quæ versatur, posuit Deus ad custodiendam viam arboris vitæ.

CAPUT II. — Genesis ad litteram ubique non potest exponi.

3. Hæc secreta verborum si non reprehendentes et accusantes, sed quærentes et reverentes Manichæi mallent discutere, non essent utique Manichæi; sed daretur potentibus, et quærentes invenirent, et pulsantibus aperiretur. Plures enim quæstiones in hoc sermone proponunt, qui diligentia pia quærent, quam isti miseri atque impij: sed hoc interest, quod illi quærent ut inveniant, isti nihil laborant, nisi non invenire quod quærent. Hic ergo totus sermo primo secundum historiam discutiendus est, deinde secundum prophetiam. Secundum historiam facta narrantur, secundum prophetiam futura prænuntiantur. Sane quisquis voluerit omnia quæ dicta sunt, secundum litteram accipere, id est non aliter intelligere quam littera sonat, et potuerit evitare blasphemias, et omnia congruentia fidei catholicæ prædicare, non solum ei non est invidendum, sed præcipuus multumque laudabilis intellectus habendus est. Si autem nullus exitus datur, ut pie et digne Deo quæ scripta sunt intelligantur, nisi figurate atque in ænigmatibus proposita ista credamus; habentes auctoritatem apostolicam, a quibus tam multa de libris Veteris Testamenti solvuntur ænigmata, modum quem intendimus teneamus, adjuvante illo qui nos petere, quærerere et pulsare adhortatur (*Math. vii, 7*); ut omnes istas figuras rerum secundum catholicam fidem, sive quæ ad historiam, sive quæ ad prophetiam pertinent, explicemus, non præjudicantes meliori diligentiorique tractatui, sive per nos, sive per alios quibus Dominus revelare dignatur.

CAPUT III. — Viride agri quid designat, vers. 5, cap. 2.

4. Factus est ergo dies, quo die fecit Deus cælum et terram, et omne viride agri, antequam essent super terram<sup>1</sup>, et omne pabulum agri. Superius septem dies numerantur, nunc unus dicitur dies, quo die fecit Deus cælum et terram, et omne viride agri, et omne pabu-

<sup>1</sup> Ven.: antequam esset super terram. M.

lum, cujus diei nomine omne tempus significari bene intelligitur. Fecit enim Deus omne tempus simul cum omnibus creaturis temporalibus, quæ creaturæ visibiles cæli et terræ nomine significantur. Movere autem nos debet ad quærendum, quod cum diem, qui factus est, et cælum, et terram nominasset<sup>1</sup> adjecit etiam, viride agri, et omne pabulum. Non enim quando dictum est, *In principio fecit Deus cælum et terram*, tunc dictum est, factum esse omne viride agri et pabulum: manifeste enim legitur, quod tertio die factum est omne viride et pabulum agri. Quod autem dictum est, *In principio fecit Deus cælum et terram*, non pertinet ad aliquem dierum ex illis septem diebus. Adhuc enim vel materiam ipsam unde facta sunt omnia, cæli et terræ nomine nuncupabat: vel certe prius totam creaturam, cæli et terræ nomine proposuerat dicendo, *In principio fecit Deus cælum et terram*; et postea particulatim per ordinem dierum sicut oportebat, propter prophetiam, quam in primo libro commemoravimus, Dei opera exsecutus exposuit. Quid sibi ergo vult quod nunc nominato cælo et terra, addidit, *viride agri et pabulum*, et tacuit cætera tam multa, quæ sunt in cælo et in terra, vel etiam in mari; nisi quia viride agri invisibilem creaturam vult intelligi, sicut est anima? Ager enim solet in Scripturis figurate mundus appellari. Nam et ipse Dominus, *Ager est hic*, inquit, *mundus* (*Math. xxi, 38*), cum illam parabolam exponeret, ubi lino semini sunt commixta zizania. Viride ergo agri spiritualem atque invisibilem creaturam dicit, propter vigorem vitæ, et nomine pabuli utique propter vitam bene hoc ipsum interpretamur (a).

5. Deinde quod addidit, *antequam essent super terram*, intelligitur antequam anima peccaret. Terrenis enim cupiditatibus sordidata, tanquam super terram nata, vel super terram esse, recte dicitur: ideoque addidit, *Nondum enim pluerat Deus supra terram*.

CAPUT IV. — Quid sit, Nondum pluerat super terram, vers. 5.

Quia et nunc viride agri Deus facit, sed pliendo super terram, id est, facit animas revirescere per verbum suum; sed de nubibus eas irrigat, id est de Scripturis Prophetarum et Apostolorum. Recte autem appellantur nubes, quia verba ista quæ sonant et percusso aere transeunt, addita etiam obscuritate allego- riarum quasi aliqua caligine obducta, velut nubes sunt: quæ dum tractando exprimentur, bene intelligentibus tanquam imber veritatis infunditur. Sed hoc nondum erat antequam anima peccaret; id est, antequam viride agri esset super terram. *Nondum enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur in ea*. Laboranti enim homini in terra imber de nubibus est necessarius, ac quibus nubibus jam dictum est. Post peccatum autem homo laborare cœpit in terra, et necessarias habere illas nubes. Ante peccatum vero, cum viride agri et pabulum fecisset Deus, quo nomine invisibilem creaturam significari diximus, irrigabat

<sup>1</sup> Editi: cum diem quo factum est cælum et terra nominasset. At Mss. magno coasensu ferunt: cum diem qui factus est, et cælum et terram nominasset.

(a) 1 retract. cap. 10, n. 3.

eam fonte interiore, loquens in intellectum ejus : ut non extrinsecus verba exciperet, tanquam ex supradictis nubibus pluviam ; sed fonte suo, hoc est de intimis suis manante veritate, satiaretur.

CAPUT V.— *Fons irrigans terram allegorice. Superbia quid sit.*

6. *Fons enim ascendebat, inquit, de terra, et irrigabat omnem faciem terræ.* De terra scilicet de qua dicitur : *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium (Psal. cxli, 6).* Quando autem anima tali fonte irrigabatur, nondum per superbiam projecerat intima sua. *Initium enim superbiam hominis apostatare a Deo.* Et quoniam in exteriora per superbiam tumescens cœpit non irrigari fonte intimo, bene insultatur illi verbis propheticis (a), et dicitur : *Quid superbit terra et cinis? Quoniam in vita sua projecit intima sua (Eccli. x, 14, 9, 10).* Quid est enim superbia aliud, nisi deserto secretario<sup>1</sup> conscientiam foris videri velle quod non est? Et ideo laborans jam in terra necessariam habet pluviam de nubibus, id est doctrinam de humanis verbis, ut etiam hoc modo possit ab illa ariditate revirescere, et iterum fieri viride agri. Sed utinam vel pluviam veritatis de ipsis nubibus libenter excipiat. Nam propter illam Dominus noster nubilum carnis nostræ dignatus assumere, imbrem sancti Evangelii largissimum infudit, promittens etiam quod si quis biberit de aqua ejus, rediet ad illum intimum fontem, ut forinsecus non quærat pluviam. Dicit enim : *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (Joan. iv, 14).* Iste, credo, fons ante peccatum ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ, quia interior erat, et nubium non desiderabat auxilium : *Nondum enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur in ea.* Cui enim dixisset, *Nondum enim pluerat Deus super terram,* subiecit et causam quare nondum pluerat : quia *non erat homo qui operaretur in ea.* Tunc autem homo cœpit operari in terra, cum post peccatum de beata vita dimissus est, qua in paradiso fruebatur. Sic enim scriptum est : *Et dimisit enim Dominus Deus de paradiso suavitatis, ut operaretur terram de qua et sumptus fuerat : unde suo loco requireremus (Infra, cap. 22).* Quod nunc ad hoc commemoravi, ut intelligeremus laboranti homini in terra, id est in peccatorum ariditate constituto, necessariam esse de humanis verbis divinam doctrinam, tanquam de nubibus pluviam. Talis autem scientia destruetur. Videmus enim nunc in ænigmate, tanquam in nubilo saginam quærentes : tunc autem facie ad faciem (I Cor. xiii, 8, 12), quando universa facies terræ nostræ interiore fonte aquæ salientis irrigabitur. Nam si fontem aliquem hujus visibilis aquæ voluerimus intelligere, de quo dictum est, *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ ; non est verisimile quod cum tam multi fontes perennes, sive rivo-rum, sive fluviorum per universam terram inveniantur, solus ille sicceverit<sup>2</sup>, qui irrigabat omnem faciem terræ.*

<sup>1</sup> Editi, *secretio*. Mss. duodecim, *secretario*.

<sup>2</sup> Juxta Fr. et Lov., *sicceverit*. M.

(a) I Retract. cap. 10, n. 3.

CAPUT VI.— *Invisibilia quibus vocabulis signantur.*

7. Sub his ergo paucis verbis universa creatura nobis insinuata est ante peccatum animæ. Nominis enim cœli et terræ universa visibilis creatura significata est ; et nomine diei, universum tempus ; et nomine viridium et pabuli agri, creatura invisibilis ; et nomine fontis ascendentis et irrigantis omnem faciem terræ, inundatio veritatis animam satians ante peccatum. Dies autem iste, cujus nomine universum tempus significari diximus, insinuat nobis non solum visibilem, sed etiam invisibilem creaturam tempus posse sentire : quod de anima nobis manifestatur, quæ tanta varietate affectionum suarum, et ipso lapsu quo misera facta est, et reparatione qua rursus in beatitudinem redit, tempore mutari posse convincitur. Et ideo non dictum est, *Cum factus esset dies, quo die fecit Deus cœlum et terram,* tantum ; quibus nominibus visibilis creatura intimatur : sed additum est etiam, *viride, et pabulum agri ;* quo nomine invisibilem creaturam, propter vigorem et vitam, significari diximus, sicuti est anima. Et ita dictum est, *Cum factus esset dies, quo die fecit Deus cœlum et terram, et omne viride, et pabulum agri :* ut sic intelligeremus non solum visibilem, sed etiam invisibilem creaturam pertinere ad tempus, propter mutabilitatem ; quia solus Deus incommutabilis est, qui est ante tempora.

CAPUT VII.— *Limus quid habeat mysterii.*

8. Nunc videamus post universæ creaturæ insinuationem tam visibilis quam invisibilis, et universale beneficium divini fontis erga invisibilem creaturam, quid de homine specialiter intimetur, quod ad nos maxime pertinet. Primo enim quod de limo terræ Deus hominem finxit, solet habere quæestionem qualis ille limus fuerit, vel quæ materia nomine limi significata sit. Illi autem inimici veterum Librorum, omnia carnaliter intuentes, et propterea semper errantes, etiam hoc reprehendere mordaciter solent, quod de limo Deus hominem finxit. Dicunt enim : *Quare de limo fecit Deus hominem? an defuerat ei melior et cœlestis materia, unde hominem faceret, ut de labe terrena tam fragilem mortalemque formaret? Non intelligentes primo quam multis significationibus vel terra vel aqua in Scripturis ponatur : limus enim aquæ et terræ commixtio est. Dicimus enim .tabidum et fragile et morti destinatum corpus humanum post peccatum esse cœpisse. Non enim in nostro corpore isti exhorrescunt nisi mortalitatem, quam damnatione meruimus. Quid autem mirum, aut difficile Deo, etiamsi de limo istius terræ hominem fecit, tale tamen corpus ejus efficere, quod corruptioni non subjaceret, si homo præceptum Dei custodiens peccare noluisse? Si enim speciem cœli ipsius de nihilo, vel de informi materia dicimus factam, quia omnipotentem artificem credimus ; quid mirum si corpus, quod de limo qualicumque factum est, potuit ab omnipotenti artifice tale fieri, ut nulla molestia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, et nulla corruptione tabesceret?*

9. Itaque superflue quæritur unde hominis corpus Deus fecerit ; si tamen nunc de corporis formatione

dicitur. Sic enim nonnullos nostros intelligere accepi, qui dicunt, posteaquam dictum est, *Fecit Deus hominem de limo terræ*; propterea non additum, Ad imaginem et similitudinem suam, quoniam nunc de corporis formatione dicitur. Tunc autem homo interior significabatur, quando dictum est: *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem Dei (a)*. Sed etiamsi nunc quoque hominem ex corpore et anima factum intelligamus, ut non alicujus novi operis inchoatio, sed superius breviter insinuati diligentior retractatio isto sermone explicetur; si ergo, ut dixi, hominem hoc loco ex corpore et anima factum intelligamus, non absurde ipsa commixtione<sup>1</sup> limi nomen accepit. Sicut enim aqua terram colligit, et conglutinat, et continet, quando ejus commixtione limus ejus efficitur; sic anima corporis materiam vivificando in unitatem concordem conformat, et non permittit labi et resolvi.

CAPUT VIII. — *Insufflatio spiritus quid. Quid in Scripturis dicatur spiritus hominis.*

10. Quod autem scriptum est, *Et insufflavit in eum spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem*: si adhuc corpus solum erat, animam adjunctam corpori hoc loco intelligere debemus; sive quæ jam facta erat, sed tanquam in ore Dei erat, id est in ejus veritate vel sapientia, unde tamen non recessit quasi locis separata, quando insufflata est; non enim Deus loco continetur, sed ubique præsens est: sive tunc anima facta est, quando in illud signum Deus insufflavit spiritum vitæ, ut illa insufflatio ipsam operationem Dei significet, qua fecit animam in homine Spiritu potentæ suæ. Si autem homo ille qui factus erat, jam corpus et anima erat; ipsi animæ sensus est additus ista insufflatione, cum factus est homo in animam viventem: non quia illa insufflatio conversa est in animam viventem, sed operata est in animam viventem. Nondum tamen spirituales hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animale. Tunc enim spiritualis effectus est, cum in paradiso, hoc est in beata vita constitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei consummaretur. Itaque postquam peccavit, recedens a præcepto Dei, et dimissus est de paradiso, in hoc remansit ut animalis esset. Et ideo animale hominem prius agimus omnes (b), qui de illo post peccatum nati sumus, donec assequamur spiritualem Adam, id est Dominum nostrum Jesum Christum, qui peccatum non fecit (1 Petr. II, 22); et ab illo recreati et vivificati, restituamur in paradysum, ubi latro ille cum ipso eo die meruit esse, quo vitam istam finivit (Luc. XXIII, 43). Sic enim Apostolus dicit: *Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, sicut scriptum est: Factus est primus Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem* (1 Cor. XV, 44-46).

11. Sic ergo debemus intelligere hunc locum, ut veterique codices, *commixtio. Prætelensis Ms., commixtio.*

(a) Sic intelligunt Tertullianus lib. de Resurrect. carnis, cap. 5, et Hilarius in psal. cxviii.

(b) 1 Retract. cap. 10, n. 5.

SANGT. AUGUST. III.

non quia dictum est, *Insufflavit in eum spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem*, credamus illam veluti partem naturæ Dei in animam hominis fuisse conversam, et cogamur dicere naturam Dei esse mutabilem: in quo errore maxime istos Manichæos veritas premit. Sicut enim est mater omnium hæreticorum superbia, ausi sunt dicere quod natura Dei sit anima. Et hinc urgentur a nobis, cum eis dicimus, Ergo natura Dei errat et misera est, et vitiorum labe corrumpitur et peccat; aut etiam, ut vos dicitis, naturæ contrariæ sordibus inquinatur: et cætera talia quæ de natura Dei nefas est credere. Nam factam esse animam ab omnipotente Deo, et ideo non illam esse partem Dei vel naturam Dei, manifeste alio loco scriptum est, dicente propheta, *Et qui finxit spiritum omnibus, ipse fecit omnia* (Psal. XXXII, 15): et alio loco, *Qui finxit spiritum hominis in ipso* (Zach. XII, 1). Ergo factum esse spiritum hominis, manifeste his testimoniis approbatur. Spiritus autem hominis in Scripturis dicitur ipsius animæ potentia rationalis, qua distat a pecoribus, et eis naturæ lege dominatur. De quo dicit Apostolus: *Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est* (1 Cor. II, 11). Ne forte si probaretur<sup>1</sup> his testimoniis animam factam esse, non deessent qui dicerent spiritum hominis non esse factum, et ipsum arbitrarentur esse naturam Dei, et in ipsum dicerent partem Dei esse conversam, cum illa insufflatio Dei facta est. Quod sana doctrina similiter respuit, quia et ipse spiritus hominis cum aliquando errat, et aliquando prudenter sapit, mutabilem se esse clamat: quod nullo modo de natura Dei factum esse credere. Non autem potest majus signum esse superbiæ, quam ut dicat se humana anima hoc esse quod Deus est, cum adhuc sub tantis vitiis et miseriarum molibus gemat.

CAPUT IX. — *Paradisi deliciæ quid allegorice.*

12. Nunc jam videamus ipsam beatitudinem hominis, quæ paradisi nomine significatur: nam quoniam in membris deliciosa quies hominum esse solet, et corporeis sensibus nostris de oriente lumen oritur, cœlumque consurgit, quod superius corpus est nostro corpore atque excellentius; propterea his verbis etiam spirituales deliciæ, quas habet beata vita, figurate explicantur, et ad orientem paradysus plantatur. Intelligamus autem nostra gaudia spiritualia significare omne lignum formosum ad aspectum intelligentiæ, et bonum ad escam quæ non corrumpitur, qua beatæ animæ pascuntur: nam et Dominus dicit, *Operamini escam quæ non corrumpitur* (Joan. VI, 27); ut est omnia ratio, quæ cibus est animæ. Ad orientem, lucem sapientiæ in Eden, id est in deliciis immortalibus et intelligibilibus. Nam deliciæ, vel voluptas, vel epulum hoc verbo significari dicitur, si ex hebræo in latinum interpretetur. Positum est autem sic sine interpretatione, ut aliquem locum significare videatur, magisque figuratam faciat locutionem. Productum autem ex terra omne illud lignum accipimus omne illud gau-

<sup>1</sup> Lov., si non probaretur. At Am. Fr. et Mss. quatuordecim, e quibus Regius codex optimæ notæ, negatione caret.

(Sept.)

dium spirituale; id est, supereminere terræ, et non involvi atque obrui terrenarum cupiditatum implicamentis. Lignum autem vitæ plantatum in medio paradisi, sapientiam illam significat, qua oportet ut intelligat anima, in meditullio quodam rerum se esse ordinatam, ut quamvis subjectam sibi habeat omnem naturam corpoream, supra se tamen esse intelligat naturam Dei: et neque in dexteram declinet, sibi arrogando quod non est; neque ad sinistram, per negligentiam contemnendo quod est: et hoc est lignum vitæ plantatum in medio paradisi. Ligno autem scientiæ boni et mali, ipsa item mediæ animæ et ordinata integritas significatur: nam et ipsum lignum in medio paradisi plantatum est; et ideo lignum dignoscentiæ boni et mali dicitur, quia si anima quæ debet in ea quæ anteriora sunt se extendere, id est in Deum, et ea quæ posteriora sunt oblivisci (*Philipp. iii, 13*), id est corporæ voluptates, ad seipsam deserto Deo conversa fuerit, et sua potentia tanquam sine Deo frui voluerit, intumescit superbia, quod est initium omnis peccati. Et cum hoc ejus peccatum pœna fuerit consecuta, experiendo discit quid intersit inter bonum quod deseruit, et malum in quod cecidit. Et hoc ei erit gustasse de fructu arboris dignoscentiæ boni et mali. Præcipitur ergo illi ut de omni ligno quod est in paradiso edat, ex ligno autem in quo est dignoscentiæ boni et mali non edat; id est, non sic eo fruatur, ut ipsam ordinatam integritatem naturæ suæ, quasi manducando violet atque corrumpat.

CAPUT X. — *Flumina quatuor quid notent.*

13. Flumen autem quod procedebat ex Eden, id est ex deliciis et voluptate et epulis, quod flumen a propheta significatur in Psalmis, cum dicit, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal. xxxv, 9*); hoc est enim Eden, quod latine voluptas dicitur: dividitur in quatuor partes, et quatuor virtutes significat, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam. Dicitur autem Phison ipse esse Ganges, Geon autem Nilus, quod etiam in Jeremia propheta animadverti potest: nunc aliis nominibus appellantur. Sicut nunc Tiberis dicitur fluvius, qui prius Albula dicebatur. Tigris vero et Euphrates etiam nunc eadem nomina tenent: quibus tamen nominibus virtutes, ut dixi, spirituales significantur; quod etiam ipsorum nominum interpretatio docet, si quis hebræam linguam vel syram consideret. Sicut Jerusalem quamvis sit visibilis et terrenus locus, significat tamen civitatem pacis spiritualiter: et Sion quamvis sit mons in terra, speculationem tamen significat; et hoc nomen in Scripturarum allegoriis ad spiritualia intelligenda sæpe transfertur: et ille qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, sicut Dominus dicit, et in via vulneratus, saucius et semivivus relictus est a latronibus (*Luc. x, 30*), utique locos istos terrarum, quamvis secundum historiam in terra inveniantur, spiritualiter cogit intelligi.

14. Prudentia ergo, quæ significat ipsam contemplationem veritatis ab omni ore humano alienam, quia est ineffabilis, quam si eloqui velis, parturis eam po-

tius quam paris, quia ibi audivit et Apostolus ineffabilia verba quæ non licet homini loqui (*II Cor. xii, 4*) hæc ergo prudentia terram circumit, quæ habet aurum, et carbunculum, et lapidem prasinum, id est disciplinam vivendi, quæ ab omnibus terrenis sordibus, quasi decocta nitescit, sicut aurum optimum; et veritatem, quam nulla falsitas vincit<sup>1</sup>, sicut carbunculi fulgor nocte non vincitur; et vitam æternam, quæ viriditate lapidis prasini significatur, propter vigorem qui non arescit. Fluvius autem ille qui circuit terram Æthiopiæ multum calidam atque ferrentem, significat fortitudinem calore actionis alacrem atque impigram. Tertius autem Tigris vadit contra Assyrios, et significat temperantiam, quæ resistit libidini, multum adversanti consiliis prudentiæ: unde plerumque in Scripturis Assyrii adversariorum loco ponuntur. Quartus fluvius non dictum est contra quid vadat, aut quam terram circumeat: justitia enim ad omnes partes animæ pertinet, quia ipsa ordo et æquitas animæ est, qua sibi ista tria concorditer copulantur; prima, prudentia; secunda, fortitudo; tertia, temperantia; et in ista tota copulatione atque ordinatione justitia<sup>2</sup>.

CAPUT XI. — *Opera hominis in paradiso: mulier in adjutorium facta.*

15. Quod autem ita constitutus est homo in paradiso, ut operaretur et custodiret; operatio illa laudabilior laboriosa non erat. Alia est namque in paradiso operatio, et alia in terra, quo post peccatum damnatus est. Ex eo autem quod additum est, *et custodiret*; significatum est qualis illa operatio erat. Namque in tranquillitate beatæ vitæ, ubi mors non est, omnis opera est custodire quod tenes. Accipit etiam præceptum, de quo superius jam tractavimus (*Supra, c. 9*). Quod præceptum, quoniam sic concluditur, ut non ad unum loquatur; sic enim dicit, *Qua die autem manducaveritis, morte moriemini*; incipit exponi quomodo sit facta femina: et facta dicitur in adjutorium viri, ut copulatione spirituali spirituales fetus ederet, id est bona opera divinæ laudis; dum ille regit, hæc obtemperat; ille a sapientia regitur, hæc a viro. Caput enim viri Christus, et caput mulieris vir (*I Cor. xi, 3*). Ideoque dicitur: *Non est bonum solum hominem esse*. Adhuc enim erat<sup>3</sup>, quod fieret, ut non solum anima corpori dominaretur, quia corpus servilem locum obtinet, sed etiam virilis ratio subjugaret sibi animalem partem suam, per quod adjutorium imperaret corpori. Ad hujus rei exemplum femina facta est, quam rerum ordo subjugat viro; ut quod in duobus hominibus evidentius apparet, id est in masculo et femina, etiam in uno homine considerari possit: ut appetitum animæ, per quem de membris corporis operamur, habeat mens interior tanquam virilis ratio subjugatum, et justa lege modum imponat adjutorio suo, sicut vir debet feminam regere, nec eam permit-

<sup>1</sup> Editi: *Sicut aurum optimam et verum quod nulla falsitas vincit*. At Mss. melioris notæ: *sicut aurum optimum; et veritatem*, etc.; quæ lectio planior est.

<sup>2</sup> Editi sic habent: *atque ordinatione perficiunt justitiam*. Mss. vero, *atque ordinatione justitia*. Supple, consistit.

<sup>3</sup> Ita melioris notæ Mss. cum Am. et Er., ubi Lov. habet *ad hoc enim erat*.

tere dominari in virum; quod ubi contingit, perversa et misera domus est.

16. Primo ergo demonstravit Deus homini quanto melior esset pecoribus, et omnibus irrationabilibus animantibus: et hoc significat quod dictum est, adducta esse ad illum omnia animantia, ut videret quid ea vocaret, et eis nomina imponeret. Ex hoc enim apparet ipsa ratione hominem meliorem esse quam pecora, quod distinguere et nominatim ea discernere, non nisi ratio potest, quæ de ipsis iudicat. Sed hæc facilis ratio est; cito enim homo intelligit se meliorem esse pecoribus: illa est difficilis ratio, qua intelligit in seipso aliud esse rationale quod regit, aliud animale quod regitur.

CAPUT XII. — *Sopito Adæ juncta Eva. Quid sibi velit.*

Et quoniam hæc secretiore sapientia videt, ipsam visionem secretam nomine soporis significari arbitror, quem immisit Deus in Adam, quando ei mulier facta est. Ut enim hoc videatur, non est opus oculis istis corporeis; sed quanto quisque ab istis visibilibus rebus in interiora intelligentiæ secesserit (hoc est autem quasi obdormiscere), tanto melius et sincerius illud videt. Ipsa enim cognitio, qua intelligitur in nobis aliud esse quod ratione dominetur, aliud quod rationi obtemperet; ipsa ergo cognitio veluti effectio mulieris est de costa viri, propter conjunctionem significandam. Deinde, ut quisque huic suæ parti recte dominetur, et fiat quasi conjugalis in seipso, ut caro non concupiscat adversus spiritum, sed spiritui subjungatur, id est concupiscentia carnalis non adversetur rationi, sed potius obtemperando desinat esse carnalis, opus habet perfecta sapientia. Cujus contemplatio quia interior est et secretior, et ab omni sensu corporis remotissima, convenienter etiam ista soporis nomine intelligi potest. Tunc enim ordinatissime caput mulieris vir est, cum caput viri est Christus, qui Sapientia est Dei.

17. Sane in locum illius costæ carnem adimplevit, ut hoc nomine insinuaretur dilectionis affectus, qui diligit unusquisque animam suam, et non est durus ut eam contemnat; quod diligit quisque cui præest. Non enim sic nominata est caro isto loco, ut carnalem concupiscentiam significet; sed isto modo potius quo propheta dicit auferri populo cor lapideum, et dari cor carneum (Ezech. xi, 19). Hoc modo enim dicit etiam Apostolus: *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II Cor. iii, 3). Aliud est quippe propria locutio, aliud figurata, qualis ista est quam tractamus modo. Quapropter etsi visibilis femina secundum historiam de corpore viri primo facta est a Domino Deo, non utique sine causa ita facta est, nisi ut aliquod secretum intimaret. Num enim aut limus defuit unde femina formaretur? aut, si vellet Dominus, homini vigilanti costam sine dolore detrahere non posset? Sive ergo ista figurate dicta sint, sive etiam figurate facta sint, non frustra hoc modo dicta vel facta sunt; sed sunt plane mysteria et sacramenta,

<sup>1</sup> sequimur Fr. Ven. et Lov. B., quæ. M.

sive hoc modo quo tenuitas nostra conatur, sive aliquo alio meliore, secundum sanam tamen fidem sunt interpretanda et intelligenda.

CAPUT XIII. — *Spirituale conjugium in homine.*

18. Vocavit ergo mulierem suam vir, tanquam potior inferiorem, et dixit: *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea. Os de ossibus*, fortasse propter fortitudinem; et *caro de carne*, propter temperantiam. Hæc namque duæ virtutes ad inferiorem animi partem, quam prudentia rationalis regit, docentur pertinere. Quod autem dictum est, *Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta est*; ista origo nominis, et interpretatio in lingua latina non apparet. Quid enim simile habeat mulieris nomen ad viri nomen, non invenitur. Sed in hebræa locutione dicitur sic sonare, quasi dictum sit: Hæc vocabitur virago, quoniam de viro suo sumpta est. Nam virago vel virgo potius habet aliquam similitudinem cum viri nomine; mulier autem non habet: sed hoc, ut dixi, linguæ diversitas facit.

19. Quod autem additum est, *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una*, quomodo referatur ad historiam non invenio, nisi quod plerumque in genere humano ista contingunt; sed tota prophetia est, cujus Apostolus meminit, dicens: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (Ephes. v, 31, 32). Quod Manichæi si non cæci legerent, qui per Epistolas apostolicas multos decipiunt, intelligerent quomodo accipiendæ sint Veteris Testamenti Scripturæ, nec tam sacrilega voce auderent accusare quod nesciunt. Quod autem nudi erant Adam et mulier ejus, et non confundebantur, simplicitatem animæ castitatemque significat. Nam et Apostolus ita dicit: *Aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo: timeo autem ne sicut serpens Evam fessellit versutia sua, ita corrumpantur mentes vestræ a simplicitate et castitate, quæ est in Christo* (II Cor. xi, 2, 3).

CAPUT XIV. — *Serpens diabolus, Eva affectus.*

20. Serpens autem significat diabolum, qui sane non erat simplex. Quod enim dicitur sapientior omnibus bestiis, figurate insinuat eum versutia. Non autem dictum est quod in paradiso erat serpens, sed erat serpens inter bestias quas fecit Deus. Paradisus namque beatam vitam, ut superius dixi, significat (Supra, cap. 9), in qua jam non erat serpens, quia jam diabolus erat; et de sua beatitudine ceciderat, quia in veritate non stetit. Nec mirandum est quomodo mulieri loqui potuerit, cum illa esset in paradiso, et ille non esset; non enim aut illa secundum locum erat in paradiso, sed potius secundum beatitudinis affectum: aut etiamsi locus est talis qui paradisos vocetur, in quo corporaliter Adam et mulier habitabant, etiam diaboli accessum corporaliter intelligere debemus? Non utique, sed spiritualiter, sicut Apostolus dicit, *Secundum principem potestatis aeris, spiritus qui*

nunc operatur in filiis diffidentiae (Ephes. II, 2). Numquid ergo visibiliter eis apparet, aut quasi corporeis locis accedit ad eos in quibus operatur? Non utique, sed miris modis per cogitationes suggerit quidquid potest. Quibus suggestionibus resistunt, qui vere dicunt, quod item dicit Apostolus: *Non enim ignoramus astutias ejus* (II Cor. II, 11). Quomodo enim accessit ad Judam, quando ei persuasit ut Dominum traderet? numquid in locis, aut per hos oculos ei visus est? Sed utique, ut dictum est, intravit in cor ejus (Luc. XXII, 3). Repellit autem illum homo, si paradisum custodiat. Posuit enim Deus hominem in paradiso, ut operaretur et custodiret: quia sic de Ecclesia<sup>1</sup> dicitur in Canticis canticorum, *Hortus conclusus, fons signatus* (Cant. IV, 12); quo utique non admittitur perversitatis ille persuasor. Sed tamen per mulierem decipit: non enim etiam ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest, nisi cum delectatio mota fuerit in illa parte animi, quæ debet obtemperare rationi tanquam rectori viro.

21. Etiam nunc in unoquoque nostrum nihil aliud agit, cum ad peccatum quisque delabatur, quam tunc actum est in illis tribus, serpente, muliere, et viro. Nam primo fit suggestio sive per cogitationem, sive per sensus corporis, vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo: quæ suggestio cum facta fuerit, si cupiditas nostra non movebitur ad peccandum, excludetur serpentis astutia; si autem mota fuerit, quasi mulieri jam persuasum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat atque compescit. Quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, et quod libido commoverit, faciendum esse decernat, ab omni vita beata tanquam de paradiso expellitur homo. Jam enim peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum; quoniam rea tenetur in consensione conscientia.

CAPUT XV. — *Tentatio quomodo dejicit.*

22. Quo autem modo serpens ille peccatum persuaserit, diligenter considerandum est; pertinet enim maxime ad nostram salutem: nam ideo hæc scripta sunt ut jam talia caveamus. Nam cum interrogata mulier respondisset quid eis præceptum esset; ait ille: *Non morte moriemini: sciebat enim Deus quoniam qua die manducaveritis ex illo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Videmus his verbis per superbiam peccatum esse persuasum: ad hoc enim valet quod dictum est, *Eritis sicut dii.* Sicut etiam hoc quod dictum est, *Sciebat enim Deus quoniam qua die manducaveritis ex eo, aperientur oculi vestri,* quid hic intelligitur, nisi persuasum esse ut sub Deo esse nollent, sed in sua potestate potius sine Domino, ut legem ejus non observarent, quasi invidentis sibi ne se ipsi regerent, non indigentes illius interno lumine, sed utentes propria providentia, quasi oculis suis, ad dignoscendum bonum et malum, quod ille prohibuisset? Hoc est ergo quod persuasum est, ut

<sup>1</sup> In Er. Ven. Lov., sic et Ecclesie. M.

<sup>2</sup> Lov. hic et infra, scit. M.

suam potestatem nimis amarent, et cum Deo esse pares vellent, illa medietate, per quam Deo subjecti erant, et corpora subjecta habebant, tanquam fructu arboris constitutæ in medio paradisi, male uterentur, id est contra legem Dei; atque ita quod acceperant amitterent, dum id quod non acceperant, usurpare voluerunt. Non enim accepit hominis natura, ut per suam potestatem Deo non regente beata sit; quia nullo regente, per suam potestatem beatus esse solus Deus potest.

23. *Et vidit, inquit, mulier quia bonum est lignum ad escam; et quia bonum est oculis ad videndum, et cognoscendum.* Quomodo videbat, si clausi erant oculi? Sed hoc dictum est, ut intelligeremus eos oculos esse apertos, posteaquam de fructu illo acceperunt, quibus se nudos videbant, et displicebant sibi, id est oculos astutiae, quibus simplicitas displicet. Cum enim quisque ceciderit ab illa intima et secretissima luce veritatis, nihil est unde velit placere superbia, nisi fraudulentis simulationibus. Hinc enim et hypocrisis nascitur, in qua multum sibi videntur cordati, qui potuerint fallere et decipere quem voluerint. Dedit enim mulier viro suo, et manducaverunt, et aperti sunt oculi eorum, de quibus jam dictum est; et tunc viderunt quod nudi essent, sed oculis perversis, quibus illa simplicitas quæ nuditatis nomine significata est, erubescenda videbatur. Itaque ut jam non essent simplices, fecerunt de foliis ficæ sibi succinctoria, tanquam tegentes pudenda sua, id est occultantes simplicitatem, de qua jam erubescere astuta superbia. Folia vero ficæ prurimum quemdam significant, si hoc bene in rebus incorporeis dicitur, quem miris modis animus patitur cupiditate, et delectatione mentiendi. Unde etiam latine balsa dicuntur, qui jocari amant. In jocis autem utique simulatio principatum tenet.

CAPUT XVI. — *Abscondio, ambulatio, percontatio quid significant.*

24. Itaque cum deambularet Deus in paradiso ad vesperam, id est cum ad eos jam judicandos veniret, adhuc ante pœnam eorum, deambulabat in paradiso, id est, quasi movebatur in eis præsentia Dei, quando jam ipsi stabiles in ejus præcepto non erant; et bene ad vesperam, id est cum jam ab eis sol occideret, id est auferretur ab eis lux illa interior veritatis: audierunt vocem ejus, et absconderunt se a conspectu ejus. *Quis se abscondit a conspectu Dei, nisi qui deserto ipso incipit jam amare quod suum est?* Jam enim habebant cooperimenta mendacii: qui autem loquitur mendacium, de suo loquitur (Joan. VIII, 44). Et ideo ad arborem se dicuntur abscondere, quæ erat in medio paradisi, id est ad seipsos, qui in medio rerum infra Deum et supra corpora ordinati erant. Ergo ad seipsos absconderunt se, ut conturbarentur miseris erroribus, relicto lumine veritatis, quod ipsi non erant. Particeps enim veritatis potest esse anima humana: ipsa autem veritas Deus est incommutabilis supra illam. Ab ea ergo veritate quisquis aversus est, et ad seipsos conversus, et non de rectore atque illustratore Deo, sed de suis motibus quasi liberis exultat, tenebatur mendacio: quoniam qui loquitur mendacium, de suo



loquitur; atque ita turbatur, et vocem illam prophetæ manifestat, qua dictum est, *Ad meipsum anima mea turbata est* (Psal. xli, 7). Itaque jam interrogatur Adam, non Deo nesciente ubi esset, sed cogente ad confessionem peccati: non enim et Dominus Jesus christus tam multa quæ interrogabat, nesciebat. Respondit autem, voce ejus audita, abscondisse se, quoniam nudus esset. Jam miserrimo errore respondit, quasi Deo posset displicere nudus, sicut eum ipse fecerat. Est autem hoc erroris proprium, ut quod cuique displicet, hoc etiam Deo displicere arbitretur. Illud autem sublimiter intelligendum est quod Dominus ait: *Quis nuntiavit tibi quod nudus esses, nisi quia ab illa arbore de qua dixeram tibi, ex illa sola ne manduceres, ex illa manducasti?* Nudus enim erat a simulatione, sed vestiebatur luce divina. Unde aversus et ad seipsum conversus, quod significat de illa arbore manducasse, nuditatem suam vidit, et displicuit sibi ex eo quod non habebat aliquid proprium.

CAPUT XVII. — *Rejectio culpæ et serpentis pœna.*

25. Deinde jam more superbix in se non accusat quod consensit mulieri, sed in mulierem refundit culpam suam; et sic subtiliter quasi de astutia quam miser conceperat, voluit ad ipsum Deum pertinere quod peccavit. Non enim ait, *Mulier dedit mihi*; sed addidit dicens, *Mulier quam dedisti mihi*. Nihil est autem tam familiare peccantibus, quam tribuere Deo velle undecumque accusantur: et hoc de illa vena superbix, ut quoniam sic homo peccavit cum vult esse par Deo, id est liber esse ab ejus dominio, sicut ille ab omni dominio liber est, quoniam ipse est Dominus omnium; quoniam in majestate par illi esse non potuit, jam lapsus et jacens in peccato suo, parem sibi eum facere conetur. Vel potius illum vult ostendere peccasse, se autem esse innocentem. Et mulier interrogata refert culpam in serpentem: quasi aut ille sic acceperat uxorem ut ei obtemperaret, et non potius ut ipsam sibi obtemperare faceret; aut illa non poterat Dei præceptum potius custodire, quam verba serpentis admittere.

26. Jam serpens non interrogatur, sed prior excepti pœnam, quia nec confiteri peccatum potest, nec habet omnino unde se excuset. Non autem nunc ea damnatio diaboli dicitur, quæ ultimo judicio reservatur, de qua loquitur Dominus cum dicit, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (Matth. xxv, 41); sed ea pœna ejus dicitur, qua nobis cavendus est. Pœna enim ejus est, ut in potestate habeat eos qui Dei præcepta contemnunt. Hoc enim explicatur his verbis, quibus in eum profertur sententia: et inde major pœna est, quia de hac tam infelici potestate lætatur, qui solebat antequam caderet, de sublimi veritate gaudere in qua non stetit. Et ideo illi etiam pecora præponuntur, non in potestate, sed in conservatione<sup>1</sup> naturæ suæ: quia pecora non amiserunt beatitudinem aliquam cœlestem, quam nunquam

<sup>1</sup> Eriti AM. Er. et duo Mss., *conversione*. Lov., aliquot etiam suffragantibus Mss., *conversatione*. Sed melius Regius videt, aliisque duo, *conservatione*.

habuerunt, sed in sua natura quam acceperunt peragunt vitam. Dicitur ergo huic: *Pectore et ventre repes*. Quod quidem et in colubro animadvertitur, et ex illo animante visibili ad hunc invisibilem inimicum nostrum locutio figuratur. Nomine enim pectoris, significatur superbia, quia ibi dominatur impetus animi: nomine autem ventris, significatur carnale desiderium, quia hæc pars mollior sentitur in corpore. Et quia his rebus ille serpit ad eos quos vult decipere; propterea dictum est, *Pectore et ventre repes*.

CAPUT XVIII. — *Serpentis cum Eva inimicitia.*

27. *Et terram, inquit, manducabis omnibus diebus vitæ tuæ*: id est omnibus diebus quibus agis hanc potestatem, ante illam ultimam pœnam judicii; hæc enim vita ejus videtur, de qua gaudet atque gloriatur. *Terram ergo manducabis*, duobus modis intelligi potest: vel ad te pertinebunt, quos terrena cupiditate deceperis, id est peccatores, qui terræ nomine significantur; vel certe genus tertium tentationis his verbis figuratur, quod est curiositas. Terram enim qui manducat, profunda et tenebrosa penetrat, et tamen temporalia atque terrena.

28. Non autem inimicitix ponuntur inter ipsum et virum, sed inter ipsum et mulierem. Numquid quia viros non decipit et tentat? Sed manifestum est quod decipit. An quia ipsum Adam non decepit, sed mulierem? Sed numquid propterea non est inimicus ejus, ad quem pervenit per mulierem suam illa decipio, maxime quia de futuro jam dicitur, *Inimicitias ponam inter te et mulierem*? Si autem quod non deinceps decepit Adam, nec ipsam Evam deinceps decepit. Quare ergo ita dicitur, nisi quia hic manifeste ostenditur non posse nos a diabolo tentari, nisi per illam animale partem, quæ quasi mulieris imaginem vel exemplum in uno ipso homine ostendit, de qua superius jam multa diximus? Quod autem etiam inter semen diaboli, et semen mulieris ponuntur inimicitias, significatur semine diaboli perversa suggestio; semine autem mulieris, fructus boni operis, quo perversæ suggestioni resistit. Et ideo observat ipse plantam mulieris, ut si quando in illicita labitur delectatio<sup>1</sup>, tunc illam capiat: et illa observat caput ejus, ut eum in ipso initio malæ suasionis excludat.

CAPUT XIX. — *De pœnis mulieri inflictiis.*

29. Jam de pœna mulieris nulla quæstio est: manifeste enim multiplicatos dolores habet, atque suspiria in hujus vitæ calamitatibus; et quod in doloribus pariat filios, quamvis et in ista visibili muliere compleatur, tamen ad illam secretiorem consideratio revocanda est. Nam et in pecoribus femina cum dolore pariunt filios, et hæc est in illis mortalitatis conditio potius quam pœna peccati. Potest ergo fieri ut etiam in feminis hominibus mortalium corporum sit ista conditio. Sed hoc est magnum supplicium, quod ad istam corporum mortalitatem ex illa immortalitate venerunt. Verumtamen magnum sacramentum

<sup>1</sup> Mss. non pauci habent: *si quando illicita elabitur delectatio*.

est hujus sententiæ, quæ nulla abstinencia sit a voluntate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem consuetudo flectatur. Quod cum provenerit, quasi natus est filius, id est ad bonum opus paratus est affectus per consuetudinem bonam. Quæ consuetudo ut nasceretur, cum dolore reluctatum est consuetudini malæ. Nam et illud quod post partum dictum est <sup>1</sup>, *Erit tibi conversio ad virum tuum, et ipse tui dominabitur*; nonne multæ ac prope omnes mulieres absentibus viris suis pariunt, et post partum se ad illos non convertunt? Quæ autem superbæ sunt mulieres, et dominantur viris, numquid post partum carent hoc vitio, ut viri earum dominantur? Imo quasi dignitatem sibi additam credunt, quod matres sunt, et plerumque superbiores existunt. Quid sibi ergo vult, quod posteaquam dictum est, *In doloribus paries filios*, additum est, *et erit tibi conversio ad virum tuum, et ipse tui dominabitur*; nisi quia illa pars animæ, quæ carnalibus gaudiis tenetur, cum aliquam malam consuetudinem volens vincere, passa fuerit difficultatem ac dolorem, atque ita pepererit consuetudinem bonam, cautius jam et diligentius rationi obtemperat tanquam viro; et ipsis quasi erudita doloribus convertitur ad rationem, et libenter servit jubenti, ne iterum in aliquam perniciosam consuetudinem defluat? Ista ergo quæ videntur maledicta, præcepta sunt, si non carnaliter spiritualia legamus. Lex enim spiritualis est (*Rom. vii, 14*).

CAPUT XX. — *De viri pœna.*

30. Item de sententia ista quæ prolata est in ipsum virum, quid dicemus? Numquid forte divites, quibus provenit facillimus victus, neque in terra operantur, evasisse istam pœnam existimandi sunt, qua dicitur: *Maledicta terra erit tibi in omnibus operibus tuis; in tristitia et gemitu tuo manducabis ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinæ et tribulos pariet tibi, et edes pabulum agri tui: in sudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, ex qua sumptus es; quia terra es, et in terram ibis?* Sed certe illud manifestum est, quod nemo evadat istam sententiam. Hoc ipsum enim <sup>2</sup> quod in hac vita quisque natus, difficultatem inveniendæ veritatis habet ex corruptibili corpore (sicut enim Salomon dicit, *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* [*Sap. ix, 15*]), ipsi sunt labores et tristitiæ quas habet homo ex terra; et spinæ ac tribuli sunt punitiones tortuosarum quæstionum, aut cogitationes de provisione hujus vitæ: quæ plerumque, nisi exstirpentur et de agro Dei projiciantur, suffocant verbum, ne fructificet in homine, sicut Dominus in Evangelio dicit (*Marc. iv, 18, 19*). Et quoniam necessitate jam per hos oculos et per has aures de ipsa veritate admonemur, et difficile est resistere phantasmatibus quæ per istos sensus intrant in animam, quamvis per illos intret etiam ipsa admonitio

<sup>1</sup> Sic Am. Fr. et Mss. potiores. At Lov. habet: *Quod post de partu dictum est. Mss. sex, quod de partu, etc.*

<sup>2</sup> Lov.: *Hoc ipsum enim erit ei timendum, quod in hac vita, etc.* Removenda curavimus hæc verba, erit ei timendum, quibus antiquiores editiones et Mss. undecim carent.

veritatis; in ista ergo perplexitate, cujus vultus non sudet ut manducet panem suum? quod omnibus diebus vitæ nostræ passuri sumus, id est hujus vitæ quæ transitura est. Et hoc illi dictum est, qui coluerit agrum suum, quia ista patitur donec revertatur in terram, ex qua sumptus est, id est, donec finiat vitam istam. Qui enim coluerit agrum istum interiorius, et ad panem suum quamvis cum labore pervenerit, potest usque ad finem vitæ hujus hunc laborem pati: post hanc autem vitam non est necesse ut patiatur. Sed qui forte agrum non coluerit, et spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, et post hanc vitam habebit, vel ignem purgationis vel pœnam æternam. Ita nemo evadit istam sententiam: sed agendum est ut saltem in hac tantum vita sentiat.

CAPUT XXI. — *Quare post transgressionem Adam vitam vocaverit ipsam Evam: et de pellicearum tunicarum significatione.*

31. Quem autem non moveat, quod post peccatum et sententiam judicis Dei vocat Adam mulierem suam, Vitam, quia vivorum ipsa sit mater, posteaquam meruit mortem, et mortales fetus parere destinata est; nisi quia illos fetus attendit Scriptura, quos cum in doloribus pepererit, fiet illi conversio ad virum suum, et ejus ipse dominabitur? De quibus fetibus superius dictum est. Sic enim est illa vita materque vivorum. Nam vita quæ in peccatis est, mors appellari in Scripturis solet, sicut Apostolus dicit mortuam esse viduam quæ in deliciis vivit (*I Tim. v, 6*): et mortui nomine peccatum ipsum significari legimus, ubi dictum est, *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit in lavacro suo? Sic et qui jejunat super peccata sua, et iterum ambulans hæc eadem facit* (*Eccli. xxxiv, 30, 31*). Pro peccato enim mortuum posuit, abstinenciam vero jejuniumque a peccato, tanquam baptismum, hoc est mundationem <sup>1</sup> a mortuo: iterum autem redire ad peccatum, tanquam iterum tangere mortuum. Quare ergo non animalis illa pars nostra, quæ tanquam viro debet obtemperare rationi, cum per ipsam rationem de verbo vitæ recte vivendi sarcinam conceperit, appelletur vita; et cum parturitione abstinenciam, quamvis cum doloribus atque gemitibus, male consuetudini resistens, bonam consuetudinem ad recte facta pepererit, mater vivorum vocetur, id est recte factorum; quibus contraria sunt peccata, quæ nomine mortuorum significari posse docuimus <sup>2</sup>?

32. Nam illa mors, quam omnes qui ex Adara nati sumus, coepimus debere naturæ, quam minatus est Deus, cum præceptum daret ne arboris fructus ille ederetur; illa ergo mors in tunicis pelliceis figurata est. Ipsi enim sibi fecerunt præcinctoria de foliis fici, et Deus illis fecit tunicas pelliceas: id est, ipsi appetiverunt mentiendi libidinem relicta facie veri-

<sup>1</sup> Edili, *inundationem*; sed maluimus uti est in Mss. decem, *mundationem*.

<sup>2</sup> Apud Fr.: *Quare animalis... concepit, appellatur vita... peperit, mater vivorum vocatur... docuimus. M.*

tatis, et Deus corpora eorum in istam mortalitatem carnis mutavit, ubi latent corda mendacia. Neque enim in illis corporibus cœlestibus sic latere posse cogitationes credendum est, quemadmodum in his corporibus latent: sed sicut nonnulli motus animorum apparent in vultu, et maxime in oculis, sic in illa perspicuitate ac simplicitate cœlestium corporum omnes omnino motus animi latere non arbitror. Itaque illi merebuntur habitationem illam et commutationem in angelicam formam, qui etiam in hac vita cum possint sub tunicis pelliceis occultare mendacia, oderunt tamen ea et cavent flagrantissimo amore veritatis, et hoc solum tegunt, quod ii qui audiunt, ferre non possunt; sed nulla mentiuntur. Veniet enim tempus ut nihil etiam contegatur: nihil est enim occultum quod non manifestabitur (*Matth. x, 26*). Tandem autem in paradiso fuerunt isti, quamvis jam sub sententia damnantis Dei, donec ventum esset ad pelliceas tunicas, id est ad hujus vitæ mortalitatem. Quo enim majore indicio potuit significari mors quam sentimus in corpore, quam pellicibus quæ mortuis pecoribus detrahi solent? Itaque cum contra præceptum, non imitatione legitima, sed illicita superbia, Deus esse appetit homo, usque ad belluarum mortalitatem dejectus est.

35. Ideo sic illi lex divina insultat ore Dei; qua insultatione nos admonemur quantum possumus cavere superbiam.

CAPUT XXII. — *Expulsio Adæ quid allegorice.*

Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis ad scientiam cognoscendi bonum et malum. Quæ ambigua locutio figuram facit: nam, factus est tanquam unus ex nobis, dupliciter intelligi potest: vel unus ex nobis quasi et ipse Deus, quod pertinet ad insultationem; sicut dicitur, unus ex senatoribus, utique senator: aut certe, quia et ipse deus esset, quamvis Creatoris sui beneficio, non natura; si sub ejus potestate manere voluisset, sic dictum est, ex nobis; quomodo dicitur, ex consulibus; aut, pro consulibus, qui jam non est. Sed ad quam rem factus est tanquam unus ex nobis? Ad scientiam scilicet dignoscendi boni et mali, ut iste per experimentum disceret dum sentit malum, quod Deus per sapientiam novit; et potestatem illam Omnipotentis quam pati noluit beatus atque consentiens, pœna sua discat esse inevitabilem.

34. Et tunc ne porrigeret Adam manum suam ad arborem vitæ, et viveret in æternum, dimisit illum Deus de paradiso. Bene dictum est, dimisit, non, exclusit; ut ipso peccatorum suorum pondere tanquam in locum sibi congruum videretur urgeri. Quod patitur plerumque malus homo cum inter bonos vivere cœperit, si se in melius commutare noluerit: ex illa bonorum congregatione, pondere malæ suæ consuetudinis pellitur; et illi eum non excludunt reluctantem, sed dimittunt cupientem. Quod autem dictum est, Ne porrigeret Adam manum suam ad arborem vitæ, etiam hæc ambigua locutio est. Loquimur enim sic, cum dicimus, Ideo te moneo, ne iterum facias quod fecisti, volentes utique ut non faciat: et iterum sic, Ideo te moneo,

ne forte sis bonus, volentes utique ut sit; id est, moneo te, non desperans quod bonus possis esse. Sicut loquitur Apostolus, cum dicit: *Ne forte det illis Deus penitentiam ad cognoscendam veritatem* (*II Tim. ii, 25*). Potest ergo videri propterea homo in labores hujus vitæ esse dimissus, ut aliquando manum porrigat ad arborem vitæ, et vivat in æternum. Manus autem porrectio bene significat crucem, per quam vita æterna recuperatur. Quamvis etiam si illo modo intelligamus, ne manum porrigat, et vivat in æternum, non injusta pœna est post peccatum interclusum esse aditum ad sapientiam, donec Dei misericordia mensuris temporum reviviscat qui mortuus est, et inveniatur qui perierat. Dimissus est ergo de paradiso suavitatis, ut operaretur terram de qua sumptus erat; id est, ut in corpore isto laboraret, et ibi si posset collocaret sibi meritum redeundi. Moratus est autem contra paradysum in miseria: quæ utique beatæ vitæ contraria est. Nam beatam vitam paradisi nomino significatam existimo.

CAPUT XXIII. — *Cherubim et framea versatilis quid notent.*

35. Posuit autem Deus Cherubim et flammeam frameam quæ versatur, quæ uno nomine versatilis dici potest, ad custodiendam viam arboris vitæ. Sicut illi volunt qui hebræa verba in Scripturis interpretati sunt, Cherubim latine Scientiæ plenitudo esse dicitur. Flammea vero framea versatilis, temporales pœnæ intelliguntur, quoniam tempora volubilitate versantur. Propterea et flammea dicitur, quia urit quodammodo omnis tribulatio. Sed aliud est uri ad consumptionem, et aliud est uri ad purgationem. Nam et Apostolus dicit: *Quis scandalizatur, et ego non uror* (*II Cor. xi, 29*)? Sed iste affectus purgabat eum magis, quia de charitate veniebat. Et illæ tribulationes quas justipatiuntur, ad istam pertinent flammeam frameam: *Quoniam in igne probatur aurum et argentum, et homines acceptabiles in camino humiliationis* (*Eccli. ii, 5*). Et iterum: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Id. xxvii, 6*). Quoniam ergo quem diligit Deus, corripit; et flagellat omnem filium quem recipit (*Hebr. xii, 6*); sicut dicit Apostolus, *Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem* (*Rom. v, 3, 4*), et legimus et audimus, et credendum est arborem vitæ, plenitudinem scientiæ et flammeam frameam custodire<sup>1</sup>. Nemo ergo potest pervenire ad arborem vitæ, nisi per has duas, id est per tolerantiam molestiarum, et scientiæ plenitudinem.

36. Sed tolerantia molestiarum omnibus scire in hac vita subeunda est, tendentibus ad arborem vitæ: plenitudo autem scientiæ videtur paucioribus provenire; ut quasi non omnes qui perveniunt ad arborem vitæ, per scientiæ plenitudinem veniant, quamvis omnes tolerantiam molestiarum, id est flammeam frameam versatilem, sentiant. Sed si attenda-

<sup>1</sup> *Id. v., plenitudinem esse scientiæ, et flammeam frameam custodiri.* Sic etiam antiquiores editiones, nisi quod omittunt, esse. Sed ipsa orationis series probat legendum cum mss., plenitudinem scientiæ, et flammeam frameam custodire.

tur quod Apostolus dicit, *Plenitudo autem Legis, charitas* (Rom. xiii, 10); et videamus eandem charitatem præcepto illo gemino contineri, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*; et, *Diliges proximum tanquam teipsum*; in quibus duobus præceptis tota Lex pendet. et Propheta (Matth. xxii, 37-40): sine dubitatione intelligimus ad arborem vitæ non solum per flammeam frameam versatilem, id est per tolerantiam temporalium molestiarum, sed etiam per plenitudinem scientiæ, id est per charitatem venire; quia *si charitatem, inquit, non habeam, nihil sum* (I Cor. xiii, 2).

CAPUT XXIV. — *Adam Christus, Eva Ecclesia.*

37. Sed in hoc sermone pollicitus sum considerationem rerum factarum, quam pulcè explicatam: et deinde considerationem prophetiæ, quæ remanet explicanda jam breviter. Posito enim tanquam signo quodam manifesto quo cætera dirigantur, non diu nos, quantum arbitrator, ista consideratio definebit. Dicit enim Apostolus sacramentum magnum esse, quod dictum est, *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una*: quod ipse interpretatur subiiciendo, *Ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (Ephes. v, 31, 32). Ergo quod per historiam impletum est in Adam, per prophetiam significat Christum, qui reliquit patrem, cum dixit: *Ego a patre exivi, et veni in hunc mundum* (Joan. xvi, 28). Non loco reliquit, quia Deus loco non continetur, neque aversione peccati, sicut apostatæ relinquunt Deum; sed apparendo hominibus in homine, cum Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Id. i, 14). Quod ipsum non commutationem naturæ Dei significat, sed susceptionem naturæ inferioris personæ, id est humanæ<sup>1</sup>. Ad hoc valet etiam quod dicitur, *Sematipsum exinanivit* (Philipp. ii, 7); quia non in ea dignitate apparuit hominibus in qua est apud Patrem, blandiens eorum infirmitati, qui cor mundum nondum habebant, unde videretur Verbum in principio Deus apud Deum (Joan. i, 1). Quid est ergo quod diximus, reliquit Patrem, nisi, reliquit apparere hominibus sicut est apud Patrem? Item reliquit et matrem, id est Synagogæ veterem atque carnalem observationem, quæ illi mater erat ex semine David secundum carnem, et adhæsit uxori suæ,

<sup>1</sup> Sic vulgati, quibus Mss. vix aliqui suffragantur. Nam Arnulfensis et Victorini duo vocem, *personæ*, omittunt: alii novem mellioris notæ, e quibus est Theodericensis, Gemmeticensis, Pratlensis, Regio-Montensis, S. Audoeni Rothomagensis, Sorbonicus, unus S. Martini de Campis, et qui annos circiter mille præfert, quique olim Veronensis ecclesiæ fuit Regius codex, omisso verbo, *naturæ*, sic habent: *sed susceptionem inferioris personæ, id est humanæ*. Ita etiam tributa Bedæ collectio, ad cap. 5 Epist. ad Ephesios, tum in excusis, tum in Corbeiensi codice sub nomine Flori manu descripto. Quod locutionis genus ea lege intelligendum, qua illud cum veteres dicunt Verbum suscepisse hominem, susceptione videlicet, ut Theologi aiunt, terminata ad hoc, ut Verbum ipsum suscipiens existat homo filiusque hominis, quæ est humana persona. Nam alias naturam hominis in personæ unitatem a Verbo susceptam fuisse docet constanter Augustinus, cuius celebris est illa sententia ex epist. 3, ad Volusianum: «Ita Inter Deum et homines mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret.»

id est Ecclesiæ, ut sint duo in carne una. Dicit enim Apostolus ipsum esse caput Ecclesiæ, et Ecclesiam corpus ejus (Coloss. i, 18). Ergo et ipse soporatus est dormitione passionis, ut ei conjux Ecclesia formaretur, quam dormitionem cantat per prophetam dicens: *Ego dormivi, et somnum cepi; et exurrexi, quoniam Dominus suscepit me* (Psal. iii, 6). Formata est ergo ei conjux Ecclesia de latere ejus, id est de fide passionis et Baptismi. Nam percussam latus ejus lancea, sanguinem et aquam profudit (Joan. xix, 34). Factus autem, ut supra dixi, *ex semine David secundum carnem*, sicut Apostolus dicit (Rom. i, 3), id est tanquam de limo terræ, cum homo non esset qui operaretur in terra, quia nullus homo operatus est in Virgine, de qua natus est Christus. *Fons autem ascendeat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ*. Facies terræ, id est dignitas terræ, mater Domini virgo Maria rectissime accipitur, quam irrigavit Spiritus sanctus, qui fontis et aquæ nomine in Evangelio significatur (Joan. vii, 38, 39); ut quasi de limo tali homo ille fieret<sup>1</sup>, qui constitutus est in paradiso, ut operaretur et custodiret, id est in voluntate Patris, ut eam imple-ret atque servaret.

CAPUT XXV. — *Hæretici et Manichæi maxime, per serpentem designati.*

38. Nam præceptum quod accepit, nos accepimus in illo, quia unusquisque christianus non incongrue sustinet personam Christi, dicente ipso Domino: *Quod fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis* (Matth. xxv, 40). Atque utinam frueremur, sicut est præceptum, omni ligno paradisi, quod significat spiritalia delicias; *Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia*, sicut Apostolus dicit (Galat. v, 22, 23): et non tangeremus lignum in medio paradisi plantatum scientiæ boni et mali, id est non vellemus superbire de natura nostra, quæ, sicut jam diximus, media est, ut decepti experiremur quid intersit inter simplicem fidem catholicam, et fallacias hæreticorum! ita enim pervenimus ad dignoscentiam boni et mali. *Nam oportet, inquit, etiam hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos* (I Cor. xi, 19). Etenim serpens ille secundum prophetiam, hæreticorum venena significat, et maxime istorum Manichæorum, et quicumque Veteri Testamento adversantur. Non enim aliquid manifestius prænuntiatum arbitrator, quam istos in illo serpente, vel potius illum in istis esse vitandum. Nulli enim loquacius atque jactantius promittunt scientiam boni et mali; et in ipso homine, tanquam in arbore quæ plantata est in medio paradisi, eam dignoscentiam demonstraturos se esse præsumunt. Et etiam illud quod dictum est, *Eritis sicut dii*, qui alii magis dicunt quam isti, qui per suam superbiam vanitatem, eandem superbiam persuadere conantes, affirmant animam naturaliter hoc esse quod Deus est? Et ad quos magis pertinet apertio carnalium oculorum, quam ad istos qui relicta interiore

<sup>1</sup> Ita Mss. At excusi habent, *ut qualis de limo terræ, talis homo ille fieret.*

sapientiæ luce solem istum, qui pertinet ad oculos corporis, adorare compellunt? Et omnes quidem hæretici generaliter scientiæ pollicitatione decipiunt, et reprehendunt eos quos simpliciter credentes invenerint; et quia omnino carnalia persuadent, quasi ad carnalium oculorum apertionem conantur adducere, ut interior oculus excæcetur.

CAPUT XXVI. — *Serpens hæreticus Manichæus.*

Sed istis etiam corpora sua displicent, non propter poenalem mortalitatem, quam peccando meruimus; sed ita ut negent Deum esse corporum conditorem; tanquam apertis oculis carnis nuditas ista displiceat.

39. Sed nihil vehementius istos designat et notat, quam quod dicit serpens: *Non morte moriemini: sciebat enim Deus quoniam qua die ederitis, aperientur oculi vestri.* Sic enim isti credunt, quod serpens ille Christus fuerit, et deum nescio quem gentis tenebrarum, sicuti affirmant, illud præceptum dedisse confingunt, tanquam invideret hominibus scientiam boni et mali. Ex ista opinione etiam nescio quos serpentinos natos esse arbitror, qui serpentem pro Christo colere dicuntur (a), nec attendunt Apostolum qui ait: *Metuo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et sensus vestri corrumpantur* (II Cor. xi, 3). Hos ergo per istam prophetiam præfiguratos esse existimo. Seducitur autem verbis hujus serpentis carnalis nostra concupiscentia, et per illam decipitur Adam, non Christus, sed Christianus: qui si præceptum Dei servare vellet, et ex fide perseveranter viveret, donec idoneus fieret intelligentiæ veritatis, id est, si operaretur in paradiso, et custodiret quod accepit; non veniret in illam deformitatem, ut cum sibi displicet caro quasi nuditas sua, carnalia magis tegumenta mendaciorum, tanquam folia ficæ colligeret, quibus sibi faceret succinctorium. Hoc enim isti faciunt, cum de Christo mentiuntur, et ipsum mentitum esse prædicant; et tanquam abscondunt se a facie Dei, ad sua mendacia ab illius veritate conversi, sicut Apostolus dicit: *Et a veritate quidem auditum suum avertent, ad fabulas autem convertentur* (II Tim. iv, 4).

40. Et ille quidem serpens, id est ille error hæreticorum, qui tentat Ecclesiam, contra quem incantat<sup>1</sup> Apostolus, cum dicit, *Metuo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et sensus vestri corrumpantur*; ille ergo error pectore et ventre serpit, et terram manducat. Non enim decipit, nisi aut superbos, qui sibi arrogantes quod non sunt, cito credunt quod summi Dei et animæ humanæ una eademque natura sit; aut desiderii carnalibus implicatos, qui libenter audiunt quod quicquid lascive faciunt, non ipsi faciunt, sed gens tenebrarum; aut curiosos, qui terrena sapiunt, et spiritualia terreno oculo inquirunt. Erunt autem inimicitia inter istum et mulierem, et inter semen ejus, et semen mulieris, si pariat ista filios quamvis cum doloribus, et se ad virum suum convertat, ut ejus ipse dominetur. Tunc enim potest cognosci non aliam

partem in nobis pertinere ad auctorem Deum, et aliam ad gentem tenebrarum, sicut isti dicunt; sed potius et illud quod regendi habet potestatem in homine, et illud inferius quod regendum est, ex Deo esse, sicut dicit Apostolus: *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei; mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro: etenim non creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum; propterea debet habere velamen mulier super caput, propter Angelos. Veruntamen neque mulier sine viro, neque vir sine muliere in Domino: sicut enim mulier ex viro, ita et vir per mulierem; omnia autem ex Deo* (I Cor. xi, 7-12).

CAPUT XXVII. — *Adæ lapsus et pœna allegorice.*

41. Laboret jam Adam in agro suo, et quod spinas et tribulos ei parit terra, intelligat non naturæ esse, sed pœnæ; et hoc non nescio cui genti tenebrarum, sed divino judicio tribuat: quia moderamen justitiæ est sua cuique tribuere. Ipse det mulieri escam coelestem, quam accepit a capite suo, qui est Christus: non ab illa accipiat vetitum cibum, id est hæreticorum fallaciam cum magna pollicitatione scientiæ, et quasi secretorum adapertionem, quo fiat ad decipiendum error ipse conditor. Hæreticorum quippe superba et curiosa cupiditas in libro Proverbiorum clamat sub mulieris imagine, et dicit, *Qui stultus est, divertat ad me: et inopes sensu exhortatur, dicens, Panes occultos edite libenter, et aquam dulcemfurtivam bibite* (Prov. ix, 16, 17). Et necesse est tamen, cum et illa quisque crediderit, præcedente libidine mentiendi, qua Christum mentitum esse credit, accipiat etiam tunicam pelliceam divino judicio. Quo nomine mihi videtur in prophetia significari non corporis mortalitas, quæ significatur in historia, de qua jam tractatum est; sed de carnalibus sensibus attracta phantasmata, quæ carnaliter mentientem divina lege consequuntur et contegunt: atque ita de paradiso, id est de catholica fide et veritate, dimittitur, habitaturus contra paradysum, id est eidem fidei contradicturus. Qui si aliquando se ad Deum converterit per flammæam frameam, id est per temporales tribulationes, sua peccata cognoscendo et gemendo, et non jam extraneam naturam, quæ nulla est, sed seipsum accusando, ut ipse veniam mereatur<sup>1</sup>; et per plenitudinem scientiæ, quæ est charitas, diligendo Deum, qui supra omnia est incommutabilis, et diligendo ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente; et diligendo proximum, tanquam seipsum, perveniet ad arborem vitæ, et vivet in æternum.

CAPUT XXVIII. — *Per epilogum singulas refellit Manichæorum calumnias.*

42. Quid habent ergo isti, quod in his litteris Veteris Testamenti reprehendant? Interrogent secundum morem suum, et respondeamus sicut Dominus donare dignatur. Quare fecit Deus hominem, inquirunt, quem peccatum sciebat? Quia et de peccante multa bona facere poterat, ordinans eum secundum moderamen

<sup>1</sup> Editi, per conversionem veniam, etc. At Mss. non habent, per conversionem.

<sup>1</sup> Editi, clamat; pro quo ex Mss. restitimus incantat (a) optatæ.

justitiæ suæ, et quia nihil oberat Deo peccatum ejus : et sive non peccaret, mors nulla esset ; sive quia peccavit, alii mortales de peccato ejus corriguntur. Nihil enim sic revocat homines a peccato, quemadmodum imminentiæ mortis cogitatio<sup>1</sup>. Sic enim faceret, inquit, ut non peccaret. Imo ipse hoc faceret ; sic eum factus est, ut si noluisset, non peccaret. Non admitteretur, inquit, diabolus ad ejus mulierem. Imo ipsa ad se diabolus non admitteret ; sic enim facta est, ut si noluisset, non admitteret. Non fieret, inquit, mulier. Hoc est dicere, non fieret bonum : quia et ipsa utique aliquod bonum est, et tantum bonum, ut Apostolus eam gloriam viri esse dicat ; et omnia ex Deo. Iterum dicunt : Quis fecit diabolus ? Se ipse ; non enim natura, sed peccando diabolus factus est. Vel ipsum, aiunt, non faceret Deus, si eum peccatum esse sciebat. Imo, quare non faceret, cum per suam justitiam et providentiam multos de malitia diaboli corrigat ? An forte non audistis apostolum Paulum dicentem, *Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare* (1 Tim. I, 20) ? et de seipso dicit, *Et ne magnitudine revelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis, angelus Satanæ qui me coluphizet* (II Cor. XII, 7). Ergo, inquit, bonus est diabolus, quia utilis est ? Imo malus in quantum diabolus est ; sed bonus et omnipotens Deus est, qui etiam de malitia ejus multa justa et bona operatur. Non enim diabolo imputatur, nisi voluntas sua, qua conatur facere male, non Dei providentia, quæ de illo bene facit.

CAPUT XXIX. — *Confert Ecclesiæ dogmata cum Manichæorum erroribus.*

43. Postremo, quoniam cum Manichæis nobis de religione quæstio est, quæstio autem religionis est, quid de Deo pie sentiatur, quoniam negare non possunt in miseria peccatorum esse genus humanum ; illi dicunt naturam Dei esse in miseria : nos negamus, sed dicimus eam naturam esse in miseria, quam de

<sup>1</sup> In Regio codice et sex aliis melioris notæ deest hæc sententia : *Nihil enim sic revocat homines a peccato, quæ remedium imminentiæ mortis cogitatio.*

nihil fecit Deus, et ad hoc venisse non coactam, sed voluntate peccandi. Illi dicunt naturam Dei cogi ab ipso Deo ad pœnitentiam peccatorum : nos negamus, sed dicimus eam naturam quam Deus fecit de nihilo, posteaquam peccavit cogi ad pœnitentiam peccatorum. Illi dicunt naturam Dei ab ipso Deo accipere veniam : nos negamus, sed dicimus eam naturam quam fecit Deus de nihilo, si se a peccatis suis ad Deum suum converterit, accipere veniam peccatorum. Illi dicunt naturam Dei necessitate esse mutabilem : nos negamus, sed dicimus eam naturam quam Deus fecit de nihilo, voluntate esse mutatam. Illi dicunt naturam Dei nocere aliena peccata : nos negamus, sed dicimus nulli naturæ nocere peccata, nisi sua (a) ; et Deum dicimus tantæ bonitatis esse, tantæ justitiæ, tantæ incorruptionis, ut neque peccet, neque ipse alicui noceat, qui peccare noluerit, nec ipsi aliquis qui peccare voluerit. Illi dicunt esse naturam mali cui Deus coactus est naturæ suæ partem dare cruciandam : nos dicimus nullum malum esse naturale<sup>1</sup> (b), sed omnes naturas bonas esse, et ipsum Deum summam esse naturam, ceteras ex ipso esse naturas : et omnes bonas in quantum sunt, quoniam fecit Deus omnia bona valde, sed distinctionis gradibus ordinata, ut sit aliud alio melius ; atque ita omni genere bonorum universitas ista compleatur, quæ quibusdam perfectis, quibusdam imperfectis, tota perfecta est, quam Deus effector conditorque ejus justo moderamine administrare non cessat ; qui omnia bona facit voluntate, nihil mali patitur necessitate. Cujus enim voluntas superat omnia, nulla ex parte quidquam sentit invitus. Cum ergo illa illi, et nos ista dicimus, unusquisque eligat quid sequatur. Ego enim, quod bona fide coram Deo dixerim, sine ullo studio contentionis, sine aliqua dubitatione veritatis, et sine aliquo præjudicio diligentioris tractationis, quæ mihi videbantur exposui.

<sup>1</sup> Editi, *malum esse naturæ*. Porro Mss. hic et in libro primo retractationum, cap. 10, n. 3, habent, *naturale*.

(a) I Retract. cap. 10, n. 3.

(b) Ibid.

De subsequente libro vide lib. 1, cap. 18, Retractationum, col. 613, a verbis, Cum de Genesi, usque ad col. 614, verbis, Quærendo tractandum est. M.

## S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI DE GENESI AD LITTERAM IMPERFECTUS LIBER (a).

—•••••—

Tractatur initium Geneseos usque ad huncce versiculum 26 : *Faciamus hominem ad imaginem, etc.*

CAPUT PRIMUM. — 1. De obscuris naturalium non affirmando, sed quærendo tractandum est ; in rerum, quæ omnipotente Deo artifice facta sentimus, Libris maxime quos nobis divina commendat auctori-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Hunc librum jam habes suis, quibus ante scatebat, mendis purgatum ope Vaticani Ms., præter quem etiam in hanc rem exhibita fuerunt editiones Am. Er. et Lov.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., t. 1, memoratas. M.*

(a) Hunc librum anno fere 393 adscribendum putamus, propterea quod ab Augustino in retractationibus collocatur proximo post opusculum sive sermonem, quem de fide et symbolo habuit in illyricensi concilio prædicti anni 393.

tas, in quibus temeritas asserendæ incertæ dubiæque opinionis, difficile sacrilegii crimen evitat: ea tamen quærendi dubitatio catholicæ fidei metas non debet excedere. Et quoniam multi hæretici ad suam sententiam, quæ præter fidem est catholicæ disciplinæ, expositionem Scripturarum divinarum trahere consueverunt; ante tractationem hujus libri catholica fides breviter explicanda est.

2. Est autem hæc: Deum Patrem omnipotentem universam creaturam fecisse atque constituisse per Filium suum unigenitum, id est Sapientiam et Virtutem suam consubstantialem sibi et coæternam, in unitate Spiritus sancti, et ipsius consubstantialis et coæterni. Hanc ergo Trinitatem dici unum Deum, eumque fecisse et creasse omnia quæ sunt, in quantum sunt, catholica disciplina credi jubet; ita ut creatura omnis sive intellectualis sive corporalis, vel quod brevis dici potest secundum verba divinarum Scripturarum, sive invisibilis sive visibilis, non de Dei natura<sup>1</sup>, sed a Deo sit facta de nihilo: nihilque in ea esse quod ad Trinitatem pertineat, nisi quod Trinitas condidit, ista condita est. Quapropter creaturam universam neque consubstantialem Deo, neque coæternam fas est dicere aut credere.

3. Ecce autem omnia quæ fecit Deus, bona valde mala vero non esse naturalia; sed omne quod dicitur malum, aut peccatum esse, aut pœnam peccati. Nec esse peccatum nisi pravum liberæ voluntatis assensum, cum inclinamur ad ea quæ justitia vetat, et unde liberum est abstinere; id est, non in rebus istis, sed in usu earum non legitimo. Usus autem rerum est legitimus, ut anima in lege Dei maneat, et uni Deo plenissima dilectione subjecta sit, et cætera sibi subjecta sine cupiditate aut libidino ministret, id est secundum præceptum Dei. Ita enim sine difficultate et miseria, et cum summa facilitate et beatitudine administrabit. Pœna vero peccati est, cum ipsis creaturis non sibi servantibus cruciatur anima, cum Deo ipsa non servit: quæ creatura illi obtemperabat, cum ipsa obtemperabat Deo. Itaque non esse ignem malum, quia creatura Dei est; sed tamen uri eo imbecillitatem nostram ex merito peccati. Dicit autem peccata naturalia, quæ necesse est committi ante misericordiam Dei, postquam in hanc vitam per peccatum liberi arbitrii lapsi sumus.

4. Renovari autem hominem per Jesum Christum Dominum nostrum, cum ipsa ineffabilis ac incommutabilis Dei Sapientia plenum totumque hominem suscipere dignata est, et nasci de Spiritu sancto et virgine Maria; crucifigi, sepeliri, et resurgere, et ascendere in cœlum, quod jam factum est; et venire ad judicandos vivos et mortuos in fine sæculi, et resurrectionem mortuorum in carne, quod adhuc futurum prædicatur. Datum esse Spiritum sanctum credentibus in eum. Constitutam ab illo matrem Ecclesiam, quæ Catholica dicitur, ex eo quia universaliter perfecta est, et in nullo claudicat, et per totum orbem diffusa est. Remissa esse penitentibus priora peccata, et vi-

<sup>1</sup> Ms. Vatic., non de Deo nata.

tam æternam cœlorumque regnum promissum.

CAPUT II. — 5. Secundum hanc fidem quæ posunt in hoc libro quæri et disputari, considerandum est. *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Quatuor modi a quibusdam Scripturarum tractatoribus traduntur Legis exponendæ, quorum vocabula enuntiarî græce possunt, latine autem definiri et explicari<sup>1</sup>: secundum historiam, secundum allegoriam, secundum analogiam, secundum ætiologiam. Historia est, cum sive divinitus, sive humanitus res gesta commemoratur. Allegoria, cum figurate dicta intelliguntur. Analogia, cum Veteris et Novi Testamentorum congruentia demonstratur. Ætiologia, cum dictorum factorumque causæ redduntur.

CAPUT III. — 6. Hoc ergo quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, quæri potest utrum tantummodo secundum historiam accipiendum sit, an etiam figurate aliquid significet, et quomodo congruat Evangelio, et qua causa liber iste sic inchoatus sit. Secundum historiam autem quæritur quid sit *In principio*, id est, utrum in principio temporis, an in principio in ipsa Sapientia Dei, quia et ipse Dei Filius principium se dixit, quando ei dictum est, *Tu quis es*; et dixit, *Principium quod et loquor vobis* (Joan. viii, 25). Est enim Principium sine principio, et est Principium cum alio principio. Principium sine principio solus Pater est, ideo ex uno principio esse omnia credimus: Filium autem ita Principium est, ut de Patre sit. Ipsa etiam prima creatura intellectualis potest dici principium iis quibus caput est, quæ fecit Deus. Cum enim recte appelletur principium caput, in illa gradatione Apostolus mulierem tamen non dixit caput alicujus. Nam et virum dixit caput mulieris, et caput viri Christum, et caput Christi Deum (I Cor. xi, 3): ita Creatori creatura subnectitur.

7. An ideo *In principio* dictum est, quoniam primum factum est? An non potuit inter creaturas primum fieri cœlum et terra, si Angeli et omnes intellectuales Potestates primum factæ sunt? Quia et Angelos creaturam Dei, et ab eo factos credamus necesse est. Nam et Angelos enumeravit propheta in centesimo quadragesimo octavo psalmo cum dixit: *Ipse jussit, et facta sunt; ipse mundavit, et creata sunt* (Psal. cxxviii, 5). Sed si primum facti sunt Angeli, quæri potest utrum in tempore facti sunt, an ante omne tempus, an in exordio temporis. Si in tempore, jam erat tempus antequam Angeli fierent; et quoniam etiam tempus ipsum creatura est, incipit necesse esse ut aliquid priusquam Angelos factum accipiamus. Si autem in exordio temporis factos dicimus, ut cum ipsis cœperit tempus, dicendum est falsum esse quod quidam volunt, cum cœlo et terra<sup>2</sup> tempus esse cœpisse.

8. Si autem prius quam tempus, Angeli facti sunt, quærendum est quomodo dictum sit in consequentibus: *Et dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento*

<sup>1</sup> Aliquot hic verba restituuntur, aliique passim redintegrantur loci ope Vaticani codicis; quod unum exemplar huius operis manu exaratum nascisci potuimus.

<sup>2</sup> Sic Ms. Vatic. At vulgati, ante cœlum et terram.

*cœli, ut luceant super terram, et dividant inter noctem et diem; et sint in signa, et tempora, et dies, et annos.* Hic enim potest videri tunc cœpta esse tempora, cum cœlum et luminaria cœli ordinatis itineribus currere cœpissent: quod si verum est, quomodo potuerunt dies esse antequam tempus esset, si a cursu luminarium tempus exorsum est, quæ quarto die dicuntur esse facta? An ista dierum digestio secundum consuetudinem humanæ fragilitatis ordinata est lege narrandi et humilibus humiliter insinuandi sublimia, qua et ipse sermo narrantis non potest nisi aliqua habere et prima et media et ultima? An in temporibus istis dictum est ut essent luminaria, quæ tempora homines intervallis morarum in corporis motione metiuntur? Hæc enim tempora, si nullus motus corporum esset, nulla essent, et ipsa sunt hominibus manifestiora. Quod si admitimus, querendum est utrum præter motum corporum possit esse tempus in motu incorporæ creaturæ, veluti est anima vel ipsa mens; quæ utique in cogitationibus movetur, et ipso motu aliud habet prius, aliud posterius, quod sine intervallo temporis intelligi non potest. Quod si accipimus, etiam ante cœlum et terram potest intelligi tempus fuisse, si ante cœlum et terram facti sunt Angeli. Erat enim jam creatura quæ motibus incorporeis tempus ageret: et recte intelligitur cum illa etiam tempus esse, ut in anima quæ per corporeos sensus corporeis motibus assuefacta est. Sed fortasse non est in principibus et creaturis supereminentibus. Sed quoquo modo hoc se habeat (res enim secretissima est, et humanis conjecturis impenetrabilis), illud certe accipiendum est in fide, etiamsi modum nostræ cogitationis excedit, omnem creaturam habere initium; tempusque ipsum creaturam esse, ac per hoc ipsum habere initium, nec cœternum esse Creatori.

9. Potest etiam cœlum et terra pro universa creatura positum videri, ut et hoc visibile æthereum firmamentum, cœlum appellatum sit, et illa creatura invisibilis supereminentium Potestatum; rursusque terra, omnis inferior pars mundi, cum animalibus quibus inhabitatur. An cœlum omnis creatura sublimis atque invisibilis dicta est, terra vero omne visibile, ut etiam sic possit hoc quod dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, universa creatura intelligi? Fortasse quippe non incongrue in comparatione invisibilis creaturæ, omne visibile terra dicitur, ut illa cœli nomine nuncupetur. Quoniam et anima quæ invisibilis est, cum rerum visibilibus amore tumesceret, et earum adoptione extolleretur, terra dicta est, sicut scriptum est. *Quid superbit terra et cinis* (Eccl. x, 9)?

10. Sed queri potest utrum jam distincta et composita omnia dixerit cœlum et terram, an ipsam primo informem universitatis materiem, quæ in has formatas et speciosas naturas Deo ineffabiliter jubente digesta est, cœli et terræ nomine nuncupaverit. Quamquam enim scriptum legerimus, *Qui fecisti mundum de informi materia* (Sap. xi, 18); tamen etiam ipsam materiam cujusmodicumque sit, non possumus dicere

non ab eo factam, ex quo omnia constemur et credimus: ut etiam ipsa digestio et ordinatio singularum quarumque rerum formatarum et distinctarum mundus vocetur; ipsa vero materies cœlum et terra, veluti semen cœli et terræ appellata sit; et cœlum et terra quasi confusum atque permixtum ab artifice Deo accipiendis formis idoneum. Hæc de hoc quaesitum sit quod dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*: nihil enim horum temere affirmare oportuit.

CAPUT IV. — 11. *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum; et Spiritus Dei ferebatur super aquam.* Ab hæreticis (a) qui Veteri Testamento adversantur, moveri calumnia huic loco solet, cum dicunt, Quomodo in principio fecit Deus cœlum et terram, si jam terra erat? non intelligentes hoc esse subjunctum, ut exponeretur qualis terra fuerit, de qua jam dictum est, *fecit Deus cœlum et terram*. Sic ergo accipiendum est: In principio fecit Deus cœlum et terram; hæc autem terra quam Deus fecit, invisibilis erat et incomposita, donec ab eodem ipso discerneretur, et ex confusione in rerum certo ordine constitueretur. An sic melius intelligitur, ut in hac executione rursus eadem rerum materies commendaretur, quæ superius cœli et terræ nomine nuncupata est, ut iste sit sensus: In principio fecit Deus cœlum et terram; hoc autem quod cœlum et terra dictum est, terra erat invisibilis et incomposita, et tenebræ super abyssum; id est, quod cœlum et terra appellatum est, materies erat confusa quædam, de qua mundus, qui duabus maximis partibus, cœlo scilicet et terra constat, digestis elementis et accepta forma fabricaretur? Quæ confusio materiæ sic potuit insinuari populari intelligentiæ, si diceretur terra invisibilis et incomposita, vel inordinata, vel imparata, et tenebræ super abyssum, id est super profunditatem vastissimam: quæ rursus profunditas ex eo fortasse nominata est, quia nullius intelligentiæ propter ipsam informitatem penetrari potest.

12. *Et tenebræ erant super abyssum.* Utrum subter abyssus erat et supra tenebræ, quasi jam loca distincta essent? An quoniam materiæ adhuc confusio exponitur, quod etiam *χάος* græce dicitur, ideo dictum est, *tenebræ erant super abyssum*, quia lux non erat: quæ si esset, utique supra esset, quia esset eminentior, et ea quæ sibi subjecta erant, illuminaret? Et revera qui diligenter considerat quid sint tenebræ, nihil aliud invenit quam lucis absentiam. Ita igitur dictum est, *Tenebræ erant super abyssum*, ac si dictum esset, Non erat lux super abyssum. Quapropter hæc materies quæ consequenti operatione Dei, in rerum formas ordinata distinguitur, appellata est terra invisibilis et incomposita, et profunditas carens luce; quæ appellata est superius nomine cœli et terræ, veluti semen, ut jam dictum est, cœli et terræ. Si tamen non cœlum et terram dicendo, universitatem prius proponere voluit, ut postea, insinuata materia, mundi partes exsequeretur.

<sup>1</sup> Ita Ms. Vatic. At editi, *maxime* (a) Manichæis.



13. *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam.* Nusquam dixerat, Deus aquam fecit; nec tamen ullo modo credendum est aquam Deum non fecisse, et eam jam fuisse antequam ille aliquid constituisset. Etenim ille est *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, sicut Apostolus dicit (*Rom. xi, 36*). Ergo et aquam Deus fecit, et aliter credere magnus error est. Cur igitur non dictum est quod aquam Deus fecerit? An rursus eandem materiam, quam vel cœli et terræ, vel terræ invisibilis et incompositæ atque abyssi nomine nuncupaverat, etiam aquam voluit appellare? Cur enim non et aqua appellaretur, si terra potuit, cum adhuc neque aqua distincta atque formata neque terra esset, neque aliquid aliud? Sed primo fortasse cœlum et terra appellata est, secundo terra incomposita et abyssus carens luce, tertio aqua non incongrue: ut primo ipsius universalitatis, propter quam facta est de omnino nihilo, materies; cœli et terræ nomine vocaretur; secundo terræ incompositæ atque abyssi nomine insinuaretur informitas, quia inter omnia elementa terra est informior, et minus relucens quam cætera; tertio aquæ nomine significaretur materia subjecta operi artificis, aqua enim mobilior est quam terra; et ideo propter operandi facilitatem et motum faciliorem, subjecta materies artifici, aqua magis vocanda erat quam terra.

14. *Et aer quidem mobilior est quam aqua; ather autem mobilior ipso aere non absurde creditur, aut sentitur: sed aeris vel ætheris nomine minus convenienter appellaretur materies.* Magis enim hæc elementa vim creduntur habere faciendi, terra vero et aqua patiendi. Quod si occultum est, illud certe apertissimum puto, quod aquam ventus movet, et nonnulla terrena; ventus autem est aer motus et quasi fluctuans. Ergo cum aer aquam moveat manifeste, unde autem ipse moveatur ut sit ventus, occultum sit; quis dubitet congruentius aquæ nomine materiam vocari quia movetur, quam aeris qui movet? Moveri autem pati est, movere facere. Huc accedit quod ea quæ terra gignit, aqua irrigantur, ut nasci et perfici possint, ita ut prope videatur in hæc ipsa nascentia eadem aqua convecti. Quocirca congruentius aquæ nomine appellaretur materies, cum subdita operi artificis insinuaretur propter mobilitatem et conversionem in quæque nascentia corpora, quam nomine aeris in quo sola mobilitas posset animadverti, cætera vero quibus materia expressius significaretur, defuissent; ut totus iste sit sensus: *In principio fecit Deus cœlum et terram*, id est materiam quæ cœli et terræ formam capere posset; quæ materia *terra invisibilis et incomposita erat*, id est informis et luce carens profunditas: quæ tamen quoniam moventi et operanti artifici subdita esset, propter hoc ipsum quod cedit operanti, aqua etiam nominata est.

15. In hac igitur materiæ significatione prius insinuatus est finis ejus, id est propter quid facta sit; secundo ipsa informitas, tertio servitus sub artifice atque subjectio. Itaque primo cœlum et terra, propter hoc enim facta materies; secundo terra invisibilis et

incomposita, et tenebræ super abyssum, id est ipsa informitas sine lumine, unde etiam terra invisibilis dicta est; tertio aqua subjecta spiritui ad habitum formasque capiendas: ideo super aquam ferebatur Spiritus Dei, ut Spiritum operantem, aquam vero unde operaretur intelligamus, id est materiam fabricabilem. Cum enim ista tria dicimus unius rei nomina, materia mundi, materia informis, materia fabricabilis, horum primo nomini bene adjungitur cœlum et terra; secundo obscuritas, confusio, profunditas, tenebræ; tertio cedendi facilitas, cui jam ad operandum Spiritus superfertur artificis.

16. *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam.* Non ita superferebatur sicut oleum aquæ, vel aqua terræ, id est, quasi contineretur; sed, si ad hoc de visibilibus exempla capienda sunt, sicut superfertur lux ista solis aut lunæ his corporibus, quæ illuminat in terra: non enim continetur illis; sed cum cœlo contineatur, istis superfertur. Item cavendum est ne quasi locorum spatiis Dei Spiritum superferri materiæ putemus, sed vi quadam effectoria et fabricatoria, ut illud cui superfertur efficiatur, et fabricetur; sicut superfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei subjecto ad operandum, vel etiam ipsis membris corporis sui, quæ ad operandum movet. Et hæc similitudo cum jam sit omni corpore excellentior, parva est tamen, et prope nihil ad intelligendam superlationem Spiritus Dei, subjecta sibi ad operandum mundi materia: sed non invenimus evidentiorum similitudinem et propinquirem rei de qua loquimur, in iis rebus quæ ab hominibus quomodocumque capi possunt. Quapropter in hujusmodi cogitatione optime illud præceptum tenebitur, quod scriptum est: *Benedicentes Deum, exaltate illum quantumcumque potueritis, superabit et adhuc (Eccl. XLIII, 33)*. Hoc autem dictum sit, si hoc loco Spiritus Dei Spiritus sanctus, quem in ipsa ineffabili et incommutabili Trinitate veneramus, accipitur.

17. Potest autem et aliter intelligi, ut spiritum Dei, vitalem creaturam, qua universus iste visibilis mundus atque omnia corporea<sup>1</sup> continentur et moventur, intelligamus; cui Deus omnipotens tribuit vim quamdam sibi serviendi ad operandum in iis quæ gignuntur. Qui spiritus cum sit omni corpore æthereo melior, quia omnem visibilem creaturam omnis invisibilis creatura antecedit, non absurde spiritus Dei dicitur. Quid enim non est Dei ex iis quæ condidit, cum etiam de ipsa terra dictum sit, *Domini est terra et plenitudo ejus (Psal. xxiii, 1)*; et illud<sup>2</sup> universalis complexione quod scriptum est, *Quoniam tua sunt omnia, Domine, qui animas amas (Sap. xi, 27)*? Sed tunc potest iste spiritus sic intelligi, si quod dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, tantum de visibili creatura dictum sentiamus; ut super materiam rerum visibilium in exordio fabricationis earum superferretur invisibilis spiritus, qui tamen etiam ipse creatura esset, id est non Deus, sed a Deo facta at-

<sup>1</sup> Ms. vatic., *corpora*.

<sup>2</sup> Ms. vatic., *illa*.

que instituta natura. Si autem universæ creaturæ, id est et intellectualis et animalis et corporalis, materia creditur illo aquæ vocabulo enuntiata, nullo modo hoc loco Spiritus Dei potest nisi ille incommutabilis et sanctus intelligi, qui ferebatur super materiam omnium rerum, quas fecit et condidit Deus.

18. Tertia opinio de hoc spiritu oriri potest, ut credatur spiritus nomine, aeris elementum enuntiatum; ut ita quatuor elementa insinuata sint, quibus mundus iste visibilis surgit; cælum scilicet, et terra, et aqua, et aer: non quia jam erant distincta et ordinata; sed quia in illius materiæ quamvis informi confusione, tamen exortura præsignabantur: quæ informis confusio tenebrarum et abyssi nomine commendata est. Sed quælibet sententiarum istarum vera sit, omnium rerum quæ ortæ sunt, quæ videntur, et quæ non videntur, non quantum ad vitia quæ contra naturam sunt, sed quantum ad ipsas naturas attinet, Deum esse auctorem et conditorem credendum est; nullamque omnino esse creaturam, quæ non ab ipso initium perfectionemque habeat generis et substantiæ suæ.

CAPUT V. — 19. *Et dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux.* Deum dixisse, *Fiat lux*, non voce de pulmonibus edita, nec lingua et dentibus, accipere debemus. Carnalium sunt istæ cogitationes: secundum autem carnem sapere, mors est (*Rom. viii, 6*). Sed ineffabiliter dictum est, *Fiat lux*. Utrum autem hoc quod dictum est, Filio unigenito dictum est, an idipsum quod dictum est, Filius unigenitus est, quod dictum Dei verbum dicitur, per quod facta sunt omnia (*Joan. i, 1, 3*), quæri potest: dum tamen illa absit impietas, ut <sup>1</sup> Verbum Dei unigenitum Filium quasi vocem prolatam sicut a nobis sit, esse credamus. Verbum autem Dei, per quod facta sunt omnia, nec coepit esse, nec desinet; sed sine inchoatione natum, Patri coæternum est. Quare hoc quod dictum est, *Fiat lux*, si et coepit et destitit dici, magis Filio dictum est hoc verbum, quam ipsum est Filius. Et tamen etiam hoc ineffabiliter; nec carnalis imago subrepat in animum, et intellectum pium spiritualem conturbet. Quia et incipere aliquid et desinere in natura Dei, si proprie accipiatur, temeraria et præceps opinio est: carnalibus tamen et parvulis, non tanquam in ea mansuris, sed tanquam inde surrecturis humanissime concedenda est. Quidquid enim incipere et desinere Deus dicitur, nullo modo in ipsius natura, sed in ejus creatura, quæ illi miris modis obtemperat, intelligendum est.

20. *Et dixit Deus, Fiat lux.* Utrum ea lux quæ his carnalibus oculis patet, an aliqua occulta, quam nobis per hoc corpus videre non datum est? Et si occulta, utrum corporea, quæ per locorum spatia tenditur fortasse in sublimibus partibus mundi; an incorporea, qualis in anima est, ad quam vitandi et appetendi refertur examen a sensibus corporis, qua non carent etiam animæ bestiarum, an ea quæ superior ratiocinando apparet, ex qua incipit omne quod creatum

<sup>1</sup> Ms. Valuc., ne.

est? Quamlibet enim lucem significet, factam tamen et creatam debemus accipere: non illam qua fulget ipsa Dei Sapientia, quæ non creata est, sed nata; ne sine luce Deus fuisse putetur priusquam istam, de qua nunc agitur, condidisset. De hac enim, sicut ipsa verba satis docent, hoc commendatur quod facta sit, *Et dixit, inquit, Fiat lux; et facta est lux.* Alia est lux de Deo nata, et alia lux quam fecit Deus: nata de Deo lux, est ipsa Dei Sapientia; facta vero lux, est quælibet mutabilis sive corporea sive incorporea.

21. Movere autem solet quomodo lux corporea esse potuerit antequam cælum esset et cæli luminaria, quæ post istam exponuntur: quasi vero facile hoc ab homine percipi potest, aut omnino ullo modo potest, utrum sit aliqua lux præter cælum, quæ tamen spatis locorum distincta atque diffusa sit, mundumque amplectatur. Sed cum liceat hic et incorpoream lucem intelligere, si non visibilem tantum creaturam in hoc libro, sed omnem creaturam expositam dicimus, quid opus est in hac controversia remorari? Et fortasse quod quærent homines, quando Angeli facti sunt, ipsi significantur hac luce, brevissime quidem, sed tamen convenientissime et decentissime.

22. *Et vidit Deus lucem, quia bonâ est.* Ista sententia non quasi insoliti boni lætitiâ <sup>1</sup>, sed approbationem operis significari, oportet intelligi. Quid enim convenientius de Deo dicitur, quantum inter homines dici potest, quam cum ita ponitur, Dixit, factum est, placuit: ita ut in eo quod dixit, imperium ejus intelligatur; in eo quod factum est, potentia; in eo quod placuit, benignitas: sicut ista ineffabilia per hominem hominibus, ita ut omnibus prodesse possent, dici debuerunt.

23. *Et divisit Deus inter lucem et tenebras.* Hinc intelligi licet quanta divini operis facilitate ista dicantur effecta. Non enim quisquam est qui sic existimet lucem factam, ut esset confusa cum tenebris, et ob hoc postea separationis indigeret; sed eo ipso quo lux facta est, consecuta est etiam divisio inter lucem et tenebras. Quæ enim societas lucis cum tenebris (*II Cor. vi, 14*)? Deus ergo divisit inter lucem et tenebras, quia lucem fecit, cujus absentia tenebræ vocantur. Interest autem inter lucem et tenebras, sicut interest inter vestimentum et nuditatem, aut plenum et inane, et similia.

24. Jam quot modis possit intelligi lux, supra dictum est, quibus contrariæ privationes possunt tenebræ nominari. Alia est enim lux quæ videtur his oculis corporeis, etiam ipsa corporea; ut solis, et lunæ, et stellarum, et si quid hujusmodi est, cui contrariæ sunt tenebræ, cum aliquis locus ea luce caret. Alia item lux est vita sentiens, et valens discernere quæ per corpus ad animæ judicium referuntur, id est alba et nigra, canora et rauca, suaveolentia et graveolentia, dulcia et amara, calida et frigida, et cætera hujusmodi. Alia est enim lux quæ sentitur oculis, alia qua per oculos agitur ut sentiat. Illa enim in corpore, hæc autem quamvis per corpus ea quæ sentit

<sup>1</sup> Sic Ms. vatic. At Am. Er. et Lov., insoliti benevolentiam.

percipiat, in anima est tamen. Huic contrariæ sunt tenebræ, insensibilitas quædam, vel si melius insensualitas dicitur, id est non sentire, quamvis inferantur quæ sentiri possent, si esset in illa vita lux ista unde sentitur. Neque hoc cum ministeria desunt corporis, sicut in cæcis aut surdis: nam in istorum animis est ista lux, de qua nunc agimus; sed instrumenta corporis desunt. Neque illo modo, quò modo in silentio vox non auditur, cum et ista lux est in anima, et adsunt corporis instrumenta, sed nihil quod sentiatur inferatur. Non ergo qui iis causis non sentit, caret ista luce; sed cum talis potentia non est in anima, quæ jam nec anima dici solet, sed tantum vita, qualis perhibetur esse vitis et arboris, et quarumcumque stirpium: si tamen eas vel talem habere persuaderi ullo modo potest, quas nonnulli nimis errantes hæretici (a), non solum sentire per corpus, id est videre, audire, et calorem ignemque discernere; sed etiam intelligere rationem, et cogitationes nostras nosse arbitrantur: sed de his alia quæstio est. Insensibilitas ergo tenebræ hujus lucis, qua quidquid sentitur, cum ipsam vim sentiendi non habet vita qualibet. Convenienter autem lucem hanc dici concedit, quisquis concedit recte dici lucem, qua res quæque manifesta est. Cum autem dicimus, Manifestum est hoc canorum esse, manifestum est hoc dulce esse, manifestum est hoc frigidum esse, et quod forte hujus generis per corporales sensus attingimus; hæc lux qua ista manifesta sunt, utique intus in anima est, quamvis per corpus inferantur quæ ita sentiuntur. Tertium lucis genus in creaturis intelligi potest, quo ratiocinamur. Huic contrariæ tenebræ sunt irrationabilitas, sicut sunt animæ bestiarum.

25. Sive ergo lucem ætheream, sive sensualem cuius animalia participant, sive rationalem quam Angeli et homines habent, à Deo factam; primitus in rerum natura hæc sententia vult intelligi; divisisse Deum inter lucem et tenebras, eo ipso quo lux facta est, oportet accipi, quod aliud est lux, aliud illæ privationes lucis, quas in contrariis tenebris ordinavit Deus. Non enim Deum fecisse tenebras dictum est: quoniam species ipsas Deus fecit, non privationes quæ ad nihilum pertinent, unde ab artifice Deo facta sunt omnia; quas tamen ab eo ordinatas intelligimus, cum dicitur, *Et divisit Deus inter lucem et tenebras*, ne vel ipsæ privationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta regente atque administrante. Sicut in cantando interpositiones silentiorum certis moderatisque intervallis, quamvis vocum privationes sint, bene tamen ordinantur ab iis qui cantare sciunt, et suavitati universæ cantilene aliquid conferunt. Et umbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt, ac non specie, sed ordine placent. Nam et vitiorum nostrorum non est auctor Deus; sed tamen ordinator est, cum eo loco peccatores constituit, et ea perpeti cogit quæ merentur. Ad hoc valet quod oves ponuntur ad dexteram, hædi autem ad sinistram (*Math. xxv, 55*). Quædam ergo et facit Deus et ordinat; quædam vero tantum

(a) Manichæi.

ordinat. Justos et facit, et ordinat; peccatores autem in quantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantum. Quippe cum illos ad dexteram, illos ad sinistram constituit, et quod in ignem æternum jubet ire, ad meritum ordinem valet. Ita species naturasque ipsas et facit, et ordinat; privationes autem specierum defectusque naturarum non facit, sed ordinat tantum. Dixit itaque, *Fiat lux; et facta est lux*. Non dixit, *Fiant tenebræ; et factæ sunt tenebræ*. Horum ergo unum fecit, alterum non fecit, utrumque tamen ordinavit, cum divisit Deus inter lucem et tenebras. Ita et ipso faciente pulchra sunt singula, et ipso ordinante pulchra sunt omnia.

CAPUT VI. — 26. *Et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem*. Cum et lux nomen sit alicujus rei, et dies rursum, et tenebræ et nox utrumque sit nomen, utrumque ita dici oportuit, nomina rebus imposita esse, ut illa res cui nomen impositum est, utique alio quoque nomine, non enim aliter poterat enuntiare<sup>1</sup>. Et ita dictum est, *Vocavit Deus lucem diem*, ut indifferenter etiam dici converse posset, *Vocavit Deus diem lucem*, et vocavit noctem tenebras. Quid ei respondebimus, si quis a nobis ita querit: *Luci nomen impositum est dies, an diei nomen impositum est lux?* quia hæc duo utique, in quantum ad res significandas articulata voce enuntiantur, nomina sunt. Hoc modo etiam de aliis duobus queri potest: *Tenebris nomen impositum est nox, an nocti impositum est nomen tenebræ?* Et quidem, ut Scriptura describit, manifestum est lucis nomen dictum esse diem, et tenebrarum nomen dictum esse noctem. Quia cum diceret, *Deus fecit lucem, et divisit inter lucem et tenebras*, nondum de vocabulis agebatur: postea adhibita sunt vocabula, dies et nox; cum et illa sine dubio vocabula sint, lux et tenebræ, res aliquas significantia, sicut dies et nox. Ergo hoc ita accipiendum est, quia enuntiare aliter non posset res quæ nomen accepit, nisi aliquo nomine; an potius ista vocatio accipienda est ipsa distinctio? Non enim omnis lux dies, aut omnes tenebræ nox; sed lux et tenebræ certis inter se vicibus ordinatæ atque distinctæ, diei et noctis nominibus appellantur. Omne quippe vocabulum ad distinctionem valet. Unde etiam nomen quod rem notet, appellatum est, quasi notamen. Notet autem, id est distinguat et doctitanter ad discernendum adjuvet. Fortasse ergo ipsum divisisse inter lucem et tenebras, hoc est vocasse lucem diem, et tenebras noctem, ut hoc sit ordinasse ista quod vocasse. An ista vocabula significare nobis volunt quam lucem dixerit, et quas tenebras; tanquam si diceret, *Fecit Deus lucem, et divisit inter lucem et tenebras; lucem autem dico diem, et tenebras dico noctem*: ne aliquam aliam lucem intelligas, quæ non sit dies; et ne aliquas alias tenebras intelligas, quæ non sint nox? Nam si omnis

<sup>1</sup> Ms. Vaticanus omittit *quoque*: et paulo post habet, *poterat enuntiare*, ubi editi habuerunt, *poterat enumerare*. Locus profecto a librariis fordatus, atque eximietis hisce verbis, *nomina rebus imposita esse*, quæ haud dubie e margine irrepserunt, emendandus hunc in modum: *utrumque ita dici oportuit, et illa res cui nomen impositum est, utique alio nomine (non enim aliter poterat) enuntietur*.

lux dies possit intelligi, et omnes tenebræ noctis nomine censerentur, fortasse non opus esset dicere, *Et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem.*

27. Item quæri potest quem diem dicat, et quam noctem. Si istum diem vult accipi quem solis ortus inchoat, et claudit occasus, et istam noctem quæ a solis occasu usque in ortum tenditur; non invenio quomodo esse potuerint, antequam cœli luminaria facta essent. An ipsa spatia horarum et temporum, etiam siue discrimine fulgoris atque umbræ, jam ita vocari potuerunt? Et quomodo in illam lucem rationalem, si hæc significata est, aut sensualem cadit hæc vicissitudo, quæ nomine diei et noctis significatur? An non secundum quod evenit, sed secundum quod potest evenire, ista insinuata sunt; quia et rationi potest error succedere, et sensui quædam stoliditas?

CAPUT VII. — 28. *Et facta est vespera, et factum est mane dies unus.* Non eodem modo nunc appellatur dies, quo cum diceretur, *Et vocavit Deus lucem diem*; sed eo modo quo dicimus, verbi gratia, triginta dies habere mensem: hoc enim nomine diei noctes quoque includimus; superius autem ita dictus est dies, ut a nocte sejungeretur. Itaque cum illa operatio diei per lucem gesta insinuaretur, consequenter factam dicitur esse vesperam, et factum esse mane diem unum; ut scilicet sit unus dies a cœpto die usque ad cœptum diem, id est a mane usque ad mane, quales dies annumeratis, ut dixi, noctibus appellamus. Sed quomodo facta est vespera, et factum est mane? An tanta mora temporis fecit lucem Deus, et divisit inter lucem et tenebras, quanta mora tenditur dies lucens, id est non annumerata nocte? Et ubi est quod scriptum est, *Subest enim tibi, cum volēs posse* (*Sap. XII, 18*), si opus est Deo productione temporis, ut aliquid perficiat? An omnia quidem tanquam in arte atque ratione perfecta sunt Deo, non in productione temporis, sed in ipsa vi qua illas etiam res, quas non stare, sed transire cernimus, stabiliter efficit? Non enim et in sermone nostro cum verba alia transeant, et alia succedant, credibile est ita fieri in ipsa arte, qua operante stabiliter artificiosa occurrit oratio. Quanquam ergo sine productione temporis faciat Deus, cui subest posse cum volet; ipsæ tamen naturæ temporales motus suos temporaliter peragunt. Ita ergo fortasse dictum est, *Et facta est vespera, et factum est mane dies unus*, sicut ratione prospicitur ita fieri debere aut posse, non ita ut sit temporalibus tractatibus. Nam in ipsa ratione operationem contemplatus est<sup>1</sup> in Spiritu sancto, qui dixit, *Qui manet in æternum creavit omnia simul* (*Eccli. XVIII, 1*): sed commodissime in illo libro, quasi morarum per intervalla factarum a Deo rerum digesta narratio est, ut ipsa dispositio, quæ ab infirmioribus animis contemplatione stabili videri non poterat, per huiusmodi ordinem sermonis exposita quasi istis oculis cerneretur.

CAPUT VIII. — 29. *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, et sit dividens inter aquam et aquam.*

<sup>1</sup> Ms. vatic., *temporis tractibus. Non ipsam rationem operationum contemplatus est, etc.*

*Et sic factum est. Et fecit Deus firmamentum, et divisit inter aquam quæ erat sub firmamento, et inter aquam quæ erat supra firmamentum.* Utrum aquæ tales sint supra firmamentum, quales sub firmamento istæ visibiles? an quia illam aquam videtur significare, supra quam Spiritus ferebatur, et eam intelligebamus esse ipsam mundi materiam, hæc etiam hoc loco firmamento interposito discreta credenda est, ut inferior sit materia corporalis, superior animalis? Hoc enim firmamentum dicit, quod cœlum postea vocat. Cœlesti autem corpore nihil est in corporibus alia melius. Alia quippe corpora cœlestia, et terrestria; et utique cœlestia meliora: quorum naturam quidquid transit, nescio quemadmodum corpus possit vocari; sed est fortasse vis quædam subjecta rationi, qua ratione Deus veritasque cognoscitur: quæ natura, quia formabilis est virtute atque prudentia, ejus vigore cohibetur ejus fluctuatio atque constringitur, et ob hoc<sup>1</sup> quasi materialis apparet, recte aqua divinitus appellata est; non locorum spatio, sed merito naturæ incorporeæ cœli corporei<sup>2</sup> ambitum excedens. Et quoniam cœlum firmamentum vocavit, non absurde intelligitur quidquid infra æthereum cœlum est, in quo pacata atque firmata<sup>3</sup> sunt omnia, mutabilis esse et dissolubilis. Quod genus corporalis materiæ ante acceptam speciem distinctionemque formatum, a qua firmamentum nominatum est, fuerunt qui crederent has visibiles aquas et frigiditas superficiem cœli superamplecti. Et documentum adhibere conati sunt de tarditate stellæ unius de septem vagantibus, quæ superior est cæteris, et a Græcis *Phœbos* dicitur, et triginta annis peragit signiferum circulum, ut ob hoc tarda sit, quia est frigidis aquis vicinior, quæ supra cœlum sunt. Quæ opinio nescio quemadmodum possit apud eos defendi, qui subtilissime ista quæsierunt. Nihil autem horum temere affirmandum, sed caute omnia modesteque sunt tractanda.

30. *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum et sit dividens inter aquam et aquam. Et sic factum est.* Postquam dixit, *sic factum est*, quid opus erat rursus addere, *Et fecit Deus firmamentum, et divisit inter aquam quæ erat sub firmamento, et aquam quæ erat supra firmamentum*? Nam cum dixisset superius, *Et dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux*; non addidit rursus, *Et fecit Deus lucem*: hic autem posteaquam dixit, *Et dixit Deus, Fiat: et sic factum est*, additum est, *et fecit Deus*. An hinc apparet non oportere lucem illam intelligi corporalem, ne eam aliqua creatura interposita fecisse Deus videatur (Deum autem Trinitatem dico): hoc vero firmamentum cœli, quia corporeum est, per incorpoream creaturam accepisse speciem formamque creditur, ut prius incorporeæ naturæ rationabiliter a veritate impressum sit quod corporaliter imprimeretur, ut cœli fieret firmamentum: et ideo positum est, *Et dixit Deus, Fiat; et sic factum*

<sup>1</sup> Editi, et *objectio*. Sed melius Ms. vatic., et *ob hoc*.

<sup>2</sup> sic emendamus ad Ms. vatic. Nam in editis *legebatur, naturæ in corpore cœli incorporei*.

<sup>3</sup> Ms. vatic., et *firma*.

est; in ipsa rationali natura prius factum est<sup>1</sup> fortasse unde imprimeretur corpori species.

CAPUT IX. — Cum autem additum est *Et fecit Deus firmamentum, et divisit inter aquam quæ erat sub firmamento, et aquam quæ erat supra firmamentum*, et ipsa cooperatio<sup>2</sup> in illa materia, ut corpus cæli fieret, significatur? An forte varietatis causa, ut textus sermonis in fastidium non veniret, supra non est positum quod infra positum est, et non oportet scrupulose omnia rimari<sup>3</sup>? Eligat quis quod potest: tantum ne aliquid temere atque incognitum pro cognito asserat; nemineritque se hominem de divinis operibus quantum permittitur querere.

34. *Et vocavit Deus firmamentum cælum.* Quod de vocatione superius tractatum est, hic quoque considerari potest: non enim omne firmamentum cælum est. *Et vidit Deus quod bonum est.* Et de hoc superius quod tractatum est, retractaretur, nisi quod non eundem ordinem video. Nam superius, *Et vidit Deus lucem quia bona est*; et post deinde subjicitur, *Divisit Deus inter lucem et tenebras; et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem*: hic autem postquam factum enarratum est, quod factum dicebatur, et postea quam vocatum est firmamentum cælum, tum dicitur, *Et vidit Deus quia bonum est.* Quod si non fastidii evitandi gratia ita variatum est, illud certe intelligere cogimur quod dictum est. *Et fecit Deus omnia simul.* Quare enim primo ibi vidit quia bonum est, et postea nomen imposuit; hic autem primo nomen imposuit, et postea vidit quia bonum est; nisi quia illa differentia significat morarum intervalla non esse in operatione Dei, quamvis in ipsis inveniantur operibus? Secundum autem morarum intervallum prius aliquid et postea efficitur, sine quibus narratio factorum esse non potest quamvis sine his Deus ista efficere potuerit. *Et facta est vespera, et factum est mane dies secundus.* Jam hinc superius tractatum est, et easdem rationes hic quoque valere arbitror.

CAPUT X. — 32. *Et dixit Deus, Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt, in congregationem unam, et appareat arida.* Et sic factum est. Hinc probabilius credi potest aquam dictam esse superius, sicut arbitramur, ipsam mundi materiam. Nam si universum aqua oppletum erat, unde vel quo potuit congregari? Si enim quandam confusionem materialem aquæ nomine appellaverat, hæc congregatio accipienda est ipsa formatio, ut talis esset aquæ species, qualem nunc esse cernimus. Et ipsum, *appareat arida*, quod positum est, terræ formatio intelligi potest, ut hanc haberet speciem terra, quam cernimus. Invisibilis enim et incomposita dicta erat, cum adhuc materiæ species deceret. Dixit ergo Deus, *Congregetur aqua quæ sub cælo est*; id est in formam redigatur materies corporalis, ut aqua ista sit, quam sentimus. *In congregationem unam*: vis ipsa formæ commendatur nomine unitatis. Hoc est enim vere formari, in unum aliquid

<sup>1</sup> sic in Ms. vatic. editi, *facta est.*

<sup>2</sup> SICAM. ad marginem. in textu autem cum aliis editionibus habet, *corporatio.* Ms. vatic., *operatio.*

<sup>3</sup> Ms. vatic., *numerare*: nec minus apte.

redigi; quoniam summe unum est omnis formæ principium. *Et appareat arida*: id est, speciem visibilem accipiat, atque a confusione distinctam. Et bene aqua congregatur, ut appareat arida; id est, cohibetur quod fluitat mare, ut quod obscurum est illustretur. *Et sic factum est*: etiam hoc fortasse in rationibus intellectualis naturæ prius factum est, ut postea quod dicitur, *Et congregata est aqua in congregationem unam, et appuruit arida*, non superfluo additum videatur, cum jam dictum esset, *Et sic factum est*; sed ut post rationalem et incorpoream operationem intelligeremus etiam corporalem secutam.

33. *Et vocavit Deus aridam terram, et congregationem aquæ mare vocavit.* Adhuc nobiscum facit illa causa vocabulorum: non enim omnis aqua, mare; aut omne aridum, terra. Ergo quæ aqua esset, et quæ arida, vocabulis segregandum fuit. Ipsam autem distinctionem atque formationem fuisse vocationem Dei, non absurde adhuc intelligi potest. *Et vidit Deus quia bonum est.* Et hic ipse ordo servatus est: quare huic etiam illa quæ jam tractata sunt, conferantur.

CAPUT XI. — 34. *Et dixit Deus, Germinet terra herbam pabuli, ferentem semen secundum genus suum et similitudinem, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in se secundum suam similitudinem.* Postquam facta sunt terra et mare, et vocata et approbata, quod sæpe diximus non morarum intervallis accipiendum esse, ne ineffabilem operantis Dei facultatem tarditas aliqua consequatur; non statim, sicut duobus diebus præcedentibus, subjicitur, *Facta est vespera, et factum est mane dies tertius*: sed adjungitur alia operatio, *Ut germinet terra herbam pabuli ferentem semen secundum genus suum et similitudinem, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in se secundum suam similitudinem.* Quod de luce illa, et firmamento, et aquis, et arida dictum non est; non enim habet lux successionis propaginem, aut cælum de alio cælo nascitur, aut terra aut mare alia maria et alias terras gignunt, quæ succedant. Hic ergo dicendum fuit, *ferentem semen secundum genus suum et similitudinem, et cujus semen sit in se secundum suam similitudinem*, ubi similitudo nascentium prætereuntis similitudinem servat.

35. Hæc autem omnia ita supra terram sunt, ut ipsi terræ radicitus cohæreant, et ei continuentur, et rursus quodammodo separentur: propterea hujus naturæ significationem in ista narratione servatam arbitror; quia et eodem die facta sunt, quo terra apparuit: et tamen iterum dixit Deus, ut terra germinaret; et iterum dictum est, *Et sic factum est*; deinde secundum superiorem regulam, postquam dictum est, *Et sic factum est*, subjungitur ipsa executio, *Et dedit terra herbam pabuli, ferentem semen secundum genus suum, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen in se secundum suam similitudinem.* Et iterum dicit, *Vidit Deus quia bonum est.* Itaque et uno die ista junguntur, et iteratis Dei verbis distinguuntur ab invicem. Quod de terra et mari propterea puto non esse factum, quia magis harum rerum est discernenda natura, quæ

(Huit.)

sum orientur et occidant, seminis successione propagantur. An quia terra et mare simul fieri potuerint, non solum in rationibus creaturæ spiritualis, ubi simul omnia facta sunt, sed etiam in ipsa corporali motione; arbores vero et quæque stirpes nasci non possent, nisi terra in qua germinarent, præcessisset: propterea et repetendum erat jussum Dei, ut facta significarentur distantia, tamen non alio die faciendæ, propter quod radicibus terræ affliguntur et continuantur? Sed quæri potest cur istis Deus non imposuerit nomina: an prætermissum est, quia multitudo eorum non sinebat? Verum hæc quæstio melius postea considerabitur, cum animadvertemus alia quæ non vocavit Deus, sicut vocavit lucem, et cælum, et terram, et mare. *Et factum est vespera, et factum est mane dies tertius.*

CAPUT XII. — 36. *Et dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli, ut luceant super terram, et dividant inter diem et noctem; et sint in signis et temporibus, et in diebus, et in annis; et sint in splendorem in firmamento cæli, ut luceant super terram.* Quarto die luminaria facta sunt, de quibus dicitur, *et sint in diebus*: quid ergo volunt tres dies transacti sine luminaribus? aut cur ista erunt in diebus, si etiam sine istis dies esse potuerunt? An quia evidentius productio illa temporis et morarum intervallum motu istorum luminarium distinguî ab hominibus potest? An ista dierum et noctium enumeratio ad distinctionem valet inter illam naturam quæ facta non est, et eas quæ factæ sunt: ut *mane* nominaretur propter earum speciem factarum; *vespera* vero propter privationem? Quia quantum attinet ad illum a quo facta sunt, speciosa atque formosa sunt: quantum autem in ipsis est, possunt deficere, quia de nihilo facta sunt; et in quantum non deficiunt, non est eorum materiæ, quæ ex nihilo est, sed ejus qui summe est, et illa facit esse in genere et ordine suo.

37. *Et dixit Deus, Fiant in firmamento cæli luminaria ut luceant*: utrum de fixis tantum dictum est sideribus, an etiam de vagis? Sed duo luminaria majus et minus inter vaga sidera numerantur: quomodo ergo in firmamento facta sunt omnia, cum singulos suos vel globos vel circulos vaga singula quæque possideant? An quoniam in Scripturis et cælos multos legimus et cælum, sicut in hoc loco cum dicitur firmamentum cælum<sup>1</sup>, intelligendum est omnem istam ætheream machinam dici quæ omnia sidera continet<sup>2</sup>; sub qua puri et tranquillæ aeris serenitas viget, sub qua item iste aer turbulentus et procellosus agitur? *Ut luceant super terram, et dividant inter diem et noctem.* Nonne jam Deus diviserat inter lucem et tenebras, et vocaverat lucem diem, et tenebras vocaverat noctem? ex quo apparet eum inter diem et noctem divisisse: quid sibi nunc vult quod dicitur de luminaribus, *et dividant inter diem et noctem*? An ita nunc sit ista divisio per luminaria, ut hominibus nota sit etiam solis carnalibus oculis ad rerum istarum contempla-

tionem utentibus; ita vero Deus eam fecit ante circuitum luminarium, ut videri nisi a paucis sano spiritu et serena ratione non possit? An inter alium diem et aliam noctem divisit Deus, id est inter speciem quam imprimebat illi informitati, et informitatem quæ adhuc formanda restabat; alius vero est iste dies et alia nox, quorum volvente cælo vicissitudo animadvertitur, quæ fieri non posset nisi solis ortu et occasu?

CAPUT XIII. — 38. *Et sint in signis et temporibus, et in diebus, et in annis.* Videtur mihi hoc quod dixit, *in signis*, planum fecisse illud quod dixit, *et in temporibus*; ne aliud acciperentur signa, et aliud tempora. Hæc enim nunc dixit tempora, quæ intervallorum distinctione æternitatem incommutabilem supra se manere significant, ut signum, id est quasi vestigium æternitatis tempus appareat. Item cum adjungit, *et in diebus, et in annis*, ostendit quæ dixerit tempora, ut dies fiant conversione fixorum siderum; anni vero manifesti, cum sol signiferum circulum peragit; obscuriores autem cum id unumquodque vagorum siderum in suis orbibus facit. Non enim dixit, *Et mensibus*, quia fortasse mensis annus est lunæ; sicut duodecim lunæ anni, annus est ejus sideris quod *Chaldræ* Græci vocant, et triginta solis anni annus est ejus sideris quod *Chaldræ* dicitur. Et fortasse ita cum omnia sidera ad idem redierint, annus magnus peragitur, de quo multi multa dixerunt. An *in signis* dixit, quibus certum iter significatur navigandi: *in temporibus* autem, velut est vernum tempus, et æstas, et autumnus, et hiems; quia et ista circumacti siderum variantur, suasque vices atque ordinem servant: *in diebus* autem *et in annis*, sicut expositum jam est, accipiendum?

39. *Et sint in splendorem in firmamento cæli ut luceant super terram.* Supra jam dictum erat, *Fiant luminaria in firmamento cæli, ut luceant super terram*; cur putamus esse repetitum? An quemadmodum dictum est de stirpibus, ut ferant semen, et sit in eis semen, secundum genus suum et similitudinem; ita hic e contrario dictum est de luminaribus, *Fiant et sint*, id est fiant et non gignant, sed ipsa sint. *Et sic factum est.* Ordo ille servatur.

40. *Et fecit Deus duo luminaria; luminare majus initium diei, et luminare minus initium noctis, et stellas.* Quid dicat initium diei, et initium noctis, mox apparebit. *Et stellas* vero quod addidit, utrum pertineant ad initium noctis annon, ambiguum est. Quidam autem volunt hic significari lunam plenam esse primitus factam, quod plena luna initio noctis assurgit, ita est mox post solis occasum. Sed illud absurdum est, ut non a prima, sed a sexta decima vel quinta decima numerandi sumamus exordium. Nec illud moveat, quod perfectum fieri debuerit luminare quod factum est. Omnia enim die perfecta est; sed ejus perfectio ab hominibus non videtur, nisi cum ex contraria parte soli opposita fuerit. Nam etiam cum illo constituta, quoniam sub illo est, videtur finire: sed etiam tunc plena est; quia ex alia parte illustratur, nec videri potest ab iis qui subter sunt, id est terram incolunt. Quod non paucis verbis,

<sup>1</sup> Ms. Vatic., *cælum et firmamentum.*

<sup>2</sup> sic in Ms. Vatic. At in editis, *substantia continet.*

sed subtilibus dissertationibus et quarumdam figurarum visibilibus demonstratione doceri potest.

41. *Et posuit illa Deus in firmamento cæli, et luceant super terram.* Quomodo dixit, *Fiant in firmamento*; et quomodo nunc dicit, *Fecit Deus luminaria, et posuit in firmamento*; quasi extra sint facta, et post ibi posita, cum jam dictum sit ut ibi fierent? An hinc etiam atque etiam significatur, non ita Deum fecisse ut homines solent, sed ita narratum ut hominibus potuit: scilicet ut apud homines aliud sit, fecit; aliud, posuit: apud Deum autem utrumque idem sit, qui faciendo ponit, et ponendo facit?

42. *Et præsententur diei ac nocti, et dividantur inter diem et noctem.* Dictum erat *initium diei, et initium noctis*, quod hic exponit dicendo, *præsententur diei et nocti*. Ergo initium illud, principium intelligere debemus, quia et in die nihil est inter illa quæ videntur sole excellentius, et in nocte nihil luna vel stellis. Unde etiam illa ambiguitas jam non moveat, et credamus stellas sic positas, ut ad initium noctis, id est principatum pertineant. *Et vidit Deus quia bonum est.* Idem ordo servatur. Meminerimus sane quod etiam ista Deus non vocaverit, cum dici potuerit. Et vocavit Deus luminaria sidera; quia non omne luminare sidus est.

43. *Et facta est vespéra, et factum est mane dies quartus.* Si dies istos consideres, quos ortus solis occasusque distinguit, non isto quartus, sed fortasse primus est dies; ut eo tempore putemus ortum esse solem, quo factus est, et donec cætera sidera fierent, occidisse. Sed qui intelligit et solem alibi esse, cum apud nos nox est, et noctem alibi esse, cum sol apud nos est, dierum istorum enumerationem sublimius indagabit.

CAPUT XIV. — 44. *Et dixit Deus, Ejiciant aquæ reptilia animarum vivarum, et volatilia volentia super terram sub firmamento cæli. Et sic factum est.* Ea quæ natantia sunt animalia, reptilia sunt appellata; quia pedibus non ambulant. An quia sunt alia quæ sub aqua in terra repunt? An sunt pennata in aquis, sicut pisces qui squamas habent, vel alii qui non habent, sed tamen penis nituntur? Qui utrum inter volatilia hoc loco numerandi sint, dubitari potest. Nam et ipsa volatilia cur aquis tribuerit, non aeri, nonnulla quæstio est. Non enim has aves tantum hic accipere possumus, quibus aquæ familiares sunt, quales mergi, et anates, et quæcumque hujusmodi. Nam si de his tantum dixisset, non præmitteret alio loco de aliis avibus dicere, inter quas nonnullæ usque adeo ab aquis remotæ sunt, ut ne bibant quidem. Nisi forte istum aerem terris contiguum, quoniam se humidum etiam serenissimis noctibus rore testatur, aquam vocavit, quia et in nubem cogitur. Nubes autem aqua est, quod omnes sentiunt quibus contingit in montibus inter nebula, vel etiam in campis inter nebulas ambulare. In hoc quippe acre volare aves dicuntur. Nam in illo sublimiore atque puriore, qui vere aer ab omnibus appellatus est, nequeunt: non enim earum pondus tenuitate sua sustinet. In illo autem neque nubes concrecere aaseruntur, neque aliquid procellosum existere: quippe

ubi ventus adeo nullus est, ut in vertice Olympi montis, qui spatia hujus humidi aeris excedere dicitur, quædam literæ in pulvere solere fieri perhibeantur, et post annum integræ atque illææ inveniri ab iis qui solemniter memoratum montem ascendebant.

45. Quapropter non absurde existimari potest firmamentum cæli in divinis Scripturis usque ad hæc spatia vocari, ut et ille aer tranquillissimus et sincerissimus ad firmamentum pertinere credatur. Hoc enim nomine firmamenti, ipsa tranquillitas et magna pars rerum significari potest. Unde etiam illud dici pluribus in Psalmis existimo: *Et veritas tua usque ad nubes* (Psal. xxxv, 6; et lvi, 11). Nihil est enim firmius et serenius veritate. Nubes autem sub ista sincerissimi aeris regione concrescunt. Quod quanquam figurate dictum accipiatur, ex his tamen rebus scriptum est, quæ habent ad hæc quamdam similitudinem; ut corporea creatura constantior et purior, quæ a summitate cæli usque ad nubes est, veritatis figuram recte habere videatur, id est usque ad aerem caliginosum et procellosum et humidum. Ergo volatilia volentia super terram sub firmamento cæli, convenienter sunt aquis attributa; quia non inconvenienter aer iste aqua nominatur. Hinc etiam intelligi datur de aere nihil dictum esse, quomodo vel quando sit factus, quia isto aer nomine aquarum tenetur, ille autem nomine firmamenti; atque ita nullum elementum prætermisum est.

46. Sed fortasse quis dicat, Si eo quod dictum est, *Congregatur aqua*, intelligimus aquam esse factam ex illa confusione materiæ, hanc autem congregationem mare appellavit Deus; quomodo ibi possumus hunc aerem intelligere factum, quod mare non dicitur, etiam si aqua dici potest? Quamobrem mihi videtur in eo quod dictum est, *appareat arida*, non solum speciem terræ, sed etiam hujus aeris crassioris esse insinuatam. Per hunc enim terra illuminatur, ut perspicua nobis sit. In uno ergo verbo, quo dictum est, *appareat*, intimata sunt omnia sine quibus apparere non possit; id est et species ejus, et nudatio ab aquis, et aeris superfusio, per quem in ea lumen a superiore mundi parte transmittitur. An potius in eo quod scriptum est, *Congregatur aqua*, species hujus aeris commendatur, quia cum iste aer condensatur, hanc aquam videtur efficere? Coactionem itaque in densitatem, congregationem aquæ fortasse appellavit, ut mare fieret; ut id quod non congregatum, id est non spissatum superfertur, aqua sit, quæ aves volantes possit sustinere, utrique nomini accommodata, ut vocari possit et aqua subtilior, et aer crassior. Sed quando queritur cur sit iste factus, non dicitur. An forte verum est, quod quidam volunt, humidis exhalationibus maris et terræ has auras effici ita crassiores aere illo superiore ac liquido, ut gestandis volatilibus avium sint accommodatæ; ita porro teneriores iis aquis, quibus corpus abluitur, ut earum comparatione sicce atque aeris sentiantur? Et quia de terra et mari jam dictum erat, quid opus erat dicere de exhalationibus earum, id est ab aquis avium, cum illum aerem purissimum et tranquillissimum fir-

mamento attributum intellexeris

47. Nam neque de fontibus et fluminibus dictum est quomodo facta sint. Qui enim scrupulosius ista quaerunt et disserunt, aethereo superlapsu de mari dulcem invisibiliter dicunt extrahi vaporem, his videlicet ascensionibus quas nullo modo sentire possumus : inde conglobari nubes ; atque ita terram imbribus madefactam antris occultioribus instillare atque insudare tantum, quantum coactum et per diversos tramites lapsum erumpat in fontes, sive parvos, sive gignendis fluminibus idoneos. Cujus rei documenta esse volunt, quod marinarum aquarum decoctarum vapor sinuato cooperculo exceptus, humorem dulcem gustantibus exhibet. Et omnibus fere manifestum est diminutos fontes inopiam sentire pluviarum. Attestatur et divina historia, cum Elias tempore ariditatis imorem posceret : jussit enim, cum ipse oraret, ut puer suus ad mare attenderet ; unde cum vidcret oriri perparvam nubeculam, pluviam Regi<sup>1</sup> sollicito adesse nuntiavit, qua mox etiam fugiens irrigatus est (III Reg. xviii, 43, 44). Et David dicit : *Domine, qui advocas aquam maris, et effundis eam super faciem terrae* (Ex Amos v, 8, et ix, 6). Quapropter mari nominato, de aliis aquis superflue diceret, sive istis roriferis, quae tenuitate auras volantibus avibus praebent, sive fontium ac fluminum ; si et illae exhalationibus fiunt, et istae reciprocis imbribus, quos terra sorbet, emanant.

CAPUT XV. — 48. *Ejiciant aquae reptilia animalium vivarum. Cur additum est vivarum? An possunt esse animae, nisi vivant? An istam manifestiorem vitam commendare voluit, quae inest animalibus sentientibus, quoniam stirpes<sup>2</sup> ea carent? Et volatilia volantia super terram sub firmamento caeli.* Si volatilia non volant in illo purissimo aere, ubi nulla nubila oriuntur, hinc manifestum est ad firmamentum eum pertinere ; quia sub firmamento caeli dictum est volatilia volare super terram. *Et sic factum est.* Ordo ille servatur. Ideoque subjungitur sicut in caeteris, excepta luce, quae prior facta est.

49. *Et fecit Deus celos magnos, et omnem animam animalium repentium, quae ejecerunt aquae secundum genus eorum, et omne volatile pennatum secundum genus suum.* Meminerimus sane secundum suum genus, de iis creaturis dici, quae seminali propagine reparantur : nam de herbis jam hoc, et de arboribus dictum est. *Et omne volatile pennatum.* Cur additum est pennatum? An potest esse volatile quod pennas non habeat? sed si potest, numquid hoc genus fecit Deus ; quandoquidem non invenitur ubi sit factum? an omnino potest quidquam volare sine pennis? Nam et vespertilionis, et locustae, et muscae, et si quid hujusmodi est quod plumis careat, pennis non caret. Sed pennatum additum est, ne solas aves intelligeremus ; quoniam pisces pennati sunt, et super terram volant infra aquas : ideo non dictum est, aves ; sed, volantia generaliter et volatile pennatum. *Et vidit Deus*

quia bonum est. Et hic sicut in caeteris locis intelligendum.

50. *Benedixit ea, dicens : Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris ; et volatilia multiplicentur super terram.* Benedictionem ad fecunditatem valere voluit, quae in successione prolis apparet, ut ea benedictione, quia infirma et mortalia creata sunt, genus suum nascendo custodiant. Sed cum etiam stirpes nascondo teneant similitudinem praetereuntium, cur eas non benedixit? An quia sensu carent, qui rationi vicinus est? Non enim vacat fortasse, quod secunda persona utitur Deus in benedicendo, ut haec animantia compellet quodammodo tanquam audientia dicendo, *Crescite, et multiplicamini, et implete aquas maris ;* nec tamen in eadem persona usque ad finem benedictionis venit : sequitur enim, *Et volatilia multiplicentur super terram ;* non dixit, *Multiplicamini super terram.* Nisi forte hoc ipso significatur sensum animantium non adeo vicinum esse rationi, ut perfecte possit accipere compellantem, sicut quae intelligunt, atque uti ratione possunt.

51. *Et factum est sic.* Hic plane quis tardus jam evigilare debet, ut intelligat quales isti dies enumerantur. Cum enim certos seminum numeros Deus animantibus dederit, servantes miram certo ordine<sup>3</sup> constantiam, ut certo dierum numero, pro suo quoque genere, et concepta utero gerant, et edita ova calefaciant ; cujus naturae institutio Dei sapientia conservatur, quae tendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (Sap. viii, 1) : quomodo uno die potuerunt et concipere, et utero gravescere, et partu vaporare<sup>4</sup> atque nutrire, et implere aquas maris, et multiplicari super terram? Ita enim subjungitur, *Et sic factum est ;* ante vespere adventum. Sed nimirum cum dicit, *Facta est vespera ;* materiam informem commemorat : cum autem dicit, *Factum est mane ;* speciem, quae ipsa operatione impressa est materiae : mane<sup>5</sup> enim post operationem transactum diem concludit. Non tamen dixit Deus, *Fiat vespera,* vel, *fiat mane ;* commemoratio est enim rerum factarum brevissima, significatis per vesperam et mane materia et specie, quae utique Deum fecisse jam dictum erat : cum ipsum defectum tamen, id est cum de specie ad materiam et ad nihilum tenditur, si hoc noctis nomine recte insinuatam putamus, non dixerit factum, sed tamen ordinatum a Deo, cum ait superius, *Divisit Deus inter lucem et tenebras :* ut vespere vocabulo significetur informis materia, quae quamvis ex nihilo facta est, est<sup>6</sup> tamen et habet capacitatem specierum atque formarum. Accipi etiam potest tenebrarum nomine ipsum omnino nihilum, quod non fecit Deus, et unde fecit quaecumque facere pro sua ineffabili bonitate dignatus est, cum sit omnipotens, qui etiam de nihilo tanta fecit.

52. *Et facta est vespera, et factum est mane dies*

<sup>1</sup> Ms. Vatic., certa ordinatione.

<sup>2</sup> Editi, fovere. Mss. vaporare, id est calefacere, ut a;ua Ambr., lib. 4 Hex., capp. 3 et 5.

<sup>3</sup> Ms. Vatic., ita enim, ommissa voce, mane.

<sup>4</sup> Ms. Vatic., facta est tamen ; nec habetur secundo, est.

<sup>1</sup> Sic Ms. Vatic. Al editi, et sollicito.

<sup>2</sup> Sic Ms. Vatic. Al editi, stipites.



quintus. Ille postquam dixit, *Et sic factum est*, non subdidit siculi solet executionem, quasi iterum facta sint; jam enim superius dictum erat. Nec est benedictione, quæ ad gignendam prolem pertinet, aliqua nova natura fabricabatur; sed quæ facta erant per successionem, conservabantur. Et ideo nec illud dictum est, *Et vidit Deus quia bonum est*: jam enim res ipsa placuerat, quæ tantum servanda erat in fetibus. Nihil hic itaque repetitum est, nisi quod ait, *Et factum est sic*; statimque subjectum de vespera et mane: quibus nominatis, transacta opera de informi materia et specie quæ imponitur, significari dictum est. Nisi forte aliquid melius atque sublimius occurrit querentibus.

53. *Et dixit Deus, Ejiciat terra animam vivam secundum suum genus; quadrupedum, et serpentium, et bestiarum terræ secundum genus, et pecora secundum genus. Et factum est sic.* Cum dictum fuerit *animam*, cur additum sit *vivam*; et quid sit *secundum genus*; et de solita conclusione qua dicitur, *et factum est sic*, sicut superius tractatum est, considerata sunt. Cum autem in latina lingua nomine bestiarum omne irrationale animal generaliter significetur; hic tamen distinguendæ sunt species, ut quadrupedes accipiamus omnia jumenta; serpentes, omnia reptantia; bestias vel feras, omnia quadrupedia indomita; pecora vero, quadrupedia quæ non operando adjuvant, sed dant aliquem fructum pascentibus.

CAPUT XVI. — 54. *Et fecit Deus bestias terræ secundum genus, et pecora secundum genus, et omnia serpentia terræ secundum genus.* Hæc iteratio quod dictum est, *Et fecit Deus*, cum jam dictum esset, *Et factum est sic*; secundum superiorem regulam consideretur. Sane hic pecorum nomine omnia puto significata esse quadrupedia quæ sub cura hominum vivunt. *Et vidit Deus quia bonum est*: solite accipiendum.

55. *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Et hic animadvertenda quædam et conjunctio, et discretio animantium. Nam eodem die factum hominem dicit, quo bestias. Sunt enim simul omnia terrena animantia; et tamen propter excellentiam rationis, secundum quam ad imaginem Dei et similitudinem efficitur homo, separatim de illo dicitur, postquam de cæteris terrenis animantibus solite conclusum est, dicendo, *Et vidit Deus quia bonum est*.

56. Considerandum etiam illud, quod in cæteris non dixit Deus, *Faciamus*; ut hoc quoque modo voverit Spiritus sanctus humanæ naturæ insinuare præstantiam. Cui autem nunc dictum est, *Faciamus*, nisi cui dicebatur in cæteris, *Fiat*? Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* 1, 3). Sed quid putamus aliter dictum esse, *Fiat*, nisi ut ipse faceret jussu Patris; et aliter, *Faciamus*, nisi ut ambo pariter facerent? An omnia quæ facit Pater, per Filium facit, et ideo nunc *Faciamus* dictum est, ut ipsi homini, propter quem Scriptura ipsa facta est,

ita in seipso demonstraretur ea quæ Filius dicente Patre facit, etiam ipsum Patrem facere; ut quod in cæteris dicebatur, *Fiat, et factum est*, hic exponatur, non separatim fuisse dictionem et separatim effectivam, sed utrumque simul, cum hic dicitur, *Faciamus*?

57. *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Omnis imago similis est ei cujus imago est; nec tamen omne quod simile est alicui, etiam imago est ejus: sicut in speculo et pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt; tamen si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest. Imago enim tunc est, cum de aliquo exprimitur. Cur ergo, cum dictum esset, *ad imaginem*, additum est, *et similitudinem*; quasi possit esse imago dissimilis? Sufficeret ergo *ad imaginem* dicere. An aliud est simile, aliud similitudo; sicut aliud est castus, aliud castitas; aliud fortis, aliud fortitudo: ut quemadmodum quæcumque sunt fortia, fortitudine sunt fortia; et quæcumque sunt casta, castitate sunt casta: ita quæcumque sunt similia, similitudine sint similia? Non autem imago nostra satis proprie dicitur similitudo nostra esse, cum tamen proprie dicatur similis nobis esse: ut ibi sit ea similitudo, qua similia sunt quæcumque similia, ubi est et castitas, qua casta sunt quæcumque sunt casta. Castitas autem nullius participatione casta est, sed ejus participatione sunt casta quæcumque casta sunt. Quæ utique in Deo est, ubi est etiam illa sapientia, quæ non participando sapiens est, sed cujus participatione sapiens est anima quæcumque sapiens est. Quapropter etiam similitudo Dei, per quam facta sunt omnia, proprie dicitur similitudo; quia non participatione alicujus similitudinis similis est, sed ipsa est prima similitudo, cujus participatione similia sunt, quæcumque per illam fecit Deus.

58. Expositio ergo fortasse est, quod additum est *ad similitudinem*, cum jam dictum esset, *ad imaginem*; ut ostenderetur eam quæ imago dicta est, non ita similem esse Deo, quasi alicujus similitudinis participantem, sed hanc ipsam esse similitudinem, cujus participarent omnia quæ dicuntur esse similia. Sicut ipsa est et castitas, cujus participatione castæ sunt animæ; et sapientia, cujus participatione sapientes sunt animæ; et pulchritudo, cujus participatione pulchra sunt quæcumque pulchra sunt. Si enim tantum similitudinem diceret, non significaret ab ipso esse genitam: si autem tantummodo imaginem diceret, significaret ab ipso quidem genitam, sed non significaret ita similem, ut non tantum similis, sed ipsa similitudo esset. Ut autem nihil castius ipsa castitate, et nihil sapientius ipsa sapientia, et nihil pulchrius ipsa pulchritudine; ita nihil similis ipsa similitudine dici, aut cogitari, aut esse omnino potest. Unde inteligitur, et Patri esse similem similitudinem suam, ut ejus naturam plenissime perfectissimeque impleat.

59. Quantum autem ad speciem rebus imponendam valeat Dei similitudo, per quam facta sunt omnia, quanquam humanas cogitationes altissime superet,

licet tamen utcumque arbitrari; si consideremus omnem naturam, sive quæ sentientibus, sive quæ ratiocinantibus occurrit, similibus inter se partibus servare unitatis <sup>1</sup> effigiem. Nam ex sapientia Dei sapientes vocantur animæ rationales, et ulterius hoc nomen non porrigitur: nam neque ulla pecora, et multo minus arbores, aut ignem, vel aerem, vel aquam, vel terram sapientem possumus dicere, quanquam per ipsam Dei sapientiam sint etiam omnia hæc in quantum sunt. At vero similes inter se et lapides dicimus, et animalia, et homines, et Angelos. Jam vero in singulis rebus, et terram, eo quod similes inter se habeat partes suas, fieri ut terra sit; et aquam qualibet quoque parte similem esse cæteris partibus, nec aliter aquam esse potuisse; et quantumlibet aeris, si cætero esset dissimile, nullo pacto aerem esse potuisse; et ignis lucisve particulam, eo quod non sit dissimilis reliquis partibus, fieri ut sit quod est <sup>2</sup>: ita de unoquoque lapidem vel arborum vel corpore cujuslibet animantis discerni et intelligi potest, quod non solum cum aliis sui generis rebus, sed in seipsis singulis non essent, nisi partes inter se similes haberent. Et tanto est pulchrius corpus, quanto similioribus inter se partibus suis constat. Jam porro animarum, non solum aliarum cum aliis amicitia similibus <sup>3</sup> moribus consistit; sed etiam in unaquaque anima similes actiones atque virtutes, sine quibus constantia esse non potest, beatam vitam indicant. Similia vero omnia hæc, non autem ipsam similitudinem possumus dicere. Quapropter, si rebus inter se similibus universitas constat, ut singulæ sint quidquid sunt, et omnes ipsam universitatem compleant, quam Deus et condidit et gubernat; per similitudinem ejus profecto, qui condidit omnia, supereminentem atque incommutabilem et incontaminabilem <sup>4</sup> talia facta sunt, ut similibus inter se partibus pulchra sint, ad ipsam tamen similitudinem omnia non facta sint, sed sola substantia rationalis: quare omnia per ipsam, sed ad ipsam non nisi anima <sup>5</sup>.

60. Rationalis itaque substantia et per ipsam facta est, et ad ipsam: non enim est ulla natura interposita. Quandoquidem mens humana (quod non sentit, nisi cum purissima et beatissima est) nulli coheret nisi ipsi veritati, quæ similitudo et imago Patris et sapientia dicitur. Recte igitur secundum hoc quod ulterius et principale hominis est, id est secundum mentem, accipitur, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Ex illo enim quod in homine principatum tenet, quod cum disjungit a belluis, totus est homo æstinandus. Cætera in eo quanquam in suo genere pulchra sint, tamen cum pecoribus communia sunt, ac per hoc in homine parvipendenda. Nisi forte quod ad intinendum caelum figura humani corporis erecta est, valet aliquid etiam ut corpus ipsum

ad similitudinem Dei factum credatur; ut quemadmodum a Patre illa similitudo non avertitur, ita corpus humanum a cælo non sit aversum, sicut aliorum corpora animalium aversa sunt, quia prona in alvum prosternuntur. Sed tamen hoc non omni modo accipiendum est: nam corpus nostrum a cælo plurimum differt; in illa vero similitudine, quæ Filius est, non potest quidquam esse dissimile illi cui similis est. Quoniam similia quæcumque alia sunt, inter se etiam dissimilia ex aliqua parte sunt: ipsa vero similitudo non est aliqua ex parte dissimilis. Pater tamen Pater est, nec Filius aliud est quam Filius: quia et cum dicitur similitudo Patris, quanquam ostendat nullam intervenire dissimilitudinem, non tamen solus est Pater, si habet <sup>6</sup> similitudinem (a).

61. *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Satis quidem quæ superius dicta sunt, secundum id exponunt hæc verba Scripturæ, in quibus legimus dixisse Deum, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, ut similitudo Dei ad quam factus est homo, ipsum Dei Verbum, hoc est unigenitus Filius accipi possit: non utique ut ipse sit eadem imago et similitudo æqualis Patri. Est tamen et homo imago Dei, sicut apertissime ostendit Apostolus dicens: *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei* (I Cor. xi, 7). Sed hæc imago ad imaginem Dei facta, non est æqualis et cœterna illi cujus imago est; nec esset, etiam nunquam omnino peccasset. Ille autem sensus est potius in his divinis verbis eligendus, ut ideo non dictum intelligamus singulariter, sed pluraliter, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*; quia non ad solius Patris, aut solius Filii, aut solius Spiritus sancti, sed ad ipsius Trinitatis imaginem factus est homo. Quæ Trinitas ita est Trinitas, ut unus Deus sit; ita est unus Deus, ut Trinitas sit. Non enim ait Filio loquens, *Faciamus hominem ad imaginem tuam*; aut, *ad imaginem meam*: sed pluraliter ait, *ad imaginem et similitudinem nostram*: a qua pluralitate Spiritum sanctum separare quis audeat? Quæ pluralitas, quoniam non tres dii, sed unus est Deus, ideo intelligendum est postea Scripturam singulariter intulisse, atque dixisse, *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei*; ut non sic accipiatur, tanquam Deus Pater ad imaginem Dei, hoc est Filii sui: alioquin quomodo verum est, quod dictum est, *ad imaginem nostram*, si ad Filii solius imaginem factus est homo? Ac per hoc quia verum est quod ait Deus, *ad imaginem nostram*; ita dictum est, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei*, tanquam diceretur ad imaginem suam, quod est ipsa Trinitas.

62. Nonnulli autem putant ideo non repetitam similitudinem, neque dictum, *Et fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem Dei*, quia tunc tantummodo ad imaginem factus est; similitudoque autem illi

<sup>1</sup> Ms. Vatic., *universitatis*.

<sup>2</sup> Editi, *quod non est*. Abest non a Ms. Vatic.

<sup>3</sup> Ms. Vatic., *quæ similibus*.

<sup>4</sup> Sic Ms. Vatic. At excusi habent: *Qua condidit omnia supereminenter, atque incommutabiliter, et incontaminabiliter*.

<sup>5</sup> Ms. Vatic., *sed ad ipsam non omnia*.

<sup>6</sup> Editi, *sed habet*. At Ms. Vatic. alique in I *Retract.*, cap. 18, *si habet*.

(a) Reliquum adjecit Augustinus multis post annis, cum retractationum libros ederet, ex I *Retract.*, cap. 18.

postea servabatur in resurrectione mortuorum : quasi possit esse imago aliqua, in qua similitudo non sit. Si enim omnino similis non est, procul dubio nec imago est. Veruntamen ut non sola ratione id agere

videamur, et auctoritas Jacobi apostoli adhibenda est, qui cum de lingua hominis loqueretur, ait : *In ipsa benedicimus Deum, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt (Jacobi III, 9).*

## ADMONITIO IN SUBSEQUENTES LIBROS.

Ecce jam tertiam in Genesim, vel quartam expositionem Augustini. Huic tractando sive tuendo contra Manichæos libro, recenti adhuc tempore conversionis suæ manum admoverat : sed in difficilioribus quibusque locis allegoricum sensum subjecisse contentus, prætermiserat litteralem ; quem postea presbyter perscrutari aggressus, cum vires suas huic labori impares comperisset, opus imperfectum reliquit. Hinc sub annum quadringentesimum idem argumentum tractandum recepit episcopus : prius quidem secundum allegoriam in postremis tribus Confessionum libris ; deinde vero ad litteram hoc in opere, deque ea re subsequentes duodecim libros confecit.

In iis historiam Geneseos ab exordio ad eum usque versiculum quo Adamus de Paradiso dimissus fuit, eaerrans, non præterit ullum apicem, nihil quod non omni ratione verset penitusque rimetur, nisi quod mysteria figurarum involucris obiecta explicare nequaquam studet : quippe qui nunc operæ pretium in eo totum reponat, uti demonstret nihil Genesim historia contineri, quod ad litteram verum esse non possit, nihil quod rationi aut naturæ rerum adversetur ; ac si quid veluti superfluum et incongruum appareat, id mysticum credi oportere altiusque referri. Quædam autem obiter in libro secundo, adversus Genethliacos ; in libro quarto, de senarii numeri perfectione ; in libro quinto, de scientia et providentia Dei ; in libro sexto, de Adami corpore ; in libro septimo, de anima, de qua rursus in libro decimo. Tum de casu angelorum, in libro undecimo ; de Paradiso et de multiplici visionum genere in libro duodecimo, deque aliis rebus passim agit, ea quæ certa sunt asserens et defendens, de incertis quæstiones et dubia movens. Opus impendio laudat Cassiodorus senator, in libro primo Institutionum, capite primo ; Basilique et Ambrosii in Genesim commentariis longe sublimius ducit.

Hisce libris in Retractationibus post opuscula quædam sub annum quadringentesimum elaborata locum dedit Augustinus, ordine, ut ait, quo eos cœpit, non quo perfecit. Nam illos quamvis efflagitent amici, diu tamen apud se retinuit, ut ad limam identidem revocaret, ex epistola centesima quadragesima tertia, ad Marcellinum, versus finem anni quadringentesimi duodecimi data. Duodecimum librum citat in epistola centesima quinquagesima nona, ad Evodium, quam anno circiter quadringentesimo decimo quarto adscripsimus, ibique se totius operis emendationem, quo illud quam primum publici juris faciat, maturare significat : nondum tamen ediderat cum alteram ad Evodium, scilicet epistolam centesimam sexagesimam secundam scripsit, uti testatur numero secundo.

*Vide lib. 2, cap. 24, Retractationum, col. 640, a verbis, Per idem tempus de Genesi, usque ad verba, Bipartita est. M.*

# S. AURELII AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI DE GENESI AD LITTERAM LIBRI DUODECIM <sup>(a)</sup>. LIBER PRIMUS.

Expenditur initium Geneseos, cap. 1, vers. 1 : *In principio fecit Deus cælum et terram : usque ad vers. 5 : Et vocavit Deus lucem diem, etc.*

CAPUT PRIMUM. — *In Scriptura quid considerandum.* id quod Dominus significavit, dicens, scribam eruditum in regno Dei similem esse patrifamilias proferentem.  
1. Omnis divina Scriptura bipartita est, secundum

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Hos libros cum viginti sex Mss. contulimus, scilicet cum vaticanis tribus, PP. Augustinianorum majoris conventus Parisiensis duobus, Navarrici Collegii et Thuanæ bibliothecæ totidem, cum uno e bibliotheca Laudunensis Ecclesiæ, uno Abbatie S. Martini de Campis apud Parisios, cum Sorbonico, Colbertino, Bigotiano, Cisterciensi, Albinensi, Audoenensi, Culturensi, Gemmeticensi, Germanensi, Lyrensi, Michaelino, Remigiano, Theodericensi, Vindocinensi, et uno Abbatie B. Mariæ de Josaphat Carnutensis. Consulimus insuper variantes lectiones Belgicorum sex codicum per Lovanienses Theologos excerptas : necnon antiquiores editiones Am. Er. et Lov.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initi) Retr. et Confess., t. 1, memoratas. M.*

(a) Inchoati circiter annum 101, absoluti sub annum 113.

de thesauro suo nova et vetera (*Matth. xiii, 52*), quæ duo etiam Testamenta dicuntur. In Libris autem omnibus sanctis intueri oportet quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuntientur, quæ agenda præcipiantur vel moneantur. In narratione ergo rerum factarum queritur utrum omnia secundum figuratum<sup>1</sup> tantummodo intellectum accipiuntur, an etiam secundum fidem rerum gestarum asserenda et defendenda sint. Nam non esse accipienda figuratiter, nullus christianus dicere audebit, attendens Apostolum dicentem, *Omnia autem hæc in figura contingebant illis* (*I Cor. x, 11*): et illud quod in Genesi scriptum est, *Et erunt duo in carne una* (*Gen. ii, 24*), magnum sacramentum commendantem in Christo et in Ecclesia (*Ephes. v, 52*).

2. Si ergo utroque modo illa Scriptura scrutanda est, queramus quomodo dictum est præter allegoricam significationem, *In principio fecit Deus cælum et terram*: utrum in principio temporis; an quia primo omnium facta sint; an in principio, quod est Verbum Dei unigenitus Filius. Et quomodo possit ostendi Deum sine ulla sui commutatione operari mutabilia et temporalia. Et quid significetur nomine cæli et terræ; utrum spiritualis corporalisque creatura cæli et terræ vocabulum acceperit, an tantummodo corporalis: ut in hoc libro de spirituali tacuisse intelligatur, atque ita dixisse cælum et terram, ut omnem creaturam corpoream superiorem atque inferiorem significare voluerit. An utriusque informis materia dicta est cælum et terra: spiritualis videlicet vita, sicut esse potest in se, non conversa ad Creatorem; tall enim conversione formatur atque perficitur; si autem non convertatur, informis est: corporalis autem si possit intelligi per privationem omnis corporeæ qualitatis, quæ apparet in materia formata, cum jam sunt species corporum, sive visu, sive alio quolibet sensu corporis perceptibiles.

3. An cælum intelligendum est creatura spiritualis, ab exordio quo facta est, perfecta illa et beata semper: terra vero, corporalis materies adhuc imperfecta; quia *terra*, inquit, *erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum*; quibus verbis videtur informitatem significare substantiæ corporalis? An utriusque informitas his etiam posterioribus verbis significatur: corporalis quidem eo quod dictum est, *Terra erat invisibilis et incomposita*: spiritualis autem eo quod dictum est, *Tenebræ erant super abyssum*; ut translato verbo tenebrosam abyssum intelligamus naturam vitæ informem, nisi convertatur ad Creatorem: quo solo modo formari potest, ut non sit abyssus; et illuminari, ut non sit tenebræ? Et quomodo dictum est, *Tenebræ erant super abyssum*? an quia non erat lux? quæ si esset, utique superesset, et tanquam superfunderetur: quod tunc sit in creatura spirituali, cum convertitur ad incommutabile atque incorporale<sup>2</sup> lumen, quod Deus est.

<sup>1</sup> Editt, *figuratum*. At Mss. vix ullo excepto, *figurarum*.

<sup>2</sup> Sic Mss. aliquot optimæ notæ. At editti, *incomprabile*.

CAPUT II. — *Quomodo dixit Deus, Fiat lux; an per creaturam, an per æternum Verbum.*

4. Et quomodo dixit Deus, *Fiat lux*? utrum temporaliter, an in Verbi æternitate? Et si temporaliter, utique mutabiliter; quomodo ergo possit intelligi hoc dicere Deus, nisi per creaturam; ipse quippe est incommutabilis? Et si per creaturam dixit Deus, *Fiat lux*; quomodo est prima creatura lux, si erat jam creatura, per quam Deus diceret, *Fiat lux*? An non est lux prima creatura; quia jam dictum erat, *In principio fecit Deus cælum et terram*; et poterat per cælestem creaturam vox fieri temporaliter atque mutabiliter, qua diceretur, *Fiat lux*? Quod si ita est, corporalis lux facta est ista, quam corporeis oculis cernimus, dicente Deo per creaturam spiritualement, quam Deus jam fecerat, cum in principio fecit Deus cælum et terram, *Fiat lux*; eo modo quo per talis creaturæ interiorem et occultum motum divinitus dici potuit, *Fiat lux*.

5. An etiam corporaliter sonuit vox dicentis Dei, *Fiat lux*; sicut corporaliter sonuit vox dicentis Dei, *Tu es Filius meus dilectus* (*Matth. iii, 17*): et hoc per creaturam corporealem, quam fecerat Deus, cum in principio fecit cælum et terram, antequam fieret lux, quæ in hac sonante voce facta est? Et si ita est, qua lingua sonuit ista vox, dicente Deo, *Fiat lux*; quia nondum erat linguarum diversitas, quæ postea facta est in adificatione turris post diluvium (*Gen. xi, 7*)? Quænam lingua erat una et sola, qua Deus locutus est, *Fiat lux*? et quis erat quem oportebat audire, atque intelligere, ad quem vox hujusmodi proferretur? An hæc absurda carnalisque cogitatio est atque suspicio?

6. Quid ergo dicemus? An id quod intelligitur in sono vocis, cum dicitur, *Fiat lux*, non autem ipse corporeus sonus, hoc bene accipitur esse vox Dei? et utrum hoc ipsum ad naturam pertineat Verbi ejus, de quo dicitur, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*? Cum enim de illo dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan. i, 1, 3*); satis ostenditur et lux per ipsum facta, cum dixit Deus, *Fiat lux*. Quod si ita est, æternum est quod dixit Deus, *Fiat lux*; quia Verbum Dei Deus apud Deum, Filius unicus Dei, Patri coæternus est: quamvis Deo hoc in æterno Verbo dicente creatura temporalis facta sit. Cum enim verba sint temporis, cum dicimus, Quando, et aliquando; æternum tamen est in Verbo Dei, quando fieri aliquid debeat: et tunc sit quando fieri debuisse in illo Verbo est, in quo non est quando et aliquando, quoniam totum illud Verbum æternum est.

CAPUT III. — *Quid sit lux illa. Cur non dictum, Fiat cælum, etc., sicut, Fiat lux. Responsio prima.*

7. Et quid est lux ipsa quæ facta est? utrum spirituale quid, an corporale? Si enim spirituale, potest ipsa esse prima creatura, jam hoc dicto perfecta, quæ primo cælum appellata est, cum dictum est, *In principio fecit Deus cælum et terram*: ut quod dixit Deus, *Fiat lux*; et facta est lux, eam revocante ad se Creatore,

conversio ejus facta atque illuminata intelligatur.

8. Et cur ita dictum est, *In principio fecit Deus cælum et terram*; et non dictum est, *In principio dixit Deus, Fiat cælum et terra*; et facta sunt cælum et terra: sicut de luce narratur, *Dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux*? Utrum prius universaliter nomine cæli et terræ comprehendendum erat et commendandum quod fecit Deus; et deinde per partes exsequendum, quomodo fecit, cum per singula dicitur, *Dixit Deus*; id est, quia per Verbum suum fecit, quidquid fecit?

CAPUT IV. — *Altera responsio ad superiorem questionem.*

9. An cum primum fiebat informitas materiæ sive spiritualis sive corporalis, non erat dicendum, *Dixit Deus, Fiat*; quia formam Verbi semper Patri coherentis, quo sempiternæ dicit Deus omnia, neque sono vocis neque cogitatione tempora sonorum volvente, sed coæterna sibi luce a se genitæ Sapientiæ, non imitatur imperfecto, cum dissimilis ab eo quod summe ac primitus est, informitate quadam tendit ad nihilum; sed tunc imitatur Verbi formam, semper atque incommutabiliter Patri coherentem, cum et ipsa pro sui generis conversione ad id quod vere ac semper est, id est ad creatorem suæ substantiæ, formam capit, et fit perfecta creatura: ut in eo quod Scriptura narrat, *Dixit Deus, Fiat*, intelligamus Dei dictum incorporeum in natura Verbi ejus coæterni revocantis ad se imperfectionem creaturæ, ut non sit informis, sed formetur secundum singula quæ per ordinem exsequitur? In qua conversione et formatione, quia pro suo modo imitatur Deum Verbum, hoc est Dei Filium semper Patri coherentem, plena similitudine et essentia pari, quia ipse et Pater unum sunt (*Joan. x, 30*); non autem imitatur hanc Verbi formam, si aversa a Creatore, informis et imperfecta remaneat: propterea Filii commemoratio non ita fit quia Verbum, sed tantum quia principium est, cum dicitur, *In principio fecit Deus cælum et terram*; exordium quippe creaturæ insinuat adhuc in informitate imperfectionis: fit autem Filii commemoratio, quod etiam Verbum est, eo quod scriptum est, *Dixit Deus, Fiat*; ut per id quod principium est, insinuet exordium creaturæ existentis ab illo adhuc imperfectæ; per id autem quod Verbum est, insinuet perfectionem creaturæ revocata ad eum, ut formaretur inhærendo Creatori, et pro suo genere imitando formam sempiternæ atque incommutabiliter inhærentem Patri, a quo statim hoc est quod ille.

CAPUT V. — *Informem esse creaturam intellectualem, nisi perficiatur conversa ad divinum Verbum. Spiritus sanctus cur super aquam ferri dictus est antequam narraretur dixisse Deum, Fiat lux.*

10. Non enim habet informem vitam Verbum Filium, cui non solum hoc est esse quod vivere, sed etiam hoc est vivere, quod est sapienter ac beate vivere. Creatura vero, quanquam spiritualis et intellectualis vel rationalis, quæ videtur esse illi

<sup>9</sup> In prius editis, sed etiam. In Mss., sed tantum.

Verbo propinquior, potest habere informem vitam; quia non sicut hoc est ei esse quod vivere, ita hoc est vivere quod sapienter ac beate vivere. Aversa enim a Sapientia incommutabili, stulte ac misere vivit, quæ informitas ejus est. Formatur autem conversa ad incommutabile lumen Sapientiæ, Verbum Dei. A quæ enim existit ut sit utcumque ac vivat, ac illum convertitur ut sapienter ac beate vivat. Principium quippe creaturæ intellectualis est æterna Sapientia; quod principium manens in se incommutabiliter, nullo modo cessat<sup>9</sup> occulta inspiratione vocationis loqui et creaturæ cui principium est, ut convertatur ad id ex quo est, quod aliter formata ac perfecta esse non possit. Ideoque interrogatus quis esset, respondit: *Principium, quia et loquor vobis* (*Joan. viii, 25*).

11. Quod autem Filius loquitur, Pater loquitur, quia Patre loquente dicitur Verbum, quod Filius est, æterno more, si more dicendum est, loquente Deo Verbum coæternum (*a*). I:est enim Deo benignitas summa, et sancta et justa; et quidem<sup>9</sup> non ex indigentia, sed ex beneficentia veniens amor in opera sua. Propterea priusquam scriberetur, *Dixit Deus, Fiat lux*; præcæsit Scriptura dicens, *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam*. Quia sive aquæ nomine appellare voluit totam corporalem materiam, ut eo modo insinuat unde facta et formata sint omnia, quæ in suis generibus jam dignoscere possumus, appellans aquam, quia ex humida natura videmus omnia in terra per species varias formari atque concrecere; sive spiritualement vitam quamdam ante formam conversionis quasi fluitantem: superferebatur utique Spiritus Dei; quia subiacebat scilicet bonæ voluntati Creatoris, quidquid illud erat quod formandum perficiendumque inchoaverat: ut dicente Deo in Verbo suo, *Fiat lux*; in bona voluntate, hoc est in beneplacito ejus pro modulo sui generis maneret quod factum est; et ideo rectum est<sup>9</sup>, quod placuerit Deo, Scriptura dicente, *Et facta est lux; et vidit Deus lucem quia bona est*.

CAPUT VI. — *Trinitas insinuata cum in inchoatione, tum in perfectione creaturæ.*

12. Ut quemadmodum in ipso exordio inchoatæ creaturæ, quæ cæli et terræ nomine, propter id quod de illa perficiendum erat, commemorata est, Trinitas

<sup>1</sup> Editi: *Quia sicut non hoc est ei esse quod vivere, ita nec hoc vivere quod, etc.* At Mss. magno consensu ferunt: *Non sicut hoc est ei esse quod vivere, ita hoc vivere, etc.* Et verius in Augustini doctrina, qui in lib. de immortalitate animæ, cap. 8, n. 15, animum nisi vivat esse non posse dicit; moxque cap. 9: «Nulla res, inquit, seipsa caret. Est autem animus vita quædam.»

<sup>2</sup> Sic Lov. At Am. et Er., *cessabit*. Mss. decem, *cessabat*. Colbertinus codex aliique duodecim melioris notæ, *cessaret*. Et consequenter omnes prope Mss. sic proseguuntur: *Ut converteretur ad id ex quo esset, quod aliter... esse non possit.*

<sup>3</sup> L. v., *quidam*. At Mss. prope omnes, *quidem*.

<sup>4</sup> Mss. sex, *et ideo lectum est*. Vindocinensis codex, *et ideo dictum est*. At cæteri Mss. et editi hic et in libro ad Dulcit. habent, *rectum est*. Paulo post in editis caput 6 incipiebat, *Et quemadmodum*; atque infra legebatur, *ita et in conversione... insinuat*; quibus locis sequimur Mss.

(a) Quæ sequuntur, usque ad finem cap. 7, translata sunt in librum de octo Dulciti Questionibus, recens. ad præst. 8, pp. 2 et 5.

insinuat Creatoris (nam dicente Scriptura, *In principio fecit Deus cælum et terram*; intelligimus Patrem in Dei nomine, et Filium in principii nomine, qui non Patri, sed per seipsum creatæ primitus ac potissimum spirituali creaturæ, et consequenter etiam univærsæ creaturæ principium est: dicente autem Scriptura, *Et Spiritus Dei ferebatur super aquam*, completam commemorationem Trinitatis agnoscimus); ita et in conversione atque perfectione creaturæ, ut rerum species digerantur, eadem Trinitas insinuetur: Verbum Dei scilicet, et Verbi generator, cum dicitur, *Dixit Deus*; et sancta bonitas, in qua Deo placet quidquid ei pro suæ naturæ modulo perfectum placet, cum dicitur, *Vidit Deus quia bonum est*.

CAPUT VII. — *Spiritus Dei cur dictus est superferri super aquam.*

13. Sed cur commemorata prius quamvis imperfecta creatura, postea commemoratur Spiritus Dei, prius dicente Scriptura, *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum*<sup>1</sup>; ac deinde inferente, *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam*? An quoniam egenus atque indigus amor ita diligit, ut rebus quas diligit, subjiciatur; propterea cum commemoraretur Spiritus Dei, in quo sancta ejus benevolentia dilectioque intelligitur, superferri dictus est, ne faciendæ opera sua per indigentiam necessitatem potius quam per abundantiam beneficentiæ Deus antare putaretur? Cujus rei memor Apostolus dicturus de charitate, super eminentem viam demonstraturum se ait (I Cor. xii, 31): et in alio loco, *Supereminentem*, inquit, *scientiæ charitatis Christi* (Ephes. iii, 19). Cum ergo sic oporteret insinuari Spiritum Dei, ut superferri diceretur, commodius factum est ut prius insinuaretur aliquid inchoatum, cui superferri diceretur; non enim loco, sed omnia superante ac præcellente potentia.

CAPUT VIII. — *Dei amor in creaturas præstat eis ut sint, et ut maneant.*

14. Ita etiam rebus ex illa inchoatione perfectis atque formatis, *vidit Deus quia bonum est*: placuit enim quod factum est, in ea benignitate qua placuit ut fieret. Duo quippe sunt propter quæ amat Deus creaturam suam; ut sit, et ut maneat. Ut esset ergo quod maneret, *Spiritus Dei superferebatur super aquam*; ut autem maneret, *Vidit Deus quia bonum est*. Et quod de luce dictum est, hoc de omnibus. Manent enim quædam supergressa omnem temporalem volubilitatem in amplissima sanctitate sub Deo; quædam vero secundum sui temporis modos, dum per decessionem successionemque rerum sæculorum pulchritudo contextitur.

CAPUT IX. — *Utrum in tempore dictum sit, Fiat lux, an sine tempore.*

15. Quod ergo dixit Deus, *Fiat lux*; et facta est lux, in aliquo die dixit, an ante omnem diem? Si enim Verbo sibi coæterno dixit, hoc utique intempo-

raliter dixit: si vero temporaliter dixit, non Verbo sibi coæterno, sed per aliquam dixit creaturam temporalem; ac per hoc non erit prima creatura lux, quia jam erat per quam temporaliter diceretur, *Fiat lux*. Atque illud ante omnem diem fecisse intelligitur, quod dictum est, *In principio fecit Deus cælum et terram*; ut cæli nomine intelligatur spiritualis jam facta et formata creatura, tanquam cælum cæli hujus, quod in corporibus summum est. Secundo enim die factum est firmamentum, quod rursus cælum appellavit. Terræ autem nomine invisibilis et incompositæ, ac tenebrosa abyssu, imperfectio corporalis substantiæ significata est, unde temporalia illa fierent, quorum prima esset lux.

16. Quomodo autem per creaturam, quam fecit ante tempora, dici potuit temporaliter, *Fiat lux*, invenire difficile est. Sono enim vocis non intelligimus dictum: nam quidquid tale est, corporeum est. An ex illa imperfectione substantiæ corporalis fecit aliquam vocem corpoream, per quam sonaret, *Fiat lux*? Ergo aliquod vocale corpus ante lucem creatum atque formatum est. Sed si ita est, jam erat tempus, per quod vox curreret, sonorumque spatia sibi succedentia<sup>1</sup> præterirent. Quod si jam erat tempus antequam fieret lux, in quo tempore fieret vox quæ resonaret, *Fiat lux*; ad quem diem pertinebat illud tempus? Unus enim dies, idemque primus ille numerari incipit, quo facta est lux. An ad ipsum diem pertinet totum spatium temporis, et quo factum est vocale corpus, per quod sonaret, *Fiat lux*, et quo facta est ipsa lux? Sed omnis talis vox propter audientis corporalem sensum a loquente profertur; ita enim factus est, ut percusso aere sentiat<sup>2</sup>. Numquid itaque talem habebat auditum illud quidquid erat invisibile et incompositum, cui sic Deus per-onaret ac diceret, *Fiat lux*? Abscedat itaque hæc ab animo cogitantis absurditas.

17. Utrum ergo spiritualis motus, sed tamen temporalis erat, quo dictum intelligimus, *Fiat lux*, expressus ab æterno Deo per Verbum coæternum in creatura spirituali, quam jam fecerat, cum dictum est, *In principio fecit Deus cælum et terram*, id est in illo cælo cæli? an et ista locutio non tantum sine aliquo sono, sed etiam sine ullo temporali motu spiritualis creaturæ, in ejus mente atque ratione fixa quodammodo a Verbo Patri coæterno, et quodammodo impressa intelligitur, secundum quam moveretur, et ad speciem converteretur inferior illa tenebrosa imperfectio naturæ corporea, et fieret lux? Sed multum est ac difficillimum capere quomodo dicatur, Deo non temporaliter jubente, neque id temporaliter audiente creatura, quæ contemplatione veritatis omnia tempora excedit, sed intellectualiter sibimet impressas ab incommutabili Dei Sapientia rationes, tanquam intelligibiles locutiones, in ea quæ infra sunt transmittente, fieri temporales motus in rebus temporalibus vel formandis vel administrandis. Si autem lux, quæ primus dicta est ut fiat, et facta est, etiam primatum creatura

<sup>1</sup> sic vna. juxta græc. LXX. At editi, *et tenebræ erant super faciem abyssi*.

<sup>2</sup> Editi, *sentiendo*. Mss., *faciendū*.

<sup>1</sup> Mss. plerique, *succedentium*.

<sup>2</sup> In vulgatis, *facta est ut percusso aere sentiat*. Sed verius in Mss., *factus est, ut... sentiat*, scilicet auditus.

teneri intelligenda est, ipsa est intellectualis vita; quæ nisi ad Creatorem illuminanda converteretur, fluitaret informiter. Cum autem conversa et illuminata est, factum est quod in Verbo Dei dictum est. *Fiat lux.*

CAPUT X. — *Quomodo dies unus peractus fuit, sive in creatione sive post creationem lucis. Primus explicandi modus improbat. Secundus dicendi modus difficultatibus implicatur.*

18. Verumtamen quemadmodum sine tempore dictum est, quia in Verbum Patri coæternum non cadit tempus; utrum ita etiam sine tempore factum sit, quisquam forsitan quærat. Sed quomodo potest hoc intelligi, cum facta luce et divisa a tenebris, et inditis dei noctisque vocabulis, dicat Scriptura, *Facta est vespera, et factum est mane dies unus?* Unde videtur illud opus Dei factum per spatium diei, quo peracto ad vesperam ventum est, quod est noctis initium. Itemque peracto nocturno spatio completus est totus dies, ut mane fieret in alterum diem, in quo die Deus aliud consequenter operaretur.

19. Imo vero idipsam permirabile est, cum Deus nullo spatio syllabarum æterna Verbi sui ratione dixerit, *Fiat lux*; cur tanta mora facta sit lux, donec diei spatium præteriret, et vespera fieret. An forte cito quidem lux facta est, sed mora diurni temporis in eo consumi potuit, cum discerneretur a tenebris, atque utrumque discretum suis vocabulis signaretur? Mirum si et hoc vel tanta mora fieri potuit a Deo, quanta dicitur a nobis. Discretio quippe lucis et tenebrarum in ipso utique opere, cum lux fieret, consecuta est: non enim lux esse potuit, nisi discerneretur a tenebris.

20. Quod autem vocavit Deus lucem diem, et tenebras noctem, quanta mora fieri poterat, etiam si hoc syllabatum per sonum vocis egisset, nisi quanta et a nobis dicitur, Lux vocetur dies, et tenebræ vocentur nox? nisi forte quis ita desipiat, ut quia super omnia magnus est Deus, putet ore Dei prolatas, quamvis paucissimas syllabas, per totum diei spatium potuisse distendi. Huc accedit, quia Verbo sibi coæterno, id est incommutabilis Sapientiæ internis æternisque rationibus, non corporali sono vocis, *vocavit Deus lucem diem, et tenebras noctem.* Rursum enim quæritur, si verbis quibus utimur vocavit, qua lingua vocaverit; et quid opus erat sonis transeuntibus, ubi cuiusquam non erat corporalis ullus auditus: et non invenitur.

21. An dicendum est, quod cum cito peractum esset hoc opus Dei, tamdiu stetit lux non succedente nocte, donec diurnum spatium perageretur; et tamdiu mansit nox succedens, donec spatium nocturni temporis præteriret, et mane fieret diei sequentis, uno primoque transacto? Sed si hoc dixerō, vereor ne deridear et ab iis qui certissime cognoverunt, et ab iis qui possunt facillime advertere quod eo tempore quo nox apud nos est, eas partes mundi præsentia lucis illustret, per quas sol ab occasu in ortum redit; ac per hoc omnibus viginti quatuor horis non deesse per circuitum gyri totius, alibi diem, alibi noctem. Numquidnam ergo in parte aliqua posituri sumus Deum

ubi ei vespera fieret, cum ab ea parte in aliam partem lux abscederet? Nam et in libro qui appellatur Ecclesiastes, ita scriptum est: *Et oritur sol, et occidit sol, et in locum suum ducitur*<sup>1</sup>; hoc est, in eum locum unde ortus est. Sequitur enim, et dicit: *Ipsa oriens illuc vadit ad austrum, et circumit ad aquilonem* (Eccle. 1, 5, 6). Australis ergo pars cum habet solem, nobis dies est: cum autem ad aquilonis partem circumiens pervenit, nobis nox est; non tamen in alia parte non est dies, ubi præsentia solis est: nisi forte poetis figmentis cor inclinandum est, ut credamus solem mari se immergere, atque inde lotum ex alia parte mane surgere. Quamquam si ita esset, abyscus ipsa præsentia solis illustraretur, atque ibi esset dies. Posset enim et aquas illuminare, quando ab eis non posset exstingui. Sed hoc monstruosum est suspicari. Quid quod etiam sol nondum erat?

22. Quapropter si spiritualis lux primo die facta est, numquidnam occidit, ut ei succederet nox? Si autem corporalis, quam illa lux est, quam post occasum solis videre non possumus, quia nec luna erat adhuc, nec aliqua stella? Aut si semper in ea parte cœli est, in qua sol, ut non sit solis lux, sed quasi comes eius, eidem ita conjuncta, ut discerni dignoscique non possit, ad eandem reditur difficultatem solvendæ hujus quæstionis: quia et ista lux eodem modo quo sol, tanquam comes ejus, ab occasu in ortum circumiens redit; et est in alia parte mundi, quo tempore pars ista in qua sumus, tenebreacit<sup>2</sup> in noctem. Ex quo cogit, quod absit, in una parte credere Deum fuisse, quam partem lux ista desereret, ut posset ei vespera fieri. An forte in ea parte lucem fecerat, in qua facturus erat hominem; et ideo cum ab ipsa parte lux discessisset, vespera facta dicitur, etiam cum in alia parte lux illa esset, quæ inde discesserat, mane exortura peracto circuitu?

CAPUT XI. — *De solis officio nova difficultas in superiore modo dicendi.*

23. Utquid ergo factus est sol in potestatem diei (Psal. cxxxv, 8), qui luceret super terram, si lux illa diei faciendo suffecerat, quæ dies etiam vocata est? An illa prior regiones superiores a terra longinquas illustrabat, ut sentiri non posset in terris; atque ita oportebat solem fieri, per quem dies inferioribus mundi partibus appareret? Potest et hoc dici, auctum esse fulgorem diei sole addito, ut per illam lucem minus fulgens dies quam nunc est, fuisse credatur. Etiam hoc a quodam dictum scio, primum naturam lucis inductam in opere Creatoris, cum dictum est, *Fiat lux, et factus est lux*; postea vero cum de luminaribus dicitur, quid ex ipsa luce factum sit fuisse commemoratum, ordine dierum, quo visum est Creatori cuncta esse faciendæ: qua natura lucis quo transierit facta vespera, ut vicissim nox perageretur, nec ille dixit, nec facile inveniri posse arbitror. Neque enim exstinctam esse credendum est, ut nocturnæ tenebræ

<sup>1</sup> Ms. Colbertinus tresque alii o-timæ notæ, *duc't.* Ita eundem locum refert Hieronymus, qui vulgatam editionem sui temporis se secutum testatur.

<sup>2</sup> Mss. constanter, *tenebrascū.*

zuccederent; et rursus accersam, ut mane fieret, antequam hoc solis officio gereretur; quod a quarto die cœpisse fieri, eadem Scriptura testatur.

CAPUT XII. — *Alia difficultas de successione trium dierum et noctium ante solis creationem. Congregatio aquarum quomodo facta.*

24. Quod antequam fieret, quo circuitu sibi potuerint tres dies noctesque succedere, lucis quæ primo facta est permanente natura, si lux corporalis tunc facta intelligenda est, et invenire et explicare difficile est. Nisi forte molem terrenam et aquosam, antequam esset ab alterutro utrumque discretum, quod tertio die factum scribitur, tenebras Deum appellasse quis dixerit, propter crassiorem corpulentiam, quam lux penetrare non poterat, vel propter obscurissimam umbram tantæ molis, quam necesse est ut ex altera parte habeat corpus, si ex aliqua parte lux fuerit. Ad quem locum enim cujuslibet corporis moles lucem pervenire non sinit, in eo loco umbra est: quoniam locus carens ea luce, qua illustraretur, nisi impediret corpus oppositum, hoc totum est quod umbra dicitur. Quæ si pro mole corporis tam magna fuerit, ut occupet spatium terræ, quantum ex altera parte dies occupat, nox vocatur. Neque enim omnes tenebræ nox. Nam et in speluncis amplis, in quarum abdita lux irrumpere per oppositam molem non sinitur, sunt utique tenebræ; quia lux non est ibi, totumque spatium illud locus est carens luce: nec tamen tales tenebræ acceperunt vocabulum noctis, sed illæ quæ in eam partem terræ succedunt, unde removetur dies. Sicut non omnis lux dies appellatur; nam et lunæ lux est, et siderum, et lucernarum, et coruscationum, et quarumque rerum ita fulgentium: sed illa lux appellatur dies, cui nox præcedenti recedentique succedit.

25. Sed si primaria lux illa undique terræ molem circumfusa contexerat, sive staret, sive circumiret, non erat ex qua parte admitteret noctem sibi succedere; quia nusquam ipsa discedebat, ut ei faceret locum. An ex una parte facta erat, ut ipsa circumiens, etiam noctem ex alia parte consequenter circumire permitteret? Cum enim totam terram adhuc aqua tegeret, nihil impediēbat ut aquosa et globosa<sup>1</sup> moles ex una parte faceret diem lucis præsentia, ex alia noctem lucis absentia, quæ in eam partem succederet a tempore vespertino, ex qua lux in aliam declinaret.

26. Quo ergo congregatæ sunt aquæ, si totam terram prius occupaverant? illæ scilicet quæ detractæ sunt, ut terra nudaretur, in quam partem congregatæ sunt? Si enim erat aliquid nudum terræ, quo congregarentur; jam apparebat arida, nec totum abyssus occupabat. Si autem totum tegerant; quis erat locus quo colligerentur, ut terræ ariditas appareret? Numquidnam in altum congregatæ sunt, sicut fit cum ad ventilandum in area messis trita subrigitur, et congesta in aggerem nudat locum quem diffusa contexerat? Quis hoc dixerit, cum viderat usquequaque campos maris æquabiliter fusos, qui etiam cum aquæ fluctuantis quidam velut montes eriguntur, sedatis rursus

<sup>1</sup> Mss. aliquot, gl. *voza*.

tempestatibus complanantur? Et si qua littora nudantur latius, non potest dici nulla esse alia terrarum spatia, quo accedat id quod aliunde decedit, unde in eum locum ex quo recesserat, iterum accedat. Cum autem totam omnino terram undosa natura cooperiret, quo cederet, ut nudaret aliquas partes? An forte rarior aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione spissata est, ut ex multis eas partibus, in quibus arida posset apparere, nudaret? Quamquam et terra longe lateque subsidens, potuit alias partes præbere concavas, quibus confluentes et corruentes aquæ reciperentur, et appareret arida ex his partibus, unde humor abscederet.

27. Non est autem informis omni modo materies, ubi etiam nebulosa species apparet:

CAPUT XIII. — *Aqua et terra quando creatæ.*

Et ideo quæri adhuc potest, quando Deus istas conspicuas aquarum terrarumque species qualitatesque creaverit; in nullo enim sex dierum hoc invenitur. Itaque si hoc ante omnem diem fecit, sicut ante istorum primorum dierum commemorationem scriptum est, *In principio fecit Deus cælum et terram*; ut in terræ vocabulo intelligamus jam formatam terrenam speciem superfluis aquis ista jam visibili specie sui generis declaratis: ut in eo quod sequitur Scriptura dicens, *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum: et Spiritus Dei superferebatur super aquas*, nullam opinemur informatam materiam, sed terram et aquam sine luce, quæ nondum erat facta, suis jam notissimis qualitatibus conditas: ut ideo terra invisibilis dicta intelligatur, quod aquis cooperta non posset videri, etiamsi esset qui posset videre; ideo vero incomposita, quia nondum a mari distincta, et cincta littoribus, et suis fetibus animalibusque decorata: si ergo ita est, cur istæ species, quæ procul dubio corporales sunt, ante omnem diem factæ sunt? Cur non scriptum est, *Dixit Deus, Fiat terra, et facta est terra*; item, *Dixit Deus, Fiat aqua; et facta est aqua*; vel utrumque communiter, si una quasi lege loci infirmi contineatur, *Dixit Deus, Fiat terra et aqua, et sic factum est?*

CAPUT IV. — *Ratio cur in primo versiculo Geneseos subintelligatur materia informis.*

Cur non dictum est, cum hoc factum esset, *Vidit Deus, quia bonum est?*

28. Hæc enim consideratio suavitatis (quoniam manifestum est omne mutabile ex aliqua informitate formari; simulque illud et catholica fides præscribit, et certissima ratio docet, nullarum naturarum materiam esse potuisse, nisi ab omnium rerum non solum formatarum, sed etiam formabilium inchoatore Deo atque creatore, de qua etiam dicit ei quædam Scriptura, *Qui fecisti mundum ex materia informi* [Sap. xi, 18] hanc materiam illis verbis, quibus pro spirituali prudentia tardioribus etiam lectoribus vel auditoribus congrueret<sup>1</sup>, fuisse commemoratam, quibus ante dierum enumerationem dictum est, *In principio fecit Deus cælum et terram, etc.*, donec diceretur, *Et dixit*

<sup>1</sup> Mss. *ulures, congrueretur*.



*Deus, ut deinceps formatarum rerum ordo conser-  
queretur.*

**CAPUT XV. — *Materia origine, non tempore formam  
præcedit.***

29. Non quia informis materia formatis rebus tempore prior est, cum sit utrumque simul concreatum, et unde factum est, et quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, verba vero formatam vocem indicant; non autem qui loquitur, prius emittit informem vocem, quam possit postea colligere, atque in verba formare: ita creator Deus non priore tempore fecit informem materiam, et eam postea per ordinem quarumque naturarum, quasi secunda consideratione formavit; formatam quippe creavit materiam. Sed quia illud unde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est, quam illud quod inde fit; potuit dividere Scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non divisit. Si enim quaeratur utrum vocem de verbis an de voce verba faciamus; non facile quisquam ita tardo ingenio reperitur, qui non potius verba fieri de voce respondeat: ita quamvis utrumque simul qui loquitur faciat, quid unde faciat, naturali attentione satis apparet. Quamobrem, cum simul utrumque Deus fecerit, et materiam quam formavit, et res in quas eam formavit, et utrumque ab Scriptura dici oportuerit, nec simul utrumque dici potuerit; prins illud unde aliquid factum est, quam illud quod inde factum est, dici debuisse quis dubitet? Quia etiam cum dicimus materiam et formam; utrumque simul esse intelligimus, nec utrumque simul possumus enuntiare. Sicut autem in brevitate temporis contingit, cum duo ista verba proferimus, ut alterum ante alterum proferamus: ita in prolixitate narrationis alterum prius quam alterum narrandum fuit, quamvis utrumque, ut dictum est, simul fecerit Deus; ut quod sola origine prius est in faciendo, etiam tempore prius sit in narrando: quia duæ res, quarum etiam altera nullo modo prior est, nominari simul non possunt; quanto minus simul narrari? Non itaque dubitandum est ita esse utrumque istam informem materiam prope nihil, ut non sit facta nisi a Deo, et rebus quæ de illa factæ sunt simul concreata sit.

30. Sed si credibiliter dicitur eam significari illis verbis, *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum: et Spiritus Dei superferebatur super aquam*; ut excepto quod ibi positum est de Spiritu Dei, cætera rerum quidem visibilium vocabula, sed ad illam informitatem, ut tardioribus poterat, insinuandam dicta intelligamus; quia hæc duo elementa, id est terra et aqua, ad aliquid faciendum operantium manibus tractabilia sunt cæteris, et idcirco congruentius istis nominibus illa insinuabatur informitas.

**CAPUT XVI. — *Alia ratio explicandi quomodo dies et nox facta fuerit, emissione scilicet et contractione lucis, non probatur.***

Si hoc ergo probabiliter dicitur, non erat aliqua formata moles, quam lux ex una parte illustrans, ex

altera faceret tenebras, unde posset nox die discedente succedere.

31. Emissionem vero contractionemque lucis illius si velimus diem noctemque intelligere, nec causam videmus cur ita fieret. Non enim jam erant animalia, quibus hæc vicissitudo salubriter exhiberetur, et qui huius postmodum exortis per circuitum solis cernimus exhiberi. Nec ullum occurrit exemplum, quo istam emissionem contractionemque lucis, ut diei noctisque vicissitudines fierent, probare possimus. Jactus enim radiorum ex oculis nostris, cujusdam lucis quidem est jactus<sup>1</sup>; et contrahi potest, cum aerem, qui est oculis nostris proximus, intuemur; et emitti, cum ad eandem rectitudinem, quæ sunt longe posita attendimus: nec sane cum contrahitur, omnino cernere quæ longo sunt desinit; sed certe obscurius, quam cum in ea obtutus emittitur. Sed tamen ea lux quæ in sensu videntis est, tam exigua docetur<sup>2</sup>, ut nisi adjuvemur extranea luce, nihil videre possimus; et quoniam discerni ab ea non potest, quo exemplo demonstrari possit emissio in diem, et contractio lucis in noctem, sicut dixi, reperire difficile est.

**CAPUT XVII. — *De spiritali luce difficultas, quomodo in ea sit vespera et mane, divisioque a tenebris.***

32. Si autem spiritalis lux facta est, cum dixit Deus, *Fiat lux*; non illa vera Patri cœterna intelligenda est, per quam facta sunt omnia, et quæ illuminat omnem hominem; sed illa de qua dici potuit, *Prior omnium creata est sapientia (Eccli. 1, 4)*. Cum enim æterna illa et incommutabilis, quæ non est facta, sed genita Sapientia, in spirituales atque rationales creaturas, sicut in animas sanctas se transfert (*Sap. vii, 27*), ut illuminata lucere possint; fit in eis quedam luculentæ rationis affectio, quæ potest accipi facta lux, cum diceret Deus, *Fiat lux*: si jam erat creatura spiritalis, quæ nomine cœli significata est, in eo quod scriptum est, *In principio fecit Deus cælum et terram*; non corporeum cælum, sed cælum incorporeum cœli corporei<sup>3</sup>, hoc est, super omne corpus, non locorum gradibus, sed naturæ sublimitate propositum. Quo autem modo simul fieri potuit et quod illuminaretur, et ipsa illuminatio, ac diverso tempore narranda fuerit, paulo ante diximus, cum de materia tractaremus.

33. Sed huic luci succedentem noctem, ut vespera fieret, quo pacto intellecturi sumus? A tenebris vero qualibus talis lux dividi potuit, dicente Scriptura, *Et divisit Deus inter lucem ac tenebras*? Numquid jam erant peccatores et stulti decedentes a lumine veritatis, inter quos et in eadem luce permanentes divideret Deus, tanquam inter lucem ac tenebras; et<sup>4</sup> lucem

<sup>1</sup> Excusi, *lucis evidens est jactus*. Dissentiunt Mss. omnes; pars habet, *lucis quidem est jactus*; alii, prætermissa mediâ voce, *lucis est jactus*.

<sup>2</sup> Editi, *tam exigua videtur*. Mss., *docetur*: postquo etc. ex his loco adjuvemur, habent, *adjuvetur*.

<sup>3</sup> In editis, *cælis corporeis*. At nulli dubitamus veriorum esse hanc Mss. prope omnium lectionem, *sed cælum incorporeum cœli corporei*; ut Augustinus more suo ad illud Psal. cxiii, 16, alludit, *cælum cœli Domino*. Conter su, ra, nn. 15 et 17, nec non lib. 12 Confess., capp. 2, 8 et 9.

<sup>4</sup> Sic in omnibus Mss. At aq. ul. Am. Er. et Loy. annota hinc

vocans diem, ac tenebras noctem, ostenderet se non operatorem peccatorum, sed ordinatorem distributione meritorum? An hic dies totius temporis nomen est, et omnia volumina seculorum hoc vocabulo includit; ideoque non dictus est primus, sed unus dies? *Et facta est enim vespera, et factum est, inquit, mane dies unus*: ut per hoc quod facta est vespera, peccatum rationalis creaturæ; quod autem factum est mane, renovatio ejus significata videatur.

34. Sed hæc allegoriæ propheticiæ disputatio est, quam non isto sermone suscepimus. Instituímus enim de Scripturis nunc loqui secundum proprietatem rerum gestarum, non secundum ænigmata figurarum<sup>1</sup>. Ergo ad rationem factarum conditarumque naturarum, quomodo invenimus vesperam et mane in luce spirituali? An divisio quidem lucis a tenebris, distinctio est jam rei formatæ ab informi; appellatio vero diei et noctis, insinuatio distributionis<sup>2</sup> est, qua significatur nihil Deum inordinatum relinquere, atque ipsam infirmitatem, per quam res de specie in speciem modo quodam transeundo mutantur, non esse indispositam; neque defectus profectusque creaturæ, quibus sibi tempore temporalia quæque succedunt, sine supplemento esse decoris universi? Nox enim ordinatæ sunt tenebræ.

35. Propterea vero cum facta esset lux, dictum est, *Vidit Deus lucem, quia bona est*; cum hoc posset post omnia ejusdem diei dicere, id e. t. ut cum explicasset<sup>3</sup>, *Dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux; Et divisit Deus inter lucem et tenebras; Et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem*; tunc diceret, *Et vidit Deus quia bonum est*; et deinceps annexerit, *Et facta est vespera, et factum est mane*; sicut in aliis operibus facit, quibus vocabula imponit. Hic ergo propterea non ita fecit, quoniam a formata re ad hoc distincta est illa infirmitas, ut non in ea finis esset, sed adhuc formanda restaret per creaturas ceteras jam corporales. Itaque si posteaquam distincta essent illa divisione et vocabulis, tunc diceretur, *Vidit Deus quia bonum est*; hæc facta acciperemus significari, quibus jam in suo genere nihil esset addendum. Quia vero lucem solam ita perfecerat; *Vidit Deus, inquit, lucem, quia bona est*, et divisione ac nominibus discretivit a tenebris. Neque tunc dixit, *Vidit Deus quia bonum est*; ad hoc enim erat infirmitas illa discreta, ut adhuc inde alia formarentur. Namque ista nox quæ nobis notissima est (facit enim eam super terras solis circuitus), quando per luminarium distributionem a die dividitur, post ipsam divisionem diei et noctis dicitur, *Vidit Deus quia bonum est*. Non enim hæc nox informis aliqua substantia erat, unde adhuc alia formarentur, sed spatium loci plenum aere, carens lumine diurno; cui utique nocti jam nihil addendum

fuisset particula, et, insertaque proxime ante vocem, ostenderet; pauloque post in eisdem logebatur, *distribuentorum*, pro quo in multis Mss., *distributione*; at in aliis, *distributionum meritorum*.

<sup>1</sup> Mss. scilicet, futurarum.

<sup>2</sup> Mss. scilicet, distinctionis.

<sup>3</sup> In excusis, ut cum caelum explicasset. Redundat vox, caelum; abestque a Mss.

esset in genere suo, quo esset speciosior sive distinctior. Vespera autem in toto illo triduo, antequam fierent luminaria, consummati operis terminus non absurde fortasse intelligitur; mane vero, tanquam futuræ operationis significatio.

#### CAPUT XVIII. — Quomodo Deus operatur.

36. Sed ante omnia meminerimus, unde jam multa diximus, non temporalibus quasi animi sui aut corporis motibus operari Deum, sicut operatur homo vel angelus; sed æternis atque incommutabilibus et stabilibus rationibus coæternis sibi Verbi sui, et quodam, ut ita dixerim, fœtu<sup>1</sup> pariter coæterni sancti Spiritus sui. Nam et illud quod per græcam et latinam linguam dictum est de Spiritu Dei, quod *superferebatur super aquas*, secundum syræ lingue intellectum, quæ vicina est hebrææ, (nam hoc a quodam docto christiano syro fertur expositum) non *superferebatur*, sed *fovebat* potius intelligi perhibetur. Nec sicut foventur tumores aut vulnera in corpore aquis vel frigidis vel calore congruo temperatis; sed sicut ova foventur ab aliis, ubi calor ille materni corporis etiam formandis pullis quodammodo administratur, per quemdam in suo genere dilectionis affectum. Non itaque per singulos dies istorum operum divinorum tanquam temporales voces Dei carnaliter cogitemus. Non enim ad hoc ipsa Dei Sapientia nostra infirmitate suscepta venit ad colligendos sub alas suas filios Jerusalem, quemadmodum gallina pullos suos (*Matth. xxiii, 37*) ut semper parvuli simus; sed ut malitia infantes, mento pueri esse desinamus (*I Cor. xiv, 20*).

37. Et in rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quæ possint salva fide qua imbuimur, alias atque alias parere sententias; in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefecerit, corrumpamus: non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est; cum potius eam quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.

#### CAPUT XIX. — In obscuris Scripturæ locis nihil temere asserendum.

38. Ponamus enim in eo quod scriptum est, *Dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux*; alium sensisse lucem corporalem factam, et alium spirituales. Esse spirituales lucem in creatura spirituali, fides nostra non dubitat<sup>2</sup>: esse autem lucem corporalem coelestem, aut etiam supra cælum, vel ante cælum, cui succedere nox potuerit, tamdiu non est contra fidem, donec veritate certissima refellatur. Quod si factum fuerit, non hoc habebat divina Scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia. Si autem hoc verum esse certa ratio demonstraverit, adhuc incertum erit utrum hoc in illis verbis sanctorum Librorum scriptor sentiri

<sup>1</sup> Editi, fœtu. At Mss. melloris notæ fœtu. Concinnius ad illam interpretandi rationem syri cujusdam, quam hic laudet Augustinus, post Basilium in homilia 2 in Hexam.

<sup>2</sup> Sic ad melloris notæ Mss. emendamus, cum in prius editis legeretur: *alium sensisse lucem corporalem factam, et aliam spirituales esse lucem in creatura spirituali, quod nostra fides non dubitat*

voluerit, an aliud aliquid non minus verum. Quod si cætera contextio sermonis non hoc eum voluisse probaverit, non ideo falsum erit aliud, quod ipse intelligi voluit; sed et verum, et quod utilius cognoscatur. Si autem contextio Scripturæ hoc voluisse intelligi scriptorem non repugnaverit, adhuc restabit quærere utrum et aliud non potuerit. Quod si et aliud potuisse invenerimus, incertum erit quidnam eorum ille voluerit: et utrumque sentiri voluisse, non inconvenienter creditur, si utriusque sententiæ certa circumstantia suffragatur.

39. Plerumque enim accidit ut aliquid de terra, de cælo, de cæteris mundi hujus elementis, de motu et conversione vel etiam magnitudine et intervallis siderum, de certis defectibus solis ac lunæ, de circuitibus annorum et temporum, de naturis animalium, fructum, lapidum, atque hujusmodi cæteris, etiam non christianus ita noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut christianum de his rebus quasi secundum christianas Litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto cælo errare conspiciens, risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans homo deridetur, sed quod auctores nostri ab eis qui foris sunt, talia sensisse creduntur, et cum magno eorum exitio de quorum salute satagimus, tanquam indocti reprehenduntur atque respuuntur. Cum enim quemquam de numero Christianorum in ea re quam optime norunt, errare deprehenderint, et vanam sententiam suam de nostris Libris asserere; quo pacto illis Libris credituri sunt, de resurrectione mortuorum, et de spe vitæ æternæ, regnoque cælorum, quando de his rebus quas jam experiri, vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint esse conscriptos? Quid enim molestiæ tristitiæque ingerant prudentibus fratribus temerarii præsumptores, satis dici non potest, cum si quando de prava et falsa opinione sua reprehendi, et convinci cœperint ab eis qui nostrorum Librorum auctoritate non tenentur, ad defendendum id quod levissima temeritate et apertissima falsitate dixerunt, eosdem Libros sanctos, unde id probent, proferre conantur, vel etiam memoriter, quæ ad testimonium valere arbitrantur, multa inde verba pronuntiant, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (1 Tim. 1, 7).

CAPUT XX. — *Genesisim cur interpretetur sententias varias proferendo, non aliquam unam asserendo.*

40. Ad hoc enim considerandum et observandum, librum<sup>1</sup> Geneseos multipliciter, quantum potui, enucleavi, protulique sententias de verbis ad exercitationem nostram obscure positas; non aliquid unum temere affirmans cum præjudicio alterius expositionis fortasse melioris, ut pro suo modulo eligat quisque quod capere possit: ubi autem intelligere non potest, Scripturæ Dei det honorem, sibi timorem. Sed cum

tam multis exitibus verba Scripturæ quæ tractavimus, exponantur, cohibeant se tandem qui litteris inflati sæcularibus hæc ita posita, ut omnia pia corda nutriant, velut imperitum atque impolitum aliquid exagitant; sine pennis in terra reptantes, et volatu ranarum<sup>1</sup> avium nidos irridentes. Periculosius autem errant quidam infirmi fratres, qui cum istos impios de cælestium corporum numeris, vel de quibuslibet elementorum mundi hujus quæstionibus subtiliter et copiose disserere audiunt, evanescent; et eos sibi cum suspirio præponentes, et magnos putantes, saluberrimæ pietatis Libros cum fastidio repetunt et quos dulciter haurire deberent, vix patienter attingunt; a segetis asperitate abhorrentes, et spinarum floribus inlantantes. Non enim vacant videre quam suavis est Dominus (Psal. xxxiii, 9), nec in sabbato esuriunt; atque ideo pigri sunt, potestate a Domino sabbati accepta, vellere spicas, et tamdiu versari manibus, contritasque purgare, donec ad escam perveniant (Matth. xii, 1).

CAPUT XXI. — *Quis fructus hujusmodi interpretationis, qua nihil temere asseritur.*

41. Dicit aliquis: Quid tu tanta tritura dissertationis hujus, quid granorum exuisti? quid ventilasti? Cur propemodum in quæstionibus adhuc latent omnia? Affirma aliquid eorum quæ multa posse intelligi disputasti. Cui respondeo, ad eum ipsum me cibum suaviter pervenisse, quo didici non hærrere homini in respondendo secundum fidem, quod respondendum est hominibus qui calumniari Libris nostræ salutis affectant; ut quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium. Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, id est catholicæ fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum: atque ita teneamus Mediatorem nostrum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ absconditi (Coloss. ii, 3), ut neque falsæ philosophiæ loquacitate seducamur, neque falsæ religionis superstitione terreamur. Et cum divinos Libros legimus in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, et sanitate catholicæ fidei muniuntur, id potissimum deligamus, quod certum apparuerit eum sensisse quem legimus; si autem hoc latet, id certe quod circumstantia Scripturæ non impedit, et cum sana fide concordat: si autem et Scripturæ circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id solum quod fides sana præscribit. Aliud est enim quid potissimum scriptor senserit non dignoscere, aliud autem a regula pietatis errare. Si utrumque vitetur, perfecte se habet fructus legentis: si vero utrumque vitari non potest, etiam si voluntas scriptoris incerta sit sanæ fidei congruam non inutile est eruisse<sup>2</sup> sententiam

<sup>1</sup> Iov., *volaturarum*. Et aliæ editiones et magna pars Mss. habent, *rolatu ranarum*.

<sup>2</sup> Sic Mss. At editi, *tenuisse*.

<sup>1</sup> In B., *libri*; cæteri editi, *librum*, concinnius

## LIBER SECUNDUS

De eo quod scriptum est cap. 1, vers. 6: *Et dixit Deus, Fiat firmamentum*, etc., usque ad vers. 19: *Et factum est vesper*, etc. Nonnulla in fine contra Genethliacos.

**CAPUT PRIMUM.** — *Firmamentum in medio aquarum quid. Aquas supra sidereum cælum esse quidam negant.*

1. *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, et sit dividens inter aquam et aquam: et sic est factum. Et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus inter aquam quæ erat infra firmamentum, et inter aquam quæ erat super firmamentum. Et vocavit Deus firmamentum cælum. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespere, et factum est mane dies secundus.* De verbo Dei quo dixit, *Fiat firmamentum*, etc., et de placito ejus, quo vidit quia bonum est, et de vespere et mane, non opus est hic iterum similiterque disserere; atque ita deinceps quotiescumque ista repetuntur, secundum superiorem inquisitionem interim consideranda esse admonemus. Utrum autem nunc illud cælum fiat, quod excedit aeris omnia spatia, ejusque omnem altitudinem, ubi etiam luminaria stellæque constituuntur quarto die; an ipse aer vocetur firmamentum, quæri merito potest.

2. Multi enim asserunt istarum aquarum naturam super sidereum cælum esse non posse, quod sic habeant ordinatum pondus suum, ut vel super terram fluitent, vel in aere terris proximo vaporaliter ferantur. Neque quisquam istos debet ita refellere, ut dicat secundum omnipotentiam Dei, cui cuncta possibilita sunt, oportere nos credere, aquas etiam tam graves, quam novimus atque sentimus, cælesti corpori, in quo sunt sidera, superfusas: Nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas rerum, secundum Scripturas ejus nos convenit quærerere; non quid in eis vel ex eis ad miraculum potentia suæ velit operari. Neque enim si vellet Deus sub aqua oleum aliquando manere, non fleret; non ex eo tamen olei natura nobis esset incognita, quod ita facta sit, ut appetendo suum locum, etiam si subterfusa fuerit, perrumpat aquas, eisque se superpositam collocet. Nunc ergo quærimus utrum conditor rerum, qui omnia in mensura et numero et pondere disposuit (*Sap. xi, 21*), non unum locum proprium ponderi aquarum circa terram tribuerit, sed et super cælum quod ultra limitem aeris circumfusum atque solidatum est.

3. Quod qui negant esse credendum, de ponderibus elementorum argumentantur, negantes ullo modo ita desuper quasi quodam pavimento solidatum esse cælum, ut possit aquarum pondera sustinere; quod talis soliditas nisi terris esse non possit, et quidquid tale est, non cælum sed terra sit. Non enim tantum locis, sed etiam qualitativis propriis elementa distinguuntur<sup>1</sup>, ut pro qualitativis propriis etiam loca propria

<sup>1</sup> Editi, *distinguntur*. At Mas., *distingui*: supple, continentur illi qui de elementorum ponderibus argumentantur.

sortirentur: aqua scilicet super terram, quæ etiam si sub terra stat aut labitur, sicut in antris cavernisque abditis, non tamen ea terræ parte quam supra, sed ea quam infra se habet, continetur. Nam si ex parte superiore fuerit pars ulla terræ delapsa, non manet super aquam, sed ea perrupta demergitur et pergit ad terram; quo veniens conquiescit, tanquam in loco suo, ut supra sit aqua, subtus autem terra. Unde cognoscitur quod etiam super aquas cum esset, non ipsis aquis portabatur, sed compage terræ tenebatur, sicut sese habent camerae speluncarum.

4. Hic occurrit admonere cavendum errorem, quem in libro primo cavendum admonui, ne forte quia scriptum est in Psalmis, *Fundavit terram super aquam*; arbitretur aliquis nostrum, adversus istos de ponderibus elementorum subtiliter disserentes, isto testimonio Scripturarum esse nitendum: quia illi non retenti auctoritate Litterarum nostrarum, et nescientes quemadmodum dictum sit, Libros sanctos facilius irridebunt, quam illud repudiabunt, quod vel certis rationibus perceperunt, vel experimentis manifestissimis probaverunt. Illud namque in Psalmis, aut figurate dictum recte accipi potest: ut quoniam cæli et terræ nomine sæpe in Ecclesia spirituales carnalesque significantur, cælos ostenderit pertinere ad serenam intelligentiam veritatis, dicens, *Qui fecit cælos in intelligentia* (*Psal. cxxxv, 6, 5*); terram vero ad fidem simplicem parvulorum, non fabulosis opinionibus incertam atque fallacem, sed prophetica et evangelica prædicatione firmissimam, quæ per Baptismum solidatur, et ideo subjecerit, dicens, *Fundavit terram super aquam*. Aut si ad litteram quisquam cogit intelligi, non incongruenter vel sublimia terrarum sive continentium, sive insularum accipiuntur, quæ superiora sunt aquis; vel ipsa tegmina speluncarum, quæ super aquas pendula soliditate firmata sunt. Quocirca nec ad litteram quisquam potest sic intelligere, quod dictum est, *Fundavit terram super aquam*; ut aquarum pondus terreno ponderi supportando naturali ordine quasi subjectum esse arbitretur.

**CAPUT II.** — *Aer terra superior.* ●

5. Aerem vero aquis esse superiorem, quamvis propter ampliora sui spatia etiam aridam contegat; hinc intelligitur, quod nullum vas ab ore impressum repleti aquis potest: unde satis indicat aeris naturam locum petere superiorem. Videtur enim vas inane, sed aere plenum probatur, cum ore imo in aquam deprimitur; quia enim per superiorem partem non invenit emeandi locum, nec deorsum versus irruptis<sup>1</sup> aquis subter eas ire natura sinitur, plenitudine sua repellit eas, et in vas non permittit intrare. Cum autem vas ita collocatur, ut os non habeat deorsum,

<sup>1</sup> Lov., *eruptis*. Cæteri codices, *irruptis*.

sed in latus inclinatum, intrat aqua inferius, exeunte aere superius. Itemque si vasis erecti os pateat in cœlum, cum infundis aquam, evadit aer sursum versus, ex aliis partibus qua non infundis, et fit locus aquæ deorsum versus intrandi. Quod si vi majore vas deprimitur, ut vel ex latere vel desuper aquæ repente influant, et undique os vasis obtegant, dirumpit eas aer sursum nitens, ut eis ad ima locum faciat; et ipsa disruptio singultus vasorum est, dum partibus fugit, quia totus tam cito non potest, propter illius oris angustias. Ita si aer super aquas ire cogitur, etiam confluentes eas disjicit<sup>1</sup>, cum exsiliens impetu ejus impulsæ ebulliant, et cum bullis crepantibus emittunt in sua properantem, atque illis ad ima decidendi aditum dantem. Si autem sub aquas ire cogitur ex vase, ut illo cedente vas ab ore in ima presso repleri velis, facilius undis undique versum cooperitur, quam per os ejus ab inferiore parte intrandi gutta exigua reperit locum.

#### CAPUT III. — *Ignis superior aere.*

6. Jam vero ignem ad superua emicantem etiam ipsius aeris naturam velle transcendere, quis non sentiat? quandoquidem si ardentem faculam capite deorsum quisque teneat, nihilominus flammæ crinis ad superiora contendit. Sed quoniam circumfusi ac superfusi aeris præpollenti constipatione subinde ignis exstinguitur, et in ejus qualitatem per abundantiam superatus subinde commutatur ac vertitur, ad universam ejus altitudinem transiliendam non potest perdurare. Itaque super aerem purus ignis esse dicitur cœlum, unde etiam sidera atque luminaria facta coniectant, illius videlicet igneæ lucis in eas formas quas in cœlo cernimus, conglobata dispositaque natura: ac per hoc, sicut terrarum ponderibus et aer et aqua cedit, ut ad terram perveniant; sic aquarum ponderi, et ipse aer cedit, ut vel ad terram vel ad aquam perveniat. Unde intelligi volunt, hoc modo necesse fuisse ut aer quoque, si quis ejus particulam in spatiis illis sublimibus cœli posset dimittere, pondere suo caderet, donec ad aëria subter spatia perveniret. Quapropter colligunt multo minus esse posse aquis supra illud igneum cœlum aliquid loci, cum illic aer multo aquis levior manere non possit.

#### CAPUT IV. — *Aquæ supra cœlum aereum quod firmentum appellari quidam observavit.*

7. Talibus eorum disputationibus cedens, laudabiliter conatus est quidam demonstrare aquas super cœlum, ut ex ipsis visibilibus conspicuisque naturis assereret Scripturæ fidem. Et prius quidem, quod facillimum fuit, ostendit et hunc aërem cœlum appellari, non solum sermone communi, secundum quem dicimus serenum vel nubilum cœlum, sed etiam nostrarum ipsarum consuetudine Scripturarum, cum dicuntur volatilia cœli (*Math.* vi, 26), cum aves in hoc aere volare manifestum sit: et Dominus cum de nubibus loqueretur, *Faciem, inquit, cœli potestis probare* (*Id.* xvi, 4). Nubes autem etiam per proximum terris aërem

conglobari sæpe cernimus, cum per declivia Jugorum ita recumbunt, ut plerumque excedantur etiam cacaminibus montium. Cum ergo prolasset et hunc aërem cœlum dici, nulla alia causa etiam firmentum appellatum voluit existimari, nisi quia intervallum ejus dividit inter quosdam vapores aquarum, et istas aquas quæ corpulentius<sup>1</sup> in terris fluitant. Et nubes quippe, sicut experti sunt qui inter eas in montibus ambulaverunt, congregatione et conglobatione minutissimarum guttarum talem speciem reddunt: quæ si spissantur amplius, ut jungantur in anam grandem plures guttæ minimæ, non eam patitur aer apud se teneri, sed ejus ponderi ad ima dat locum; et hæc est pluvia. Ergo ex aere, qui est inter vapores humidos, unde superius nubila conglobantur, et maria subterfusa, ostendere ille voluit esse cœlum inter aquam et aquam. Hanc ergo diligentiam considerationemque laude dignissimam judico. Quod enim dixit, neque contra fidem est, et in promptu posito documento credi potest.

8. Quanquam possit videri, non impedire propria pondera elementorum, quominus etiam super illud subline cœlum possint esse aquæ per illas minutias, per quas etiam super hoc spatium aëris esse potuerunt: qui quamvis gravior et inferior summo cœlo subiaceat, procul dubio levior est aquis, et tamen ut super cum sint vapores illi, nullo pondere prohibentur. Sic ergo et super illud cœlum potest minutioribus guttis levior halitus humoris extendi, qui pondere cadere non cogatur. Ipsi quippe subtilissima ratione persuadent, nullum esse quamlibet exiguum corpusculum in quo divisio finiatur, sed infinite omnia dividi; quia omnis pars corporis corpus est, et omne corpus habeat necesse est dimidium quantitatis suæ. Ac per hoc si potest aqua, sicut videmus, ad tantas guttarum minutias pervenire, ut super istum aërem vaporaliter feratur, qui natura levior est aquis; cur non possit et super illud levius cœlum minutioribus guttis et levioribus immanere vaporibus?

#### CAPUT V. — *Aquæ supra cœlum etiam sidereum.*

9. Quidam etiam nostri, istos negantes propter pondera elementorum aquas esse posse super cœluta sidereum, de ipsorum siderum qualitatibus et meatibus convincere moliantur. Iidem namque asserunt stellam quam Saturni appellant, esse frigidissimam, eamque per annos triginta signiferum peragere circum, eo quod superior, ac per hoc ampliore ambitu graditur. Nam sol eundem circum per annum complet, et luna per mensem; tanto, ut dicunt, brevius, quanto inferius, ut spatio loci spatium temporis congruat. Quæritur itaque ab eis, unde illa stella sit frigida, quæ tanto ardentior esse debet, quanto sublimiore cœlo rapitur. Nam procul dubio cum rotunda moles circulari motu agitur, interiora ejus tardius eunt, exteriora celerius, ut majora spatia cum brevioribus ad eosdem gyros pariter occurrant: quæ autem

<sup>1</sup> in excussis, *dissecat*; pro quo in veteribus codicibus quibusdam, *disjicit*; in aliis probæ notæ, *disjicit*.

<sup>1</sup> Navarricus Ms., *corpulentiores*.

celerius, utique ferventius. Proinde memorata stella magis debuit calida esse quam frigida: quamvis enim suo motu, quoniam grande spatium est, triginta annis totum ambitum permoet, tamen cœli motu in contrariam rotata velocius, quod quotidie necesse est patiatur (quoniam, sicut dicunt, cœli singulæ conversiones, dies singulos explicant), calorem majorem debuit cœlo concitatiores concipere. Nimirum ergo eam frigidam facit aquarum super cœlum constitutarum illa vicinitas, quam nolunt credere, qui hæc, quæ breviter dixi, de motu cœli et siderum disputant. His quidam nostri conjectaris agunt adversus eos qui nolunt aquas super cœlum credere, et volunt eam stellam esse frigidam, quæ juxta summum cœlum circumit; ut ex hoc cogantur aquarum naturam<sup>1</sup>, non jam illie vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere. Quoquo modo autem et qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minime dubitemus: major est quippe Scripturæ hujus auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas.

CAPUT VI. — *De eo quod additum est, Et fecit Deus, etc., an eo declaratur Filius Dei persona.*

10. Sed animadversum est a quibusdam, quod nec ego dissimulandum puto, non frustra cum dixisset Deus, *Fiat firmamentum in medio aquarum, et sit divisio inter aquam et aquam*; parum visum esse subjungere, *Et sic est factum, nisi adderetur, Et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus inter aquam quæ erat super firmamentum, et inter aquam quæ erat sub firmamento*: quod quidem sic intelligant, ut personam Patris declaratam esse dicant, in eo quod scriptum est, *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, et sit divisio inter aquam et aquam: et sic est factum.* Ac deinde ut intelligatur Filius fecisse quod a Patre dictum est ut fieret, arbitrantur esse subnexum, *Et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus, etc.*

11. Sed cum antea legitur, *Et sic est factum*; a quo intelligimus factum? Si a Filio, quid opus erat jam dicere, *Et fecit Deus, et quæ sequuntur*? Si autem quod scriptum est, *Et sic est factum*, a Patre intellexerimus factum; non jam Pater dicit, et Filius facit: et potest aliquid Pater facere sine Filio, ut deinde Filius non hoc, sed aliud similiter faciat; quod est contra catholicam fidem. Si autem illud de quo dicitur, *Et sic est factum*, hoc idem sit cum itidem dicitur, *Et fecit Deus*; quid prohibet eundem intelligere facere quod dixit, qui dixit ut fieret? An etiam excepto eo quod scriptum est, *Et sic est factum*, tantummodo in his verbis, quibus dicitur, *Et dixit Deus; Fiat, et postea dicitur, Et fecit Deus*; Patris et Filii personam volunt intelligi?

12. Sed quæri adhuc potest, utrum quasi jussisse Filio Patrem debeamus accipere in eo quod scriptum est, *Et dixit Deus, Fiat*? Sed cur Scriptura non curavit ostendere etiam personam Spiritus sancti? An ita Trinitas intelligitur, *Et dixit Deus Fiat, Et fecit Deus, Et vidit Deus quia bonum est*? Sed non convenit

<sup>1</sup> Post, *cogantur aquarum naturam*, in editis additum fuit, *credere*: quod verbum abest a Mss., et abesse debet, si pendere quod in fine sententiæ est, non a *pendeo*, sed a *vendo* accipiat pro *estimare*.

unitati Trinitatis, ut Filius quasi jussus fecisse intelligatur, Spiritus autem sanctus nullo sibi jubente libere vidisse bonum esse quod factum est. Quibus enim verbis juberet Filio Pater ut faceret, cum ipse sit principale Verbum Patris, per quod facta sunt omnia? An eo ipso quod scriptum est, *Fiat firmamentum*, hæc ipsa dictio Verbum est Patris, unigenitus Filius, in quo sunt omnia quæ creantur, etiam antequam creentur, et quidquid in illo est, vita est<sup>1</sup>; quia quidquid per eum factum est, in ipso vita est, et vita utique creatrix, sub illo autem creatura? Aliter ergo in illo sunt ea quæ per illum facta sunt, quia regit et continet ea; aliter autem in illo sunt ea quæ ipse est. Ipse enim vita est, quæ ita in illo est ut ipse sit, quoniam ipse vita est lux hominum (*Joan. 1, 3, 4*). Quia ergo nihil creari posset sive ante tempora, quod quidem non est Creatori coæternum, sive ab exordio temporum, sive in aliquo tempore, cujus creandi ratio, si tamen ratio recte dicitur, non in Dei Verbo Patri coæterno coæterna vita viveret; propterea Scriptura priusquam insinuet unamquamque creaturam, ex ordine quo conditam dicit, respicit ad Dei Verbum, prius ponens, *Et dixit Deus, Fiat* illud. Non enim invenit ullam causam rei creandæ, quam in Verbo Dei non invenit creari deuisse.

13. Non ergo Deus toties dixit, *Fiat* illa vel illa creatura, quoties in hoc libro repetitur, *Et dixit Deus*. Unum quippe Verbum ille genuit, in quo dixit omnia, priusquam facta sunt singula: sed eloquium scribentis descendens ad parvulorum capacitatem, dum insinuat singulatum genera creaturarum, per singula respicit uniuicujusque generis æternam rationem in Verbo Dei; nec illa repetita, ille tamen repetit, *Et Dixit Deus*. Si enim vellet prius dicere, *Factum est firmamentum in medio aquarum, ut esset divisio inter aquam et aquam*; si quis ab eo quæreret, quomodo factum esset, recte responderet, *Dixit Deus, Fiat*: id est, in Verbo Dei æterno erat ut fieret. Inde ergo incipit narrare unumquodque factum, quod etiam post facti narrationem, quærenti quomodo factum sit, in reddenda ratione respondere deberet.

14. Cum ergo audimus, *Et dixit Deus, Fiat*; intelligimus quod in Verbo Dei erat ut fieret. Cum vero audimus, *Et sic est factum*; intelligimus factam creaturam non excessisse præscriptos in Verbo Dei terminos generis sui. Cum vero audimus, *Et vidit Deus quia bonum est*, intelligimus in benignitate Spiritus ejus non quasi cognitum posteaquam factum est placuisse, sed potius in ea bonitate placuisse ut maneret factum, ubi placebat ut fieret.

CAPUT VII. — *De eadem re.*

15. Ac per hoc manet adhuc causa requirendi, cur posteaquam dixit, *Et sic est factum*, ubi perfectio operis jam indicatur; addidit, *Et fecit Deus*: cum eo ipso quod ait, *Et dixit Deus, Fiat* illud, *Et sic est factum*, jam intelligatur id Deum dixisse in Verbo suo, et factum esse per Verbum ejus; atque ibi jam non solum

<sup>1</sup> Editi hic interpolant, *et vita utique creatura*; quæ abest a Mss.

Patris, sed etiam Filii possit apparere persona. Nam si propter ostendam Filii personam repetitur, ac dicitur, *Et fecit Deus*; numquid ergo non per Filium congregavit aquam tertio die ut appareret arida, quia ibi non dicitur, *Et fecit Deus congregari aquam*, aut congregavit Deus aquam? Sed tamen etiam ibi posteaquam dixit, *Et factum est sic*; tunc repetivit, dicens, *Et congregata est aqua, quæ est sub cælo*. Numquid etiam lux non per Filium facta est, ubi prorsus nullo modo repetivit? Potuit enim et illic ita dicere, *Et dixit Deus, fiat lux, et sic est factum*; et fecit Deus lucem; et vidit quia bona est: aut certe sicut in aquarum congregatione, ut non diceret, *Et fecit Deus*, sed tantum iterum repeteret<sup>1</sup>, *Et dixit Deus, fiat lux, et sic est factum*; et facta est lux; et vidit Deus lucem, quia bona est. Sed nullo modo repetens posteaquam proposuit, *Et dixit Deus, Fiat lux*; nihil aliud intulit nisi, *Et facta est lux*; ac deinceps de placita luce et divisa a tenebris, et utroque appellato nominibus suis, sine ulla repetitione narravit.

CAPUT VIII. — *De luce cur non additum, Et fecit Deus, sicuti solet de aliis creaturis dici.*

16. Quid sibi ergo vult in cæteris illa repetitio? An eo modo demonstratur primo die, quo lux facta est, conditionem spiritualis et intellectualis creaturæ lucis appellatione intimari; in qua natura intelliguntur omnes Angeli sancti atque Virtutes: et propterea non repetivit factum posteaquam dixit, *Facta est lux*; quia non primo cognovit rationalis creatura conformationem suam, ac deinde formata est; sed in ipsa sua conformatione cognovit, hoc est illustratione veritatis, ad quam conversa formata est: cætera vero quæ infra sunt ita creantur, ut prius fiant in cognitione<sup>2</sup> rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo? Quapropter lucis conditio prius est in Verbo Dei secundum rationem, qua condita est, hoc est in coæterna Patri Sapientia; ac deinde in ipsa lucis conditione secundum naturam, qua condita est: illic non facta, sed genita; hic vero facta, quia ex informitate formata: et ideo dixit Deus, *Fiat lux, et facta est lux*; ut quod ibi erat in Verbo, hic esset in opere. Conditio vero cæli prius erat in Verbo Dei secundum genitam Sapientiam; deinde facta est in creatura spirituali, hoc est in cognitione Angelorum secundum creatam in illis sapientiam: deinde cælum factum est, ut esset etiam ipsa cæli creatura in genere proprio. Sic et discretio vel species aquarum atque terrarum, sic naturæ lignorum et herbarum, sic luminaria cæli, sic animantia orta ex aquis ac terra.

17. Neque enim sicut pecora, solo sensu corporis, vident Angeli hæc sensibilia; sed si quo sensu tali utuntur, agnoscunt ea potius, quæ melius noverunt interius in ipso Dei Verbo, a quo illuminantur et sapienter vivant: cum sit in eis lux quæ primo facta est, si lucem spiritualem in illo die factam intelligamus. Quomodo ergo ratio qua creatura conditur, prior est in Verbo Dei quam ipsa creatura quæ conditur:

<sup>1</sup> Ita Ierisque Mss., sed tamen iterum repeteret.

<sup>2</sup> Editi, cognitione. Melius Mss., cognitione.

sic et ejusdem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali, quæ peccato tenebrata non est; ac deinde ipsa conditio creaturæ<sup>1</sup>. Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicerent (*Rom. 1, 20*), qui ex quo creati sunt, ipsa Verbi æternitate sancta et pia contemplatione perfruuntur; atque inde ista despicientes, secundum id quod latius vident, vel recte facta approbant, vel peccata improbant.

18. Nec mirum est quod sanctis Angelis suis, in prima lucis conditione formalis, prius Deus ostendebat quod erat deinceps creaturus. Neque enim intellectum Dei nossent, nisi quantum ipse monstrasset. Quis enim cognovit intellectum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (*Id. xi, 34-36*). Ex ipso ergo discebant Angeli, cum in eis fieret cognitio creaturæ deinceps faciendæ, ac deinde fieret in genere proprio.

19. Quapropter, jam luce facta, in qua intelligimus ab æterna luce formatam rationalem creaturam, cum in cæteris creandis rebus audimus, *Et dixit Deus, Fiat*; intelligamus ad æternitatem Verbi Dei recurrentem Scripturæ intentionem. Cum vero audimus, *Et sic est factum*; intelligamus in creatura intellectuali factam cognitionem rationis, quæ in Verbo Dei est, condendæ<sup>2</sup> creaturæ, ut in ea natura prius quodam modo facta sit, quæ anteriore quodam motu in ipso Dei Verbo prior faciendam esse cognovit: ut postremo, cum audimus repeti ac dici quod *Fecit Deus*, jam intelligamus in suo genere fieri ipsam creaturam. Porro cum audimus, *Et vidit Deus quia bonum est*, intelligamus benignitati Dei placuisse quod factum est, ut pro modo sui generis maneret quod placuit ut fieret, cum *Spiritus Dei superferebatur super aquam*.

CAPUT IX. — *De figura cæli.*

20. Quæri etiam solet quæ forma et figura cæli esse credenda sit secundum Scripturas nostras. Multi enim multum disputant de iis rebus, quas majore prudentia nostri auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus; et occupantes, quod pejus est, multum pretiosa, et rebus salubribus impendenda temporum spatia. Quid enim ad me pertinet, utrum cælum sicut sphaera undique concludat terram in media mundi mole libratam, an eam ex una parte desuper velut discus operiat? Sed quia de fide agitur Scripturarum, propter illam causam, quam non semel commemoravi, ne quisquam eloquia divina non intelligens, cum de his rebus tale aliquid vel invenerit in Libris nostris, vel ex illis audierit, quod perceptis a se rationibus<sup>3</sup> adversari videatur, nullo modo eis cætera utilia monentibus, vel narrantibus, vel pronuntiantibus credat; breviter dicendum est de figura cæli hoc scisse auctores nostros quod veritas habet; sed Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines nulli salutis profutura.

<sup>1</sup> In excusis ad vocem *creaturæ* addebatur, *postea in genere proprio*; quod abest ab omnibus Mss.

<sup>2</sup> Plures Mss., *conditæ*.

<sup>3</sup> Sic Mss. At editi, *assertionibus*.

21. Sed, ait aliquis, quomodo non est contrarium iis qui figuram sphaerae caelo tribuunt, quod scriptum est in Litteris nostris, *Qui extendit caelum sicut pellem* (*Psal. ciii, 2*)? Sit sane contrarium, si falsum est quod illi dicunt: hoc enim verum est quod divina dicit auctoritas, potius quam illud quod humana infirmitas conjicit. Sed si forte illud talibus illi documentis probare potuerint, ut dubitari inde non debeat; demonstrandum est hoc quod apud nos de pelle dictum est, veris illis rationibus non esse contrarium: alioquin contrarium erit etiam ipsis in alio loco Scripturis nostris, ubi caelum dicitur velut camera esse suspensam (*Jasi. xl, 22, sec. LXX*). Quid enim tam diversum et sibi met adversum, quam plana pellis extensio, et camerae curva convexio? Quod si oportet, sicuti oportet, haec duo sic intelligere, ut concordare utrumque, nec sibi met repugnare invenitur; ita oportet etiam utrumlibet horum illis non adversari disputationibus, si eas forte veras certa ratio declaraverit, quibus docetur caelum sphaerae figura undique esse convexum, si tamen probatur.

22. Et illa quidem apud nos camerae similitudo, etiam secundum litteram accepta, non impedit eos qui sphaeram dicunt. Bene quippe creditur secundum eam partem, quae super nos est, de caeli figura Scripturam loqui voluisse. Si ergo sphaera non est, ex una parte camera est, ex qua parte caelum terram contegit: si autem sphaera est, undique camera est. Sed illud quod de pelle dictum est, magis urget, ne non sphaerae, quod humanum est forte commentum, sed ipsi nostrae camerae adversum sit. Quid autem hinc allegorice senserim, *Confessionum* nostrarum liber tertius decimus habet (*Cap. 15*). Sive igitur ita ut ibi posui, sive aliquo alio modo intelligendum sit caelum sicut pellis extensum; propter molestos et nimios exactores expositionis ad litteram, hoc dico, quod, sicut arbitror, omnium sensibus patet: utrumque enim fortasse, id est et pellis et camera, figurate intelligi potest; utrumque autem ad litteram quomodo possit, videndum est. Si enim camera non solum curva, sed etiam plana recte dicitur; profecto et pellis non solum in planum, verum etiam in rotundum sinum extenditur. Nam et uter sicut et vesica, pellis est.

#### CAPUT X. — De caeli motu.

23. De motu etiam caeli nonnulli fratres quaestione movent, utrum stet, an moveatur. Quia si movetur, inquirunt, quomodo firmamentum est? Si autem stat, quomodo sidera quae in illo fixa creduntur, ab oriente usque ad occidentem circumeunt, septentrionibus breviores gyros juxta cardinem peragentibus; ut caelum, si est alius nobis occultus cardo ex alio vertice, sicut sphaera, si autem nullus alius cardo est, velut discus rotari videatur? Quibus respondeo, multum subtilibus et laboriosis rationibus ista perquiri, ut vere percipiatur utrum ita an non ita sit; quibus inenudis atque tractandis nec jam mihi tempus est, nec illis esse debet, quos ad salutem suam et sanctae Ecclesiae necessariam utilitatem cupimus informari. Hoc sane noverint, nec nomen firmamenti cogere ut

stare caelum potamus (firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum et inferiorum aquarum, vocatum intelligere licet); nec, si veritas caelum stare persuaserit, impediri nos circuitu siderum ne hoc intelligere possimus. Et ab ipsis quippe qui haec curiosissime et otiosissime quaesierant, inventum est, etiam caelo non moto, si sola sidera viderentur<sup>1</sup>, fieri potuisse omnia quae in ipsis siderum conversionibus animadversa atque comprehensa sunt.

#### CAPUT XI. — De vers. 9 et 10, ubi explicat quid de terrae informitate intelligendum sit.

24. *Et dixit Deus, Congregetur aqua quae sub caelo est in congregationem unam, et appareat arida. Et factum est sic; et congregata est aqua quae sub caelo est in congregationem unam, et apparuit arida. Et vocavit Deus aridam terram, et congregationes aquarum vocavit mare. Et vidit Deus quia bonum est. Jam de hoc opere Dei propter alterius rei quaerendae necessitatem, in primo nostro volumine satis tractavimus (*Lib. 1, cc. 12, et 13*). Hic itaque breviter admonemus, ut quem forte non movet quaerere quando species aquarum terrarumque creata sit, accipiat isto die non esse factum, nisi ut discernentur haec duo elementa inferiora. Quem vero movet cur in diebus facta sit lux et caelum, extra dies autem vel ante omnes dies aqua et terra; et cur ad Dei verbum facta sint illa, dicento Deo, *Fiat*; haec autem dicente quidem Deo discreta, non autem Deo dicente facta inveniantur: habet quod salva fide intelligat, scilicet id quod dictum est ante dierum enumerationem, *Terra erat invisibilis et incomposita*, cum commendaret Scriptura cujusmodi terram fecerat Deus, quia praedixerat, *In principio fecit Deus caelum et terram*; nihil aliud his verbis quam materiae corporalis informitatem insinuare voluisse, eligens eam usitatus appellare quam obscurius. Si tamen tardo intellectui non subrepat ut materiam et speciem, quia verbis Scriptura separat, concurt duo haec etiam tempore separare, tanquam prius fuerit materia, et ei, temporis intervallo interposito, postea sit addita species; cum Deus haec simul creaverit, materiamque formatam instituerit, cujus informitatem usitato, ut dixi, vocabulo vel terrae vel aquae Scriptura praedixit. Terra enim et aqua etiam suis qualitatibus id existentia quod videmus, tamen propter facilem corruptionem propinquiora sunt eidem informitati quam caelestia corpora. Et quoniam per enumerationem dierum jam ex informi quaeque formata numerantur, et ex ista corporali materia jam factum caelum narraverat, cujus multum distat species a terrenis; jam quod ex ea formandum in rerum infima parte restabat, noluit<sup>2</sup> sub his verbis in rerum creaturam ordinem inserere, ut diceretur, *Fiat*; non acceptura ista residua informitate talei speciem, qua-*

<sup>1</sup> Mss. duodecim, *moverentur*.

<sup>2</sup> Editti, *voluit*. Mss. omnes, *noluit*. Amplectimur: ratio quippe redditur, cur aquae ac terrae formationem non retulerit Genesis scriptor sub his verbis, ut diceretur, *Fiat aqua, Fiat terra*, sicuti de caelo dictum narravit, *Fiat firmamentum*. Confer superioris libri caput 13.



lem acceperat cœlum, sed jam inferiorem et infirmio-rem atque infirmitati proximam : ut his potius verbis, cum dicitur, *Congregentur aquæ*, et, *appareat arida*, acceperint hæc duo species proprias istas notissimas nobisque tractabiles, aqua mobilem, terra immobilem : et ideo de illa dictum est, *congregetur*; de hæc autem, *appareat* : aqua enim est labiliter fluxa, terra stabiliter fixa.

CAPUT XII. — *De vers. 11, 12 et 13, quare seorsum de herbis et lignis dictum sit, Et factum est sic, etc.*

25. *Et dixit Deus, Germinet terra herbam pabuli, ferentem semen secundum genus et secundum similitudinem; et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in ipso secundum similitudinem suam super terram. Et factum est sic. Et produxit terra herbam pabuli, semen habentem secundum genus, et secundum similitudinem, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen ejus in eo sit secundum genus super terram. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespere, et factum est mane dies tertius. Illic moderamen ordinato- ris advertendum est, ut quoniam distincta quedam creatura est herbarum atque lignorum ab specie terrarum et aquarum, ut in elementis numerari non possint, seorsum de illis diceretur ut exirent de terra; et seorsum illis redderentur illa solita, ut diceretur, *Et factum est sic*; ac deinde repeteretur quod factum est : seorsum quoque indicaretur Deum vidisse quia bonum est; tamen quia fixa radicibus continuantur terris et connectuntur, ista quoque ad eundem diem pertinere voluerit.*

CAPUT XIII. — *De vers. 14, 15, etc., cur luminaria die quarto condita.*

26. *Et dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cœli<sup>1</sup>, ut luceant super terram, in inchoationem diei et noctis, et ut dividant inter diem et noctem; et sint in signa et tempora, et in dies, et in annos, et sint in splendorem in firmamento cœli, ut luceant super terram. Et factum est sic. Et fecit Deus duo luminaria magna; luminare majus in inchoationem diei, et luminare minus in inchoationem noctis; et stellas; et posuit ea<sup>2</sup> Deus in firmamento cœli, ut luceant super terram, et ut sint in inchoationem diei et noctis, et ut dividant inter lucem et tenebras. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespere, et factum est mane dies quartus. In hoc quarto die querendum est, quid sibi velit ista ordinatio, ut prius vel fierent, vel secernerentur aqua et terra, priusque terra germinaret, quam in cœlo sidera fierent. Neque enim possumus dicere electa esse quæque meliora, quibus dierum series ita distingueretur, ut finis et medium maxime ornatus eminerent : septem quippe dierum medius quartus est. Occurrit enim illud quia septimo die non est facta ulla creatura. An forte lux primi diei magis respondet ad quietem diei septimi, ut eo modo concinentibus finibus iste ordo texatur, eminentibus de medio luminibus cœli? Sed si primus dies septimo concinit, debet ergo et secundus sexto concinere. Quid autem simile habet firma-*

<sup>1</sup> Magna pars Mss. hic et infra constanter habet, *in firmamento cœli, sic ut luceant.*

<sup>2</sup> Sic Mss. At in editis, *eos.*

mentum cœli cum homine facto ad imaginem Dei? An quia cœlum totam superiorem mundi partem occupat, et homini in totam inferiorem potestas dominandæ tributa est? Sed quid agimus de pecoribus et de bestiis, quas ipso die sexto in suo genere terra produxit? quæ illis cum cœlo potest esse collatio?

27. An potius, quoniam primo facta intelligitur lucis nomine spiritualis creaturæ formatio, consequens erat ut corporalis quoque creatura, id est mundus iste visibilis fieret; qui factus est biduo propter duas partes suas maximas, quibus constat universus, cœlum scilicet et terram, secundum hanc rationis collationem, quæ et ipsa universa creatura spiritualis et corporalis sæpe cœlum et terra nominatur : ita ut globus quoque iste turbulentioris aeris terrenæ parti deputetur; exhalationibus quippe humidis corporascit : si quid vero tranquillæ aeris est, ubi ventosi atque procellosi motus non possunt existere, ad cœlestem partem pertineat : post hanc universitatem molis corporeæ fabricatam, quæ uno loco tota est, quo collocatus est mundus, consequens erat ut impleretur partibus intra universam, quæ de loco in locum congruis motibus agerentur? Cujus generis herbæ atque arbores non sunt. Radicibus quippe ista fixa sunt terræ : et quavis habeant motus incrementorum suorum, de locis tamen propriis non moventur nisibus suis; sed ubi fixa sunt, ibi aluntur et crescunt : propterea magis pertinent ad terram, quam ad genera rerum quæ in aquis et terris moventur. Quia ergo visibili mundo constituendo, hoc est cœlo et terræ, duo sunt attributi dies, restat ut his mobilibus et visibilibus partibus, quæ creantur intra illum, tres dies reliqui deputentur. Et quia sicut prius cœlum factum est, ita prius est ornandum hujusmodi partibus suis; quarto die sunt sidera, quibus super terram lucentibus habitatio quoque illustretur inferior, ne habitatores ejus in habitationem tenebrosam inducantur. Et ideo, quia infirma corpora inferiorum habitatorum, succedente motibus quiete reparantur, factum est ut circumeunte sole, diei noctisque vicissitudine, propter vicissitudinem dormiendi et vigiliandi potirentur : nox vero illa non indecora remaneret, sed lunæ ac siderum luce, et ipsos consolaretur homines, quibus plerumque operandi est etiam nocturna necessitas; et quibusdam animalibus, quæ lucem solis ferre non possunt, ad sufficientiam temperaretur.

CAPUT XIV. — *Quomodo luminaria sint in signa et tempora, in dies et annos.*

28. Illud autem quod dictum est, *Et sint in signa et tempora, et in dies, et in annos*, quis non videat quam obscure positum sit, quarto die cœpisse tempora, quasi superius triduum sine tempore præterire poterit? Quis ergo animo penetrat quomodo illi tres dies transierint, antequam inciperent tempora, quæ quarto die dicuntur incipere; vel utrum omnino transierint dies illi? An circa speciem factæ rei dies appellatus sit, et circa privationem nox : ut nondum specie formata materia nox dicta sit, unde formanda erant cœtera; sicut potest quamvis in rebus formatis, intelli-

tamen in ipsa mutabilitate informitas materiæ: non enim spatiis vel locorum quasi remotior, vel temporum quasi anterior, discerni potest? An potius in ipsa re facta atque formata eadem mutabilitas, hoc est deficienti, ut ita dixerim, possibilitas, nox appellata sit; quia inest rebus factis, etiamsi non mutantur, posse mutari? Vespera autem et mane non quasi per temporis præteritionem et adventum, sed per quemdam terminum, quo intelligitur quousque sit naturæ proprius<sup>1</sup> modus, et unde sit naturæ alterius consequenter exordium: an aliqua alia ratio sit horum verborum diligentius vestiganda?

29. Quis in tantum secretum facile irrumpat, et quæ signa dicat, cum dicit de sideribus, *Et sint in signa*? Neque enim illa dicit quæ observare vanitatis est; sed utique utilia, et hujus vitæ usibus necessaria, quæ vel nautæ observant in gubernando, vel omnes homines ad prævidendas aeris qualitates per æstatem et hiemem, et autumnalem vernalemque temperiem. Et nimirum hæc vocat tempora, quæ per sidera fiunt, non spatia morarum, sed vicissitudines affectionum cæli hujus. Nam si aliquis vel corporalis vel spiritualis motus conditionem istorum luminarium præcessit, ut aliquid a futura expectatione per præsens in præteritum trajiceret, sine tempore esse non potuit. Et quis obtineat non fuisse nisi ab exordio siderum conditorum? Sed certæ horæ, et dies, et anni, quos usitate novimus, non fierent nisi motibus siderum. Itaque si hoc modo intelligamus tempora, dies et annos, ut tempora articulos quosdam<sup>2</sup> quos per horologia computamus, vel in cælo notissimos, cum ab oriente usque in meridianam altitudinem sol insurgit, atque inde rursus usque in occidentem vergit; ut possit deinceps adverti vel luna vel aliquod sidus ab oriente statim post occasum solis emergere; quod item cum ad mediam cæli venerit altitudinem, medium noctis indicet, tunc scilicet occasurum cum sole redeunte sit manē: dies autem totos solis ab oriente usque ad orientem<sup>3</sup> circuitus: annos vero vel istos usitato solis anfractus, non cum ad orientem, quod quotidie facit, sed cum ad eadem loca siderum redit, quod non facit nisi peractis trecentis sexaginta quinque diebus et sex horis, id est, quadrante totius diei, quæ pars quater ducta, cogit interponi unum diem, quod Romani bissextum vocant, ut ad eundem circuitum redeatur; vel etiam majores et occultiores annos: nam completis aliorum siderum spatiis, majores anni fieri dicuntur: si ergo ita intelligamus tempora, dies et annos, nemo dubitat hæc sideribus et luminaribus fieri. Ita enim positum est, ut incertum sit utrum ad omnia sidera pertineat quod dictum est, *Sint in signa et tempora, et in dies, et in annos*; an signa et tempora ad cætera, dies vero et anni ad solem tantummodo.

CAPUT XV. — *Luna qualis creata fuerit.*

30. Qualis etiam luna facta sit, multi loquacissime

<sup>1</sup> Mss. prope omnes, *proprie*.

<sup>2</sup> Lov., *ut articulos quosdam*; omisso, *tempora*, quod in cæteris libris reperitur.

<sup>3</sup> Editi, *ad occidentem*. Sed melius Mss., *ad orientem*.

inquirant; atque utinam inquirentes loquantur, ac non potius docere conantes! Dicunt enim ideo plenam factam, quia non decebat ut Deus imperfectum aliquid illo die faceret in sideribus, quo scriptum est quod facta sint sidera. Qui autem resistunt, dicunt: Ipsa ergo debuit prima luna dici, non quarta decima; quis enim incipit ita enumerare? Ego autem medius inter istos ita sum, ut neutrum asseram; sed plane dicam, sive primam sive plenam lunam Deus fecerit, fecisse perfectam. Ipsarum enim naturarum est Deus auctor et conditor. Omnis autem res quidquid progressu naturali per tempora congrua quodammodo prodit atque explicat, etiam ante continebat occultum, etsi non specie vel mole corporis sui, tamen ratione naturæ<sup>1</sup>. Nisi forte arbor quæ per hiemem pomis vacua foliisque nudata est, tunc imperfecta dicenda est; aut vero in primordiis etiam suis, cum adhuc nullum fructum dedisset, imperfecta erat illa natura. Quod non tantum de arbore, sed nec de ipso ejus semine recte diceretur, ubi omnia quæ progressu temporis quodammodo procedunt, modis invisibilibus latent. Quanquam si aliquid Deus imperfectum fecisse diceretur, quod deinde ipse perficeret, quid reprehensionis haberet ista sententia? Jure autem displiceret, si id quod ab illo inchoatum esset, ab alio diceretur esse perfectum.

31. Qui ergo de terra non queruntur, quam fecit Deus, cum in principio fecit Deus cælum et terram, quia invisibilis erat et incomposita, et postea tertio die conspicua redditur atque componitur; quid sibi de luna tenebras faciunt quæstionum? Aut si quod de terra dictum est, non temporis intervallo, cum simul Deus materiam rebus concreaverit<sup>2</sup>, sed narrationis distributione intelligunt dictum; cur in hoc quod etiam oculis videri potest, non intuentur integrum corpus habere lunam, et tota sua rotunditate perfectum, etiam cum lumine corniculato, sive incipiens ad terras lucere, sive desinens fulget? Si ergo lumen in ea crescit, vel perficitur, vel minuitur; non luminare ipsum, sed illud quod accenditur variatur: si autem ex una spherulæ suæ parte semper lucet, sed dum eam partem convertit ad terram, donec totam convertat, quod a prima usque ad quartam decimam fit, crescere videtur; semper est plena, sed terræ habitatoribus non semper apparet. Hæc eadem ratio est, et si solis radiis illustratur. Non enim potest etiam sic, cum soli proxima est, nisi lucidis cornibus apparere; quia cætera pars, quæ tota in orbem illustratur, non est ad terras ut videri possit, nisi cum soli contraria est, ut totum terris appareat quod ejus illuminatur.

32. Non desunt tamen qui non eo se arbitrari dicunt lunam primitus a Deo quartam decimam factam, quia plena facta credenda est; sed quia in Scripturis Dei verba sic habent, *lunam factam in inchoationem noctis*; tunc autem noctis exordium videtur, cum plena est: alias vero et per diem incipit videri ante plenitudinem, et in progressu noctis tanto ampliore quanto minuitur. Sed qui per inchoationem noctis non intelligit nisi

<sup>1</sup> Mss. tres, *corporis, vi tamen et ratione naturæ*.

<sup>2</sup> Sic Mss. At editi, *Deus res concreaverit*.

principatum (nam et græcum verbum hoc magis indicat, cum dictum est ἀρχή et in Psalmis apertius scriptum est, *Solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis* [Psal. cxxxv, 8, 9]), non cogitur a quarta decima numerare, et credere lunam factam primo esse non primam.

CAPUT XVI. — *An sidera æqualiter fulgeant.*

33. Quæri etiam solet utrum cœli luminaria ista conspicua, id est sol et luna et stellæ, æqualiter fulgeant; sed quod diversis intervallis distent a terra, propterea diversa claritate magis minusque nostris oculis appareant. Et de luna quidem qui hæc dicunt, non dubitant minus eam lucere quam solem, a quo etiam perhibent illustrari. Multas autem stellas vel æquales soli, vel etiam majores audent dicere, sed longius positas parvas videri. Et nobis quidem potest fortasse sufficere, quoquo modo se ista res habeat, artifice Deo condita sidera. Quanquam tencamus auctoritate apostolica dictum, *Alia gloria solis, alia gloria lunæ, et alia gloria stellarum: stella enim ab stella differt in gloria* (1 Cor. xv, 41). Sed quia possunt adhuc dicere, etiamsi non resistant Apostolo: Differunt quidem in gloria, sed ad oculos terrenorum; aut, quia hoc propter resurgentium similitudinem dicebat Apostolus, qui non utique ad oculos aliter erunt et in se aliter, differunt quidem et in seipsis sidera in gloria, sed tamen nonnulla sunt etiam sole majora: ipsi viderint quemadmodum soli tam magnum tribuant principatum, ut eum radiis suis quasdam stellas, et eas quidem principales, quibus amplius isti quam cæteris supplicant, et tenere dicant, et retro agera a cursu proprio. Non enim sit verisimile, majores aut etiam æquales violentia radiorum ejus posse superari. Aut si superiores signorum stellas vel septentrionum majores esse asserunt, quæ nihil tale a sole patiuntur; cur ista per signa circumeuntes amplius venerantur? cur eas signorum dominas perhibent? Etsi enim rogradationes illas siderum, vel fortasse tarditates, non a sole fieri quisque contendat, sed aliis occultioribus causis; soli tamen istos in suis deliramentis, quibus vini factorum a veritate devii suspicantur, præcipuam tribuere potestatem ex libris eorum certe manifestum est.

34. Sed dicant quod volunt de cœlo, alieni a Patre qui est in cœlis: nobis autem de intervallis et magnitudine siderum subtilius aliquid quærere, talique inquisitioni rebus gravioribus et melioribus necessarium tempus impendere, nec expedit, nec congruit. Et melius credimus ea esse cæteris majora luminaria, quæ sancta Scriptura ita commendat, *Et fecit Deus duo luminaria magna: quæ tamen non sunt æqualia*. Nam consequenter dicit, cum ea cæteris præposuerit, inter seipsa differre. Ait enim, *Luminare majus in inchoationem diei, et luminare minus in inchoationem noctis*. Certe enim vel hoc concedent oculis nostris, ut ea manifestum sit amplius cæteris lucere super terram, nec diem clarere nisi luce solis, nec noctem tot stellis apparentibus ita lucere si luna desit, quemadmodum præsentia illius illustratur.

CAPUT XVII. — *In Genethliacos.*

35. De fatis autem siderum qualeslibet eorum argutias, et quasi de mathesi documentorum experimenta, quæ illi ἀποτέλεσμα vocant, omnino a nostræ fidei sanitate respuamus: talibus enim disputationibus etiam orandi causas nobis auferre conantur, et impia perversitate in malis factis, quæ rectissime reprehenduntur, ingerunt accusandum potius Deum auctorem siderum, quam hominem scelorum<sup>1</sup>. Sed quod animæ nostræ non sint natura corporibus ne quidem cœlestibus subditæ, audiant et philosophos suos: quia vero terrenis corporibus illa corpora superiora non ad ea quæ ipsi tractant potentiora sunt, vel hinc aliquando cognoscant, quia cum multa corpora diversorum generum, vel animantium, vel herbarum et arborum, uno simul puncto temporis seminentur, unoque puncto temporis innumerabiliter multa nascantur, non tantum diversis, sed etiam iisdem terrarum locis, tantæ sunt varietates in progressibus, in actibus et passionibus eorum, ut vere isti, sicut dicitur, perdant sidera, si ista considerant.

36. Quid autem insulsius et hebetius, quam cum istis rebus convincunt, dicere ad solos homines sibi subjiciendos fatalem stellarum pertinere rationem? In quibus tamen etiam ipsi de geminis vincuntur, quorum diverse viventium, diverse felicitum vel infelicitum, diverseque morientium, easdem plerumque constellationes accipiunt. Quia etsi interfuit aliquid cum de utero funderentur, in nonnullis tamen tantum interest, quantum ab istis comprehendere computatione non possit. Manus sequentis Jacob, dum nascerentur, inventa est pedem fratris præcedentis tenens; usque adeo sic nati sunt quasi unus infans in duplum prolixior nasci videretur (Gen. xxv, 25). Horum certe constellationes, quas appellant, nullo modo disparēs esse potuerunt. Quid ergo varius, quam ut illas constellationes intuens mathematicus, ad eundem horoscopus, ad eandem lunam, diceret unum eorum a matre dilectum, alterum non dilectum? Si enim aliud diceret, falsum profecto diceret; si autem hoc diceret, verum quidem, sed non secundum suorum librorum ineptas cantiunculas diceret. Quod si huic historiæ, quia de nostris profertur, nolunt credere, numquid et naturam rerum delere possunt? Cum ergo se minime falli dicant, si horam conceptionis invenerint, saltem sicut homines non dedignantur conceptum considerare geminorum.

37. Ideoque fatendum est, quando ab istis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cum ad decipiendos homines sit, spirituum seductorum operatio est: quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidior propter tam magnam longitudo vitam; partim sanctis Angelis quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam jussu ejus sibi revelantibus, qui merita humana occultissimæ justitiæ sin-

<sup>1</sup> Editi, *hominum scelera. Mss., hominem scelerrum.*

ceritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt. Quapropter bono christiano, sive mathematici, sive quilibet impie divinantium, maxime dicentes vera, cavendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant.

CAPUT XVIII. — *Difficultas de sideribus, an per spiritus regantur et ammentur.*

38. Solet etiam quæri, utrum cæli luminaria ista conspicua corpora sola sint, an habeant rectores quosdam spiritus suos : et si habent, utrum ab eis etiam vitaliter inspicientur, sicut animantur carnes per animas animalium, an sola sine ulla permixtione præ-

sentia. Quod licet in præsentī non facile comprehendi possit; arbitrator tamen in processu tractandarum Scripturarum opportunitiora loca posse occurrere, ubi nobis de hac re, secundum sanctæ auctoritatis regulas, etsi non ostendere certum aliquid, tamen credere licebit. Nunc autem servata semper moderatione piæ gravitatis, nihil credere de re obscura temere debemus; ne forte quod postea veritas patefecerit, quamvis libris sanctis sive Testamenti Veteris sive Novi nullo modo esse possit adversum, tamen propter auctoritatem nostri erroris oderimus. Nunc ad librum operis nostri jam tertium transcamus.

## LIBER TERTIUS.

De vers. 20 : *Et dixit Deus, Educant aquæ, et reliquis usque ad primi capituli finem.*



CAPUT PRIMUM. — *Animalium ex aquis educio prius narratur quam quæ de terra; quod aqua aeri, aer celo proximum elementum sit.*

1. *Et dixit Deus, Educant aquæ reptilia animarum vivarum, et volatilia super terram, secundum firmamentum cæli. Et factum est sic. Et fecit Deus celos magnos et omne animal reptilium, quæ eduxerunt aquæ secundum genus eorum; et omne volatile pennatum secundum genus. Et vidit Deus quia bona sunt, et benedixit ea Deus dicens: Crescite et multiplicamini, et replete aquas in mari, et volatilia multiplicentur super terram. Et facta est vespera, et factum est mane dies quintus.* Nunc in inferiore parte mundi, ea quæ spiritu vitæ moventur, sunt, et primum aquarum, quod aeris qualitate proximum elementum est; quia huic cælo, in quo sunt luminaria, ita vicinus est aer, ut et ipse cæli nomen acceperit; sed nescio utrum etiam firmamentum possit vocari. Dicuntur autem cæli pluraliter in una eademque re, quæ dicitur unum cælum. Nam cum in hoc libro singulari numero dicatur cælum, quod dividit inter aquas quæ supra, et eas quæ infra sunt; in illo tamen psalmo, *Et aquæ, inquit, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.* Et cælos cælorum si bene intelligimus sidereos aeriorum, tanquam superiores inferiorum, et hos in eodem psalmo accipimus, ubi dictum est, *Laudate eum, cæli cælorum* (*Psal. cXLVII, 4, 5*). Satis apparet hunc aereni, non solum cælum, sed etiam cælos dici: sicut dicuntur et terræ, nec aliud significatur, quam illa quæ singulariter terra dicitur, quando dicimus orbem terrarum, et orbem terræ.

CAPUT II. — *Cælos diluvio periisse, et aereni in aquas naturam transisse.*

2. Hos etiam aerios cælos quondam periisse diluvio in quadam earum quæ canonicæ appellantur, Epistola legimus (*II Pet. III, 6*). Neque enim humida illa natura, quæ ita concreverat, ut cubitis quindecim altissimorum montium transcenderet vertices (*Gen. VII, 20*), potuit ad sidera pervenire. Sed quia hujus aeris humidioris, in quo aves volitat, vel tota vel prope tota spatia com-

pleverat, periisse qui fuerant cælos in illa Epistola scribitur. Quod nescio quemadmodum possit intelligi, nisi in aquarum naturam pinguioris hujus aeris qualitate conversa: alioquin non perierunt (tunc isti cæli, sed sublimius erecti sunt, cum locum eorum aqua occupaverat. Itaque facilius eos secundum illius Epistolæ auctoritatem periisse credimus, et alios, sicut ibi scribitur, repositos (*II Pet. III, 5-7*), extenuatis videlicet exhalationibus, quam sic erectos, ut eis superioris cæli natura loco suo cederet.

3. Oportebat itaque ut in creandis habitatoribus inferioris hujus mundi partis, quæ sæpe terræ nomine tota commemoratur, prius producerentur ex aquis animalia, postea vero de terra: quod ita sit aeri aqua similis, ut ejus exhalationibus pinguescere probetur, ut et spiritum procellæ faciat, id est ventum, et nubila contrahat, et possit volatus avium sustinere. Quapropter etiamsi verum dixit quidam sæcularium poetarum, *Nubes excedit Olympus, et, Pacem summa tenent* (*Lucanus, lib. 2*); quia perhibetur in Olympi vertice aer esse tam tenuis, ut neque nubibus obumbretur, neque turbetur vento, neque sustentare alites possit, neque ipsos qui forte ascenderint homines, crassioris auræ spiritu alere, sicut in isto aere consueverunt: tamen et ipse aer est, unde aquis vicina qualitate diffunditur, et propterea ipse quoque in humidam naturam conversus diluvii tempore creditur. Neque enim arbitrandum est aliquid de spatiis siderei cæli usurpasse, cum omnes etiam altissimos montes aqua transcenderat.

CAPUT III. — *De elementorum commutatione sententiæ. Aer in Genesis historia non prætermisus.*

4. Quanquam de conversione elementorum, etiam inter ipsos qui hæc otiosa cura subtilissime perscrutati sunt, non parva quæstio est. Alii enim dicunt omnia in omnia posse mutari, atque converti: alii vero esse aliquid omnino proprium singulis perhibent elementis, quod in alterius elementi qualitate nullo modo vertatur. Unde fortassis suo loco, si Dominus

<sup>1</sup> *Mss. fere omnes, extenuis.*

voluerit, diligentius disputabimus: nunc autem quod ad presentem sermonem attinet, hæc commemoranda existimavi, ut intelligamus servatum esse ordinem rerum quo prius oportuit aquarum animalia quam terrarum narrari creata.

5. Nec ullo modo arbitrandum est prætermissum esse in hæc Scriptura ullum mundi hujus elementum, cum quatuor notissimis eum constare persuasum sit, quia videtur hic cælum, et aqua, et terra commemorari, de aere autem taceri. Consuetudo quippe nostrarum Scripturarum est, aut cœli et terræ nomine mundum appellare, aut interdum addere et mare. Aer itaque vel ad cælum pertinere intelligitur, si qua sunt in ejus superioribus partibus tranquillissima et pacatissima spatia; vel ad terram propter hunc turbulentum et caliginosum locum, qui humida exhalatione pinguescit, quamvis et ipse sæpius cœli nomine nuncupetur: ac per hoc non scriptum est, Producat aquæ reptilia animarum vivarum, et producat aer volatilia volantia super terram; sed utrumque hoc animantium genus ex aquis productum esse narratur. Quidquid ergo aquarum sive labiliter undosum et fluidum est, sive vaporaliter tenuatum atque suspensum, ut illud reptilibus animarum vivarum, hoc volatilibus appareat distributum, utrumque tamen humidæ naturæ deputatur.

CAPUT IV. — *Quinque sensus ad quatuor elementa referri.*

6. Ideoque sunt etiam qui subtilissima consideratione quinque istos manifestissimos corporis sensus secundum quatuor usitata elementa ita distinguant, ut oculos ad ignem, aures ad aerem dicant pertinere. Olfacendi autem gustandique sensum naturæ humidæ attribuant: et olfactum quidem istis exhalationibus humidis, quibus crassatur hoc spatium, in quo aves volitant; gustatum vero istis fluxibilibus et corpulentis humoribus. Nam quæcumque in ore sapiunt, ipsius oris humori commiscuntur ut sapiant, etiamsi arida cum acciperentur fuisse videantur. Ignis tamen omnia penetrat, ut motum in eis faciat. Nam et humor privatione caloris congelascit, et cum possint fervere cætera elementa, ignis frigesce non potest: facilius quippe exstinguitur, ut ignis non sit, quam frigidus maneat, aut sit alicujus frigidi contactu tepidior. Tactus autem, qui est quintus in sensibus, terreno elemento magis congruit: proinde per totum corpus animantis, quod maxime ex terra est, quæque tacta sentiuntur. Dicunt etiam nec videri sine igne posse aliquid, nec tangi sine terra. Ac per hoc elementa omnia in omnibus inesse; sed unumquodque eorum ex eo quod amplius habet accepisse vocabulum. Ideo autem caloris privatione, cum corpus nimie frigescit, obtundi sensum, quia motus pigrescit, qui ex calore inest corpori, dum ignis aerem, et aer humida, et humor terrena quæque afficit, subtilioribus scilicet crassiora penetrantibus.

7. Quanto autem quidque subtilius est in natura corporali, tanto est vicinius naturæ spirituali; quam-

<sup>1</sup> Editi, *frigescere*. At MSS. plerique, *fervescere*.

vis longe distante genere, quandoquidem illud corpus est, illud non est.

CAPUT V. — *Ut ad quatuor elementa varie se habet sentiendi vis in quinque sensibus.*

Ac per hoc quoniam sentire non est corporia, sed animæ per corpus, licet acute disseverat secundum diversitatem corporeorum elementorum sensus esso corporis distributos; anima tamen cui sentiendi vis inest, cum corporea non sit, per subtilius corpus agit vigorem sentiendi. Inchoat itaque motum in omnibus sensibus a subtilitate ignis, sed non in omnibus ad idem pervenit. In visu enim pervenit represso calore usque ad ejus lucem. In auditu usque ad liquidiorerem aerem calore ignis penetrat. In olfactu autem transit aerem purum, et pervenit ad humidam exhalationem, unde crassior hæc aura subsistit. In gustatu et hanc transit, et pervenit usque ad humorem corpulentiorerem: quo etiam penetrato atque trajecto, cum ad terrenam gravitatem pervenit, tangendi ultimum sensum agit.

CAPUT VI. — *Aeris elementum non esse prætermissum a scriptore Genesis.*

8. Non igitur ignorabat naturas elementorum eorumque ordinem, qui cum visibilibus, quæ intra mundum in elementis natura moventur, conditionem introduceret, prius cælestia luminaria, deinde aquarum animalia, terrarum autem postrema narravit: non quod aerem prætermiserit, sed quod purissimi et quietissimi aeris, ubi volare aves non posse dicuntur, si qua sunt spatia, cælo superiori conjunguntur, et cœli nuncupatione in Scripturis ad superiorem mundi partem pertinere intelliguntur: ut terræ nomine universaliter hoc totum significetur, ex quo incipit deorsum versus, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, et omnes abyssi*, donec perveniatur ad aridam quæ proprio nomine terra dicitur. Aer itaque ille superior, sive quod ad cælestem mundi pertinet partem, sive quod nullum habet visibilem habitorem, de qualibus nunc sermo narrantis est, neque præternisus est cælo nominato, neque annumeratus in creandis animalibus: iste vero inferior qui excipit exhalationes humidæ maris ac terræ, et ad sustinendas aves quodammodo crassatur, non nisi ex aquis accipit animalia. Quod enim ejus humidum est, hoc portat alitum corpora, quæ ita nituntur pennis volantes, quemadmodum pisces quibusdam suis alis natantes.

CAPUT VII. — *Volatilia ex aquis non immerita dicuntur creata.*

9. Proinde scienter tanquam Spiritus Dei, qui scribenti aderat, ex aquis dicit producta volatilia. Quorum natura <sup>1</sup> bipartitum locum sortita est; inferiorerem scilicet in unda labili, superiorem vero in aura flabili: illum deputatum natantibus, istum volantibus. Sicut huic elemento congruos duos etiam sensus animalibus datos videmus; olfactum explorandis vaporibus, gustatum explorandis liquoribus. Quod enim et tactu aquas ventosque sentimus, hoc est quod terræ

<sup>1</sup> MSS. quinque, *aquarum enim natura*. Sic etiam Aia. et Er.

solidum<sup>1</sup> omnibus admisceatur elementis: sed in his crassioribus sentitur amplius, ita ut etiam tangendo contractari valeant. Ideoque et ista in duabus maxime mundi partibus generaliter terræ nomine complectuntur: sicut ille psalmus ostendit, omnia superiora ab illo principio enumerans, *Laudate Dominum de cælis*; omniaque inferiora ab alio principio, *Laudate Dominum de terra*; ubi et spiritus tempestatis et omnes abyssi nominantur, et ignis iste qui urit tangentem (*Psal. cxlviii, 1-8*), quia de terrenis et humidis motibus ita existit, ut subinde vertatur in aliud elementum. Et quamvis naturæ suæ sursum nitendo indicet appetitum, in cœlestem tamen superiorem tranquillitatem non potest evadere; quia multo aere superatus et in eum conversus exstinguitur: ac per hoc in ista rerum parte corruptibilior atque pigriore turbulentis motibus agitur ad temperandum ejus rigorem, et ad usus terroresque mortalium.

10. Quia ergo etiam tactu, qui ad terram proprie pertinet, sentiri possunt et fluctus undarum, et flatus aurarum, propterea ipsa quoque aquatillum animalium corpora et terrenis vescuntur, et maxime aves; in terra etiam requiescunt, fetusque propagant: pars enim humoris quæ vaporaliter exhalatur, etiam super terras extenditur. Ideoque cum dixisset Scriptura, *Educant aquæ reptilia animarum vivarum, et volatilia, inquit, super terram*; addidit sane, dicens, *secundum firmamentum cæli*, in quo potest aliquanto manifestius apparere illud quod antea videbatur obscurum. Non enim ait, *In firmamento cæli*, sicut de luminaribus; sed, *volantia*, inquit, *super terram, secundum firmamentum cæli*, id est juxta firmamentum cæli: quia videlicet hoc caliginosum et humidum spatium, in quo aves volant, illi spatio contiguum est, ubi volare non possunt, quod jam merito tranquillitatis et quietis pertinet ad firmamentum cæli. In cœlo ergo volant aves, sed in isto, quod ille psalmus etiam terræ nomine includit; propter quod cœlum vocantur multis locis volatilia cæli: non tamen in firmamento, sed secundum firmamentum.

CAPUT VIII. — *Reptilia animarum vivarum pisces cur appellati.*

11. Nonnulli putant propter sensus tarditatem non animam vivam, sed *reptilia animarum vivarum* appellata. Sed si propterea sic appellarentur, avibus daretur nomen animæ vivæ. Cum vero et ipsa volatilia dicta sunt, sicut illa, reptilia, ut subaudiatur animarum vivarum; fatendum est, ut arbitrator, ita dictum, ac si diceretur, Quæ sunt in animabus vivis reptilia vel volatilia: sicut dici posset, Ignobilia hominum, ut intelligeremus, quicumque sunt in hominibus ignobiles. Quoniam enim sint et animalia terrestria quæ repunt super terram; tamen ex multo majore numero pedibus moventur, et tam pauca fortasse in terris repunt, quam pauca in aquis gradiuntur.

12. Nonnulli autem putaverunt propterea non animam vivam, sed *reptilia animarum vivarum* pisces esse appellatos, quod eis memoria nulla sit, nec ali-

<sup>1</sup> Sic Mss. At editi, *terra solida*.

qua vix velut rationi viciniore. Sed fallit eos experientia minor. Nam quidam scripserunt, quæ animadvertere potuerunt in vivariis piscium, multa miranda. Sed etiamsi forte falsa scripserunt, memoriam tamen pisces habere certissimum est. Quod ipse sum expertus, et experiantur qui possunt et volunt. Nam fons quidam magnus Bullensium-regiorum, fere plenus est piscium. Solent autem homines desuper intuentes eis aliquid jacere, quod sibi vel præripiant confluentes, vel inter se diripiant concertantes. Quo pacto assueti, deambulantibus super oram fontis hominibus, ipsi quoque cum eis congregatim natando eunt et redeunt, exspectantes unde aliquid jacent, quorum præsentiam sentiunt. Non itaque frustra mihi videtur aquarum animalia sic appellata reptilia, quemadmodum aves volatilia: nam si vel nulla memoria, vel sensus tardior, animæ vivæ nomen repulisset a piscibus, volatilibus certe adhiberetur, quorum vita in oculis nostris est et memor et garrula<sup>1</sup>, et in nidis construendis educandisque fetibus solertissima.

CAPUT IX. — *Quod quidam philosophi cuique elemento sua animalia tribuerunt.*

13. Nec ignoro, ita quosdam philosophos sua cuiusque elementi distribuisse animalia, ut terrena esse dicerent, non tantum quæ in terra repunt atque gradiuntur, sed aves etiam quod et ipsæ in terra requiescant, volando fatigatæ: aëria vero animalia dæmones esse; cœlestia, deos; quorum quidem nos partim luminaria, partim Angelos dicimus. Iidem tamen aquis pisces et sui generis belluas attribuunt, ut nullum elementum suis animalibus vacet: quasi vero sub aquis terra non sit, aut probare possint pisces non in ea requiescere ac reparare natandi vires, sicut volandi aves; et si forte rarius pisces id faciunt, quod ad gestanda corpora sit unda quam aura validior, ita ut terrena quoque animalia natantia ferat, sive usu docta, ut homines, sive natura, ut quadrupedia vel serpentes. Aut si propterea non putant, quia non insunt pedes piscibus; nec phocæ aquarum sunt, nec colubri cochleæque terrarum: nam et illæ pedes habent, et hæc genera sine ullis pedibus, non dico, requiescunt in terra, sed ab ea vix aut nunquam redeunt. Dracones autem sine pedibus et in speluncis requiescere, et in aerem sustolli perhibentur: qui quanquam non facile noti sint, litteræ tamen, non tantum nostræ, sed etiam Gentilium, nequaquam de istorum animantium genere tacuerunt.

CAPUT X. — *Concesso dæmones esse aëria animalia, nihil detrahitur Scripturæ docenti producta fuisse ex aquis volatilia. Venti, tonitrua, nubes, pluvia,nix, grando, serenitas.*

14. Quapropter, etsi dæmones aëria sunt animalia, quoniam corporum aëriorum natura vigent; et propterea morte non dissolvuntur; quia prævalet in eis elementum, quod ad faciendum quam ad patiendum est aptius; duobus subterpositis, aqua scilicet et terra, uno autem superposito, id est igne sidereo: distribuuntur enim elementa ad patiendum duo,

<sup>1</sup> Mss. aliquot, *est memoratu garrula*.

humor et humus; ad faciendum autem aëria duo, aer et ignis: si ergo hæc ita sunt, non impedit ista distinctio nostram Scripturam, quæ non ex aere, sed ex aquis producta indicat volatilia; quia subtilioris quidem et in auras exhalati atque distenti, sed tamen humoris locus volatilibus datus est. Aer autem a confinio luminosi cœli usque ad aquarum fluida et nuda terrarum pervenit. Non tamen totum spatium ejus exhalationes humidæ infuscant, sed usque ad eum finem, unde incipit etiam terra nominari, secundum illum psalmum ubi dicitur, *Laudate Dominum de terra* (Psal. cXLVIII, 7). Superior vero pars aeris, propter puram tranquillitatem, cœlo cui collimitatur, communi pace conjungitur, et ejus vocabulo nuncupatur. In qua fortassis parte si fuerunt ante transgressionem suam transgressores angeli cum principe suo, nunc diabolo, tunc archangelo (nam nonnulli nostri, non eos putant cœlestes vel supercœlestes angelos fuisse), non mirum si post peccatum in istam sunt detrusi caliginem; ubi tamen et aer sit, et humore tenui contextatur, qui commotus ventos, et vehementius concitatus etiam ignes et tonitrua, et contractus nubila, et conspissatus pluviam, et congelantibus nubilis nivem, et turbulentius congelantibus densioribus nubilis grandinem, et distentus serenum facit, occultis imperiis et opere Dei, a summis ad infima universa quæ creavit administrantis. Unde in illo psalmo cum commemorata essent, *ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis*; ne talia sine divina providentia fieri moverique putarentur, continuo subjecit, *Quæ faciunt verbum ejus* (Id. 8).

15. Si autem transgressores illi antequam transgrederentur, cœlestia corpora gerebant, neque hoc mirum est, si conversa sunt ex pœna in aeriam qualitatem, ut jam possint ab igne, id est ab elemento naturæ superioris aliquid pati: nec aeris saltem spatia superiora atque puriora, sed ista caliginosa tenere permisi sunt, qui eis pro suo genere quidam quasi carcer est, usque ad tempus judicii. Et si quid de his transgressoribus angelis diligentius requirendum est, alius erit accommodatior Scripturæ locus. Proinde quod nunc satis est, si hæc spatia turbida et procellosa, propter aeris naturam usque ad undas terrasque porrectam<sup>1</sup>, possunt aëria corpora sustinere; possunt et avium quæ producta sunt ex aquis, propter aquarum tenues halitus: qui scilicet eidem aëri juxta undas et terras circumfuso, atque ob hoc infimæ ac terrenæ parti deputato, vaporaliter inseruntur, et auras intexunt, quæ nocturnis rigoribus aggravatæ sereno etiam rore distillant; si autem vehementius frigus est, etiam gelu candidius inalbescunt.

CAPUT XI. — *Tractatur vers. 24 et 25, ubi de variis animantium generibus creatis de terra.*

16. *Et dixit Deus, Educat terra animam vivam secundum genus: quadrupedia, et reptilia, et bestias terræ secundum genus, et pecora secundum genus. Et factum est sic. Et fecit Deus bestias terræ secundum genus, et pecora secundum genus, et omnia reptilia terræ secun-*

*dum genus. Et vidit Deus quia bona sunt.* Jam nunc consequens erat ut alteram partem, quæ proprie terra dicitur, infimi hujus loci, quem totum cum omnibus abyssis et nebuloso aere universaliter vocabulo terræ alibi Scriptura complectitur, ornaret animalibus suis. Et manifesta quidem sunt animalium genera, quæ in verbo Dei terra produxit. Sed quia sæpe nomine pecorum vel nomine bestiarum, animalia omnia rationis expertia solent intelligi, merito quæritur quas nunc proprie bestias, et quæ pecora dicat. Et repentina quidem sive reptilia terrena, non est dubitandum quod omnes serpentes<sup>1</sup> intelligi voluit; quanquam et bestiarum dici possint: pecorum autem nomen non usitate serpentibus convenit. Rursum leonibus, et pardis, et tigrilibus, et lupis, et vulpibus, canibus etiam et sinis, atque id genus cæteris usitate convenit vocabulum bestiarum. Pecorum autem nomen his animalibus accommodatius aptari solet, quæ sunt in usu hominum: sive adjuvandis laboribus, ut boves et equi, et si qua talia; sive ad lanificium<sup>2</sup>, vel ad vescendum, ut oves et sues.

17. Quid ergo sunt quadrupedia? Quanquam enim hæc omnia, præter quædam serpentina, quatuor pedibus gradiantur, nisi tamen hoc nomine proprie quædam vellet intelligi, non utique hic etiam quadrupedia nominaret, quamvis de his in repetitione tacuerit. An cervi, et damulæ, et onagri, et apri (quia neque illis bestiis ubi leones sunt, conjungi possunt; similes enim sunt illis pecoribus, neque tamen sub humana cura sunt) proprie quadrupedia nuncupata sunt; quasi reliqua essent hæc animalia, quibus ista appellatio generalis quidem cum multis propter numerum pedum, sed tamen speciali significatione tribueretur? An quia *ter* dixit, *secundum genus*, tria quædam genera nos invitat attendere? Primo, *secundum genus* quadrupedia et reptilia; ubi arbitror significatum quæ quadrupedia dixerit, scilicet quæ in genere sunt reptilium, sicut sunt lacerti, stelliones, et si quid hujusmodi est. Ideoque in repetitione quadrupedum nomen non iteravit, quia reptilium vocabulo fortasse complexus est: unde ibi non simpliciter ait, reptilia; sed addit, *omnia reptilia terræ*. Ideo *terræ*, quia sunt et aquarum; et ideo *omnia*, ut illic intelligantur quæ quatuor etiam pedibus nituntur, quæ superius quadrupedum nomine proprie significata sunt. Bestias autem, de quibus item ait, *secundum genus*, quidquid ore aut etiam unguibus sævit, exceptis serpentibus. Pecora vero de quibus tertio ait, *secundum genus*, quæ neutra vi lacerant, sed aut cornibus, aut ne hoc quidem. Prædixi enim et quadrupedum nomen quam late pateat, ipso pedum numero facile agnosci, et nomine pecorum vel bestiarum omne irrationale animal aliquando comprehendendi. Sed etiam ferarum vocabulum solet in latina lingua tantumdem valere: non ideo tamen negligenda fuit consideratio, quomodo possint hæc nomina, quæ non frustra in hoc Scripturarum loco posita sunt, etiam speciali distinctione discerni,

<sup>1</sup> Editti, porrecta. Emendamus auctoritate Mss., porrectum.

<sup>1</sup> Plures e Mss., repentes.

<sup>2</sup> In Mss. prope omnibus, lanichum.

quod in usu loquendi quotidiano facile animadverti potest.

CAPUT XII. — *Quid secundum genus, quod de quibusdam creaturis, non de homine dicitur.*

18. Non frustra etiam lectorem movet utrumne pœnam et quasi fortuito an aliqua ratione dicatur, *secundum genus*, tanquam fuerint et antea, cum primo creata narrentur<sup>1</sup>: an genus eorum in superioribus rationibus intelligendum est, utique spiritualibus, secundum quas creantur inferius. Sed si ita esset, hoc de luce, hoc de cœlo, hoc de aquis et terris, hoc de cœli luminaribus diceretur. Quid enim eorum est, cuius non æterna et incommutabilis ratio in ipsa Dei Sapientia vigeat, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter? (*Sap. viii, 1.*) Incipit autem hoc dici de herbis et lignis, usque ad hæc terrena animantia. Nam et in eis quæ ex aquis creata sunt, quamvis in prima commemoratione dictum non sit; in illa tamen iteratione dictum est, *Et fecit Deus cetos magnos et omnem animam animalium reptilium, quæ eduxerunt aquæ secundum genus eorum; et omne volatile pennatum secundum genus.*

19. An quia hæc ita exorta sunt, ut ex eis alia nascerentur, et originis formam successione servarent, ideo dicantur *secundum genus*, propter propagationem prolis, qua permansura creabantur? Sed cur de herbis et lignis non solum dicitur, *secundum genus*, verum etiam *secundum similitudinem*, cum et animalia sive aquarum sive terrarum secundum similitudinem suam generent? An, quia genus sequitur similitudo, noluit eam ubique repetere? Nam et semen non ubique repetivit; cum tam herbis et lignis insit, quam animalibus, etiam non omnibus. Observatum est enim quædam ita nasci ex aquis vel terra, ut sexus eis nullus sit; et ideo semen eorum non sit in eis, sed in elementis ex quibus oriuntur. Hoc est ergo *secundum genus*, ubi et semen vis et similitudo intelligitur succedentium decedentibus<sup>2</sup>; quia nihil eorum ita creatum est, ut semel existeret, vel permansurum, vel nullo succedente decessurum.

20. Cur ergo et de homine non ita dictum est, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, *secundum genus*, cum et hominis propago manifesta sit? An quia non ita Deus fecerat hominem ut moreretur, si præceptum servare voluisset, et ideo non erat necessarius decessori successor: sed post peccatum comparatus est pecoribus insensatis, et similis factus est eis (*Psal. xlviii, 13*); ut jam filii sæculi hujus generent et generentur, quo possit mortaliu genus servata successione subsistere? Quid sibi ergo vult post hominem factum illa benedictio, *Crescite et multiplicamini, et implete terram*; quod utique fieri posset generando? An nihil hinc temere dicendum, donec ad eum Scripturæ locum perveniamus, ubi diligentius ista requirenda atque tractanda sunt? Potest enim nunc fortasse sufficere, propterea de homine non dictum esse, *secundum genus*, quia unus fiebat,

de quo etiam femina facta est. Non enim multa genera hominum, sicut herbarum, lignorum, piscium, volatiliu, serpentium, pecorum, bestiarum: ut sic dictum accipiamus, *secundum genus*, ac si diceretur generatim, ut inter se similia atque ad unam originem seminis pertinentia distinguerentur a cæteris.

CAPUT XIII. — *Benedictio cur solis aquatilibus sicut homini impertita. Officium gignendi.*

21. Item quæritur quid tantum aquarum animalia de Creatore meruerint, ut sola benedicerentur, sicut homines. Nam et ipsa benedixit Deus, dicens: *Crescite et multiplicamini, et implete aquas maris, et volatilia multiplicentur super terram.* An in uno creaturæ genere dicendum fuit, ut in cæteris consequenter intelligeretur, quæ generationibus crescunt? Prius ergo diceretur in eo quod primum tale creatum est, in herba scilicet atque ligno. An forte quæ nullum haberent propagandæ prolis affectum, ac sine ullo sensu generarent, indigna iudicavit illis benedictionis verbis, *Crescite et multiplicamini*: ubi autem talis inesset affectus, ibi primum hoc dixit, ut in terrenis animalibus etiam non dictum intelligeretur? Necessarium autem fuit hoc in homine repetere, ne quisquam diceret in officio gignendi filios ullum esse peccatum, sicut est in libidine, sive fornicandi, sive ipso conjugio immoderatus abutendi.

CAPUT XIV. — *De insectorum creatione.*

22. Nonnulla etiam de quibusdam minutissimis animalibus quæstio est, utrum in primis rerum<sup>1</sup> conditiõibus creata sint, an ex consequentibus rerum mortalium corruptionibus? Nam pleraque eorum aut de vivorum corporum vitis, vel purgamentis, vel exhalationibus aut cadaverum tabe gignuntur; quædam etiam de corruptione lignorum et herbarum, quædam de corruptionibus fructuum: quorum omnium non possumus recte dicere Deum non esse creatorem. Inest enim omnibus quoddam naturæ sui generis decus, sic ut in his major sit admiratio bene considerantis, et laus uberior omnipotentis artificis; qui omnia in sapientia fecit (*Psal. ciii, 24*), quæ a fine usque ad finem pertendens, et suaviter cuncta disponens (*Sap. viii, 1*), nec ea ipsa rerum novissima, quæ pro sui generis ordine dissolvantur, et quarum dissolutionem ex pœna nostræ mortalitatis horremus, relinquit informia: sed creat minima corpore, acuta sensu, animantia; ut majore attentione stupeamus agilitatem muscæ volantis, quam magnitudinem iumentum gradientis, ampliusque miremur opera fornicularum, quam onera camelorum.

23. Sed utrum in primis, ut dixi, rerum conditionibus, quæ isto sex dierum ordine creatæ narrantur, hæc quoque minima instituta credamus, an postea consequentibus corruptibilium corporum solutionibus, hoc quæritur. Et potest quidem dici ea minutissima, quæ ex aquis vel terris oriuntur, tunc creata: in quibus etiam illa non absurde intelliguntur, quæ nascuntur ex his quæ terra germinante orta sunt; et quæ

<sup>1</sup> In plurimis et optimæ notæ Mss., *narrentur*.

<sup>2</sup> Mss. *tredecim, succedentium de succedentibus.*

<sup>1</sup> *LOV., rerum mortalium. Abest mortalium ab aliis libris.*



præcesserant conditionem, non solum animalium, sed etiam luminarium; et quia terræ continuantur per radicum connexionem, unde illo die quo apparuit arida, exorta sunt, ut potius ad supplementum habitationis, quam ad numerum habitatorum pertinere intelligantur. Cætera vero quæ de animalium gignuntur corporibus, et maxime mortuorum, absurdissimum est dicere tunc creata, cum animalia ipsa creata sunt: nisi quia inerat jam omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis, et quasi præseminata et quodammodo licata<sup>1</sup> primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro suo quæque genere ac differentiis erant exortura, per administrationem ineffabilem omnia movente incommutabili Creatore.

CAPUT XV. — *De creatione animalium venenatorum.*

24. De generibus quoque animalium venenosis et perniciosis quæri solet, utrum post peccatum hominis ad vindictam creata sint; an potius cum jam creata essent innoxia, nonnisi postea peccatoribus nocere cœperint. Neque hoc mirum est, quandoquidem etiam temporibus hujus vitæ laboriosæ atque ærumnosæ, cum ita sit nemo justus ut perfectum se audeat dicere, fideliter attestante Apostolo et dicente, *Non quia jam acceperim, aut etiam perfectus sim (Philipp. III, 12)*; cumque adhuc exerceandæ atque in infirmitate perficiendæ virtuti necessarie sint tentationes et molestiæ corporales, eodem rursus Apostolo manifestante qui ait, in magnitudine revelationum ne extolleretur, datum sibi esse stimulum carnis, angelum satanæ, ut eum colaphizaret, rogatumque a se Dominum tertio, ut discederet ab eo, respondiisse sibi, *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur (II Cor. XII, 7-9)*; tamen et sanctus Daniel inter leones salvus atque intrepidus vixit (*Dan. VI, 22; et XIV, 38*), qui non utique Deo mentiens in oratione, non tantum peccata populi sui, sed etiam sua fatetur (*Id. IX, 4-19*); et in ipsius Apostoli manu mortifera vipera inhæsit, nec læsit (*Act. XXVIII, 5*). Potuerunt ergo ista etiam creata nihil nocere, si causa non exstitisset vel terrendorum puniendorumque vitiorum, vel probandæ perficiendæque virtutis: quia et exempla sunt demonstranda patientiæ, ad profectum cæcerorum; et ipse sibi homo in tentationibus certius innotescit; et justæ salutis illa perpetua, quæ turpiter amissa est per voluptatem<sup>2</sup>, fortiter recipitur per dolorem.

CAPUT XVI. — *Bestiæ invicem nocentes cur creatæ.*

25. Dicit aliquis: Cur ergo invicem bestiæ nocent, quibus nec peccata ulla sunt, ut vindicta ista dicatur, nec ullam recipiunt tali exercitatione virtutem? Ideo nimirum, quia scilicet aliæ cibi sunt aliarum. Nec recte possumus dicere: Non essent aliæ quibus aliæ

<sup>1</sup> Er. et Lov.: *Præseminata materia, et quodammodo incitata primordia.* Mss. vero carent voce, *materia*: proque *incitata*, habent *licata*; uti etiam editio Am. Quod vocabulum intelliges ex lib. 23 de Civitate Dei, cap. 14; ubi membra omnia esse latentem in semine, et nascentes perfectionis modum, non in mole, sed in ratione jam habere perfectionis: « in qua ratione, ait, uniuscujusque materiæ incitata corporali jam quodammodo, ut ita dicam, licitatum videtur, quod nondum est, imo quod latet, sed accessu temporis erit, vel potius apparebit. »

<sup>2</sup> In editis, per voluptatem. At in Mss.,

vescerentur. Habent enim omnia, quamdiu sunt, mensuras, numeros, ordines suos; quæ cuncta merito considerata laudantur, nec sine occulta pro suo genere moderatione pulchritudinis temporalis, etiam ex alio in aliud transeundo, mutantur. Quod etsi stultos latet, subluceat proficientibus, clarumque perfectis est. Et certe omnibus talibus inferioris creaturæ motibus præbentur homini salubres admonitiones, ut videat quantum sibi satagendum sit pro salute spirituali et sempiterna, qua omnibus irrationalibus animantibus antecellit; cum illa videat a maximis elephantis usque ad minimos vermiculos pro salute corporali et temporali, quam pro sui generis inferiore ordinatione sortita sunt, sive resistendo, sive cavendo, agere quidquid valent: quod non apparet, nisi cum quædam refectorem corporis sui ex aliorum corporibus quærent; alia se vel repugnandi viribus, vel fugæ præsidio, vel latebrarum munimine tventur. Nam et ipse corporis dolor in quolibet animante magna et mirabilis animæ vis est, quæ illam compagem ineffabili permixtione vitaliter continet, et in quamdam sui moduli redigit unitatem, cum eam non indifferenter, sed, ut ita dicam, indignanter, patitur corrumpi atque dissolvi.

CAPUT XVII. — *Scrupulus de corporibus mortuorum devoratis.*

26. Illud etiam fortasse aliquem moveat, si animalia noxia vivos homines aut pœnaliter lædunt, aut salubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent, cur in escas suas dilacerant etiam corpora hominum mortuorum? Quasi vero quidquam intersit ad nostram utilitatem, ista caro jam exanimis in naturæ profunda secreta per quos transitus eat, unde mirabili omnipotentia Creatoris reformanda rursus cruatur. Quanquam et hinc fiat quædam prudentibus admonitio, ut se ita commendent fideli Creatori, omnia maxima et minima occulto nutu administranti, cui nostri etiam capilli numerati sunt (*Luc. XII, 7*), ne propter inanes curas exanimatorum corporum suorum ulla genera mortium perhorrescant, sed piæ fortitudinis nervos ad omnia præparare non dubitent.

CAPUT XVIII. — *Spinæ et tribuli lignaque infructuose cur et quando creatæ.*

27. Talis etiam questio de spinis et tribulis solet oboriri, et de quibusdam lignis infructuosis, vel cur vel quando creata sint, cum Deus dixerit, *Producat terra herbam pabuli seminantem semen, et lignum fructiferum faciens fructum.* Sed qui ita moventur, non intelligunt saltem de usitatis formulis humani juris, quemadmodum appelletur usufructus. Utilitas enim quædam fruentium in fructus nomine consideratur. Quantæ autem sint utilitates, sive manifestæ, sive occultæ, omnium quæ terra gignens radicibus alit, et ipsi quædam intueantur, et ab expertis cætera inquirent.

28. Et de spinis quidem ac tribulis absolutior potest esse responsio, quia post peccatum dictum est homini de terra, *Spinæ et tribulos pariet tibi (Gen. III, 18)*. Nec tamen facile dicendum est tunc cœpisse ista oriri ex terra. Fortassis enim quoniam in ipsis

quoque generibus seminum multæ reperiuntur utilitates, poterant habere locum suum sine ulla poena hominis. Sed ut in agris in quibus jam pœnaliter laborabat, etiam ista nascerentur, hoc ad cumulum poenæ valere credi potest, cum possent alibi nasci, vel ad avium pecorumque pastus, vel ad ipsorum hominum aliquos usus. Quanquam et ille sensus non abhorret ab his verbis, quo ita intelligitur dictum *Spinas et tribulos pariet tibi*; ut hæc etiam antea terra pariens, non tamen homini pareret ad laborem, sed cujusmodi animalibus convenientem cibum; sunt enim quæ his generibus, et mollioribus et aridioribus commode suaviterque vescantur: tunc autem cœperit ista homini parere ad ærumnosum negotium, cum post peccatum cœpit in terra laborare. Non quod aliis locis hæc antea nascerentur, et post in agris quos homo ad capiendas fruges coleret; sed et prius et postea in eisdem locis: prius tamen non homini, post autem homini; ut hoc significetur quod additum est, *tibi*: quia non est dictum, *Spinas et tribulos pariet, sed, pariet tibi*; id est ut tibi jam ista nasci incipiant ad laborem, quæ ad pastum tantummodo aliis animalibus antea nascebantur.

CAPUT XIX. — *De vers. 26, 27, etc. Cur in solius hominis creatione dictum, Faciamus.*

29. *Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et dominetur piscium maris et volatilium cæli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium reptilium reptentium super terram. Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum: masculum et feminam fecit eos. Et benedixit eos Deus dicens: Crescite, et multiplicamini, et implete terram, et dominamini ejus, et principamini piscium maris, et volatilium cæli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium reptilium reptentium super terram. Et dixit Deus, Ecce dedi vobis omne pabulum seminale, seminans semen quod est super omnem terram, et omne lignum quod habet in se fructum seminis seminalis; vobis erit ad escam, et omnibus bestiis terræ, et omnibus volatilibus cæli, et omni reptili repenti super terram, quod habet in se spiritum vitæ; et omne pabulum viride in escam. Et factum est sic. Et vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde. Et facta est vespera, et factum est mane dies sextus.* Etiam atque etiam de natura hominis post erit uberior considerandi et diligentius disserendi locus. Nunc tamen, ut opera sex dierum nostra inquisitio pertractatioque concludat, hoc primum breviter dicimus, non indifferenter accipiendum quod in aliis operibus dicitur, *Dixit Deus, Fiat*; hic autem, *Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*: ad insinuandam scilicet, ut ita dicam, pluralitatem personarum propter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Quam tamen deitatis unitatem intelligendam statim admonet, dicens, *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei*; non quasi Pater ad imaginem Filii, aut Filius ad imaginem Patris; alioquin non vere dictum est, *ad imaginem nostram*, si ad Patris solius, aut Filii solius imaginem factus est homo: sed ita dictum est, *fecit Deus ad imaginem Dei*: tanquam diceretur,

fecit Deus ad imaginem suam. Com autem nunc dicitur, *ad imaginem Dei*, cum superius dictum sit, *ad imaginem nostram*; significatur quod non id agit illa pluralitas personarum, ut plures deos vel dicamus, vel credamus, vel intelligamus; sed Patrem et Filium et Spiritum sanctum, propter quam Trinitatem dictum est *ad imaginem nostram*, unum Deum accipiamus, propter quod dictum est, *ad imaginem Dei*.

CAPUT XX. — *In quo homo factus sit ad imaginem Dei. Cur de hominis creatione non dicitur, Et sic est factum.*

30. Hic etiam illud non est prætereundum, quia cum dixisset, *ad imaginem nostram*; statim subjunxit, *et habeat potestatem piscium maris et volatilium cæli*, et cæterorum animalium rationis expertium: ut videlicet intelligamus in eo factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationalibus animantibus antecellit. Id autem est ipsa ratio, vel mens, vel intelligentia, vel si quo alio vocabulo commodius appellatur. Unde et Apostolus dicit, *Renovamini in spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem (Ephes. iv, 23, 24), qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum (Coloss. iii, 10)*; satis ostendens ubi sit homo creatus ad imaginem Dei, quia non corporeis lineamentis, sed quadam forma intelligibili mentis illuminatæ.

31. Ac per hoc sicut in illa prima luce, si eo nomine recte intelligitur facta lux intellectualis particeps æternæ atque incommutabilis sapientiæ Dei, non dictum est, Et sic est factum, ut deinde repeteretur, Et fecit Deus: quia sicut jam, quantum potuimus, disce-ruimus, non fiebat cognitio aliqua Verbi Dei in prima creatura, ut post eam cognitionem inferius crearetur, quod in eo Verbo creabatur; sed ipsa prima creabatur lux, in qua fieret cognitio Verbi Dei, per quod creabatur, atque ipsa cognitio illi esset ab informitate sua converti ad formantem Deum, et creari, atque formari: postea vero in cæteris creaturis dicitur, *Et sic est factum*; ubi significatur in illa luce, hoc est in intellectuali creatura, prius facta Verbi cognitio; ac deinde cum dicitur, *Et fecit Deus*, ipsius creaturæ genus fieri demonstratur, quod in Verbo Dei dictum erat ut fieret: hoc et in hominis conditione servatur. Dixit enim Deus, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, etc. Ac deinde non dicitur, *Et sic est factum*; sed jam subinfertur, *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei*: quia et ipsa natura scilicet intellectualis est, sicut illa lux, et propterea hoc est ei fieri, quod est agnoscere Verbum Dei per quod fit.

32. Nam si diceretur, *Et sic est factum*, et postea subinferretur, *Et fecit Deus*; quasi prius factum intelligeretur in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in aliqua creatura quæ rationalis non esset: quia vero et ipsa rationalis creatura est, et ipsa eadem cognitione perfecta est. Sicut enim post lapsum peccati homo in agnitione Dei renovatur, secundum imaginem ejus qui creavit eum; ita in ipsa agnitione creatus est, antequam delicto veterasceret, unde rursus in eadem agnitione renovaretur. Quæ autem non in ea cogni-

tunc creata sunt, quia sive corpora sive irrationales animæ creabantur, primo facta est in creatura intellectuali cognitio eorum a Verbo, quo dictum est ut fierent: propter quam cognitionem primo dicebatur, *Et sic est factum*: ut ostenderetur facta ipsa cognitio in ea natura, quæ hoc in Verbo Dei ante cognoscere poterat; ac deinde fiebant ipsæ corporales et irrationales creaturæ, propter quod deinceps addebatur, *Et fecit Deus*.

CAPUT XXI. — *De hominis immortalitate difficultas ex cibo ipsi præstito.*

33. Quomodo autem homo immortalis factus sit, et acceperit escam cum aliis animalibus, herbam pabuli ferentem semen, et lignum fructiferum, et herbam viridem, difficile est dicere. Si enim peccato mortalis effectus est, utique ante peccatum non indigebat talibus cibis. Neque enim posset corpus illud fame corrumpi. Nam illud quod dictum est, *Crescite et multiplicamini, et implete terram*, quanquam nisi per concubitum maris et feminæ fieri non posse videatur; unde hinc quoque mortalium corporum existit iudicium: potest tamen dici, alium modum esse potuisse in corporibus immortalibus, ut solo piæ charitatis affectu, nulla corruptionis concupiscentia filii nascerentur, nec mortuis parentibus successuri, nec ipsi morituri; donec terra immortalibus hominibus impleretur, ac sic instituto justo et sancto populo, qualem post resurrectionem futuram credimus, nascendi etiam modus fieret: potest quidem dici, et quomodo dicatur, alia consideratio est; sed non etiam hoc quisquam dicere audebit, ciborum indigentiam quibus resciantur, nisi mortalibus corporibus esse posse<sup>1</sup>.

CAPUT XXII. — *Opinio quorundam animæ creationem signari his verbis, Et fecit, etc., corporis vero istis, Et finxit Deus, etc.*

34. Nonnulli autem etiam hoc suspicati sunt, nunc interiorem hominem factum, corpus autem hominis postea, cum ait Scriptura, *Et finxit Deus hominem de limo terræ*: ut quod dictum est, *fecit*, ad spiritum pertineat; quod autem, *finxit*, ad corpus. Nec attendunt masculum et feminam non nisi secundum corpus fieri potuisse. Licet enim subtilissime disseratur, ipsam mentem hominis in qua factus est ad imaginem Dei, *quandam* scilicet rationalem vitam, distribui in æternæ contemplationis veritatem, et in rerum temporalium administrationem<sup>2</sup>; atque ita fieri quasi masculum et feminam, illa parte consulente, hac obtemperante: in hac tamen distributione non recte dicitur imago Dei, nisi illud quod inhæret contemplandæ incommutabili veritati. In cuius rei figura Paulus apostolus virum tantum dicit imaginem et gloriam Dei: *Mulier autem*, inquit, *gloria viri est* (1 Cor. xi, 7). Itaque quamvis hoc in duobus hominibus diversi sexus exterius secundum corpus figuratum sit, quod etiam in una hominis interius mente intelligitur; tamen et femina quæ est corpore femina, renovatur etiam ipsa in spi-

<sup>1</sup> In excusis habebatur: *Quibus reficiebantur, nisi mortalibus corporibus esse non posse*. Verior Mss. lectio, quam in textu exhibemus.

<sup>2</sup> Fditi: *et in quandam... administrationem*. Absc. *quandam* a Mss.

ritu mentis suæ in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit, ubi non est masculus et femina. Sicut autem ab hac gratia renovationis, et reformatione imaginis Dei, non separantur feminæ, quamvis in sexu corporis earum aliud figuratum sit, propter quod vir solus dicitur esse imago et gloria Dei; sic et in ipsa prima conditione hominis, secundum id quod et femina homo erat, habebat utique mentem suam eandemque rationalem, secundum quam ipsa quoque facta est ad imaginem Dei. Sed propter unitatem conjunctionis, *Fecit Deus*, inquit, *hominem ad imaginem Dei*. Ac ne quisquam putaret solum spiritum hominis factum, quamvis secundum solum spiritum fieret ad imaginem Dei, *Fecit illum*, inquit, *masculum et feminam*, ut jam etiam corpus factum intelligatur. Rursum ne quisquam arbitraretur ita factum, ut in homine singulari uterque sexus exprimeretur, sicut interdum nascuntur, quos androgynos vocant; ostendit se singularem numerum propter conjunctionis unitatem posuisse, et quod de viro mulier facta est, sicut postea manifestabitur, cum id quod hic breviter dictum est, diligentius cœperit explicari: et ideo pluralem numerum continuo subjecit, dicens, *Fecit eos, et benedixit eos*. Sed, ut jam dixi, diligentius in consequenti Scriptura de hominis creatione requiremus.

CAPUT XXIII. — *Quo spectet illud vers. 30, Et sic est factum.*

35. Nunc advertendum est, quod posteaquam dixit, *Et sic factum est*; statim subjecit, *Et vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde*: ubi intelligitur potestas et facultas ipsa data naturæ humanæ sumendi ad escam pabulum agri et fructus ligni. Ad hoc enim intulit, *Et sic est factum*, quod ab illo loco inchoaverat, ubi ait, *Et dixit Deus, Ecce dedi vobis pabulum seminale, etc.* Nam si ad omnia quæ supra dicta sunt retulerimus quod ait, *Et sic est factum*; consequens erit ut confliteamur etiam crevisse illos jam, et multiplicatos implevisse terram in eodem sexto die; quod eadem Scriptura testante post multos annos factum invenimus. Quapropter, cum data esset hæc facultas edendi, et hoc Deo dicente homo cognovisset, dicitur, *Et sic est factum*; in hoc utique quod Deo dicente homo cognovit. Nam si id etiam tunc egisset, id est in escam illa quæ data sunt etiam vescendo assumpsisset, servaretur illa consuetudo Scripturæ, ut posteaquam dictum est, *Et sic est factum*, quod ad exprimendam præcedentem cognitionem pertinet, deinde inferretur etiam ipsa operatio, ac diceretur, *Et acceperunt et ederunt*. Poterat enim ita dici, etiamsi non rursus nominaretur Deus. Sicut in illo loco posteaquam dictum est, *Congregetur aqua quæ sub cælo est in congregationem unam, et appareat arida*; subinfertur, *Et sic est factum*: ac deinde non dicitur, *Et fecit Deus*; sed tamen ita repetitur, *Et congregata est aqua in congregationes suas, etc.*

CAPUT XXIV. — *Cur de homine non singulatim, uti de cæteris, dictum sit, Vidit Deus quia bonum est.*

36. Quod autem non singulatim, ut in cæteris, etiam de humana creatura dixit, *Et vidit Deus quia*

*bonum est*; sed post hominem factum, datamque illi potestatem vel dominandi vel edendi, subintelligit de omnibus, *Et vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde*, merito quæri potest. Potuit enim primo reddi homini singulatim, quod singulatim cæteris quæ antea facta sunt redditum est; tum demum de omnibus dici quæ fecit Deus, *Ecce bona valde*. An forte quia sexto die perficiuntur omnia, propterea de omnibus dicendum fuit, *Vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde*; non singillatim de iis quæ ipso die facta sunt? Cur ergo de pecoribus et bestiis et reptilibus terræ dictum est, quæ ad eundem diem sextum pertinent? nisi forte illa et singillatim in suo genere, et cum cæteris universaliter dici bona meruerunt; et homo factus ad imaginem Dei, non nisi cum cæteris hoc dici meruit. An quia perfectus nondum erat, quia nondum erat in paradiso constitutus? quasi vero posteaquam ibi constitutus est, dictum sit quod hic prætermissum est.

37. Quid ergo dicemus? An quia præsciebat Deus hominem peccaturum, nec in suæ imaginis perfectione mansurum, non singillatim, sed cum cæteris eum dicere voluit bonum, velut intimans quid esset futurum? Quia cum ea quæ facta sunt, in eo quod facta sunt, quantum acceperunt, manent, sicut vel illa quæ non pecca-

verunt, vel illa quæ peccare non possunt; et singula bona, et in universo bona valde sunt. Non enim frustra est additum, *valde*; quia et corporis membra si etiam singula pulchra sunt, multo sunt tamen in universi corporis compage omnia pulchriora. Quia oculum, verbi gratia, placitum atque laudatum, tamen si separatum a corpore videremus, non diceremus tam pulchrum, quam in illa connexionem membrorum, cum loco suo positus in universo corpore cerneretur. Ea vero quæ peccando amittunt decus propriam, nullo tamen modo efficiunt ut non etiam ipsa recte ordinata, cum toto atque universo bona sint. Homo igitur ante peccatum et in suo utique genere bonus erat; sed Scriptura prætermisit hoc dicere, ut illud potius diceret quod futurum aliquid prænuntiaret. Non enim falsum de illo dictum est. Qui enim singillatim bonus est, magis utique cum omnibus bonus est. Non autem quando cum omnibus bonus est, sequitur ut etiam singillatim bonus sit. Moderatum est itaque ut id diceretur, quod in præsentem verum esset, et præscientiam significaret futuri. Deus enim naturarum optimus conditor, peccantium vero justissimus ordinator est; ut etiam si qua singillatim sunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis universitas pulchra sit. Sed jam ea quæ sequuntur in sequenti volumine pertractemus.

## LIBER QUARTUS.

Tractatur initium cap. 3 Geneseos. Postque nonnulla de senarii numeri perfectione, movetur questio rursum, circa vers. 5 cap. 1, quomodo scilicet creata luce, facta sit vespera et factum mane, sicque dies numerati usque ad sextum et septimum.



CAPUT PRIMUM. — *Dies sex quomodo accipiendi.*

1. *Et consummata sunt cælum et terra, et omnis ornatus eorum. Et consummavit Deus in die sexto opera suæ quæ fecit; et requievit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit. Et benedixit Deus diem septimum, et sanctificavit eum; quia in ipso requievit ab omnibus operibus suis quæ inchoavit Deus facere.* Ardum quidem atque difficillimum est viribus intentionis nostræ, voluntatem scriptoris in istis sex diebus, mentis vivacitate penetrare, utrum præterierint dies illi, et addito septimo, nunc per volumina temporum, non re, sed nomine repetantur. In toto enim tempore multi dies veniunt præteritis similes, nullus autem idem redit. Utrum ergo præterierint dies illi; an istis qui eorum vocabulis et numero censentur, in temporum ordine quotidie transcurrentibus, illi in ipsis rerum conditionibus maneant: ut non solum in illis tribus antequam fierent luminaria, sed etiam in reliquis item tribus, diei nomen intelligamus in specie rei quæ creata est, noctemque ejus in privatione vel defectu, vel si quo alio nomine melius significatur, cum amittitur species, aliqua mutatione a forma ad informitatem declinante atque vergente: quæ mutatio in omni creatura sive possibilitate inest, etiamsi desit effectus, sicut in cælestibus superioribus; sive ad implendam in infimis rebus pulchritudinem temporalem, per ordinatas vices quorumque mutabilium decessio-

nibus<sup>1</sup> successionibusque peragitur, sicut manifestum est in rebus terrenis atque mortalibus: vespera vero in omnibus perfectæ conditionis quasi quidam terminus sit: mane autem incipientis exordium; omnis enim creata natura certis suis initiis et finibus continetur: indagare difficile est. Sed sive hoc, sive illud, sive aliquid etiam tertium probabilius, quod dicatur, possit inveniri, quod in progressu disputationis forsitan apparebit, quemadmodum in illis diebus et nox et vespera et mane intelligatur: non est tamen abs re, ut consideremus senarii numeri perfectionem in ipsa interiori natura numerorum; quam mente intuentes, ea quæ sensibus etiam corporis adjacent, numeramus, numeroque disponimus.

CAPUT II. — *De senarii numeri perfectione.*

2. Invenimus ergo senarium numerum primum esse perfectum, ea ratione quod suis partibus compleatur. Sunt enim et alii numeri aliis causis rationibusque perfecti. Proinde istum senarium ea ratione perfectum diximus, quod suis partibus compleatur, talibus duntaxat partibus, quæ multiplicatæ possint consummare numerum cujus partes sunt. Talis enim pars numeri dici potest quota sit. Nam ternarius numerus potest dici pars, non tantum senarii, cujus dimidia est, sed omnium ampliorum quam est ipsa ternarius. Nam et quaternarii et quinary pars major

<sup>1</sup> Mas., *cessionibus*.

ternarius est : potest enim dividi et quaternarius in tria et unum, et quaternarius in tria et duo. Et septenarius et octonarius et novenarius, et quidquid ultra est numerorum, pars est ternarius, non major vel dimidia, sed minor. Nam septenarius quoque dividi potest in tria et quatuor, et octonarius in tria et quinque, et novenarius in tria et sex : sed nullius horum potest dici ternarius quota sit pars, nisi tantum novenarii, cujus pars tertia est, sicut senarii dimidia. Itaque horum omnium quos commemoravi, nullus consummatur ex aliquot ternariis, nisi senarius et novenarius. Nam ille constat ex duobus ternariis, iste autem ex tribus.

5. Senarius ergo numerus, ut dicere cœperam, partibus suis consummatur et in summam ductis, in se completur. Alii namque sunt numeri, quorum partes simul ductæ minorem summam faciunt, alii vero ampliorem : certis vero intervallorum rationibus pauciores inveniuntur, qui suis partibus compleantur, quarum summa nec citra insinat, nec ultra excreseat, sed ad tantum occurrat, quantum est ipse numerus cujus partes sunt. Huius primus senarius est. Nam unius in numeris nullæ partes sunt. Sic enim dicitur unum in numeris quibus numeramus, ut non habeat dimidium vel aliquam partem, sed vere ac pure et simpliciter unum sit. Duorum autem pars unum est, et ea dimidia, nec ulla altera. Ternarius vero duas habet, unam quæ dici possit quota sit, quod est unum, nam tertia ejus est; et aliam majorem quæ non possit dici quota sit, id est duo : nec hujus ergo partes computari possunt illæ, de quibus agimus, id est quæ dici possunt quotæ sint. Porro quaternarius duas habet tales : nam unum, quarta ejus est; duo, dimidia; sed ambæ in summam ductæ, id est unum et duo simul, ternarium faciunt, non quaternarium. Non ergo eum complent partes suæ, quia in summa minore consistunt. Quaternarius non habet talem nisi unam, id est ipsum unum, quæ quinta pars ejus est : nam et duo quamvis pars ejus minor sit et tria major; neutra tamen earum dici potest quota pars ejus sit. Senarius vero tres partes tales habet, sextam, tertiam, dimidiam : sexta ejus, unum est; tertia, duo, dimidia, tria. Hæ autem partes in summam ductæ, id est unum et duo et tria, simul eundem consummant perficiuntque senarium.

4. Jam septenarius non habet talem partem nisi septimam, quod est unum. Octonarius tres, octavam, quartam, dimidiam, id est unum, duo et quatuor : sed hæ simul ductæ septenarium faciunt infra insistentem, non ergo complent eundem octonarium. Novenarius duas habet, nonam, quod est unum; et tertiam, quod est tria : hæ autem simul, quaternarium faciunt longe novenario minorem. Denarius tres habet tales partes; unum decimam, duo quintam, quinque dimidiam, qui numeri simul ducti ad octonarium perveniunt, non ad denarium. Undenarius non habet nisi solam undecimam, sicut septenarius solam septimam, et quaternarius solam quartam, et ternarius solam tertiam, et binarius solam dimidiam,

quod in omnibus unum est. Duodenarius vero partibus suis talibus simul ductis, non ipse consummatur, sed exceditur; ampliorem quippe duodenarium numerum faciunt : nam usque ad sexdecim perveniunt. Habet enim eas quinque, duodecimam, sextam, quartam, tertiam, dimidiam : nam duodecima ejus unum est; sexta, duo; quarta, tria; tertia, quatuor; dimidia, sex : unum autem, et duo, et tria, et quatuor, et sex, in summam ducta sexdecim sunt.

5. Et ne multis morer, in infinita serie numerorum plures numeri reperiuntur, qui tales partes aut non habent nisi singulas, sicut ternarius, et quaternarius, et ceteri ejusmodi; aut ita plures habent tales partes, ut in unum ductæ atque in summam redactæ vel citra insistant, sicut octonarius, et novenarius et alii plurimi, vel ultra excedant, sicut duodecimus et duodeviginti, et multi tales. Plures ergo reperiuntur quilibet horum, quam illi qui perfecti vocantur, eo quod suis simul ductis talibus partibus complantur. Nam post senarium duodeviginti invenitur, qui similiter suis talibus partibus constat : habet enim eas quinque vigesimam octavam, quartadecimam, septimam, quartam, dimidiam; id est unum, et duo, et quatuor, et septem, et quatuordecim; quæ simul ductæ eundem duodeviginti complent : sunt enim viginti octo. Et quanto numerorum ordo procedit, tanto productioribus pro rata portione<sup>1</sup> intervallis reperiuntur hi numeri, qui suis talibus partibus in summam redactis, ad seipsos occurrunt, dicunturque perfecti. Quorum enim numerorum tales partes simul ductæ non implent eosdem numeros quorum partes sunt, imperfecti nominantur : quorum autem etiam excedunt, plus quam perfecti appellantur.

6. Perfecto ergo numero dierum, hoc est senario, perfecit Deus opera sua quæ fecit. Ita enim scriptum est : *Et consummavit Deus in die sexto<sup>2</sup> opera sua quæ fecit.* Magis autem in istum numerum intentus fio, cum considero etiam ordinem operum ipsorum. Sicut enim idem numerus gradatim partibus suis in trigonum surgit; nam ita sequuntur unum, duo, tria, ut nullus alius interponi possit, quæ singulæ senarii partes sunt quibus constat; unum, sexta; duo, tertia; tria, dimidia : ita uno die facta est lux, duobus autem sequentibus fabrica mundi hujus; uno superior pars, id est firmamentum, altero inferior, id est mare et terra : sed partem superiorem nullis alimentorum corporalium generibus implevit, quia non ibi erat positurus corpora tali refectione indigentia; at inferiorem, quam sibi congruentibus animalibus oruaturus erat, necessariis eorum indigentia cibis ante ditavit. Reliquis ergo tribus diebus ea creata sunt, quæ intra mundum, id est intra istam universitatem visibilem ex elementis omnibus factam, visibilia suis et congruis motibus agerentur : primo in firmamento luminaria, quia prius erat factum firmamentum; deinde in infe-

<sup>1</sup> Sic plures ac melioris notæ Mss. At editi, *pro rata portione.*

<sup>2</sup> In excusis, *septimo*, juxta versionem vulgatam. At in Mss., *sexto*, juxta LXX, quos sequitur Augustinus supra, n. 2, et passim refert, *in die sexto.*

riore animantia, sicut ordo ipse posecebat, uno die, aquarum; alio, terrarum. Nec quisquam ita demens est, ut audeat dicere non potuisse Deum facere uno die cuncta, si vellet; aut si vellet biduo, uno die spirituales creaturam, et alio corporalem; sive uno die cælum cum omnibus pertinentibus, et alio terram cum omnibus quæ in ea sunt; et omnino quando vellet, quamdiu vellet, et quomodo vellet: quis est qui dicat voluntati ejus aliquid potuisse resistere?

CAPUT III. — *De eo quod scriptum est Sap. xi, 21, Omnia in mensura, etc.*

7. Quapropter cum cum legimus sex diebus omnia perfecisse, et senarium numerum considerantes, invenimus esse perfectum, atque ita creaturarum ordinem currere, ut etiam ipsarum partium, quibus iste numerus perficitur, appareat quasi gradata distinctio; veniat etiam illud in mentem, quod alio loco Scripturarum ei dicitur, *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti* (Sap. xi, 21); atque ita cogitet anima, quæ potest, invocato in auxilium Deo, et impertiente atque inspirante vires, utrum hæc tria, mensura, numerus, pondus, in quibus Deum disposuisse omnia scriptum est, erant alicubi antequam crearetur universa creatura, an etiam ipsa creata sunt; et si erant antea, ubi erant. Neque enim ante creaturam erat aliquid nisi creator. In ipso ergo erant. Sed quomodo? nam et ista quæ creata sunt, in ipso esse legimus (Rom. xi, 36): an illa sicut ipse, ista vero sicut in illo a quo reguntur et gubernantur? Et quomodo illa ipse? Neque enim Deus mensura est, aut numerus, aut pondus, aut ista omnia. An secundum id quod novimus mensuram in eis quæ metimur, et numerum in eis quæ numeramus, et pondus in eis quæ appendimus, non est Deus ista: secundum id vero quod mensura omni rei modum præfigit, et numerus omni rei speciem præbet, et pondus omnem rem ad quietem ac stabilitatem trahit, ille primitus et veraciter et singulariter ista est, qui terminat omnia et format omnia, et ordinat omnia; nihilque aliud dictum intelligitur, quomodo per cor et linguam humanam potuit, *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti*, nisi, Omnia in te disposuisti?

8. Magnum est paucisque concessum, excedere omnia quæ metiri possunt, ut videatur mensura sine mensura; excedere omnia quæ numerari possunt, ut videatur numerus sine numero; excedere omnia quæ appendi possunt, ut videatur pondus sine pondere.

CAPUT IV. — *In Deo esse mensuram sine mensura, numerum sine numero, et pondus sine pondere.*

Neque enim mensura et numerus et pondus in lapidibus tantummodo et lignis atque hujusmodi molibus, et quantiscumque corporalibus vel terrestribus vel celestibus animadverti et cogitari potest. Est etiam mensura aliquid agendi, ne sit irrevocabilis et immoderata progressio; et est numerus et affectionum animi et virtutum, quo ab stultitiæ deformitate, ad sapientiæ formam decusque colligitur; et est pondus voluntatis et amoris, ubi apparet quanti quidque in appetendo, fugiendo, præponendo, postponendoque

pendatur: sed hæc animorum atque mentium et mensura alia mensura cohibetur, et numerus alio numero formatur, et pondus alio pondere rapitur. Mensura autem sine mensura est, cui acquatur quod de illa est, nec aliunde ipsa est: numerus sine numero est, quo formantur omnia, nec formatur ipse: pondus sine pondere est, quo referuntur ut quiescant, quorum quies purum gaudium est, nec illud jam refertur ad aliud.

9. Sed nomina mensuræ et numeri et ponderis, quisquis non nisi visibiliter novit, serviliter novit. Transcendat itaque omne quod ita novit, aut si nondum potest, nec ipsis nominibus hæreat, de quibus cogitare nisi sordide non potest. Tanto enim magis cuique ista in superioribus chara sunt, quanto ipse minus est in inferioribus caro. Quod si non vult aliquis ea vocabula, quæ in rebus infimis et abjectissimis didicit, transferre ad illa sublimia, quibus intuentis mentem serenare conatur, non est urgendus ut faciat. Dum enim hoc intelligatur quod intelligendum est, non magnopere curandum est quid vocetur. Scire oportet tamen ejusmodi similitudo est inferiorum ad superiora. Non enim aliter recte hinc illuc ratio tendit, et nititur.

10. Jam vero si quisquam dicit creatam esse mensuram et numerum et pondus, in quibus Deum omnia disposuisse Scriptura testatur; si in illis omnia disposuit, eadem ipsa ubi disposuit? si in aliis, quomodo ergo in ipsis omnia, quando ipsa in aliis? Non itaque dubitandum est illa esse extra ea quæ disposita sunt, in quibus omnia disposita sunt.

CAPUT V. — *In Deo ipso exstat ratio mensuræ, numeri et ponderis, ad quam disposita sunt omnia.*

11. An forte putabimus ita dictum esse, *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti*, ac si diceretur, Omnia sic disposuisti, ut haberent mensuram, et numerum, et pondus? Quia et si diceretur, Omnia corpora in coloribus disposuisti; non hinc esset consequens ut ipsa Dei Sapientia, per quam facta sunt omnia, colores in se prius habuisse intelligeretur, in quibus faceret corpora: sed ita acciperetur, Omnia corpora in coloribus disposuisti, ac si diceretur, Omnia corpora sic disposuisti, ut haberent colores. Quasi vero a creatore Deo disposita in coloribus corpora, id est ita disposita ut colorata essent, possit aliter intelligi, nisi aliqua ratio colorum singulis corporum generibus distribuendorum in ipsa disponentis sapientia non defuisse intelligatur, etsi color ibi non appellatur. Ille est enim quod dixi: dum res cognoscitur non esse de vocabulis laborandum.

12. Faciamus<sup>1</sup> ergo ita dictum esse, *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti*, tanquam dictum esset, ita disposita ut haberent proprias mensuras suas, et proprios numeros, et proprium pondus, quæ in eis pro sui cuiusque generis mutabilitate mutantur, augmentis et diminutionibus, multitudine et paucitate, levitate et gravitate, secundum dispositionem dei: numquid sicut ista mutantur, ita ipsam

<sup>1</sup> Editi, *faciamur*. Mss. vero, *faciamus*.

Dei consilium, in quo ea disposuit, mutabile dicimus? Averterit ipse tantam dementia.

CAPUT VI. — *Ubi cernebat Deus unde omnia disponeret.*

Cum ergo hæc ita disponerentur, ut haberent mensuras, et numeros, et pondera sua, ubi ea cernebat ipse disponens? Neque enim extra seipsum, sicut cernimus oculis corpora; quæ utique nondum erant, cum disponerentur ut fierent. Nec intra seipsum ista cernebat, sicut animo cernimus phantasias corporum, quæ non præsto sunt oculis, sed ea quæ vidimus, vel ex eis quæ vidimus imaginando cogitamus. Quo modo ergo ista cernebat, ut ita disponeret? Quo, nisi eo quo solus potest?

13. Verum etiam<sup>1</sup> nos mortales et peccatores, quorum veritas aggravat corpora corruptibilia, et quorum sensum multa cogitantem terrena deprimit habitatio (*Sep. ix, 15*); quanquam etsi corda mundissima et mentes simplicissimas gereremus, sanctisque Angelis jam essemus æquales, non utique nobis ita nota esset divina substantia sicut ipsa sibi.

CAPUT VII. — *Senarii numeri perfectionem quomodo cernamus.*

Tamen istam senarii numeri perfectionem, nec extra nos ipse cernimus, sicut oculis corpora; nec ita intra nosmetipsos, quemadmodum corporum phantasias, et visibilibus imagines rerum, sed alio quodam longe differenti modo. Quamvis enim se objectent mentis aspectui quasi corpusculorum quædam simulacra, cum senarii numeri compositio vel ordo vel partitio cogitatur: tamen validior et præpotentior desuper ratio non eis annuit, interiusque numeri vim contactur; per quem contuitum fidenter dicit, id quod dicitur unum in numeris, in nullas partes dividi posse; nulla autem corpora nisi in partes innumerabiles dividi; et facilius cælum et terram transire, quæ secundum senarium numerum fabricata sunt, quam effici posse ut senarius numerus non suis partibus compleatur. Gratias itaque Creatori semper agat animus humanus, a quo ita creatus est, ut hoc possit videre, quod avium nulla, nulla bestiarum, quæ tamen nobiscum vident et cælum, et terram, et luminaria, et mare, et aridam, et omnia quæ in eis sunt.

14. Quamobrem non possumus dicere, propterea senarium numerum esse perfectum, quia sex diebus perfecit Deus omnia opera sua; sed propterea Deum sex diebus perfecisse opera sua, quia senarius numerus perfectus est. Itaque, etiamsi ista non essent, perfectus ille esset; nisi autem ille perfectus esset, ista secundum eum perfecta non fierent.

CAPUT VIII. — *Quies Dei in die septimo ut intelligenda.*

15. Jamvero quod scriptum est, requiesisse Deum in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit; et ideo eundem diem benedixisse, et sanctificasse, quia in ipso requievit; ut quomodo possumus, quantum ab ipso adjuti fuerimus, intellectu conemur attingere, prius de hoc carnalis hominum suspiciones a nostris

<sup>1</sup> *Ass. peruntamen.*

mentibus abigamus. Numquid enim ūci vei credi fas est Deum laborasse in operando, cum ea quæ supra scripta sunt condidit, quando dicebat, et fiebant? Ita quippe nec homo laborat, si aliquid faciendum, mox ut dixerit, fiat. Quamvis enim humana verba sonis adnuculata ita proferantur, ut sermo diuturnus fatiget: tamen cum tam pauca sunt, quam pauca loquimur in eo quod scriptum est, cum Deus dixit, *Fiat lux, Fiat firmamentum*, et cætera usque in finem operum, quæ sexto die consummavit; nimis absurdi deliramenti est, istum vel hominis, nedum Dei, laborem putare.

16. An forte quis dixerit, dicendo quidem ut fierent, quæ continuo facta sunt, Deum non laborasse, sed forte cogitando quid fieri debuisset; qua cura velut liberatus rerum perfectione requieverit, et eo merito diem quo primo factus est ab hac animi intentione securus, benedicere, et sanctificare voluerit? Quod si hæc sapere, multum desipere est (rerum enim condendarum tam facultas, quam facilitas incomparabilis atque ineffabilis est apud Deum),

CAPUT IX. — *Quo sensu Deus requiescere dicitur. Tristitia laudabilis.*

Quid restat ut intelligamus, nisi forte creaturæ rationali, in qua et hominem creavit, in seipso requiem præbuisse, post ejus perfectionem, per donum Spiritus sancti, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris (*Rom. v, 5*) ut illuc feramur appetitu desiderii, quo cum pervenerimus requiescamus, id est nihil amplius requiramus? Sicut enim recte dicitur Deus facere, quidquid ipso in nobis operante fecerimus; ita recte dicitur Deus requiescere, cum ejus munere requiescimus.

17. Hoc quidem recte intelligimus; quia et verum est, et non magnæ intentionis indiget, ut videamus ita dici requiescere Deum, cum requiescere nos facit, sicut dicitur cognoscere, cum efficit ut cognoscamus. Neque enim Deus temporaliter cognoscit quod antea non noverat; et tamen dicit ad Abraham, *Nunc cognovi quoniam times Deum* (*Gen. xlii, 12*): ubi quid aliud accipimus, nisi, Nunc feci ut cognosceretur? His locutionum modis, cum ea quæ non accidunt Deo tanquam illi accidant loquimur, eum facere agnoscimus ut nobis accidant; ea duntaxat quæ laudabilia sunt: et hæc quantum Scripturarum usus admittit. Neque enim nos temere aliquid tale de Deo dicere debemus, quod in Scriptura ejus non legimus.

18. Ex hoc locutionis modo arbitror dictum illud ab Apostolo: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei in quo signati estis in die redemptionis* (*Ephes. iv, 30*). Neque enim ipsa Spiritus sancti, qua est quidquid ipse est, substantia contristari potest; cum habeat æternam atque incommutabilem beatitudinem, magisque sit ipsa æterna et incommutabilis beatitudo. Sed quia ita in sanctis habitat, ut eos impleat charitate, qua necesse est ut homines ex tempore gaudeant profectu fidelium et bonis operibus; et ideo necesse est etiam contristentur lapsu vel peccatis eorum, de quorum fide ac pietate gaudebant; quæ tristitia laudabilis est, quia venit ex dilectione quam Spiritus sanctus infun-

dit : propterea ipse Spiritus dicitur contristari ab eis qui sic agunt, ut eorum factis contristentur sancti, non ob aliud nisi quia Spiritum sanctum habent; quo dono tam boni sunt, ut eos mali mortificent, hi maxime quos bonos fuisse sive noverant sive crediderunt. Quæ profecto tristitia non solum non culpanda, verum etiam præcipue laudanda ac prædicanda est.

19. Hoc genere locutionis rursus idem apostolus mirabiliter usus est, ubi ait : *Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo (Galat. iv, 9)*. Neque enim tunc eos cognoverat Deus, præcognitos videlicet ante constitutionem mundi (I Petr. i, 10); sed quia tunc ipsi cum illius munere, non suo merito vel facultate cognoverant, maluit tropice loqui, ut tunc ab illo cognitos diceret, cum eis cognoscendum se præstitit, et verbum corrigere, quasi hoc minus recte dixerit, quod proprie dixerat, quam sinere ut hoc sibi arrogarent se potuisse, quod eis posse ille donaverat.

CAPUT X. — *Quæstio an ipse Deus proprie requiescere potuerit.*

20. Hic ergo intellectus, in eo quod positum est requiescisse Deum ab omnibus operibus suis, quæ fecit bona valde, quia ipse nos facit requiescere, cum bona opera fecerimus, quibusdam forte suffecerit : sed nos hujus sententiæ Scripturarum consideratione suscepta, urgemur quærere quonammodo et ipse requiescere potuerit; quamvis requie sua nobis insinuata, sperare admonuerit in se requiem nostram futuram. Sicut enim ipse fecit cælum et terram, et ea quæ in eis sunt, et omnia sexto die consummavit; nec in eis aliquid dici potest nos creasse, illo donante ut crearemus, et ideo dictum esse, *Consummavit Deus in die sextio opera sua quæ fecit*, quia ut a nobis consummarentur ipse præstitit : ita et quod dictum est, *Requievit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit*, non utique nostram requiem, quam concedente ipso adepturi sumus, sed ipsius primitus intelligere debemus, qua in septimo die requievit, consummatis operibus; ut prius omnia quæ scripta sunt facta monstrarentur, et deinde si opus est, etiam aliquid significasse doceantur. Recte quippe dicitur, sicut Deus post opera sua bona requievit, ita et nos post opera nostra bona requieturos. Sed ob hoc etiam recte flagitatur, ut quemadmodum disputatum est de operibus Dei, quæ ipsius esse satis apparet; ita de requie Dei satis disseratur, quæ propria<sup>1</sup> ipsius demonstratur.

CAPUT XI. — *Quomodo utrumque constat, Deum in die septimo requiescisse, et nunc usque operari.*

21. Quapropter justissima ratione compellimur indagare, si valeamus, atque eloqui, quomodo utrumque sit verum, et quod hic scriptum est, in septimo die requiescisse Deum ab operibus suis, quæ fecit; et quod in Evangelio dicit ipse, per quem facta sunt omnia, *Pater meus usque nunc operatur, et ego operor (Joan. v, 17)*. Eis enim hæc respondit, qui propter requiem Dei Scripturæ hujus auctoritate antiquitus commendatum sabbatum, ab eo non observari ouere-

<sup>1</sup> Mss. plerique, *proprie*.

lantur. Et dici quidem probabiliter potest, observandum sabbatum Judæis fuisse præceptum in umbra futuri, quæ spiritualem requiem figureret, quam Deus exemplo hujus quietis suæ fidelibus bona opera facientibus arcana significatione pollicebatur. Cujus quietis et ipse Dominus Christus, qui nonnisi quando voluit passus est, etiam sepultura sua mysterium confirmavit. Ipso<sup>1</sup> quippe die sabbati requievit in sepulchro, eumque totum diem habuit sanctæ cujusdam vacationis, posteaquam sexto die, id est parasceve, quam dicunt sextam sabbati, consummavit omnia opera sua, cum de illo quæ scripta sunt, in ipso crucis patibulo completerentur. Nam et hoc verbo usus est quando ait : *Consummatum est; et inclinato capite tradidit spiritum (Joan. xix, 30)*. Quid ergo mirum si Deus istum diem, quo erat Christus in sepultura quieturus, volens etiam hoc modo prænuntiare, ab operibus suis in uno die requievit, deinceps operaturus ordinem sæculorum, ut et illud vere diceretur, *Pater meus usque nunc operatur?*

CAPUT XII. — *Alia ratio conciliandi Scripturam quæ requie et de continua operatione Dei.*

22. Potest etiam intelligi Deum requiescisse a condendis generibus creaturæ, quia ultra jam non condidit aliqua genera nova : deinceps autem usque nunc et ultra operari eorumdem generum administrationem, quæ tunc instituta sunt; non ut ipso saltem die septimo potentia ejus a cœli et terræ, omniumque rerum quas condiderat, gubernatione cessaret, alioquin continuo dilaberentur. Creatoris namque potentia, et omnipotentis atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ : quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura conderet. Neque enim, sicut structor ædium cum fabricaverit, abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit.

23. Proinde et quod Dominus ait, *Pater meus usque nunc operatur*, continuationem quamdam operis ejus, qua universam creaturam continet atque administrat, ostendit. Aliter enim posset intelligi si diceret, *Et nunc operatur*, ubi non esset necesse ut operis continuationem acciperemus : aliter autem cogit intelligi cum ait, *Usque nunc*, ex illo scilicet quo cuncta cum conderet operatus est. Et quod scriptum est de sapientia ejus, *Pertingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (Sap. viii, 1)*; de qua item scriptum est, quod motus ejus agilior celeriorque sit omnibus motibus (*Ibid. vii, 24*): satis apparet recte intuentibus, hunc ipsum incomparabilem et ineffabilem, et si possit intelligi, stabilem motum suum, rebus eam præbere suaviter disponendis; quo utique subtracto, si ab hac operatione cessaverit, eas continuo perituras. Et illud quod ait Apostolus cum Deum Atheniensibus prædicaret, *In illo vivimus, et movemur et sumus (Act. xvii, 28)*, liquide cogitatum quantum humana mens valet, adjuvat hanc sententiam, qua

Loz., *idea quippe*. At aliæ editiones et Mss., *ipsa*.



credimus et dicimus Deum in his quæ creavit, indestinerenter operari. Neque enim tanquam substantiâ ejus sic in illo sumus, quemadmodum dictum est, quod habeat vitam in semetipso (*Joan. v, 26*): sed utique cum aliud simus quam ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur, et hoc est opus ejus, quo continet omnia, et quo ejus *sapientia pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*; per quam dispositionem in illo vivimus, et movemur, et sumus. Unde colligitur quod si hoc opus summæ rebus subtraherit, nec vivemus, nec movemur, nec erimus. Claret igitur ne uno quidem die cessasse Deum ab opere regendi quæ creavit, ne motus suos naturales quibus aguntur atque vegetantur, ut omnino naturæ sint, et in eo quod sunt pro suo quæque genere maneant, illico amitterent, et esse aliquid omnino desinerent, si eis subtraheretur motus ille Sapientiæ Dei, quo disponit omnia suaviter. Quapropter sic accipimus Deum requiescere ab omnibus operibus suis quæ fecit, ut jam novam naturam ulterius nullam conderet; non ut ea quæ conderat, continere et gubernare cessaret. Unde et illud verum est, quod in *septimo die requievit Deus*; et illud, quod *usque nunc operatur*.

CAPUT XIII. — *De Sabbati observatione. Sabbatum christianum.*

24. Et opera quidem ejus videmus bona; quietem vero ejus post bona opera nostra videbimus. Ob quam significandam mandavit Hebræo populo unum diem observandum (*Exod. xx, 8*): quod tam carnaliter agebant, et eo die salutem nostram Dominum videntes operari criminarentur, ac si eis de opere Patris rectissime responderet, cum quo et ipse operabatur æqualiter, non solum creaturæ universæ administrationem, sed etiam ipsam nostram salutem. Jam vero tempore gratiæ revelatæ, observatio illa sabbati, quæ unius diei vacatione figurabatur, ablata est ab observatione fidelium. In ea quippe gratia perpetuum sabbatum jam observat, qui spe futuræ quietis operatur quidquid boni operatur, nec in ipsis bonis operibus suis, quasi habens bonum quod non acceperit, gloriatur: ita enim tanquam diem sabbati, hoc est Dominicæ cessationis in sepultura, suscipiens atque intelligens Baptismi sacramentum, quiescit a pristinis operibus suis; ut jam in novitate vitæ ambulans (*Rom. vi, 4*), Deum in se operari cognoscat, qui simul et operatur, et quiescit, et creaturæ præbens congruam gubernationem, et apud se habens æternam tranquillitatem.

CAPUT XIV. — *Cur Deus sanctificaverit diem quietis suæ.*

25. Denique ipse nec cum creavit defessus, nec cum cessavit refectus est; sed nos voluit per Scripturam suam ad quietis exhortari desiderium, intimando nobis eum diem se sanctificasse, in quo quievit ab omnibus operibus suis. Nam nosquam omnium sex dierum quibus creata sunt omnia, legitur aliquid sanctificasse, nec ante ipsos sex dies ubi scriptum est, *In principio fecit Deus cælum et terram* (*Gen. 1, 1*), additum est, *Et sanctificavit*: sed diem istum, in quo requievit ab omnibus operibus suis quæ fecit, voluit

sanctificare, tanquam et apud ipsam, qui nihil in opere suo laborat, plus quies quam operatio valeat. Hoc quidem in hominibus Evangelium nobis intimat, ubi Salvator noster meliorem partem dicit Marthe, quod sedens ad pedes ejus requiescebat in verbo ejus, quam Marthæ, quamvis propter obsequium quo ei ministrabat circa multa occupate, et licet bonum opus operantis (*Luc. x, 39-42*). Verum hoc in Deo quomodo sit vel intelligatur, difficile dictum est, etiamsi cogitatu aliquantulum attingi potest, cur Deus sanctificaverit diem quietis suæ, qui nullum sanctificaverit operis sui, nec ipsum sextum quo et hominem fecit, et cuncta perfecit. Ac primum ipsum requiescere Deo quale sit, cujus humanæ mentis acies assequi potest? Quod tamen nisi esset, hoc omnino ista Scriptura non poneret. Dicam sane quod sentio, hæc duo indubitata præloquens, nec Deum, velut post laborem desiderantemve negotii sui finem, temporali quadam requie delectatum; nec has Litteras auctoritate tanta merito præmientes, frustra falsoque dixisse quod Deus ab omnibus operibus suis quæ fecit, in septimo die requieverit, eaque causa eumdem diem sanctificaverit.

CAPUT XV. — *Solvitur questio superius proposita.*

26. Nimirum ergo quia vitium est et infirmitas animæ, ita suis operibus delectari, ut potius in eis, quam in se requiescat ab eis; cum procul dubio melius aliquid in illa sit quo ea facta sunt, quam ipsa quæ facta sunt: insinuatur nobis Deus per hanc Scripturam, qua dicitur requiescere ab omnibus operibus suis quæ fecit, nullo opere suo sic delectatus, quasi facienti ejus eguerit, vel minor futurus nisi fecisset, vel beator cum fecisset. Quia enim ex illâ ita est quidquid ex illo est, ut ei debeat quod est, ipse autem nulli quod ex ipso est, debeat quod beatus est; se rebus quas fecit diligendo præposuit: non sanctificans diem quo ea facienda inchoavit, nec illum quo ea perfecit, ne illis vel faciendis vel factis auctum ejus gaudium videretur; sed eum quo ab ipsis in seipso requievit. Et ipse quidem nunquam ista requie caruit, sed nobis eam per diem septimum ostendit: hinc etiam significans non percipi requiem suam nisi a perfectis, cum ad eam intimandam non deputavit diem, nisi qui perfectionem rerum omnium sequebatur. Nam qui semper est quietus, tunc nobis requievit, cum se requiescere monstravit.

CAPUT XVI. — *Dei requies ab operibus suis in septimo die.*

27. Illud quoque attendendum est, quod Dei requiem, qua de seipso beatus est, nobis insinuari oportebat, ut intelligamus quomodo dicatur etiam requiescere in nobis; quod non dicitur, nisi cum in se requiem præstat et nobis. Requies igitur Dei recte intelligentibus ea est, qua nullius indiget bono: et ideo certa et nobis in illo est, quia et nos beatificamur bono quod ipse est, non ipse bono quod nos sumus. Nam et nos aliquod bonum ab illo sumus, qui fecit omnia bona valde, in quibus fecit et nos. Porro alia res bona præter ipsam nulla est, quam ipse non fecit; ac per hoc nullo præter se alio

bono eget, qui bono quod fecit non eget. Hæc est ejus requies ab omnibus operibus suis quæ fecit. Quibus autem bonis laudabiliter non egeret, si nulla fecisset? Nam etiam sic dici posset nullis egens bonis, non a factis in seipso requiescendo, verum omnino nulla faciendo. Sed bona facere si non posset, nulla esset potentia: si autem posset nec faceret, magna esset invidentia. Quia ergo est omnipotens et bonus, omnia valde bona fecit: quia vero seipso bono perfecte beatus est, a bonis quæ fecit, in seipso requievit, ea scilicet requie a faciendis, nihil aliud quam non factas intelligeretur. Nisi autem diceretur requievisse a factis, non eis egere quæ fecit minus commendaretur.

28. Quo itaque die hoc commendari oportuisset, nisi septimo? Quod sane intelligit quisquis senarii numeri perfectionem, de qua supra locuti sumus, perfectioni creature congruenter adhibitam recolit. Si enim senario numero perficienda fuerat creatura, sicuti perfecta est, eaque requies Dei erat nobis commendanda, qua demonstraretur nec perfectis beatificari creaturis; procul dubio dies erat in hac commendatione sanctificandus qui sequitur sextum, quo erigeremur ad hanc requiem concupiscendam, ut et nos in illo requiescamus.

#### CAPUT XVII. — *Quies nostra in Deo.*

29. Neque enim similitudo pia est, si velimus ita similes esse Deo, ut et nos ab operibus nostris requiescamus in nobis, sicut ipse requievit in se ab operibus suis. In quodam quippe incommutabili honore requiescere debemus, quod ille nobis est qui nos fecit. Hæc erit igitur summa, minimeque superba, et vere pia requies nostra, ut sicut ipse requievit ab omnibus operibus suis, quia non ei opera sua, sed ipse sibi bonum est, quo beatus est: ita et nos ab omnibus operibus, non tantum nostris, verum etiam ipsius, nonnisi in illo requieturos nos esse speremus; idque desideremus post bona opera nostra, quæ in nobis agnoscimus illius potius esse quam nostra: ut etiam sic post bona opera sua ipse requiescat<sup>1</sup>, cum post bona opera quæ ab illo justificati fecerimus, in se nobis requiem præstat. Magnum est enim nobis ab illo exstitisse, sed majus erit in illo requievisse. Sicut ipse non ideo beatus est, quia hæc fecit; sed quia etiam factis non egens, in se potius quam in ipsis requievit. Unde non operis, sed quietis diem sanctificavit; quia non hæc faciendæ, sed eis quæ fecit non egendo, se beatum intimavit.

30. Quid ergo tam humile ac facile effatu, et quid tam sublime atque arduum cogitatu, quam Deus requiescens ab omnibus operibus suis quæ fecit? Et ubi requiescens nisi in seipso, quia beatus nonnisi seipso? Quando, nisi semper? In diebus autem quibus rerum quas condidit consummatio narratur, et ab eis quietis Dei ordo distinguitur, quando, nisi in septimo die, qui earum sequitur perfectionem? A perfectis enim

<sup>1</sup> *Qui habitat in nobis; quod abest a Mss.*

requiescit, qui nec perfectis eget, quo beator esse possit.

CAPUT XVIII.—*Septimus dies cur mane habuerit, non vesperam.*

31. Et quod apud illum quidem, quieti ejus nec mane nec vespera est; quia nec aperitur initio, nec clauditur fine: perfectis autem operibus ejus mane habet et vesperam non habet; perfecta quippe creatura habet quoddam initium suæ conversionis ad quietem Creatoris sui, sed illa non habet finem quasi terminum perfectionis suæ, sicut ea quæ facta sunt. Ac per hoc requies Dei non ipsi Deo, sed rerum ab eo conditarum perfectioni inchoatur, ut in illo incipiat requiescere quod ab illo perficitur, et in eo habere mane; in suo enim genere tanquam vespera terminatum est: sed in Deo vesperam habere jam non potest, quia non erit aliquid illa perfectione perfectius.

32. In illis enim diebus quibus omnia creabantur, vesperam terminum conditæ creaturæ; mane autem initium condendæ alterius accipiebamus. Ac per hoc quinti diei vespera terminus est conditæ quinto die creaturæ: mane autem quod post ipsam vesperam factum est, initium est condendæ sexto die creaturæ; qua condita tanquam ejus terminus facta est vespera. Et quia nihil aliud condendum restiterat, ita post illam vesperam mane factum est, ut non esset initium condendæ alterius creaturæ, sed initium quietis universæ creaturæ in requie Creatoris. Neque enim cælum et terra et omnia quæ in eis sunt, universa scilicet spiritualis corporalisque creatura in seipso manet; sed utique in illo de quo dictum est, *In illo enim vivimus, et movemur, et sumus* (Act. xvii, 28). Quia etsi unaquæque pars potest esse in toto cujus pars est; ipsum tamen totum non est nisi in illo a quo conditum est. Et ideo non absurde intelligitur sexto die completo post ejus vesperam factum mane, non quo significaretur initium condendæ alterius creaturæ, sicut in cæteris; sed quo significaretur initium manendi et quiescendi totius quod conditum est, in illius quiete qui condidit. Quæ quies Deo nec initium habet nec terminum: creaturæ autem habet initium, sed non habet terminum; et ideo septimus dies eidem creaturæ cœpit a mane, sed nullo vespere terminatur.

33. Nam si in cæteris diebus vespera et mane talium temporum vires significant, qualia nunc per hæc quotidiana spatia peraguntur; non video quid prohibuerit et septimum diem vespera, noctenque ejusdem mane concludere, ut similiter diceretur, Et facta est vespera, et factum est mane dies septimus: quando quidem et ipse unus est dierum, qui omnes septena sunt, quorum repetitione menses et anni et sæcula peraguntur; ut mane quod poneretur post vesperam septimi, hoc esset initium octavi diei, de quo jam deinceps silendum fuit, quia idem primus est a quo quem reditur, a quo rursus hebdomadis series ordiatur<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> *Editi, Dei. At Mss., Deo. Et mox Lov. pro, creaturæ autem, habet, creatura, refragantibus cæteris codicibus.*

<sup>2</sup> *Mss. octo, ordinatur.*

Unde probabilis est istos quidem septem dies, illorum nominibus et numero, alios atque alios sibi met succedentes currando temporalia peragere spatia : illos autem primos sex dies inexperta nobis atque inausitata specie in ipsis rerum conditionibus explicatos ; in quibus et vespera et mane sicut ipsa lux et tenebræ, id est dies et nox, non eam vicissitudinem præbuerunt, quam præbent isti per solis circuitus : quod certe de illis tribus fateri cogimur, qui ante condita luminaria commemorati atque numerati sunt.

34. Ac per hoc qualiscumque in eis vespera et mane fuerit, nullo modo tamen opinandum est, eo mane quod post sexti dici vesperam factum est, initium accepisse requiem Dei; ne temporale aliquod bonum illi æternitati et incommutabilitati accidisse vanitate temeraria suspicemur : sed illam quidem requiem Dei, qua in seipso requiescit, eoque bono beatus est quod ipso sibi est, nec initium eidem ipsi habere nec terminum; consummata autem creaturæ habere initium, eandem requiem Dei. Quoniam rei cuiusque perfectio, non tam in universo cuius pars est, quam in eo a quo est, in quo et ipsum universum est, pro sui generis modulo stabilitur ut quiescat, id est, ut sui momenti ordinem teneat. Ac per hoc ipsa universitas creaturæ, quæ sex diebus consummata est, aliud habet in sua natura<sup>1</sup>, aliud in ordine quo in Deo est, non sicut Deus, sed tamen ita ut ei quies propriæ stabilitatis non sit, nisi in illius quiete qui nihil præter se appetit, quo adepto requiescat. Et ideo dum ipse manet in se, quidquid ex illò est retorquet ad se; ut omnis creatura in se habeat naturæ suæ terminum, quo non sit quod ipse est; in illo autem quietis locum, quo servet quod ipsa est. Scio quod non propriè dixerim locum; nam propriè dicitur in spatiis quæ corporibus occupantur: sed quia et ipsa corpora non manent in loco, nisi quo sui ponderis tanquam appetitu perveniunt, ut eo comperto requiescant; ideo non incongruenter a corporalibus ad spiritualia verbum transfertur, ut dicatur locus, cum res ipsa plurimum distet.

35. Initium ergo creaturæ in quiete Creatoris illo mane significatum arbitror, quod factum est post vesperam sexti diei; non enim posset in illo nisi perfecta requiescere: proinde sexto die consummatis omnibus, factaque vespera, factum est et mane, quo inciperet consummata creatura in illo a quo facta est requiescere. Quid initio Deum in seipso requiescentem, ubi et ipsa requiescere posset invenit, tanto stabilius atque firmitus, quanto ipsa illius, non ille hujus eguit ad quietem suam. Sed quoniam quidquid erit universa creatura quibuslibet mutationibus suis, non utique nihil erit, ideo creatura universa in Creatore suo semper manebit; ac per hoc post illud mane nulla deinde vespera fuit.

36. Hoc diximus<sup>2</sup>, cur septimus dies, in quo requie-

vit Deus ab omnibus operibus suis, mane habuerit post vesperam sexti, vesperam vero non habuerit.

CAPUT XIX. — *Alia ratio qua intelligitur septimus dies habuisse mane sine vespera.*

Est aliud quod de hac re magis proprie atque melius possit, quantum existimo, intelligi, sed aliquanto difficilius explicari; ut non creaturæ, sed etiam sibi requies Dei septimo die<sup>1</sup> mane habuerit sine vespera, id est initium sine termino. Si enim ita diceretur, Requievit Deus in die septimo, nec adderetur, Ab omnibus operibus suis quæ fecit, frustra hujus quietis initium quæreremus. Non enim incipit Deus requiescere, cuius requies sine initio, sine termino sempiterna est. Sed quoniam ab omnibus operibus suis quæ fecit, eis non egendo, requievit, intelligitur requies quidem Dei nec coepta nec terminata; requies autem ejus ab omnibus operibus suis quæ fecit, ex eo coepta est ex quo illa perfecit. Neque enim operibus suis non egendo requievisset, prius quam essent, quibus nec perfectis eguisset; et quia eis omnino nunquam eguit, nec ista beatitudo qua non eis eget, tanquam proficiendo perficietur, ideo septimo diei nulla vespera accessit.

CAPUT XX. — *Dies septimus an creatus.*

37. Sed plane quæri potest, dignaque consideratione movet, quomodo intelligatur in seipso Deus requievisse ab omnibus operibus suis quæ fecit; cum scriptum sit, *Et requievit Deus in die septimo*. Non enim dictum est, In seipso; sed, *in die septimo*. Quid est ergo dies septimus? utrum creatura est aliqua, an temporis tantummodo spatium? Sed etiam temporis spatium creaturæ temporali concreatum est; ac per hoc et ipsum sine dubio creatura est. Neque enim ulla tempora vel sunt, vel esse potuerunt, vel poterunt, quorum Deus non sit creator: ac per hoc et istum septimum diem, si tempus est, quis creavit, nisi omnium temporum creator? Sed illi sex dies cum quibus vel in quibus creaturis creati sint, superior Scripturæ sanctæ sermo indicat. Quocirca in his diebus septem, quorum species nota nobis est, qui re quidem ipsa prætereunt, sed aliis succedentibus nomina sua quodammodo tradunt, ut illi sex dies nominentur; novimus eorum primi quando creati sunt: septimum autem diem, qui nomine sabbati nuncupatur, quando Deus creaverit, non videmus. In ipso quippe die non fecit aliquid, imo ab eis quæ sex diebus fecerat, in eodem septimo requievit. Quomodo ergo requievit in die quem non creavit? Aut quomodo eum post sex dies continuo creavit, cum sexto die consummaverit omnia quæ creavit, nec aliquid septimo die creaverit, sed in eo potius ab omnibus quæ creaverat, requieverit? An unum tantummodo diem creavit Deus, ut ejus repetitione multi, qui dicuntur dies, præterirent atque transcurrerent; nec opus erat ut septimum diem crearet, quia illius quem creaverat, septima repetitio hunc utique faciebat? Lucem quippe de qua scriptum est, *Et dixit*

<sup>1</sup> Mss. quatuor, consummata est in natura sua, aliud habet in natura sua.

<sup>2</sup> Editi, est, diximus, addunt, ut intelligatur; quæ verbo omittunt Mss. omnes.

<sup>1</sup> Sic Mss. At excusi, prætermissa voce Dei, ferunt, requies septimi diei.

*Deus, Fiat lux; et facta est lux* (Gen. 1, 3), discrevit a tenebris, eamque vocavit diem, et tenebras vocavit noctem. Tunc itaque Deus diem fecit, cujus repetitionem Scriptura appellat secundum diem, deinde tertium, et usque ad sextum, quo consummavit Deus opera sua: atque inde illius dici primitus creati septima repetitio septimi diei nomen accepit, in quo requievit Deus. Ac per hoc nulla creatura est septimus dies, nisi eadem ipsa septies rediens, quæ condita est, quando vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem.

CAPUT XXI. — *De luce quæ ante luminaria fuit ad vicissitudinem diei et noctis.*

38. Rursus ergo ad eam questionem relabimur, de qua in primo libro exiisse videbamus; ut item quæramus quomodo circuire potuerit lux ad exhibendam diurnam nocturnamque vicissitudinem, non solum antequam cæli luminaria, sed antequam ipsum cælum quod firmamentum appellatum est, factum esset, antequam denique ulla species terræ vel maris, quæ circuitum lucis admitteret, sequente nocte unde illa transisset. Cujus questionis difficultate compulsi, ausi sumus disceptationem nostram quasi ad hanc terminare sententiam, ut diceremus illam lucem quæ primitus facta est, conformationem esse creaturæ spiritualis; noctem vero, adhuc formandam in reliquis operibus rerum materiem, quæ fuerat instituta, cum in principio fecit Deus cælum et terram, antequam verbo faceret diem<sup>1</sup>. Sed nunc diei septimi consideratione commotum, facilius est ut nos ignorare fateamur, quod remotum est a sensibus nostris, quoniam modo lux illa quæ dies appellata est, vel circuitu suo, vel contractione et emissionem, si corporalis est, vices diurnas nocturnasque peregerit, vel si spiritualis est, condendis creaturis omnibus presentata sit, suaque ipsa presentia diem, noctem vero absentia, vesperam initio absentia, mane initio presentia fecerit; quam ut in re aperta contra divinæ Scripturæ verba conemur, dicendo aliud esse diem septimum, quam illius diei quem fecit Deus septimam repetitionem. Alioquin aut non creavit Deus septimum diem, aut aliquid creavit post illos sex dies, id est ipsam diem septimum; falsumque erit quod scriptum est, in sexto die consummasse omnia opera sua, et in septimo requievisse ab omnibus operibus suis. Quod utique quoniam falsum esse non potest, restat ut presentia lucis illius, quem diem Deus fecit, per omnia opera ejus repetita sit, quoties dies nominatus est, et in ipso septimo in quo requievit ab operibus suis.

CAPUT XXII. — *Lux spiritualis quomodo diei et noctis vicissitudinem exhibuisse intelligitur.*

39. Sed quoniam lux corporalis, antequam fieret cælum, quod firmamentum vocatur, in quo etiam luminaria facta sunt, quo circuitu vel quo processu et recessu vices diei et noctis exhibere potuerit, non invenimus; istam questionem relinquere non debemus sine aliqua nostræ prolatione sententia: ut si lux illa quæ primitus creata est, non corporalis sed spiritualis est, sicut post tenebras facta est ubi intelligitur a

<sup>1</sup> Illi addunt hic, in quo requievit; quod abest a Mss.

sua quadam informitate ad Creatorem conversa atque formata; ita et post vesperam fiat mane, cum post cognitionem suæ propriæ naturæ, qua non est quod Deus, refert se ad laudandam lucem, quod ipse Deus est, cujus contemplatione formatur. Et quia cæteræ creaturæ, quæ infra ipsam sunt, sine cognitione ejus non sunt, propterea nimirum idem dies ubique repetitur, ut ejus repetitione fiant tot dies, quoties distinguuntur rerum genera creaturarum, perfectione senarii numeri terminanda: ut vespera primi diei sit etiam sui cognitio<sup>1</sup>, non se esse quod Deus est; mane autem post hanc vesperam, quo concluditur dies unus, et inchoatur secundus, conversio sit ejus, qua id quod creata est, ad laudem referat Creatoris, et percipiat de Verbo Dei cognitionem creaturæ quæ post ipsam sit, hoc est firmamenti: quod in ejus cognitione sit prius cum dicitur, *Et sic est factum*; deinde in natura ipsius firmamenti, quod conditur, cum additur etiam postea, jam dicto, *Et sic est factum, Et fecit Deus firmamentum*. Deinde sit vespera illius lucis, cum ipsum firmamentum, non in Verbo Dei sicut ante, sed in ipsa ejus natura cognoscit: quæ cognitio quoniam minor est, recte vesperæ nomine significatur. Postquam sit mane, quo concluditur secundus dies, et incipit tertius: in quo itidem mane conversio est lucis hujus, id est diei hujus ad laudandum Deum, quod operatus sit firmamentum, et percipiendam de Verbo ejus cognitionem creaturæ, quæ condenda est post firmamentum. Ac per hoc cum dicit Deus, *Congregatur aqua quæ est sub cælo, in collectionem unam et appareat arida*, cognoscit hoc illa lux in Verbo Dei quo id dicitur; et ideo sequitur, *Et sic est factum*, hoc est in ejus cognitione ex Verbo Dei: deinde cum additur, *Et congregata est aqua*, etc. (Gen., 1, 9, 10), cum jam dictum esset, *Et sic factum est*, in suo genere ipsa creatura sit; quæ item cum in suo genere facta cognoscitur ab ea luce, quæ jam in Verbo Dei faciendam cognoverat, sit tertio vespera: et inde hoc modo cætera usque ad mane post vesperam sexti diei.

CAPUT XXIII. — *Cognitio rerum in verbo Dei et in seipsis.*

40. Multum quippe interest inter cognitionem rei cujusque in Verbo Dei, et cognitionem ejus in natura ejus; ut illud merito ad diem pertineat, hoc ad vesperam. In comparatione enim lucis illius quæ in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio qua creaturam quamlibet in seipsa novimus, non immerito nox dici potest: quæ rursus tantum differt ab errore vel ignorantia eorum qui nec ipsam creaturam sciunt, ut in ejus comparatione non incongrue dicatur dies. Sicut ipsa vita fidelium quæ in hac carne atque in hoc sæculo ducitur, in comparatione vitæ infidelis atque impiæ non irrationabiliter lux et dies appellatur, dicente Apostolo, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (Ephes. 5, 8); et illud, *Abjiciamus opera tenebrarum, et induamus nos arma lucis; sicut in die honeste ambulemus* (Rom. XIII, 12, 13): qui tamen

<sup>1</sup> Locus ad Mss. emendatus; in quo scilicet excusi habuerunt, *cognitione*, pauloque post, *conversio fit ejus*.

dies nisi rursus in comparatione illius diei quo æqualis Angelis facti videmus Deum sicuti est, ipse quoque nox esset; non hic prophetiæ lucerna indigeremus: unde apostolus Petrus dicit, *Habemus certiores propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes sicut lucernæ lucenti<sup>1</sup> in obscuro loco, donec dies luceat, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (II Petr. 1, 19).

CAPUT XXIV. — *Scientia Angelorum.*

41. Quapropter cum sancti Angeli, quibus post resurrectionem cœquabimur (*Math. xxii, 30*), si viam (quod nobis Christus factus est) usque in finem tenuerimus, scilicet videant faciem Dei, Verboque ejus unigenito Filio sicut Patri æqualis est perficiantur, in quibus prima omnium creata est sapientia; procul dubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo per quod facta sunt omnia: ac deinde in ipsa creatura, quam sic noverunt tanquam infra despicientes, eamque referentes ad illius laudem, in cujus incommutabili veritate rationes secundum quas facta est, principaliter vident. Ibi ergo tanquam per diem, unde et concordissima unitas eorum ejusdem veritatis participatione dies est primitus creatus; hic autem tanquam per vesperam: sed continuo fit mane (quod in omnibus sex diebus animadverti potest), quia non remanet angelica scientia in eo quod creatum est, quin hoc continuo referat ad ejus laudem atque charitatem<sup>2</sup>, in quo id non factum esse, sed faciendum fuisse cognoscitur; in qua veritate stando dies est. Nam si vel ad seipsam naturam angelicam converteretur, seque amplius delectaretur, quam illo cujus participatione beata est; intumescens superbia caderet, sicut diabolus: de quo suo loco loquendum est, cum de serpente hominis seductore sermo debitus flagitabitur.

CAPUT XXV. — *Cur sex diebus non addatur nox.*

42. Quia ergo Angeli creaturam in ea ipsa creatura sic sciunt, ut ei scientiæ electione ac dilectione præponant quod eam sciunt in Veritate, per quam facta sunt omnia, participes ejus effecti; ideo per omnes sex dies non nominatur nox, sed post vesperam et mane dies unus: item post vesperam et mane dies secundus; deinde post vesperam et mane dies tertius: ac sic usque in mane sexti diei, unde incipit septimus quietis Dei, quamvis cum suis noctibus, dies tamen non noctes narrantur. Tunc enim nox ad diem pertinet, non dies ad noctem, cum sublimes et sancti Angeli id quod creaturam in ipsa creatura noverunt, referunt ad illius honorem et amorem, in quo æternas rationes quibus creati est contemplantur; eaque concordissima contemplatione sunt unus dies, quem fecit Dominus, cui conjungetur Ecclesia de hac peregrinatione liberata, ut et nos exultemus et jucundemur in eo (*Psal. cxvii, 24*).

<sup>1</sup> Mss. omittunt, *lucenti*.

<sup>2</sup> In cœlis, *charitatem*. In quinque Mss., *charitatem*: hanc lectionem confirmat quod rursus, u. 42 dicitur, *referunt ad illius honorem et amorem*.

CAPUT XXVI. — *Numerus dierum quomodo accipiendus.*

43. Hujus ergo diei, cujus et vespera et mane secundum supra dictam rationem accipi potest, sexta repetitione consummata est universa creatura; factumque est mane, quo finiretur sextus dies; et unde inciperet septimus vesperam non habiturus, quia Dei requies non est creatura: quæ cum per dies cæteros conderetur, aliter in seipsa facta cognoscebatur, quam in illo in cujus veritate faciendâ videbatur, cujus cognitionis quasi decolor species vesperam faciebat. Non itaque jam forma ipsius operis dies, et terminus vespera, et alterius operis initium mane, in hac rerum conditarum narratione debet intelligi; ne cogamur contra Scripturam dicere, præter sex dies conditam diei septimi creaturam, aut ipsum diem septimum nullam esse creaturam: sed dies ille quem fecit Deus, per opera ejus ipse repetitur, non circuitu corporali, sed cognitione spirituali, cum beata illa societas Angelorum et primitus contemplantur in Verbo Dei, quo dicit Deus, *Fiat*; atque ideo prius in ejus cognitione fit, cum dicitur, *Et sic est factum*; et postea rem ipsam factam, in ea ipsa cognoscit, quod significatur facta vespera; et eam deinde cognitionem rei factæ ad illius veritatis laudem refert, ubi rationem viderat faciendâ, quod significatur facto mane. Ac sic per omnes illos dies unus est dies, non istorum dierum consuetudine intelligendus, quos videmus solis circuitu determinari atque numerari; sed alio quodam modo, a quo et illi tres dies, qui ante conditionem istorum luminarium commemorati sunt, alieni esse non possunt. Is enim modus non usque ad diem quartum, ut inde jam istos usitates cogitarem, sed usque ad sextum septimumque perductus est; ut longe aliter accipiendus sit dies et nox, inter quæ duo divisit Deus, et aliter iste dies et nox, inter quæ dixit ut dividant luminaria quæ creavit, cum ait, *Et dividant inter diem et noctem* (*Gen. 1, 14*). Tunc enim hunc diem condidit, cum condidit solem, cujus præsentia eundem exhibet diem: ille autem dies primitus conditus jam triduum peregerat, cum hæc luminaria illius diei quarta repetitione creata sunt.

CAPUT XXVII. — *Usitati dies hebdomadæ longe disparcs septem diebus Geneseos.*

44. Quapropter quod illum diem vel illos dies, qui ejus repetitione numerati sunt, in hac nostra mortalitate terrena experiri ac sentire non possumus, et si quid ad eos intelligendos conari possumus, non debemus temerariam præcipitare sententiam, tanquam de his aliud sentiri congruentius probabiliusque non possit; istos septem dies, qui pro illis agunt hebdomadam, cujus cursu et recursu tempora rapiuntur, in qua dies unus est a solis ortu usque in ortum circuitus, sic illorum vicem quamdam exhibere credamus, ut non eos illis similes, sed multum impares minime dubitemus.

CAPUT XXVIII. — *Interpretatio data de luce et die spirituali non existimetur impropria et figurata.*

45. Nec quiquam arbitretur, illud quod dixi de

luce spirituali, et de condito die spirituali et angelica creatura, et de contemplatione quam habet in Verbo Dei, et de cognitione qua in seipsa creatura cognoscitur, et ejusque relatione ad laudem incommutabilis veritatis, ubi prius ratio videbatur rei faciendæ, quæ cognita est facta; non jam proprie, sed quasi figurate atque allegorice convenire ad intelligendum diem et vesperam et mane: sed aliter quidem quam in hac consuetudine quotidianæ lucis hujus et corporalis; non tamen tanquam hic proprie, ibi figurate. Ubi enim melior et certior lux, ibi verior etiam dies: cur ergo non et verior vespera et verius mane? Nam si in istis diebus habet quamdam declinationem suam lux in occasum, quam vespere nomine nuncupamus, et ad ortum iterum reditum, quod mane dicimus; cur et illic vesperam non dicamus, cum a contemplatione Creatoris creatura despicitur<sup>1</sup>, et mane cum a cognitione creaturæ in laudem Creatoris assurgitur? Neque enim et Christus sic dicitur lux (Joan. viii, 12), quomodo dicitur lapis (Act. iv, 11); sed illud proprie, hoc utique figurate. Quisquis ergo non eam quam pro nostro modulo vel indagare vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie meliusque possit intelligi; querat, et divinitus adjutus inveniat. Fieri enim potest ut etiam ego aliam his divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam. Neque enim ita hanc confirmo, ut aliam quæ præponenda sit, inveniri non posse contendam, sicut confirmo requiem Dei Scripturam sanctam, non quasi post lassitudinem vel curæ molestatam, nobis insinuare voluisse.

CAPUT XXIX. — *In angelica cognitione dies, vespera et mane.*

46. Quamobrem potest aliquis fortasse mecum disputando certare, ut dicat sublimium cælorum Angelos non alternatim contueri, primo rationes creaturarum incommutabiliter in Verbi Dei incommutabili veritate, ac deinde ipsas creaturas, et tertio earum etiam in seipsis cognitionem ad laudem referre Creatoris; sed eorum mentem mirabilis facilitate hæc omnia simul posse. Numquid tamen dicet, aut si quisquam dixerit audiendus est, illam cælestem in Angelorum millibus civitatem, aut non contemplari Creatoris æternitatem, aut mutabilitatem ignorare creaturæ, aut ex ejus quoque inferiore quadam cognitione non laudare Creatorem? Simul hoc totum possint, simul hoc totum faciant; possunt tamen et faciunt. Simul ergo habent et diem, et vesperam, et mane.

CAPUT XXX. — *Nihilo ignobilior angelica scientia, licet in hac sit vespera et mane.*

47. Neque enim verendum est ne forte qui est idoneus jam illa sentire, ideo non putet hoc ibi posse fieri, quia in his diebus, qui solis hujus circuitu peraguntur, fieri non potest. Et hoc quidem non potest eisdem partibus terræ: universum autem mundum

<sup>1</sup> Bigotianus codex, *despicitur*. Alii, *despicitur*; quasi deorsum aspicitur, uti usurpat Augustinus supra, n. 41, et lib. 2, n. 17; et Virgil. *Aeneid* lib. 1, v. 228: *despicens mare veltolum, terrasque jacentes.*

quis non videat, si attendere velit, et diem ubi sol est, et noctem ubi non est, et vesperam unde discedit, et mane quo accedit, simul habere? Sed nos plane in terris hæc omnia simul habere non possumus: nec ideo tamen istam terrenam conditionem lucisque corporeæ temporalem localemque circuitum illi patriæ spirituali coequare debemus, ubi semper est dies in contemplatione incommutabilis veritatis, semper vespera in cognitione in seipsa creaturæ, semper mane etiam ex hac cognitione in laude Creatoris. Quia non ibi abscessu lucis superioris, sed inferioris cognitionis distinctione sit vespera; nec mane tanquam nocti ignorantie scientia matutina succedat, sed quod vespertinam etiam cognitionem in gloriam conditoris attollat. Denique et ille, nocte non nominata, *Vespere*, inquit, *et mane, et meridie enarrabo et annuntiabo*; et *exaudies vocem meam* (Psal. lrv, 18): hic fortasse per temporum vices, sed tamen, quantum puto, significans quid sine temporum vicibus ageretur in patria, cui ejus peregrinatio suspirabat.

CAPUT XXXI. — *Initio creationis rerum quomodo non simul dies, vespera et mane in angelica cognitione.*

48. Sed numquid si jam nunc simul ista omnia gerit atque habet angelica illa societas et unitas dici, quem primitus condidit Deus, tunc etiam cum hæc condereatur simul hæc habuit? Nonne per omnes sex dies, cum ea quæ per singulos Deo condere placuit, condereatur, primo hæc accipiebat in Verbo Dei, ut in ejus notitia primitus fierent, cum dicebatur, *Et sic est factum*; deinde cum facta essent, in sua propria natura qua sunt, Deoque placuissent quia bona sunt, tunc itidem ea cognoscebat alia quadam inferiore cognitione, quæ nomine vespere significata est; ac deinde facta vespera fiebat mane, cum de suo Deus opere laudaretur, et alterius creaturæ quæ deinceps faciendæ erat, ex Dei Verbo notitia, priusquam fieret, acciperetur? Non ergo tunc simul omnia, et dies et vespera et mane; sed singillatim, per ordinem quem Scriptura commemorat.

CAPUT XXXII. — *Si tunc ista omnia simul in Angelorum scientia, saltem non sine quodam ordine fuerunt.*

49. An etiam tunc simul omnia, quia non secundum temporum moras, sicut sunt dies isti, cum oritur et occidit sol, et in locum suum redit, ut rursus oritur; sed secundum potentiam spirituales mentis angelicæ, cuncta quæ voluerit simul notitia facillima comprehendentem? Nec ideo tamen sine ordine, quo apparet connexio præcedentium sequentiumque causarum. Neque enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda præcedant; quæ item priora sunt in Verbo, per quod facta sunt omnia, quam in iis quæ facta sunt omnibus. Mens itaque humana prius hæc quæ facta sunt, per sensus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis humanæ modulo capit: et deinde querit eorum causas, si quo modo possit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in Verbo Dei, ac sic invisibilia ejus, per ea

quæ facta sunt, intellecta conspiceret (*Rom. i, 20*). Quod quanta tarditate ac difficultate agat, et quanta temporis mora propter corpus corruptibile quod aggravat animam (*Sap. ix, 15*), etiam quæ ferventissimo studio rapitur ut instanter ac perseveranter hoc agat, quis ignorat? Mens vero angelica pura charitate inhaerens Verbo Dei, posteaquam illo ordine creata est, ut præcederet cætera, prius ea vidit in Verbo Dei faciendâ, quam facta sunt; ac sic prius in ejus se habent cognitione, cum Deus dicebat ut fierent, quam in sua propria natura: quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognovit, minore utique notitia, quæ vespera dicta est. Quam notitiam sane præcedebant quæ se habent; quia præcedit cognitionem quicquid cognosci potest. Nisi enim prius sit quod cognoscatur, cognosci non potest. Post hoc si eo modo sibi placeret, ut amplius seipsa quam Creatore suo delectaretur, non fieret manere, id est non de sua cognitione in laudem Creatoris assurgeret. Cum vero factum est mane<sup>1</sup>, faciendum erat aliud et cognoscendum Deo dicente, *Fiat*; ut prius itidem fieret in cognitione mentis angelicæ, et posset rursus dici, *Et sic est factum*; ac deinde in natura propria, ubi subsequente vespera nosceretur.

50. Ac per hoc etiamsi nulla hic morarum temporalium sicut intervalla, præcessit tamen ratio condendæ creaturæ in Verbo Dei, cum dixit, *Fiat lux*; et secuta est ipsa lux qua angelica mens formata est, atque in sua natura facta est, non autem alibi sequebatur ut fieret: et ideo non prius dictum est, *Et sic est factum*, et postea dictum, *Et fecit Deus lucem*; sed continuo post Verbum Dei facta est lux, adhæsitque creati luci lux creata, videns illam et se in illa, id est rationem qua facta est. Vidit etiam se in se, id est, distante<sup>2</sup> quod factum est ab eo qui fecit. Et ideo cum placuisset Deo factum, videnti quia bonum est, et divisa esset lux a tenebris, et vocata lux dies, et tenebræ nox; facta est et vespera: quia necessaria erat et ista cognitio, qua distingueretur a Creatore creatura, aliter in seipsa cognita quam in illo; atque inde mane ad aliud præcognoscendum, quod fuerat Verbo Dei faciendum, prius in cognitione mentis angelicæ, deinde in natura ipsius firmamenti. Et ideo dixit Deus, *Fiat firmamentum*; et sic est factum, in cognitione creaturæ spiritualis, hoc priusquam fieret in eo ipso prænoscentis. Deinde *fecit Deus firmamentum*; iam utique ipsam firmamenti naturam, cujus minor esset tanquam vespertina cognitio: ac sic usque ad omnium operum finem, et usque ad requiem Dei, quæ non habet vesperam, quia non est facta sicut creatura, ut posset etiam ipsius geminari cognitio, tanquam prior et major in Verbo Dei sicut in die, et posterior ac minor in seipsa sicut in vespera.

CAPUT XXXIII. — *An simul omnia, an per intervalla dierum condita fuerint.*

51. Sed si omnia mens simul angelica potest, quæ singillatim per ordinem connexarum causarum sermo

distinguit; numquid etiam quæ se habent, velut ipsum firmamentum, velut aquarum congregatio, speciesque terrarum nudata, velut fruticum et arborum germinatio, luminariam et siderum conformatio, aquatilia terrestriaque animantia simul omnia facta sunt? an non potius per intervalla temporum secundum præfinitos dies? An forte non sicut ea secundum motus eorum naturales nunc experimur, ita etiam cum primitus instituta sunt cogitare debemus; sed secundum mirabilem atque ineffabilem virtutem Sapientiæ Dei, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap. viii, 1*)? Neque enim et ipsa gradibus attingit, aut tanquam gressibus pervenit. Quapropter quam facilis ei efficacissimus motus est, tam facile Deus condidit omnia; quoniam per illam sunt condita: ut hoc quod nunc videmus temporalibus intervallis ea moveri ad peragenda quæ suo cuique generi competunt, ex illis insitis rationibus veniat, quas tanquam seminaliter sparsit Deus in actu condendi, cum dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt (*Psal. xxxiii, 9*).

52. Non itaque tarde institutum est, ut essent tarda quæ tarda sunt; nec ea mora condita sunt sæcula, qua transcurrunt. Illos enim numeros tempora peragunt, quos cum crearentur, non temporaliter acceperunt. Alioquin si rerum naturales motiones, dierumque istorum, quos novimus, usitata spatia, cum hæc primitus Verbo Dei facta sunt, cogitemus; non uno die opus erat, sed pluribus, ut ea quæ radicibus pululant, terramque vestiant, subter primitus germinarent; deinde certo numero dierum pro suo quoque genere in auras erumperent, etiam si hoc usque fieret, quod de creata natura eorum die uno, id est tertio, factum Scriptura narravit. Deinde quot diebus opus erat, ut aves volarent, si a suis primordiis existentes, ad plumas et pennas per naturæ suæ numeros pervenerunt? An forte ova tantum creata erant, cum quinto die dictum est quod ejecerint aquæ omne volatile pennatum secundum suum genus? Aut si propterea recte hoc dici potuit, quia in illo humore ovorum jam erant omnia, quæ per numeros certos dierum coalescent, et explicantur quodammodo, quia inerat jam ipsæ numerosæ rationes incorporaliter corporeis rebus intextæ; cur non et ante ova id ipsum recte dici potuerit, cum jam eadem rationes in elemento humido fierent, quibus alites per temporales sui cujusque generis moras oriri et perfici possent? De quo enim Creatore Scriptura ista narravit, quod sex diebus consummaverit omnia opera sua, de illo alibi non utique dissonanter scriptum est, quod creaverit omnia simul (*Eccli. xviii, 1*). Ac per hoc et istos dies sex vel septem, vel potius unum sexies septiesve repetitum simul fecit, qui fecit omnia simul. Quid ergo opus erat sex dies tam distincte dispositæque narrari? Quia scilicet ii qui non possunt videre quod dictum est, *Creavit omnia simul*, nisi cum eis sermo tardius incedat; ad id quo eos ducit, pervenire non possunt.

<sup>1</sup> Abest, mane, a Jberisque et mellioris notæ Mss.

<sup>2</sup> sorbonicus Ms. distans.

CAPUT XXXIV. — *Omnia et simul facta, et nihilominus per sex dies facta.*

53. Quomodo ergo dicimus sexties repetitam lucis illius presentiam per angelicam cognitionem a vespera ad mane; cum ipsa tria simul, id est et diem et vesperam et mane, semel ei habere suffecerit: cum simul universam creaturam, sicut simul facta est, et in primis atque incommutabilibus rationibus, per quas condita est, contempleretur propter diem, et in ejus ipsius natura cognosceret propter vesperam, et Creatorem ex ipsa etiam inferiore cognitione propter mane laudaret? Aut quomodo precedebat mane, ut in Verbo cognosceret quid esset Deo postea faciendum, idipsum etiam consequenter vespere cognitura, si prius et posterius nihil factum est, quia simul omnia facta sunt? Ino vero et prius atque posterius per sex dies quæ commemorata sunt facta sunt, et simul omnia facta sunt: quia et hæc Scriptura, quæ per memoratos dies narrat opera Dei, et illa quæ simul eum dicit fecisse omnia, verax est; et utraque una est, quia uno S. iritu veritatis inspirante conscripta est.

54. Sed in his rebus, in quibus quid prius sit vel posterius, intervalia temporum non demonstrant, quamvis utramque dici possit, id est simul, et prius et posterius, facillius tamen intelligitur quod dicitur simul, quam quod prius atque posterius: velut cum solem intuemur orientem, certo manifestum est quod ad eum acies nostra pervenire non posset, nisi transiret totum aeris cœlique spatium, quod inter nos et ipsum est; hoc autem cujus longinquitatis sit, quis æstimare sufficit? Nec utique perveniret eadem acies vel radius oculorum nostrorum ad transcendendum ærem qui est super mare, nisi prius transisset eum qui est super terram, in qualibet mediterranea regione simus, ab eo loco ubi sumus usque ad litus maris. Deinde si ad eandem lineam continentis nostri adhuc post mare terræ adjacent, eum quoque ærem qui super illas transmarinas terras est, transire acies nostra non potest, nisi prius peracto spatio aeris illius qui super mare quod prius occurrit, extenditur. Faciamus jam post illas transmarinas terras nonnisi Oceanum remanere; numquid et ærem qui super Oceanum diffunditur, potest transire acies nostra, nisi prius transierit quidquid aeris citra Oceanum supra terram est? Oceani autem magnitudo incomparabilis perhibetur; sed quantacumque sit, prius oportet ærem qui supra est, transeant radii nostrorum oculorum; et postea quidquid ultra est; tum demum ad solem perveniant, quem videmus. Nam igitur quia toties hic diximus, Prius, et postea, ideo non simul omnia uno ictu transit noster obtutus? Si enim clausis oculis faciem contra visuri solem ponamus, nonne mox ut eos aperuerimus, ibi potius aciem nostram nos invenisse, quam illuc eam perduxisse putabimus;

ita ut nec ipsi oculi prius aperti fuisse videantur, quam illa quo intenderat pervenisse<sup>1</sup>? Et certe iste corporeæ lucis est radius, emicans ex oculis nostris, et tam longe posita tanta celeritate contingens, ut æstimari compararique non possit. Nempe hic et illa: omnia tam simpla immensaque spatia simul uno ictu transiri manifestum est, et quod prius posteriusque transeat, nibilo minus certum est.

55. Merito resurrectionis nostræ celeritatem cum exprimere vellet Apostolus, in ictu oculi dixit fieri (1 Cor. xv, 52). Neque enim aliquid in rerum corporearum motibus vel ictibus potest celerius inveniri. Quid si oculorum carnalium acies celeritate tantum potest, quid mentis acies vel humanæ? quanto magis angelicæ? Quid jam de ipsius summæ Dei Sapientiæ celeritate dicatur, quæ attingit ubique propter suam munditiam, et nihil inquinatum in eam incurrit (Sap. vii, 24)? In his ergo quæ simul facta sunt, nemo videt quid prius posteriusve fieri debuerit, nisi in illa Sapientia, per quam facta sunt omnia per ordinem simul.

CAPUT XXXV. — *Conclusio de diebus Genesios.*

56. Dies ergo ille quem Deus primitus fecit, si spiritualis rationalisque creatura est, id est Angelorum supercelestium atque Virtutum, presentatus est omnibus operibus Dei hoc ordine presentia, quo ordine scientiæ<sup>2</sup>, qua et in Verbo Dei facienda prænosceret, et in creatura facta cognosceret, non per intervallorum temporalium moras, sed prius et posterius habens in connexionem creaturarum, in efficacia vero Creatoris omnia simul. Sic enim fecit quæ futura essent, ut non temporaliter faceret temporalia, sed ab eo facta currerent tempora. Ac per hoc isti dies septem, quos lux corporis cœlestis circumeundo explicat atque replicat, secundum quamdam umbram significationis admonent nos quærere illos dies, in quibus lux creata spiritualis omnibus operibus Dei per aenariam numeri perfectionem presentari potuerit; atque inde septimam<sup>3</sup> requiem Dei mane habere, et vesperam non habere: ut non sit hoc Deo requievisse in die septimo, tanquam ipso die septimo egerit ad requiem suam; sed quod in conspectu Angelorum suorum requieverit ab omnibus operibus suis quæ fecit, non utique nisi in seipso, qui factus non est; id est, ut creatura ejus angelica, quæ cognoscendis omnibus operibus ejus in ipso et in illis, tanquam dies cum vespera presentata est, nihil post omnia valde bona opera ejus melius cognosceret, quam illum ab omnibus in seipso requiescere, nullo eorum egentem quo sit beator.

<sup>1</sup> Am. et Fr., *quam illo quo intenderant pervenisse*. Lov., *pervenissent*. Al. Ms., *quam illa quo intenderat* (scilicet, oculorum acies) *pervenisset*.

<sup>2</sup> Mss. aliquot, *præscientiæ*.

<sup>3</sup> Mss. non pauci, *inde in septimam*. Unus aut alter, *hæc in septima*.



## LIBER QUINTUS.

De eo quod scriptum est in cap. 2 Genesios, vers. 4: *Hic est liber creaturæ cæli, etc.*, usque ad illud, vers. 6: *Fons autem ascendebat de terra, etc.*



**CAPUT PRIMUM.** — *Sex vel septem Genesis dies unius diei repetitione numerari potuisse.*

1. *Hic est liber creaturæ cæli et terræ, cum factus est dies, fecit Deus cælum et terram, et omne viride agri, antequam esset super terram, et omne fenum agri, antequam exortum est. Non enim pluerat super terram Deus: et homo non erat qui operaretur terram. Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ.* Nunc certe firmior sit illa sententia qua intelligitur unum diem fecisse Deum, unde jam illi sex vel septem dies unius hujus repetitione numerari potuerint; quandoquidem apertius sancta Scriptura jam dicit, concludens quodammodo cuncta quæ ab initio usque ad hunc locum dixerat, atque infert, *Hic est liber creaturæ vel facturæ cæli et terræ, cum factus est dies.* Neque enim quisquam dicitur esse cælum et terram hic ita commemorata, sicut dictum erat antequam conditus insinuaretur dies, *In principio fecit Deus cælum et terram* (Gen. 1, 1). Illud enim si eo modo intelligitur, ut aliquid Deus fecerit sine die, priusquam faceret diem, qua ratione id possit accipi, suo loco dixi, quod dicendum putavi, nulli intercludens melius intelligendi licentiam. Nunc autem, *Hic est, inquit, liber creaturæ cæli et terræ, cum factus est dies:* satis, ut opinor, ostendens, non hic se ita commemorasse cælum et terram, sicut in principio antequam fieret dies, cum tenebræ essent super abyssum; sed quomodo factum est cælum et terra, cum factus est dies, id est jam formatis atque distinctis partibus et generibus rerum, quibus universa creatura disposita atque composita reddit hanc speciem quæ mundus vocatur.

2. Illud hic ergo cælum commemoratum est, quod cum creasset Deus, firmamentum vocavit, cum omnibus quæ in illo sunt; et ea terra, quæ cum abyssum obtinet locum, cum omnibus quæ in ea sunt. Sequitur enim et adjungit, *Fecit Deus cælum et terram;* ut cæli et terræ nomine et præmisso antequam factum diem commemoraret, et repetito cum commemorasset, non sinat suspicari, ita se nunc cælum et terram nominasse, sicut in principio antequam esset creatus dies. Sic enim verba contexuit, *Hic est liber creaturæ cæli et terræ, cum factus est dies, fecit Deus cælum et terram:* ut si quisquam velit sic intelligere quod superius positum est, *liber creaturæ cæli et terræ,* quemadmodum dictum est, *In principio fecit Deus cælum et terram,* priusquam conderet diem, quia prius et hic commemorata sunt cælum et terra, et postea factus dies; corrigatur subsequentibus verbis: quia et post commemoratum factum diem, rursus cæli et terræ nomen adjunctum est.

3. Quamquam et hoc quod positum est, *cum,* et sic adjunctum, *factus est dies,* cuius contentioso extor-

queat alium esse intellectum non posse. Si enim ita esset interpositum, ut diceretur, *Hic est liber creaturæ cæli et terræ, factus est dies, fecit Deus cælum et terram;* quisquam forte arbitraretur librum creaturæ cæli et terræ sic appellatum, quomodo appellatum est in principio cælum et terra, ante conditum diem; ac deinde subjunctum, *factus est dies,* sicut ibi postea narratum est, quod Deus fecerit diem: inde continuo rursus dictum, *Fecit Deus cælum et terram:* tanquam sic jam quemadmodum hæc facta sunt post conditum diem. Sed quia ita interpositum est ut dicereetur, *cum factus est dies;* sive hoc superioribus verbis connectas, ut sit una sententia, *Hic est liber creaturæ cæli et terræ cum factus est dies;* sive inferioribus, ut item hoc modo sit plana sententia, *Cum factus est dies, fecit Deus cælum et terram:* procul dubio cogit eo modo se intelligi cælum et terram commemorasse, quomodo facta sunt, cum factus est dies. Deinde cum dictum esset, *Fecit Deus cælum et terram;* additum est, *et omne viride agri:* quæ certe manifestum est tertio die facta. Unde liquidius apparet eundem illum esse unum diem quem fecit Deus, quo repetito, factus est et secundus, et tertius; et cæteri usque ad septimum diem.

**CAPUT II.** — *Viride agri cur additum.*

4. Cum autem nomine cæli et terræ, usitate more Scripturarum, nunc universam creaturam voluerit accipi, quæri potest cur addiderit, *et omne viride agri;* quod mihi videtur ideo posuisse, ut significantius intimaret quem diem commendaverit, quod ait, *cum factus est dies.* Cito enim quisquam putaret hunc diem lucis corporeæ commendatum, quo circumeunte nobis vicissitudo diurni nocturnique temporis exhibetur. Sed cum creaturarum conditarum ordinem recolimus, et invenimus omne viride agri tertio die creatum, antequam sol fieret, qui quarto die factus est, cujus præsentia dies iste quotidianus usitatusque peragitur; quando audimus, *Cum factus est dies, fecit Deus cælum et terram, et omne viride agri;* admonemur de ipso die cogitare, quem sive corporalem nescio qua luce nobis incognita, sive spiritualem in societate unitatis angelicæ, non tamen talem qualem hic novimus, intellectu vestigare conemur.

**CAPUT III.** — *Ex narrationis ordine intelligitur omnia simul creata fuisse.*

5. Illud etiam non ab re fuerit intueri, quod cum posset dicere, *Hic est liber creaturæ cæli et terræ, cum fecit Deus cælum et terram;* ut in cælo et terra intelligeremus quidquid in eis est, sicut loqui divina Scriptura consuevit, ut nomine cæli et terræ æpissime, interdum addito et maris, universam insinuet creaturam, aliquando adjungens et dicens, *Et quæ sunt in eis* (Psal. cxlv, 6): ut quidquid horum dice-

ret, ibi intelligeremus et diem, sive quem primitus condidit, sive istum quem presentia solis fecit: non ita dixit, sed interposuit diem, dicens, *Cum factus est dies*. Nec ita locutus est ut diceret, Hic est liber creaturæ diei et cœli et terræ; tanquam hoc ordine, quo facta narrantur: nec ita, Hic est liber creaturæ cœli et terræ, cum factus est dies et cœlum et terra, cum fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri: nec ita, Hic est liber creaturæ cœli et terræ, cum fecit Deus diem, et cœlum et terram, et omne viride agri: hos enim magis locutionis modos loquendi consuetudo posebat. Sed ait, *Hic est liber creaturæ cœli et terræ, cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri*: tanquam illud insinuans, cum factus est dies, tunc fecisse Deum cœlum et terram, et omne viride agri.

6. Porro autem superior narratio factum diem primitus indicat, eumque unum diem deputat; post quem secundum annumerat, quo factum est firmamentum; et tertium, quo species terræ marisque digestæ sunt, et lignum atque herbam terra produxit. An forte hoc illud est, quod in libro superiore molliamur ostendere, simul Deum fecisse omnia, quandoquidem narrationis illa contextio, cum sex dierum ordine creata cuncta et consummata memorasset, nunc ad unum diem omnia rediguntur nomine cœli et terræ, adjuncto etiam fructuum genere? Nimirum propter quod supra dixi, ut si fortassis ex hac nostra consuetudine intelligeretur dies, corrigeretur lector, cum recoleret viride agri ante istum solarem diem Deum dixisse ut terra produceret. Ita jam non ex alio Scripturæ sanctæ libro profertur testimonium quod omnia simul Deus creaverit (*Eccli. xviii, 4*); sed vicina testificatio paginæ consequentis ex hac re nos admonet, dicens, *Cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri*: ut istum diem et septies intelligas repetitum, ut fierent septem dies; et cum audis tunc facta omnia, cum factus est dies, illam senariam vel septenariam repetitionem sine intervallis morarum spatiorumque temporalium factam, si possis, apprehendas; si nondum possis, hæc relinquantur conspicienda valentibus: tu autem cum Scriptura non deserente infirmitatem tuam, et materno incessu tecum tardius ambulante proficias; quæ sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat<sup>1</sup>, affabilitate parvulos nutriat.

CAPUT IV. — *Cur fenem antequam exoriretur factum fuisse dicitur.*

7. Quid sibi ergo vult etiam quod sequitur: nam ita sermo contextitur, *Cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri, antequam esset super terram, et omne fenum agri, antequam exortum est*? Quid est hoc? Nonne querendum est ubi ea fecerit, antequam essent super terram, et antequam exorta sunt? Quis enim non proclivius crederet, tunc ea Deum fecisse, cum exorta sunt, non antequam exorta sunt, nisi admoneretur hoc divino eloquio, ista

<sup>1</sup> Veteres codices optime notæ, *agnos pascat*.

Deum fecisse antequam exorirentur, ut si ubi facta sint, invenire non possit, credat tamen ante facta quam exorta, quisquis huic Scripturæ pie credit; impie quippe non credit.

8. Quid ergo dicemus? An quod nonnulli putaverunt, in ipso Verbo Dei facta omnia, antequam exorirentur in terra? Sed si hoc modo facta sunt, non cum factus est dies, sed antequam fieret dies, facta sunt: aperte autem Scriptura dicit, *Cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri antequam esset super terram, et omne fenum antequam exoriretur*. Si ergo cum factus est dies, non utique antequam fieret dies: ac per hoc non in Verbo, quod Patri cœternum est antequam dies, antequam omnino aliquid fieret; sed cum factus est dies. Nam illa quæ in Verbo Dei ante omnem creaturam sunt, non utique facta sunt<sup>2</sup>: hæc autem facta sunt, cum factus est dies, sicut Scripturæ verba declarant; sed tamen antequam essent super terram, antequam exorirentur; quod de viridibus et feno agri dictum est.

9. Ubi ergo? An in ipsa terra causaliter et rationaliter; sicut in seminibus jam sunt omnia, antequam evolvant quodammodo, atque explicent incrementa et species suas per numeros temporum? Sed ista semina, quæ videmus, jam super terram sunt, jam exorta sunt: annon erant super terram, sed infra terram; et ideo antequam exorta sunt, facta sunt, quia tunc exorta sunt, cum semina germinarunt, et accessu incrementorum in auras eruperunt, quod per moras temporum nunc fieri videmus suo cuique generi distributas? Num ergo semina tunc facta sunt, cum factus est dies, et in ipsis erat omne viride agri, et omne fenum, nondum ea specie qua sunt super terram jam exorta, sed ea vi qua sunt in rationibus seminum? Semina ergo primum terra produxit? Sed non ita Scriptura loquebatur, cum diceret, *Et produxit terra herbam pabuli, vel herbam feni, seminantem<sup>3</sup> semen secundum genus, et secundum similitudinem; et lignum fructuosum faciens fructum, cujus semen in se secundum genus super terram*. His enim verbis magis apparet semina esse orta ex herbis et lignis; non autem illa ex seminibus, sed ex terra: præsertim quia et ipsa verba Dei sic se habent. Non enim ait, Germinent semina in terra herbam feni, et lignum fructuosum; sed ait, *Germinet terra herbam feni seminantem semen*; ut semen ex herba, non herbam insinuaret ex semine. *Et sic est factum, et produxit terra* (*Gen. 1, 11, 12*); id est, prius sic est factum in cognitione illius diei, et produxit terra jam, ut hoc fieret etiam in ipsa creatura, quæ condita est.

10. Quomodo ergo antequam essent super terram, et antequam exorirentur: quasi aliud eis fuerit fieri cum cœlo et terra, quando factus est dies ille inusitatus atque incognitus nobis, quem primum Deus fecit; aliud autem exoriri super terram, quod non sit nisi per hos dies, quos circuitus solis facit per temporum moras suo cuique generi accommodatas? Quod

<sup>2</sup> Lov., non utique cum factus est dies facta sunt. M.

<sup>3</sup> Mss. constanter habent, *seminans*.

si ita est, diesque ille societas atque unitas super cœlestium Angelorum atque Virtutum est; procul dubio longe aliter nota est Angelis creatura Dei, aliter nobis: exceptio quod eam in Verbo Dei noverunt, per quod facta sunt omnia; etiam in seipsa dico longe aliter notam eis esse quam nobis. Illis enim primordialiter, ut ita dicam, vel originaliter, sicut eam Deus primitus condidit, et post eam conditionem a suis operibus requievit, non condendo aliquid amplius: nobis autem secundum rerum antea conditarum administrationem, jam per ordines temporum, secundum quam Deus jam illis rebus per senariam perfectionem consummatis, usque modo operatur.

11. Causaliter ergo tunc dictum est produxisse terram herbam et lignum, id est producendi accepisse virtutem. In ea quippe jam tanquam in radicibus, ut ita dixerim, temporum facta erant, quæ per tempora futura erant. Nam utique postea plantavit Deus paradisum juxta orientem, et eiecit ibi de terra omne lignum speciosum ad aspectum, et bonum ad escam (*Gen. ii, 8, 9*): nec tamen dicendum est, eum aliquid tunc addidisse creaturæ, quod ante non fecerat, quod velut illi perfectioni, qua omnia bona valde sexto die consummavit, post esset addendum; sed quia jam omnes naturæ fructicum atque lignorum in prima conditione factæ fuerant, a qua conditione Deus requievit, movens deinde administransque per temporales cursus illa ipsa quæ condidit, et a quibus conditiis requievit, non solum tunc plantavit paradisum, sed etiam nunc omnia quæ nascuntur. Quis enim alius etiam nunc ista creat, nisi qui usque nunc operatur? Sed creat hæc modo ex iis quæ jam sunt: tunc autem ab illo, cum omnino nulla essent, creata sunt, cum factus est dies ille, qui etiam ipse omnino non erat<sup>1</sup>, spiritualis videlicet atque intellectualis creatura.

CAPUT V. — *Ordo creationis rerum per sex dies, non intervallis temporum, sed connezione causarum.*

12. Factæ itaque creaturæ motibus cœperunt currere tempora: unde ante creaturam frustra tempora requiruntur, quasi possint inveniri ante tempora tempora<sup>2</sup>. Motus enim si nullus esset vel spiritualis vel corporalis creaturæ, quo per præsens præteritis futura succederent, nullum esset tempus omnino. Moveri autem creatura non utique posset, si non esset. Potius ergo tempus a creatura, quam creatura cœpit a tempore; utrumque autem ex Deo. Ex ipso enim, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (*Rom. xi, 36*). Nec sic accipiatur quod dictum est, Tempus a creatura cœpit, quasi tempus creatura non sit; cum sit creaturæ motus ex alio in aliud, consequentibus rebus secundum ordinationem administrantis Dei cuncta quæ creavit. Quapropter cum primam conditionem creaturarum cogitamus, a quibus operibus suis Deus in die septimo requievit; nec illos dies sicut istos solares, nec ipsam operationem ita cogitare debemus, quemadmodum nunc aliquid Deus operatur in tempore: sed quemadmodum operatus est unde in-

<sup>1</sup> Editi, *omnino erat spiritualis*; ommissa negante particula, quam huc ex Mss. revocamus.

<sup>2</sup> Sic Mss. et Am. At Er. et Lov., *ante creaturam tempora*.

ciperent tempora, quemadmodum operatus est omnia simul, præstans eis etiam ordinem, non intervallis temporum, sed connezione causarum, ut ea quæ simul facta sunt, senario quoque illius diei numero præsentato perficerentur.

13. Non itaque temporali, sed causali ordine prius facta est informis formabilisque materies, et spiritualis et corporalis, de qua fieret quod faciendum esset, cum et ipsa priusquam instituta est, non fuisset: nec instituta est nisi ab illo utique summo Deo et vero, ex quo sunt omnia; sive cœli et terræ nomine significata sit, quæ in principio fecit Deus ante unum illum diem quem condidit, propterea jam sic appellata, quia inde facta sunt cœlum et terra; sive nomine terræ invisibilis et incompositæ atque abyssæ tenebræ, ut jam in primo libro tractatum est.

14. In his vero quæ jam ex informitate formata sunt, evidentiusque appellantur creata, vel facta, vel condita, primum factus est dies. Oportebat enim ut primatum creaturæ obtineret illa natura, quæ creaturam per Creatorem, non Creatorem per creaturam posset agnoscere. Secundo, firmamentum unde corporeus incipit mundus. Tertio, species maris et terræ, atque in terra potentialiter, ut ita dicam, natura herbarum atque lignorum. Sic enim terra ad Dei verbum ea produxit, antequam exorta essent, accipiens omnes numeros eorum quos per tempora exsereret secundum suum genus. Deinde, posteaquam hæc velut habitatio rerum condita est, quarto die luminaria et sidera creata sunt, ut prius pars mundi superior, rebus quæ intra mundum moventur visibilibus ornaretur. Quinto, aquarum natura, quia cœlo aërique conjungitur, produxit ad Dei verbum indigenas suos, omnia scilicet natatilia et volatilia; et hæc potentialiter in numeris, qui per congruos temporum motus exsererentur. Sexto, terrestria similiter animalia, tanquam ex ultimo elemento mundi ultima; nihilominus potentialiter, quorum numeros tempus postea visibiliter explicaret.

15. Hunc omnem ordinem creaturæ ordinatæ dies ille cognovit; et per hanc cognitionem sexies quodammodo præsentatus tanquam sex dies exhibuit, cum sit unus dies, ea quæ facta sunt, in Creatore primitus, et in ipsis consequenter agnoscens, nec in ipsis remanens, sed eorum etiam cognitionem posteriorem ad Dei referens dilectionem, vesperam et mane et meridiem in omnibus præbuit; non per moras temporum, sed propter ordinem conditorum. Postremo, quietis sui Creatoris, qua in se requiescit ab omnibus operibus suis, notitiam representans, in qua non habet vesperam, benedici et sanctificari ob hoc meruit. Unde ipsum septenarium numerum sancto Spiritui quodammodo dedicatum, commendat Scriptura (*Isai. xi, 2, 3*), et novit Ecclesia.

16. Hic est ergo liber creaturæ cœli et terræ, quia in principio fecit Deus cœlum et terram, secundum materiæ quamdam, ut ita dicam, formabilitatem, quæ consequenter verbo ejus formanda fuerat, præcedens formationem suam, non tempore, sed origine. Nam utique cum formaretur, primum factus est dies

cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri antequam esset super terram, et omne fenum agri antequam exoriretur, sicut tractavimus; vel si quid liquidius et congruentius videri et dici potuit aut potuerit.

CAPUT VI. — *De versiculo, Non enim pluerat, etc.*

*An inde intelligendum omnia simul creata esse.*

17. Quod autem sequitur, *Non enim pluerat Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terram*; quo pertineat, et quid nobis insinuet, indagare difficile est. Tanquam ideo antequam exortum est, fecit Deus fenum agri, quia nondum pluerat super terram: si enim post pluviam fenum fecisset, pluvia magis exortum quam factum ab eo videretur. Quid enim? quod post pluviam exoritur, ab alio sit nisi ab eodem Deo? Cur autem non erat homo qui operaretur terram? Nonne jam sexto die fecerat hominem, et septimo requieverat ab omnibus operibus suis? An hoc recapitulando commemorat, quoniam quando fecit Deus omne viride agri, et omne fenum, nondum pluerat super terram, et nondum erat homo? Tertio quippe die fecit ista, hominem autem sexto. Sed cum fecit Deus omne viride, atque omne fenum agri antequam exortum est super terram, non solum homo non erat qui operaretur terram, sed nec ipsum fenum erat super terram, quod utique ante dicit factum quam exortum. An ideo die tertio fecit Deus ista, quia nondum erat homo qui operando terram faceret ea? Quasi vero tam multa ligna et tam multa genera herbarum, non sine ulla opera hominum nascantur ex terra.

18. An ob hoc utrumque positum est, et quia nondum pluerat super terram, et quia nondum erat homo qui operaretur terram? Ubi enim opera humana non est, per pluviam ista nascuntur. Sunt etiam quædam quæ per pluviam non nascuntur, nisi humana opera accedat. Ideo nunc utrumque adiutorium necessarium est, ut cuncta nascantur: tunc autem utrumque defuit; ideo fecit Deus hæc potentia Verbi sui sine pluvia, sine opere humano. Nam etiam nunc ipse facit, sed jam per pluviam et per hominum manus; quamvis neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (1 Cor. iii, 7).

19. Quid est ergo quod adjungit, *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ*? Ille quippe fons tanta largitate manans, sicut Nilus Ægypto, posset universæ terræ esse pro pluvia. Quid itaque pro magno commendatum est, antequam plueret fecisset Deum illa gignentia, cum quantum posset adjuvare pluvia, tantum fons irrigans terram? Verum et si aliquid minus, minora illa fortasse, non tamen nulla nascerentur. An hinc etiam more suo Scriptura tanquam infirmis infirmiter loquitur, et tamen inuit aliquid quod intelligat qui valuerit? Nimirum enim sicut isto die, paulo superius commemorato, significavit unum diem factum a Deo, et tunc Deum fecisse cœlum et terram, cum factus est dies; ut quomodo possemus cogitaremus simul omnia Deum fecisse, quamvis superior sex dierum enumeratio velut temporum intervalla ostendisse videretur: ita cum

dixisset, cum cœlo et terra Deum fecisse omne viride agri antequam esset super terram, et omne fenum agri antequam exortum est, addidit, *Nondum enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur terram*; tanquam diceret, Non ea sic fecit Deus, quemadmodum facit nunc talia, cum pluit, et cum operantur homines. Hæc enim jam per moras temporum sunt, quæ tunc non erant, cum fecit omnia simul, unde etiam tempora inciperent.

CAPUT VII. — *De fonte qui rigabat totam terram, etc.*

20. Quod autem sequitur, *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ*; hinc jam, quantum arbitror, intumatur quæ fiant secundum intervalla temporum ex prima illa conditione creaturarum, ubi facta sunt omnia simul. Et recte ab eo cœpit elementum, ex quo cuncta genera nascuntur vel animalium, vel herbarum atque lignorum, ut agant temporales numeros suos naturis propriis distributos. Omnia quippe primordia seminum, sive unde omnis caro, sive unde omnia fruteta gignuntur, humida sunt, et ex humore concresecunt. Insunt autem illis efficacissimi nameri, trahentes secum sequaces potentias ex illis perfectis operibus Dei, a quibus in die septimo requievit.

21. Verumtamen quis iste sit fons ad irrigandam faciem terræ omnisonentis, merito queritur. Si enim fuit, et obstrusus est vel siccatus, causa querenda est. Nunc enim videmus nullum esse fontem, quo irrigetur omnis facies terræ. Fortassis ergo peccatum hominum hanc etiam penam commoverit, ut tanta illius fontis repressa largitas facillimam terris auferret fecunditatem, ut incolentium augetetur labor. Posset hoc, quamvis nulla id Scriptura narret, affirmare humana suspicio, nisi illud occurreret, quod peccatum hominum, cui poena laboris imposita est, post paradisi delicias exstitit: paradisi autem habebat prægrandem fontem suum, de quo post diligentius suo loco loquendum est; ex cujus uno capite quatuor magna flumina et nota gentibus manare narrantur. Ubi ergo erat fons iste aut ista flumina, quando ille unus maximus ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ? Certe enim tunc non Geon, qui dicitur Nilus, unus ex illis quatuor, rigabat Ægyptum, quando fons ascendebat de terra, et non Ægyptum tantum, sed omnem faciem terræ satiabat.

22. An primo Deum voluisse credendum est uno fonte maximo irrigare omnem terram, ut illa quæ in ea principaliter considerat, accepto humoris adiutorio, jam etiam per temporalia spatia gignerentur, pro suorum generum diversitate etiam diversis numeris dierum; et postea plantato paradiso repressisse illum fontem, multisque fontibus, sicut jam nunc videmus, implevisse terram; de paradisi autem uno fonte quatuor ingentia flumina divisisse; ut et terra cætera creaturarum suarum plena generibus, congruos numeros suorum temporum agentibus, fontes etiam suos haberet ac fluvios; et paradisi loco electiore plantatus, quatuor illa flumina ex capite sui fontis emitteret? aut ex ipso uno fonte paradisi multo largius exiu-

dante, prius totam irrigasse terram, atque ad parienda per temporum numeros genera, quæ in ea sine interualis temporum creaverat, fecundasse; ac postea repressisse in eo loco aquarum eruptionem vastissimam, ut de diversis per omnem terram capitibus fluminam ac fontium jam manarent; ac deinde in regione illius fontis, non jam universam terram rigantis, sed memorabiles solos illos quatuor fluvios emittentia plantasse paradisum, ubi hominem quem fecerat collocaret?

CAPUT VIII. — *Quæ Scriptura reticet, quatenus conjectando proferre juvat.*

23. Quia enim non omnia scripta sunt, quemadmodum post illam primam rerum conditionem tempora cucurrerint, seque secutæ sint administrationes creaturarum, quæ primitus factæ sextoque illo die consummate sunt, sed quantum satis iudicavit Spiritus, qui inerat scribenti ea quæ non solum ad factarum rerum notitiam, sed etiam ad futurarum præfigurationem valerent; nescientes conjectamus quid fieri potuerit, quod ille non nesciens prætermisit; tantum id conantes pro modulo nostro, quantum adjuvamus, efficere, ut aliqua absurditas vel repugnantia putetur esse in Scripturis sanctis, quæ opinionem lectoris offendant, et dum existimat fieri non potuisse quæ facta esse Scriptura commemorat, vel resiliat a fide, vel non accedat ad fidem.

CAPUT IX. — *Difficultas de fonte terram universam irrigante.*

24. Proinde cum de isto fonte quaerimus, quomodo id quod dictum est, *Ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ*, non impossibile videatur; si ea quæ diximus, impossibilia cuiquam videantur, quaerat ipse aliud, quo tamen verax ista Scriptura monstretur, quæ procul dubio verax est, etiamsi non monstretur. Nam si argumentari voluerit, quo eam falsam esse convincat; aut ipse nulla vera de creaturarum conditione atque administratione dicturus est; aut si vera dixerit, istam non intelligendo falsam putabit: velut si contendat ideo non potuisse uno quantolibet fonte omnem terræ faciem irrigari; quia si montes non irrigabat, non omnem terræ faciem irrigabat: si autem etiam montes rigabat, non erat jam impertitio saginæ, sed diluvii inundatio; quod si terra tunc sic erat, totum mare erat, et nondum discreta erat arida.

CAPUT X. — *Fons ille terram totam rigans ut intelligendus.*

25. Cui respondetur, quia hoc vicibus temperum videret, sicut certo tempore per plana Ægypti Nilus restagnat, et alio tempore ad ripas suas redit: aut si iste nescio cuius ignotæ ac longinquæ partis mundi aquis et pruinis hiemalibus anniversaria creditur incrementa colligere; quid de Oceani alternis æstibus, quid de quibusdam littoribus, quæ late nudantur fluctibus, vicissimque operiuntur, dici potest? ut omittam quod de quorundam fontium mira vicissitudine perhibetur, certo annorum intervallo sic eos inundare, ut totam illam regionem rigent, cui alio tempore vix ex altis puteis ad potandum sufficientem præbent

SANCT. AUGUST. III.

aquam. Cur ergo sit incredibile, si ex uno abyssi capite alterna inundatione fluente atque refluxente, tunc universa terra rigata est? Quod si ipsius abyssi magnitudinem, ea parte excepta quod mare dicitur et evidenti amplitudine atque amaris fluctibus<sup>1</sup> terras ardebit, in ea sola parte quam reconditis sinibus terra continet, unde se omnes fontes amnesque diversis tractibus venisque distribuunt, et suis quique locis erumpunt, fontem voluit appellare Scriptura, non fontes, propter naturæ unitatem; cumque per innumerabiles vias antrorum atque rimarum ascendente de terra et ubique dispersitis quasi crinibus irrigantem omnem faciem terræ, non continua specie tanquam maris aut stagni, sed sicut videmus ire aquas per alveos fluminum flexusque rivorum, et eorum excessu vicina perfundere: quis non accipiat, nisi qui contentioso spiritu laborat? Potest quippe etiam ita dicta intelligi omnis terræ facies irrigata, quemadmodum dicitur, omnis vestis facies colorata, etiamsi non continuatim, sed maculatim fiat: præsertim quia tunc in novitate terrarum, etsi non omnia, plura tamen plana fuisse credibile est, quo latius possent erumpentia fluenta dispergi atque distendi.

26. Quapropter de istius fontis magnitudine vel multitudine, qui sive unam habuit alicunde eruptionem, sive propter aliquam in terræ occultis sinibus unitatem, unde omnes aquæ super terram scaturiant omnium fontium magnorum atque parvorum, unus fons dictus est, per omnes dispersiones suas ascendens de terra et irrigans omnem faciem terræ: sive etiam, quod est credibilissimum, quia non est, Unus fons ascendebat, sed ait, *Fons autem ascendebat de terra*, pro numero plurali posuit singularem; ut sic intelligamus fontes multos per universam terram loca vel regiones proprias irrigantes, sicut dicitur miles, et multi intelliguntur, sicut dicta est locusta et rana in plagis (Psal. civ, 34), quibus Ægypti percussi sunt, cum esset innumerabilis locustarum numerus et ranarum; jam non diutius laboremus.

CAPUT XI. — *Rerum creationem primam factam esse sine temporis mora: administrationem non ita.*

27. Sed illud etiam atque etiam consideremus, utrum possit nobis per omnia constare sententia qua dicebamus, aliter operatum Deum omnes creaturas prima conditione, a quibus operibus in die septimo requievit; aliter istam earum administrationem, qua usque nunc operatur: id est, tunc omnia simul sine ullis temporalium morarum intervallis; nunc autem per temporum moras, quibus videmus sidera moveri ab ortu ad occasum, cælum mutari ab æstate ad hiemem, germina certis dierum momentis pullulare, grandescere, virescere, arescere. Animalia quoque statutis temporum metis et cursibus et concipi, et perfici, et nasci, et per ætates usque in senium mortemque decurrere, et cætera huiusmodi temporalia. Quis enim operatur ista nisi Deus, etiam sine ullo tali su

<sup>1</sup> Editi, *aquæ maris fluctibus*, etc. paulo post, *fontes et omnes aquæ diversis tractibus*: quibus locis MSS. lectorem representamus.

(Ouzé.)

motu? non enim et ipsi accidit tempus. Inter illa ergo opera Dei, a quibus requievit in die septimo, et ista quæ usque nunc operatur, quemdam Scriptura interponens suæ narrationis articulum, commendavit se illa explicasse, et cœpit jam ista contexere. Illorum explicatorum commendatio sic facta est: *Hic est liber creaturæ cæli et terræ, cum factus esset dies, fecit Deus cælum et terram, et omne viride agri antequam esset super terram, et omne fenum agri antequam exortiretur. Non enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur terram.* Istorum autem contextio sic cœpit: *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ.* Ab hac commemoratione fontis hujus et deinceps ea quæ narratur, per moras temporum facta sunt, non omnia simul.

CAPUT XII. — *Opera Dei sub triplici consideratione.*

28. Cum ergo aliter se habeant omnium creaturarum rationes incommutabiles in Verbo Dei, aliter illa ejus opera a quibus in die septimo requievit, aliter ista quæ ex illis usque nunc operatur; horum trium hoc quod extremum posui, nobis utcumque notum est per corporis sensus, et hujus consuetudinem vitæ. Duo vero illa remota a sensibus, et ab usu cogitationis humanæ, prius ex divinâ auctoritate credenda sunt; deinde per hæc quæ nota sunt, utcumque noscenda, quanto quisque magis minusve potuerit pro suæ capacitatis modo, divinitus adjutus internis æternisque rationibus<sup>1</sup> ut possit.

CAPUT XIII. — *Omnia antequam fierent, in Sapientia Dei.*

29. De primis ergo illis divinis incommutabilibus æternisque rationibus, quoniam ipsa Dei Sapientia, per quam facta sunt omnia, priusquam fierent ea noverat, sic Scriptura testatur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Joan. 1, 1-3). Quis ergo tam sit demens, ut dicat non ea Deum fecisse quæ noverat? Porro si noverat, ubi nisi apud ipsum, apud quem Verbum erat, per quod facta sunt omnia? Nam si extra seipsum ea noverat, quis eum docuerat? Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (Rom. xi, 34-36).

30. Quanquam et ea quæ sequuntur in Evangelio, satis asserant istam sententiam: adjungit enim Evangelista et dicit, *Quod factum est, in illo vita est, et vita erat lux hominum* (Joan. 1, 4). Quia scilicet rationales mentes, in quo genere homo factus est ad imaginem Dei, non habent veram lucem suam nisi ipsum Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, ejus participes esse poterunt ab omni iniquitate et errore mundatæ.

CAPUT XIV. — *Illud ex Joanne, Quod factum est, etc., quomodo distinguendum.*

31. Non ergo ita pronuntiari oportet, *Quod factum est* sic edidit. At Mss. optimæ notæ carent hisce verbis, *in ternis æternisque rationibus*; quæ quæ deum salvo sensu exprimi possunt.

*est in illo, vita est*, ut subdistingamus, *Quod factum est in illo*, et deinde inferamus, *vita est*. Quid enim non in illo factum est, cum commemoratis multis etiam terrenis creaturis, dicatur in Psalmo, *Omnia in Sapientia fecisti* (Psal. ciii, 24); dicat et Apostolus, *Quoniam in ipso condita sunt omnia in cælo et in terra, visibilia et invisibilia* (Coloss. 1, 16). Consequens ergo erit, si ita distinxerimus, ut et ipsa terra, et quæcumque in ea sunt, vita sint. Quæ cum absurde dicantur omnia vivere, quanto absurdius ut etiam vita sint? præsertim quia distinguit de quali vita loquatur, cum addit, *Et vita erat lux hominum*. Sic ergo distinguendum est, ut cum dixerimus, *Quod factum est*, deinde inferamus, *in illo vita est*: non in se scilicet, hoc est in sua natura, qua factum est ut conditio creaturæque sit; sed in illo vita est, quia omnia quæ per ipsum facta sunt, noverat antequam fierent; ac per hoc<sup>1</sup> non sicut creatura quam fecit, sed sicut vita et lux hominum, quod est ipsa Sapientia, et ipsum Verbum unigenitus Dei Filius. Eo modo ergo in illo vita est quod factum est, quomodo dictum est, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso* (Joan. v, 26).

32. Nec prætermittendum est, quod emendatioribus codicibus habent, *Quod factum est, in illo vita erat*, ut sic intelligatur, *vita erat*, quomodo *In principio erat Verbum*<sup>2</sup>, et *Verbum erat apud Deum*, et *Deus erat Verbum*. *Quod ergo factum est*, jam *vita erat in illo*, et vita non qualiscumque; nam et pecora dicuntur vivere, quæ frui non possunt participatione sapientiæ; sed *vita erat lux hominum*. Mentis quippe rationales purgatæ gratia ejus, possunt pervenire ad ejusmodi visionem, qua nec superius quidquam sit, nec beatius.

CAPUT XV. — *Omnia qualis vita sunt in Deo.*

33. Sed etiam si hoc legamus et intelligamus, *Quod factum est, in illo vita est*; manet<sup>3</sup> ista sententia, ut id quod per ipsum factum est, vita esse in illo intelligatur, in qua vita vidit omnia, quando fecit; et sicut vidit, ita fecit: non præter seipsum videns, sed in seipso ita enumeravit omnia quæ fecit. Nec alia visio ipsius et Patris, sed una, sicut una substantia. Nam et in libro Job ita ipsa Sapientia, per quam facta sunt omnia, prædicatur: *Sapientia vero, inquit, unde inventa est? vel quis sit locus scientiæ? Ignorat mortalis viam ejus, nec invenitur in hominibus.* Et paulo post: *Audivimus, inquit, ejus gloriam; Dominus commendavit viam ejus, et ipse novit locum ejus. Ipse enim omne quod est sub cælo perfecit, et novit quæ sunt in terra, omnia quæ fecit: ventorum libramenta, aquæ mensuras quando fecit, sicut vidit enumeravit* (Job. xxviii, 12, 22-25). His atque hujusmodi testimoniis probatur quod hæc omnia, priusquam fierent, erant in notitia

<sup>1</sup> Lov., ac per hoc in illo erat. Istud, in illo erat, abest ab antiquioribus editis, Am. Er. et a sincerioribus Mss., cuius glossematis loco subaudiendum, in illo vita est.

<sup>2</sup> Mss. optimæ notæ et plerique: in illo vita erat, quomodo in principio erat; neque habent, ut sic intelligatur vita erat.

<sup>3</sup> Mss. aliquot, morci; alii, monet; ceteri cum cæcis, manet.

facientis. Et utique ibi meliora, ubi veriora, ubi æterna et incommutabilia. Quanquam sufficere debeat ut quisque noverit, vel inconcusse credat quod Deus hæc omnia fecerit; non opinor eum esse tam exordem, ut Deum quæ non noverat fecisse arbitretur. Porro, si noverat ea, priusquam faceret ea; profecto priusquam fierent, apud illum erant eo modo nota, quo sempiternæ atque incommutabiliter vivunt, et vita sunt: facta autem eo modo, quo unaquæque creatura in genere suo est.

CAPUT XVI. — *Deum facilius mente percipimus quam creaturas.*

34. Quamvis ergo illa æterna incommutabilisque natura, quod Deus est, habens in se ut sit, sicut Moysi dictum est, *Ego sum qui sum* (Exod. iii, 14); longe scilicet aliter quam sunt ista quæ facta sunt: quoniam illud vere ac primitus est, quod eodem modo semper est, nec solum non commutatur, sed commutari omnino non potest; nihil horum quæ fecit existens, et omnia primitus habens, sicut ipse est: neque enim ea faceret, nisi ea nosset antequam faceret; nec nosset, nisi vidret; nec vidret, nisi haberet; nec haberet ea quæ nondum facta erant, nisi quemadmodum est ipse non factus: quamvis, inquam, illa substantia ineffabilis sit, nec dici ulcumque homini per hominem possit, nisi usurpatis quibusdam locorum æ temporum verbis, cum sit ante omnia tempora et ante omnes locos; tamen propinquier nobis est qui fecit, quam multa quæ facta sunt. In illo enim vivimus, et movemur, et sumus (Act. xvii, 28): istorum autem pleraque remota sunt a mente nostra propter dissimilitudinem sui generis, quoniam corporalia sunt; nec idonea est ipsa mens nostra, in ipsis rationibus quibus facta sunt, ea videre apud Deum, ut per hoc sciamus quot et quanta qualiaque sint, etiamsi non ea videamus per corporis sensus. Remota quippe sunt et a sensibus corporis nostri, quoniam longe sunt, vel interpositis aut oppositis aliis a nostro contuitu tactuque<sup>1</sup> separantur. Ex quo fit ut major ad illa invenienda sit labor, quam ad illum a quo facta sunt, cum sit incomparabili felicitate præstantius illum ex quantumque particula pia mente sentire, quam illa universa comprehendere. Unde recte culpantur in libro Sapientiæ inquisitores hujus sæculi: *Si enim tantum, inquit, potuerunt valere, ut possent astimare sæculum; quomodo ejus Dominum non facilius invenerunt* (Sap. xiii, 9)? Ignota enim sunt fundamenta terræ oculis nostris, et qui fundavit terram, propinquat mentibus nostris.

CAPUT XVII. — *Ante sæcula, a sæculo, in sæculo.*

35. Jam nunc consideremus ea quæ fecit Deus omnia simul, a quibus in die sexto consummatis requievit in septimo, postea considerari opera ejus, in quibus usque nunc operatur. Ipse enim ante sæcula: a sæculo autem ea dicimus, ex quo cœpit sæculum, sicut ipsum mundum; in sæculo autem, sicut ea quæ nascuntur in mundo. Cum ergo Scriptura dixisset, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est*

*nihil; paulo post ait, In hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est* (Joan. i, 3, 10). De hoc opere Dei alio loco scriptum est: *Qui fecisti mundum de materia informi* (Sap. xi, 18). Hic mundus plerumque cœli et terræ nomine nuncupatur, sicut jam commemoravimus, quæ Scriptura dicit Deum fecisse, cum factus est dies: de quibus verbis jam, quantum visum est, disputavimus, quemadmodum congruat conditioni mundi hujus, et quod sex diebus consummatus est cum omnibus quæ in eo sunt, et quod tunc factus, cum factus est dies, ut et illud congruat quod creavit omnia simul (Eccli. xviii, 1).

CAPUT XVIII. — *Creaturæ plures nobis ignotæ. Quæ ratione a Deo et ab Angelis noscuntur. Cognitio matutina et vespertina.*

36. Hujus universæ Dei creaturæ multa non novimus, sive quæ in cœlis sunt altius, quam ut noster sensus ea possit attingere; sive quæ in regionibus terrarum fortassis inhabitabilibus; sive quæ deorsum latent, vel in profundo abyssi, vel in occultis sinibus terræ. Hæc igitur antequam fierent, utique non erant. Quomodo ergo Deo nota erant quæ non erant? Et rursus quomodo ea faceret quæ sibi nota non erant? Non enim quidquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit. Proinde, antequam fierent, et erant, et non erant: erant in Dei scientia, non erant in sua natura. Ac per hoc factus est dies ille, cui utroque modo innotescerent, et in Deo et in seipsis: illa velut matutina sive diurna cognitione, hac vero velut vespertina. Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, cum ea fecisset, quam illo quo ea noverat ut faceret, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio (Jacobi i, 17).

CAPUT XIX. — *Angeli Dei nuntii mysterium regni cælorum noverunt a sæculis.*

37. Non sane propter inferiorum scientiam nuntius indiget, quasi per eos fiat scientior; sed illo simplici ac mirabili modo novit omnia stabiliter atque incommutabiliter. Habet autem nuntios propter nos et propter ipsos; quia illo modo Deo parere et assistere, ut eum de inferioribus consulant, ejusque supernis præceptis et jussis obtemperant, bonum est eis in ordine propriæ naturæ atque substantiæ. Nuntii autem græce ἀγγελοι dicuntur; quo nomine generali universa illa superna civitas nuncupatur, quem primum diem conditum existimamus.

38. Nam nec illud eos latuit mysterium regni cælorum, quod opportuno tempore revelatum est pro salute nostra, quod<sup>1</sup> ex hac peregrinatione liberati, eorum cœtui jungamur. Neque enim hoc ignorarent; quandoquidem ipsum semen, quod opportuno tempore advenit (a), per ipsos dispositum est in manu mediatoris (Galat. iii, 19), id est in ejus potestate qui Dominus eorum est, et in forma Dei, et in forma servi. Dicit item Apostolus: *Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc, annuntiare in gentibus investigabilia divitiis Christi, et illuminare quæ sit dispensatio sacra-*

<sup>1</sup> sic Mss. At editi, quo.

(a) U Retract. cap. 21 n. 2

<sup>1</sup> Mss. fere omnes, actaque.

menti quod fuit absconditum a sæculis in Deo, qui universa creavit; ut innotesceret Principibus et Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum propositum sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro (Ephes. III, 8-11). Sic ergo fuit hoc absconditum a sæculis in Deo, ut tamen innotesceret Principibus et Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei; quia ibi primitus Ecclesia, quo post resurrectionem et ista Ecclesia congreganda est, ut simus æquales Angelis Dei (Math. XXII, 30). Illis ergo a sæculis innotuit; quia omnis creatura non ante sæcula, sed a sæculis. Ab ipsa enim exorta sunt sæcula, et ipsa a sæculis; quoniam initium ejus initium sæculorum est: Unigenitus autem ante sæcula, per quem facta sunt sæcula (Hebr. I, 2). Ideoque ex persona Sapientiæ, Ante sæcula, inquit, fundavit me (Prov. VIII, 23, sec. LXX); ut in ea faceret omnia, cui dictum est, Omnia in Sapientia fecisti (Psalm. CIII, 24).

39. Quod autem non in Deo tantum innotescit Angelis quod absconditum est, verum etiam hic eis apparet, cum efficitur atque propalatur, idem apostolus ita testis est: Et sine dubio, inquit, magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria (I Tim. III, 16). Et, nisi fallor, mirum est si non omnia quæ dicitur Deus tanquam ad præsens tempus cognoscere, ideo dicitur, quia cognosci facit, sive ab Angelis, sive ab hominibus. Modus quippe iste locutionis cum per efficientem id quod efficitur significatur, creber est in Scripturis sanctis; maxime cum de Deo aliquid dicitur, quod ei ad proprietatem locutionis non convenire præsidens mentibus nostris ipsa veritas clamat.

CAPUT XX. — Deum adhuc operari.

40. Jam nunc ergo discernamus opera Dei, quæ usque nunc operatur, ab illis operibus a quibus in die septimo requievit. Sunt enim qui arbitrentur tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cætera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et jussit; Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos proferatur illa sententia Domini: Pater meus usque nunc operatur. Et ne quisquam putaret apud se illum aliquid operari, non in hoc mundo: Pater in me manens, inquit, facit opera sua; et sicut Pater suscitavit mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat (Joan. V, 17, 20, 21). Deinde, quia non solum magna atque præcipua, verum etiam ista terrena et extrema ipse operatur, ita dicit Apostolus: Stulte, tu quod seminas non vivificatur, nisi moriatur; et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum fere tritici, aut alicujus cæterorum; Deus autem dat illi corpus cuomodo voluerit, et unicuique seminum proprium corpus (I Cor. XV, 36-38). Sic ergo credamus, vel, si possumus, etiam intelligamus usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus operatio ejus subtrahatur, intercendant.

<sup>1</sup> Er. Lugd. Ven. Lev. habent, arbitrantur. M.

41. Sed plane, si aliquam creaturam sic eum nunc instituere putaverimus, ut genus ejus primæ illi suæ conditioni non inseruerit, aperte contradicimus dicenti Scripturæ, quod consummaverit omnia opera sua in die sexto (Gen. II, 2). Secundum illa enim genera rerum quæ primum condidit, nova eum multa facere, quæ tunc non fecit, manifestum est. Novum autem genus instituere credi recte non potest, quoniam tunc omnia consummavit. Movet itaque occulta potentia universam creaturam suam, eoque motu illa versata, dum Angeli jussa perficiunt, dum circumveniunt sidera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus et diversis etiam per aerem conglobationibus agitatur, dum vireta<sup>1</sup> pullulant, suaque semina evolvunt, dum animalia gignuntur, varioque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui justos exercere permittuntur, explicat sæcula, quæ illi, cum primum condita est, tanquam plicata<sup>2</sup> indiderat: quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit, provido motu administrare cessaret.

CAPUT XXI. — Omnia gubernari divina providentia.

42. Admoneri autem nos oportet iis quæ in tempore formantur atque nascuntur, quomodo ista considerare debeamus. Non enim frustra de Sapientia scriptum est, quod amatoribus suis ostendit se in rebus hilariter, et in omni providentia occurrit illis (Sap. VI, 17). Nec omnino audiendi sunt qui putaverunt sublimis quidem mundi partes, id est a confinio corpulentioris aeris hujus et supra, divina providentia gubernari; hanc autem imam partem terrenam et humidam, acrisque hujus vicinioris qui terrarum et aquarum exhalationibus humescit, in quo venti nubesque consurgunt, casibus potius et fortuitis motibus agitari. Contra hos enim loquitur Psalmus, qui cum explicasset laudem cælestium, se etiam ad ista inferiora convertit, dicens: Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi; ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus (Psalm. CXLVIII, 7, 8). Nihil enim tam videtur casibus volvi, quam omnes istæ procellosæ ac turbulentæ qualitates, quibus cæli hujus inferioris, quod non immerito etiam terræ nomine deputatum est, facies variatur et vertitur. Sed cum addidit, Quæ faciunt verbum ejus, satis ostendit earum quoque rerum ordinem divino subditum imperio, latere nos potius, quam universitatis deesse naturæ. Quid autem? ore suo Salvator, cum dicit unum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate (Math. X, 29), et quod fenum agri post paululum mittendum in clibanum, ipse tamen vestiat (Id. VI, 30); nonne confirmat non solum totam istam mundi partem rebus mortalibus et corruptilibus deputatam, verum etiam vilissimas ejus abjectissimasque particulas divina providentia regi?

<sup>1</sup> In antiquis codicibus constantè scriptum, vireta.

<sup>2</sup> Editi, condita sunt tanquam implicata. At Mss. omnes, condita est; scilicet universa creatura. Tum aliqui prosequuntur, tanquam plicata; sed alii sincerius, plicata; a verbo plico.



CAPUT XXII. — *Argumenta divinæ providentiæ.*

45. Et certe isti qui hoc negant, nec sanctis eloquiis tantæ auctoritatis acquiescunt, si in hac mundi parte, quam putant fortuitis motibus perturbari, potius quam sapientia divinæ summitatis regi, et ut hoc quasi probent gemino abutuntur argumento, vel quod supra commemoravi de inconstantia tempestatum, vel de felicitatibus atque infelicitatibus hominum, quod non pro vitæ meritis accidunt; viderent tantum ordinem, quantus in membris carnis cujuslibet animantis apparet, non dico medicis, qui hæc propter artis suæ necessitatem diligenter patefacta et dinumerata rimati sunt, sed cuivis mediocris cordis et considerationis homini; nonne clamarent, ne puncto quidem temporis Deum, a quo est omnis mensurarum modus, omnis parilitas numerorum, omnis ordo ponderum, ab ejus gubernatione cessare? Quid ergo absurdius, quid insulsius sentiri potest, quam eam totam esse vacuum nutu et regimine providentiæ, cujus extrema et exigua videas tanta dispositione formari, ut aliquanto attentius cogitata ineffabilem incutiant admirationis horrorem? Et cum animæ natura naturæ corporis antecellat, quid est dementius quam putare nullum esse divinæ providentiæ judicium de moribus hominum, cum in eorum carne tanta ejus solertiæ clareant et demonstrentur indicia? Sed quia hæc minima in promptu sunt sensibus nostris, et ea facile investigamus, elucet in eis ordo rerum: at illa quorum ordinem videre non possumus, inordinata arbitrantur qui esse non putant, nisi quod videre possunt, aut si putant, tale aliquid putant, quale videre consueverunt.

CAPUT XXIII. — *Quomodo Deus omnia simul creaverit, et nunc usque operetur.*

46. Nos autem, quorum gressus, ne in illam perveritatem incidamus, eadem divina providentia per sanctam Scripturam regit, ex ipsis quoque operibus Dei eodem adjuvante indagare conemur ubi hæc simul creaverit, cum a consummatis suis operibus requievit, quorum species per ordinem temporum usque nunc operatur. Consideremus ergo cujuslibet arboris pulchritudinem in robore, ramis, frondibus, pomis: hæc species non utique repente tanta ac talis est exorta, sed quo etiam ordine novimus. Surrexit enim a radice, quam terræ primum germen infixit; atque inde omnia illa formata et distincta creverunt. Porro illud germen ex semine: in semine ergo illa omnia fuerunt primitus, non mole corporeæ magnitudinis, sed vi potentiaque causali. Nam illa magnitudo, copia terræ humorisque congesta est. Sed illa in exiguo grano mirabilior præstantiorque vis est, qua veluit adiacens humor commixtus terræ tanquam materies verti in ligni illius qualitatem, in ramorum diffusionem, in foliorum viriditatem ac figuram, in fructuum formas et opulentiam, omniumque ordinatissimam

distinctionem. Quid enim ex arbore illa surgit aut pendet, quod non ex quodam occulto thesauro seminibus illius extractum atque depromptum est? At illud semen ex arbore, licet non illa sed altera, atque illa rursus ex altero semine. Aliquando autem et arbor ex arbore, cum surculus demitur atque plantatur. Ergo et semen ex arbore, et arbor ex semine, et arbor ex arbore. Semen autem ex semine nullo modo, nisi arbor interveniat prius. Arbor vero ex arbore, etiamsi semen non interveniat. Alternis igitur successionebus alterum ex altero, sed utrumque ex terra, nec ex ipsis terra: prior igitur eorum parens terra. Sic et animalia, potest incertum esse utrum ex ipsis semina, an ipsa ex seminibus: quodlibet tamen horum prius, ex terra esse certissimum est.

45. Sicut autem in ipso grano invisibiliter erant omnia simul quæ per tempora in arborem surgerent; ita ipse mundus cogitandus est, cum Deus simul omnia creavit, habuisse simul omnia quæ in illo et cum illo facta sunt, quando factus est dies: non solum cælum cum sole et luna et sideribus, quorum specles manet motu rotabili, et terram et abyssos, quæ velut inconstantes motus patiuntur, atque inferius adjuncta partem alteram mundo conferunt; sed etiam illa quæ aqua et terra produxit potentialiter atque causaliter, priusquam per temporum moras ita exorirentur, quomodo nobis jam nota sunt in eis operibus, quæ Deus usque nunc operatur.

46. Quæ cum ita sint, *Hic est liber creaturæ cæli et terræ, cum factus est dies, fecit Deus cælum et terram, et omne viride agri antequam esset super terram, et omne fenum agri antequam exortum est*: non sic quomodo facit opere quo nunc usque operatur per pluviam et hominum agriculturam; ad hoc enim adjunctum est, *Non enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur terram*: sed illo modo quo creavit omnia simul, senarioque dierum numero consuminavit, cum diem quem fecit, eis quæ fecit sexies præsentavit, non alternante spatio temporaliter, sed ordinata cognitione causaliter. A quibus operibus in die septimo requievit, etiam suam requiem ejusdem diei notitiæ gaudioque præbere dignatus: et ideo non cum in quolibet opere suo, sed in sua requie benedixit et sanctificavit. Unde nullam ulterius creaturam instituens, sed ea quæ omnia simul fecit, administratorio actu gubernans et movens, sine cessatione operatur, simul et requiescens et operans, sicut jam ista tractata sunt. Quorum operum ejus quæ usque nunc operatur, per volumina temporum explicandorum, velut exordium narrandi sumemus, ait Scriptura, *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ*. De quo fonte quia diximus quod dicendum putavimus, ea quæ sequuntur ab alio consideremus exordio

## LIBER SEXTUS.

in vers. 1. cap. 2 Genesios, *Et finxit Deus hominem pulverem de terra, etc.*, quomodo seu quando de limo formatus fuerit homo inquiritur: tum, dilata tantisper consideratione animæ, dicitur de corpore Adam.

•••••

**CAPUT PRIMUM.** — *An istud, Et finxit Deus, etc., de prima hominis formatione facta die sexto, an de altera posterius et per temporis moram facta intelligendum.*

1. *Et finxit Deus hominem pulverem de terra, et insufflavit in faciem ejus flatum vitæ; et factus est homo in animam viventem.* Hic primo videndum est utrum ista recapitulatio sit, ut nunc dicatur quomodo factus sit homo quem sexto illo die factum legimus; an vero tunc quidem cum fecit omnia simul, in his etiam latenter hominem fecit, sicut fenum terræ antequam es- et exortum: ut eo modo et ipse cum jam esset in secreto quodam naturæ aliter factus, sicut illa quæ simul creavit cum factus est dies, accessu temporis etiam isto modo fieret, quo in hac perspicua forma vitam gerit, vel male vel bene; sicut fenum quod factum est antequam exoriretur super terram, accedente jam tempore et fontis illius irrigatione exortum est, ut esset super terram.

2. Prius ergo secundum recapitulationem id conemur accipere. Fortassis quippe ita homo factus sit in die sexto, sicut dies ipse primitus factus est, sicut firmamentum, sicut terra et mare. Neque enim hæc dicenda sunt ante in quibusdam primordiis jam facta latuisse, ac deinde in hanc faciem qua mundus exstructus est, accessu temporis tanquam exorta claruisse; sed ab exordio sæculi, cum factus est dies, conditum mundum, in cujus elementis simul sunt condita, quæ post accessu temporis orirentur, vel fructa, vel animalia quæque secundum suum genus. Nam nec ipsa sidera credendum est in elementis mundi primitus facta atque recondita, accessu postea temporis existisse, atque in has emittisse formas quæ cœlitis fulgent; sed illo senario perfectionis numero creata simul omnia, cum factus est dies. Utrum ergo sic et homo ista jam specie qua in sua natura vivit, et agit sive bonum sive malum? an et ipse in occulto sicut fenum agri antequam exortum est, ut hoc ei post esset accessu temporis exoriri, quod de pulvere factus est?

**CAPUT II.** — *Res exploratur ex contextu Scripturæ.*

3. Accipiamus ergo eum sexto ipso die in hac perspicua visibilique forma de limo finctum<sup>1</sup>, sed tunc non commemoratum quod nunc recapitulando insinuatur, et videamus utrum nobiscum ipsa Scriptura concordet. Sic certe scriptum est, cum adhuc diei sexti opera narrarentur: *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et habeat potestatem piscium maris et volatilium cœli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium reptantium quæ reptant super terram. Et fecit Deus hominem, ad imaginem*

<sup>1</sup> Ex. Lugd. Ven. Lov. hic et passim, *factum*. M.

*Dei fecit eum; masculum et feminam fecit eos, et benedixit eos Deus, dicens: Crescite et multiplicamini, et implete terram, et dominamini ejus; et habete potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium reptantium super terram (Gen. 1, 26-28).* Jam ergo de limo formatus erat, et illi jam soporato mulier ex latere jam facta erat, sed hoc tunc commemoratum non erat, quod nunc recapitulando commemoratum est. Neque enim sexto die factus est masculus, et accessu temporis postea facta femina; sed *fecit eum, inquit; masculum et feminam fecit eos, et benedixit eos.* Quomodo ergo jam homine in paradiso constituto mulier ei facta est? An et hoc prætermisum Scriptura recoluit? Nam sexto illo die etiam paradisi plantatus est, et ibi homo collocatus est, et soporatus est ut Eva formaretur, et ea formata evigilavit, eique nomen imposuit. Sed hæc nisi per temporales moras fieri non possent. Non itaque ita facta sunt, sicut creata sunt omnia simul.

**CAPUT III.** — *Eadem questio ex aliis locis Scripturæ discutitur.*

4. Quamlibet enim homo cogitet facilitatem qua Deus etiam hæc simul cum cæteris fecit, verba certe hominis novimus, nisi per temporales moras emitti voce non posse. Cum ergo verba hominis audimus, vel cum animantibus, vel cum mulieri nomen imposuit, vel cum secutus etiam dixit, *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et conjungetur uxori suæ; et erunt duo<sup>1</sup> in carne una (Gen. 2, 24)*; quibuslibet syllabis ista sonuerint, nec duæ quæcumque in his verbis syllabæ simul sonare potuerunt: quanto minus hæc omnia cum iis quæ simul creata sunt, simul fieri? Ac per hoc, aut et illa omnia non simul ab ipso summo exordio sæculorum, sed per moras atque intervalla temporum facta sunt, diesque ille non spiritali sed corporali substantia primum conditus, vel circuitu lucis nescio quomodo, vel emissionem et contractionem, mane ac vesperam faciebat: aut si consideratis omnibus quæ superioribus sermonibus petactata sunt, probabilis ratio persuasit, illum diem spiritualementer ac primitus conditum lucem quamdam sapientem vocatum esse diem, cujus presentia per ordinatam cognitionem conditionum rerum in numero senario præberetur; atque huic sententiæ Scripturæ verba congruere quod ait postea, *Cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri antequam esset super terram, et omne fenum agri antequam exoriretur (Ibid., 4, 5)*; attestari etiam quod alibi scriptum est, *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul (Eccli. xviii, 1)*: non est dubium

<sup>1</sup> Mss. prope omnes, *et erunt ambo*.

hoc quod homo de limo terræ factus est, eique formata uxor ex latere, jam non ad conditionem qua simul omnia facta sunt, pertinere, quibus perfectis requievit Deus; sed ad eam operationem, quæ sit jam per volumina sæculorum, qua usque nunc operatur.

3. Huc accedit quod ipsa etiam verba quibus narratur quomodo Deus paradisum plantaverit, in eoque hominem quem fecerat collocarit, ad eumque adduxerit animalia, quibus nomina imponeret, in quibus cum adjutorium simile illi non fuisset inventum, tunc ei mulierem costa ejus detracta formaverit, satis nos admonent hæc non ad illam operationem Dei pertinere, unde requievit in die septimo, sed ad istam potius qua per temporum cursus usque nunc operatur. Cum enim paradisus plantaretur, ita narrat: *Et plantavit Deus paradisum in Eden ad orientem, et posuit ibi hominem quem finxerat. Et ejecit Deus adhuc de terra omne lignum pulchrum ad aspectum, et bonum ad escam (Gen. ii, 8, 9).*

CAPUT IV. — *Idem expenditur ad Gen. ii, 8, 9.*

Cum dicit ergo, *Ejecit adhuc de terra omne lignum pulchrum ad aspectum*; manifestat utique quod aliter nunc ejecerit de terra lignum, aliter tunc cum tertio die produxit terra herbam pabuli, seminantem semen secundum genus suum, et lignum fructuosum secundum suum genus. Hoc est enim, *Ejecit adhuc*, super illud scilicet quod jam ejecerat: tunc utique potentialiter et causaliter in opere pertinente ad creanda omnia simul, a quibus consummatis in die septimo requievit; nunc autem visibiliter in opere pertinente ad temporum cursum; sicut usque nunc operatur.

6. Nisi forte quis dicat non omne ligni genus tertio die creatum, sed dilatatum aliquid quod sexto crearetur, cum homo factus est atque in paradiso constitutus. Sed quæ sexto die creata sunt, apertissime Scriptura declarat; anima viva scilicet secundum unumquodque genus, quadrupedum et reptantium et bestiarum, et ipse homo ad imaginem Dei masculus et femina. Proinde potuit prætermittere quomodo sit homo factus, quem tamen ipso die factum esse narravit, ut recapitulando postea, quemadmodum etiam factus fuerit intimeret, hoc est de terræ pulvere, et mulier illi de latere; non tamen aliquod creaturæ genus prætermittere, vel in eo quod dixit Deus, *Fiat*, sive, *Faciamus*, vel in eo quod dicitur, *Sic est factum*, sive, *Fecit Deus*. Alioquin frustra per singulos dies tam diligenter distincta sunt omnia, si permutationis dierum potest ulla suspicio residere, ut cum herba et lignum diei tertio sit attributum, aliqua ligna etiam sexto die creata esse credamus, quæ ipso sexto die Scriptura tacuerit.

CAPUT V. — *De eadem re.*

7. Postremo quid respondebimus de bestiis agri, et volatilibus cæli, quæ adduxit Deus ad Adam, ut videret quid ea vocaret? Quod ita scriptum est: *Et dixit Dominus Deus; Non est bonum esse hominem solum; faciamus illi adjutorium secundum ipsum. Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cæli, et adduxit illa ad Adam, ut videret quid*

*vocaret illa: et omne quodcumque illud vocavit Adam animam vivam, hoc nomen est illius. Et vocavit Adam nomina omnibus pecoribus et omnibus volatilibus cæli, et omnibus bestiis agri. Adæ autem non est inventus adjutor similis ipsi. Et iniecit Deus mentis alienationem super Adam, et obdormivit, et sumpsit unam de costis ejus, et adimplevit carnem in locum ejus, et edificavit Dominus Deus costam, quam sumpsit de Adam, in mulierem (Gen. ii, 18-22).* Si ergo consequenter, cum in pecoribus et bestiis agri et volatilibus cæli non esset inventum adjutorium simile homini, fecit ei Deus adjutorium simile de costa lateris ejus; hoc autem factum est cum easdem bestias agri et volatilia cæli adhuc de terra finxisset, et ad illum adduxisset: quomodo sexto die factum hoc potest intelligi, quandoquidem illo die produxit terra animam vivam secundum verbum Dei; volatilia vero quinto die producerunt aquæ similiter secundum verbum Dei? Non itaque hic diceretur, *Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cæli*, nisi quia jam terra produxerat omnes bestias agri sexto die, et aqua omnia volatilia cæli quinto die. Aliter ergo tunc, id est potentialiter atque causaliter, sicut illi operi competeat, quo creavit omnia simul, a quibus in die septimo requievit: aliter autem nunc, sicut ea videmus, quæ per temporalia spatia creat, sicut usque nunc operatur. Ac per hoc jam per istos notissimos lucis corporalis dies, qui circuitu solis sunt, Eva facta est de latere viri sui. Tunc enim Deus adhuc finxit de terra bestias et volatilia, in quibus cum adjutorium simile ipsi Adam non esset inventum, illa formata est. In talibus ergo diebus etiam ipsum de limo finxit Deus.

8. Neque enim dicendum est, masculum quidem sexto die factum, feminam vero posterioribus diebus; cum ipso sexto die apertissime dictum sit, *Masculum et feminam fecit eos, et benedixit eos*, et cætera, quæ de ambobus et ad ambos dicuntur. Aliter ergo tunc ambo, et nunc aliter ambo: tunc scilicet secundum potentiam per verbum Dei tanquam seminaliter mundo inditam, cum creavit omnia simul, a quibus in die septimo requievit, ex quibus omnia suis quæque temporibus jam per sæculorum ordinem fierent; nunc autem secundum operationem præbendam temporibus, qua usque nunc operatur, et oportebat jam tempore suo fieri Adam de limo terræ, ejusque mulierem ex viri latere.

CAPUT VI. — *Sententiam suam liquidius explicat, ne male intelligatur.*

9. In qua distributione operum Dei, partim ad illos dies invisibiles pertinentium, quibus creavit omnia simul, partim ad istos appositos, in quibus operatur quotidie quicquid ex illis tanquam involucri primordialis in tempore evoluitur, si non importune atque absurde Scripturæ verba secuti sumus, quæ nos ad hæc distinguenda duxerunt: cavendum est ne propter ipsarum rerum aliquanto difficilem perceptionem, quam tardioribus assequi non sufficiunt, putemur aliquid sentire ac dicere, quod scimus nos nec sentire

nec dicere. Quamquam enim præcedentibus sermonibus, quantum potuerim, lectorem præstruxerim; plures tamen arbitror caligare in his locis, et putare ita fuisse prius hominem in illo Dei opere, quo cuncta simul creata sunt, ut aliquam vitam duceret, ut Dei locutionem ad se directam, cum dixit Deus, *Ecce dedi vobis omne pabulum seminale*, discerneret, crederet, intelligeret. Noverit ergo qui hoc putat, non hoc me sensitse, neque dixisse.

10. Sed rursus, si dixerō non ita fuisse hominem in illa prima rerum conditione, qua creavit Deus omnia simul, sicuti est non tantum perfectæ ætatis homo, sed ne infans quidem, nec tantum infans, sed ne puerperium quidem in utero matris, nec tantum hoc, sed nec semen quidem visibile hominis; putabit omnino non fuisse. Rebeat ergo ad Scripturam; inveniet sexto die hominem factum ad imaginem Dei, factos autem masculum et feminam. Item quærat quando facta sit femina; inveniet extra illos sex dies: tunc enim facta est, quando Deus de terra finxit adhuc bestias agri et volatilia cœli; non quando volatilia produxerunt aquæ, et animam vivam, in qua et bestiæ sunt, produxit terra. Tunc autem factus est homo et masculus et femina: ergo et tunc et postea. Neque enim tunc, et non postea; aut vero postea, et non tunc: nec alii postea, sed iidem ipsi aliter tunc, aliter postea. Quæret ex me quomodo. Respondebo, Postea visibiliter, sicut species humanæ constitutionis nota nobis est; non tamen parentibus generantibus, sed ille de limo, illa de costa ejus. Quæret tunc quomodo. Respondebo, Invisibiliter, potentialiter, causaliter, quomodo sunt futura non facta.

11. Illic forte non intelliget. Subtrahantur enim ei omnia quæ novit, usque ad ipsam seminum corpulentiam. Neque enim vel tale aliquid homo jam erat, cum in prima illa sex dierum conditione factus erat. Datur quidem de seminibus ad hanc rem nonnulla similitudo, propter illa quæ in eis futura consorta sunt; verumtamen ante omnia visibilia semina sunt illæ causæ: sed non intelligit. Quid ergo faciam, nisi, quantum possum, salubriter moneam ut Scripturæ Dei credat et tunc factum hominem, quando Deus, eum factus est dies, fecit cœlum et terram, de quo sibi Scriptura dicit, *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (*Eccli. xviii, 4*); et tunc quando jam non simul, sed suis quæque temporibus creans, finxit eum de limo terræ, et ex ejus osse mulierem? nam nec isto modo eos illo sexto die factos, nec tamen eos illo sexto die non factos intelligere Scriptura permittit.

CAPUT VII. — *Dici non posse animas prius creatas quam corpora.*

12. Forte ergo animæ eorum sexto die illo factæ erant, ubi et ipsa imago Dei recte intelligitur in spiritu mentis eorum, et postea corpora formarentur? Sed neque hoc credere eadem Scriptura permittit. Primo propter illam operum consummationem; quæ non video quomodo possit intelligi, si defuit aliquid tunc non causaliter conditum, quod postea visibiliter conderetur. Deinde quia sexus ipso masculi et feminæ

nisi in corporibus esse non potest. Quod si quisquam secundum intellectum et actionem tanquam utrumque sexum in una anima accipiendum putaverit; quid faciet de his quæ ad escam Deus ipso die dedit de lignorum fructibus, quæ nisi homini habenti corpus non utique congrua est? Nam si et hanc escam figurate accipere quisquam voluerit, recedet a proprietate rerum gestarum, quæ primitus in hujusmodi narrationibus omni observatione fundanda est.

CAPUT VIII. — *Difficultas de voce Dei ad hominem sexto die directæ.*

13. Quomodo ergo loquebatur, inquit, eis qui nondum audiebant, nec intelligebant; quia nec erant qui verba perciperent? Possem respondere sic eos allocutum Deum, quemadmodum Christus nos nondum natos, etiam longe post futuros, nec tantum nos, sed etiam eos omnes qui futuri sunt post nos. Omnibus enim dicebat, quos suos futuros videbat, *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth. xxviii, 20*); sicut Deo notus erat propheta cui dixit, *Præquam te formarem in utero, novi te* (*Jerem. i, 5*); sicut decimatus est Levi cum esset in lumbis Abraham (*Hebr. vii, 9, 10*). Cur enim non ita et ipse Abraham in Adam, et ipse Adam in primis operibus mundi, quæ Deus creavit omnia simul? Sed verba Domini per os carnis ejus, et verba Dei per ora Prophetarum temporali corporis voce proferuntur, et omnibus syllabis suis congruas temporum moras sumunt, atque consumunt: cum vero Deus dicebat, *Faciemus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et habeat potestatem piscium maris et volatilium cœli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium reptilium quæ repunt super terram; et, Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et dominamini ejus; et habete potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium reptilium quæ repunt super terram; et, Ecce dedi vobis omne pabulum seminale, seminans semen quod est super omnem terram, et omne lignum fructiferum, quod habet in se fructum seminis seminalis, quod erit vobis ad escam* (*Gen. i, 26-29*); ipse sermo ejus ante omnem aeris sonum, ante omnem carnis et nubis vocem, in illa summa ejus Sapientia, per quam facta sunt omnia, non quas humanis auribus instrepebat, sed rebus factis rerum faciendarum causas inserebat, et omnipotenti potentia futura faciebat, hominemque suo tempore formandum, in temporum tanquam semine vel tanquam radice condebat, quando condebat unde inciperent sæcula, ab illo condita qui est ante sæcula. Creaturæ quippe aliæ creaturas alias, quædam tempore, quædam causis præcedunt: ille autem omnia quæ fecit, non solum excellentia, qua etiam causarum effector est, verum etiam æternitate præcedit. Sed de hoc opportunioribus deinde Scripturarum locis fortassis plenius disserendum est.

CAPUT IX. — *Jeremias quomodo Deo notus antequam formatus. Merita nondum natorum.*

14. Nunc de homine quod conceptum est terminetur, ea moderatione servata, ut in profundo Scripturæ

sensu magis præstemus diligentiam requirendi, quam affirmandi temeritatem. Quia enim noverat Jeremiam Deus priusquam cum formaret in utero, dubitare fas non est : apertissime quippe dicit, *Priusquam te formarem in utero, novime*. Ubi autem illum nosset antequam ita formasset, etsi nostræ infirmitati assequi vel difficile vel impossibile est ; utrum in aliquibus propinquioribus causis, sicut Levi in lumbis Abrahamæ decimatus est ; an in ipso Adam, in quo genus humanum tanquam radicaliter institutum est ; et in eo ipso utrum jam cum de limo formatus esset, an cum causaliter in his operibus factus quæ creavit omnia simul ; an vero ante omnem potius creaturam, sicut elegit et prædestinavit sanctos suos ante mundi constitutionem (*Ephes. 1, 4*) ; an potius in omnibus præcedentibus causis, sive quas commemoravi, sive quas non commemoravi, priusquam in utero formaretur ; non arbitror scrupulosius quæri oportere, dummodo Jeremiam constet, ex quo est in hac luce a parentibus editus, ex illo egisse vitam propriam, quæ grandescens ætatis accessu, posset vivere sive male sive bene ; antea vero nullo modo, non solum priusquam in utero formaretur, sed nec jam ibi formatus, antequam natus. Neque enim habet ullam cunctationem apostolica illa sententia de geminis in Rebeccæ utero nondum agentibus aliquid boni aut mali (*Rom. ix, 11*).

15. Nec tamen frustra scriptum est, nec infantem mundum esse a peccato, cujus est unius diei vita super terram (*Job. xiv, 4, sec. LXX*) ; et illud in Psalmo, *Ego in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis mater mea (Psal. 1, 7) me in utero aluit* ; et quod in Adam omnes moriuntur, in quo omnes peccaverunt (*Rom. v, 12*). Nunc autem liquido teneamus, qualibet parentum merita trajiciantur in prolem, quæcumque gratia Dei, antequam nascatur, quemque sanctificet, nec iniquitatem esse apud Deum, nec boni malive agere quemquam quod ad propriam personam pertineat, antequam natus est : illamque sententiam qua nonnulli putant alibi peccasse magis minusque animas, et pro diversorum meritis peccatorum in diversa corpora esse detrusas, apostolica non convenire sententiæ ; cum apertissime dictum sit, nihil egisse nondum natos seu boni seu mali.

16. Ac per hoc aliqua quæstio est suo loco retractanda, quid de peccato primorum parentum, qui duo soli fuerunt, generis humani contraxerit universa conspersio<sup>1</sup> : nihil tamen talium meritorum habere potuisse hominem antequam de terræ pulvere finctus esset, antequam suo tempore viveret, nulla quæstio est. Sicut enim Esau et Jacob, quos nondum natos dixit Apostolus nihil egisse boni aut mali (*Id. ix, 11*), non possemus dicere traxisse aliquid meriti de parentibus, si nec ipsi parentes egissent aliquid boni aut mali ; nec genus humanum peccasse in Adam, si ipse non peccasset Adam ; non autem peccasset Adam, nisi jam suo tempore viveret, quo posset vivere sive bene sive male : ita frustra peccatum ejus, seu recte factum requiritur, cum adhuc in rebus simul creatis

causaliter conditis, nec vita propria jam vivebat, nec in parentibus sic viventibus erat. In illa enim prima conditione mundi, cum Deus omnia simul creavit, homo factus est qui esset futurus, ratio creandi hominis, non actio creati.

CAPUT X. — *Res variis modis existentes.*

17. Sed hæc aliter in Verbo Dei, ubi ista non facta, sed æterna sunt ; aliter in elementis mundi, ubi omnia simul facta futura sunt ; aliter in rebus quæ secundum causas simul creatas, non jam simul sed suo quæque tempore creantur, in quibus Adam jam formatus ex limo, et Dei flatu animatus, sicut fenum exortum ; aliter in seminibus, in quibus rursus quasi primordiales causæ repetuntur, de rebus ductæ quæ secundum causas, quas primum condidit, existerunt, velut herba ex terra, semen ex herba. In quibus omnibus ea jam facta modis et actus sui temporis acceperunt, quæ ex occultis atque invisibilibus rationibus, quæ in creatura causaliter latent, in manifestas formas naturasque prodierunt : sicut herba exorta super terram, et homo factus in animam vivam, et cætera hujusmodi, sive fructa sive animantia, ad illam operationem Dei pertinentia, quæ usque nunc operatur. Sed etiam ista secum gerunt tanquam iterum seipsa invisibiliter in occulta quadam vi generandi, quam extraxerunt de illis primordiis causarum suarum, in quibus creato mundo cum factus est dies, antequam in manifestam speciem sui generis exorirentur, inserta sunt.

CAPUT XI. — *Opera creationis die sexto quomodo et jam consummata, et adhuc inchoata.*

18. Si enim prima illa opera Dei, cum simul omnia creavit, in suo modo perfecta non essent, ea procul dubio post adderentur quæ illis perficiendis defuisent ; ut quædam universitatis perfectio ex utrisque constaret singulis quasi œmis, velut alicujus totius partes essent, quarum conjunctione ipsum totum cuius partes fuerant, completeretur. Rursus, si ita essent illa perfecta, sicut perficiuntur, cum suis quæque temporibus in manifestas formas actusque procreantur ; profecto aut nihil ex eis postea per tempora fieret, aut hoc fieret, quod ex istis quæ suo quæque jam tempore oriuntur, Deus non cessat operari. Nunc autem quia jam et consummata quodammodo, et quodammodo inchoata sunt ea ipsa quæ consequentibus evolventa temporibus primitus Deus omnia simul creavit, cum faceret mundam : consummata quidem quia nihil habent illa in naturis propriis, quibus suorum temporum cursus agunt, quod non in istis causaliter factum sit ; inchoata vero, quoniam quædam crant quasi semina futurorum, per sæculi tractum ex occulto in manifestum locis congruis exserenda : ipsius etiam Scripturæ verba satis ad hoc admonendum insigniter vigent, si quis in eis evigilet. Nam et consummata ea dicit et inchoata : nisi enim consummata essent, non scriptum esset, *Et consummata sunt cælum et terra, et omnis compositio illorum : et consummavit Deus in die sexto opera sua, quæ facit : et requievit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit : et*

<sup>1</sup> Er. Lugd. Ven. et Lov. legunt, *consersio*. M.

*benedixit Deus diem septimum, et sanctificavit eum; rursusque nisi inchoata essent, non ita sequeretur, quia illa die requievit ab omnibus operibus suis quæ inchoavit Deus facere.*

19. Illic igitur si quis inquirat quomodo consummavit et quomodo inchoavit: neque enim alia consummavit, alia inchoavit, sed eadem ipsa utique à quibus in die septimo requievit, ex iis quæ supra diximus clarum est. Consummasse quippe ista intelligimus Deum, cum creavit omnia simul ita perfecte, ut nihil ei adhuc in ordine temporum creandum esset, quod non hic ab eo jam in ordine causarum creatum esset: inchoasse autem, ut quod hic præfixerat causis, post impleret effectis. Proinde *formavit Deus hominem pulverem terræ, vel limum terræ, hoc est de pulvere vel limo terræ; et inspiravit sive insufflavit in ejus faciem spiritum vitæ, et factus est homo in animam vivam.* Non tunc prædestinatus; hoc enim ante sæculum in præsentia Creatoris: neque tunc causaliter vel consummate inchoatus, vel inchoate consummatus; hoc enim a sæculo in rationibus primordialibus, cum simul omnia crearentur: sed creatus in tempore suo, visibiliter in corpore, invisibiliter in anima, constans ex anima et corpore.

CAPUT XII. — *Corpus hominis an singulari modo a Deo formatum.*

20. Jam ergo videamus quomodo eum fecerit Deus, primum de terra corpus ejus; post etiam de anima videbimus, si quid valebimus. Quod enim manibus corporalibus Deus de limo finxerit hominem, nimium puerilis cogitatio est, ita ut si hoc Scriptura dixisset, magis eum qui scripsit translato verbo usum credere deberemus, quam Deum talibus membrorum lineamentis determinatum qualia videmus in corporibus nostris. Dictum est enim, *Manus tua gentes disperdidit (Psal. xliii, 3); et, Eduxisti populum tuum in manu forti et brachio excelso (Psal. cxxxv, 11, 12);* sed pro potestate et virtute Dei positum hujus membri nomen quis usque adeo desipit, ut non intelligat?

21. Nec illud audiendum est, quod nonnulli putant, ideo præcipuum Dei opus esse hominem, quia cætera dixit, et facta sunt; hunc autem ipse fecit: sed ideo potius, quia hunc ad imaginem suam fecit. Nam illa quæ dixit et facta sunt, ideo sic scriptum est (*Psal. cxlviii, 5*), quia per Verbum ejus facta sunt, sicut per hominem hominibus dici potuit verbis, quæ temporaliter cogitantur, et voce proferuntur. Non sic autem loquitur Deus, nisi cum per corporalem creaturam loquitur, sicut Abrahamæ, sicut Moysi, sicut per nubem de Filio suo. Ante vero omnem creaturam, ut esset ipsa creatura, eo Verbo dictum est, quod in principio erat Deus apud Deum: et quia omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan. 1, 1, 3*), utique et homo per ipsum factus est. Certe enim cælum verbo fecit, quia dixit et factum est: scriptum est tamen, *Et opera manuum tuarum sunt cæli (Psal. ci, 26)*. Et de hoc imo quasi fundo mundi scriptum est: *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit undas, et aridas manus ejus finxerunt (Psal. xciv, 5)*.

Non igitur hoc in honorem hominis deputetur, vel cætera Deus dixerit, et facta sint, hunc autem ipse fecerit; aut verbo cætera, hunc autem manibus fecerit. Sed hoc excellit in homine, quia Deus ad imaginem suam hominem fecit, propter hoc quod ei dedit mentem intellectualem, qua præstat pecoribus; unde jam superiore loco disseruimus. In quo honore positus, si non intellexit, ut bene agat, eisdem ipsis pecoribus quibus prælatus est comparabitur. Sic etenim scriptum est: *Homo in honore positus non intellexit; comparatus est pecoribus insensatis, et similis factus est eis (Psal. xlviii, 13)*. Nam et pecora Deus fecit, sed non ad imaginem suam.

22. Nec dicendum est, hominem ipse fecit, pecora vero jussit, et facta sunt: et hunc enim et illa per Verbum suum fecit, per quod facta sunt omnia (*Joan. 1, 3*). Sed quia idem Verbum et Sapientia et Virtus ejus est: dicitur et manus ejus, non visibile membrum, sed efficiendi potentia. Nam hæc eadem Scriptura quæ dicit quod Deus hominem de limo terræ finxerit, dicit etiam quod bestias agri de terra finxerit, quando eas cum volatilibus cæli ad Adam adduxit, ut videret quid ea vocaret. Sic enim scriptum est: *Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias (Gen. 1, 25)*. Si ergo et hominem de terra et bestias de terra ipse formavit, quid habet homo excellentius in hac re, nisi quod ipse ad imaginem Dei creatus est? Nec tamen hoc secundum corpus, sed secundum intellectum mentis, de quo post loquemur. Quoniam et in ipso corpore habeat quamdam proprietatem quæ hoc indicet, quod erecta statura factus est, ut hoc ipso admoneretur non sibi terrena esse sectanda, velut pecora, quorum voluptas omnis ex terra est, unde in alvum cuncta prona atque prostrata sunt. Congruit ergo et corpus ejus animæ rationali, non secundum lineamenta figuræque membrorum, sed potius secundum id quod in cælum erectum est, ad intuenda quæ in corpore ipsius mundi superna sunt: sicut anima rationalis in ea debet erigi, quæ in spiritualibus natura maxime excellunt, ut quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram (*Coloss. iii, 2*).

CAPUT XIII. — *Qua ætate aut statura conditus fuerit Adam.*

23. Sed quomodo fecit eum Deus de limo terræ; utrum repente in ætate perfecta, hoc est virili atque juvenili, an sicut nunc usque format in utero matrum? Neque enim alius hæc facit, quam ille qui dixit, *Priusquam te formarem in utero, novi te (Jerem. 1, 5)*: ut illud tantum proprium habuerit Adam, quod non ex parentibus natus est, sed factus ex terra; eo tamen modo ut in hoc perficiendo, et per ætates augendo hi temporum numeri complerentur, quos naturæ humani generis attributos videmus. An potius hoc non est requirendum? Utrumlibet enim fecerit, hoc fecit quod Deum et omnipotentem et sapientem posse ac facere congruebat. Ita enim certas temporum leges generibus qualitatibusque rerum in manifestum ex abdito producendis attribuit, ut ejus voluntas sit super omnia.

Potentia quippe sua numeros creaturæ dedit, non ipsam potentiam eisdem numeris alligavit. Nam Spiritus ejus ita faciendo mundo superferebatur (*Gen. 1, 2*), ut et factio superferatur, non corporalibus locis, sed excellentia potestatis.

24. Quis enim nescit aquam concretam terræ, cum ad radices vitis venerit, duci in saginam ligni illius, atque in eo sumere qualitatem, qua in uvam procedat paulatim crumpentem; atque in ea grandescente vinum fiat, maturumque dulcescat, quod adhuc fervescat expressum, et quadam vetustate firmatum ad usum bibendi utilius jucundiusque perveniat? Num ideo Dominus lignum quæsitivum aut terram, aut has temporum moras, cum aquam miro compendio convertit in vinum, et tale vinum quod ebrius etiam conviva laudaret (*Joan. 11, 9, 10*)? Numquid adjutorio temporis eguit conditor temporis? Nonne certis dierum numeris suo cuique generi accommodatis, omnis natura serpentium coalescit, formatur, nascitur, roboratur? Num expectati sunt hi dies, ut in draconem virga converteretur de manu Moysi et Aaron (*Exod. VII, 10*)? Nec ista cum fiunt, contra naturam fiunt, nisi nobis quibus aliter naturæ cursus innotuit; non autem Deo, cui hoc est natura quod fecerit.

CAPUT XIV. — *Rationes causales mundo primum inditæ, cujus generis fuerint.*

25. Quæri autem merito potest, causales illæ rationes, quas mundo indidit, cum primum simul omnia creavit, quomodo sint institutæ: utrum ut, quemadmodum videmus cuncta nascentia vel fruticum vel animalium in suis conformationibus atque incrementis, sua pro diversitate generum diversa spatia peragerent temporum? an ut, quemadmodum creditur factus Adam sine ullo progressu incrementorum virili ætate, continuo conformarentur? Sed cur non utrumque illas credimus habuisse, ut hoc ex eis futurum esset, quod factori placuisset? Si enim illo modo dixerimus, incipiet contra ipsas factum videri, non solum etiam illud de aqua vinum, sed et omnia miracula quæ contra naturæ usitatum cursum fiunt: si autem isto modo, multo erit absurdius ipsas istas quotidianas naturæ formas et species contra illas primarias omnium nascentium causales rationes suorum temporum peragere spatia. Restat ergo ut ad utrumque modum habiles creatæ sint; sive ad istum quo usitatissime temporalia transcurrunt, sive ad illum quo rara et mirabilia fiunt, sicut Deo facere placuerit quod tempori congruat.

CAPUT XV. — *Primus homo non aliter quam primordiales causæ haberent, formatus fuit.*

26. Verumtamen sic factus est homo, quemadmodum illæ primæ causæ habebant ut fieret primus homo, quem non ex parentibus nasci, qui nulli precesserant, sed de limo formari oportebat, secundum causalem rationem, in qua primitus factus erat. Nam si aliter factus est, non enim Deus in illorum sex dierum operibus fecerat: in quibus cum dicitur factus, ipsam causam utique fecerat Deus, qua erat suo tempore homo futurus, et secundum quam fuerat ab illo

faciendus, qui simul et consummaverat inchoata propter perfectionem causalium rationum, et inchoaverat consummanda propter ordinem temporum<sup>1</sup>. Si ergo in illis primis rerum causis, quas mundo primitus Creator inseruit, non tantum posuit quod de limo formaturus erat hominem, sed etiam quemadmodum formaturus, utrum sicut in matris utero, an in forma juvenili; procul dubio sic fecit, ut illic præfixerat; neque enim contra dispositionem suam faceret: si autem vim tantum ibi posuit possibilitatis, ut homo fieret quoquo modo fieret, ut et sic et sic posset, id est ut id quoque ibi esset<sup>2</sup>, quia et sic et sic posset; unum autem ipsum modum quo erat facturus in sua voluntate servavit, non mundi constitutioni contexit: manifestum est etiam sic non factum esse hominem contra quam erat in illa prima conditione causarum; quia ibi erat etiam sic fieri posse, quamvis non ibi erat ita fieri necesse esse: hoc enim non erat in conditione creaturæ, sed in placito Creatoris, cujus voluntas rerum necessitas est.

CAPUT XVI. — *In rei natura est, ut quid esse possit; ut futurum sit, non nisi in Dei voluntate.*

27. Nam et nos pro captu infirmitatis humanæ jam in ipsis rebus tempore exortis possumus nosse quid in cujusque natura sit, quod experimento perceperimus; sed utrum etiam futurum sit ignoramus. Est quippe in natura hujus, verbi gratia, juvenis ut senescat; sed utrum hoc etiam sit in Dei voluntate, nescimus. Sed nec in natura esset, nisi in Dei voluntate prius fuisset, qui condidit omnia. Et utique occulta ratio est senectutis in corpore juvenili, vel juventutis in corpore puerili: neque enim oculis cernitur, sicut ipsa in puero pueritia, sicut juventus in juvene; sed alia quadam notitia colligitur inesse in natura quiddam latens, quo educantur in promptu numeri occulti, vel juventutis a pueritia, vel senectutis a juventute. Occulta est ergo ista ratio, qua fit ut hoc esse possit, sed oculis; menti autem non est occulta: utrum autem hoc etiam necesse sit, omnino nescimus. Et illam quidem qua fit ut esse possit, esse in natura ipsius corporis novimus: illam vero qua fit ut necesse sit, manifestum est illic non esse.

CAPUT XVII. — *Ex futuris quænam vere futura.*

28. Sed fortassis in mundo est, ut necesse sit istum hominem senescere. Si autem nec in mundo est, in Deo est. Hoc enim necessario futurum est quod ille vult, et ea vere futura sunt quæ ille præscivit. Nam multa secundum inferiores causas futura sunt; sed si ita sunt et in præscientia Dei, vere futura sunt: si autem ibi aliter sunt; ita potius futura sunt, sicut ibi sunt, ubi qui præscit<sup>3</sup>, falli non potest. Nam futura

<sup>1</sup> Sic in omnibus Mss. At in excusis, cum insigni glissemate habetur: *Qui simul et consummaverat, has perspicuas species producens, inchoata propter perfectionem causalium rationum; et inchoaverat, rationes causales fiendorum mundo imprimens, consummanda propter ordinem temporum.*

<sup>2</sup> Ediji: *ut homo fieret quoquo modo, ut et sic posset, id est ut ideo quoque ibi esset: pauloque post, in sua voluntate servavit, cum mundi constitutionem contexit.* Quos lecos ad Mss. redintegravi.

<sup>3</sup> Lov., *quæ præscit.* Melius editiones Am. Er. Et Mss., *qui præscit.*

dicitur senectus in juvene, sed tamen futura non est, si ante moriturus est: hoc autem ita erit, sicut se habent aliæ causæ, sive mundo contextæ, sive in Dei præsentia reservatæ. Nam secundum quasdam futurorum causas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam (*Isai. xxxiii, 5*); id utique faciens quod ante constitutionem mundi se facturum esse præsciebat, et in sua voluntate servabat. Non ergo id fecit quod futurum non erat: hoc enim magis erat futurum, quod se facturum esse præsciebat. Neo tamen illi anni additi recte dicerentur, nisi aliquid adderetur<sup>1</sup>, quod se aliter in aliis causis habuerat. Secundum aliquas igitur causas inferiores jam vitam finierat: secundum illas autem quæ sunt in voluntate et præsentia Dei, qui ex æternitate noverat quid illo tempore facturus erat (et hoc vere futurum erat), tunc erat finiturus vitam quando finivit vitam. Quia etsi oranti concessum est, etiam sic eum oraturum ut tali orationi concedi oporteret ille utique præsciebat, cuius præsentia falli non poterat: et ideo quod præsciebat, necessario futurum erat.

**CAPUT XVIII.** — *Colligitur Adamum non formatum fuisse contra quam erat in primordialibus causis institutum.*

29. Quapropter, si omnium futurorum causæ mundo sunt insitæ, cum ille factus est dies, quando Deus creavit omnia simul; non aliter Adam factus est, cum de limo formatus est, sicut est credibilis iam perfectæ virilitatis, quam erat in illis causis, ubi Deus hominem in sex dierum operibus fecit. Ibi enim erat non solum ut ita fieri posset, verum etiam ut ita eum fieri necesse esset. Tam enim non fecit Deus contra causam, quam sine dubio volens præstituit, quam contra voluntatem suam non facit. Si autem non omnes causas in creatura primitus condita præfixit, sed aliquas in sua voluntate servavit; non sunt quidem illæ quas in sua voluntate servavit, ex istarum quas creavit necessitate pendentes: non tamen possunt esse contrariæ quas in sua voluntate servavit, illis quas sua voluntate instituit; quia Dei voluntas non potest sibi esse contraria. Ista ergo sic condidit, ut ex illis esse illud, cuius causæ sunt, possit; sed non necesse sit: illas autem sic abscondit, ut ex eis esse necesse sit hoc, quod ex istis fecit ut esse possit.

**CAPUT XIX.** — *Adamo non spirituale sed animale corpus a Deo formatum esse.*

30. Solet item quæri, utrum animale corpus prius homini formatum sit e limo, quale nunc habemus, an spirituale, quale resurgentes habebimus. Quanquam eum hoc in illud mutabitur; seminatur enim corpus animale, surget corpus spirituale: tamen quid prius homini factum sit, ideo disceptatur, quia si animale factum est, non hoc recipiemus, quod in illo perdidimus, sed tanto melius quanto spirituale animali præponendum est, quando erimus æquales Angelis Dei (*Math. xxii, 30*). Sed Angeli possunt aliis et iustitia præponi; numquid et Domino? De quo tamen dictum est: *Minorasti eum paulo minus ab Angelis (Psal.*

<sup>1</sup> *Km. plures probas notæ, nisi ad aliquid adderentur.*

*viii, 6*). Unde, nisi propter carnis infirmitatem quam sumpsit ex Virgine, formam servi accipiens (*Philipp. ii, 7*), in qua moriens nos a servitute redimeret? Sed quid hinc diutius disseramus? Non enim obscura est Apostoli sententia de hac re; qui cum voluisset adhibere testimonium, quo probaret esse corpus animale, non tam de suo vel de cuiusquam hominis corpore, quod in præsentia videbatur, quam de hoc ipso Scripturæ huius loco recoluit et adhibuit, dicens: *Si es corpus animale, est et spirituale; sic etenim scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non primum quod spirituale est, sed quod animale; postea, spirituale. Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cælo, cælestis. Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cælestis, tales et cælestes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus et imaginem ejus qui de cælo est (I Cor. xv, 44-49)*. Quid ad hoc dici potest? Imaginem ergo cælestis hominis nunc ex fide portamus, habituri in resurrectione quod credimus; imaginem autem terreni hominis ab iso exordio humanæ generationis induimus.

**CAPUT XX.** — *Difficultas contra superiorem sententiam. Opinio corpus Adami prius animale, postea spirituale factum fuisse in paradiso.*

31. Hic occurrit alia quæstio, quomodo renovemur, si non ad hoc per Christum revocamur, quod in Adam prius eramus. Quanquam enim multa non in pristinum, sed in melius renoventur, ab inferiore tamen statu, quam quo erant antea, remanentur. Unde ergo ille filius mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est (*Luc. xv, 32*): unde illi profertur stola prima, si non immortalitatem recipit, quam perdidit Adam? Quomodo autem perdidit immortalitatem, si corpus habuit animale? Neque enim animale corpus, sed spirituale erit, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (*I Cor. xv, 53*). Nonnulli his angustiis coarctati, ut et illa constet sententia qua exemplum de animali corpore hinc datum est, ut diceretur, *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem*; et ista renovatio receptioque immortalitatis, non absurde dicatur in pristinum futura, in illud scilicet quod Adam perdidit: putaverunt prius quidem hominem fuisse corporis animalis; sed dum in paradiso constitutus est, eum fuisse mutatum, sicut nos quoque resurrectione mutabimur. Hoc quidem liber Geneseos non commemorat; sed ut possint utraque testimonia Scripturarum inter se consentire, sive illud quod de animali corpore dictum est, sive illa quæ de renovatione nostra plurima in sanctis Litteris reperuntur, hoc tanquam necessario consequi crediderunt.

**CAPUT XXI.** — *Exploditur illa opinio.*

32. Sed si ita est, frustra conamur paradysum et illas arbores earumque fructus, præter figuratam significationem, prius accipere ad rerum gestarum proprietatem. Quis enim credat jam illius modi cibos ex arborum pomis immortalibus et spiritualibus corporibus necessarios esse potuisse? Verumtamen si aliud non potest



inveniri, melius eligimus paradysum spiritualiter intelligere, quam vel putare non renovari hominem, cum toties hoc Scriptura commemoret; velle eum existimare recipere quod non ostenditur amisisse. Iluc accedit quod et ipsa mors hominis, quam eum peccato commiseruisse, multa divina testimonia colloquuntur, indicat eum sine morte futurum fuisse, nisi peccasset. Quomodo ergo sine morte mortalis? aut quomodo non mortalis, si corpus animale?

CAPUT XXII. — *Adamum peccato mortem animæ, non corporis meruisse, quidam non recte arbitrantur.*

35. Unde quidam non eum mortem corporis peccato meruisse arbitrantur, sed mortem animæ, quam fecit iniquitas. Nam credunt eum, propter corpus animale, exiturum fuisse de hoc corpore, ad requiem scilicet quam nunc habent sancti qui jam dormierunt, et in fine sæculi eadem membra immortaliter recepturum<sup>1</sup>; ut videlicet mors corporis non de peccato accidisse videatur, sed naturaliter, ut animalium cæterorum. Verum his rursus Apostolus occurrit et dicit: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Christum a mortuis habitat in vobis; qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis (Rom. viii, 10, 11).* Ac per hoc mors etiam corporis de peccato est. Si ergo non peccasset Adam, nec corpore moreretur; ideoque immortale haberet et corpus. Quomodo ergo immortale, si animale?

CAPUT XXIII. — *In eos qui dicunt Adæ corpus ex animali spirituale factum in paradiso.*

34. Sed rursus non vident, qui ejus corpus in paradiso mutatum putant, ut ex animali fieret spirituale, nihil impedire, si non peccasset, ut post paradisi vitam, quam juste obedienterque vixisset, acciperet eandem corporis mutationem in vita æterna, ubi jam cibus corporalibus non egeret. Quid ergo necesse est propter hoc jam cogi figurate, non proprie paradysum intelligere, quia non posset mori corpus nisi peccato? Verum est quidem quod non moreretur etiam corpore, nisi peccasset; aperte quippe dicit Apostolus, *Corpus mortuum propter peccatum*: animale tamen posset esse ante peccatum, et post vitam justitiæ, cum Deus vellet, fieri spirituale.

CAPUT XXIV. — *In renovatione quomodo id recipimus, quod Adam perdidit.*

35. Quomodo ergo, inquit, renovari dicimur, si non hoc recipimus, quod perdidit primus homo, in quo omnes morimur? Hoc plane recipimus secundum quemdam modum, et non hoc recipimus secundum quemdam modum. Non itaque immortalitatem spiritualis corporis recipimus, quam nondum habuit homo; sed recipimus justitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo. Renovabimur ergo a vetustate peccati, non in pristinum corpus animale, in quo fuit Adam, sed in melius, id est in corpus spirituale, cum efficiamur æquales Angelis Dei (*Muth. xxii, 30*), apti cælesti habitationi, ubi esca quæ corrumpitur non egebimus. Renovamur ergo spiritu

mentis nostræ (*Ephes. iv, 23*) secundum imaginem ejus qui creavit nos, quam peccando Adam perdidit. Renovabimur autem etiam carne, cum hoc corruptibile induetur incorruptione, ut sit spirituale corpus; in quod nondum mutatus, sed mutandus erat Adam, nisi mortem etiam corporis animalis peccando meruisset.

36. Denique non ait Apostolus, *Corpus quidem mortale propter peccatum; sed, Corpus mortuum propter peccatum.*

CAPITULUM XXV. — *Adæ corpus mortale simul et immortale.*

Illud quippe ante peccatum, et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat: id est mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ: a quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale, quia et mori poterat; quamvis et immortale, ideo quia et non mori poterat. Neque enim immortale quod mori omnino non possit, erit nisi spirituale, quod nobis futurum in resurrectione promittitur. Ac per hoc illud animale et ob hoc mortale, quod propter justitiam spirituale fieret et ob hoc omni modo immortale<sup>1</sup>, factum est propter peccatum non mortale, quod et antea erat, sed mortuum, quod posset non fieri, si homo non peccasset.

CAPUT XXVI. — *Corpus Adæ et nostrum diversa.*

37. Quomodo ergo corpus nostrum dicit Apost. mortuum, cum adhuc de viventibus loqueretur, nisi quia jam ipsa conditio moriendi ex peccato parentum hæret in prole? Animale est enim et hoc corpus, sicut et primi hominis fuit; sed hoc jam in ipso animalis genere multo est deterius: habet enim necessitatem moriendi, quod illud non habuit. Quamvis enim restabat adhuc ut immutaretur, et spirituale factum plenam immortalitatem perciperet, ubi cibo corruptibili non egeret; tamen si juste viveret homo, et in spiritualem habitudinem corpus ejus mutaretur, non iret in mortem. In nobis autem etiam juste viventibus, corpus moriturum est; propter quam necessitatem, ex illius primi hominis peccato venientem, non mortale, sed mortuum corpus nostrum dixit Apostolus, quia omnes in Adam morimur (*Rom. v, 12; et I Cor. xv, 22*). Item dicit: *Sicut est veritas in Jesu, deponere vos secundum priorem conversationem hominem veterem; eum qui corrumpitur secundum concupiscentias deceptionis; hoc est, factus Adam per peccatum. Vide ergo quid sequatur: Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem; eum qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis (Ephes. iv, 24-24): ecce quod perdidit Adam per peccatum.*

<sup>1</sup> Editi habuerunt hic, *mortale, cum hæcce interpunctione vocum: spirituale fieret: et ob hoc mortale omnino: factum est propter peccatum.* Emendavimus ad Mss. B. l. m.

<sup>1</sup> In editis, *recepturi.* Reponimus ex Mss., *recepturum.*

CAPUT XXVII. — *Quomodo mente et corpore ad id renovamur, quod Adam perdidit.*

In hoc ergo renovamur, secundum id quod amisit Adam, id est secundum spiritum mentis nostræ: secundum autem corpus quod seminatur animale, et resurget spirituale, in melius renovabimur, quod nondum fuit Adam.

38. Dicit item Apostolus: *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus, induite novum qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum* (Coloss. III, 9, 10). Hanc imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum (a); quam recipimus per gratiam justitiæ; non spirituale atque immortale corpus, in quo ille nondum fuit, et in quo erunt omnes sancti resurgentes a mortuis: hoc enim præmium est illius meriti, quod amisit. Proinde illa stola prima (Luc. xv, 22), aut ipsa justitia est unde lapsus est; aut, si indumentum corporalis immortalitatis significat, etiam hanc ille sic amisit, cum propter peccatum ad eam pervenire non potuit. Dicitur enim et amisisse uxorem, et amisisse honorem, qui speratum non acceperit, illo a quo sperabat offenso.

CAPUT XXVIII. — *Adam licet spiritualis mente, corpore fuit animalis etiam in paradiso.*

39. Secundum hanc ergo sententiam corpus animale habuit Adam, non tantum ante paradysum, sed etiam in paradiso constitutus: quamvis in interiore homine fuerit spiritualis, secundum imaginem ejus qui creavit eum; quod amisit peccando, meruitque etiam corporis mortem, qui non peccando mereretur et in corpus spirituale commutationem. Nam si et interius animaliter vixit, non possumus dici ad hoc ipsius renovari. Quibus enim

(a) II *Retract.* cap. 21, n. 2.

dicitur, *Renovamini spiritu mentis vestræ*, hoc eis dicitur, ut spirituales fiant: quod si ille nec in ipsa mente fuit, quomodo nos renovamur ad id quod homo nunquam fuit? Apostoli autem et omnes justii animalia utique corpus adhuc habebant, sed tamen spiritualiter interius vivebant; renovati scilicet in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eos: non ideo tamen jam peccare non poterant, si consentirent iniquitati. Nam et spirituales posse cadere in tentatione peccati, ostendit Apostolus, ubi ait, *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne et tu teneris* (Galat. VI, 1). Hoc dixi, ne cuiquam impossibile videatur quod peccavit Adam, si spiritualis erat mente, quamvis animalis esset corpore. Quæ cum ita sint, nihil tamen adhuc præpropere confirmamus, sed expectamus potius utrum etiam cætera Scriptura hunc intellectum non impediatur.

CAPUT XXIX. — *De anima tractandum in sequenti libro.*

40. Sequitur enim quæstio de anima valde difficilis, in qua multi laboraverunt, nobisque ubi laborem reliquerunt. Sive enim quia non omnium omnia legero potui, qui de hac re secundum Scripturarum nostrarum veritatem ad aliquid liquidum minimeque dubium pervenire potuerunt; sive quia tanta quæstio est, ut etiam qui eam veraciter solvunt, non facile intelligantur a talibus, qualis ipse sum: fateor neminem adhuc mihi persuasisse quod sic habeam de anima, ut nihil amplius quærendum putem. Utrum autem nunc certum aliquid inventurus sim et definiturus, ignoro. Quod autem potuero, si conatum meum Dominus adjuverit, sequenti volumine explicare curabo.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Mss. aliquot, in *tentationem*.

<sup>2</sup> Sic Mss. At editi, *conabor*.

## LIBER SEPTIMUS.

In quo illud Genesios, cap. 2, vers. 7: *Et flatit in faciem ejus flatum vitæ*, etc., illustratur uberrima tractatione de anima.



CAPUT PRIMUM. — *De anima tractatio suscipitur.*

1. *Et finxit Deus hominem pulverem de terra, et flatit in faciem ejus flatum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Hæc verba Scripturæ nobis et in principio superioris libri considerata proposuimus, et de ipso homine facto, maximeque de ejus corpore, quantum satis duximus, quod secundum Scripturas visum est, disseruimus. Sed quia de anima humana non parva quæstio est, ad hanc eam librum differendam putavimus, nescientes quantum nos Dominus adjuturas esset recte loqui cupidos; illud tamen scientes, nisi quantum ipse adjuvaret, recte non esse locuturos. Recte est autem veraciter atque congruenter, nihil audacter refellendo, nihil temere afirmando, dum adhuc dubium est, verum falsumne sit, sive fidei, sive scientiæ christianæ; quod autem doceri potest vel rerum ratione apertissima, vel Scripturarum auctoritate certissima, sine cunctatione asserendo.

2. Ac primum illud videamus, quod scriptum est, *Flatit*, vel, *Sufflavit in faciem ejus flatum vitæ*. Nonnulli enim codices habent, *Spiravit*, vel, *Inspiravit in faciem ejus*. Sed cum Græci habeant *ἐπιπύοντες*, non dubitatur *flatit* vel *sufflavit* esse dicendum. Quærebamus autem in superiori sermone de manibus Dei, cum homo de limo formatus cogitaretur, quid ergo nunc dicendum est in eo quod scriptum est, *Sufflavit Deus*, nisi quia sicut non manibus corporis finxit, ita nec faucibus labiisque sufflavit?

3. Verumtamen hoc verbo Scriptura in quæstione difficillima plurimum nos, quantum opinor, adjuvat. CAPUT II. — *Animam non esse ejusdem naturæ cum Deo, ex proposito Scripturæ loco arguitur.*

Nam cum quidam ex hoc verbo crediderint aliquid esse animam de ipsa substantia Dei, id est, ejusdem naturæ cujus ille est, hoc ideo putantes, quia cum homo sufflat, aliquid de seipso eicit in flatu; hinc potius ad-

monendi sumus, hanc inimicam fidei catholicæ repro-  
bare sententiam. Nos enim credimus Dei naturam atque  
substantiam, quæ in Trinitate creditur a multis, intel-  
ligitur a paucis, omnino esse incommutabilem. Porro  
autem animæ naturam vel in d. terius vel in melius  
commutari posse, quis ambigit? Ac per hoc sacrilega  
opinio est, eam et Deum credere unius esse substan-  
tiæ. Quid enim hoc modo aliud quam et ille commuta-  
bilis creditur? Credendum itaque est, et intelligen-  
dum, neque ullo modo dubitandum, quod recta fides  
habet, animam sic esse a Deo tanquam rem quam fe-  
cerit, non tanquam de natura cuius est ipse, sive ge-  
nerit, sive quoquo modo protulerit.

#### CAPUT III. — *Urgetur idem argumentum.*

4. Et quomodo, inquit, scriptum est, *Sufflavit in  
faciem ejus, et factus est homo in animam vivam*; si non  
anima Dei pars est, vel Dei omnino substantia? Imo  
vero ex hoc verbo satis apparet ita non esse. Cum enim  
homo sufflat, anima utique ipsa subjacentem sibi na-  
turam corporis movet, et de illa, non de seipsa flatum  
facit. Nisi isti forte tam tardi sunt, ut nesciant isto  
reciproco halitu, quem de hoc aere circumfuso ducimus  
et reddimus, fieri etiam flatum, cum voluntate  
sufflamus. Quod si etiam non ex hoc aere, qui forin-  
secus adjacet, accepto et reddito, sed ex ipsius nostri  
corporis natura qua constat, sufflando aliquid ejicere-  
mus, non eadem natura est corporis et animæ; quod  
et ipsi utique consentiunt. Quapropter etiam sic aliud  
est animæ substantia, quæ corpus regit et movet;  
aliud flatum, quem regendo vel movendo facit de cor-  
pore sibi subdito, non de seipsa cui corpus est subdi-  
tum. Cum itaque longe quidem incomparabili modo,  
sed tamen anima regat subditum corpus, et Deus sub-  
ditam creaturam, cur non potius intelligatur de sub-  
jecta sibi creatura fecisse Deus animam in eo quod  
sufflasse dicitur est; quandoquidem ipsa anima, quam-  
vis corpori suo non ita dominetur, ut Deus universitati  
quam condidit, tamen ejus motu, non de sua substan-  
tia flatum facit?

5. Possimus quidem dicere nec ipsum Dei flatum  
esse animam hominis, sed Deum sufflando fecisse  
animam in homine: sed ne putentur meliora quæ fe-  
cit verbo, quam quod fecit flatu, quia et in nobis me-  
lius est verbum quam flatum; nihil est interim secun-  
dum supradictam rationem, cur animam ipsam Dei  
flatum dicere dubitemus, dum intelligatur non esse  
Dei natura atque substantia, sed hoc ipsum esse suf-  
flare, quod est flatum facere; quod autem flatum fa-  
cere, hoc animam facere. Cui sententiæ congruit quod  
per Isaiam dicit Deus: *Spiritus enim a me procedet, et  
flatum omnem ego feci*. Nam non quemlibet flatum  
corporeum eum dicere, sequentia docent. Cum enim  
dixisset, *Omnem flatum ego feci*; *Et propter peccatum,*  
inquit, *pusillum quid contristavi eum, et percussi eum*  
(*Isai. LVII, 16, 17, sec. LXX*). Quid ergo dicit flatum,  
nisi animam, quæ propter peccatum percussa et con-  
tristata est? Quid igitur est, *Omnem flatum ego feci,*  
nisi, *Omnem animam ego feci*?

#### CAPUT IV. — *Deum sufflando non fecisse de seipso animam, nec de elementis.*

6. Si ergo Deum dicere tanquam corporei mun-  
di hujus animam, cui mundus ipse esset tanquam  
corpus unius animantis, recte non eum dicere  
sufflando fecisse animam hominis, nisi corpoream, de  
isto aere subjacente sibi ex corpore suo: non tamen  
quod fecisset dedissetque sufflando, de seipso dedisse  
putare deberemus, sed ita de sibi subjecto aere cor-  
poris sui, sicut anima de hujusmodi re similiter adja-  
cente, hoc est de corpore, non de seipsa flatum facit.  
Nunc vero quia non tantummodo mundi corpus Deo  
esse subditum dicimus, sed illum esse supra omnem  
creaturam sive corporealem sive spiritualem; nec de  
seipso, nec de corporeis elementis credendus est ani-  
mam fecisse sufflando.

#### CAPUT V. — *An anima ex nihilo.*

7. Utrum autem ex eo quod omnino non erat, id  
est ex nihilo; an ex aliqua re, quæ jam ab illo facta  
spiritualiter erat, sed anima nondum erat, merito  
quæri potest. Si enim Deum adhuc aliquid ex nihilo  
creare non credimus, posteaquam creavit omnia si-  
mul, et ob hoc a<sup>1</sup> consummatis omnibus operibus re-  
quievisse credimus, quæ inchoavit facere, ut quidquid  
deinde faceret, ex his faceret; non video quemadmo-  
dum intelligamus, adhuc eum ex nihilo animas facere.  
An dicendum est, eum in illis quidem operibus pri-  
morum sex dierum fecisse illum diem occultum, ac si  
hoc potius credi oportet, spiritualem atque intelle-  
ctualem naturam, scilicet unitatis angelicæ, et mu-  
dum, id est cælum et terram; atque in illis jam ex-  
stantibus naturis rationes creasse futurarum ætatum,  
non ipsas naturas: alioquin si jam ibi creatæ essent  
sicut erant futuræ, non adhuc essent futuræ? Quod si  
ita est, nondum erat in conditis rebus animæ humanæ  
ulla natura, et tunc esse cœpit, cum eam Deus sufflan-  
do fecit, atque indidit homini.

8. Sed non ideo quæstio sublata est, qua quæritur  
adhuc utrum eam naturam, quæ anima dicitur, et  
antea non erat, ex nihilo creaverit, tanquam ipse fla-  
tus ejus non ex aliqua substantia subjacente factus sit,  
sicut de flatu dicebamus, quem facit anima ex corpore  
suo; sed omnino ex nihilo tunc factus sit flatum, cum  
Deus flare voluit, idemque hominis anima factus sit:  
an vero jam erat aliquid spirituale, quamvis hoc quid-  
quid erat, nondum animæ natura erat, atque ex hoc  
factus sit flatum Dei quæ natura esset animæ; sicut nec  
corporei humani natura jam erat, antequam Deus eam  
de limo terræ vel pulvere formasset. Non enim caro  
humana erat pulvis aut limus; sed tamen aliquid erat  
unde illa fieret, quæ nondum erat.

#### CAPUT VI. — *An ut corporis, ita et animæ præcesserit aliqua materies.*

9. Num ergo credibile est, in primis illis sex dierum  
operibus Deum condidisse, non solum futuri corporis  
humani causalem rationem, verum etiam materiem

<sup>1</sup> In editis: *Et ob hoc consummatis*, expuncta præpositione  
a, quæ exstat in omnibus Mss.

de qua fieret, id est terram, de cuius limo vel pulvere fingeretur, animæ autem solam ibi condidisse rationem, secundum quam fieret, non etiam quendam pro suo genere materiam, de qua fieret? Si enim quiddam incommutabile esset anima, nullo modo ejus quasi materiam querere deberemus: nunc autem mutabilitas ejus satis indicat eam interim vitii atque fallacis deformem reddi, formari autem virtutibus veritatisque doctrina, sed in sua jam natura qua est anima; sicut etiam caro in sua natura qua jam caro est, et salute decoratur, et morbis vulneribusque sedatur. Sed sicut hæc, excepto quod jam caro est in qua natura vel proficit ut pulchra, vel deficit ut deformis sit, habuit etiam materiem, id est terram, de qua fieret, ut omnino caro esset: sic fortasse potuit et anima, antequam ea ipsa natura fieret, quæ anima dicitur, cuius vel pulchritudo virtus, vel deformitas vitium est, habere aliquam materiam pro suo genere spiritualement, quæ nondum esset anima; sicut terra de qua caro facta est, jam erat aliquid, quamvis non erat caro.

10. Sed enim jam terra implebat mundi infimam partem, antequam de illa corpus hominis fieret, conferens universo totum suum, ut etiamsi nulla ex ea caro fieret animantis cujusquam, specie tamen sui mundi fabricam molemque compleret, secundum quam dicitur mundus cælum et terra.

CAPUT VII. — *Dici non posse qualis fuisset illa materies animæ.*

At vero illa spiritualis materies, si fuit ulla unde anima fieret, vel si est ulla unde animæ fiunt, quid ipsa est? quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit, an non? Si vivit, quid agit? quid confert universitatis effectibus? Beatamne vitam gerit, an miseram, an neutram? Vivificat aliquid? an ab hoc etiam opere vacat, et in quodam secreto universitatis otiosa requiescit, sine vigili sensu motuque vitali? Si enim nulla prorsus adhuc vita erat, quomodo esset vita futuræ quædam incorporea nec viva materies? Aut falsum est, aut nimis latet. Si autem jam vivebat nec beate nec misere, quomodo rationalis erat? Quod si tunc rationalis facta est, cum ex illa materie natura humanæ animæ facta est; irrationalis ergo vita materies erat animæ rationalis, id est humanæ? Quid ergo inter illam pecorisque distabat? An rationalis erat jam possibilitate, nondum facultate? Si enim videmus infantilem animam, jam utique hominis animam, nondum cœpisse uti ratione, et tamen eam rationalem dicimus; cur non credatur sic in illa materie, de qua facta est anima, quietum fuisse motum etiam sentiendi, sicut in ista infantili, quæ jam certe anima est hominis, quietus est adhuc motus ratiocinandi?

CAPUT VIII. — *Beatam fuisse materiem illam admittere non potest.*

11. Nam si jam beata erat vita, de qua facta est hominis anima; deterius ergo facta est: et ideo non jam illa materies hujus, sed illius ista defluxio est. Nam materies aliqua cum formatur, præsertim a Deo, non melius sine dubitatione formatur. Sed etiam si cu-

jusquam in aliqua beatitudine factæ a Deo vitæ defluxio anima humana posset intelligi, nec sic credenda erat esse cœpisse in aliquo actu meritorum suorum, nisi ex quo propriam cœpit agere vitam, dum anima facta est animans carnem, et ejus sensibus velut nutius utens, atque in seipsa se vivere sentiens sua voluntate, intellectu, memoria. Si enim est aliquid, unde istam defluxionem formatae carni Deus inspiraret, tanquam sufflando animam faciens, idemque beatum est; nullo modo movetur, aut mutatur, aut amittit aliquid, cum hoc ab eo defluit, unde anima fit.

CAPUT IX. — *Neque illam materiem esse quendam irrationalem animam.*

Non est enim corpus, ut tanquam exhalando minuatur.

12. Si autem anima irrationalis, materies est quodammodo, de qua fit anima rationalis, id est humana, rursus queritur etiam ipsa irrationalis unde fiat; quia et ipsam non facit nisi creator omnium naturarum. An illa de materie corporali? Cur non ergo et ista? Nisi forte quod velut gradatim fieri conceditur, compendio posse Deum facere quisquam negabit. Proinde quælibet adhibeatur interposito, si corpus est materies animæ irrationalis, et anima irrationalis est materies animæ rationalis, procul dubio corpus est materies animæ rationalis. Quod neminem unquam scio ausum esse sentire, nisi qui et ipsam animam nominat in genere alicujus corporis ponit.

13. Deinde cavendum est ne quædam translatio animæ fieri a pecore in hominem posse credatur (quod veritati fideique catholice omnino contrarium est), si concesserimus irrationalem animam veluti materiem subjicere, unde rationalis anima fiat. Sic enim fiet, ut si hæc in melius commutata, erit hominis; illa quoque in deterius commutata, sit pecoris. De quo ludibrio quorundam philosophorum etiam eorum posterius erubuerunt, nec eos hoc sensisse, sed non recte intellectos esse dixerunt. Et credo ita esse, velut si quisquam etiam de Scripturis nostris hoc sentiat, ubi dictum est, *Homo in honore positus non intellexit; comparatus est pecoribus insensatis, et similis factus est eis* (Psal. XLVIII, 13): aut ubi item legitur, *Ne traderis bestiis animam constituentem tibi* (Psal. IXXIII, 19). Neque enim non omnes hæretici Scripturas catholicas legunt; nec ob aliud sunt hæretici, nisi quod eas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervacaciter asserunt. Sed quoquo modo se habeat vel non habeat opinio philosophorum de revolutionibus animarum, catholice tamen fidei non convenit credere animas pecorum in homines, aut hominum in pecora transmigrare.

CAPUT X. — *Ex morum similitudine non efficitur ut anima hominis in pecus transeat.*

14. Fieri sane homines vitæ genere pecoribus similes, et ipsæ res humanæ clamant, et Scripturæ testantur. Unde est illud quod commemoravi, *Homo in honore positus non intellexit; comparatus est jumentis insensatis, et similis factus est eis*: sed in hæc vita utique, non post mortem. Proinde vel talibus bestiis no-

lebat in potestatem dari animam suam, qui dicebat, *Ne tradideris bestiis animam confidentem tibi*; quales cavendos Dominus significat, ubi dicit eos indutos vestitu ovium, intus autem esse lupos rapaces (*Matth. vii, 15*): vel ipsi diabolo et angelis ejus; nam et ille dictus est leo et draco (*Psal. xc, 13*).

15. Quid enim afferunt argumenti philosophi qui putant hominum animas in pecora, vel pecorum in homines post mortem posse transferri? Hoc certe, quæ motum similitudo ad id trahat, velut avaros in formicas, rapaces in milvos, sævos ac superbos in leones, sectatores immunda voluptatis in sues: et si qua similia. Hæc quippe afferunt, nec attendunt per hanc rationem nullo modo fieri posse, ut pecoris anima post mortem in hominem transferatur. Nullo modo enim porcus similior erit homini quam porco; et eum mansuescunt leones, canibus vel etiam ovibus fiunt similiores quam hominibus. Cum igitur a pecorum moribus pecora non recedunt, et quæ aliquantulum cæteris dissimilia sunt, tamen suo generi quam humano, longeque plus ab hominibus quam a pecoribus differunt: nunquam erunt hominum animæ istæ, si ea quæ similia sint trahunt. Si autem hæc argumentum falsum est, quomodo erit illa vera opinio; quandoquidem nihil aliud afferunt, quo etiam non vera, saltem verisimilis habeatur? Unde proclivius et ipse crediderim, quod etiam eorum posteri sectatores, in hac vita potius intelligi voluisse, quadam perversitate morum ac turpitudine homines pecorum similes fieri, ac sic quodammodo in pecora commutari, ut hoc dedecore objecto, eos a cupiditatem pravitate revocarent.

CAPUT XI. — *Fictitia quorundam animarum transmigrationes. Manichæorum deterior quam philosophorum opinio.*

16. Nam illa quæ feruntur accidisse, ut quidam quasi recordarentur in quorum animalium corporibus fuerint, aut falsa narrantur, aut ludificationibus dæmonum hoc in eorum animis factum est. Si enim contingit in somnis, ut fallaci memoria quas recordetur se homo fuisse quod non fuit, aut egisse quod non egit; quid mirum si quodam Dei justo occultoque judicio, sinuntur dæmones in cordibus etiam vigilantium tale aliquid posse?

17. Manichæi autem qui se christianos vel putant, vel putari volunt, in hac opinione translationis vel revolutionis animarum eo sunt illis Gentium philosophis, vel si qui alii vani homines hoc putent, deteriores et detestabiliores, quod illi animæ naturam a Dei natura discernunt, isti autem cum aliud nihil dicant esse animam quam ipsam Dei substantiam, atque id omnino quod Deus est, non trepidant eam tam turpiter commutabilem dicere, ut nullum sit herbæ seu vermiculi genus, ubi eam non esse permixtam, vel quo revolvi non posse mirabili opinentur insaniam. Qui tamen si remotis ab animo suo rerum obscurissimarum questionibus, quas carnali corde versantes, necesse est ut in opiniones falsas, noxias monstrosasque

SANCT. AUGUST. III.

labantur et provolvantur, usum illud firmissime teneant, quod omni animæ rationali sine ullius disputationis ambagibus naturaliter et veraciter insitum est, esse omnino incommutabilem et incorruptibilem Deum; tota eorum mille formis fabula repente dilabitur, quam in suis vanis ac sacrilegis mentibus, monnisi de Dei turpissima mutabilitate fluxerunt.

18. Non est igitur materies animæ humanæ, anima irrationalis.

CAPUT XII. — *Anima non est ex corporeo elemento.*

Quid est ergo, unde anima statu Dei facta est? An corpus aliquod erat terrenum quidem et humidum? Nullo modo: hinc enim potius caro facta est. Nam quid aliud est limus quam terra humida? Nec de humore solo anima facta credenda est, quasi caro de terra et anima de aqua. Nimis enim absurdum est, inde factam putare animam hominis, unde facta est caro piscis et volucris.

19. Ergo fortassis ex aere? Huic enim elemento etiam status competit; sed noster, non Dei. Unde supra diximus hoc potuisse congruenter putari, si animam mundi tanquam unius maximi animantis Deum crederemus, ut ita eam flaverit de aere corporis sui, sicut fiat nostra de sui. Cum vero Deum esse constet supra omne mundi corpus, et supra omnem spiritum quem creavit, incomparabili omnino distantia; quomodo id recte dici potest? An forte quanto magis Deus universæ suæ creaturæ præsens est omnipotentia singulari, tanto magis potuit ex aere statum facere, quæ anima hominis esset? Sed cum anima non sit corporea, quidquid autem ex mundi corporeis elementis sit, corporeum sit necesse est, inque mundi elementis etiam aer iste numeretur; nec si de puri illius cœlestisque ignis elemento facta anima diceretur, credi oporteret. Omne quippe corpus in omne corpus posse mutari, non defuerunt qui assererent. Corpus autem aliquod sive terrenum sive cœleste, converti in animam, fierique naturam incorpoream, nec quemquam sensisse scio, nec fides hoc habet.

CAPUT XIII. — *Medicorum sententia de corpore humano.*

20. Deinde si non est contemnendum quod medici non tantum dicunt, verum etiam probare se affirmant, quamvis omnis caro terrenam soliditatem in promptu gerat, habet tamen in se et aeris aliquid, quod et pulmonibus continetur, et a corde per venas, quas arterias vocant, diffunditur; et ignis non solum fervidam qualitatem, cujus sedes in jecore est, verum etiam luculentam, quam velut eliquari ac subvolare ostendunt in excelsum cerebri locum, tanquam in cœlum corporis nostri; unde et radii emicant oculorum, et de cujus medio velut centro quodam, non solum ad oculos, sed etiam ad sensus cæteros tenues fistulæ deducuntur, ad aures scilicet, ad nares, ad palatum, propter audiendum, olfaciendum, atque gustandum;

<sup>1</sup> Sic Mss. in editis, sola.

<sup>2</sup> In excusis additur, *et in cerebro*; quod abest a Mss.

ipsumque tangendi sensum qui per totum corpus est, ab eodem cerebro dirigi dicunt per medullam cervicis, et eam quæ continetur ossibus, quibus dorsi spina conscribitur, ut inde se tenuissimi quidam rivuli, qui tangendi sensum faciunt, per cuncta membra diffundant.

CAPUT XIV. — *Animam non esse ex elementis.*

Cum igitur his quasi nuntiis accipiat anima quid eam corporalium non latet, ipsa vero usque adeo aliud quiddam sit, ut cum vult intelligere, vel divina, vel Deum, vel omnino etiam seipsam, suasque considerare virtutes, ut aliquid veri certique comprehendat, ab hac ipsorum quoque oculorum luce se avertat, eamque ad hoc negotium, non tantum nullo adjumento, verum etiam nonnullo impedimento esse sentiens, se in obtutum mentis attollat, quomodo ex eo genere aliquid est, cum ejusdem generis summum non sit nisi lumen, quod ex oculis emicat, quo illa non adjuvatur nisi ad corporeas formas coloresque sentiens; habetque ipsa innumerabilia longe dissimilia cuncto generi corporum, quæ nonnisi intellectu atque ratione conspiciat, quo nullus carnis sensus aspirat.

CAPUT XV. — *Anima incorporea.*

21. Quapropter non est quidem humanæ animæ natura, nec de terra, nec de aqua, nec de aere, nec de igne quolibet; sed tamen crassioris corporis sui materiam, hoc est, humidam quamdam terram, quæ in carnis versa est qualitatem, per subtilioris naturam corporis administrat, id est per lucem et aerem. Nullus enim sine his duobus vel sensus in corpore est, vel ab anima spontaneus corporis motus. Sicut autem prius esse debet nosse quam facere, ita prius est sentire quam movere. Anima ergo quoniam res est incorporea, corpus quod incorporeo vicinum est, sicuti est ignis, vel potius lux et aer, primitus agit, et per hæc cætera quæ crassiora sunt corporis, sicuti humor et terra, unde carnis corpulentia solidatur, quæ magis sunt ad patiendum subdita, quam prædita ad faciendum.

CAPUT XVI. — *Cur dictum sit, Factus est homo in animam vivam.*

22. Non mihi ergo videtur dictum, *Factus est homo in animam vivam*, nisi quia sentire cepit in corpore; quod est animatae viventisque carnis certissimum indicium. Nam moventur et arbusta, non tantum vi extrinsecus impellente, veluti cum ventis agitantur, sed illo motu quo intrinsecus agitur quidquid ad incrementum speciemque arboris pertinet, quo ducitur succus in radicem, vertiturque in ea quibus constat herbe natura vel ligni: nihil enim horum sine interno motu. Sed iste motus non est spontaneus, qualis ille qui sensui copulatur ad corporis administrationem, sicut in omnium animalium genere, quam vocat Scriptura *animam vivam* (*Gen. 1, 21*). Nam et nobis nisi incesset etiam ille motus, nec crescerent nostra corpora, nec unguis capillosque producerent. Sed si hoc solum esset in nobis sine sensu motuque illo spontaneo, non diceretur homo *factus in animam vivam*.

CAPUT XVII. — *In faciem hominis cur dicitur Deus sufflasse.*

23. Proinde quoniam pars cerebri anterior, unde sensus omnes distribuuntur, ad frontem collocata est, atque in facie sunt ipsa velut organa sentiendi, excepto tangendi sensu qui per totum corpus diffunditur; qui tamen etiam ipse ab eadem anteriori parte cerebri ostenditur habere viam suam, quæ retrorsus per verticem atque cervicem ad medullam spinæ, de qua loquebamur paulo ante, deducitur, unde habet utique sensum in tangendo et facies, sicut totum corpus, exceptis sensibus videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, qui in sola facie prælocati sunt: ideo scriptum arbitrator, quod *in faciem Deus sufflaverit homini flatum vitæ*, cum *factus est in animam vivam*. Anterior quippe pars posteriori merito præponitur; quia et ista ducit, illa sequitur, et ab ista sensus, ab illa motus est, sicut consilium præcedit actionem.

CAPUT XVIII. — *Tres ventriculi cerebri.*

24. Et quoniam corporalis motus, qui sensum sequitur, sine intervallis temporum nullus est, agere autem intervalla temporum spontaneo motu nisi per adjutorium memoriæ non valemus; ideo tres tanquam ventriculi cerebri demonstrantur: unus anterior ad faciem, a quo sensus omnis; alter posterior ad cervicem, a quo motus omnis; tertius inter utrumque, in quo memoriæ vigere demonstrant, non cum sensum sequitur motus, non connectat homo quod faciendum est, si fuerit quod fecit oblitus. Hæc illi certis iudiciis probata esse dicunt, quando et ipsæ partes aliquo affectu morbo vel vitio, cum defecissent officia vel sentiendi, vel movendi membra, vel motus corporis comminiscendi, satis quid valerent singulæ declarantur. eisque tributa curatio cui rei reparandæ profecerit exploratum est. Sed anima in istis tanquam in organis agit; nihil horum est ipsa: sed vivificat et regit omnia, et per hæc corpori consulit, et huic vitæ, in qua factus est homo in animam vivam.

CAPUT XIX. — *Animæ præstantia supra res corporeas.*

25. Unde ergo sit ipsa, id est, de qua velut materie Deus hunc flatum fecerit, quæ anima dicitur, dum quaeritur, nihil corporeum debet occurrere. Sicut enim Deus omnem creaturam, sic anima omnem corpoream creaturam naturæ dignitate præcellit. Per lucem tamen et aerem, quæ in ipso quoque mundo præcellentia sunt corpora, magisque habent faciendi præstantiam, quam patiendi corpulentiam sicut humor et terra, tanquam per ea quæ spiritui similiora sunt, corpus administrat. Nuntiat enim aliquid lux corporea: cui autem nuntiat, non hoc est quod illa; et hæc est anima cui nuntiat, non illa quæ nuntiat. Et cum afflictiones corporis moleste sentit, actionem suam, qua illi regendo adest, turbato ejus temperamento impediri offenditur, et hæc offensio dolor vocatur. Et aer qui nervis infusus est, paret voluntati ut membra moveant, non autem ipse voluntas est. Et illa pars media motum membrorum nuntiat, ut memoria teneatur<sup>1</sup>, non

<sup>1</sup> Sic Mss. At editi, *memorata teneantur*.

ipsa memoria est. Denique dum hæc ejus tanquam ministeria vitio quolibet seu perturbatione omni modo deficiunt, desistentibus nuntiis sentiendi et ministris movendi, tanquam non habens cur adsit, abscedit. Si autem non ita deficiunt, ut in morte assolet, turbatur ejus intentio, tanquam conantis redintegrare labentia, nec valentis. Et in rebus quibus turbatur, inde cognoscitur quæ pars ministeriorum in causa sit, ut si poterit, medicina succurrat.

CAPUT XX. — *Aliud anima, aliud organa corporis.*

26. Namque aliud esse ipsam, aliud hæc ejus corporalia ministeria, vel vasa, vel organa, vel si quid aptius dici possunt, hinc evidentè elucet, quod plerumque se vehemènti cogitationis intentione avertit ab omnibus, ut præ oculis patentibus recteque valentibus multa posita nesciat; et si major intentio est, dum ambulabat, repente subsistat, avertens utique imperandi nutum a ministerio motionis qua pedes agebantur: si autem non tanta est cogitationis intentio, ut figat ambulanti loco, sed tamen tanta est ut partem illam cerebri mediam nuntiantem corporis motus non vacet advertere; obliviscitur aliquando et unde veniat, et quo eat, et transit imprudens villam quo tendebat, natura sui corporis sana, sed sua<sup>1</sup> in aliud advocata. Quapropter istas corporei cœli corporeas quasdam particulas, id est, lucis et aeris, quæ primæ excipiunt nutus animæ vivificantis, eo quod incorporeæ naturæ propinquiores sunt quam humor et terra, ut ad earum proximum ministerium tota moles administraretur, utrum Deus de hoc circumfuso et superfuso cœlo corpori viventis miscuerit, aut adjunxerit, an et ipsas de limo sicut carnem fecerit, non est ad rem pertinens quæstio. Omne quippe corpus in omne corpus mutari posse, credibile est: quodlibet autem corpus mutari posse in animam, credere absurdum est.

CAPUT XXI. — *Anima nequa ullo ex corpore, neque ullum corpus est.*

27. Quamobrem nec illud audiendum est, quod quidam putaverunt, quantum quoddam esse corpus unde sit anima<sup>2</sup>, quod nec terra, nec aqua sit, nec aer, nec ignis, sive iste turbulentiore atque terrenus, sive ille cœlestis purus et lucidus; sed nescio quid aliud quod careat usitato nomine, sed tamen corpus sit (*Cic. lib. 1 Tusc. quæst.*). Si enim qui hoc sentiunt, hoc dicunt corpus quod et nos, id est, naturam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine, spatium loci occupantem, neque hoc est anima, neque inde facta credenda est. Quidquid enim tale est, ut multa non dicam, in quæcumque sui parte lineis dividi vel circumscribi potest: quod anima si pateretur, nullo modo nosse posset tales lineas, quæ per longum secari non queunt, quales in corpore non posse inveniri nihilominus novit.

28. Nec ipsa sibi tale aliquid occurrit, cum se nescire non possit, etiam quando se ut cognoscat inquirat. Cum enim se quærit, novit quod se quærat; quod nosse non posset, si se non nosset. Neque enim

aliunde se quærit, quam a seipsa. Cum ergo quærentem se novit, se utique novit; et omne quod novit tota novit: cum itaque se quærentem novit, tota se novit, ergo et totam se novit: neque enim aliquid aliud, sed seipsam tota novit<sup>1</sup>. Quid ergo adhuc se quærit, si quærentem se novit? Neque enim si nesciret se, posset quærentem se scire se: sed hoc in præsentem; quod autem de se quærit, quid antea fuerit, vel quid futura sit quærit. Desinat ergo nunc interim suspicari se esse corpus; quia si aliquid tale esset, talem se nosset, quæ magis se novit quam cœlum et terram, quæ per sui corporis oculos novit.

29. Omitto dicere quia illud ejus quod etiam pecora habere intelliguntur, vel cœli volatilia cum habitacula sua seu nidos repetunt, quo capiuntur imagines omnium rerum corporalium, nullo modo cuiquam corpori simile est; et utique hoc potius corpori simile esse deberet, ubi corporearum rerum similitudines continentur. At si hoc corpus non est, quia certum est, eas similitudines corporum illic non solum memoriter detineri, verum etiam innumerabiles pro arbitrio figurari; quanto minus alia qualibet vi sua corpori esse anima similis potest?

30. Si autem corpus esse dicunt alia qualibet notione omne quod est, id est, omnem naturam atque substantiam; non quidem admittenda est ista locutio, ne non inveniamus quomodo loquentes, ea quæ corpora non sunt, a corporibus distinguamus: non tamen nimis est de nomine laborandum. Nam et nos dicimus, quidquid anima est, non esse horum quatuor notissimorum elementorum, quæ manifesta sunt corpora; sed neque hoc esse quod Deus est. Quid sit autem, non dicitur melius quam anima vel spiritus vitæ. Ideo enim additur, vitæ, quia et iste aer plerumque dicitur spiritus. Quamquam et animam eundem acrem appellaverunt, ut jam non possit inveniri nomen, quo proprie distinguatur ista natura, quæ nec corpus, nec Deus est, nec vita sine sensu, qualis potest credi in arboribus, nec vita sine rationali mente, qualis est in pecoribus; sed vita nunc minor quam Angelorum, et futura quod Angelorum, si ex præcepto sui creatoris hic vixerit.

31. Unde sit autem, id est, de qua velut materia facta sit, vel de qua perfecta beataque natura defluxerit, vel utrum omnino ex nihilo facta sit, etiamsi dubitatur, et quæritur; illud tamen minime dubitandum est, et si aliquid antea fuit, a Deo factum esse quod fuit, et eam nunc a Deo factam, ut anima viva sit: aut enim nihil fuit, aut hoc quod est non fuit. Sed illam partem, qua quærebamus quasi ejus materiam unde facta sit jam satis tractavimus.

CAPUT XXII. — *An causalis ratio animæ fuerit condita in diebus Genesios.*

32. Nunc, si omnino non fuit, quærendum est quomodo possit intelligi quod causalis ejus ratio fuisse dicebatur in primis sex diebus operibus Dei, quando fecit Deus hominem ad imaginem suam, quod nisi

<sup>1</sup> In editis, sua rī. Deest, rī, in omnibus prope Mas.

<sup>2</sup> Mas. plerique, unde sibi anima.

<sup>1</sup> In Mss. paucis, sed seipsam totam novit: quod, optinatur. erratum est.

secundum animam non recte intelligitur. Verendum est autem, ne cum dicimus non ipsis tunc naturas atque substantias quæ futuræ fuerant, Deum creasse, dum crearet omnia simul, sed earum futurarum causales quasdam rationes, putemur inania quædam dicere. Quæ sunt enim istæ causales rationes, secundum quas posset jam dici Deus fecisse hominem ad imaginem suam, cujus corpus nondum de limo fixerat, cui nondum animam afflando fecerat? Et corporis quidem humani etiamsi fuit aliqua occulta ratio, qua futurum erat ut formaretur, erat et materies de qua formaretur, id est terra, in qua videri potest illa ratio velut in semine latuisse: animæ autem faciendæ, id est status faciendi, qui esset anima hominis, quæ ibi ratio causalis primitus condita est, cum diceret Deus, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (quod nisi secundum animam recte intelligi non potest), si nulla erat natura ubi conderetur?

33. Si enim hæc ratio in Deo erat, non in creatura; nondum ergo erat condita: quomodo ergo dictum est, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei* (*Gen. 1, 26, 27*)? Si autem jam in creatura erat, hoc est, in iis quæ simul omnia creaverat Deus, in qua creatura erat? utrum spirituali, an corporali? Si spirituali, agebatne aliquid in corporibus mundi, seu cælestibus, seu terrestribus? An in ea erat hæc vacans antequam homo in sua natura propria conderetur, sicut in ipso homine jam propriam ducente vitam latenter otioseque inest ratio generandi, quæ non operatur, nisi per concubitum atque conceptum? An et illa natura creaturæ spiritualis<sup>2</sup>, in qua latente erat hæc ratio, nihil agebat sui operis? Et utquid creata erat? An ut contineret rationem futuræ animæ humanæ, vel futurarum animarum, tanquam in seipsis esse non possent, sed in aliqua creatura propria vita jam vivente, sicut generandi ratio non potest esse nisi in aliquibus jam existentibus perfectisque naturis? Pater ergo animæ instituta est aliqua creatura spiritualis, in qua sit ratio futuræ animæ, quæ non inde existat, nisi cum eam Deus homini inspirandum facit. Neque enim et ex homine fetum vel seminis vel ipsius jam proles creat et format nisi Deus, per Sapientiam attingentem ubique propter suam munditiam, ita ut nihil inquinatum in eam incurrat (*Sap. vii, 24 et 25*), dum pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Id. viii, 1*). Sed nescio quemadmodum possit intelligi, ad hoc tantum creatam nescio quam creaturam spiritualem, quæ in Dei conditionibus per illos sex dies factis non commemoraretur, cum Deus hominem sexto die fecisse dictus est, quem nondum in propria natura fecerat, sed adhuc ratione causaliter in illa creatura quæ commemorata non est. Magis enim debuit ipsa commemorari, quæ sic consummata erat, ut non adhuc esset secundum suæ causæ præcedentem rationem faciendæ.

<sup>1</sup> Er. et Lov., unde. At Am. et Mss., ubi.

<sup>2</sup> Editi: *in illa creatura spiritualis*. Prætulimus hic lectionem Mss. consensione firmatam.

CAPUT XXIII. — *An illa causalis ratio animæ fuerit inserta in angelica natura.*

34. An forte in illius diei natura, quem primitus condidit, si spiritus intellectualis dies ille recte accipitur, hanc faciendæ animæ causalem rationem Deus inseruit, cum sexto die fecit hominem ad imaginem suam; causans scilicet rationemque præfigens secundum quam eam post illos septem dies faceret; ut videlicet corporis ejus causalem rationem in natura terræ, animæ autem in natura illius diei creasse credatur? Sed quid aliud dicitur, cum hoc dicitur; nisi angelicum spiritum quasi parentem esse animæ humanæ, si sic in illo inest animæ humanæ creandæ præcondita ratio, sicut in homine futuræ proles suo: ut corporum quidem humanorum parentes homines sint, animarum autem Angeli, creator vero et animarum et corporum Deus, sed corporum ex hominibus, animarum ex Angelis; aut prioris corporis ex terra, et prioris animæ ex angelica natura, ubi rationes eorum causales præfixerat, quando primitus fecit hominem in iis quæ simul omnia creavit; deinceps vero jam homines ex hominibus, corpus ex corpore, animam ex anima? Durum est hoc, Angeli aut Angelorum filiam dicere esse animam: sed multo durius, cæci corporei; quanto magis ergo, maris et terræ? Multo minus igitur in aliqua corporali creatura, causalis animæ ratio præcondita est, cum faceret Deus hominem ad imaginem suam, antequam eum suo tempore de limo formatum flatu animaret, si absurde creditur animam causaliter in natura angelica condidisse.

CAPUT XXIV. — *Anima an creata sit priusquam corpori inserta.*

35. Illud ergo videamus, utrum forsitan verum esse possit, quod certe humanæ opinioni tolerabilis mihi videtur, Deum in illis primis operibus quæ simul omnia creavit, animam etiam humanam creasse, quam suo tempore membris ex limo formati corporis inspiraret, cujus corporis in illis simul conditis rebus rationem creasset causaliter, secundum quam fieret, cum faciendum esset, corpus humanum. Nam neque illud quod dictum est, *ad imaginem suam*, nisi in anima; neque illud quod dictum est, *masculum et feminam*, nisi in corpore recte intelligimus. Creditur ergo, si nulla Scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio causaliter in elementis mundi; anima vero jam ipsa crearetur, sicut primitus conditus est dies, et creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est inspirando, formato ex limo corpori insereret.

CAPUT XXV. — *Anima si extra corpus existebat, an suo tempore ad corpus venerit.*

36. Sed hic rursus non speranda oritur questio. Si enim jam facta erat anima, et latebat, ubi ei posset esse melius quam ibi? Quid ergo fuit causæ ut anima innocenter vivens insereretur vitæ hujus carnis, in qua peccando, ipsum qui eam creavit offenderet; unde eam merito sequeretur laboris ærumna



damnationisque cruciatus? An illud dicendum est, quod ad corpus administrandam voluntate propria fuerit inclinata, in qua vite corporis, quoniam et iuste et iniuste vivi potest, quod eligeret hoc haberet, vel præcipuum de iustitia, vel de iniquitate explicitum, ut nec illi apostolica sententiæ sit contrarium, qua dicit nondum natos nihil egisse boni seu mali (Rom. ix, 11)? Illa quippe inclinatio voluntatis ad corpus, nondum actio vel iustitiæ vel iniquitatis, de qua ratio reddenda est in iudicio Dei, receptum unoquoque secundam ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum (II Cor. v, 10). Cur ergo non jam et illud credatur, quod Dei nutu ad corpus venerit; ubi si vellet secundum præceptum ejus agere, mercedem acciperet vite æternæ, atque Angelorum societatis<sup>1</sup>: si autem contemneret, poenas justissimas lueret, sive laboris diurni, sive ignis æterni? An quia hoc ipsum, Deo volenti obtemperasse, jam utique actio bona est, et erit contrarium nondum natos nihil egisse vel boni vel mali?

CAPUT XXVI. — *Anima si proprio nutu corpori inserta, non fuit præscia futuri. Liberum arbitrium.*

37. Quæ si ita sunt, faciemur etiam non in eo proprio genere animam præsciam creatam, ut esset præscia futuri operis sui, vel iusti, vel iniqui. Nihil quippe incredibile est eam potuisse propria voluntate inclinari ad corporis vitam, si se ita in quibusdam peccaturam præsciret, ut iuste supplicio perpetuo puniretur. Iuste sane Creator laudatur in omnibus quæ fecit omnia bona valde. Neque enim ex iis tantum laudandus est, quibus præscientiam dedit; cum recte laudetur etiam quia pecora creavit, quibus est natura humana præstantior etiam in ipsis peccantibus. Natura quippe hominis ex Deo est, non iniquitas, qua se ipse involvit male utendo libero arbitrio: quod tamen si non haberet, in natura rerum minus excelleret. Cogitandus quippe est homo iuste vivens etiam non præscius futurorum, et ibi videndum est, excellens voluntatis bonæ quam non impediatur ad recte vivendum et Deo placendum, quod ignarus futuri vivit ex fide. Huiusmodi ergo creaturam quisquis esse nolit in rebus, contradicit Dei bonitati. Quisquis autem poenas eam non vult luere pro peccatis, inimicus est æquitati.

CAPUT XXVII. — *Animam naturali appetitu ferri in corpus.*

38. Sed si ad hoc sit anima, ut mittatur in corpus, quæri potest utrum, si noluerit, compellatur. Sed melius creditur hoc naturaliter velle, id est, in ea natura creari ut velit, sicut naturale nobis est velle vivere: male autem vivere jam non est naturæ, sed perversæ voluntatis quam iuste poena consequitur.

39. Frustra ergo jam queritur ex qua veluti materie facta sit anima, si recte intelligi potest in primis illis operibus facta, cum factus est dies. Sicut enim illa quæ non erant, facta sunt, sic et hæc inter illa. Quod si ex materie aliqua formabilis fuit, et corpo-

<sup>1</sup> editi, societatem: cujus loco Mss., societatis.

ralis et spiritualis, non tamen et ipsa instituta nisi a Deo, ex quo sunt omnia, quæ quidem formationem suam non tempore, sed origine præcederet, sicut vox cantum; quid nisi de materia spiritali facta anima congruentius creditur?

CAPUT XXVIII. — *Difficultates, cum dicitur animam Adæ non prius creatam quam ejus corpori inspiratam fuisse.*

40. Si autem aliquis non vult eam existimare factam, nisi eum jam formato corpori est inspirata, videat quid respondeat, cum queritur unde facta sit. Aut enim ex nihilo dicturus est Deum aliquid fecisse vel facere post illam consummationem operum suorum; et debet intueri quomodo explicet sexto die factum hominem ad imaginem Dei (quod nisi secundum animam recte intelligi non potest), id est, in qua natura causalis ratio facta fuerit ejus rei quæ nondum fuit: aut non de nihilo, sed de aliquo jam existente factam dicit animam; et laborabit inquirendo quenam illa natura sit, an corporalis, an spiritalis, secundum eas questiones quas superius versavimus; manente illa quoque molestia, ut adhuc queratur in qua substantia creaturarum in sex diebus primitus conditarum, causalem illam rationem fecerit animam, quam nondum de nihilo, vel de aliquo fecerat.

41. Quam si eo modo devitare voluerit, ut dicat, sexto die etiam de limo factum esse hominem, sed hoc recapitulando postea commemoratum; videat de muliere quid dicat, quia masculum et feminam, dixit, fecit eos, et benedixit eos (Gen. i, 27, 28). Quod si et ipsam eo die factam esse de viri osse responderit, attendat quomodo asserat sexto die facta volatilia, quæ adducta sunt ad Adam, cum Scriptura omne genus volatillum quinto die creatum ex aquis insinuet; item sexto die ligna etiam quæ in paradiso plantata sunt, cum eadem Scriptura hoc creaturæ genus tertio die tribuerit. Ipsa etiam verba consideret quid sit, *Ejecit adhuc de terra omne lignum pulchrum ad aspectum, et bonum ad escam*; tanquam illa quæ tertio die terra eiecerat, non erant pulchra ad aspectum et bona ad escam, cum in his essent operibus quæ fecit Deus omnia bona valde: quid sit etiam, *Fixit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cæli* (Id. ii, 19); tanquam illa non fuerint omnia, quæ primo producta erant, vel potius nulla ante producta erant. Neque enim dictum est, *Et fixit Deus adhuc de terra cæteras bestias agri, et cætera volatilia cæli*, quasi quæ minus vel terra sexto, vel aqua quinto die produxerit; sed, *omnes bestias, inquit, et omnia volatilia*. Necnon et illud cogitet, quemadmodum Deus et sex diebus fecerit omnia; primo, ipsum diem; secundo, firmamentum; tertio, speciem maris et terræ, atque ex terra herbam et ligna; quarto, luminaria et sidera; quinto, aquarum animalia; sexto, terræ; et postea dicatur, *Cum factus est dies, fecit Deus cælum et terram, et omne viride agri*: quandoquidem cum factus est dies, non fecit nisi ipsum diem. Quomodo etiam omne viride agri fecerit antequam esset suncr terram, et ceterum

omne antequam exoriretur (*Gen. ii, 4, 5*). Tunc enim factum cum exortum est, non antequam exoriretur, quis non diceret, nisi Scripturæ verba revocarent? Meminerit etiam scriptum esse, *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul (Eccli. xviii, 1)*; et videat quemadmodum simul creata dici possint, quorum creatio spatiis temporalibus distat, non horarum tantum, sed etiam dierum. Curet quoque ostendere quomodo utrumque sit verum, quod contrarium videri potest, et Deum in die septimo ob omnibus operibus suis requiescisse, quod Geneseos liber dicit (*Gen. ii, 2*), et usque nunc eum operari, quod Dominus dicit (*Joan. v, 17*). Respicat etiam quæ dicta sunt consummata, quomodo eadem dicta sint inchoata.

42. His enim omnibus divinæ Scripturæ testimoniis, quam esse veracem nemo dubitat nisi infidelis aut impius, ad illam sententiam ducti sumus, ut diceremus Deum ab exordio sæculi primum simul omnia creavisse, quædam conditis jam ipsis naturis, quædam præconditis causis; sicut non solum præsentia, verum etiam futura fecit<sup>1</sup> omnipotens, et ab eis factis requievit, ut eorum deinceps administratione atque regimine crearet etiam ordines temporum et temporalium: qui et consummaverat ea propter omnium generum terminationem, et inchoaverat propter sæculorum propagationem, ut propter con-

<sup>1</sup> Ita veteres codices. At vulgati ferunt, sic ut non solum præsentia, verum etiam futura fecerit. Pauloque post, requiescit et earum deinceps, etc.

summata requiesceret, et propter inchoata usque nunc operetur. Sed si possunt hæc melius intelligi, non solum non resisto, verum etiam faveo.

43. Nunc tamen de anima, quam Deus inspiravit homini sufflando in ejus faciem, nihil confirmo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei; et sit incorporea, id est, non sit corpus<sup>1</sup>, sed spiritus; non de substantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed factus a Deo; nec ita factus ut in ejus naturam natura ulla corporis vel irrationalis animæ verteretur; ac per hoc, de nihilo: et quod sit immortalis secundum quemdam vitæ modum, quem nullo modo potest amittere; secundum quamdam vero mutabilitatem, qua potest vel deterior vel melior fieri, non immerito etiam mortalis. possit intelligi; quoniam veram immortalitatem solus ille habet, de quo proprie dictum est, *Qui solus habet immortalitatem (1 Tim. vi, 16)*. Cætera quæ in hoc libro disputando locutus sum, ad hoc valeant legenti, ut audiverit quemadmodum sine affirmandi temeritate quærenda sint quæ non aperte Scriptura loquitur; aut, si ei quærendi modus iste non placet, quemadmodum ipse quæsierim sciat, ut si me potest docere non abnuat, si autem non potest, a quo ambo discamus mecum requirat.

<sup>1</sup> Habebant excusæ: *Ut non sit substantia Dei, et sic incorporea, ut non sit corpus. At Mss., ut non sit substantia Dei, et sit incorporea, id est, non sit corpus.*

## LIBER OCTAVUS.

De eo quod legitur *Gen. 2, vers. 8: Et plantavit Deus paradysum in Eden, etc.*, usque ad illud, *vers. 17: De ligno autem cognoscendi bonum et malum non manducabitis de illo, etc.*



CAPUT PRIMUM. — *Paradysus in Eden plantatus et proprie et figurate accipiendus.*

1. *Et plantavit Deus paradysum in Eden ad orientem, et posuit ibi hominem quem finxit.* Non ignoro de paradiso multos multa dixisse; tres tamen de hac re quasi generales sunt sententiæ. Una eorum qui tantummodo corporaliter paradysum intelligi volunt: alia eorum qui spiritualiter tantum; tertia eorum qui utroque modo paradysum accipiunt; alias corporaliter, alias autem spiritualiter. Breviter ergo ut dicam, tertiam mihi fateor placere sententiam. Secundum hanc suscepi nunc loqui de paradiso, quod Dominus donare dignabitur, ut homo factus e limo, quod utique corpus humanum est, in paradiso corporali collocatus intelligatur: ut quemadmodum ipse Adam, etsi aliquid aliud significat secundum id quod eum formam futuri dixit esse Apostolus (*Rom. v, 14*), homo tamen in natura propria expressus accipitur, qui vixit certo numero annorum, et propagata numerosa prole mortuus est, sicut moriuntur cæteri homines, etsi non sicut cæteri ex parentibus natus, sed sicut primitus oportebat ex terra factus est; ita et paradysus, in quo eum collocavit Deus, nihil aliud quam locus quidam intelligatur, terra scilicet ubi habitaret homo terrenus.

2. Narratio quippe in his libris non genere locutionis figuratarum rerum est, sicut in Cantico canticorum, sed omnino gestarum, sicut in Regnorum libris et hujuscemodi cæteris. Sed quia illic ea dicuntur quæ vitæ humanæ usus notissimus habet, non difficile, imo promptissime primitus accipiuntur ad litteram, ut deinde ex illis quid etiam saturorum res ipsæ gestæ significaverint, exculpatur: hic autem quia ea dicuntur quæ usitatum naturæ cursum influentibus non occurrant, nolunt ea quidam proprie, sed figurate dicta intelligi; atque ex illo loco volunt incipere historiam, id est, rerum proprie gestarum narrationem, ex quo dimissi de paradiso Adam et Eva convenerunt atque genuerunt. Quasi vero usitatum nobis sit, vel quod tot annos vixerunt, vel quod Enoch translatus est, vel quod et grandæva et sterilis peperit, et cætera hujusmodi.

3. Sed alia est, inquit, narratio factorum mirabilium, alia institutarum creaturarum. Illic enim ea ipsa insolita ostendunt alios esse tanquam naturales modos rerum, alios miraculorum, quæ magna nominantur; hic autem ipsa insinuat institutio naturarum. Quibus respondetur, Sed ideo insolita et ipsa, quia prima. Nam quid tam sine exemplo, et sine pari

facto in rerum mundanarum constitutione quam mundus? Num ideo credendum non est Deum fecisse mundum, quia jam non facit mundos; aut non fecisse solem, quia jam non facit soles? Et hoc quidem non de paradiso, sed de ipso homine permotis debuit responderi: nunc vero cum ipsum sic credant a Deo factum, sicut alius nullus factus est; cur paradisi volunt ita factum credere, quemadmodum nunc vident silvas fieri?

4. Ad eos quippe loquor, qui auctoritatem harum Litterarum sequuntur: eorum enim quidam non proprie, sed figurate paradisi intelligi volunt. Nam qui omnino adversantur his litteris, alias cum eis atque aditer egimus (*Lib. de Gen. cont. Manich.*): quanquam et hæc in hoc ipso opere nostro, quantum valeamus, ita defendamus ad litteram, ut qui non rationabiliter moti, propter animum pervicacem vel hebetem, credere ista detrectant, nullam tamen inveniant rationem unde falsa esse convincant. Verum isti nostri qui fidem habent his divinis Libris, et nolunt paradisi ad proprietatem litteræ intelligi, locum scilicet amœnissimum fructuosum nemoribus opacatum, eundemque magnum et magno fonte secundum, cum videant nulla humana opera tot ac tanta vireta silvescere occulto opere Dei; miror quemadmodum credunt ipsum hominem ita factum, quemadmodum nunquam viderunt. Aut si et ipse figurate intelligendus est, quis genuit Cain, et Abel, et Seth? An et ipsi figurate tantum fuerunt, non etiam homines ex hominibus nati? De proximo ergo attendant istam præsumptionem quo tendat, et conentur nobiscum cuncta primitus quæ gesta narrantur in expressionem proprietatis accipere. Quis enim eis postea non faveat intelligentibus quid ista etiam figurata significatione commoneant, sive ipsarum spiritualium naturarum vel affectionum, sive rerum etiam futurarum? Sane si nullo modo possent salva fide veritatis ea, quæ corporaliter hic nominata sunt, corporaliter etiam accipi, quid aliud remaneret, nisi ut ea potius figurate dicta intelligeremus, quam Scripturam sanctam impie culparem? Porro autem si non solum non impediunt, verum etiam solidius asserunt divini eloquii narrationem hæc etiam corporaliter intellecta; nemo erit, ut opinor, tam infideliter pertinax, qui cum ea secundum regulam fidei exposita proprie viderit, malit in pristina remanere sententia, si forte illi visa fuerant, non nisi figurate posse accipi.

CAPUT II. — *Genesisim alias contra Manichæos cur secundum allegoriam exposuerit.*

5. Nam et ego contra Manichæos, qui has litteras Veteris Testamenti non aliter quam oportet accipiendo errant, sed omnino non accipiendo et detestando blasphemant, duos conscripsi libros recenti tempore conversionis meæ; cito volens eorum vel confutare deliramenta, vel erigere intentionem ad querendam in Litteris quas oderunt, christianam et evangelicam fidem. Et quia non mihi tunc occurrebant omnia quemadmodum proprie possent accipi, magisque non posse

! Mss. nonnulli, figuræ.

accipi videbantur, aut vix posse aut difficile; ne retardarer, quid figurate significarent ea quæ ad litteram non potui invenire, quanta valui brevitate et perspicuitate explicavi, ne vel multa lectione vel disputationis obscuritate deterriti, in manus ea sumere non curarent. Memor tamen quid maxime volumus nec potuerim, ut non figurate sed proprie primitus cuncta intelligerentur, nec omnino desperans etiam sic posse intelligi, id ipsum in prima parte secundi libri ita posui. *Sane, inquam, quisquis voluerit omnia quæ dicta sunt, secundum litteram accipere, id est, non aliter intelligere quam littera sonat, et potest evitare blasphemias; et omnia congruentia fidei catholicæ prædicare; non solum ei non est invidendum, sed præcipuus multumque laudabilis intellectus habendus est. Si autem nullus exitus datur, ut pie et digne Deo quæ scripta sunt intelligantur, nisi figurate atque in ænigmatibus proposita ista credamus; habentes auctoritatem apostolicam, a quibus tam multa de libris Veteris Testamenti solvantur ænigmata, modum quem intendimus teneamus, adjuvante illo qui nos petere, querere et pulsare adhortatur (*Matth. vii, 7*): ut omnes istas figuras rerum secundum catholicam fidem, sive quæ ad historiam, sive quæ ad prophetiam pertinent, explicemus; non præjudicantes meliori diligentiorique tractatui, sive per nos, sive per alios, quibus Dominus revelare dignatur (*De Gen. contra Manich. lib. 2, cap. 2*). Hæc tunc dixi. Nunc autem quia voluit Dominus ut ea diligentius intuens atque considerans, non frustra, quantum opinor, existimarem etiam per me posse secundum propriam, non secundum allegoricam locutionem hæc scripta esse monstrari, sicut ea quæ superius valui ostendere; sic etiam quæ sequuntur de paradiso perscrutemur.*

CAPUT III. — *De vers. 8 et 9, ubi rursus de creatione ligni.*

6. Plantavit ergo Deus paradisi in deliciis (hoc est enim in Eden) ad orientem, et posuit ibi hominem quem finxerat. Sic enim scriptum est, quia sic factum est. Deinde recapitulat, ut hoc ipsum quod breviter posuit, ostendat quemadmodum factum sit; hoc est, quemadmodum paradisi Deus plantaverit, et illic hominem, quem finxerat, constituerit. Sic enim sequitur: *Et ejecit adhuc Deus de terra omne lignum pulchrum ad aspectum, et bonum ad escam.* Non dixit, *Et ejecit de terra Deus aliud lignum vel cæterum lignum; sed, Ejecit, inquit, adhuc de terra omne lignum pulchrum ad aspectum, et bonum ad escam.* Jam ergo tunc produxerat terra omne lignum et pulchrum ad aspectum, et bonum ad escam, hoc est tertio die: nam sexto die dixerat, *Ecce dedi vobis omne pabulum seminale, seminans semen, quod est super omnem terram; et omne lignum fructiferum, quod habet in se fructum seminis seminalis, quod erit vobis ad escam* (*Gen. 1, 29*). Num ergo aliud eis tunc dedit, aliud nunc dare voluit? Non opinor: sed cum ex his generibus sint ista ligna instituta in paradiso, quæ jam terra tertio die produxerat, adhuc ea produxit in tempore suo: quia tunc scilicet, quod scriptum est, ea produxisse

terram, causaliter factum erat in terra; hoc est, quia tunc ea prodecondi virtutem latenter acceperat, qua virtute fit ut etiam nunc talia terra progignat in manifesto atque in tempore suo.

7. Verba ergo Dei sexto die dicentis, *Ecces dedi vobis omne pabulum seminale seminans semen, quod est super omnem terram*, et cætera, non sonabili vel temporali voce prolata verba sunt, sed sicut in ejus Verbo est creandi potentia. Dicit autem hominibus, quid sine temporalibus sonis Deus dixerit, non nisi per temporales sonos potuit. Futurum enim erat ut homo jam de limo formatus, et flatus ejus animatus, et quicquid ex illo humani generis existisset, uteretur eis ad escam, quæ super terram exortura erant ex illa virtute generandi, quam terra jam acceperat. Cujus futuri causales rationes in creatura condens, tanquam jam existisset, loquebatur interna atque intima veritate, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, sed Spiritus ejus ascribenti utique revelavit.

CAPUT IV. — *De altera parte vers. 9, lignum vitæ et vere creatum esse, et sapientiam figurasse.*

8. Illud plane quod sequitur, *Et lignum vitæ in medio paradisi, et lignum scientiæ dignoscendi bonum et malum*, diligentius considerandum est, ne cogat in allegoriam, ut non ista ligna fuerint, sed aliud aliquid nomine ligni significant. Dictum est enim de sapientia: *Lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam* (Prov. iii, 18). Verumtamen cum sit Jerusalem æterna in cælis, etiam in terra civitas qua illa significaretur, condita est; et Sara et Agar quamvis duo Testamenta significarent, erant tamen quædam etiam mulieres duæ (Galat. iv, 24-26); et cum Christus per ligni passionem fluente spiritali nos irriget, erat tamen et petra, quæ aquam sitienti populo ligno percussa manavit, de qua diceretur, *Petra autem erat Christus* (1 Cor. x, 4). Aliud quam erant illa omnia significaverunt, sed tamen etiam ipsa corporaliter fuerunt. Et quando a narrante commemorata sunt, non erat illa figurata locutio, sed earum rerum expressa narratio, quarum erat figurata præcessio. Erat ergo et lignum vitæ, quemadmodum petra Christus: nec sine mysteriis rerum spiritalium corporaliter præsentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis cæteris alimentum, in illo autem sacramentum; quid significans, nisi sapientiam, de qua dictum est, *Lignum vitæ est amplectentibus eam*: quemadmodum de Christo diceretur, *Petra manans est sitientibus eam*? Recte quippe appellatur quod ad eum significandum præcessit. Ipse est ovis quæ immolatur in Pascha; tamen et illud non tantum dicendo figurabatur, sed etiam faciendo. Neque enim ovis illa non erat ovis; plane ovis erat, et occidebatur, et manducabatur (Exod. xii, 3-11): et tamen eo vero facto, aliud etiam quiddam figurabatur. Non sicut ille vitulus saginatus, qui minori filio revertenti in epulas cæsus est (Luc. xv, 23). Ibi quippe ipsa narratio figurarum est, non rerum figurata significatio gestarum. Non enim hoc evangelista, sed Dominus ipse narravit: evangelista vero hoc Domi-

nus narrasse narravit. Proinde quod narravit evangelista, etiam factum est; Dominum scilicet talia locutum fuisse: ipsius autem Domini narratio parabola fuit, de qua nunquam exigitur ut etiam ad litteram facta monstrantur, quæ sermone proferuntur. Christus est et lapis unctus a Jacob (Gen. xxviii, 18), et lapis reprobatus ab ædificantibus, qui factus est in caput anguli (Psalm. cxvii, 22): sed illud etiam in rebus gestis factum est, hoc autem tantum in figuris prædictum. Illud quippe scripsit narrator rerum præteritarum, hoc prænnuntiat tantummodo laterarum.

CAPUT V. — *De eodem ligno vitæ, ipsum et figuram et nihilominus rem veram fuisse.*

9. Sic et Sapientia, idem ipse Christus, lignum vitæ est in paradiso spiritali, quo misit de cruce latronem (Luc. xxiii, 43): creatum<sup>1</sup> est autem, quod eam significaret, lignum vitæ etiam in paradiso corporali; quia hoc illa Scriptura dixit, quæ res suis temporibus gestas narrans, et hominem corporaliter factum, et in corpore viventem ibi constitutum esse narravit. Aut si quisquam putat animas, cum a corpore excesserint, locis corporaliter visibilibus contineri, cum sint sine corpore, asserat sententiam suam: non deerunt qui sic faveant, ut illum etiam divitem sitientem in loco utique corporali fuisse contendat, ipsamque animam omnino esse corpoream, propter arentem linguam et stillam aquæ de Lazari digito concupitam (Id. xvi, 24), prænnuntiare non dubitent, cum quibus ego de tam magna quæstione nulla temeritate confingo. Melius est enim dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Illum quippe divitem in ardore poenarum et illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos esse non dubito. Sed quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahamæ, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii, vix fortasse a mansuete quærentibus, a contentiose autem certantibus nunquam invenitur. Cito sane respondendum est, ne nos profunda ista quæstio, et multis sermonibus indigens tardet. Si corporalibus locis animæ continentur, etiam exiit corporibus; potuit ille latro in eum introduci paradysum, ubi fuerat corpus primi hominis; ut aptiore Scripturarum loco, si ulla necessitas flagitaverit, etiam de hac re quid vel quæramus vel arbitremur, utcumque promamus.

10. Nunc vero, quod sapientia non sit corpus, et ideo nec lignum, nec dubito, nec dubitari a quoquam puto: potuisse autem per lignum, id est, per corpoream creaturam, tanquam sacramento quodam significari sapientiam in paradiso corporali, ille credendum non existimat, qui vel tam multa in Scripturis rerum spiritalium corporalia sacramenta non videt, vel hominem primum cum ejusmodi aliquo sacramento vivere non debuisse contēdit; cum Apostolus dicat etiam hoc quod de muliere dixit, quam ei factam esse de latere credimus, *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adheret uxori suæ; et erunt duo in carne una* (Gen. ii, 24); *sacramentum magnum esse in Christo et in Ecclesia* (Ephes. v, 31, 32). Mirum est autem,

<sup>1</sup> Editi, certum. At Mss. decem, creatum.

et vix ferendum, quemadmodum velint homines paradysum figurate dictum, et nolint etiam figurate factam. Quod si concedant sicut de Agar et Sara, sicut de Iamuel et Isaac, hæc quoque et facta, et tamen etiam figurata; cur non admittant etiam lignum vitæ, et vere aliquod signum fuisse, et tamen sapientiam figurasse, non video.

11. Illud quoque addo, quanquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabiliri cerneretur, non sicut ex alio cibo, sed per nulla inspiratione salubritatis occulta. Profecto enim licet vitæ panis, aliquid tamen amplius habuit, cujus una collyride (a) hominem Deus ab indigentia famis dierna quadraginta spatia viadicavit (III Reg. XIX, 8). An forte credere dubitabimus, per alicujus arboris cibum, cujusdam altioris significantis gratia, homini Deum præstitisse ne corpus ejus vel infirmitate vel ætate in deterius mutaretur, aut in occasum etiam laboretur; qui ipsi cibo humano præstitit tam mirabilem statum, ut in fictissimis vasculis farina et oleum deficientes reficeret, nec deficeret (Id. XVII, 6)? Jam hic de genere contentiosorum quisquam existat, et dicat Deum in terris nostris miracula tanta facere debuisse, in paradiso autem non debuisse: quasi vero non vel de pulvere hominem, vel de latere viri mulierem, majus sibi miraculum fecit, quam quod hic mortuos suscitavit.

CAPUT VI. — *Lignum scientiæ boni et mali arbor vera et innocua. Obedientia. Inobedientia.*

12. Sequitur ut videamus de ligno scientiæ dignoscendi bonum et malum. Prorsus et hoc lignum erat visibile ac corporale, sicut arbores cæteræ. Quod ergo lignum esset, non est dubitandum; sed cur hoc nomen acceperit, requirendum. Mihi autem etiam atque etiam consideranti dici non potest quantum placeat illa scientia, non fuisse illam arborem cibo noxiam; neque enim qui fecerat omnia bona valde (Gen. I, 31), in paradiso instituerat aliquid mali: sed malum fuisse hominî transgressionem præcepti. Oportebat autem ut homo sub Domino Deo positus alicunde prohiberetur, ut ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, quam possum verissime dicere solam esse virtutem omni creaturæ rationali agentî sub Dei potestate, primumque esse et maximum vitium tumoris ad ruinam sua potestate velle uti, cujus vitii nomen est inobedientia. Non esset ergo unde se homo Dominum habere cogitaret atque sentiret, nisi aliquid ei juberetur. Arbor itaque illa non erat mala, sed appellata est scientiæ dignoscendi bonum et malum, quia si post prohibitionem ex illa homo ederet, in illa erat præcepti futura transgressio, in qua homo per experimentum pœnæ disceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, et inobedientiæ malum. Proinde et hoc non in figura dictum, sed quoddam vere lignum accipiendum est; cui non de fructu vel pomo quod inde nasceretur, sed ex ipsa re nomen impositum est, quæ illo contra vetitum tacto fuerat secutura.

(a) Collyride pane subcinericio, quem alio nomine *colluram* vocant.

CAPUT VII. — *De vers. 10, 11, 13 et 14; illis accipienda esse vera flumina. Tiberis prius Abuda. Nilus, qui prius Geon. Gangea, qui prius Phison.*

13. Flumen autem exiit de Eden, quod irrigabat paradysum, et inde divisum est in quatuor partes. Ex his unum nomen est Phison; hoc est quod circuit totam terram Evilath, ubi est aurum: aurum autem terræ illius bonum, et ibi est carbunculus, et lapis prasinus. Et nomen flumini secundo Geon; hoc est quod circuit totam terram Æthiopiæ. Flumen autem tertium Tigris; hoc est quod fuit contra Assyrios. Flumen autem quartum Euphrates. De his autem fluminibus quid amplius satagim confirmare quod vera sint flumina, nec figurate dicta quæ non sint, quasi tantummodo aliquid nomina ipsa significant, cum et regionibus per quas fluunt notissima sint, et omnibus fere gentibus diffamata? Quinimo ex his, quoniam constat ea prorsus esse (nam duobus eorum nomina vetustas mutavit, sicut Tiberis dicitur fluvius qui prius Abuda vocabatur; Geon quippe ipse est, qui nunc dicitur Nilus; Phison autem illo dicebatur, quem nunc Gangen appellant; duo vero cætera, Tigris et Euphrates, antiqua etiam nomina tenuerunt), nos admoneri oportet cætera quoque primitus ad proprietatem litteræ accipere, non in eis figuratam locutionem putare, sed res ipsas quæ ita narrantur et esse, et aliquid etiam figurare. Non quia non posset parabola locutionis assumere aliquid de re quam non proprie quoque esse constaret, sicut de illo Dominus loquitur, qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones (Luc. x, 30): quis enim non sentiat et plane videat esse parabolam, locutionemque illam totam esse figuratam? verum duæ civitates quæ ibi nominatæ sunt, hodieque in locis propriis demonstrantur. Sed hoc modo acciperemus et quatuor hæc flumina, si cætera quæ de paradiso narrantur, non proprie sed figurate accipere ulla necessitas cogeret: at nunc cum primitus proprie res ipsas intelligere ratio nulla prohibeat, cur non potius auctoritatem Scripturæ simpliciter sequimur in narratione rerum gestarum, res vere gestas prius intelligentes, tum demum quidquid aliud significant perscrutantes?

14. An eo movebimur, quod de his fluminibus dicitur, aliorum esse fontes notos, aliorum autem prorsus incognitos, et ideo non posse accipi ad litteram; quod ex uno paradisi flumine dividuntur? cum potius credendum sit, quoniam locus ipse paradisi a cognitione hominum est remotissimus, inde quatuor aquarum partes dividi, sicut fidelissima Scriptura testatur; sed ea flumina, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi iisse sub terras, et post tractus prolixarum regionum locis aliis erupisse, ubi tanquam in suis fontibus nota esse perhibentur. Nam hoc solere nonnullas aquas facere, quis ignorat? Sed ibi hoc scitur, ubi non diu sub terris currunt. Exibat ergo flumen de Eden, id est de loco deliciarum, et irrigabat paradysum, id est ligna omnia pulchra atque fructuosa, quæ omnem terram regionis illius opacabant.

<sup>1</sup> Abest non ab Fr. M.

CAPUT VIII. — *Ds vers. 15; an homo positus in paradiso ut agriculturæ operam daret.*

15. *Et suscipit Dominus Deus hominem quem fecit, et posuit eum in paradiso, ut operaretur et custodiret. Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens: Ab omni ligno quod est in paradiso esca edes<sup>1</sup>; de ligno autem cognoscendi bonum et malum, non manducabitis de illo. Quod die autem ederitis ab eo, morte moriemini.* Cum superius breviter dixerit Deum plantasse paradysum, et constituisse ibi hominem quem fluxerat, recapitulavit ut narraret quomodo sit paradysus constitutus. Nunc ergo et illud recapitulando commemoravit quomodo ibi Deus posuerit hominem quem fecit. Videmus itaque quid sit quod dictum est, *ut operaretur et custodiret.* Quid *operaretur*, et quid *custodiret*? Numquid forte agriculturam Dominus voluit operari primum hominem? An non est credibile quod eum ante peccatum damnaverit ad laborem? Ita sane arbitræmur, nisi videremus cum tanta voluptate animi agricolari quosdam, ut eis magna poena sit inde ad aliud avocari. Quidquid ergo deliciarum habet agriculturæ, tunc utique longe amplius erat, quando nihil accidebat adversi, vel terra vel cælo. Non enim erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis, cum ea quæ Deus creaverat, humani operis adjutorio lætius feraciusque provenirent; unde Creator ipse uberius laudaretur, qui animæ in corpore animali constitutæ rationem dedisset operandi, ac facultatem, quantum animo volenti satis esset, non quantum invitum indigentia corporis cogeret.

16. Quod enim majus mirabiliusque spectaculum est, aut ubi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui potest, quam cum positus seminibus, plantatis surculis, translatis arbusculis, insitis malleolis, tanquam interrogatur quæque vis radicis et geminis quid possit, quidve non possit; unde possit, unde non possit; quid in ea valeat numerorum invisibilis interiorque potentia, quid extrinsecus adhibita diligentia: inque ipsa consideratione perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (1 Cor. iii, 7); quia et illud operis quod accedit extrinsecus, per illum accedit, quem nihilominus creavit, et quem regit atque ordinat invisibiliter Deus?

CAPUT IX. — *Agriculturæ opus allegorice.*

17. Hinc jam in ipsum mundum, vel in quamdam magnam arborem rerum, oculus cogitationis attollitur; atque in ipso quoque gemina operatio providentiæ reperitur, partim naturalis, partim voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei administrationem, qua etiam lignis et herbis dat incrementum; voluntaria vero, per Angelorum opera et hominum. Secundum illam primam cœlestia superius ordinari, inferiusque terrestria; luminaria sideraque fulgere, diei noctisque vices agitari, aquis terram fundatam interlui atque circumlui, aerem alius superfundendi, arbusta et animalia concipi et

<sup>1</sup> Hic et paulo post omnes Lov. Mss. ferunt; *escam edes*. Et contra Er. Lugd. Ven. nunc legunt, *escam edes*, nunc. *esca edes* nunc. *edes ad escam*. M.

nasci, crescere et senescere, occidere, et quidquid aliud in rebus interiore naturalique motu geritur. In hac autem altera signa dari, doceri et disci<sup>1</sup>, agros colli, societates administrari, artes exerceri, et quæque alia sive in superna societate aguntur, sive in hac terrena atque mortali, ita ut bonis consulatur et per neccientes malos. Inque ipso homine eandem geminam providentiæ vigere potentiam: primo erga corpus naturalem, scilicet eo mota quo fit, quo creascit, quo senescit; voluntariam vero, quo illi ad victum, tegumentum, curationemque consulitur. Similiter erga animam naturaliter agitur ut vivat, ut sentiat; voluntarie vero ut discat, ut consentiat.

18. Sicut autem in arbore id agit agricultura forinsecus, ut illud proficiat quod geritur intrinsecus; sic in homine secundum corpus, ei quod intrinsecus agit natura, servit extrinsecus medicina: itemque secundum animam, ut natura beatificetur intrinsecus, doctrina ministratur extrinsecus. Quod autem ad arborem colendi negligentia, hoc ad corpus medendi incuria, hoc ad animam discendi segnitia: et quod ad arborem humor inutilis, hoc ad corpus vietus exitibilis, hoc ad animam persuasio iniquitatis. Deus itaque super omnia, qui condidit omnia, et regit omnia, omnes naturas bonus creat, omnes voluntates justus ordinat. Quid ergo abhorret a vero, si credamus hominem ita in paradiso constitutum, ut operaretur agriculturam, non labore servili, sed honesta animi voluptate? Quid enim hoc opere innocentius vacantibus, et quid plenius magna consideratione prudentibus?

CAPUT X. — *Quid sit, Ut operaretur et custodiret.*

19. *Ut custodiret* autem, quid? An ipsum paradysum? Contra quos? Nullus certe vicinus metuebatur invasor, nullus limitis perturbator, nullus fur, nullus aggressor. Quomodo ergo intellecturi sumus corporalem paradysum potuisse ab homine corporaliter custodiri? Sed neque Scriptura dixit, *Ut operaretur et custodiret paradysum*; dixit autem, *Ut operaretur et custodiret.* Quanquam si de græco diligentius ad verbum exprimatur, ita scriptum est, *Et accepit Dominus Deus hominem quem fecit, et posuit eum in paradiso operari eum et custodire.* Sed utrum ipsum hominem posuit operari, hoc enim sensit qui interpretatus est, *ut operaretur*; an eundem paradysum operari, id est, ut homo paradysum operaretur, ambigue sonat: et videtur magis exigere locutio, ut non dicatur, *Operaretur paradysum*; sed, in paradiso.

20. Verumtamen ne forte sic dictum sit, *Ut operaretur paradysum*, sicut superius dictum est, *Nec erat homo qui operaretur terram* (eadem quippe locutio est, operari terram, quæ operari paradysum); ambiguum sententiam ad utrumque tractemus. Si enim non est necesse ut accipiamus, Paradysum custodire, sed, in paradiso; quid ergo in paradiso custodire? Nam quid operari in paradiso, jam ut visum est disseruimus. An ut quod operaretur in terra per agriculturam, in eipso custodiret per disciplinam; id est, ut sicut ei

<sup>1</sup> Juxta Er. Lugd. Ven. Lov., *discere*. M.

ager obtemperaret solenti se, ita et ipse precipienti Domino suo, ut sumpto præcepto obedientiæ fructum, non spinas isobedienciæ redderet? Denique quoniam similitudinem a se culti paradisi in seipso custodire subditus noluit, similem sibi agrum damnatus accepit: *Spinas, inquit, et tribulos pariet tibi (Gen. iii, 18).*

21. Quod si et illud intelligamus, ut paradisum operaretur, et paradisum custodiret, operari quidem paradisum posset, sicut supra diximus, per agriculturam; custodire autem non adversus improbos aut inimicos, qui nulli erant, sed fortassis adversus bestias. Quomodo istud? aut quare? Numquid enim bestie jam in hominem sæviebant, quod nisi peccato non fieret? Ipse quippe bestiis omnibus ad se adductis, sicut post commemoratur, nomina imposuit: ipse etiam sexto die lege verbi Dei cum omnibus communes cibos accepit. Aut si erat jam quod timebatur in bestiis, quoniam pacto posset unus homo illum munire paradisum? Neque enim exiguus locus erat, quem tantus fons irrigabat. Custodire quidem ille deberet, si posset paradisum tali et tanta maceria communire, ut eo serpens non posset intrare: sed mirum si priusquam communiret, omnes serpentes inde posset excludere.

22. Proinde intellectum ante oculos cur præmittimus? Positus est quippe homo in paradiso, ut operaretur eundem paradisum, sicut supra disputatum est, per agriculturam non laboriosam, sed deliciosam, et mentem prudentis magna atque utilia commonentem: custodiret autem eundem paradisum ipsi sibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli. Denique accepit et præceptum, ut sit per quod sibi custodiat paradisum, id est, quo conservato non inde projiciatur. Recte enim quisque dicitur non custodisse rem suam, qui sic egit ut amitteret eam, etiamsi alteri salva sit, qui eam vel invenit vel accipere meruit.

23. Est alius in his verbis sensus, quem puto non immerito præponendum, ut ipsum hominem operaretur Deus et custodiret (a). Sicut enim operatur homo terram, non ut eam faciat esse terram, sed ut cultam atque fructuosam: sic Deus hominem multo magis, quem ipse creavit ut homo sit, eum ipse operatur ut justus sit, si homo ab illo per superbiam non abscedat; hoc est enim apostatare a Deo, quod initium superbiæ Scriptura dicit: *Initium, inquit, superbiæ hominis apostatare a Deo (Eccli. x, 14).* Quia ergo Deus est incommutabile bonum, homo autem et secundum animam et secundum corpus mutabilis res est; nisi ad incommutabile bonum, quod est Deus, conversus substituerit, formari ut justus beatusque sit, non potest. Ac per hoc Deus idem qui creat hominem, ut homo sit, ipse operatur hominem atque custodit, ut etiam bonus beatusque sit. Quapropter qua locutione dicitur homo operari terram, quæ jam terra erat, ut ornata atque secunda sit, ea locutione

(a) Altera tamen expositio aptius congruit hebræo, in quo pronomen *eum*, refertur ad *paradisum*, genere feminino cum ista voce conveniens.

dicitur Deus operari hominem, qui jam homo erat, ut pius sapiensque sit, eumque custodire, quod homo sua potestate in se, quam illius supra se delectatus, dominationemque ejus contemnens tutus esse non possit.

CAPUT XI. — *Cur hic addita dictio, Dominus.*

*Dominus verus.*

24. Proinde nullo modo vacare arbitror, sed nos aliquid, et magnum aliquid admonere, quod ab ipso divini libri hujus exordio, ex quo ita coeptus est, *In principio fecit Deus cælum et terram*, usque ad hunc locum, nusquam positum est, Dominus Deus; sed tantum modo, *Deus*: nunc vero ubi ad id ventum est, ut hominem in paradiso constitueret, eumque per præceptum operaretur et custodiret, ita Scriptura locuta est, *Et sumpsit Dominus Deus hominem quem fecit, et posuit eum in paradiso operari eum et custodire*: non quod supra dictarum creaturarum Dominus non esset Deus; sed quia hoc nec propter Angelos, nec propter alia que creata sunt, sed propter hominem scribebatur, ad eum admonendum quantum ei expediat habere Dominum Deum, hoc est, sub ejus dominatione obedienter vivere, quam licentiose abuti propria potestate, nusquam hoc prius ponere voluit, nisi ubi perventum est ad eum in paradiso collocandum, operandum et custodiendum: ut non diceret sicut et cætera omnia superius, *Et sumpsit Deus hominem quem fecit*; sed diceret, *Et sumpsit Dominus Deus hominem, quem fecit, et posuit eum in paradiso operari eum, ut justus esset, et custodire*, ut tutus esset, ipsa utique dominatione sua, quæ non est illi sed nobis utilis. Ille quippe nostra servitute non indiget, nos vero dominatione illius indigemus, ut operetur et custodiat nos; et ideo verus solus est Dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram utilitatem salutemque servimus. Nam si nobis indigeret, eo ipso non verus Dominus esset, cum per nos ejus adjuvaretur necessitas, sub qua et ipse serviret. Merito ille in Psalmo: *Domi, inquit, Domino, Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges (Psal. xv, 2).* Nec ita sentiendum est quod diximus, nos illi ad utilitatem nostram salutemque servire, tanquam aliud aliquid ab illo expectemus quam eum ipsum, qui summa utilitas et salus nostra est. Sic enim eum gratis secundum illam vocem diligimus: *Mihi autem adherere Deo bonum est (Psal. lxxii, 23).*

CAPUT XII. — *Hominem non posse quidquam boni agere sine Deo. Discessus a Deo.*

25. Neque enim tale aliquid est homo, ut factus, deserente eo qui fecit, possit aliquid agere bene tanquam ex seipso; sed tota ejus actio bona, est converti ad eum a quo factus est, et ab eo justus, pius, sapiens, beatusque semper fieri: non fieri et recedere, sicut a corporis medico sanari et abire: quia medicus corporis operarius fuit extrinsecus, serviens nature intrinsecus operanti sub Deo, qui operatur omnem salutem gemino illo opere providentiæ, de quo supra locuti sumus (Cap. 9). Non ergo ita se debet homo ad Dominum convertere, ut cum ab eo factus fuerit ju-

etus abscedat, sed ita ut ab illo semper fiat. Eo quippe ipso cum ab illo non discedit, ejus ipse præsentiâ justificatur, et illuminatur, et beatificatur, operante et custodiente Deo, dum obedienti subiectoque dominatur.

26. Neque enim, ut dicebamus, sicut operatur homo terram, ut culta atque secunda sit, qui eum fuerit operatus abscedit, relinquens eam vel aratam, vel satam, vel rigatam, vel si quid aliud, manente opere quod factum est, cum operator abcesserit, ita Deus operatur hominem justum, id est justificando eum, ut si abcesserit, maneat in abscedente quod fecit: sed potius sicut aer præsente lumine non factus est lucidus, sed fit; quia si factus esset, non autem fieret, etiam absente lumine lucidus maneret; sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebatur; a quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur.

27. Ille itaque operetur hominem bonum atque custodiat, qui incommutabiliter bonus est. Semper ab illo fieri, semperque perfici debemus, inhzentes ei, et in ea conversione quæ ad illum est permanentes, de quo dicitur, *Mihi autem adherere Deo bonum est*; et cui dicitur, *Fortitudinem meam ad te custodiam* (*Psal. LVIII, 10*). Ipsius enim sumus signatum, non tantum ad hoc ut homines simus, sed ad hoc etiam ut boni simus. Nam et Apostolus cum fidelibus ab impietate conversis, gratiam qua salvî facti sumus, commendaret (*Ephes. II, 8-10*): *Gratia enim, inquit, salvî facti estis per fidem; et hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus signatum creati in Christo Jesu, in operibus bonis quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*. Et sibi cum dixisset, *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini; ne sibi putaret tribuendum, tanquam ipsi se facerent justos et bonos, continuo subiecit: Deus enim est qui operatur in vobis* (*Philipp. II, 12, 13*). *Sumpsit ergo Dominus Deus hominem quem fecit, et posuit eum in paradiso operari eum, hoc est, operari in eo, et custodire eum.*

CAPUT XIII. — *Cur bono prohibitus a ligno scientiæ boni et mali.*

28. *Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens: Ab omni ligno quod est in paradiso, edes ad escam; de ligno autem cognoscendi bonum et malum, non manducabis de illo. Qua die autem ederitis ab eo, morte moriemini.* Si aliquid mali esset lignum illud, unde prohibuit hominem Deus, ejus ipsius mali natura venenatus videretur ad mortem. Quia vero ligna omnia in paradiso bona plantaverat (*Gen. I, 12*), qui fecit omnia bona valde, nec ulla ibi natura mali erat, quia nusquam est mali ulla natura (quod diligentius, si Dominus voluerit, disseremus, cum de illo serpente dicere cœperimus); ab eo ligno quod malum non erat prohibitus est, ut ipsa per se præcepti conservatio bonum illi esset, et transgressio malum.

29. Nec potuit melius et diligentius commendari quantum malum sit sola inobedientia, cum ideo reus iniquitatis factus est homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quam si non prohibitus tetigisset,

non utique peccasset. Nam qui dicit, verbi gratia, *Noli tangere hanc herbam, si forte venenosa est mortemque præcuntiat, si tetigerit, sequitur quidem mors contemptorem præcepti; sed etiam si nemo prohibuisset, atque ille tetigisset, nihilominus utique moreretur.* Illa quippe res contraria soluti vitæque ejus esset, sive inde velaretur, sive non velaretur. Nempe cum quisque prohibet eam rem tangi, quæ non quidem tangenti, sed illi qui prohibuit obesset, velut si quisquam in alienam pecuniam misisset manum, prohibitus ab eo cujus erat pecunia illa; ideo esset prohibito peccatum, quia prohibenti poterat esse damnosum. Cum vero illud tangitur, quod nec tangenti obesset si non prohiberetur, nec cuiquam alteri quando libet tangeretur; quare prohibita est, nisi ut ipsius per se bonum obedientiæ, et ipsius per se malum inobedientiæ monstraretur?

30. Denique a peccato nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admittitur, in quo ne admitteretur, sola deberet jussio dominantis attendi. Quæ si sola attendetur, quid aliud quam Dei voluntas attendetur? quid aliud quam Dei voluntas amaretur? quid aliud quam Dei voluntas humanæ voluntati præponeretur? Dominus quidem cur jusserit, viderit; faciendum est a servo. Quod jussit, et tunc forte videndum est a promerentibus cur jusserit. Sed tamen ut causam jussionis hujus nobis diutius requiramus, si hæc ipsa magna est utilitas homini quod Deo servit, jubendo Deus utilis facit quicquid jubere voluerit, de quo metuendum non est, ne jubere quod inutile est possit.

CAPUT XIV. — *Ex divini præcepti contemptu experientia mali.*

31. Nec fieri potest ut voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat. Hoc expertus est homo contemnens præceptum Dei, et hoc experimento didicit quid interesset inter bonum et malum, bonum scilicet obedientiæ, malum autem inobedientiæ, id est, superbiæ et contumaciæ, perversæ imitationis Dei et noxiæ libertatis. Hoc autem in quo ligno accidere potuit, ex ipsa re, ut jam supra dictum est, nomen accepit (*Gen. 3*). Malum enim nisi experimento non sentiremus, quia nullum esset, si non fecissemus. Neque enim ulla natura mali est, sed amissio boni hoc nomen accepit. Bonum quippe incommutabile Deus est; homo autem quantum ad ejus naturam, in qua cum Deus condidit, pertinet, bonum est quidem, sed non incommutabile ut Deus. Mutabile autem bonum, quod est post incommutabile bonum, melius bonum fit, cum bono incommutabili adhererit, amando atque serviendo rationali et propria voluntate. Ideo quippe et hæc magni boni natura est, quia et hoc accepit, ut possit summi boni adherere naturæ. Quod si noluerit, bono se privat, et hoc ei malum est, unde per justitiam Dei etiam cruciatus consequitur. Quid enim tam iniquum, quam ut bene sit desertori boni? Neque ullo modo fieri potest ut ita sit: sed aliquando amissi superioris boni non sentitur malum, cum habetur quod



amatum est inferius bonum. Sed divina justitia est ut qui voluntate amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, dum naturarum creator ubique laudetur. Adhuc enim est bonum quod dolet amissum bonum: nam nisi aliquod bonum remansisset in natura, nullus boni amissi dolor esset in pœna.

32. Cui autem sine mali experimento placet bonum, id est, ut antequam boni amissionem sentiat, eligat tenere ne amittat, super omnes homines prædicandus est. Sed hoc nisi cujusdam singularis laudis esset, non illi pœro tribueretur, qui ex genere Israel factus Emmanuel nobiscum Deus (*Matth. 1, 23*), reconciliavit nos Deo, hominum et Dei homo mediator (*1 Tim. 2, 5*), Verbum apud Deum, caro apud nos (*Joan. 1, 1, 14*). Verbum caro inter Deum et nos. De illo quippe propheta dicit, *Priusquam sciat puer bonum aut malum, contemnet malitiam, ut eligat bonum (Isai. vii, 16, sec. LXX)*. Quomodo quod nescit, aut contemnit aut eligit, nisi quia hæc duo sciuntur aliter per prudentiam boni, aliter per experientiam mali? Per prudentiam boni malum scitur, etsi non sentitur. Tenetur enim bonum, ne amissione ejus sentiatur malum. Item per experientiam mali scitur bonum; quoniam quid amiserit, sentit, cui de bono amisso male fuerit. Priusquam sciret ergo puer per experientiam, aut bonum quo careret, aut malum quod boni amissione sentiret, contempsit malum ut eligeret bonum, id est, noluit amittere quod habebat, ne sentiret amittendo quod amittere non debebat. Singulare exemplum obedientiæ; quippe qui non venit facere voluntatem suam, sed ejus voluntatem a quo missus est (*Joan. vi, 38*): non sicut ille qui elegit facere voluntatem suam, non ejus a quo factus est. Merito sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituuntur multi (*Rom. v, 19*); quia sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur (*1 Cor. xv, 22*).

CAPUT XV. — *Lignum scientiæ boni et mali cur sic appellatum.*

33. Frustra autem nonnulli acute obtusi sunt<sup>1</sup>, cum requirunt quomodo potuerit appellari lignum dignoscenciæ boni et mali, antequam in eo transgressus esset homo præceptum, atque ipsa experientia dignosceret quid interesset inter bonum quod amisit, et malum quod admisit. Lignum enim tale nomen accepit, ut eo secundum prohibitionem non tacto cavetur, quod eo contra prohibitionem tacto sentiretur. Neque enim quia inde contra præceptum manducaverunt, ideo factum est illud lignum dignoscenciæ boni et mali; sed utique etiamsi obedientes essent, et nihil inde contra præceptum usurpassent, id recte vocaretur, quod ibi eis accideret, si usurpassent. Quemadmodum si vocaretur arbor saturitatis, quod inde possent homines saturari; numquid si nemo accessisset, ideo nomen illud esset incongruum? quandoquidem cum accederent et saturarentur, tunc probarent quam hoc recte arbor illa vocaretur.

<sup>1</sup> Antiqui codices, constanter, *obtusi sicut*: ut et in lib. 4 de Doctrina Christ., n. 7, *oluntate*.

CAPUT XVI. — *Hominem ante malum experimentum potuisse intelligere quid esset malum.*

34. Et quomodo, inquit, intelligeret homo quod ei dicebatur lignum dignoscenciæ boni et mali, quando ipsam malum quid esset omnino nesciebat? Hoc qui sapiunt parum attendunt quemadmodum a contrariis notis sic pleraque intelligantur ignota, et etiam verba rerum quæ non sunt, cum in loquendo interponuntur, nullus caliget auditor. Hoc enim quod omnino non est, nihil vocatur; et hæc duas syllabas nomine non intelligit, qui latine audit et loquitur. Unde, nisi eum sensus intuetur id quod est, et ejus privatione quid etiam non sit agnoscit? Sic et inane cum dicitur, intendo corporis plenitudinem, privatione ejus tanquam contraria, quid dicatur inane intelligimus; sicut audiendi sensu non solum de vocibus, verum etiam de silentio judicamus: sic ex vita quæ inerat homini, posset ejus cavere contrarium, id est, vitæ privationem quæ mors vocatur; et ipsam causam qua perderet quod amabat, id est quodlibet factum suum quo fieret ut amitteret vitam, quibuslibet syllabis appellaretur, quemadmodum latine cum dicitur peccatum vel malum, tanquam signum ejus intelligeret, quod mente discerneret. Nos enim quomodo intelligimus, cum dicitur resurrectio, quam nunquam experti sumus? Nonne quia sentimus quid sit vivere, et ejus rei privationem vocamus mortem, unde reditum ad id quod sentimus, resurrectionem appellamus? et si quo alio nomine in quacumque lingua id ipsum appellatur, menti utique signum insinuat in voce loquentium, quo sonante agnoscat quod etiam sine signo cogitaret. Mirum est enim quemadmodum rerum quas habet amissionem, etiam inexpertam natura deviet. Quis enim pecora docuit devitationem mortis, nisi sensus vitæ? quis parvulum puerum adhærescere bajulo suo, si eum fuerit ex alto jacere minitatus? quod ex quodam tempore incipit, sed tamen antequam aliquid hujusmodi expertus sit.

35. Sic ergo illis primis hominibus jam vita erat dulcis, quam profecto amittere devitabant; idque ipsum quibuscumque modis vel sonis significentem Deum intelligere poterant: nec aliter eis posset persuaderi peccatum, nisi prius persuaderetur eos ex illo facto non esse morituros, id est, illud quod habebant et se habere gaudebant, non amissuros; unde suo loco loquendum est. Advertant itaque, si quos movet, quomodo potuerint intelligere inexperta nominantem vel minantem Deum; et videant nos omnium inexpertorum nomina, nonnisi ex contrariis quæ jam novimus, si privationum sunt, aut ex similibus, si specierum sunt, sine ullo æstu dubitationis agnoscere. Nisi forte aliquem movet quemadmodum loqui potuerint, vel loquentem intelligere, qui non didicerant vel crescendo inter loquentes, vel aliquo magisterio; quasi magnum fuerit Deo loqui eos docere, quos ita fecerat, ut hoc possent etiam ab hominibus discere, si essent a quibus.

CAPUT XVII. — *An utrique, Adamo et Evæ, datum sit præceptum.*

36. Merito sane quæritur utrum hoc præceptum viro tantum dederit Deus, an etiam femine? Sed nondum narratum est quemadmodum facta sit femina. An forte jam erat facta? sed hoc quemadmodum gestum sit quod prius erat gestum, postea recapitulando narratum est. Verba enim Scripturæ sic se habent: *Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens; non dixit, præcepit eis: deinde sequitur, Ab omni ligno quod est in paradiso esca edes; non dixit, edetis. Deinde adjungit, De ligno autem cognoscendi bonum et malum, non manducabitis de illo: jam hic tanquam ad ambos pluraliter loquitur, et pluraliter præceptum terminat dicens, Qua die autem ederitis ab eo, morte moriemini. An sciens quod ei facturus erat mulierem, ita præcepit ordinatissime, ut per virum præceptum Domini ad feminam perveniret? Quam disciplinam in Ecclesia servat Apostolus, dicens: Si quid autem discere volunt, domi viros suos interrogent (I Cor. xiv, 35).*

CAPUT XVIII. — *Quomodo Deus locutus sit homini.*

37. Item quæri potest quomodo nunc Deus locutus sit ad hominem quem fecit, jam certe sensu ac mente præditum, ut audire et intelligere loquentem valeret? Neque enim aliter præceptum posset accipere, quo transgresso reus<sup>1</sup> esset, nisi hoc acceptum intelligeret. Quomodo ergo illi locutus est Deus? Utrum intus in mente secundum intellectum, id est, ut sapienter intelligeret voluntatem ac præceptum Dei sine ullis corporalibus sonis vel corporalium similitudinibus rerum? Sed non sic existimo primo homini locutum Deum. Talia quippe Scriptura narrat, ut potius credamus sic esse Deum locutum homini in paradiso, sicut etiam postea locutus est Patribus, sicut Abraham, sicut Moysi, id est in aliqua specie corporali. Hinc est enim quod audierunt ejus vocem ambulantis in paradiso ad vesperam, et absconderunt se (Gen. iii, 8).

CAPUT XIX. — *Ut intelligatur operatio Dei in creaturis, quid in primis de ipso sentiendum.*

38. Locus itaque magnus neque prætereundus proponitur, ut intueamur quantum possumus, quantum ipse adjuvare et donare dignatur, opus divinæ providentiæ bipartitum, quod superius cum de agricultura loqueremur, transitoria quadam occasione perstrinximus, ut inde jam inciperet legentis animus hoc assuescere contueri, quod adjuvat plurimum, ne quid indignum de ipsa Dei substantia sentiamus. Dicimus itaque ipsum summum, verum, unum ac solum Deum, Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, id est, Deum Verbumque ejus et utriusque Spiritum, Trinitatem ipsam, neque confusam, neque separatam, Deum qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibleem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest (I Tim. vi, 16), nec locorum vel finito vel infinito spatio contineri nec temporum vel finito vel infinito volumine variari. Neque enim est in ejus substantia qua Deus est, quod brevius sit in parte quam in toto, sicut necesse est esse quæ in locis

<sup>1</sup> Sic *san.* At editi, *quo transgressor ejus.*

immoto cardine moveatur: sic tota palma ab articulo sunt; aut fuit in ejus substantia quod jam non est, vel erit quod nondum est, sicut in naturis quæ possunt temporis mutabilitatem pati.

CAPUT XX. — *Creatura corporalis loco et tempore, spiritualis tempore tantum, Creator ipse neutro modo mutabilis.*

39. Hic ergo incommutabili æternitate vivens creavit omnia simul, ex quibus curterent tempora, et implerentur loca, temporalibusque et localibus rerum motibus sæcula volverentur. In quibus rebus quædam spiritualia, quædam corporalia condidit, formans materiam quam nec alius nec nullus, sed omnino ipse informem ac formabilem instituit, ut formationem suam non tempore, sed origine præveniret. Spiritualem autem creaturam corporali præposuit; quod spiritualis tantummodo per tempora mutari posset, corporalis autem per tempora et loca. Exempli enim gratia, per tempus movetur animus, vel reminiscendo quod oblitus erat, vel discendo quod nesciebat, vel volendo quod nolebat: per loca autem corpus, vel a terra in cælum, vel a cælo in terram, vel ab oriente in occidentem, vel si quo alio simili modo. Omne autem quod movetur per locum, non potest nisi et per tempus simul moveri: at non omne quod movetur per tempus, necesse est etiam per locum moveri. Sicut ergo substantiam quæ movetur per tempus et locum, præcedit substantia quæ tantum per tempus; ita ipsam præcedit illa quæ nec per locum nec per tempus. Ac per hoc sicut per tempus et locum movet corpus ipse tantum per tempus motus conditus spiritus; ita per tempus movet conditum spiritum ipse nec per tempus nec per locum motus conditor Spiritus: sed spiritus creatus movet seipsum per tempus, et per tempus ac locum corpus; Spiritus autem creator movet seipsum sine tempore ac loco, movet conditum spiritum per tempus sine loco, movet corpus per tempus et locum.

CAPUT XXI. — *Quomodo Deus immotus moveat creaturas, exemplo animæ deprehendi.*

40. Quocirca quisquis intelligere conatur quemadmodum vere æternus et vere immortalis atque incommutabilis Deus, ipse nec per tempus nec per locum motus moveat temporaliter et localiter creaturam suam; non eum puto posse assequi, nisi prius intellexerit quemadmodum anima, hoc est spiritus creatus, non per locum, sed tantum per tempus motus, moveat corpus per tempus et locum. Si enim quod in seipso agitur capere nondum potest, quanto minus illud quod supra est?

41. Affecta quippe anima carnalium sensuum consuetudine, etiam seipsam cum corpore per locum moveri putat, dum id per locum movet. Quæ si possit diligenter inspicere, tanquam cardines membrorum corporis sui, quemadmodum articulati dispositi sunt, a quibus initia motionum nitantur; inveniet ea quæ per spatia locorum moventur, nisi ab eis quæ loco fixa sunt, non moveri. Non enim movetur solus digitus, nisi manus fixa sit, a cujus articulo velut

cubiti, sic cubitus ab articulo humeri, humerus ab scapula cum movetur, stantibus utique cardinibus quibus motio nitatur, it per loci spatium quod movetur. Sic plantæ in talo est articulus, quo stante movetur; sic cruris in genu et totius pedis in coxa: et nullius membri motus omnino est, quem voluntas movet, nisi ab aliquo articuli<sup>1</sup> cardine, quem nutus ejusdem voluntatis primitus figit, ut ab eo quod loci spatio non movetur, agi valeat quod movetur. Denique nec in ambulando pes levatur, nisi alius fixus totum corpus ferat, donec ille qui motus est a loco unde fertur, ad locum quo fertur, immoto articulo sui cardinis innitatur.

42. Porro, si in corpore nullum membrum per locum voluntas movet, nisi ab eo membri articulo quem non movet, cum et illa pars corporis quæ movetur, et illa qua fixa sit ut moveatur, corporeas habeant quantitates suas, quibus occupent spatia locorum suorum; quanto magis ipse animæ nutus, cui membra deserviunt, ut quod placuerit figatur, unde id quod movendum est innitatur; cum anima non sit natura corporea, nec locali spatio corpus impleat, sicut aqua utrum sive spongiam; sed miris modis ipso incorporeo nutu commixta sit vivificando corpori, quo et imperat corpori, quadam intentione non mole: quanto magis, inquam, nutus ipse voluntatis ejus non per locum movetur, ut corpus per locum moveat, quando totum per partes movet, nec aliqua loco movet nisi per illas quas loco non movet?

CAPUT XXII. — *Quomodo Deus moveat, quomodo anima.*

43. Quod si intelligere difficile est, utrumque credatur, et quod creatura spiritualis non per locum mota moveat corpus per locum, et quod Deus non per tempus motus moveat creaturam spirituales per tempus. Quod si de anima quisque non vult hoc credere, quod quidem sine dubio non solum crederet, verum etiam intelligeret, si eam posset, sicuti est, incorpoream cogitare: cui enim non facile occurrat, quod per locum non moveatur quod per loci spatia non distenditur? quidquid autem per loci spatia distenditur corpus est; ac per hoc consequens est ut anima per locum moveri non putetur, si corpus non esse credatur: sed, ut dicere cœperam, si de anima hoc quisque non vult credere, non nimis argendus est. Substantiam vero Dei nisi credat nec per tempus nec per locum moveri, nondum perfecte incommutabilem credit.

CAPUT XXIII. — *Deus semper quietus, omnia tamen agens.*

44. Verum quia omnino incommutabilis est illa natura Trinitatis, et ob hoc ita æterna, ut ei aliquid coæternum esse non possit, ipsa apud seipsam et in seipsa sine ullo tempore ac loco, movet tamen per tempus et locum sibi subditam creaturam, naturas creans bonitate, voluntates ordinans potestate: ut in naturis nulla sit, quæ non ab illo sit; in voluntatibus

<sup>1</sup> Editi, *articulorum*. Nss., *articuli*.

autem nulla bona sit, cui non præsit, nulla mala sit, qua bene uti non possit. Sed quia non omnibus naturis dedit voluntatis arbitrium, illæ autem quibus dedit, potentiores ac superiores sunt; illæ naturæ quæ non habent voluntatem, subditæ sint necesse est illis quæ habent, et hoc ordinatione Creatoris, qui nunquam ita punit voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem. Cum igitur omne corpus et omnis anima irrationalis non habeat voluntatis arbitrium, subdita ista sunt eis naturis quæ præditæ sunt arbitrio voluntatis; nec omnibus omnia, sed sicut distribuit justitia Creatoris. Ergo Dei providentia regens atque administrans universam creaturam, et naturas et voluntates, naturas ut sint, voluntates autem ut nec infructuosæ bonæ, nec impunitæ malæ sint; subdit primitus omnia sibi, deinde creaturam corporalem creaturæ spirituali, irrationalem rationali, terrestrem cœlesti, femineam masculinæ, minus valentem valentiori, indigentiorum copiosiori. In voluntatibus autem, bonas sibi, cæteras vero ipsis servientibus sibi; ut hoc patiat voluntas mala, quod ex jussu Dei fecerit bona, sive per seipsam, sive per malam, in rebus duntaxat quæ naturaliter sunt etiam malis voluntatibus subditæ, id est in corporibus. Nam in seipsis malæ voluntates habent interiore pœnam suam, eandem ipsam iniquitatem suam.

CAPUT XXIV. — *Quænam beatis Angelis subdita creaturæ.*

45. Ac per hoc sublimibus Angelis Deo subdite fruuntibus, et Deo beate servientibus, subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas vel infirma vel prava; ut hoc de subditis vel cum subditis agant, quod naturæ ordo poscit in omnibus, jubente illo cui subjecta sunt omnia. Proinde illi in illo veritatem incommutabilem vident, et secundum eam suas dirigunt voluntates. Fiunt ergo illi participes æternitatis, veritatis, voluntatis ejus semper<sup>1</sup>, sine tempore et loco. Moventur autem ejus imperio etiam temporaliter, illo non temporaliter moto. Nec ita ut ab ejus contemplatione resiliant aut defluant; sed simul et illum sine loco ac tempore contemplantur, et ejus in inferioribus jussa perficiunt, moventes se per tempus, corpus autem per tempus et locum, quantum eorum congruit actioni. Et ideo Deus bipartito providentiæ suæ opere præest universæ creaturæ; naturis, ut fiant; voluntatibus autem, ut sine suo jussu vel permissu nihil faciant.

CAPUT XXV. — *Natura universitatis, partesque ejus quomodo a Deo administrantur.*

46. Natura igitur universitatis corporalis non adjuvatur extrinsecus corporaliter. Neque enim est extra eam ullum corpus, alioquin non est universitas. Intrinsecus autem adjuvatur incorporaliter, Deo il agente ut omnino natura sit; quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia (Rom. xi, 36). Partes vero ejusdem universitatis et intrinsecus incorporaliter adjuvantur, vel potius fiunt, ut naturæ sint; et extrinsecus corporaliter, quo se melius habeant, sicut

<sup>1</sup> Sic Mss. At editi, *voluntatem ejus semper facientis*.

alimentis, agricultura, medicina, et quaecumque etiam ad ornatum fiunt, ut non solum salvas ac secundiores, verum etiam decentiores sint.

47. Spiritualis autem creata natura si perfecta atque beata est, sicut Angelorum sanctorum, quantum attinet ad seipsam, quo sit, sapiensque sit, non nisi intrinsecus incorporaliter adjuvatur. Iatus et quippe loquitur Deus miro et ineffabili modo, neque per scripturam corporalibus instrumentis affixam, neque per voces corporalibus auribus insonantes, neque per corporum similitudines, quales in spiritu imaginantur, sicut in somnis, vel in aliquo excessu spiritus, quod graece dicitur *θεωρασις*, et nos eo verbo jam utimur pro latino: quia et hoc genus visionum, quamvis interius fiat quam sunt ea quae animo per sensus corporis nuntiantur; tamen quia simile est eis, ita ut cum sit, discerni ab eis aut omnino non possit, aut certe vix et rarissime possit, et quia exterius est quam illud quod in ipsa incommutabili veritate mens rationalis et intellectualis intuetur, eaque luce de his omnibus iudicat; inter illa quae extrinsecus fiunt arbitror esse deputandum. Creatura ergo spiritualis et intellectualis perfecta et beata, qualis Angelorum est, sicut dixi, quantum attinet ad seipsam quo sit, sapiensque ac beata sit, non nisi intrinsecus adjuvatur aeternitate, veritate, charitate Creatoris. Extrinsecus vero si adjuvari dicenda est, eo fortasse solo adjuvatur, quod invicem vident, et de sua societate gaudent in Deo, et quod perspectis etiam in eis ipsis omnibus creaturis, undique gratias agit laudatque Creatorem. Quod autem attinet ad creaturae angelicae actionem, per quam universarum rerum generibus, maximeque humano providentia Dei prospicitur; ipsa extrinsecus adjuvat, et per illa visa quae similia sunt corporalibus, et per ipsa corpora quae angelicae subjacent potestati.

CAPUT XXVI. — *Deus semper idem et immotus administrat omnia.*

48. Quae cum ita sint, cum Deus omnipotens et omnitenens, incommutabili aeternitate, veritate, voluntate semper idem, non per tempus nec per locum motus, movet per tempus creaturam spirituales, movet etiam per tempus et locum creaturam corporalem; ut eo motu naturas quas intrinsecus substituit, etiam extrinsecus<sup>1</sup> administret, et per voluntates sibi subditas, quas per tempus, et per corpora sibi atque illis voluntatibus subdita, quae per tempus et locum movet, eo tempore ac loco cujus ratio in ipso Deo vita est sine tempore ac loco: cum ergo tale aliquid Deus agit, non debemus opinari ejus substantiam qua Deus est, temporibus locisque mutabilem, aut per tempora et loca mobilem, sed in opere divinae providentiae ista cognoscere; non in illo opere quo naturas creat, sed in illo quo intrinsecus creatas etiam extrinsecus administrat, cum sit ipse, nullo locorum vel intervallo vel spatio, incommutabili excellentique potentia et interior omni re, quia in ipso sunt omnia, et exterior omni re, quia ipse est super omnia. Item

<sup>1</sup> *Ass. aliquot hic et paulo infra, etiam intrinsecus*

nullo temporum vel intervallo vel spatio, incommutabili aeternitate et antiquior est omnibus, quia ipse est ante omnia, et novior omnibus, quia idem ipse post omnia.

CAPUT XXVII. — *Quomodo locutus sit Deus Adae.*

49. Quapropter cum audimus Scripturam dicentem, *Et praecepit Dominus Deus Aed, dicens: Ab omni ligno quod est in paradiso esca edes; de ligno autem cognoscendi bonum et malum, non manducabis de illo. Qua die autem ederitis ab eo, morte moriemini*; si modum quaerimus quomodo ista locutus sit Deus, modus quidem ipse a nobis proprie comprehendendi non potest: certissime tamen tenere debemus, Deum aut per suam substantiam loqui, aut per sibi subditam creaturam; sed per substantiam suam non loqui nisi ad creandas omnes naturas, ad spirituales vero atque intellectuales non solum creandas, sed etiam illuminandas, cum jam possunt capere locutionem ejus, qualis est in Verbo ejus quod in principio erat apud Deum, et Deus erat Verbum, per quod facta sunt omnia (*Joan. 1, 1-3*). Illis autem qui eam capere non possunt, cum loquitur Deus, non nisi per creaturam loquitur, aut tantummodo spirituales, sive in somnis, sive in ecstasi in similitudine rerum corporalium; aut etiam per ipsam corporalem, dum sensibus corporis vel aliqua species apparet, vel insonant voces.

50. Si ergo Adam talis erat, ut possit capere illam locutionem Dei, quam mentibus angelicis per suam praebet substantiam; non dubitandum est quod ejus mentem per tempus moverit miro et ineffabili modo, non motus ipse per tempus, eique utile ac salubre praeceptum veritatis impresserit, et quae transgressoris poena deberetur, ea ipsa ineffabiliter veritate monstraverit: sicut audiuntur vel videntur omnia bona praecepta in ipsa incommutabili Sapientia, quae in animas sanctas se transfert (*Sap. vii, 27*) ex aliquo tempore, cum ipsius nullus sit motus in tempore. Si autem ad eum modum Adam justus erat, ut ei adhuc opus esset alterius creaturae sanctioris et sapientioris auctoritas, per quam cognosceret Dei voluntatem atque jussionem, sicut nobis Prophetae, sicut ipsi Angeli; cur ambigimus per aliquam hujusmodi creaturam ei esse locutum Deum, talibus vocum signis quae intelligere posset? Illud enim quod postea scriptum est, cum peccassent eos audisse vocem Domini Dei ambulantis in paradiso (*Gen. iii, 8*), quia non per ipsam Dei substantiam, sed per subditam ei creaturam factum est, nullo modo dubitat qui fidem catholicam sapit. Ad hoc enim et aliquanto latius de hac re disserere volui, quia nonnulli haeretici (a) putant substantiam Filii Dei nullo assumpto corpore per seipsam esse visibilem, et ideo antequam ex Virgine corpus acciperet, ipsum visum esse Patribus opinantur, tanquam de solo Deo Patre dictum sit, *Quem nemo hominum vidit, nec videre potest* (*I Tim. vi, 16*); quia Filius visus sit ante acceptam servi formam, etiam per ipsam substantiam suam: quae impietas

(a) Ariani.

procul à catholicis mentibus repellenda est. Sed de hoc plenius alias, si Domino placuerit, disseremus: nunc terminato isto volumine, id quod sequitur,

quomodo sit mulier ex viri sui latere creata, in consequentibus parandum est.

## LIBER NONUS.

De eo quod legitur, Gen. cap. 2, vers. 18: *Et dixit Dominus Deus: Non est bonum hominem esse solum, etc.*, usque ad illud, vers. 21: *Et erunt duo in carne una.*

CAPUT PRIMUM. — *Cur dictum sit, Et finxit Deus adhuc de terrâ, etc. De Terræ vocabulo.*

1. *Et dixit Dominus Deus: Non bonum est hominem esse solum; faciamus ei adiutorium secundum ipsum. Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cæli, et adduxit illa ad Adam, ut videret quid vocaret illa. Et omne quodcumque vocavit illud Adam animam vivam, hoc est nomen ejus. Et vocavit Adam nomina omnibus pecoribus, et omnibus volatilibus cæli, et omnibus bestiis agri. Ipsi autem Adam non est inventus adiutor similis ei. Et inmisit Deus eccliam in Adam, et obdormivit. Et accepit unam costarum ejus, et adimplevit carnem in loco ejus: et edificavit Dominus Deus costam, quam accepit de Adam, in mulierem; et adduxit eam ad Adam. Et dixit Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; hæc vocabitur mulier, quoniam ex viro suo sumpta est. Et propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et conglutinabitur uxori suæ; et erunt duo in carne una.* Si aliquid adjuvant lectorem, quæ in libris superioribus considerata atque conscripta sunt, non debemus in hoc diutius immorari, quod finxit adhuc Deus de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cæli: cur enim dictum sit, adhuc, id est propter<sup>1</sup> peccatam conditionem creaturarum sex diebus consummatam, in qua causaliter perfecta sunt omnia simul et inclinata, ut deinde ad effectus suos causæ perducerentur, jam quantum potuimus, in præcedentibus intimavimus (Lib. 6, cap. 5). Et si quis hoc aliter enodandum putat, tantum diligenter attendat illa omnia, quæ ut hoc sentiremus attendimus; et si probabilior inde potuerit enucleare sententiam, non solum resistere non debemus, sed debemus etiam gratulari.

2. Si quem autem movet quia non dixit, Finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, et de aquis omnia volatilia cæli, sed tanquam utraque genera de terra finxerit, *Et finxit, inquit, Deus adhuc de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cæli*; videat duobus modis esse intelligendum: aut tacuisse nunc unde finxerit volatilia cæli, quia et tacitum posset occurrere, ut non de terra utrumque accipiatur Deum finxisse, sed tantummodo bestias agri; ut volatilia cæli etiam taceente Scriptura intelligamus unde finxerit, velut qui sciamus in prima causalium rationum conditione ex aquis ea esse producta: aut terram universaliter sic appellatam simul cum aquis, quæma-

modum appellata est in illo psalmo, ubi cælestium laudibus terminatis, ad terram facta est conversio sermonis, et dictum, *Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi, etc.* (Psal. cxlviii, 7), nec postea dictum est, *Laudate Dominum de aquis.* Ibi enim sunt omnes abyssi, quæ tamen de terra laudant Dominum: ibi etiam reptilia et volatilia pennata, quæ nihilominus de terra laudant Dominum. Secundum istam universalem appellationem terræ, secundum quam etiam de toto mundo dicitur, Deus qui fecit cælum et terram, sive de arida sive de aquis quæcumque creata sunt, de terra creata veraciter intelliguntur. CAPUT II. — *Quomodo id locutus sit Deus: Non est bonum, etc.*

3. Nunc jam videamus quomodo accipiendum sit quod dixit Deus, *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium secundum ipsum*: utrum temporaliter vocibus ac syllabis editis hoc dixerit Deus; an ipsa ratio commemorata est, quæ in Verbo Dei principaliter erat, ut sic femina fieret: quam rationem suscipiebat etiam tunc Scriptura cum diceret, *Et dixit Deus, Fiat hoc aut illud, quando primitus omnia condebantur.* An forte in mente ipsius hominis hoc dixit Deus, sicut loquitur quibusdam servis suis in ipsis servis suis? Ex quo genere servorum ejus erat etiam ille qui dixit in Psalmo: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (Psal. lxxxiv, 9). An aliqua de hac re ipsi homini in ipso homine per angelum est facta revelatio in similitudinibus vocum corporalium, quamvis tacuerit Scriptura utrum in somnis, an in ecstasi; ita enim fieri hæc solent: an aliquo alio modo, sicut revelatur Prophetis; unde illud est, *Et dixit mihi angelus qui loquebatur in me* (Zach. ii, 3): an per corporalem creaturam vox ipsa sonuerit, sicut de nube, *Hic est Filius meus* (Matth. iii, 17). Quid ergo ex his omnibus factum sit, ad liquidum comprehendere non valeamus; verumtamen certissime teneamus et dixisse hoc Deum, et si corporali voce vel temporaliter expressa similitudine corporis dixit, non eum per substantiam suam, sed per aliquam imperio suo subditam dixisse creaturam, sicut in libro præcedente tractavimus (Cap. 27).

4. Nam visus est Deus etiam postea sanctis viris, alias capite albo sicut lana, alias inferiore parte corporis sicut aurichalcum (Apoc. i, 14, 15), alias aliter atque aliter: non tamen illas visiones hominibus per substantiam quæ ipse est, sed per sibi subdita quæ creavit, cum præbuisse, et per similitudines formarum vocumque corporalium, quod voluit ostendisse ac

(Treize.)

<sup>1</sup> Legatur in editis, præter At in Mss., propter, quod in eundem sensum redit.

dixisse, certissimum est eis qui substantiam Trinitatis incommutabiliter æternam, nec per tempus nec per locum moveri, et per tempus et per locum movere vel fideliter credunt, vel etiam excellenter intelligunt. Non ergo jam queramus quomodo istud dixerit, sed potius intelligamus quid dixerit. Adjutorium quippe homini secundum ipsum fuisse faciendum, æterna ipsa veritas habet, per quam creata sunt omnia; et in illa hoc audit qui potest in ea cognoscere quid quare creatum sit.

CAPUT III. — *Mulier in adjutorium propter sobolem facta.*

5. Si autem queritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, sicut adjutorium semini terra est, ut virgultum ex utroque nascatur: hoc enim et in prima rerum conditione dictum erat, *Masculum et feminam fecit eos, et benedixit eos Deus, dicens: Crescite, et multiplicamini, et implete terram, et dominamini ejus (Gen. 1, 27, 28)*. Quæ ratio conditionis et conjunctionis masculi et femine atque benedictio, nec post peccatum hominis penamque defecit. Ipsa enim est secundum quam nunc terra hominibus plena est dominantibus ejus.

6. Quanquam enim jam emissi de paradiso convenisse et genuisse commemorarentur; tamen non video quid prohibere potuerit, ut essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ, et torus immaculatus (*Hebr. xiii, 4*): hoc Deo præstante fideliter justeqque viventibus, eique obedienter sancteqque servientibus, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore ac dolore pariendi, fetus ex eorum semine gignerentur; non ut morientibus parentibus filii succederent, sed ut illis qui genuissent in aliquo formæ statu manentibus, et ex ligno vitæ, quod ibi plantatum erat, corporalem vigorem sumentibus, et illi qui gignerentur ad eundem perducerentur statum, donec certo numero impleto, si juste omnes obedienterque viverent, tunc fieret illa commutatio, ut sine ulla morte animalia corpora conversa in aliam qualitatem, eo quod ad omnem nutum regenti se spiritui deservirent, et solo spiritu vivificante sine ullis alimentorum corporalium sustentaculis viverent, spiritualia vocarentur. Potuit hoc fieri, si non præcepti transgressio mortis supplicium mereretur.

7. Qui enim hoc fieri potuisse non credunt, nihil aliud quam consuetudinem naturæ jam post peccatum penamque humanam sic currentis attendunt: non autem in eorum genere nos esse debemus, qui non credunt nisi quod videre consueverunt. Quis enim dubitet homini obedienter et pie viventi præstari potuisse quod diximus, qui non dubitat vestibus Israelitarum imperitum esse quemdam in suo genere statum, ut per annos quadraginta nulla vetustatis detrimenta paterentur (*Deut. xxxix, 5*)?

CAPUT IV. — *Quare non coierint primi parentes in paradiso.*

8. Cur ergo non coierunt, nisi cum existiissent de paradiso? Cito responderi potest, Quia mox creata mulie-

re, prius quam coirent, facta est illa transgressio, cujus merito in mortem destinati, etiam de loco illius felicitatis exierunt. Non enim Scriptura tempus expressit, quantum interfuerit inter eos factos, et ex eis natum Cain. Potest etiam dici quia nondum Deus jusserat ut coirent. Cur enim non ad hanc rem divina expectaretur auctoritas, ubi nulla concupiscentia tanquam stimulus inobedientis carnis urgebat? Ideo autem hoc non jusserat Deus, quia secundum suam præscientiam disponebat omnia, in qua et eorum casum procul dubio præciebat, unde jam mortale genus propagandum esset humanum.

CAPUT V. — *Mulier facta in adjutorium non alia quam sobolis causa.*

9. Aut si ad hoc adjutorium gignendi filios, non est facta mulier viro, ad quod ergo adjutorium facta est? Si quæ simul operaretur terram; nondum erat labor ut adjumento indigeret, et si opus esset, melius adjutorium masculus fieret: hoc et de solatio dici potest, si solitudinis fortasse tædebat. Quanto enim congruentius ad convivendum et colloquendum duo amici pariter quam vir et mulier habitarent? Quod si oportebat alium jubendo, alium obsequendo pariter vivere, ne contrariæ voluntates pacem cohabitantium perturbarent; nec ad hoc retinendum ordo defuisset, quo prior unus, alter posterior, maxime si posterior ex prioro crearetur, sicut femina creata est. An aliquis dixerit de costa hominis Deum feminam tantum, non etiam masculum, si hoc vellet, facere potuisse? Quapropter non invenio ad quod adjutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahitur.

CAPUT VI. — *Filiorum successio qualis si Adam non peccasset.*

10. Nam si parentes filijs suis cedere ex hac vita oportebat, ut ita omne humanum genus per donationes et successiones certa numerositate impleretur, poterunt etiam homines genitis filijs, perfecta que humani officii justitia, hinc ad meliora transferri, non per mortem, sed per aliquam commutationem, aut illam summam qua receptis corporibus fiunt sancti sicut Angeli in cælis (*Matth. xxii, 30*); aut si illam dari non oportet, nisi omnibus simul in sæculi fine, aliquam inferioriorem quam illa erit: quæ tamen haberet meliorem statum, quam vel hoc corpus habet, vel illa etiam quæ prinitus facta sunt, viri ex limo terræ, mulieris ex viri carne.

11. Neque enim arbitrandum est Eliam vel sic esse jam sicut erunt sancti, quando peracto operis die denarium pariter accepturi sunt (*Id. xx, 10*); vel sic quemadmodum sunt homines qui ex ista vita nondum emigrarunt, de qua ille tamen non morte, sed translatione migravit (*IV Reg. ii, 11*): Jam itaque aliquid melius habet, quam in hac vita posset; quamvis nondum habeat quod ex hac vita recte gesta in fine habiturus est: pro nobis enim meliora providerunt<sup>1</sup>, ne sine nobis perfecti perficerentur (*Hebr. xi, 40*). Aut si quisquam putat hoc Eliam mereri non potuisse, si

<sup>1</sup> Miss. tres, *provista sunt*. Alii, *provid. sunt*: uti passim Augustinus ex Hebr. ii, ad quem locum hic alludit.

duxisset uxorem, filiosque procreasset (creditur enim non habuisse, quia hoc Scriptura non dixit, quamvis et de cœlibatu ejus nihil dixerit); quid de Enoch respondebit, qui filiis genitis Deo placens non mortuus, sed translatus est<sup>1</sup> (*Gen. v, 24*)? Cur ergo et Adam et Eva, si juste viventes caste filios procreassent, non eis possent translatione, non morte, succedentibus cedere? Nam si Enoch et Elias in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum ut solvant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, et, quod tamdiu dilatum est, morituri (*Malach. iv, 5; et Apoc. xi, 3-7*), nunc tamen in alia vita sunt, ubi ante resurrectionem carnis, antequam animale corpus in spirituale mutetur, nec morbo nec senectute deficiunt: quanto justius atque probabilis primis illis hominibus præstaretur, sine ullo suo parentumve peccato viventibus, ut in meliorem aliquem statum filii genitis cederent, unde sæculo finito cum omni posteritate sanctorum, in angelicam formam, non per carnis mortem, sed per Dei virtutem multo felicius mutarentur?

**CAPUT VII. — *Mulier pariendi causa. Unde laudabilis virginitas et nuptiæ. Matrimonii triplex bonum.***

12. Non itaque video ad quod aliud adjutorium mulier facta sit viro, si generandi causa subtrahitur: quæ nihilominus quare subtrahatur ignoro. Unde enim magnum magisque honoris meritum apud Deum fidelis et pia virginitas habet, nisi quia isto jam tempore continendi ab amplexu cum ex omnibus gentibus ad implendum sanctorum numerum largissima suppetat copia, percipiendæ sordidæ voluptatis libido non sibi vindicat quod jam sufficiendæ prolis necessitudo non postulat? Denique utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, recte excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis esse posset officium, sit ægrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malum est, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonum: imo vero non propter illud malum culpabile est hoc bonum, sed propter hoc bonum veniale est illud malum; quoniam id quod bonum habent nuptiæ, et quo bonæ sunt nuptiæ peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est; fides, proles, sacramentum. In fide attenditur ne præter vinculum conjugale, cum altera vel altero concumbatur: in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: in sacramento autem, ut conjugium non separetur, et dimissus aut dimissa nec causa prolis alteri conjugatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fecunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas. Unde quia satis disseruimus in eo libro quem de Bono Conjugali nuper edidimus, ubi et continentiam vidualem et excellentiam virginalem pro suorum graduum dignitate distinguimus, diutius hic noster stilus non est occupandus.

**CAPUT VIII. — *Fuga vitiorum in contraria.***

13. Nunc enim quærimus cui adjutorio mulier facta sit viro, si eis ad gignendos filios misceri sibi in paradiso non licebat. Qui enim hoc sentiunt, forte

<sup>1</sup> Edm., sed vicus translatus est. Abest vicus a Km.

peccatum esse omnem concubitum putant. Difficile est namque, ut dum perverse homines vitia devitant, non in eorum contraria perniciouser currant. Etenim sicut exhorrens avaritiam, fit profusus; aut exhorrens luxuriam, fit avarus; aut inquietus fit, cujus pigritiam reprehenderit; aut cujus inquietudinem, piger; aut qui reprehensus odisse cœperit audaciam suam, ad timiditatem fugit; aut qui timidus non esse conatur, tanquam abrupto vinculo fit temerarius, dum non ratione, sed opinione erimina metiuntur: ita dum nesciunt homines quid in adulteriis et fornicationibus divino jure damnetur, etiam causa procreandi conjugalem concubitum detestantur.

**CAPUT IX. — *Mulier propter gignendos filios, etiamsi ex peccato non fuisset necessitas moriendi.***

14. Quod qui non faciunt, sed tamen fecunditatem carnis propter successionem mortalitatis divinitus datam sentiunt; nec ipsi putant primos illos homines potuisse concumbere, nisi, propter peccatum quod admiserant morituri, gignendo requirerent successores: nec attendunt, si recte potuerunt successores quæri morituris, multo rectius socios quæri potuisse victuris. Impleta enim terra genere humano, recte proles nonnisi quæ morientibus succederet, quæreretur: ut autem per duos homines terra impleretur, quomodo ipsi, nisi gignendo, officium societatis impleant? An vero ita quis cæcus est mente, ut non cernat quanto terris ornamento sit genus humanum, etiam cum a paucis recte laudabiliterque vivatur; quantumque valeat ordo reipublicæ, in cujusdam pacis terrenæ vinculum coercens etiam peccatores? Neque enim tantum depravati sunt homines, ut non etiam tales pecoribus et volatilibus antecellant; quorum tamen omnium generibus hanc infamam mundi partem pro sui loci sorte decoratam, quem non considerare delectet? Quis autem ita sit excors, ut putet minus eam ornari potuisse, si justis non morientibus impleteret?

15. Nam quia numerosissima est superna civitas Angelorum, ideo non recte connubio copularentur, nisi morerentur. Hanc quippe numerositatem perfectam etiam in resurrectione sanctorum Angelis sociandam Dominus præsciens ait, *In resurrectione neque nubent, neque uxores ducent; non enim incipient mori, sed erunt æquales Angelis Dei* (*Matth. xxii, 30*): hic vero cum implenda esset hominibus terra, et eam, propter cognitionis arctiorem necessitudinem et unitatis vinculum maxime commendandum, ex uno oporteret impleri; propter quid aliud secundum ipsum quæsitus est femineus sexus adjutor, nisi ut serenem genus humanum natura muliebris, tanquam terræ fecunditas, adjuvaret?

**CAPUT X. — *Libidinis morbus ex peccato.***

16. Quamvis honestius meliusque credatur, ita fuisse tunc illorum hominum corpus animale constitutorum in paradiso, nondum mortis lege damnatum, ut non haberent appetitum carnalis voluptatis, qualem nunc habent ista corpora, quæ jam ex mortis propagine ducta sunt. Neque enim nihil est in eis factum, cum de ligno prohibito edissent: quandoquidem Deus

Atxerat, non, Si ederitis, morte moriemini; sed, *Quo die ederitis, morte moriemini* (Gen. II, 17) : ut hoc ipsum in eis illa faceret dies, quod Apostolus gemit dicens, *Condelector legi Dea secundam interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (Rom. VII, 22, 25). Non enim sufficeret ei, si diceret, Quis me liberabit de hoc mortali corpore? sed, *de corpore*, inquit, *mortis hujus*. Sicut etiam illud, *Corpus quidem*, inquit, *mortuum est propter peccatum* (Id. VIII, 10) : nec ibi ait mortale, sed *mortuum*; quamvis utique et mortale, quia moriturum; non ita credendum est fuisse illa corpora, sed licet animalia, nondum spiritualia, non tamen mortua, *id est*, quæ necesse esset ut morerentur : quod eo die factum est, quo lignum contra vetitum<sup>1</sup> tetigerunt.

17. Sicut in ipsis nostris corporibus quædam pro suo modo sanitas dicitur, quæ si perturbata sic fuerit, ut letalis morbus jam viscera depascatur, quo inspecto, medici mortem imminere pronuntiant; mortale utique corpus etiam tunc dicitur, sed aliter quam cum esset sanum, quamvis quandoque sine dubio moriturum : ita illi homines animalia quidem corpora gerentes, sed non moritura nisi peccassent, acceptura autem angelicam formam cœlestem quo qualitatem, mox ubi præceptum transgressi sunt, eorum membris venit aliqua ægritudo letalis, mors ipsa concepta est; mutavitque illam qualitatem, qua corpori sic dominabantur, ut non dicerent, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*; quia etsi nondum spirituale, sed animale corpus erat, nondum tamen erat mortis hujus, de qua et cum qua nati sumus. Quid enim aliud, non dicam nati, sed omnino concepti, nisi ægritudinem quamdam inchoavimus, qua sumus necessario morituri? Neque enim tam necesse est eum ipso morbo mori, qui hydrops, vel dysentericus, vel elephantiosus factus fuerit, quam eum qui hoc corpus habere cœperit, in quo omnes homines natura sunt filii iræ (Ephes. II, 3), quia hoc non fecit nisi pœna peccati.

18. Quæ cum ita sint, cur non credamus illos homines ante peccatum ita genitalibus membris ad procreandos filios imperare potuisse, sicut cæteris, quæ in quolibet opere anima sine ulla molestia, et quasi pruritu voluptatis movet? Si enim Creator omnipotens ineffabiliterque laudandus, qui et in minimis suis operibus magnus est, apibus donavit ut sic operentur generationem filiorum, quemadmodum ceræ speciem liquoremque mellis; cur incredibile videatur primis hominibus talia fecisse corpora, ut si non peccassent, et morbum quemdam quo morerentur, continuo non concepissent, eo nutu imperarent membris quibus fetus exoritur, quo pedibus cum ambulatur, ut neque cum ardore seminaretur, neque cum dolore pareretur. Nunc vero transgrediendo præceptum, motum legis illius, quæ repugnat legi mentis, in membris conce-

<sup>1</sup> sic Mss. in editis, quo lignum vetitum.

ptæ mortis habere meruerunt; quem nuptiæ ordinant continentia cohibet et refrenat, ut quemadmodum de peccato factum est supplicium, sic de supplicio fiat meritum.

CAPUT XI. — *Femineus sexus conformatus propter sobolem, non tamen cum libidine, nisi homo peccasset, procreandam. Obedientia.*

19. Factam itaque feminam viro, de viro, in eo sexu in ea forma et distinctione membrorum, qua feminæ notæ sunt; quæ peperit Cain et Abel, et omnes fratres eorum, ex quibus omnes homines nascerentur, in quibus peperit etiam Seth (Gen. IV, 1 et 25), per quem ventum est ad Abraham et ad populum Israel, gentemque omnibus jam notissimam gentibus, et per Noe filios omnes gentes; quisquis dubitaverit, omnia cogit nutare quæ credimus, longeque a fidelium mentibus repellendus est. Cum ergo quaeritur ad quod adiutorium factus sit ille sexus viro, diligenter, quantum valeo, cuncta consideranti, non nisi causa prolis occurrit, ut per eorum stirpem terra impleretur; sed non eo modo procreata, quo nunc procreantur homines, cum inest peccati lex in membris repugnans legi mentis, etiamsi per Dei gratiam virtute superatur : hoc enim esse non potuisse credendum est, nisi in corpore mortis hujus, quod corpus mortuum est propter peccatum. Et quid hac pœna justius, quam ut non ad omnem nutum serviat corpus, id est, suus famulus animæ, sicut Domino suo detrectavit ipsa servire; sive utrumque ex parentibus creet Deus, corpus ex corpore, animam ex anima; sive alio modo faciat animas : non utique ad opus impossibile nec mercede parva, ut cum anima pietate Deo subdita legem istam peccati, quæ est in membris corporis mortis hujus, quam primus homo accepit in pœnam, vicerit ipsa per gratiam, præmium cœlestem percipiat majore gloria, demonstrans quanta sit laus obedientiæ, quæ aliæ inobedientiæ pœnam potuit virtute superare?

CAPUT XII. — *Animalia vere adducta esse ad Adam, ut eis nomina imponeret : sed hac re gesta aliquid figurari.*

20. Sed quoniam cui adiutorio femina facta sit viro, satis, quantum existimo, requisitum est; illud jam videamus quare sit factum, quod adductæ sunt ad Adam omnes bestiæ agri, et omnia volatilia cœli, ut eis nomina imponeret; atque ita velut necessitas oriretur creandi ei feminam ex ejus latere, cum inter illa animalia simile illi adiutorium non fuisset inventum. Videtur enim mihi propter aliquam significationem prophetica factum, sed tamen factum, ut re gesta confirmata figuræ interpretatio libera relinquatur. Quid est enim hoc ipsum quod volatilibus terrestribusque animalibus, non etiam piscibus atque omnibus natatilibus Adam nomina imposuit? Si enim linguæ humanæ consulantur, sic apellantur hæc omnia, quemadmodum eis homines loquendo nomina imposuerunt. Non solum hæc quæ sunt in aquis et terris, verum etiam ipsa terra, et aqua, et cœlum, et quæ videntur in cœlo, et quæ non videntur, sed creduntur, pro diversitate linguarum gentilium, diversis nominibus ap-



pellantur. Unam sane linguam primitus fuisse didicimus, antequam superbia turris illius post diluivium fabricata, in diversos signorum sonos humanam divideret societatem (Gen. xi, 1-8). Quæcumque autem illa lingua fuerit, quid attinet querere? Illa certo tunc loquebatur Adam, et in ea lingua, si adhuc usque permanet, sunt istæ voces articulatae, quibus primus homo animalibus terrestribus et volatilibus nomina imposuit. Num igitur ullo modo credibile est, in eadem lingua nomina piscium non ab homine, sed divinitus instituta, quæ Deo docente homo postea disceret? Quod si ita etiam factum esset, quare ita factum esset, procul dubio mystica significatio resonaret. Sed credendum est, paulatim cognitio piscium generibus nomina imposita: tunc autem cum pecora, et bestiarum, et volatilia ad hominem adducta sunt, ut eis ad se congregatis, generatimque distinctis, nomina imponeret, quibus etiam ipsis paulatim, et multo citius quam piscibus, si hoc factum non esset, posset nomina imponere; quid fuit causæ, nisi ratio aliquid significandi, quod ad prænuntiationem futurorum valeret? Cui rei maxime ordo narrationis hujus invigilat.

21. Deinde, numquid ignorabat Deus, nihil tale se creasse in naturis animalium, quod simile adjutorium posset esse homini? An opus erat ut hoc etiam ipse homo cognosceret, et eo commendatorem haberet uxorem suam, quod in omni carne creata sub cælo, et de hoc acre sicut ipse vivente, nihil ejus simile inveniret? Mirum si hoc scire non posset, nisi omnibus ad se adductis atque perspectis. Si enim Deo crederet, posset hoc illi eo modo dicere, quomodo et præceptum dedit, quomodo et peccantem interrogavit, atque judicavit. Si autem non crederet, profecto neque hoc scire poterat, utrum ad eum omnia ille, cui non crederet, adduxerit; an forte in aliquibus ab illo remotioribus terræ partibus aliqua ei similia, quæ non demonstrasset, absconderit. Non itaque arbitrari dubitandum hoc alicujus prophetiæ significationis gratia factum, sed tamen factum.

22. Neque hoc opere suscepimus prophetica ænigmata perscrutari, sed rerum gestarum fidem ad proprietatem historiæ commendare, ut quod impossibile videri vanis atque incredulis potest, aut ipsi auctoritati sanctæ Scripturæ velut testificatione contraria repugnare, id pro meis viribus, quantum Deus adjuvat, disserendo demonstrarem, neque impossibile esse, neque contrarium; quod autem possibile quidem apparet, nec habet ullam speciem repugnantiam, sed tamen quasi superfluum, vel etiam stultum quibusdam videri potest, hoc ipsum disputando demonstrarem, quod ideo non tanquam rerum gestarum naturali vel usitato ordine factum est, ut cordibus nostris fidelissima sanctarum Scripturarum auctoritate prælata, quia stultum esse non potest, mysticum esse credatur, quamvis ejus expositionem vel inquisitionem aut alibi jam exhibuerimus, aut in tempus aliud differamus.

<sup>1</sup> Negationem hic restitimus ex Mss.; quæ quidem in excessu immerito rejecta fuerat ad marginem.

CAPUT XIII. — *Formatio mulieris eo modo quo narratur facta est, ut quidpiam prænuntiaretur.*

23. Quid ergo sibi vult etiam illud, quod mulier viro de latere facta est? Verum esto propter ipsius conjunctionis vim commendandam hoc ita fieri oportuisse credamus; numquid etiam ut dormienti fieret, eadem ratio vel necessitas flagitabat; ut denique osso de racto, in cuius locum caro suppleretur? Num enim non potuit ipsa caro detrahi, ut inde congruentius, quod sit sexus infirmior, mulier formaretur? An vero tam multis additis, costam Deus ædificare potuit in mulierem, et carnem pulpamve non potuit, qui de pulvere ipsum hominem fecit? Aut si jam costa fuerat detrahenda, cur non altera pro ea costa reposita est? Cur etiam non dictum est, Finxit, aut, fecit sicut in omnibus supra operibus; sed, *ædificavit*, inquit, *Dominus Deus illam costam*, non tanquam corpus humanum, sed tanquam domum? Non est itaque dubitandum, quoniam hæc facta sunt et stulta esse non possunt, ob aliquid significandum esse facta, fructum futuri sæculi ab ipso jam primordio generis humani Deo præscio in ipsis suis operibus misericorditer prædicante; ut certo tempore servis suis, sive per hominum successiones, sive per suum Spiritum vel Angelorum ministerium revelata atque conscripta, et promittendis rebus futuris et recognoscendis impletis testimonium perhiberent: quod magis magisque in consequentibus apparebit.

CAPUT XIV. — *Quomodo animalia adducta ad Adam.*

24. Videamus ergo, quod isto opere suscepimus, non secundum præfigurationem rerum futurarum, sed secundum rerum gestarum non allegoricam, sed propriam significationem, quemadmodum hæc accipi possint: *Et finxit Deus*, inquit, *adhuc de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia coli*; unde jam quod visum est, et quantum visum est, disseruimus. *Et adduxit omnia ea ad Adam, ut videret quid ea vocaret.* Quomodo hæc adduxerit Deus ad Adam, ne carnaliter sapiamus, adjuvare nos debet quod de bipartito opere divinæ providentiæ in libro superiore tractavimus (Cap. 9, 19-26). Neque enim sicut indagant atque adigunt venantes vel aucupantes ad retia, quæcumque animantia capiunt, ita hoc factum esse credendum est; aut vox aliqua junctionis de nube facta est eis verbis, quæ rationales animæ audientes, intelligere, atque obedire assolent. Non enim hoc acceperunt ut possint bestiæ, vel aves: in suo tamen genere obtemperant Deo; non rationali voluntatis arbitrio, sed sicut movet ille omnia temporibus opportunis, non ipse temporaliter motus, per angelica ministeria, quæ capiunt in verbo ejus quid quo tempore fieri debeat: et illo non temporaliter moto, moventur ipsa temporaliter ut in iis quæ sibi subjecta sunt, jussa ejus efficiant.

25. Omnis enim anima viva, non solum rationalis, sicut in hominibus, verum etiam irrationalis, sicut in pecoribus, et volatilibus, et piscibus, visis movetur. Sed anima rationalis voluntatis arbitrio vel consenti visis, vel non consentit: irrationalis autem non ha-

bet hoc iudicium; pro suo tamen genere atque natura viso aliquo tacta propellitur. Nec in potestate ullius<sup>1</sup> animæ est, quæ illi visa veniant, sive in sensum corporis, sive in ipsum spiritum interioris: quibus visus appetitus moveatur cujuslibet animantis. Ac sic cum ea visa per Angelorum obedientiam desuper ministrantur, pervenit jussio Dei non solum ad homines, nec solum ad aves et pecora, verum etiam ad ea quæ sub aquis latent, sicut ad cetum qui glutivit Jonam (Jonæ 11, 4): nec solum ad ista majora, verum etiam ad vermiculum; nam et huic legimus divinitus jussum, ut radicem cucurbitæ roderet, sub cujus umbraculo Propheta requieverat (Id. 11, 6, 7). Si enim homini donavit Deus, sic eum instituit, ut etiam carnem peccati portans, possit non solum pecora et jumenta suis visibus subdita, nec tantum domesticas aves, sed etiam libere volitantes<sup>2</sup> quaslibet etiam sævas feras et capere, et mansuetas facere, et eis mirabiliter imperare potentia rationis, non corporis; cum earum appetitus et dolores captans, paulatimque illectando, premendo, laxandoque moderans, agresti eas exiit consuetudine, et tanquam humanis moribus induit: quanto magis Angeli hoc possunt, qui jussione Dei in ipsa ejus, quam sempiternæ inveniuntur, incommutabili veritate perspecta, moventes se per tempus, et corpora sibi subdita per tempus<sup>3</sup> et locum, agilitate mirabili, et visa quibus moveatur<sup>4</sup>, et appetitum carnalis indigentia, valent efflicere omni animæ vivæ, ut quo eam venire opus est, nesciens adducatur?

CAPUT XV. — *Formatio mulieris non per alium quam Deum.*

26. Jam ergo videamus, ipsa mulieris formatio, quæ mystice etiam ædificatio dicta est, quemadmodum facta sit. Natura quippe mulieris creata est, quamvis ex virili, quæ jam erat, non aliquo motu<sup>5</sup> jam existentium naturarum. Angeli autem nullam omnino possunt creare naturam: solus enim unus cujuslibet naturæ, seu magnæ seu minimæ, creator est Deus, id est ipsa Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Aliiter ergo quaeritur, quemadmodum sit soporatus Adam, costaque ejus sine ullo doloris sensu a corporis compage detracta sit. Hæc enim fortasse dicantur potuisse per Angelos fieri; formare autem vel ædificare costam, ut mulier esset, usque adeo non potuit nisi Deus, a quo universa natura subsistit, ut ne illud quidem carnis supplementum in corpore viri, quod in illius costæ successit locum, ab Angelis factum esse crediderim, sicut nec ipsum hominem de terræ pulvere: non quod nulla sit Angelorum opera, ut aliquid creatur, sed non ideo creatores sunt; quia nec agricolæ creatores segetum atque arborum dicimus. Non enim qui plantat est aliquid, nec

<sup>1</sup> Sic Mss. in editis, *illius*.

<sup>2</sup> Sic Mss. At editi, *liberæ voluntatis*.

<sup>3</sup> Apud Lov. desunt hæc verba, *et corpora sibi subdita per tempus*, quæ exstant in cæteris codicibus.

<sup>4</sup> Editi, *et jussa quibus moveantur*. Mss. non omnes, *visa*; sed omnes, *moveatur*, scilicet anima vivæ.

<sup>5</sup> Hic Mss. magno consensu ferunt, *non aliqui motus*. An forte subintelligendum est, *erant*?

que qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (I Cor. 11, 7). Ad hoc incrementum pertinet etiam in corpore humano, quod osse dempto, locus carne suppletus est, illo scilicet opere Dei, quo naturas substituit ut sint, quo ipsos quoque Angelos creavit.

27. Opus itaque agricolæ est ut aquam ducat cura rigat: non autem opus ejus est ut aqua per declivia prolatur; sed illius qui omnia in mensura, et numero, et pondere disposuit (Sap. 11, 21). Item opus agricolæ est ut surculus avellatur ex arbore, terraque mandetur: at non opus ejus est ut succum imbibat, ut germen emittat, ut aliud ejus solo figat. quo radicem stabiliat, aliud in auras promovet, quo robur nutriat, ramosque diffundat; sed illius qui dat incrementum. Medicus etiam agro corpori alimentum adhibet, et vulnerato medicamentum: primum non de rebus quas creavit, sed quas creatas opere Creatoris invenit: deinde cibum vel potum præparare potuit et ministrare, emplastrum formare et medicamento illitum<sup>6</sup> apponere; num etiam ex iis quæ adhibet, operari et creare vires vel carnes potest? Natura id agit interiore motu, nobisque occultissimo. Cui tamen si Deus subtrahat operationem intimam, qua eam substituit et facit, continuo tanquam exstincta, nulla remanebit.

28. Quapropter cum Deus universam creaturam suam bipartito quodammodo opere providentiæ, de quo in superiore libro locuti sumus (Cap. 9, 19-26), et in naturalibus et in voluntariis motibus administret, creare naturam tam nullus angelus potest, quam nec seipsum. Voluntas vero angelica obedienter Deo subdita, ejusque exsecuta jussionem, naturalibus motibus de rebus subjectis tanquam materiam ministrare, ut secundum illas principales in Verbo Dei non creatas, vel secundum illas in primis sex dierum operibus causaliter creatas rationes aliquid in tempore creetur, more agricolandi vel medendi potest. Quale itaque ministerium Deo exhibuerint Angeli in illa mulieris formatione, quis audeat affirmare? Certissime tamen dixerim, supplementum illud carnis in costæ locum, ipsiusque feminae corpus et animam conformationemque membrorum, omnia viscera, sensus omnes, et quidquid erat quo illa et creatura et homo et femina erat, non nisi in illo opere Dei factum, quod Deus non per Angelos, sed per semetipsum, non operatus est et dimisit, sed ita continuanter operatur, ut nec ullarum aliarum rerum, nec ipsorum Angelorum natura subsistat, si non operetur.

CAPUT XVI. — *Tarditas ingenii humani non assequitur opera Dei.*

29. Sed quoniam carnem animatam atque sentientem, quantum naturam rerum pro humano captu experiri potuimus, non novimus nasci, nisi aut ex istis tanquam materialibus elementis, hoc est aqua et terra, aut ex fruticibus vel lignorum fructibus, vel etiam ex carnibus animalium, sicut innumerabilia genera vermium sive reptilium, aut certe ex concubitu parentum, nullam autem carnem natam scimus ex

<sup>6</sup> Editi, *medicamenta illico*. At Mss., *medicamento illitum*.

carne ejuslibet animantis, quæ tam esset ei similis, ut sexu tantum discerneretur; quærimus in rebus creationis hujus similitudinem, qua mulier de viri latere facta est, nec possumus invenire: non ob aliud, nisi quia homines quemadmodum operentur in hac terra novimus; quemadmodum autem Angeli in hoc mundo quodammodo agricolentur, non utique novimus. Nam profecto si remota hominum industria fructuum genus naturæ cursus operaretur, nihil aliud nossemus quam ex terra nasci arbores et herbas, et ex æerum seminibus, ab eis itidem in terram cadentibus: numquid innotesceret nobis quid valeret insitio, ut alterius generis lignum radice propria, poma portaret aliena, et, coalescente unitate, jam sua? Hæc per agriculturalium opera didicimus, cum ipsi creatores arborum nullo modo essent, sed naturæ cursum Deo creanti suum quoddam officium ministeriumque præberent. Nequaquam enim quidquam per eorum opera existeret, si hoc in Dei opere intima naturæ ratio non haberet. Quid ergo mirum si hominem ex osse hominis factam non novimus, quando creanti Deo quemadmodum Angeli serviant ignoramus; qui nec arborem ex arboris surculo in robore alieno factam nosse possemus, si et ista Deo creanti quemadmodum agricolæ serviant, similiter nesciremus?

30. Nullo modo tamen dubitamus et hominum et arborum nonnisi Deum esse creatorem, fideliterque credimus factam feminam ex viro, nullo interveniente concubitu, etiamsi forte costa hominis ministrata sit per Angelos in opere Creatoris: sicut fideliter credimus etiam virum factum ex femina nullo interveniente concubitu, cum semen Abrahæ dispositum est (a) per Angelos in manu mediatoris (*Galat. iii, 19*). Utrumque infidelibus incredibile est; fidelibus autem cur ad rei gestæ proprietatem quod de Christo factum est, et tantum ad figuratam significationem quod de Eva scriptum est, credibile videatur? An vero sine ejusquam concubitu vir ex femina fieri potuit, femina ex viro non potuit? et virginalis uterus nude vir fieret habebat, virile autem latus unde femina fieret non habebat, cum hic Dominus de famula nasceretur, ibi de servo famula formaretur? Poterat et Dominus carnem suam de costa vel de aliquo membro Virginis creare; sed qui posset ostendere in corpore suo hoc se iterum fecisse quod factum est, utilius in matris corpore ostendit nihil pudendum esse quod castum est.

CAPUT XVII. — *Mulieris formandæ ratio an in hominis causali conditione ad sextum diem pertinere præexistabat.*

31. Quod si queritur, quomodo se habeat causalis illa conditio, in qua primum hominem Deus fecit ad imaginem ac similitudinem suam (ibi quippe et hoc dictum est, *Masculum et feminam fecit eos [Gen. i, 27]*): ntrum jam illa ratio, quam mundi primis operibus concreavit, atque concrevit Deus, id habebat, ut secundum eam jam necesse esset ex viri latere feminam

fieri; an hoc tantum habebat ut fieri posset, ut autem ita fieri necesse esset, non ibi jam conditum, sed in Deo erat absconditum: si hoc ergo queritur, dicam quid mihi videatur sine afflicandi temeritate; quod tamen cum dixerò, fortasse prudenter ista considerantes, quos jam christiana fides imbuat, etiam si nunc primitus ista cognoscunt, non esse dubitandum judicabunt.

32. Omnis iste naturæ usitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas, secundum quas et spiritus vitæ, qui creatura est, habet quosdam appetitus suos determinatos quodammodo, quos etiam mala voluntas non possit excedere. Et elementa mundi hujus corporei habent definitam vim qualitatemque suam, quid unumquodque valeat vel non valeat, quid de quo fieri possit vel non possit. Ex his velut primordiis rerum, omnia quæ gignantur, suo quoque tempore exortus processusque sumunt, finesque et decessiones sui cujusque generis. Unde fit ut de grano tritici non nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus. Super hunc autem motum<sup>1</sup> cursumque rerum naturalem, potestas Creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi seminales rationes habent, non tamen id quod non in eis posuit ut de his fieri vel ab ipso possit<sup>2</sup>. Neque enim potentia temeraria, sed sapientiam virtute omnipotens est; et hoc de unaquaque re in tempore suo facit, quod ante in ea fecit ut possit. Alius ergo est rerum modus quo illa herba sic germinat, illa sic; illa ætas parit, illa non parit; homo loqui potest, pecus non potest. Horum et tallum modorum rationes non tantum in Deo sunt, sed ab illa etiam rebus creatis inditæ atque concreatæ<sup>3</sup>. Ut autem lignum de terra excisum, aridum, perpolitum, sine radice ulla, sine terra et aqua repente floreat, et fructum gignat (*Num. xvii, 8*), ut per juventam sterilis femina in senecta pariat (*Gen. xviii, 11, et xxi, 2*), ut asina loquatur (*Num. xxii, 28*), et si quid ejusmodi est, dedit quidem naturis, quas creavit, ut ex eis et hæc fieri possent (neque enim ex eis vel ille faceret quod ex eis fieri non posse ipse præfigeret, quoniam seipso non est nec ipse potentior): verumtamen alio modo dedit, ut non hæc haberent in motu naturali, sed in eo quo ita creata essent, ut eorum natura voluntati potentiori amplius subjaceret.

CAPUT XVIII. — *Mulieris formandæ ratio sic præexistebat uti erat Mysterio conveniens.*

33. Habet ergo Deus in seipso absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit; easque implet non illo opere providentiæ, quo naturas substituit ut sint, sed illo quo eas administrat ut voluerit, quas ut voluit condidit. Ibi est et gratia, per quam salvi fiunt peccatores. Nam quod attinet ad naturam iniqua sua volutate depravatam, recursum per semetipsam non habet, sed per Dei gratiam, qua

<sup>1</sup> Mss. sex, modum.

<sup>2</sup> Sic Mss. omnes. At excusi sublata negatione perperam ferebant: quod in eis posuit, ut de his fieri vel absque ipso possit.

<sup>3</sup> Mss., concreatæ.

<sup>1</sup> In editis, non videatur. Absc non a Mss.  
(a) II Retract. c. 21, n. 2.

adjuvatur et instauratur. Neque enim desperandi sunt homines in illa sententia, in qua scriptum est: *Omnes qui ambulat in ea, non revertentur* (*Prov. II, 19*). Dicitur enim secundum pondus iniquitatis suæ, ut quod revertitur, qui revertitur, non sibi tribuat, sed gratiæ Dei, non ex operibus, ne forte extolatur (*Ephes. II, 9*).

34. Propterea mysterium gratiæ hujus Apostolus absconditum dixit, non in mundo, in quo sunt absconditæ causales rationes omnium rerum naturaliter oriturarum, sicut absconditus erat Levi in lumbis Abrahæ, quando et ipse decimatus est (*Hebr. VII, 9, 10*); sed in Deo, qui universa creavit. Quamobrem omnia etiam quæ ad hanc gratiam significandam, non naturali motu rerum, sed mirabiliter facta sunt, eorum etiam absconditæ causæ in Deo fuerant: quorum etiam si unum erat <sup>1</sup>, quod ita mulier facta est de latere viri, et hoc dormientis, quæ per ipsum firma facta est, tanquam ejus osse firmata, ille autem propter ipsam infirmus, quia in locum costæ non costata sed caro suppleta est; non habuit hoc prima rerum conditio, quando sexto die dictum est, *Masculum et feminam fecit eos*, ut femina omnino sic fieret; sed tantum hoc habuit, quia et sic fieri posset, ne contra causas quas voluntate instituit, mutabili voluntate aliquid fieret. Quid autem fieret, ut omnino aliud futurum non esset, absconditum erat in Deo, qui universa creavit.

35. Sed quoniam sic dixit absconditum, ut innotesceret principibus et potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei (*Ephes. III, 9, 10*); probabiliter creditur, sicut illud semen cui promissum est, dispositum est per Angelos in manu mediatoris, sic omnia quæ ad ipsius seminis adventum vel prænuntiandum vel annuntiandum in rerum natura,

<sup>1</sup> Sic Mss. Editi vero habent, *etiam summum erat*.

præter usitatum naturæ cursum mirabiliter facta sunt, ministrantibus Angelis esse facta: ut tamen ubique creator vel reparator creaturarum non sit, nisi qui plantatore et rigatore quolibet solus incrementum dat Deus (*I Cor. III, 7*).

#### CAPUT XIX. — *Ecstasis Adæ.*

36. Ac per hoc etiam illa ecstasis quam Deus immisit in Adam, ut soporatus obdormiret, recte intelligitur ad hoc immissa, ut et ipsius mons per ecstasim particeps fieret tanquam angelicæ curiæ, et intrans in sanctuarium Dei intelligeret in novissima <sup>1</sup> (*Psal. LXXII, 17*). Denique evigilans tanquam prophetiæ plenus, cum ad se adductam costam <sup>2</sup>, mulierem suam videret, eructavit continuo, quod magnum sacramentum commendat Apostolus (*Ephes. V, 31, 32*): *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta est: et propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una*. Quæ verba cum primi hominis fuisse Scriptura ipsa testatur, Dominus tamen in Evangelio Deum dixisse declaravit. Ait enim, *Non legistis quia qui fecit <sup>3</sup> ab initio, masculum et feminam fecit eam: et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una* (*Matth. XIX, 4*)? ut hinc intelligeremus propter ecstasim quæ præcesserat in Adam, hoc eum divinitus tanquam prophetam dicere potuisse. Sed jam iste hujus libri terminus placet, ut ea quæ sequuntur, ab alio exordio renovent intentionem legentium.

<sup>1</sup> Editi, *intelligeret novissima*. At Mss., *in novissima*: ut passim Augustinus in *Psal. LXXII, 17*, juxta græc. interpr. *LXX, sumo eis ta eschala*.

<sup>2</sup> Nonnulli codices omittunt, *costam*. Et paulo post Mss. vetustissimi scriptum habent, *eructavit*.

<sup>3</sup> Vulgata versio in Evangelio addit hic, *hominem*: quæ vox abest a græco textu, imo et a latino in Germanensibus Bibliis Mss., necnon ab omnibus libris in hoc opere Augustini.

## LIBER DECIMUS.

In quo tractatur de animarum origine.



### CAPUT PRIMUM. — *Animam mulieris ex anima viri factam esse quorundam opinio.*

1. Jam quidem ordo ipse videtur exposcere ut de peccato primi hominis disseramus; sed quia de carne mulieris, quemadmodum facta sit, Scriptura narravit, tacuit autem de anima, multo magis nos fecit intentos, ut de hoc diligentius inquiramus, quoniam modo refelli possint, sive non possint, qui credunt animam de anima hominis, sicut carnem de carne fieri, a parentibus in filios utriusque rei transfusis seminibus. Hinc enim primitus ad hoc moventur, ut dicant quod unam animam Deus fecerit, sufflando in faciem hominis, quem de pulvere suserat, ut ex illa jam cæteræ crearentur animæ hominum, sicut ex illius carne omnis etiam caro hominum. Quoniam primo Adam formatus est, deinde Eva: et ille quidem

unde habuerit corpus, unde animam, dictum est; corpus videlicet pulverem terræ, animam vero flatum Dei: at illa de illius latere cum facta dicatur, non dicitur quod eam Deus flando similiter animaverit, tanquam utrumque de illo ductum sit, qui jam fuerat animatus. Aut enim taceri oportuit, inquit, etiam de anima viri, ut eam, sicut possemus, datam divinitus vel intelligeremus, vel certe crederemus: aut si hoc propterea Scriptura non tacuit, ne animam quoque sicut carnem hominis de terra factam esse putarem, debuit et de mulieris anima non taceri, ne putaretur ex traduce, si hoc verum non est. Quapropter ideo tacitum est, inquit, quod in ejus faciem flaverit Deus, quia illud verum est, quod et anima ex homine propagata est.

2. Huic suspitioni facile occurritur. Si enim vro-

pterea putant animam mulieris ex anima viri factam, quia non scriptum est quod in mulieris faciem flaverit Deus; cur credunt ex viro animatam feminam, quando ne id quidem scriptum est? Unde si Deus omnes animas hominum nascentium, sicut primam, fecit, propterea Scriptura de aliis tacuit, quoniam posset quod in una factum commemoratum est, etiam de cæteris prudenter intelligi. Itaque si oportuit nos per hanc Scripturam de hac re aliquid admoneri, magis si aliquid aliud fiebat in femina, quod in viro factum non erat, ut ex carne animata ejus anima duce-retur, non sicut viri ejus aliunde corpus, aliunde anima; hoc ipsum quod alio modo fiebat, Scriptura potius tacere non debuit, ne hoc itidem factum puta-remus quod jam de illo didiceramus. Proinde quia non dixit ex anima viri factam esse animam mulieris, convenientius creditur eo ipso nos admonere voluisse, nihil hic aliud putare, quam de viri anima noveramus, id est, similiter datam esse mulieri: cum præsertim esset evidentissima occasionis locus, ut si non tunc quando formata est, postea certe diceretur, ubi ait Adam, *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (Gen. 2, 23). Quanto enim charius amantiusque diceret, Et anima de anima mea? Non tamen hinc tam magna quæstio jam soluta est, ut unum horum manifestam certumque teneamus.

CAPUT II. — *Quid in superioribus libris investigatum circa originem animæ.*

3. Quamobrem primum videndum est, utrum sancta Scriptura libri hujus, ab ejus exordio pertractata, hinc nos dubitare permittat: tunc recte fortasse requiremus, aut quamnam sententia potius eligenda sit, aut in rei hujus incerto quem modum tenere debeamus. Certe enim sexto die *fecit Deus hominem ad imaginem suam*; ubi etiam dictum est, *Masculum et feminam fecit eos* (Gen. 1, 27). Quorum illud superius, ubi imago Dei commemorata est, secundum animam; hoc autem, ubi sexus differentia, secundum carnem accipiebamus (Lib. 6 et 7). Et quoniam tot ac tanta testimonia, quæ ibi considerata atque tractata sunt, nos non sinebant eodem ipso sexto die etiam formatum de limo hominem mulieremque de latere ejus accipere, sed hoc postea factum esse post illa primitus opera Dei, in quibus creavit omnia simul (Eccli. XVIII, 1); quæsi-vimus quid de hominis anima crederemus, discussisque omnibus disceptationis nostræ partibus, illud credibilis vel tolerabilis dici visum est, quod ipsa hominis anima in illis operibus facta est, corporis vero ejus in mundo corporeo tanquam in semine ratio: ne cogere-mur contra verba Scripturæ aut sexto die totum factum dicere, id est, et de limo virum, et de ejus latere feminam; aut in illis sex dierum operibus nullo modo esse factum hominem; aut corporis humani causalem rationem tantummodo factam, animæ autem nullam, cum potius secundum ipsam sit homo ad imaginem Dei: aut certe etsi non contra verba Scripturæ aperte posita, tamen dure atque intolerabiliter diceremus, vel in ea creatura spiritali, quæ ad hoc tantummodo creata esset, factam fuisse ani-

mæ humanæ rationem, cum ipsa creatura, in qua ista ratio facta diceretur, non commemoraretur in operibus Dei; vel in aliqua creatura, quæ in illis commemoraretur operibus, factam rationem animæ, velut in hominibus qui jam sunt, facta ratio<sup>1</sup> latet generandorum filiorum: ac sic eam vel Angelorum filiam, vel, quod est intolerabilius, alicujus elementi corporei crederemus.

CAPUT III. — *Originis animarum triplex modus.*

4. Sed nunc si ob hoc mulier non de viro, sed similiter ut ille, a Deo factam animam asseritur accepisse, quia singulas singulis Deus facit, non erat facta in illis primis operibus anima feminæ: aut si generalis omnium animarum ratio facta fuerat, sicut in hominibus ratio gignendi, reditur ad illud durum ac molestum, ut vel Angelorum, vel, quod indignissimum est, cœli corporei, vel alicujus etiam inferioris elementi filias animas hominum esse dicamus. Ac per hoc videndum est, etsi latet quid verum sit, quid saltem tolerabilius dici possit: utrum hoc quod modo dixi, an in illis primis Dei operibus unam animam primi hominis factam, de cujus propagine omnes hominum animæ crearentur; an novas subinde animas fieri, quarum nulla vel ratio facta præcesserit in primis illis sex dierum operibus Dei. Horum autem trium duo priora non repugnant primis illis conditionibus, ubi simul omnia creata sunt. Sive enim in aliqua creatura tanquam in parente ratio animæ facta sit, ut omnes animæ ab illa generentur, a Deo autem creentur, quando singulis hominibus dantur, sicut a parentibus corpora; sive non ratio animæ velut in parente ratio prolis, sed ipsa omnino cum factus est dies facta sit anima, sicut ipse dies, sicut cœlum et terra, et luminaria cœli; congruenter dictum est, *Fecit Deus hominem ad imaginem suam.*

5. Hoc vero tertium quomodo non repugnet ei sententiæ qua et sexto die factus accipitur homo ad imaginem Dei, et post diem septimum visibiliter creatus, non tam facile videri potest. Novas quippe animas fieri, quæ neque ipsæ, neque ratio earum, tanquam in parente prolis, sexto illo die facta sit cum his operibus, a quibus consummatis, et inchoatis Deus in die septimo requievit; si dixerimus, cavendum est ne frustra tam diligenter Scriptura commendat sex diebus consummasse Deum omnia opera sua, quæ fecit bona valde, si aliquas adhuc naturas fuerat creaturas, quas nec ipsas nec earum ibi rationes causaliter fecerit: nisi intelligatur, rationem quidem singillatim faciendarum animarum nascentibus quibusque dandarum in seipso habere, non in creatura aliqua condidisse; sed quia non alterius generis creatura est anima, quam illius secundum quam sexto die factus est homo ad imaginem Dei, non recte dici<sup>2</sup> Deum eam facere nunc, quæ tunc non consummavit. Jam enim tunc animam fecerat, quales et nunc facit; et ideo non aliquid novum creaturæ genus nunc facit, quod tunc in suis consummatis operibus non creavit: nec con-

<sup>1</sup> Editi: *velut in omnibus, qui scdm sunt facti, ratio.* Melius Mss., *velut in hominibus qui jam sunt, facta ratio.*

<sup>2</sup> Editi, *dicimus*; sed concinnius Mss., *dicit*.

tra illas causales rationes rerum futurarum, quas universitati tunc indidit, hæc ejus operatio est, sed potius secundum ipsas; quandoquidem corporibus humanis, quorum ex illis primis operibus propagatio continuata successione protenditur, tales congruit animas inseri, quales nunc facit atque inserit.

6. Quapropter jam nihil timentes, ne contra verba libri hujus, quæ de prima illa sex dierum conditione conscripta sunt, quælibet harum trium sententiarum probabilitas viccrit, sentire videamur; suscipiamus diligentiorum questionis hujus pertractationem, quantum adjuvat Deus: ne forte fieri possit ut si non liquidam, de qua dubitari ultra non debeat, tam certe acceptabilem de hac re sententiam nanciscamur, ut eam tenere donec certum aliquid clucescat, non sit absurdum. Quod si ne hoc quidem potuerimus, documentorum momentis undique pariterque nutantibus, saltem non videbitur nostra dubitatio laborem devitasse querendi, sed affirmandi temeritatem: ut me, si quis recte jam certus est, docere dignetur; si quem vero nec divini eloquii, nec perspicuæ rationis auctoritas, sed sua præsumptio certum fecerat, dubitare mecum non dedignetur.

CAPUT IV. — *De animæ natura et origine quid certum.*

7. Ac primum illud firmissime teneamus, animæ naturam nec in naturam corporis converti, ut quæ jam fuit anima, fiat corpus; nec in naturam animæ irrationalis, ut quæ fuit anima hominis, fiat pecoris; nec in naturam Dei, ut quæ fuit anima, fiat quod est Deus: atque ita vicissim nec corpus, nec animam irrationalem, nec substantiam quæ Deus est, converti et fieri animam humanam. Illud etiam non minus certum esse debet, animam non esse nisi creaturam Dei. Quapropter si neque de corpore, neque de anima irrationali, neque de seipso Deus animam hominis fecit, restat ut aut de nihilo eam faciat, aut de aliqua spiritali, tamen rationali creatura. Sed de nihilo fieri aliquid consummatis operibus, quibus creavit omnia simul, violentum est velle monstrare; et utrum perspicuis documentis obtineri possit, ignoro. Nec exigendum est a nobis quod vel comprehendere homo non valet; vel si jam valeat, mirum si persuadere cuiquam potest, nisi tali, qui etiam nullo homine docere conante, potest etiam ipse tale aliquid intelligere. Tutius est igitur de hujusmodi rebus non humanis agere conjecturis, sed divina testimonia perscrutari.

CAPUT V. — *Anima nec ex Angelis, nec ex elementis, nec ex Dei substantia.*

8. Quod ergo ex Angelis, tanquam parentibus Deus creet animas, nulla mihi de canonicis Libris occurrit auctoritas. Multo minus itaque ex mundi corporeis elementis: nisi forte illud movet, quod apud Ezechielem prophetam cum demonstratur resurrectio mortuorum, redintegratis corporibus, ex quatuor ventis cæli advocatur spiritus, quo perfante vivificentur, ut surgant. Sic enim scriptum est: *Et dixit mihi Dominus, Propheta super spiritum; propheta, filii hominis, et dic ad spiritum, Hæc dicit Dominus, A quatuor partibus*

*ventorum cæli veni, et inspira in mortuos hos, et vivant. Et prophetavi, sicut præcepit mihi Dominus, et introivit spiritus vitæ in eos, et revixerunt, et steterunt super pedes suos, congregatio multa valde (Ezech. xxxvii, 9, 10). Ubi mihi videtur propheticæ significationum, non ex illo tantum campo ubi res ipsa demonstrabatur, sed ex toto orbe terrarum resurrecturos homines, et hoc per flatum quatuor mundi partium fuisse figuratum. Neque enim etiam flatus ille ex corpore Domini, substantia erat Spiritus sancti, quando sufflavit et ait, *Accipite Spiritum sanctum (Joan. xx, 22)*; sed utique significatum est, sic etiam ab ipso procedere Spiritum sanctum, quomodo ab ejus corpore flatus ille processit. Sed quia mundus non ita Deo coaptatur ad unitatem personæ, sicut caro illa Verbo ejus unigenito Filio; non possumus dicere ita esse animam de substantia Dei, quemadmodum flatus ille a quatuor ventis de natura mundi factus est: sed tamen aliud eum fuisse, aliud significasse puto; quod exemplo flatus ex corpore Domini procedentis recte intelligi potest: etiamsi Ezechiel propheta illo loco non resurrectionem carnis, qualis proprie futura est, sed inopinatam desperati populi reparationem per Spiritum Domini, qui replevit orbem terrarum (*Sap. 1, 7*), figurata revelatione prævidit.*

CAPUT VI. — *Opiniones de anima duæ ad Scripturæ testimonia expendendæ.*

9. Illud ergo jam videamus, cuiam potius sententiæ divina testimonia suffragentur: eina qua dicitur animam unam Deum fecisse, et dedisse primo homini, unde cæteras faceret, sicut ex ejus corpore cætera hominum corpora; an ei qua dicitur singulas singulis facere, sicut illi unam, non ex illa cæteras. Illud enim quod per Isaiam dicit, *Omnes statum ego feci (Isai. lvii, 16)*, cum hoc eum de anima dicere, quæ sequuntur satis ostendant, ad utrumque accipi potest. Nam sive ex una primi hominis anima, sive ex aliquo suo secreto, omnes procul dubio animas ipse facit.

10. Et illud quod scriptum est, *Qui fixit singillatim corda eorum (Psal. xxxii, 15)*, si nomine cordium voluerimus animas intelligere, neque hoc repugnat cuiquam duorum de quibus nunc ambigimus. Sive enim ex una illa quam flavit in faciem primi hominis, ipse utique singulas fingit, sicut etiam corpora; sive singulas vel fingat et mittat, vel in eis ipsis quibus miserit, eas fingat: quanquam hoc non mihi videatur dictum, nisi ex eo quod per gratiam nostræ animæ ad imaginem Dei renovatione formantur. Unde dicit Apostolus: *Gratia enim salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed donum Dei est; non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figuratum, creatum in Christo Jesu in operibus bonis (Ephes. ii, 8-10)*. Non enim per hanc gratiam fidei corpora nostra creata vel ficta possumus intelligere, sed sicut in Psalmo dictum est, *Cor mundum crea in me, Deus (Psal. l, 12)*.

11. Hinc etiam illud esse puto, *Qui fixit spiritum hominis in ipso (Zach. xii, 1)*; tanquam aliud sit factam animam mittere, aliud in ipso homine facere,

id est, reficere ac renovare. Sed etiam hoc si non de gratia, in qua renovamur, sed de natura, in qua nascimur, intelligamus, ad utramque sententiam duci potest: quia vel ex una illa primi hominis tanquam semen animæ attractum ipse fugit in homine, ut vivificet corpus; sive spiritum vitæ, non ex illa propagine, sed aliunde corpori infusum, ipse itidem fugit per mortales seusus carnis, ut fiat homo in animam vivam.

CAPUT VII. — *Utri opinioni faveat illud, Sortitus sum animam bonam, etc.*

12. Illud sane de libro Sapientiæ, ubi ait, *Sortitus sum animam bonam, et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum* (Sap. viii, 19, 20); diligentior considerationem flagitat. Magis enim videtur attestari opinioni qua non ex una propagari, sed desuper animæ venire creduntur ad corpora. Verumtamen quid est, *Sortitus sum animam bonam?* quasi aut in illo animarum fonte, si ullus est, aliæ sint animæ bonæ, aliæ non bonæ, quæ sorte quadam exeant, quænam cui homini tribuatur; aut alias Deus ad horam conceptorum vel nascentium faciat bonas, alias non bonas, quarum quisque habeat sorte, quæ acciderit. Mirum si hoc eos saltem adjuvat, qui credunt animas alibi factas, singillatim mitti a Deo singulis quibusque corporibus hominum, ac non illos potius, qui pro meritis operum, quæ ante corpus egerunt, in corpora mitti animas dicunt. Secundum quid enim aliæ bonæ, aliæ non bonæ venire ad corpora possunt putari, nisi secundum opera sua? Neque enim secundum naturam, in qua sunt ab illo qui omnes naturas bonas facit. Sed absit ut contradicamus Apostolo, qui dicit nondum natos nihil egisse boni aut mali, unde confirmat non potuisse ex operibus dici, sed ex vocante, *Major serviet minori*; cum de geminis ageret adhuc in Rebecæ utero constitutis (Rom. ix, 10-13). Sequestremus ergo paululum hoc de libro Sapientiæ testimonium: neque enim negligendi sunt, seu errent, seu verum sapiant, qui hoc specialiter et singulariter de anima illa dictum putant mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu. Quod, si necesse fuerit, quale sit postea considerabimus, ut si Christo convenire non potuerit, quæramus quemadmodum id accipere debeamus, ne contra apostolicam veniamus fidem, putantes habere animas aliqua merita operum suorum, priusquam incipiant in corporibus vivere.

CAPUT VIII. — *Neutri sententiæ adversari illud, Auferes spiritum, etc.*

13. Nunc illud videamus, quemadmodum dictum sit, *Auferes spiritum eorum, et deficiet, et in pulverem cinis convertentur. Emittes spiritum tuum, et creabuntur; et innovabis faciem terræ* (Psal. ciii, 29, 30). Pro illis enim qui arbitrantur animas ex parentibus sicut corpora creari, hoc videtur sonare, cum sic intelligatur, ut spiritum eorum propterea dixerit, quod eum homines ex hominibus acceperint: qui cum mortui fuerint, non eis poterit ab hominibus reddi, ut resurgant; quia non rursus, quemadmodum quando nati sunt, a parentibus ducitur, sed Deus eum reddet, qui

resuscitat mortuos (II Machab. vii, 25). Ac per hoc eundem spiritum dixit eorum cum moriuntur, Dei autem cum resurgunt. Quod possunt illi, qui non ex parentibus, sed Deo mittente, animas venire asserunt, pro sua opinione sic intelligere, ut eorum dixerit spiritum cum moriuntur, quia in eis erat, et ab eis exit; Dei autem cum resurgunt, quod ab ipso mittitur, ab ipso redditur: proinde hoc etiam testimonium neutris eorum adversatur.

14. Ego vero arbitror melius intelligi hoc dictum de gratia Dei, qua interius renovamur. Omnium enim superbiorum secundum terrenum hominem viventium, et de sua vanitate præsumentium, quodammodo auferitur spiritus proprius, cum exuunt se veterem hominem, et infirmantur, ut perficiantur expulsa superbia, dicentes Domino per humilem confessionem, *Memento quia pulvis sumus* (Psal. cii, 14): quibus dictum erat, *Quid superbit terra et cinis* (Eccli. x, 9)? Per oculum quippe fidei contuentes Dei justitiam, ut non velint constituere suam (Rom. x, 3), semetipsos despiciunt, sicut Job dicit, et distabescunt, et æstillant se terram et cinerem: hoc est enim, *Et in pulverem suum convertentur*. Accepto autem Spiritu Dei, dicunt: *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus* (Galat. ii, 20). Sic innovatur facies terræ, per Novi Testamenti gratiam, numerositate sanctorum.

CAPUT IX. — *Item illud, Et convertatur, etc., inter utramque opinionem consistere.*

15. Illud etiam quod apud Ecclesiasten scriptum est, *Et convertatur pulvis in terram, sicut fuit, et spiritus revertatur ad Deum qui dedit eum* (Eccli. xii, 7), neutri sententiæ contra alteram suffragatur, sed inter utramque consistit. Cum enim isti dixerint hinc probari non a parentibus, sed a Deo animam dari, quod converso pulvere in terram suam, id est carne, quæ de pulvere facta est, revertetur spiritus ad Deum qui dedit illum; respondent illi: Utique ita est. Redit enim spiritus ad Deum, qui eum dedit homini primo, quando in ejus faciem sufflavit (Gen. ii, 7), converso pulvere, id est humano corpore, in terram, unde primitus factum est (Id. iii, 19). Neque enim ad parentes erat spiritus rediturus, quamvis inde sit creatus ex illo uno qui homini primo datus est; sicut nec ipsa caro post mortem ad parentes revertitur, a quibus eam certe constat esse propagatam. Quemadmodum ergo caro non redit ad homines ex quibus creata est, sed ad terram unde primo homini formata est; ita et spiritus non redit ad homines a quibus transfusus est, sed ad Deum a quo primæ illi carni datus est.

16. Quo testimonio sane satis admonemur, ex nihilo Deum fecisse animam quam primo homini dedit, non ex aliqua jam facta creatura, sicut corpus ex terra: et ideo cum redit, non habet quo redeat, nisi ad auctorem qui eam dedit; non ad eam creaturam ex qua facta est, sicut corpus ad terram. Nulla est enim creatura ex qua facta est, quia ex nihilo facta

<sup>1</sup> Juxta græcum *mnesthêti*. Sic etiam vetus Psalterium et Romanum, itemque Arabicum et Æthiopicum. At vulgata, *recordatus est*.

est; ac per hoc ad factorem redit quæ redit, a quo ex nihilo facta est. Non enim omnes redeunt, quoniam sunt de quibus dicitur, *Spiritus ambulans, et non revertens* (*Psal. LXXVII, 30*).

CAPUT X. — *Quæstio de anima non facile solvitur ex Scripturis.*

17. Quocirca difficile est quidem omnia de hac re Scripturarum sanctarum testimonia colligere; quod etsi fieri possit, ut non solum commemorentur sed etiam pertractentur, in magnam sermonis longitudinem pergunt: sed tamen nisi aliquid tam certum profertur, quam certa proferuntur quibus ostenditur quod Deus animam fecerit, vel quod eam primo homini dederit, quoniam modo per divini eloquii testimonium ista quæstio solvatur ignoro. Si enim scriptum esset quod similiter sufflaverit Deus in faciem formatæ mulieris, et facta fuerit in animam vivam; jam quidem plurimum lucis accederet, qua cuique formatæ carni hominis non ex parentibus dari animam crederemus: adhuc tamen expectaretur quid proprie teneretur in prole, qui nobis modus usitatus est hominis ex homine. Prima vero mulier aliter facta est, et ideo adhuc dici posset animam propterea non ex Adam divinitus Evæ datam, quia non ex illo tanquam proles orta est. Si autem homini qui primus ex illis natus est, commemoraret Scriptura non ex parentibus ductam, sed desuper animam datam, illud jam in cæteris, etiam tacente Scriptura, oporteret intelligi.

CAPUT XI. — *An utrique sententiæ possit accommodari illud, Per unum hominem, etc. Baptismus infantium.*

18. Nunc itaque et illud consideremus, utrum neutram confirmet sententiam, sed utrique possit accommodari, quod scriptum est, *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*: et paulo post, *Sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita et per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi* (*Rom. v, 12, 13, 19*). Ex his enim verbis Apostoli, qui defendunt animarum propaginem, sententiam suam sic astruere moliantur: Si secundum solam carnem, inquirunt, potest intelligi peccatum vel peccator, non cogimur in his verbis ex parentibus animam credere; si autem quamvis per illecebram carnis, non tamen peccat nisi anima, quomodo accipiendum est quod dictum est, *in quo omnes peccaverunt*, si non ex Adam etiam anima, sicut caro, propagata est? aut quomodo per illius inobedientiam peccatores constituti sunt, si tantum secundum carnem in illo, non etiam secundum animam fuerunt?

19. Cavendum est enim ne vel Deus videatur auctor esse peccati, si dat animam carni, in qua eam peccare necesse sit; vel possit esse anima, præter ipsius Christi, cui liberandæ a peccato non sit christiana gratia necessaria, quia non peccavit in Adam,

si omnes in eo peccasse secundum carnem tantum quam de illo creata est, non etiam secundum animam dictum est: quod usque adeo contrarium est ecclesiasticæ fidei, ut parentes ad percipiendam gratiam sancti Baptismi etiam cum parvulis atque infantibus currant; in quibus si hoc vinculum peccati solvitur quod tantummodo carnis, non etiam quod animæ est, merito quæritur quid eis obsesset, si in illa ætate de corpore sine Baptismo exirent. Si enim per hoc Sacramentum corpori eorum consulitur, non et animæ, deberent et mortui baptizari: at cum videamus hoc universaliter Ecclesiam retinere, ut cum viventibus curratur, et viventibus succurratur, ne cum mortali fuerint nihil possit fieri quod prosit; non videmus quid aliud possit intelligi, nisi unumquemque parvulum non esse nisi Adam et corpore et anima, et ideo illi Christi gratiam necessariam. Ætas quippe illa in seipsa nihil egit vel boni vel mali; proinde ibi anima innocentissima est, si ex Adam propagata non est: unde quomodo possit juste ire in condemnationem, si de corpore sine Baptismo exierit, quisquis istam sententiam de anima tenens potuerit demonstrare, mirandus est.

CAPUT XII. — *Carnalis concupiscentiæ causam non in carne sola, sed etiam in anima esse.*

20. Verissime quippe ac veracissime scriptum est, *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Galat. v, 17*): sed tamen carnem sine anima concupiscere nihil posse, puto quod omnis doctus indoctusque non dubitet. Ac per hoc ipsius concupiscentiæ carnalis causa non est in anima sola, sed multo minus est in carne sola. Ex utroque enim fit: ex anima scilicet, quod sine illa delectatio nulla sentitur; ex carne autem, quod sine illa carnalis delectatio non sentitur. Carnem itaque concupiscentem adversus spiritum dicit Apostolus carnalem procul dubio delectationem, quam de carne et cum carne spiritus habet adversus delectationem, quam solus habet. Solus quippe habet, nisi fallor, illud desiderium, non cum carnis voluptate, vel carnalium rerum cupiditate commixtum, quo desiderat et deficit anima in atria Domini (*Psal. LXXXIII, 3*). Solus habet etiam illud, de quo ei dicitur, *Concupisti sapientiam; serva mandatum, et Dominus præbet illam tibi* (*Eccli. I, 33*). Nam cum spiritus imperat membris corporis, ut huic desiderio serviant, quo solus accenditur, velut cum assumitur, codex, cum aliquid scribitur, legitur, disputatur, auditur, cum denique panis frangitur esurienti, et cætera humanitatis ac misericordiæ præstantur officia; obedientiam caro exhibet, non concupiscentiam movet. His atque hujusmodi bonis desideriis quibus sola anima concupiscit, cum adversatur aliquid quod eandem animam secundum carnem delectat, tunc dicitur caro concupiscere adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.

21. Sic enim dicta est caro in eo quod secundum ipsam facit anima, cum ait, *Caro concupiscit*; quemadmodum dictum est, *Auris audit, et oculus videt*. Quis enim nescit quod anima potius et per aurem au-



u. at, et per oculum videat? Ita loquimur et cum dicimus, *Manus tua subvenit homini*; cum aliquid porrecta manu datur, quo cuiquam subveniatur. Quod si de ipso etiam fidei oculo, ad quem pertinet credere quæ per carnem non videntur, dictum est, *Videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc. III, 6*); non utique nisi de anima, qua vivit caro, cum etiam per ipsam carnem nostram Christum pie videre, id est, formam qua indutus est propter nos, non pertineat ad concupiscentiam, sed ad ministerium carnis, ne forte aliquis ita velit accipere quod dictum est, *Videbit omnis caro salutare Dei*: quanto congruentius dicitur caro concupiscere, quando anima non solum carni animale vitam præbet, verum etiam secundum ipsam carnem aliquid concupiscit; quod in potestate non est ne concupiscat, quamdiu incest peccatum in membris, id est, violenta quædam carnis illecebra in corpore mortis hujus, veniens de vindicta illius peccati, unde propaginem ducimus, secundum quam omnes ante gratiam filii sunt iræ (*Ephes. II, 3*). Contra quod peccatum militant sub gratia constituti, non ut non sit in eorum corpore, quamdiu ita mortale est, ut et mortuum jure dicatur, sed ut non regnet. Non autem regnat, cum desideriis ejus, id est, his quæ secundum carnem contra spiritum concupiscuntur, non obeditur. Proinde Apostolus numquid ait, Non sit peccatum in vestro mortali corpore (sciebat quippe inesse peccati delectationem, quam peccatum vocat, depravata scilicet ex prima transgressione natura)? sed, *Non, inquit, regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus; nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato* (*Rom. VI, 12, 13*).

CAPUT XIII. — *Illæ sententiæ de concupiscentiâ carnis, quam sit expedita. Peccata puerorum.*

22. Secundum hanc sententiâ, nec rem absurdissimam dicimus, quod caro sine anima concupiscat; nec Manichæis consentimus, qui cum viderent non posse carnem sine anima concupiscere, aliam quamdam animam suam ex alia natura Deo contraria carnem habere putaverunt, unde concupiscat adversus spiritum. Nec alicui animæ non esse necessariam Christi gratiam dicere cogimur, cum dicitur nobis: Quid meruit anima infantis, unde illi perniciosum sit non percepto christiani Baptismi sacramento exire de corpore, si nec proprium aliquod peccatum commisit, nec ex illa est quæ in Adam prima peccavit?

23. Non enim de pueris grandiusculis agimus, quibus quidem peccatum proprium nolunt attribuere quidam, nisi ab anni quarti decimi articulo, cum pubescere cœperint. Quod merito crederemus, si nulla essent peccata, nisi quæ membris genitalibus admittuntur: quis vero audeat affirmare, furta, mendacia, perjuria, non esse peccata, nisi qui talia vult impune committere? At his plena est puerilis ætas, quamvis in eis non ita ut in majoribus puniendi videantur, quod sperentur annis accedentibus, quibus ratio convalescat, posse præcepta salutaria melius intelligere, eisque libentius obedire. Sed nunc de pueris non agimus, quorum carnalem ac puerilem voluptatem vel

corporis vel animi si veritas et æquitas oppugnaverit, quibus possunt viribus dictorum atque factorum repugnant; pro qua, nisi pro falsitate et iniquitate, quæ suffragari videbitur eis, vel ad percipienda quæ alliciunt, vel ad vitanda quæ offendunt? De infantibus loquimur, non quia nascuntur plerumque de adulteriis<sup>1</sup> (neque enim in pravis moribus naturæ dona culpanda sunt; aut propterea non debuerunt germinare frumenta, quod ea severit furantis manus: aut vero ipsis parentibus obfutura sit iniquitas sua, si se ad Deum convertendo correxerint; quanto minus filiis, si recte vixerint?).

CAPUT XIV. — *Argumentum pro opinione animarum ex traduce, desumptum ex reatu et baptismo parvulorum, discutitur.*

Sed illa ætas hic vehementem quæstionem movet, cujus anima cum peccatum nullum habeat de proprio voluntatis arbitrio, quæritur quomodo possit justificari per illius unius hominis obedientiam, si per alterius unius inobedientiam rea non est? Hæc vox eorum est, qui animas hominum ex hominibus parentibus creatas volunt, non quidem nisi a creatore Deo, sed sicut etiam corpora. Non enim et hæc parentes creant, ac non ille qui ait: *Priusquam te formarem in utero, novi te* (*Jerem. I, 5*).

24. Quibus respondetur, animas quidem corporibus hominum Deum novas singillatim dare, ad hoc ut in carne peccati de originali peccato veniente recte vivendo, carnalesque concupiscentias sub Dei gratia subigendo, meritum comparent, quo cum ipso corpore in melius transferantur tempore resurrectionis, et in Christo in æternum cum Angelis vivant. Sed necesse esse ut<sup>2</sup>, cum membris terrenis atque mortalibus, maximeque de peccati carne propagatis, miro modo coaptantur, ut ea primitus vivificare, post etiam ætatis accessu regere possint, tanquam oblivione prægraventur. Quæ si esset quodammodo indigestibilis, Creatori tribueretur: cum vero paulatim ab hujus oblivionis torpore anima resipiscens possit converti ad Deum suum, ejusque misericordiam et veritatem primo ipsa pietate conversionis, deinde servandi præcepti ejus perseverantia promereri; quid ei obest illo velut somno paululum immergi, unde paulatim evigilans in lucem intelligentiæ, propter quam rationalis anima facta est, potest per voluntatem bonam eligere vitam bonam? quod quidem non poterit, nisi adjuverit gratia Dei per Mediatorem. Hoc si neglexerit homo, non tantum secundum carnem, verum etiam secundum spiritum erit Adam: si autem curaverit, erit Adam secundum carnem tantummodo; secundum spiritum autem recte vivens, illud etiam quod de Adam culpabile tractum est, mundatum a labe peccati recipere merebitur illa commutatione quam sanctis resurrectione pollicetur.

25. Sed antequam per ætatem possit secundum spiritum vivere, necessarium habet Mediatoris Sacramentum, ut quod per ejus fidem nondum potest, per

<sup>1</sup> In plurimis Mss., *de adulteris*.

<sup>2</sup> Lov. cum omnibus Mss. omittunt, *ut. M.*

eorum qui cum diligunt fiat. Ejus enim Sacramento solvitur etiam in ætate infantili originalis pœna peccati; a quo nisi adjutus, etiam juvenis, carnalem concupiscentiam non domabit; nec ea subjugata æternæ vitæ meritum apprehendet, nisi ejus dono, quem promereri studet. Ideo vivus oportet etiam infans baptizetur, ne obsit animæ societas carnis peccati, qua participata sit ut nihil possit anima infantis secundum spiritum sapere. Ipsa quippe affectio gravat etiam corpore exutam, nisi cum in corpore est, per unicum sacrificium Mediatoris <sup>1</sup> veri sacerdotis expietur.

CAPUT XV. — *Idem argumentum penitus examinatur.*

26. Quid ergo, ait aliquis, si hoc non curaverint sui, vel infidelitate, vel negligentia? Hoc quidem etiam de majoribus dici potest. Possunt enim vel repente enori, vel apud eos ægrotare, ubi eis quo baptizentur, nemo subveniat. Sed illi, inquit, habent etiam propria peccata, quorum indigeant remissione, quæ si dimissa non fuerint, nemo eos recte dicit immerito plecti pro iis quæ in sua vita sua voluntate commiserint: illa vero anima, cui quædam contagio tracta de carne peccati, si de illa prima anima peccatrice non creata est, nullo modo imputari potest (neque enim ullo peccato, sed natura qua sic facta est, et Deo dante carni data est); cur alienabitur ab æterna vita, si baptizando infanti nemo subvenit? An forte nihil oberit? Quid ergo prodest ei cui subvenitur, si nihil oberit cui non subvenitur?

27. Illic pro sua causa quid respondere possint, qui secundum Scripturas sanctas, vel quod apud eas invenitur, vel quod eis non adversetur, conantur asserere animas novas non de parentibus tractas corporibus dari; nondum me audisse, vel uspiam legisse fateor. Non ideo sane absentium negotium deserendum est, si quid mihi, quo adjuvari videatur, occurrerit. Possunt enim adhuc dicere, Deum præscium quomodo quæque anima victura esset, si diutius in corpore viveret, ei procurare lavacri salutaris ministrationem, cujus futuram fuisse prævidet pietatem, eum ad annos fidei capaces veniret, si non eum oporteret propter aliquam occultam causam morte præveniri. Occultum itaque est, atque ab humano, vel certe ab ingenio meo remotissimum, cur nascatur infans, vel continuo vel cito moriturus: sed hoc ita occultum est, ut neutros adjuvet, de quorum nunc sententiis disceptamus. Illa enim explosa opinione qua putantur animæ pro anteactæ vitæ meritis in corpora detrudi, ut ea citius solvi meruisse videatur, quæ non multa peccaverat, ne contradicamus Apostolo, nihil nondum natos boni vel mali egisse testanti (Rom. ix, 11); nec illi qui animæ traducem affirmant, possunt pro se ostendere cur aliorum mors acceleretur, retardetur aliorum, nec qui eas dari novas volunt singulis singulas. Occulta ergo ista causa est, et utrisque pariter, quantum existimo, nec suffragatur, nec adversatur.

<sup>1</sup> Abest vox, *Sacerdotis*, a plerisque Mss. et ab editis Am. et Fr.

CAPUT XVI. — *De eodem argumento.*

28. Proinde qui de infantium moribus urgebantur, cur omnibus sit necessarium Baptismi sacramentum, quorum animæ non ex illa ductæ sunt, cujus inobedientia peccatores constituti sunt multi; cum respondent, peccatores quidem omnes constitui secundum carnem, secundum animam vero non nisi eos qui eo tempore male vixerunt, quo et bene potuissent; omnes autem animas, hoc est et infantum, ideo habere necessarium Baptismi sacramentum, sine quo ex hac vita etiam in illa ætate emigrare non expedit, quia contagio peccati ex carne peccati, qua obruitur anima, cum his inseritur membris, oberit ei post mortem, nisi cum adhuc in ipsa carne est, Sacramento Mediatoris expietur; eique divinitus hoc auxilium procurari, quam Deus præscit, si usque ad annos fidei congruos hic viveret, pie fuisse victuram, quam propter aliquid quod ipse novit, et nasci voluit in corpore, et cito extraxit e corpore: cum ergo hæc respondent, quid eis contradici potest, nisi incertos nos eorum salutis fieri, qui hac vita bene gesta, in Ecclesiæ pace defuncti sunt; si non solum secundum id quod quisque vixit, verum etiam secundum id quod victurus esset, si amplius viveret potuisset, quisque judicandus est? quandoquidem valent apud Deum merita mala, non tantum præteritorum, sed futurorum etiam delictorum, a quorum reatu nec mors liberat, si antequam fuerint commissa provenerit; nec aliquid ei præstitum est, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus (Sap. iv, 11). Deus enim præscius illius futuræ malitiæ, cur non eum secundum ipsam potius judicaturus est, si morituræ animæ infantis, ne obsessus ei ex corpore peccati participata colluvies, ideo subveniendum judicavit per Baptismum, quia præscivit eam, si viveret, pie fideliterque fuisse victuram?

29. An ideo potius refelli hoc inventum potest, quia meum est: illi autem qui de hac sententia certos se esse confirmant, alia fortasse proferunt vel testimonia Scripturarum, vel documenta rationum, quibus hanc auferant ambiguitatem, vel certe ostendant, non esse contra id quod sentiunt illud Apostoli, quo gratiam qua salvi efficimur, magna intentione commendans, ait, *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur* (1 Cor. xv, 22); et, *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic per obedientiam unius hominis justii constituentur multi*; eosdemque multos peccatores, non quibusdam exceptis, sed omnes intelligi volens, superius ait de Adam, *In quo omnes peccaverunt* (Rom. v, 12, 12): unde utique infantum animas non posse secerni, et eo quod dictum est, *omnes*, et eo quod eis per Baptismum subvenitur, non absurde credunt, qui animas ex unius traduce sapiunt, nisi aliqua manifesta et liquida vel ratione, quæ Scripturis sanctis non repugnet, vel earum ipsarum Scripturarum auctoritate redarguantur?

CAPUT XVII. — *Testimonium ex libro Sapientiæ in utramque partem tractatur.*

30. Jam itaque videamus, quantum suscepti hujus operis necessitas patitur, quale etiam illud sit, quod

paulo ante distulimus. Scriptum est enim in libro Sapientiae: *Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam; et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoquinatum* (Sap. viii, 19, 20). Cum enim videatur illos adjuvare hoc testimonium, qui non ex parentibus creari, sed venire ad corpus vel descendere Deo mittente animas dicunt; rursus hoc impedit eorum sententiam, quod ait, *Sortitus sum animam bonam: cum procul dubio vel ex uno fonte manare quodammodo tanquam rivulos, vel pari natura fieri animas credant, quas Deus mittit in corpora; non autem alias bonas vel magis bonas, et alias non bonas vel minus bonas. Unde enim bonae aut magis bonae, seu non bonae aut minus bonae animae, nisi vel moribus secundum liberum voluntatis arbitrium, vel differentia temperaturae corporum, dum aliae magis, aliae minus gravantur corpore, quod corrumpitur et aggravat animam* (Id. ix, 15)? Sed neque actio erat aliqua singularum quarumque animarum, qua earum mores discernentur, antequam venirent ad corpora; nec ex corpore minus gravante potuit iste dicere animam suam bonam, qui ait, *Sortitus sum animam bonam; et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoquinatum*. Accessisse enim dixit bonitati qua bonus erat, sortitus videlicet animam bonam, ut etiam ad corpus incoquinatum veniret. Aliunde ergo bonus antequam veniret ad corpus: sed utique non differentia morum, quia nullum antea vitae gestae meritum; non differentia corporis, quia prius bonus quam veniret ad corpus. Unde igitur?

31. Hoc autem illis qui ex traduce animae illius praevaricatoris animas creari asserunt, quamvis pro eis sonare non videatur, quod dictum est, *Veni ad corpus*, tamen in ceteris non incongrue coaptatur; ut cum dixisset, *Puer autem eram ingeniosus*, id ipsum explicans quibus causis ingeniosus esset, continuo subjungeret, *Et sortitus sum animam bonam*, videlicet ex paterno ingenio vel corporali temperamento. Deinde, *Cum essem*, inquit, *magis bonus, veni ad corpus incoquinatum*: quod si maternum intelligatur, ne hoc quidem quod dictum est, *Veni ad corpus*, huic opinioni refragabitur, cum ex anima et corpore paterno venisse ad maternum corpus accipitur incoquinatum, videlicet vel a crure menstruo; dicuntur enim ex hoc ingenia gravari; vel a contaminatione adulterina. Ita et haec verba libri hujus aut magis eis favent, qui animarum traducem loquuntur; aut si et isti ea possunt pro se interpretari, inter utrosque alternant.

CAPUT XVIII. — *De anima Christi: an possit in ipsum convenire illud, Puer autem ingeniosus eram, etc.*

32. Quae si de Domino secundum humanam, quae a Verbo assumpta est, creaturam velimus accipere, sunt quidem in eadem circumstantia lectionis, quae illi excellentiae non convenient; maxime illud, quia idem ipse qui haec in eodem libro loquitur, aliquanto superius quam ista verba, de quibus nunc agimus, diceret, confessus est se ex semine viri in sanguine coagulatam (Sap. vii, 2): a quo nascendi modo utique

alienus est Virginis partus, quam non ex semine viri carnem concepisse Christi, nullus ambigit christianus. Sed quia est in Psalmis, ubi ait, *Foderunt manus meas et pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me: dividerunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*, quae proprie illi uni congruunt; ibi etiam dixit, *Deus, Deus meus, respice in me, ut quid me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum* (Psal. xxi, 17, 18, 19, 2), quae rursus ei non conveniunt, nisi transfiguranti in se corpus humilitatis nostrae, quoniam membra sumus corporis ejus: et quia in ipso Evangelio, *puer proficiebat aetate, et sapientia*: si possunt etiam ista, quae circum hanc sententiam in libro Sapientiae leguntur, propter humilem formam servi et unitatem corporis Ecclesiae cum capite suo, eidem ipsi Domino coaptari; quid ingeniosius illo puero, cujus in annis duodecim seniores sapientiam mirabantur (Luc. ii, 42-52)? et quid illa anima melius, quae, etiamsi vincant non certando, sed probando, qui animarum traducem affirmant, non erit consequens ut etiam ipsa ex illius praevaricatoris traduce venisse credenda sit; ne per illius hominis inobedientiam etiam ipse peccator constituitur, per cujus unius obedientiam ab illo reatu liberati, justi constituuntur multi? et quid incoquinatus illo utero Virginis, cujus caro etiamsi de peccati propagine venit, non tamen de peccati propagine concepit; ut ne ipsum quidem corpus Christi ea lex severit in utero Mariae, quae in membris posita corporis mortis, repugnat legi mentis? quam sancti patres conjugati refrenantes, non quidem nisi quousque licebat in concubitu relaxarunt; nec tamen tantummodo quousque licebat, ejus impetum pertulerunt. Proinde corpus Christi quamvis ex carne feminae assumptum est, quae de illa carnis peccati propagine concepta fuerat, tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Non enim accepit inde reatum moriendi, qui apparet in motu carnis non voluntario, quamvis voluntate superando, adversus quem spiritus concupiscit (Galat. v, 17): sed accepit inde, non quod contagioni praevaricationis, sed quod exsolvendae indebitae morti, et ostendendae promissae resurrectioni sufficeret; quorum unum nobis ad non timendum, alterum ad sperandum valeret.

33. Denique si a me quaeratur unde acceperit animam Jesus Christus, malle quidem hinc audire meliores atque doctiores: sed tamen pro meo capto libentius responderim, unde Adam<sup>2</sup>, quam de Adam. Si enim pulvis assumptus ex terra, in qua nullus hominum fuerat operatus, meruit divinitus animari; quanto magis corpus assumptum ex carne, in qua tamen nullus hominum fuerat operatus, sortitum est animam bonam, cum illic erigeretur casurus, hic descenderet levaturus? Et fortasse ideo ait, *Sortitus sum animam bonam* (si tamen hoc de illo oportet intelligi), quia solent quae sorte dantur, divinitus dari: aut,

<sup>1</sup> Sic omnes Mss. in editis, et sapientia, sic possunt.

<sup>2</sup> Editi, non de Adam. At omnes Mss., unde Adam.

quod fidenter dicendum est, ne vel illa anima aliquibus operibus præcedentibus ad tantum apicem subvecta putaretur, ut cum ea Verbum caro fieret, et habitaret in nobis (*Joan. 1, 14*), ad auferendam suspicionem præcedentium meritorum sortis nomen accessit.

CAPUT XIX. — *Anima Christi non fuit in lumbis Abrahamæ, ideoque non est ex traduce.*

34. Est in Epistola quæ inscribitur ad Hebræos, locus quidam diligenti consideratione dignissimus. Cum enim per Melchisedech, in quo hujus rei futuræ figura præcesserat, discerneret sacerdotium Christi a sacerdotio Levi, *Videte ergo, inquit, qualis hic est, cui et decimam partem Abraham dedit de primitiis patriarchæ. Et ii quidem qui de filiis sunt Levi, sacerdotium accipientes, mandatum habent a decimis populi secundum Legem, hoc est a fratribus suis, quamvis et ipsi ex lumbis Abrahamæ exierint: qui autem non est ex genere eorum, decimam Abraham, et habentem promissionem benedixit. Sine ulla autem contradictione, qui minor est a majore benedicitur: et hic quidem decimas morientes homines accipiunt; ibi autem qui testificatur se vivere, et sicut oportet dicere, propter Abraham, et Levi accipiens decimam decimatus est: adhuc enim in lumbis patris sui fuit (*Hebr. vii, 4-10*).* Si ergo etiam hoc valet ad istam distantiam, quantum præcineat sacerdotio Levitico sacerdotium Christi, quod sacerdos Christus per illum præfiguratus est, qui decimavit Abraham, in quo et ipse Levi decimatus est, profecto Christus ab eo non est decimatus. At si propterea decimatus est Levi, quia erat in lumbis Abrahamæ; propterea non est decimatus Christus, quia non erat in lumbis Abrahamæ. Porro autem si non secundum animam, sed tantum secundum carnem accipimus Levi fuisse in Abraham; ibi erat et Christus, quia et Christus secundum carnem ex semine est Abrahamæ; et ipse itaque decimatus est. Quid est ergo quod affertur pro magna differentia sacerdotii Christi a sacerdotio Levi, quod Levi decimatus est a Melchisedech, cum esset in lumbis Abrahamæ, ubi et Christus erat, unde pariter decimatus est; nisi quia necesse est intelligamus, secundum aliquem modum ibi Christum non fuisse? Quis autem neget eum secundum carnem ibi fuisse? Ergo secundum animam ibi non fuit. Non est igitur anima Christi de traduce prævaricationis Adæ, alioquin etiam ipsa ibi fuisset.

CAPUT XX. — *Ad argumentum nunc allatum quid respondendum pro defendentibus animarum traducem.*

35. Hic existunt illi qui traducem animarum defendunt, et dicunt confirmatam esse sententiam suam, si Levi constat etiam secundum animam fuisse in lumbis Abrahamæ, in quo eum decimavit Melchisedech, ut possit ab eo Christus in ista decimatione discerni: qui quoniam decimatus non est, et tamen in lumbis Abrahamæ secundum carnem fuit, restat ut secundum animam ibi non fuerit, et ideo sit consequens ut ibi Levi secundum animam fuerit. Hoc ad me non multum attinet, qui utrorumque collationem adhuc audire sum p. rator, quam utrorumlibet jam confirmare

<sup>1</sup> Er. Lugd. Ven. Lov. ferunt, *hinc*. M.

sententiam. Interim Christi animam ab origine hujus traducis per hoc testimonium scernere volui. Invenient isti qui eis pro cæteris fortasse respondeant, et dicant, quod etiam me non parum movet, quamvis nullius hominis anima sit in lumbis patris sui, secundum carnem tamen in lumbis Abrahamæ constitutum Levi decimatum, et ibi constitutum secundum carnem Christum non decimatum. Secundum rationem quippe illam seminalem ibi fuit Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem, secundum quam rationem non ibi erat Christi caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariæ caro. Quapropter nec Levi, nec Christus in lumbis Abrahamæ secundum animam: secundum carnem vero et Levi, et Christus; sed Levi secundum concupiscentiam carnalem, Christus autem secundum solam substantiam corporalem. Cum enim sit in semine et visibilis corpulentia, et invisibilis ratio, utrumque occurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad corpus Mariæ; quia et ipsum eo modo conceptum et exortum est: Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit; ratio vero conceptionis ejus non a semine virili, sed longe aliter ac desuper venit. Proinde secundum hoc quod de matre accepit, etiam in lumbis Abrahamæ fuit.

36. Ille est igitur decimatus in Abraham, qui licet secundum carnem tantum, sic tamen fuit in lumbis ejus, quemadmodum in sui patris etiam ipse Abraham; id est, qui sic est natus de patre Abraham, quemadmodum de suo patre natus est Abraham, per legem scilicet in membris repugnantem legi mentis et invisibilem concupiscentiam, quamvis eam casta et bona jura nuptiarum non sinant valere, nisi quantum ex ea possunt generi substituendo prospicere: non autem et ille ibi decimatus est, cujus caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahamæ carne decimabatur quod curabatur, non illud unde curabatur. Eadem namque caro non Abrahamæ tantum, sed ipsius primi terrenique hominis, simul habebat et vulnus prævaricationis et medicamentum vulneris: vulnus prævaricationis in lege membrorum repugnante legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem semiall ratione quasi transcribitur; medicamentum autem vulneris in eo, quod inde sine opere concupiscentiali, in sola materia corporali, per divinam conceptionis formationisque rationem de Virgine assumptum est, propter mortis sine iniquitate consortium, et sine falsitate resurrectionis exemplum. Quapropter quod anima Christi non sit ex traduce animæ illius primæ prævaricatoris, puto quod etiam ipsi qui animarum traducem defendunt, consentiant; per semen quippe concubentis patris transfundi etiam semen animæ volunt, a quo genere conceptionis Christus alienus est: et quod in Abraham si secundum animam fuisset, etiam ipse decimatus esset; non esse autem decimatum, Scriptura testatur, quæ hinc quoque sacerdotium ejus a Levitico sacerdotio distinguit.

**CAPUT XXI.** — *Christum, si in Abrahamo secundum animam fuisset, non potuisse non decimari.*

37. An forte dicent: Sicut potuit ibi esse secundum carnem et non decimari, cur non etiam secundum animam sine decimatione potuerit: hic respondetur, Quia utique simplicem animæ substantiam incrementis augeri corporalibus, nec illi putaverunt qui eam corpus existimant, quorum in parte sunt maxime qui eam ex parentibus creari opinantur. Proinde in corporis semine potest esse vis invisibilis, quæ incorporaliter numeros agit, non oculis sed intellectu discernenda ab eâ corpulentia, quæ visu tactuque sentitur: et ipsa quantitas corporis humani, quæ utique modulam seminis incomparabiliter excedit, satis ostendit posse inde aliquid sumi, quod non habeat illam vim seminalem, sed tantum corporalem substantiam, quæ divinitus, non de propagine contambentibus, in carnem Christi assumpta atque formata est. Hoc autem de anima quis valet affirmare, quod utrumque habeat, et materiam seminis manifestam, et rationem seminis occultam? Sed quid laborem in re quæ persuaderi verbis nemini forsitan potest, nisi tantum ac tale ingenium sit, quod possit loquentis prævolare conatum, nec totum expectare a sermone? Breviter itaque colligam: si potuit et de anima fieri (quod cum de carne diceremus, forsitan intellectum sit), ita est de traduce animæ Christi, ut non secum libem prævaricationis attraxerit, si autem sine isto reatu non posset inde esse, non est inde. Jam de cæterarum animarum adventu, utrum ex parentibus an desuper sit, vincant qui potuerint: ego adhuc inter utrosque ambigo, et moveor, aliquando sic, aliquando autem sic, salvo eo duntaxat, ut vel corpus esse animam, vel aliquam corpoream qualitatem sive coaptationem, si ita dicenda est, quam Græci *ἀπορτία* vocant, non credam, nec quolibet ista garriente me crediturum esse confidam, adjuvante Deo mentem meam.

**CAPUT XXII.** — *Utrique opinioni de animæ origine accommodatur locus ille Joannis: Quod natum, etc.*

38. Est aliud testimonium non negligendum quod se possunt proferre, qui venire desuper animas credunt, dicente ipso Domino: *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est (Jouan. iii, 6).* Quid hæc, inquit, sententia determinatius, non posse ex carne animam nasci? Quid est enim aliud anima, quam spiritus vitæ, creatus utique, non creator? Contra quos illi alii: Quid enim, inquit, nos aliud sentimus, qui dicimus carnem ex carne, animam ex anima? Nam ex utroque constat homo, de quo utrumque venire sentimus, carnem de carne operantis, spiritum de spiritu concupiscentis: ut interim omittatur, quod illud Dominus non de carnali generatione, sed de spiritali regeneratione dicebat.

**CAPUT XXIII.** — *Ex duabus de anima sententiis quænam præponderet. Consuetudo Ecclesiæ in Baptismo parvulorum.*

39. His igitur quantum pro tempore potuimus  
SANCT. AUGUST. III.

pertractatis, omnia paria vel pene paria ex utroque latere, rationum testimoniorumque momenta pronuntiare, nisi eorum sententia qui animas ex parentibus creari putant, de baptismo parvulorum præponderaret. De quibus quid eis responderi possit, nondum mihi interim occurrit: si quid forte postea Deus dederit, si quam etiam scribendi concesserit facultatem studiosis talium, non gravabor. Nunc tamen non esse contemnendum testimonium parvulorum, ut quasi refelli, si veritas contra est, negligatur, ante denuntio. Aut enim de hac re nihil querendum est, ut sufficiat fidei nostræ scire nos quo pie vivendo venturi sumus, etsi nesciamus unde venerimus: aut si non impudenter æstuat anima rationalis etiam hoc nosse de seipsa, absit perveracia contendendi, adsit diligentia requirendi, humilitas petendi, perseverantia pulsandi; ut si nobis hoc expedire novit, qui melius quam nos quid nobis expediat utique novit, det etiam hoc, qui dat bona data filiis suis (*Matth. vii, 7, 11*). Consuetudo tamen matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda nisi apostolica esset traditio. Habet enim et illa parva ætas magnum testimonii pondus, quæ prima pro Christo meruit sanguinem fundere.

**CAPUT XXIV.** — *Quid cavendum his qui opinantur animas esse ex traduce.*

40. Adinoneo sane, quantum valeo, si quos ista præoccupavit opinio, ut animas ex parentibus credant propagari, quantum possunt seipsos considerent, et interim sapiant corpora non esse animas suas. Nulla enim propior natura est, qua diligenter inspecta, possit etiam Deus, qui supra omnem creaturam suam incommutabilis permanet, incorporaliter cogitari, quam ea quæ ad ipsius imaginem facta est: et nihil vicinius, aut fortasse nihil tam consequens, quam ut credito quod anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur. Propter hoc enim corporalibus assuefacti et affecti sensibus, nolunt animam credere aliud esse quam corpus, ne si corpus non fuerit, nihil sit: ac per hoc tanto magis timent etiam de Deo credere quod corpus non sit, quanto magis timent Deum credere nihil esse. Ita enim feruntur in phantasias vel phantasmata imaginum, quæ cogitatio de corporibus versat, ut his subtractis tanquam per inane pereundum sit, reformident. Ita necesse est ut et justitiam et sapientiam pingant quodammodo in cordibus suis cum formis et coloribus, quas non possunt incorporeas cogitare: nec tamen dicunt, quando justitia vel sapientia moventur, ut vel laudent eas, vel secundum eas aliquid agant, quem colorem, quam staturam, quæ lineamenta vel quales formas conspexerint. Sed de his alias et multa jam diximus, et si Deus voluerit, ubi res videbitur postulare, dicemus. Nunc quod dicere cœperamus, si de traduce animarum a parentibus vel non dubitant quidam quod ita sit, vel dubitant an ita sit, animam tamen corpus esse non audeant credere aut dicere; maxime propter quod  
(*Quatorze.*)

dixi, ne Deum quoque ipsum nihil aliud opinenter esse quam corpus, etsi excellentissimum, etsi naturæ rursusdæm propriæ cætera supergredientis, corpus tamen.

CAPUT XXV. — *Tertulliani error de anima.*

41. Denique Tertullianus, quia corpus esse animam credidit, non ob aliud nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, et ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset, nec de Deo valuit aliter sapere: qui sane quoniam acutus est, interdum contra opinionem suam visa-veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quam id quod ait quodam loco, *Omne corporale passibile est* (*Tertull. in lib. de Anima, cap. 7*)? Debit ergo mutare sententiam, qua paulo superius dixerat etiam Deum corpus esse. Neque enim arbitror eum ita desipuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet, ut jam Christus non in carne tantum, neque in carne et anima, sed in ipso Verbo per quod facta sunt omnia, passibilis et commutabilis esse crederetur: quod absit a corde christiano. Item cum animæ etiam colorem daret aerium ac lucidum, ventum est ad sensus quibus eam membratim quasi corpus instruere conatus est, et ait: *Illic erit homo interior, alius exterior, dupliciter unus, habens et ille oculos et aures suas, quibus populus Dominum audire et videre debuerat; habens et cæteros artus, per quos et in cogitationibus utitur, et in somnis fungitur* (*Ibid., cap. 9*).

42. Ecce quibus auribus et quibus oculis debuit audire et videre Deum populus, quibus anima in somnis fungitur: cum si ipsum Tertullianum quisquam videret in somnis, nunquam se diceret ab eo visum, et cum eo locutum, quem vicissim ipse non vidisset. Postremo, si anima seipsam videt in somnis, cum, jacentibus utique uno loco membris corporis sui, ipsa per varias imagines evagatur, quas videt; quis eam vidit aliquando in somnis aërii coloris ac lucidi, nisi forte ut cætera quæ similiter falso videt? Nam et hoc potest videre: sed absit ut eam talem, cum evigilaverit, credat; alioquin quando se aliter viderit, quod magis crebrum est, aut mutata erit anima ejus, aut nec tunc animæ videtur substantia, sed imago corporis incorporea, quæ miro modo sicut in cogitatione formatur. Quis enim Æthiops non pene semper nigrum se vidit in somnis; aut si in alio colore se vidit, non magis miratus est, si fuit cum illo memoria? Aërio tamen colore ac lucido nescio utrum se unquam vidisset, si nunquam istum legisset, vel audisset.

43. Quid, quod ducuntur homines talibus visis, et de Scripturis nobis volunt præscribere, tale aliquid esse, non animam, sed ipsum Deum, qualis figuratim sanctorum spiritibus demonstratus est, qualis etiam in sermone allegorico ponitur? similia quippe sunt illa visa talibus dictis. Ac sic errant, constituentes in cordæ suo simulacra vanæ opinionis, nec intelligentes ita sanctos de suis visis talibus judicasse, qualiter judicarent: sicut septem spicæ et septem boves, septem anni sunt (*Gen. xli, 26*); sicut linteum quatuor lineis

alligatum, velut discus plenus variis animalibus, orbis terrarum est cum omnibus gentibus (*Act. x, 11*): sic omnia cætera, et multo magis quæ de rebus incorporeis, corporalibus significantur non rebus, sed imaginibus.

CAPUT XXVI. — *De animæ incrementis quid Tertulliano visum.*

44. Noluit tamen Tertullianus animam crescere substantia sicut corpus; asserens etiam timoris sui causam: *Ne etiam decrescere substantia dicatur, inquit, atque ita et defectura credatur.* Et tamen quia per corpus eam localiter tendit, non invenit exitum incrementorum ejus, quam vult de semine exiguo æquari corporis quantitati; et ait: *Sed vis ejus in quo<sup>1</sup> naturalia peculia consita retinentur, salvo substantiæ modulo, quo a primordio inflata est, paulatim cum carne producitur<sup>2</sup>.* Hoc forte non intelligeremus, nisi adhibita similitudine eorum quæ videmus, planum faceret quod dicebat. *Constitutus, inquit, certum pondus auri vel argenti rudem adhuc massam: collectus habitus est illi, et futuro interim minor, tamen continens intra lineam moduli totum quod natura est auri vel argenti: dehinc cum in laminam massa laxatur, major efficitur initio suo, per dilatationem ponderis certi, non per adjectionem, dum extenditur, non dum augetur; etsi sic quoque augetur, dum extenditur. Licet enim et habitus augeri, cum statu non licet. Tunc et splendor ipse prorehitur auri vel argenti, qui prius fuerat quidem et in massa, sed obscurior, non tamen nullus: tunc et alii aique alii habitus accedunt pro facilitate materiæ, qua duxerit eam qui agit, nihil conferens modulo nisi efficiem. Ita et animæ incrementa reputanda non substantiva, sed provocativa* (*Lib. de Anima, cap. 37*).

45. Quis hunc crederet, cum isto corde tam discretum esse potuisse? sed tremenda ista sunt, non ridenda. Ad hoc enim numquid cogere, si aliquid cogitare posset, quod et sit, et corpus non sit? Quid autem absurdius, quam putare nasam cujuscumque metalli ex aliqua parte crescere posse dum tunditur, nisi decrescat ex altera; vel augeri latitudine, nisi crassitudine minuatur? aut ullum esse corpus manente naturæ suæ quantitate, quod undique crescat, nisi rareseat? Quomodo igitur implebit anima ex illa stilla seminis magnitudinem corporis, quod animat, si et ipsa corpus est, cujus substantia nullo accessu crescat? Quomodo, inquam, implebit carnem, quam, vivificat, nisi tanto rarior fuerit, quanto grandius quod animaverit? Timuit videlicet ne deficeret etiam minuendo, si cresceret; et non timuit ne deficeret rarescendo, cum cresceret. Sed quid amplius immorer, quando et sermo pergit in prolixiorem modum, quam petit terminandi necessitas, et sententia mea jam satis sit nota, vel quid certum teneam, vel unde adhuc dubitem, et quare dubitem? Proinde et hoc volumen jam concludatur, ut quæ sequuntur deinde videamus.

<sup>1</sup> Apud Tertullianum, *in qua.*

<sup>2</sup> Editi hic addunt, *in membris*; quod a Mss. et a Tertulliano abest.

## LIBER UNDECIMUS.

In illud cap. 2 Geneseos, vers. 25: *Et erant nudi*, etc., et in totum cap. 3, cujus illustrandi causa dicitur de conditione et casu diaboli.



**CAPUT PRIMUM.** — Recitato textu Geneseos explicatur vers. 25 cap. 2.

1. *Et erant nudi ambo Adam et mulier ejus, et non pudebat illos. Serpens autem erat prudentissimus omnium bestiarum quæ sunt super terram, quas fecit Dominus Deus. Et dixit serpens mulieri, Quid, quia dixit Deus, Non edetis ab omni ligno paradisi? Et dixit mulier serpenti, A fructu ligni quod est in paradiso edemus, de fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit Deus, Non edetis ex eo, neque tangetis illud, ne moriamini. Et dixit serpens mulieri, Non morte moriemini: sciebat enim Deus, quoniam qua die manducaveritis de eo, aperientur vobis oculi, et eritis tanquam dii, scientes bonum et malum. Et vidit mulier quia bonum lignum ad escam, et quia placet oculis videre, et decorum est cognoscere. Et sumens de fructu ejus edit, et dedit viro suo secum, et ederunt. Et aperti sunt oculi amborum, et agnoverunt quia nudi erant, et consuerunt folia fici, et fecerunt sibi campestria. Et audierunt vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad vespem, et absconderunt se Adam et mulier ejus a facie Domini Dei, in medio ligni paradisi. Et vocavit Dominus Deus Adam, et dixit illi, Ubi es? Et dixit ei, Vocem tuam audivi deambulantis in paradiso, et timui, quia nudus sum, et abscondi me. Et dixit illi, Quis nuntiavit tibi quia nudus es, nisi a ligno quod præceperam tibi tantum ne ex eo manducares, ab eo edisti? Et dixit Adam, Mulier quam dedisti mecum, hæc mihi dedit de ligno, et edi. Et dixit Dominus Deus mulieri, Quid hoc fecisti? Et dixit mulier, Serpens seduxit me, et manducavi. Et dixit Dominus Deus serpenti, Quia fecisti hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, et ab omnibus bestiis, quæ sunt super terram. Super pectus tuum et ventrem tuum ambulabis, et terram edes omnes dies vitæ tuæ. Et inimicitias ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et semen ejus: ipsa tibi servabit caput, et tu servabis ejus calcaneum. Et mulieri dixit, Multiplicans multiplicabo tristitias tuas et gemitum tuum. In tristitiis paries filios, et ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur. Adam autem dixit, Quia audisti vocem mulieris tuæ, et edisti de ligno, de quo præceperam tibi de eo solo non edere, maledicta terra in operibus tuis: in tristitiis edes illam omnes dies vitæ tuæ; spinas et tribulos germinabit tibi, et edes fenum agri. In sudore faciei tuæ edes panem tuum, donec converteraris in terram, ex qua sumptus es; quia terra es, et in terram ibis. Et vocavit Adam nomen mulieris suæ, Vita<sup>2</sup>, quoniam hæc est mater omnium viventium. Et fecit Dominus Deus Adam*

<sup>1</sup> Editi, *illo*. At Mss. ut in sacris Bibliis, *omni*.

<sup>2</sup> Editi, *nomen mulieris suæ Eva, id est, vita*. At Mss. omnes earent his verbis, *Eva, id est: quæ nec leguntur apud interpretes I.XX.*

et mulieri ejus tunicas pecticeas, et induit eos. Et dixit Dominus Deus, Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis in cognoscendo bonum et malum. Et nunc: aliquando extendat manum suam, et sumat de ligno vitæ, et edat, et vivat in æternum. Et dimisit illum Dominus Deus de paradiso voluptatis operari terram, ex qua sumptus est. Et ejecit Adam, et collocavit eum contra paradysum voluptatis: et ordinavit Cherubim, et flammæam rhomphæam quæ vertitur, custodire viam ligni vitæ.

2. Antequam hujus propositionis Scripturæ textum ex ordine pertractemus, admonendum arbitror, quod jam me et alibi in hoc opere memini prælocutum, illud a nobis esse flagitandum, ut ad proprietatem litteræ defendatur quod gestum narrat ipse qui scripsit. Si autem in verbis Dei, vel cujusquam personæ in officium propheticum assumptæ, dicitur aliquid quod ad litteram nisi absurde non possit intelligi, procul dubio figurate dictum ob aliquam significationem accipi debet; dictum tamen esse dubitare fas non est: hoc enim a fide narratoris, et pollicitatione expositoris exigitur (*Lib. 8, c. 1-7*).

3. *Erant ergo ambo nudi*: verum est, omnino nuda erant corpora duorum hominum in paradiso conversantium. *Nec pudebat eos*: quid enim puderet, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ (*Rom. vii, 23*)? quæ illos pœna peccati post perpetrationem prævaricationis secuta est, usurpante inobedientia prohibitum, et justitia pueniente commissum. Quod antequam fieret, nudi erant ut dictum est, et non confundebantur: nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur; nihil putabant velandum, quia nihil senserant refrinandum. Quemadmodum propagaturi essent filios, jam antea disputatum est (*Supra, lib. 9, c. 3 11*): non tamen eo modo credendum est, quo propagaverunt posteaquam crimen admissum prædicta ultio consecuta est; cum priusquam morerentur, jam in corpore inobedientium hominum justissimo reciprocatu inobedientium membrorum tumultum mors concepta versaret. Nondum erant tales Adam et Eva, cum ambo nudi essent, et non confundentur.

**CAPUT II.** — *Serpentis sapientia qualis, et unde.*

4. *Serpens autem erat ibi prudentissimus* quidem, sed omnium bestiarum quæ erant super terram, quas fecerat Dominus Deus. Translato enim verbo dictum est, *prudentissimus*, vel sicut plures latini codices habent, *sapientissimus*, non proprio quo in bonum accipi solet sapientia vel Dei, vel Angelorum, vel animarum rationalis; tanquam si sapientes apes etiam formicasque dicamus, propter opera velut imitantia sapientiam. Quanquam iste serpens non irrationali anima

sua, sed alieno jam spiritu, id est diabolico, posset sapientissimus dici omnium bestiarum. Quantumlibet enim prævaricatores angeli de supernis sedibus suæ perversitatis et superbiæ merito dejecti sint, natura tamen excellentiores sunt omnibus bestiis propter rationis eminentiam. Quid ergo mirum si suo instinctu diabolus jam implens serpentem, eique spiritum suum miscens, eo more quo vates dæmoniorum implere solet<sup>1</sup>, sapientissimum eum reddiderat omnium bestiarum secundum animam vivam irrationalemque viventium? Abusione quippe nominis ita sapientia dicitur in malo, quemadmodum in bono astutia; cum proprie magisque usitate in latina duntaxat lingua sapientes laudabiliter appellentur, astuti autem male cordati intelligantur. Unde nonnulli, sicut in plerisque codicibus invenimus, ad usum latinæ locutionis, non verbum, sed potius sententiam transferentes, astutiorom omnibus bestiis istum serpentem, quam sapientiorom dicere maluerunt. Quid autem habeat hebræa proprietas, utrum illic in malo, non abusive, sed proprie possint dici et intelligi sapientes, viderint qui eam probe noverunt. Nos tamen aperte legimus alio Scripturarum sanctarum loco sapientes ad malum, non ad bonum (*Jerem. iv, 22*); et Dominus dicit sapientiores esse filios sæculi filiis lucis, ad consulendum sibi in posterum quamvis fraude, non jure (*Luc. xvi, 8*).

CAPUT III. — *Diabolus non nisi per serpentem tentare permissus.*

5. Nec sane debemus opinari quod serpentem sibi, per quem tentaret persuaderetque peccatum, diabolus elegerit; sed cum esset in illo propter perversam et invidiam voluntatem decipiendi cupiditas, non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est. Nocendi enim voluntas potest esse a suo quoque animo prava; non est autem potestas nisi a Deo, et hoc ab dita atque justitia, quoniam non est iniquitas apud Deum.

CAPUT IV. — *Tentatio hominis quare permissa.*

6. Si ergo quaeritur cur Deus tentari permiserit hominem, quem tentatori consensurum esse præsciebat; altitudinem quidem consilii ejus penetrare non possum, et longe supra vires meas hoc esse confiteor. Est ergo aliqua causa fortassis occultior, quæ melioribus sanctoribusque reservatur, illius gratia potius quam meritis eorum: sed tamen quantum vel donat sapere, vel sinit dicere, non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene vivere, quia nemo male vivere suaderet; cum et in natura posse, et in potestate haberet<sup>2</sup> velle non consentire suadenti, adjuvante tamen illo qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacobi iv, 6*). Cur itaque tentari non sineret, esse consensurum esse præsciebat, cum id facturus esset propria voluntate per culpam, et ordinandus esset illius æquitate per penam:

<sup>1</sup> In plerisque Mss., *impleri solent.*

<sup>2</sup> Mss. nonnulli, *habere.* Tum quidam prosequuntur, *si vellet non consentire.* Alii plerique, *habeat velle non consentire.* Sic etiam Am. et Er. Al Lov., *habeat velle et non consentire.*

ut etiam sic ostenderet animæ superbiæ ad eroditionem futurorum sanctorum, quam recte ipse uteretur animarum voluntatibus etiam malis, cum illæ perverse uterentur naturis bonis?

CAPUT V. — *Homo a tentatore dejectus, quia superbus.*

7. Nec arbitrarium est quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quam de se falso præsumpsit, disceret. Verissime quippe dictum est: *Ante ruinam exaltatur cor, et ante gloriam humiliatur* (*Prov. xvi, 18*). Et hujus forte hominis vox est in Psalmo: *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum*<sup>1</sup>. Deinde jam expertus quid mali habeat superba præsumptio propriæ potestatis, et quid boni adiutorium gratiæ Dei: *Domine, inquit, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti autem faciem tuam, et factus sum conturbatus* (*Psal. xxix, 7, 8*). Sed sive illud de hoc homine, sive de alio dictum sit, extollenti se tamen animæ, et nimium tanquam de propria virtute præcedenti, etiam experimento poenæ fuerat demonstrandum quam non bene se habeat facta natura, si a faciente recesserit. Hinc enim etiam maxime commendatur quale bonum sit Deus, quando nulli ab eo recedenti bene est: quia et qui gaudent in mortiferis voluptatibus, esse sine dolorum timore non possunt; et qui omnino malum desertionis suæ majore superbiæ stupore non sentiunt, aliis qui hæc discernere novorum, miseres prorsus apparent; ut si nolunt recipere medicinam talia devitandi, valeant ad exemplum, quo possint talia devitari. Sicut enim apostolus Jacobus dicit, *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum autem cum consummatum fuerit, generat mortem* (*Jacobi i, 14, 15*). Unde sanato superbiæ tumore resurgitur, si voluntas quæ ante experimentum defuit, ut permaneretur cum Deo, saltem post experimentum adsit, ut redeatur ad Deum.

CAPUT VI. — *Cur Deus permiserit hominem tentari.*

8. Sic autem quidam moventur de hac primi hominis tentatione, quod eam fieri permiserit Deus, quasi nunc non videant universum genus humanum diaboli insidiis sine cessatione tentari. Cur et hoc permittit Deus? An quia probatur et exercetur virtus, et est palma gloriosior non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari: cum etiam ipsi qui deserto Creatore eunt post tentatorem, magis magisque tentent eos qui in verbo Dei permanent, præbeantque illis contra cupiditatem devitationis exemplum, et incutiant contra superbiam timorem pium? Unde dicit Apostolus: *Intendens teipsum, ne et tu tenteris* (*Galat. vi, 1*). Mirum est enim quantum ista humilitas, qua subdimur Creatori, ne tanquam ejus adiutorio non egentes de nostris viribus præsumamus, per Scripturas omnes divinas cura continua commendatur. Cum ergo etiam per injustos justis, ac per impios pii proficiant, frustra

<sup>1</sup> veteres codices, *in sæculum.* Sic interdum Augustinus, propter ambiguitatem lectionis græcæ apud LXX, *eis ton aïna.*



dicitur: Non crearet Deus, quos præsciebat malos futuros. Cur enim non crearet quos præsciebat bonis profuturos, ut et utiles eorum bonis voluntatibus exerceendis admonendisque nascantur, et juste pro sua mala voluntate puniantur?

CAPUT VII. — *Cur homo non talis creatus qui nollet unquam peccare.*

9. Talem, inquit, faceret hominem, qui nollet omnino peccare. Ecce nos concedimus meliorem esse naturam quæ omnino peccare nollet; concedant et ipsi non esse malam naturam quæ sic facta est, ut posset non peccare si nollet, et justam esse sententiam qua punita est, quæ voluntate non necessitate peccavit. Sicut ergo ratio vera docet meliorem esse naturam quam prorsus nihil delectat illicitum; ita ratio vera nihilominus docet etiam illam bonam esse quæ habet in potestate illicitam delectationem, si exstiterit, ita cohibere, ut non solum de cæteris licitis recteque factis, verum etiam de ipsius pravæ delectationis cohibitione lætetur. Cum ergo hæc natura bona sit, illa melior, cur illam solam, et non utramque potius faceret Deus? Ac per hoc qui parati erant<sup>1</sup> de illa sola Deum laudare, uberius eum debent laudare de utraque. Illa quippe est in sanctis Angelis, hæc in sanctis hominibus. Qui autem sibi partes iniquitatis elegerunt, laudabilemque naturam culpabili voluntate depravarunt. non quia præsciti sunt, ideo creari minime debuerunt, habent enim et ipsi locum suum, quem in rebus implicat pro utilitate sanctorum. Nam Deus nec justitia coquequam recti hominis eget; quanto minus iniquitate perversi?

CAPUT VIII. — *Quare creati qui præsciebantur futuri mali.*

10. Quis autem sobria consideratione dicat: Melius non crearet quem præsciebat ex alterius iniquitate posse corrigi, quam crearet etiam quem præsciebat pro sua iniquitate debere damnari? Hoc est enim dicere, melius non esse qui alterius malo bene utendo misericorditer coronaretur, quam esse etiam malum qui pro suo merito juste puniretur. Cum enim ratio certa demonstrat duo quædam non æqualia bona, sed unum superius, alterum inferius; non intelligunt tardi corde, cum dicunt, Utrumque tale esset; nihil se aliud dicere quam, Solum illud esset. Ac sic cum æquare volunt genera bonorum, numerum minuunt; et immoderate augendo unum genus, alterum tollunt. Quis autem hos audiret, si dicerent: Quoniam excellentior sensus est videndi quam audiendi, quatuor oculi essent, et aures non essent? Ita, si excellentior est creatura illa rationalis, quæ sine ullius pœnæ comparatione, sine ulla superbia Deo subditur; aliqua vero in hominibus ita creata est, ut in se Dei beneficium non possit agnoscere, nisi alterius videndo supplicium, ut non altum sapiat, sed timeat (*Rom. xi, 20*), id est non de se præsidat, sed confidat in Deum: quis recte intelligens dicat, Talis esset ista qualis illa; nec videat se nihil aliud dicere quam, Non esset ista, sed sola esset illa? Quod si inerudite atque insipienter dicitur,

<sup>1</sup> Mas., paraverant.

cur ergo non crearet Deus etiam quos malos futuros esse præsciebat, volens ostendere iram et demonstrare potentiam suam, et ob hoc sustinens in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, ut notas faceret divitiis gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam (*Id. ix, 22, 23*)? Sic enim qui gloriatur, non nisi in Domino gloriatur (*II Cor. x, 17*), cum cognoscit non suum, sed illius esse, non solum ut sit, verum etiam ut non nisi ab illo bene sibi sit, a quo habet ut sit.

11. Nimis itaque importune dicitur: Non essent quibus Deus tantam beneficentiam misericordiæ suæ tribueret, si aliter esse non possent, nisi essent et hi in quibus vindictæ justitiam demonstraret.

CAPUT IX. — *De eadem difficultate.*

Cur enim non utrique potius essent, quando in utriusque et bonitas Dei et æquitas jure prædicatur?

12. At enim si Deus vellet, etiam isti boni essent. Quanto melius hoc Deus voluit, ut quod vellet essent: sed boni infructuose, mali autem impune non essent, et in eo ipso aliis utiles essent? Sed præsciebat quod eorum futura esset<sup>1</sup> voluntas mala. Præsciebat sane, et quia falli non potest ejus præscientia, ideo non ipsius, sed eorum est voluntas mala. Cur ergo eos creavit, quos tales futuros esse præsciebat? Quia sicut prævidit quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de malis factis eorum quid boni esset ipse facturus. Sic enim eos fecit, ut eis relinqueret unde et ipsi aliquid facerent, quo quidquid etiam culpabiliter eligerent, illum de se laudabiliter operantem invenirent. A se quippe habent voluntatem malam, ab illo autem et naturam bonam, et justam pœnam; sibi debitum locum, aliis exercitationis adminiculum et timoris exemplum.

CAPUT X. — *Malorum voluntatem in bonum convertere potest Deus: quare non faciat.*

13. Sed posset, inquit, etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est. Posset plane. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur røherit, penes ipsum est. Debemus enim non plus sapere quam oportet sapere (*Rom. xii, 3*). Puto autem paulo ante satis nos ostendisse non parvi boni esse rationalem creaturam, etiam istam quæ malorum comparatione cavet malum: quod genus bonæ creaturæ utique non esset, si omnium malas voluntates in bonum Deus convertisset, et nulli iniquitati pœnam debitam infligeret; ac sic non esset nisi solum illud genus, quod nulla vel peccati vel supplicii malorum comparatione proficeret. Ita velut aucta numerositate excellentioris generis, ipsorum generum bonorum numerus minueretur.

CAPUT XI. — *Malorum pœnis non indiget Deus, sed ex eis consulit bonorum saluti.*

14. Ergo, inquit, est aliquid in operibus Dei, quod alterius malo indigeat, quo proficiat ad bonum? Itane absurderunt et excæcati sunt homines, nescio quo studio contentions, ut non audiant vel videant, quibusdam punitis, quam plurimi corrigantur? Quis

<sup>1</sup> Sic Mas. et editi, quid eorum factura esset.

enim paganus, quis Judæus, quis hæreticus non hoc in chamo sua quotidie probet? Verum cum venit ad disputationem inquisitionemque veritatis, nolunt advertere sensus suos homines, ex quo opere divinæ providentiæ in eos veniat imponendæ commotio disciplinæ; ut si non corriguntur qui puniuntur, eorum tamen exemplo cæteri metuant, valeatque ad eorum salutem justa perniciæ aliorum. Num enim malitiæ eorum vel nequitia Deus auctor est, de quorum justa pœna consulit, quibus hoc modo consulendum esse constituit? Non utique: sed cum eos vitis propriis malos futuros esse præsciret, non eos tamen creare destitit; utilitati deputans eorum, quos in hoc genere creavit, ut ad bonum proficere, nisi malorum comparatione<sup>1</sup>, non possent. Si enim non essent, nulli rei utique proficessent. Parumne boni est actum ut sint, qui certe illi generi utiles sunt; quod genus quisquis non vult ut sit, nihil aliud agit, nisi ut ipse in eo non sit?

15. Magna opera Domini; exquisita in omnes voluntates ejus (*Psal.* cx, 2): prævidet bonos futuros, et creat; prævidet malos futuros, et creat: se ipsum ad fruendum præbens bonis, multa munerum suorum largiens et malis, misericorditer ignoscens: juste ulciscens; itemque misericorditer ulciscens, juste ignoscens: nihil metuens de cujusquam malitia, nihil indigens de cujusquam justitia; nihil sibi consulens nec de operibus honorum, et bonis consulens etiam de pœnis malorum. Cur ergo non permitteret tentari hominem illa tentatione probandum<sup>2</sup>, convincendum, puniendum, cum superba concupiscentia propriæ potestatis quod conceperat pareret, suoque fetu confunderet, iustoque supplicio a superbiam atque inobedientiæ malo posteros deterreret, quibus ea conscribenda et annuntianda parabatur?

CAPUT XII. — *Cur tentatio per serpentem fieri permessa.*

16. Si autem quaeritur cur potissimum per serpentem diabolus tentare permissus sit; jam hoc significandi gratia factum esse, quem non admoneat Scriptura tantæ auctoritatis, tantis divinitatis documentis agens in prophetando, quantis effectis jam mundus impletus est? Non quod diabolus aliquid ad instructionem nostram significare voluerit, sed cum accedere ad tentandum non potest nisi permissus, num per aliud posset, nisi per quod permittebatur accedere? Quidquid igitur serpens ille significavit, ei providentiæ tribuendum est, sub qua et ipse diabolus suam quidem habet cupiditatem nocendi; facultatem autem non nisi quæ datur, vel ad subvertenda ac perdenda vasa iræ, vel ad humilianda sive probanda vasa misericordiæ. Natura itaque serpentis unde sit, novimus: produxit enim terra in verbo Dei omnia pecora, et bestias, et serpentes; quæ universa creatura habens in se animam vivam irrationalem, universæ rationali creaturæ sive bonæ sive malæ voluntatis, lege divini ordinis subdita est (*Gen.* i, 20-26). Quid ergo mirum si per serpentem aliquid agere permissus est diabolus, cum dæmonia in porcos intrare Christus ipse permiserit (*Math.* viii, 32)?

<sup>1</sup> Editi hic, *cooperatione*. Mss. constanter, *comparatione*.

<sup>2</sup> In Mss. probæ notæ, *prodendum*.

CAPUT XIII. — *In Manichæos qui diabolum in creaturis Dei censeri nolunt.*

17. Magis de ipsa natura diaboli scrupulosius quaeri solet, quam totam quidam hæretici, offensi molestia malæ voluntatis ejus, alienare conantur a creatura summi et veri Dei, et alterum ei dare principium, quod sit contra Deum. Non enim valent intelligere, omne quod est, in quantum aliqua substantia est, et bonum esse, et nisi ab illo vero Deo, a quo omne bonum est, esse non posse: malam vero voluntatem inordinate moveri, bona inferiora superioribus præponendo; atque ita factum esse ut rationalis creaturæ spiritus, sua potestate propter excellentiam delectatus, tumesceret superbia, per quam caderet a beatitudine spiritualis paradisi, et invidentia contabesceret. In quo tamen bonum est hoc ipsum quod vivit, et vivificat corpus, sive aerium, sicut ipsius diaboli vel dæmonum spiritus, sive terrenum, sicut hominis anima, cujusvis etiam maligni atque perversi. Ita dum nolunt aliquid, quod Deus fererit, propria voluntate peccare, ipsius Dei substantiam dicunt primo necessitate, et post inexcipiabiliter voluntate corruptam atque perversam. Sed de istorum dementissimo errore alias jam diximus multa.

CAPUT XIV. — *Causa ruinæ anglicæ. Superbia; invidia.*

18. In hoc autem opere quaerendum est secundum sanctam Scripturam, quid de diabolo dicendum sit. Primo, utrum ab initio ipsius mundi sua potestate delectatus abstiterit ab illa societate et charitate, qua beati sunt Angeli qui fruuntur Deo; an aliquo tempore in sancto cœtu fuerit Angelorum, et tamen ipse pariter justus, et pariter beatus. Nonnulli enim dicunt ipsum ei fuisse casum a supernis sedibus, quod inviderit homini factio ad imaginem Dei. Porro autem invidia sequitur superbiam, non præcedit: non enim causa superbiendi est invidia, sed causa invidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidia vero sit odium felicitatis alienæ, quid unde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus individet, quod ei cœquantur; vel inferioribus, ne sibi cœquantur; vel superioribus, quod eis non cœquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est.

CAPUT XV. — *Superbia et amor privatus fontes malorum. Amores duo. Civitates duæ. Opus de Civitate Dei pollicetur.*

19. Merito initium omnis peccati superbiam Scriptura desinivit, dicens: *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* x; 15). Cui testimonio non inconvenienter aptatur etiam illud quod Apostolus ait, *Radix omnium malorum est avaritia* (*I Tim.* vi, 10); si avaritiam generalem intelligamus, qua quisque appetit aliquid amplius quam oportet, propter excellentiam suam, et quemdam propriæ rei amorem: cui sapienter nomenclatura latina lingua indidit, cum appellavit privatum, quod potius a detrimento quam ab incremento dictum elucet. Omnis enim privatio minuit. Unde itaque vult eminere superbia inde in angustias egestatemque

contraditur, cum ex communi ad proprium damnoso sui amore redigitur. Specialis est autem avaritia, quæ usitatius appellatur amor pecuniæ. Cujus nomine Apostolus per speciem genus significans, universalem avaritiam volebat intelligi dicendo, *Radix omnium malorum est avaritia*. Ille enim et diabolus cecidit, qui utique non amavit pecuniam, sed propriam potestatem. Proinde perversus sui amor privat sancta societate turgidum spiritum, eumque coarctat miseria jam per iniquitatem satiari cupientem. Hinc alio loco cum dixisset, *Erunt enim homines seipso amantes*; continuo subjecit, *amatores pecuniæ* (II Tim. III, 2), ab illa generali avaritia cujus superbia caput est, ad hanc specialem descendens quæ propria hominum est. Neque enim essent etiam homines amatores pecuniæ, nisi eos se putarent excellentiores, quo ditiores. Cui morbo contraria charitas non querit quæ sua sunt, id est non privata excellentia lætatur: merito ergo et non inflatur (I Cor. XIII, 5, 4).

20. Illi duo amores, quorum alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter privatus; alter communi utilitati consulens propter supernam societatem, alter etiam rem communem in potestatem propriam redigens propter arrogantem dominationem; alter subditus, alter æmulus Deo; alter tranquillus, alter turbulentus; alter pacificus, alter seditiosus; alter veritatem laudibus errantium præferens, alter quoquo modo laudis avidus; alter amicalis<sup>1</sup>, alter iuvidus; alter hoc volens proximo quod sibi, alter subjicere proximum sibi; alter propter proximi utilitatem regens proximum, alter propter suam præcesserunt in Angelis; alter in bonis, alter in malis; et distinxerunt cõditas in genere humano civitates duas, sub admirabili et ineffabili providentia Dei, cuncta quæ creata sunt administrantis et ordinantis, alteram justorum, alteram iniquorum. Quarum etiam quadam temporali commixtione peragitur sæculam, donec ultimo judicio separentur, et altera conjuncta Angelis bonis in rege suo vitam consequatur æternam, altera conjuncta angelis malis in ignem cum rege suo mittatur æternum. De quibus duabus civitatibus latius fortasse alio loco, si Dominus voluerit, disseremus.

CAPUT XVI. — *Diabolus quandonam lapsus sit.*

21. Quando ergo deiecerit superbia diabolus, ut naturam suam bonam prava voluntate perverteret, Scriptura non dicit: ante tamen factum fuisse, et ex hac eum homini invidisse, ratio manifesta declarat. In promptu est enim omnibus hæc intuentibus, non ex invidentia superbiam nasci, sed ex superbia potius invidentiam. Non autem frustra putari potest, ab initio temporis diabolus superbia cecidisse, nec fuisse ullam antea tempus quo cum Angelis sanctis pacatus vixerit et beatus, sed ab ipso primordio creaturæ a suo creatore apostatasse; ut illud quod Dominus ait, *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit* (Joan. VIII, 44), utrumque ab initio intefigamus, non solum quod homicida fuit, sed etiam quia in veritate

non stetit. Et homicida quidem ab illo initio ex quo homo potuit occidi; non autem potuit occidi, antequam esset qui occideretur. Ab initio ergo homicida diabolus, quia ipse occidit hominem primum, ante quem nullus hominum fuit. In veritate autem non stetit, et hoc ab initio ex quo ipse creatus est, qui staret si stare voluisset.

CAPUT XVII. — *An beatus fuerit diabolus ante peccatum.*

22. Quomodo enim duxisse etiam vitam beatam inter beatos Angelos credi potest, qui futuri sui peccati atque supplicii, id est desertionis et ignis æterni, præscius non fuit? Si præscius non fuit, merito queritur cur non fuerit<sup>1</sup>. Neque enim sancti Angeli æternæ suæ vite ac beatitudinis incerti sunt. Nam quomodo beati, si incerti? An dicemus hoc Deum diabolo revelare noluisse, cum adhuc esset angelus bonus, vel quid facturus, vel quid passurus esset; cæteris vero hoc revelasse quod essent in æternum in ejus veritate mansuri? Quod si ita est, ideo jam non æqualiter beatus, imo jam nec plane beatus fuit, quandoquidem plane beati de sua beatitudine certi sunt, ut eam nullus perturbet metus. Quo autem malo merito ita discernatur a cæteris, ut ei Deus nec ea quæ ad ipsum pertinerent, futura revelaret? Numquid ille prius ultor, quam iste peccator? Absit: neque enim Deus damnat innocentes. An forte ex alio genere angelorum fuit, quibus Deus non dedit vel de seipsis præscientiam futurorum? qui quoniam modo beati possint esse non video, quibus incerta est ipsa sua beatitudo. Nam et hoc quidam senserunt, non fuisse diabolus in illa sublimi natura Angelorum, quæ supercælestis est; sed in eorum qui aliquanto inferius in mundo facti sunt, et per sua officia distributi. Tales enim fortasse posset aliquid etiam illicitum delectare: quam tamen delectationem si peccare nolent, libero arbitrio coliberent; sicut homo, maxime ille primus, qui peccati pœnam nondum habebat in membris, quandoquidem et ipsa a sanctis viris Deo subditis per ejus gratiam pietate superatur.

CAPUT XVIII. — *Homo ante peccatum quomodo beatus fuerit.*

23. Porro ista quæstio de beata vita, utrum eam quisquam jam habere dicendus sit, cui incertum est<sup>2</sup> utrum secum permansura sit, an ei miseria quandoque succedat, potest et de ipso primo homine oriri. Nam si futuri sui peccati præscius erat divineque vindictæ, beatus esse unde poterat? Ergo erat in paradiso non beatus. Sed enim non erat futuri peccati sui præscius? Ergo per hanc ignorantiam aut ejusdem beatitudinis incertus; et quomodo jam vere beatus? aut falsa spe certus, non scientia; et quomodo non stultus?

24. Sed tamen hominis adhuc in corpore animali constituti, cui obedienter viventium dandum adhuc esset Angelorum consortium, et mutatio corporis ex animali in spirituale, possumus intelligere beatam vitam secundum quemdam modum, etiamsi non erat præ-

<sup>1</sup> Er. Lugd. Von. legunt, *id est desertionis et ignis æterni si præscius non fuit, merito queritur cur non fuerit.* M

<sup>2</sup> Mss., *cujus incertus est utrum,* etc.

<sup>1</sup> Er. et Lov., *amicatiss;* pro quo Am. et Mss. *amicalis.*

sciens futuri sui peccati. Neque enim et illi præscii fuerunt, quibus Apostolus dicit, *Vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne et tu tenteris (Galat. vi, 1)*; non absurde tamen nec improbe dicimus, beatos jam fuisse hoc ipso quod spirituales essent, non corpore, sed justitia fidei, spe gaudentes, in tribulatione patientes (*Rom. xii, 12*). Quanto magis ergo, et ampliore modo beatus erat homo in paradiso ante peccatum, quamvis incertus futuri sui casus, qui spe ita gaudebat propter præmium futuræ commutationis, ut nulla esset tribulatio cui tolerandæ patientia militaret? Quamvis enim non vana præsumptione de incerto certus velut stultus, sed spe non infidelis; antequam apprehenderet illam vitam, ubi certissimus ipsius æternæ vitæ suæ futurus esset, posset exsultare, quemadmodum scriptum est, *cum tremore (Psal. ii, 11)*; et hac exsultatione, multo abundantius in paradiso, quam sancti in his terris, beatus esse, modo quodam inferiore quam in illa vita æterna sanctorum supercælestiumque Angelorum, non tamen nullo.

#### CAPUT XIX. — Angelorum conditio.

25. Dicere autem de aliquibus angelis quod in suo quodam genere beati esse possint, futuræ suæ iniquitatis et damnationis, vel certe perpetuæ salutis incerti, quibus nec spes subesset quod aliquando et ipsi aliqua in melius mutatione certi de hac re futuri essent, vix ferenda præsumptio est: nisi forte et hoc dicatur, ita creatos istos angelos mundanis ministeriis distributos sub aliis sublimioribus et beatoribus, ut pro recte gestis præposituris suis accipiant illam vitam beatam ac sublimiorem, de qua possint esse certissimi, cujus utique spe gaudentes possint non incongrue dici jam beati. Ex quorum numero si diabolus cecidit cum sociis iniquitatis suæ, simile est hoc ei quod cadunt a justitia fidei etiam homines, simili superbia prævaricati, vel seipsos seducentes, vel illi seductori consentientes.

26. Sed asserant hæc duo genera bonorum Angelorum qui potuerint, unum supercælestium, in quibus nunquam fuit qui cadendo diabolus factus est; alterum autem mundanorum, in quibus fuit: mihi autem, fateor, unde hoc secundum Scripturas asseram, non interim occurrit; sed coarctatus quæstione illa, qua quæritur utrum sui casus præscius, antequam caderet, fuerit, ne suæ beatitudinis incertos esse vel aliquando fuisse Angelos dicerem, non sine causa putari posse dixi, diabolum ab ipso creaturæ, hoc est ab ipso vel temporis vel suæ conditionis initio cecidisse, nec aliquando in veritate stetisse.

#### CAPUT XX. — Opinio de diabolo creato in malitia.

27. Unde nonnulli eum non in hanc malitiam libero voluntatis arbitrio esse deflexum, sed in hac omnino creatum putant, quamvis a Domino Deo summo et vero naturarum omnium creatore: adhibentque testimonium de libro Job, quoniam ibi scriptum est, cum de illo sermo esset, *Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ut illudatur ab Angelis ejus (Job. xi, 4, sec. LXX)*: cui sententiæ congruit quod in Psalmo

scriptum est, *Draco hic quem finxisti ad illudendum ei (Psal. ciii, 26)*; nisi quod hic, quem finxisti, dixit; non autem sicut ibi, *Hoc est initium figmenti Domini*: tanquam in initio eum ita finxisset, ut malus, ut invidus, ut seductor, ut omnino diabolus esset, non voluntate depravatus, sed ita creatus.

#### CAPUT XXI. — Refellit hæc opinio.

28. Hæc opinio quomodo non sit adversa ei, quod scriptum est, *Fecit Deus omnia bona valde (Gen. i, 31)*, quamvis contentur ostendere; nec insulse etiam vel inrudite asseratur, non tantum conditione prima, sed etiam nunc depravatis tot voluntatibus, in summa tamen omnia quæ creata sunt, id est universam omnino creaturam bonam esse valde, non quod boni sint in ea mali, sed quod non efficiant malitia sua ut sub Dei administratoris imperio, virtute, sapientia, decus et ordo universalis aliqua ex parte turpetur sive turbetur; cum suis quibusque voluntatibus, etiam malis, tribuantur certi et congrui limites potestatum et pondera meritorum, ut etiam cum ipsis convenienter justeque ordinatis universitas pulchra sit: tamen quia quilibet occurrit, et verum est atque manifestum, justitiæ ipsi esse contrarium ut nullo præcedente merito, hoc ipsum in quoquam Deus damnet quod in eo ipso creaverit, certa que et evidens damnatio diaboli et angelorum ejus ex Evangelio recitatur, ubi se dicturum Dominus prænuñtiavit eis qui a sinistris sunt, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (Matth. xxv, 41)*; nullo modo in eo naturam quam Deus creavit, sed malam propriam voluntatem poena ignis æterni pleciendam esse credendum est.

#### CAPUT XXII. — Opinioni ejusdem fundamenta convelluntur.

29. Nec ejus naturam esse significatam quod dictum est, *Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ut illudatur ab Angelis ejus*: sed vel corpus aerium, quod tali voluntati congruenter aptavit; vel ipsam ordinationem, in qua eum fecit etiam volentem utilem bonis; vel quod præsciens eum propria voluntate malum futurum, fecit eum tamen, non abstinens bonitatem suam in præbenda vita atque substantia futura etiam noxiæ voluntati<sup>1</sup>, simul prævidens quanta de illo bona esset sua mirabili bonitate ac potestate factururus. *Initium autem figmenti Domini* dictus est, *quod fecit ut illudatur ab Angelis ejus*, non quia ipsum prinitus condidit, vel initio malum condidit; sed quia cum sciret eum ad hoc propria voluntate malum futurum ut bonis noceret, creavit eum ad hoc ut de illo bonis ipse prodesset. Hoc est enim, *ut illudatur ab Angelis ejus*; quoniam sic illudatur, cum sanctis prorsus tentationes ejus, quibus eos depravare conatur, ut malitia, in qua ipse esse voluit, eo nolente sit utilis servis Dei; quia hoc prævidens eum finxit. Ideo

<sup>1</sup> Codices editi et Mss. post, *bona valde*, addunt: *Ubi invenitur diabolus non propria voluntate depravatus, sed ab ipso Domino Deo factus malus valde*; quod glossema esse censor quidam nec imprudens nec recens annotavit in Colbertino vs. Mox in editis legebatur: *quamvis contentur ostendere ut insulse*: at in Mss., *nec insulse*.

<sup>2</sup> Mss. aliquot, *voluntatis*.

initium ad illudendum, quia et mali homines vasa ejusdem diaboli, et tanquam capitis corpus, quos nihilominus Deus malos futuros prævidens, creavit tamen ad utilitatem sanctorum, similiter illuduntur, cum et ipsis nocere volentibus, præstatur sanctis eorum comparatione gratia<sup>1</sup>, et exercitatio ad tolerandos malos, et probatio ad diligendos inimicos. Sed ille est initium signum, quod sic illuditur, quia præcedit istos et temporis antiquitate, et principatu malitiæ. Hoc autem illi Deus per sanctos Angelos facit, illo opere providentiæ, quo creatas naturas administrat, subdens videlicet angelos malos Angelis bonis, ut maiorum improbitas, non quantum nititur, sed quantum sinitur possit: nec tantum angelorum malorum, verum et hominum, donec etiam ista justitia, qua vivitur ex fide (Rom. 1, 17), quæ nunc patienter in hominibus exercetur, convertatur in iudicium (Psal. xciii, 15), ut possint et ipsi non solum duodecim tribus Israel (Matth. xix, 28), sed etiam angelos iudicare (I Cor. vi, 5).

CAPUT XXIII. — *Ut intelligendum est diabolum in veritate nunquam stetitisse.*

30. Quod ergo putatur nunquam diabolus in veritate stetitisse, nunquam cum Angelis beatam duxisse vitam, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse, non sic accipiendum est, ut non propria voluntate depravatus, sed malus a bono Deo creatus putetur; alioquin non ab ipso cecidisse diceretur: neque enim cecidit, si talis est factus. Sed factus continuo se a luce veritatis avertit, superbia tumidus, et propria potestatis delectatione corruptus: unde beatæ atque angelicæ vitæ dulcedinem non gustavit, quam non utique acceptam fastidivit, sed nolendo accipere deseruit, et amisit. Proinde nec sui casus præscius esse potuit; quoniam sapientia pietatis est fructus. Ille autem continuo impius, consequenter et mente cæcus, non ex eo quod acceperat cecidit, sed ex eo quod acciperet, si subdi voluisset Deo: quod profecto quia noluit, et ab eo quod acceperat erat cecidit, et potestatem illius sub quo esse noluit, non evasit; factumque in illo est pondere meritum, ut nec justitiæ possit lumine delectari, nec ab ejus sententia liberari.

CAPUT XXIV. — *De corpore mystico diaboli intelligendum esse illud, Quomodo cecidit, etc.*

31. Quod ergo per Isaiam prophetam in eum dicitur, *Quomodo cecidit de cælo Lucifer mane oriens? contritus est in terram, qui mittebat ad omnes gentes? Tu autem dixisti sensu tuo, In cælum ascendam, super sidera cæli ponam thronum meum, sededo in monte excelso super montes excelsos qui sunt ad aquilonem, ascendam super nubes, ero similis Altissimo: nunc autem ad inferos descendes* (Isai. xiv, 12-14); et cætera, quæ in figura regis velut Babylonis in diabolum dicta intelliguntur, plura in ejus corpus conveniunt, quod etiam de humano genere congregat; et in eos maxime qui ei per superbiam coherent, apostatando a mandatis

<sup>1</sup> sic plerique et optimæ notæ MSS. At excusi habent, *humilitatis et intelligentiæ gratia.*

Dei. Sicut enim qui erat diabolus, homo dictus est; ut in Evangelio, *Inimicus homo hoc fecit* (Matth. xiii, 28); ita qui homo erat, diabolus dictus est, ut rursus in Evangelio, *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est* (Joan. vi, 71)? Et sicut corpus Christi quod est Ecclesia, dicitur Christus, sicut illud est, *Vos Abraham semen estis*, cum paulo superius dixisset, *Abraham dictæ sunt promissiones et semini ejus: non dicit, Et seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus* (Galat. iii, 29, 16); et iterum, *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus; ita et Christus* (I Cor. xii, 12); eo modo etiam corpus diaboli, cui caput est diabolus, id est ipsa impiorum multitudo, maximeque eorum qui a Christo vel de Ecclesia sicut de cælo decidunt, dicitur diabolus, et in ipsum corpus figurate multa dicuntur, quæ non tam capiti quam corpori membrisque conveniant. Itaque Lucifer qui mane oriebatur et cecidit, potest intelligi apostatarum genus vel a Christo vel ab Ecclesia; quod ita convertitur ad tenebras amissa luce, quam portabat, quemadmodum qui convertuntur ad Deum, a tenebris ad lucem transeunt, id est, qui fuerunt tenebræ lux fiunt.

CAPUT XXV. — *De eodem corpore diaboli dictum esse illud, Tu es signaculum, etc. Paradisus Ecclesia.*

32. Item in figura principis Tyri per Ezechielem prophetam in diabolum dicta intelliguntur, *Tu es signaculum similitudinis et corona decoris; in deliciis paradisi Dei fuisti, omni lapide pretioso ornatus es* (Ezech. xxviii, 12, 13); et cætera, quæ non tam in ipsum principem spiritum nequitie, quam in corpus ejus dicta conveniunt. Paradisus enim dicta est Ecclesia, sicut legitur in Cantico canticorum, *Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum* (Cant. iv, 12, 13). Inde ceciderunt vel aperta et corporali separatione omnes hæretici; vel occulta et spirituali, quamvis in ea corporaliter esse videantur, omnes conversi ad vomitum suum, cum post remissionem omnium peccatorum paululum ambulassent in via justitiæ, in quibus facta sunt posteriora deteriora prioribus, et quibus expediebat non cognoscere viam justitiæ, quam cognoscentibus retrorsum reflecti a tradito sibi sancto mandato (Prov. xxvi, 11; et II Petr. ii, 21, 22). Hanc pessimam generationem Dominus describit, cum dicit spiritum nequam exire ab homine, et cum aliis septem redire, et in domo quam mundatam jam invenerat, inhabitare, ut sint novissima hominis illius pejora prioribus (Matth. xii, 43-45). Tali enim generi hominum, quod jam factum est corpus diaboli, possunt hæc verba congruere, *A die qua creatus es tu cum cherub*, id est cum sede Dei, quæ interpretatur, *Multiplicata scientia, et posuit te in monte sancto Dei*, hoc est in Ecclesia; unde est, *Et exaudivit me de monte sancto suo* (Psal. lxxv, 5). *Fuisti in medio lapidum flammearum*, id est sanctorum spiritu ferventium, *lapidum vivorum: ambulasti sine rito tu in diebus tuis, ex quo die creatus es tu donec inventa sunt delicta tua in te* (Ezech. xxviii, 14, 15);

possunt diligentius ista tractari, ut fortassis ostendatur non solum et hunc intellectum esse in his verbis posse, sed omnino alium esse non posse.

CAPUT XXVI. — *Conclusio de diaboli conditione et lapsu.*

33. Verum quia longum est, et alium sermonem exigit eidem tantum questionem deputatum; nunc sufficiat ista complexio, aut ab initio conditionis suae diabolum a beatitudine, quam si voluisset percepturus fuerat, impia superbia cecidisse, aut alios esse angelos inferioris ministerii in hoc mundo, inter quos secundum eorum quamdam non praeciam beatitudinem vixerat, et a quorum societate cum sibi subditis angelis suis tanquam archangelus cecidit per superbiam impietatem; si hoc ullo modo asseri potest, quod mirum si potest<sup>1</sup>: aut certe rationem requirendam, quemadmodum omnes sancti Angeli, si inter illos aliquando pariter beatus cum suis angelis diabolus vixit, nondum haberint etiam ipsi certam praescientiam perpetuae felicitatis suae, sed eam post casum ejus acceperint; aut quo merito ante suum peccatum diabolus cum sociis suis a caeteris Angelis discretus fuerit, ut ipse sui casus futuri esset ignarus, illi autem certi permansionis suae: dum tamen et peccatores angelos minime dubitemus detrusos tanquam in carcerem caliginis hujus aëriae circa terras, secundum apostolicam fidem, in judicio puniendos servari (II Petr. II, 4); et in illa superna beatitudine sanctorum Angelorum non esse incertam vitam aeternam, nec nobis secundum Dei misericordiam et gratiam et fidelissimam pollicitationem incertam futuram, cum fuerimus eis post resurrectionem et istorum mutationem corporum copulati. Ad hanc enim spem vivimus, et ejus promissionis gratia recreamur. Quidquid autem etiam de diabolo dici potest, cur eum Deus creaverit, cum talem praeciret futurum, et cur omnipotens ejus voluntatem non convertat in bonum, secundum ea quae disseruimus cum de malis hominibus similiter quaereremus, sive intelligatur, sive credatur, sive quid melius inveniri potest, invenitur.

CAPUT XXVII. — *De tentatione diaboli per serpentem.*

34. Ab illo ergo cujus super omnia quae creavit, summa potestas est, per Angelos sanctos a quibus illuditur diabolus, cum et de ipsius malevolentia consultitur<sup>2</sup> Ecclesiae Dei, non est permissum tentare feminam nisi per serpentem, nec virum nisi per feminam: sed in serpente ipse locutus est, utens eo velut organo, movensque ejus naturam eo modo quo movere ille, et moveri illa potuit, ad exprimendos verborum sonos et signa corporalia, per quae mulier suadentis intelligeret voluntatem. In ipsa vero muliere, quia illa rationalis creatura erat, quae motu suo posset uti ad verba faciendam, non ipse locutus est, sed ejus operatio atque persuasio; quamvis occulto instinctu adjuvaret interius, quod exterius egerat per serpentem. Quod quidem si

<sup>1</sup> Er. et Lov., per superbie impietatem: sed hoc nullo modo asseri potest, illud mirum si potest. Visum est restituere lectionem Mss.

<sup>2</sup> Lov., consolatur. Alii codices, consulatur; vel, consulatur.

solo instinctu occultius ageret, sicut egit in Julia ut traderet Christum (Joan. XIII, 2), posset efficere in anima superbo amore suae potestatis inducta: sed, sicut jam dixi, tentandi voluntatem habet diabolus, in potestate autem nec ut faciat habet, nec quomodo faciat. Quia permissus est ergo, tentavit; et quomodo permissus est, ita tentavit: cui autem generi hominum prodesset quod faciebat, neque sciebat, neque volebat, et eo ipso illudebatur ab Angelis.

CAPUT XXVIII. — *An serpens verba prolata intellexerit.*

35. Non itaque serpens verborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem. Neque enim conversa credenda est anima ejus in naturam rationalem; quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, cum daemon in eis loquitur ea passione cui exorcista requiritur, sciunt quid loquantur; quanto minus ille intelligeret verborum sonos, quos per eum et ex eo diabolus illo modo faciebat, qui hominem loquentem non intelligeret, si cum a diabolica passione immunis audiret? Nam et quod putantur audire et intelligere serpentes verba Marsorum, ut eis incantantibus prosiliant plerumque de latebris, etiam illic diabolica vis operatur, ad cognoscendam ubique providentiam, quam rem cui rei naturali ordine subiciat, et quid etiam voluntatibus malis sapientissima potestate permittat, ut hoc magis habeat usus, serpentes moveri carminibus hominum, quam ullum aliud genus animantium. Etiam haec enim non parva testatio est, naturam primitus humanam serpentis seductam esse colloquio. Gaudet enim daemon hanc sibi potestatem dari, ut ad incantationem hominum serpentes moveant, ut quolibet modo fallant quos possunt. Hoc autem permittantur ad primi facti memoriam commendandam, quod sit eis quaedam cum hoc genere familiaritas. Porro ipsum primum factum ad hoc permissum est, ut per naturam serpentis significaretur generi hominum, cui erudiendo haec gesta conscribi oportebat, omnis diabolicae tentationis similitudo: quod apparebit, cum in serpentem proferri coeperit divina sententia.

CAPUT XXIX. — *Serpens cur dictus prudentissimus.*

36. Proinde prudentissimus omnium bestiarum, hoc est, astutissimus, ita dictus est serpens propter astutiam diaboli, quae in illo et de illo agebat dolum; quemadmodum dicitur prudens vel astuta lingua, quam prudens vel astutus movet ad aliquid prudenter astuteque suadendum. Non enim est haec vis seu virtus membri corporalis quod vocatur lingua, sed utique mentis quae utitur ea. Ita etiam dictus est stilius mendax scribarum: neque enim esse mendacem pertinet; nisi ad viventem atque sentientem; sed stilius mendax dictus est, quod per eum mendax mendaciter operetur; quemadmodum si et iste serpens mendax dicretur, quod eo diabolus tanquam stilo mendaciter uteretur.

37. Hoc ideo commendandum putavi, ne quisquam existimans animantia rationis expertia humanum habere intellectum, vel in animal rationale repente mu-

tari, seducatur in illam opinionem ridiculam et noxiam revolutionis animarum vel hominum in bestias, vel in homines bestiarum. Sic ergo locutus est serpens homini, sicut asina in qua sedebat Balaam, locuta est homini (*Num. xxii, 28*), nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum. Habent enim quædam boni et mali angeli opera similia, sicut Moyses et magi Pharaonis (*Exod. vii, 10, 11*). Verum in his etiam boni Angeli potentiores sunt, nec mali angeli etiam talium operum quidquam possunt, nisi quod per bonos Angelos permiserit Deus, ut retribuatur unicuique secundum cor ejus, vel secundum gratiam Dei; utrumque juste ac benigne per altitudinem divitiarum sapientie Dei (*Rom. xi, 33*).

**CAPUT XXX.** — *Colloquium serpentis cum muliere.*

38. Dixit ergo serpens mulieri, *Quid, quia dixit Deus, Non edetis ab omni ligno paradisi? Et dixit mulier serpenti, A fructu ligni quod est in paradiso edemus: de fructu autem ligni, quod est in medio paradisi, dixit Deus, Non edetis ex eo, neque tangetis illud, ne moriamini.* Ideo prius interrogavit serpens, et respondit hoc mulier, ut prævaricatio esset inexcusabilis, neque ullo modo dici posset, id quod præceperat Deus oblitam fuisse mulierem. Quanquam et oblitio præcepti, maxime unius et tam necessarij, ad maximam culpam damnabilis negligentie pertineret: veruntamen evidentior ejus transgressio est, cum memoria retinetur, et tanquam in illo Deus assistens præsensque contemnitur. Unde necessarium fuit, cum in Psalmo diceretur, *Et memoria retinentibus mandata ejus, addere, ut faciant ea (Psal. cxv, 18)*. Multi enim retinent memoria, et contemnunt ea, prævaricationis majore peccato, ubi oblivionis nulla est excusatio.

39. Dixit ergo serpens mulieri, *Non morte moriamini. Sciebat enim Deus, quoniam quo die manducaveritis de eo, adaperientur vobis oculi, et eritis sicut dii, cognoscentes bonum et malum.* Quando his verbis crederet mulier a homine atque utili re divinitas se fuisse prohibito, nisi jam inesset menti amor ille propriæ potestatis, et quædam de se superba præsumptio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda et humilianda? Denique verbis non contenta serpentis consideravit lignum, viditque bonum ad escam, et decorum ad aspectum, et non credens posse inde se mori, arbitratur quod putaverit Deum alicujus significationis causa dixisse, *Si manducaveritis, morte moriamini*: atque ideo sumpsit de fructu ejus, et manducavit, et dedit etiam viro suo secum; fortassis etiam cum verbo suasorio, quod Scriptura tacens intelligendum relinquit. An forte nec suaderi jam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non esse ceruebat?

**CAPUT XXXI.** — *Ad quid aperti oculi Adami et Evæ.*

40. Ergo ederunt, et aperti sunt oculi amborum. Quo<sup>1</sup>, nisi ad invicem concupiscendum, ad peccati penam carnis ipsius morte conceptam; ut jam esset corpus non animale tantum, quod poterat, si obedientiam conservarent, in meliorem spiritualemque habitum sine morte mutari, sed jam corpus mortis, in quo lex

<sup>1</sup> Editi, Quomodo. At Mss., Quo.

in membris repugnaret legi mentis (*Rom. vii, 23*)? Neque enim clausis oculis facti erant, et in paradiso deliciarum cæci palpantesque oberrabant, ut velillum lignum etiam nescientes attingerent, palpantesque fructus prohibitos ignorando decerperent. Quomodo autem animalia et volatilia adducta sunt ad Adam, ut videret quid ea vocaret, si non videbat? et quomodo ipsa mulier ad virum adducta est, quando facta est, ut de illa quam non videbat diceret, *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea*, etc. (*Gen. ii, 19, 22, 23*)? Postremo, quomodo vidit mulier quia bonum est lignum in escam, et quia placet oculis ad videndum, et decorum est cognoscere, si eorum clausi erant oculi?

41. Nec tamen ideo propter unius verbi translationem totum figurate accipiendum est. Viderit enim quemadmodum dixerit serpens, *Aperientur vobis oculi*. Hoc enim eum scriptor libri dixisse narravit; in qua vero significatione vel sententia dixerit, lectori considerare permisit. Hoc autem quod scriptum est, *Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt quia nudi erant*, ita scriptum est, quemadmodum omnia quæ gesta narrantur; nec tamen ideo in allegoricam narrationem nos debet ducere. Neque enim et evangelista narrator dicta cujusquam figurata ex ejus persona inserebat, ac non ex persona sua quæ fuerant gesta narrabat, cum diceret de illis duobus, quorum unus erat Cleophas, quod cum fregisset eis Dominus panem, *aperiti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum, quem per viam non cognoverant (Luc. xxiv, 13 31)*; non utique clausis oculis ambulantes, sed eum cognoscere non valentibus. Sicut ergo ibi, sic nec isto loco narratio figurata est, quamvis translato verbo Scriptura usa sit, ut apertos diceret oculos, qui et antea patebant: apertos utique ad aliquid intuendum et cogitandum, quod antea nunquam adverterant. Ubi enim ad transgrediendum præceptum audax curiositas mota est, avida experiri latentia, quidnam tacto vetito sequeretur, et noxia libertate habenas prohibitionis rumpere delectata, probabilibus existimans non esse mortem, quam timebant, secuturam: tale quippe pomum credendum est fuisse in illa arbore, cujus generis poma jam in aliis arboribus innoxia senserant; unde magis crediderunt Deum posse peccantibus facile ignoscere, quam patienter tulerunt<sup>1</sup> non cognoscere quidnam esset, vel cur eos inde cibum sumere vetuisset: mox ut ergo præceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente omnino nudati, quam typho quodam et superbo amore suæ potestatis offenderant, in sua membra oculos injecerunt, eaque motu eo quem non noverant, concupiverunt. Ad hoc ergo aperti sunt oculi, ad quod antea non patebant, quamvis ad alia paterent.

**CAPUT XXXII.** — *Mortalitatis et libidinis origo. Ficulnea succinctoria.*

42. Hæc mors ea die accidit, qua factum est quod Deus vetuit. Amisso quippe statu mirabili, corpus

<sup>1</sup> Sic Mss. At Am., quam patienter tulerunt. Et., quam patienter tulerunt. Lov., quod patienter tulerunt.

ipsam cui status etiam de ligno vitæ virtute mystica præbebatur, per quem nec morbo tentari, nec mutari ætate potuissent, ut hoc in eorum carne, quamvis adhuc animali et in melius postea commutanda, jam tamen significaretur per escam ligni vitæ, quod ex ipso spirituali alimento sapientiæ, cuius sacramentum illud lignum erat, fit in Angelis per æternitatis participationem, ut in deterius non mutentur: hoc ergo amisso statu, corpus eorum duxit morbidam et mortiferam qualitatem, quæ ipse etiam pecorum carni, ac per hoc etiam eundem motum quo fit in pecoribus concumbendi appetitus, ut succedant nascentia morientibus: sed tamen etiam in ipsa jam pœna suæ generositatis index anima<sup>1</sup> rationalis bestialem motum in membris suæ carnis erubuit, eique incussit pudorem, non solum quia hoc ibi sentiebat, ubi nunquam antea tale aliquid senserat, verum etiam quod ille pudendus motus de præcepti transgressione veniebat. Ibi enim sensit, qua prius gratia vestiretur, quando in sua nuditate nihil indecens patiebatur. Ibi completum est, *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti autem faciem tuam*<sup>2</sup>, et factus sum conturbatus (Psal. XXIX, 8). Denique illa conturbatione ad folia ficulneæ eurrerunt, succinctoria consuerunt, et quia glorianda deseruerant, pudenda texerunt. Nec arbitror eos cogitasse aliquid in illis foliis, quod talibus congrueret contegi jam membra prurientia; sed occulto instinctu ad hoc illa conturbatione impulsus sunt, ut etiam talis pœnæ suæ significatio a nescientibus fieret, quæ peccatorem facta convinceret, et doceret scripta lectorem<sup>3</sup>.

**CAPUT XXXIII. Vox Dei ambulantis in paradiso.**

43. *Et audierunt vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad vesperam.* Ea quippe hora tales jam convenerat visitare, qui defecerant a luce veritatis. Fortassis enim aliis intrinsecus vel effabilibus vel ineffabilibus modis Deus cum illis antea loquebatur, sicut etiam cum Angelis loquitur ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, ubi est intellectus nosse simul quæcumque etiam per tempora non sunt simul. Forte, inquam, sic cum eis loquebatur, etsi non tanta participatione divinæ sapientiæ, quantum capiunt Angeli; tamen pro humano modulo, quantumlibet minus, sed ipso genere visitationis et locutionis; fortassis etiam illo qui fit per creaturam, sive in ecstasi spiritus corporalibus imaginibus, sive ipsis sensibus corporis aliqua specie præsentata vel ad videndum, vel ad audiendum, sicut in Angelis suis solet videri Deus vel sonare per nubem. Nunc tamen quod audierunt vocem Dei ambulantis in paradiso ad vesperam, non nisi per creaturam visibiliter factum est, ne substantia illa invisibilis et ubique tota, quæ Patris et Filii est et Spiritus sancti, corporalibus eorum sensibus locali et temporalis motu apparuisse credatur.

44. *Et absconderunt se Adam et mulier ejus a facie*

<sup>1</sup> Am. et Er., *vindex anima*. Lov., *vindex animæ*. At Mss. magno consensu, *index anima*.

<sup>2</sup> Editti addunt, *a me*; quod abest a Mss. et a versione LXX.

<sup>3</sup> Ita in Mss. ubi in excisis legelatur, *quæ peccatorem factum convinceret, et doceret Scriptura lectorem*.

*Domini in medio ligno quod est in paradiso.* Cum Deus avertit intrinsecus faciem suam, et sit homo conturbatus; non miremur hæc fieri, quæ similia sunt dementiæ, per nimium pudorem ac timorem; illo quoque occulto instinctu non quiescente, ut ea nescientes facerent, quæ aliquid significarent, quandoque scituris posteris, propter quos ista conscripta sunt.

**CAPUT XXXIV. — Adam ob nuditatem scæ abscondens interrogatur a Deo.**

45. *Et vocavit Dominus Deus Adam, et dixit illi, Ubi es?* Incepantis vox est, non ignorantis. Et hoc sane ad aliquam pertinet significationem, quod sicut præceptum viro datum est, per quem perveniret ad feminam, ita vir prior interrogatur. Præceptum enim a Domino per virum usque ad feminam: peccatum autem a diabolo per feminam usque ad virum. Hæc mysticis significationibus plena sunt, non id agentibus in quibus facta sunt, sed de his id agente potentissima sapientia Dei. Non autem nunc significata reseramus, sed gesta defendimus.

46. Respondit ergo Adam: *Vocem tuam audivi in paradiso, et timui, quia nudus sum, et abscondi me.* Satis probabile est, solere Deum per creaturam tali actioni congruam in forma humana primis illis hominibus apparere: quos tamen nunquam permisit advertere nuditatem suam, eorum intentionem in superna sustollens, nisi cum post peccatum pudendum in membris motum pœnali membrorum lege sensissent. Sic ergo affecti sunt, ut solent affici homines sub oculis hominum; et talis affectio de peccati pœna erat, eum latere velle quem latere nihil potest, et ab eo carnem occultare, qui cordis inspector est. Sed quid mirum si superbi<sup>1</sup> volentes esse sicut dii, evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum? Scilicet quippe dixerunt esse sapientes in abundantia sua, et illo avertente faciem, stulti facti sunt (Rom. 1, 21, 22). Quod enim jam ipsos pudebat erga seipsos, unde sibi et succinctoria fecerant, multo vehementius ab illo etiam sic succinetti videri verebantur, qui tanquam familiari temperamento ad eos videndos per creaturam visibilem velut humanos oculos afferebat. Si enim propterea sic apparebat, ut homines tanquam cum homine loquerentur, quemadmodum Abraham ad querecum Mambre (Gen. xviii, 1), illa ipsa prope amicitia pudore onerabat post peccatum, quæ fiduciam dabat ante peccatum; nec jam illam nuditatem audebant ostendere talibus oculis, quæ displicebat et suis.

**CAPUT XXXV. — Excusationes Adami et Evæ.**

47. Dominus ergo volens jam peccatores more justitiæ interrogatos punire amplius quam erat illa pœna, de qua jam cogebantur erubescere: *Quis nuntiavit tibi tantum ne ex eo manducares, ab eo edisti?* Hinc enim mors concepta, propter Dei sententiam, qui sic fuerat comminatus, fecit adverti concupiscentialiter membra ubi dicti sunt aperti oculi, et secutum

<sup>1</sup> Mss., *superbe*.



est quod paderet. *Et dixit Adam, Mulier quam dedisti mecum, hæc mihi dedit a ligno, et edii.* Eia superbia! numquid dixit, Peccavi? Habet confusionis deformitatem, et non habet confessionis humilitatem. Ad hoc ista conscripta sunt, quia et ipsa interrogationes nimirum ad hoc factæ sunt, ut et veraciter et utiliter scriberentur; quia si mendaciter, non utique utiliter: ut advertamus, quo morbo superbiz laborent homines hodie, non nisi in Creatorem conantes referre si quid egerint mali, cum sibi velint tribui si quid egerint boni. *Mulier, inquit, quam dedisti mecum, id est quam dedisti ut esset mecum, hæc mihi dedit a ligno, et edii: quasi ad hoc data sit, ut non ipsa potius obediret viro, et ambo Deo.*

48. *Et dixit Dominus Deus mulieri, Quid hoc fecisti? Et dixit mulier, Serpens seduxit me, et manducavi.* Nec ista confitetur peccatum, sed in alterum refert, impari sexu, pari fastu. Ex his tamen natus est, nec eos imitatus est, sed plane pluribus malis exercitatus, qui dixit, et dicit usque ad terminum sæculi: *Ego dixi, Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi (Psal. xl, 5).* Quanto melius sic et isti? Sed adhuc cervices peccatorum non conciderat Dominus (Psal. cxviii, 4). Restabant labores, dolores mortis, et omnis contritio sæculi, et gratia Dei qua tempore opportuno subvenit hominibus, quos afflictos docuit non de seipsis debere præsumere. *Serpens, inquit, seduxit me, et manducavi: quasi cujusquam suasio præcepto Dei debuerit anteponi.*

CAPUT XXXVI. — *Maledictio serpentis.*

49. *Et dixit Dominus Deus serpenti, Quis fecisti tu hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, et ab omnibus bestiis quæ sunt super terram. Super pectus tuum et ventrem tuum ambulabis, et terram edes omnes dies vitæ tuæ. Et inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius. Ipsa tibi servabit caput, et tu servabis ejus calcaneum.* Tota ista sententia figurata est, nec aliud debet ei scriptoris fides narrationisque veritas, nisi ne illam dictam fuisse dubitemus. Quod enim positum est, *Et dixit Dominus Deus serpenti,* verba sola scribentis sunt; hæc <sup>2</sup> exigenda sunt per proprietatem. Hoc ergo verum est, dictum est serpenti. Jam cætera verba Dei sunt, quæ libero lectoris intellectu relinquantur utrum proprie an figurate accipi debeant, sicut in exordio voluminis hujus nostri prælocuti sumus. Proinde quod serpens, cur hoc fecerit non est interrogatus, potest videri quod non ipse utique id in sua natura et voluntate fecerat; sed diabolus de illo et per illum et in illo fuerat operatus, qui jam ex peccato impietatis ac superbiz suæ igni destinatus fuerat sempiterno. Nunc ergo quod serpenti dicitur, et ad eum qui per serpentem operatus est utique refertur, procul dubio figuratum est: nam in his verbis tentator ille describitur, qualis generi humano futurus esset; quod genus humanum propagari tunc cepit, quando hæc in diabolum est tanquam

<sup>1</sup> Sic in probæ notæ Mss. In aliis vero codicibus, *et edii. Numquid dixit, Peccavi? Superbia habet.*

<sup>2</sup> Er. Lugd. Ven. Lov. ferunt, et hæc: et inferius, *hoc ergo vere est dictum serpenti.* M.

in serpentem prolata sententiâ. Hæc itaque verba quomodo figuris expositis accipienda sint, et in illis duobus adversus Manichæos editis libris de Genesi, quantum potuimus disseruimus, et si quid diligentius et congruentius alias potuerimus, Deus aderit ut efficiamus: nunc tamen nostra intentio in aliud quam suscepimus, nullo exigente avertenda est.

CAPUT XXXVII. — *Pœna mulieris.*

50. *Et mulieri dixit, Multiplicans multiplicabo tristitias tuas et gemitum tuum: in tristitiis paries filios, et ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur.* Hæc quoque in mulierem Dei verba, figurate ac prophetico multo commodius intelliguntur: veram tamen quia nondum pepererat femina, nec dolor et gemitus parientis nisi ex corpore mortis est, quæ illa præcepti transgressione concepta est, animalibus quidem etiam tunc membris, sed si homo non peccasset, non utique moriturus, et alio quodam statu feliciore victuris, donec post vitam bene gestam in melius mutari mererentur, sicut jam supra pluribus locis insinuavimus, refertur hæc pœna et ad proprietatem littere; nisi quia id quod dictum est, *Et ad virum tuum conversio tua, et ipse dominabitur tui,* videndum est quemadmodum proprie possit accipi. Neque enim et ante peccatum, aliter factam fuisse decet credere mulierem, nisi ut vir ei dominaretur, et ad eum ipsa serviendo converteretur. Sed recte accipi potest hanc servitutem significatam, quæ cujusdam conditionis est potius quam dilectionis, ut etiam ipsa talis servitus, qua homines hominibus postea osse servi cœperunt, de pœna peccati reperitur exorta. Dixit quidem Apostolus, *Per charitatem servite invicem (Galat. v. 13);* sed nequaquam diceret, Invicem dominamini. Possunt itaque conjuges per charitatem servire invicem; sed mulierem non permittit Apostolus dominari in virum (I Tim. ii, 12). Hoc enim viro potius Dei sententia detulit, et maritum habere dominum meruit mulieris non natura, sed culpa: quod tamen nisi servetur, depravabitur amplius natura, et augetur culpa.

CAPUT XXXVIII. — *Pœna Adami et nomen mulieris impositum.*

51. Dixit ergo et ad virum ejus: *Quia audisti vocem mulieris tuæ, et edisti de ligno, de quo præceperam tibi de eo solo non edere; maledicta terra in operibus tuis: in tristitiis edes illam omnes dies vitæ tuæ; spinas et tribulos edet tibi, et edes fenum agri. In sudore faciei tuæ edes panem tuum, donec convertaris in terram, ex qua sumptus es; quia terra es, et in terram ibis.* Hos esse in terra labores humani generis, quis ignorat? Et quia non essent, si felicitas quæ in paradiso fuerat, teneretur, non est utique dubitandum; ac per hoc etiam proprie verba hæc primitus accipere ne pigeat. Servanda tamen est et expectanda significatio prophetiæ, quæ maxime hic intuetur Dei loquentis intentio. Neque enim frustra et ipse Adam miro quodam instinctu tunc vocavit nomen mulieris suæ *Vitam*; subjiciens etiam, *quoniam ista est mater omnium viventium.* Nam et hæc non scriptoris narrantis vel affirmantis, sed

ipsius primi hominis verba intelligenda sunt, ut diceret, quoniam hæc est mater omnium viventium, tanquam nominis a se impositi causam inferens, cur eam vocaverit, *Vitam*.

CAPUT XXXIX. — *Tunicæ pellicæ. Exprobratio superbie.*

52. *Et fecit Dominus Deus Adæ et mulieri ejus tunicas pellicæ, et induit eos.* Et hoc significationis gratia factum est, sed tamen factum; sicut illa quæ significationis gratia dicta sunt, sed tamen dicta sunt. Hoc enim, quod scripsit, nec me sæpius piget dicere, a narratore rerum proprie gestarum exigendum est, ut ea narret facta esse quæ facta sunt, et dicta esse quæ dicta sunt. Sicut autem in factis quæritur quid factum sit, et quid significet; ita in verbis et quid dictum sit, et quid significet. Sive enim figurate, sive proprie dictum sit, quod dictum esse narratur, dictum tamen esse non debet putari figuratum.

53. *Et dixit Deus, Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis in cognoscendo bonum et malum.* Quoniam hoc, per quodlibet et quomodolibet dictum sit, Deus tamen dixit, non aliter intelligendum est quod ait, *unus ex nobis*, nisi propter Trinitatem numerus pluralis accipiatur; sicut dictum erat, *Faciamus hominem* (Gen. 1, 26); sicut etiam Dominus de se et de Patre, *Venimus ad eum, et mansionem apud eum facimus* (Joan. xiv, 23). Replicatum est igitur in caput superbi, quo exitu concupiverit quod a serpente suggestum est, *Eritis sicut dii: Ecce, inquit, Adam factus est tanquam unus ex nobis*. Verba enim sunt hæc Dei, non tam huic insultantis, quam cæteros ne ita superbiant deterrentis, propter quos ista conscripta sunt. *Factus est, inquit, tanquam unus ex nobis in cognoscendo bonum et malum.* Quid aliud intelligendum, nisi exemplum timoris incutiendi esse propositum, quod non solum non fuerit factus qualis fieri voluit, sed nec illud quod factus fuerat, conservavit?

CAPUT XL. — *Expulsio e paradiso. Excommunicatio.*

54. *Et nunc, inquit Deus, ne aliquando extendat manum, etumat de ligno vitæ, et edat, et vivat in æternum. Et dimisit illum Dominus Deus de paradiso voluptatis operari terram, ex qua sumptus est.* Superiora verba Dei sunt; hoc autem factum propter ipsa verba secutum est. Alienatus enim a vita, non solum quam fuerat, si præceptum servasset, cum Angelis accepturus, sed ab illa etiam quam ducebat in paradiso, felici quodam corporis statu, separari utique debuit a ligno vitæ: sive quod ex ipso illi subsisteret felix ille ipse status corporis, ex re visibili, virtute invisibili, sive quod in eo esset et sacramentum visibile invisibilis sapientiæ; alienandus inde utique fuerat, vel jam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus: sicut etiam in hoc paradiso, id est Ecclesia, solent a Sacramentis altaris visibilibus homines disciplina ecclesiastica removeri.

55. *Et ejecit Adam, et collocavit eum contra paradisum voluptatis.* Et hoc significandi gratia factum est, sed tamen factum, ut contra paradisum, quo beata

vita etiam spiritualiter significabatur, habitaret peccator utique in miscria. *Et ordinavit Cherubim, et flammeam romphæam quæ vertitur, custodire viam ligni vitæ.* Hoc per cœlestes utique potestates etiam in paradiso visibili factum esse credendum est, ut per angelicum ministerium esset illic ignea quædam custodia: non tamen frustra factum esse, nisi quia significat aliquid etiam de paradiso spirituali, non est utique dubitandum.

CAPUT XLI. — *Opiniones de hominis peccato, quale fuerit.*

56. Non autem ignoro quibusdam esse visum, festinatione prævertisse illos homines appetitum scientiæ boni et mali, et immaturo tempore percipere voluisse quod eis dilatum opportunius servabatur; idque egisse tentatorem, ut præoccupando quod nondum talibus congruebat, offenderent Deum, et ab ejus rei utilitate alienarentur exclusi atque damnati, ad quam si suo tempore, sicut Deus volebat, accederent, possent ea salubriter persui. Hoc, si forte lignum illud non ad proprietatem ut verum lignum et vera poma ejus, sed ad figuram velint accipere, habeat exitum aliquem recte fidei veritatisque probabilem.

57. Visum est et quibusdam, duos illos primos homines nuptias suas fuisse furator, et ante mixtos esse concubitu, quam eos qui creverat copulasset; quam rem nomine ligni fuisse significatam, unde prohibiti erant, donec opportuno tempore jungerentur. Quasi vero in ea ætate facti esse credendi sint, ut expectanda esset maturitas pubertatis; aut non illud tunc legitimum esset, cum primum fieri potuisset, cum autem non potuisset, non utique fieret: nisi forte sponsa erat a patre tradenda, et expectanda erat votorum solemnitas, et convivii celebratio, et dotis æstimatio, et conscriptio tabularum. Ridiculum istud est; præter quod a rerum gestarum proprietate discedit, quam suscepimus asserendam, et quantum Deus donare voluit asserimus.

CAPUT XLII. — *An Adam crediderit serpenti, quare ratione ad peccandum inductus sit.*

58. Illud magis movet, si jam spiritualis erat Adam, quamvis mente, non corpore, quomodo credere potuerit quod per serpentem dictum est, ideo Deum prohibuisse ne fructu ligni illius vescerentur, quia sciebat eos, si fecissent, futuros ut deos propter dignoscantiam boni et mali, tanquam hoc tantum bonum creaturæ suæ Creator inviderit: hoc mirum si homo spirituali mente præditus credere potuisset. An quia hoc credere ipse non posset, propterea mulier addita est, quæ parvi intellectus esset, et adhuc fortasse secundum sensum carnis, non secundum spiritum mentis viveret, et hoc est quod ei Apostolus non tribuit imaginem Dei? Sic enim ait: *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei; mulier autem gloria viri est* (I Cor. xi, 7). Non quod mens feminæ

<sup>1</sup> Mss. plerique, *præoccupando*.

<sup>2</sup> Libri omnes, *addita est*: excepto Remigiano codice, in quo a prima manu scriptum fuerat, *adita est*; non omnino male, si subaudias, a serpente.

causam imaginem capere non possit, cum in illa gratia nos dicat nec masculam esse nec feminam (*Galat. III, 27, 28*); sed quod fortassis illa hoc nondum perceperat quod sit in agnitione Dei, et viro regente ac dispensante paulatim fuerat perceptura, Neque enim frustra est illud quod Apostolus ait, *Adam enim primus formatus est, deinde Eva: et Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione facta est* (1 Tim. II, 13, 14); id est, ut per illam etiam vir praevaricaretur. Nam et ipsum dicit praevaricantorem, ubi ait: *In similitudinem praevaricationis Adæ, qui est forma futuri* (Rom. V, 14). Seductum tamen negat. Nam et interrogatus non ait, *Mulier quam dedisti mecum, seduxit me, et manducavi; sed, ipsa mihi, inquit, dedit a ligno, et manducavi*. Illa vero, *Serpens, inquit, seduxit me*.

50. Ita Salomon vir tantæ sapientiæ, numquidnam credendum est quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non evaluit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat atque difflebat, mortiferas delicias contristaret (III Reg. XI, 4). Ita et Adam, posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducavit, ei que dedit ut simul ederent, noluit eam contristare, quam crederet

<sup>1</sup> *Ms. aliquot, in praevaricationem*. Haud inepte, si ratio interpretationis proxima subsequens habeatur: attamen Apostoli textus græcus habet, *en parabasi*, quod receptam cæterorum codicum lectionem refutare cogit.

posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, et omnino illa interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ; sed amicali quadam benevolentia, qua plerumque sit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus: quod eum facere non debuisset, divinæ sententiæ justus exitus indicavit.

60. Ergo alio modo quodam etiam ipse decedens est; sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse seduci in illo modo quo illa potuit. Hanc autem proprie seductionem appellavit Apostolus, qua id quod suadebatur, cum falsum esset, verum putatum est; id est, quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuerit, quod sciebat eos, si tetigissent, velut deos futuros, tanquam eis divinitatem invideret, qui eos homines fecerat. Sed etiam si virum propter aliam quam mentis elationem, quæ Deum internorum scrutatorem latere non poterat, sollicitavit aliqua experienti cupiditas, cum mulierem videret accepta illa esca non esse mortuam, secundum ea quæ superius tractavimus; non tamen eum arbitror, si jam spirituali mente præditus erat, ullo modo credere potuisse quod eos Deus ab esca illius ligni invideo vetuisset. Sed quid plura? Persuasum est illud peccatum sicut persuaderi talibus posset: conacriptum est autem sicut legi ab omnibus oporteret, etsi a paucis hæc intelligerentur sicut oporteret.

## LIBER DUODECIMUS.

In quo de paradiso et tertio cælo quo raptus est Paulus, deque multiplici visionum genere disputatur.

CAPUT PRIMUM. — *De paradiso locus Apostoli examinandus.*

1. Ab exordio Scripturæ sanctæ, quæ inscribitur Genesis, donec homo primus de paradiso dimissus est, undecim libris sive asserendo atque defendendo quæ certa nobis sunt, sive inquirendo <sup>1</sup> et ambigendo de incertis, quæ potuimus, et sicut potuimus, disseruimus atque conscripsimus; non tam præscribentes de rebus obscuris unicuique quid sentiat, quam nos docendos in quibus dubitavimus ostendentes, temeritatemque asserendi amoventes a lectore, ubi non valuimus præbere sententiæ firmitatem <sup>2</sup>: iste autem duodecimus liber ea jam cura expeditus, qua nos pertractandus textus sacrarum Litterarum occupabat, liberius atque prolixius versabit de paradiso questionem; ne putemur evitasse, quod videtur Apostolus in tertio cælo insinuare paradiso, ubi ait: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum ejusmodi usque in tertium cælum: et scio ejusmodi hominem sive in corpore sive extra corpus nescio, Deus scit, quia raptus est in paradiso, et audivi*

<sup>1</sup> *Ms. iures, inquirendo, arbitrando et ambigendo.*

<sup>2</sup> *In Ms. patrisque, scientiæ firmitatem.*

*ineffabilia verba, quæ non scet homini loqui* (II Cor. XII, 2 4).

2. In his verbis primum quaeri solet, quid dicat tertium cælum: deinde, utrum illic intelligi voluerit paradiso, an posteaquam raptus est in tertium cælum, raptum esse et in paradiso, ubicumque sit paradiso; non ut hoc fuerit rapti in tertium cælum quod in paradiso, sed prius in tertium cælum, et post inde in paradiso. Et hoc sic ambiguum est, ut non mihi videatur posse dissolvi, nisi aliquis non ex præsentibus Apostoli verbis, sed ex aliis forte Scripturarum locis, vel ratione perspicua, inveniat aliquid, quo doceat sive in tertio cælo esse paradiso, sive non esse; cum et ipsum tertium cælum quid sit non liquido appareat, utrum in rebus corporalibus, an forte in spiritualibus intelligendum sit. Posset quidem dici non nisi in locum aliquem corporalem hominem rapti potuisse cum corpore; sed quia et hoc ita posuit ut nescire se dixerit, utrum in corpore, an extra corpus raptus sit, quis audeat dicere se scire quod se nescire Apostolus dixit? Verumtamen si neque spiritus sine corpore ad loca corporalia rapti potest, nec corpus ad spiritualia, hæc ipsa dubitatio ejus velut cogit intelligi (siquidem de seipso hæc eum

scripsisse nemo ambigit), tale fuisse illud quo raptus est, quod utrum corporale an spirituale esset, dignosci discernique non posset.

**CAPUT II.** — *Apostolum potuisse nescire an extra corpus paradysum viderit, si vidit in ecclasi.*

3. Cum enim vel in somnis, vel in ecclasi, corporum exprimuntur imagines, non discernuntur omnino a corporibus, nisi cum homo redditus sensibus corporis, recognoscit se in illis fuisse imaginibus, quas non per sensum corporis hauriebat. Quis enim cum a somno evigilaverit, non continuo sentiat imaginaria fuisse quæ videbat, quamvis cum ea videret dormiens, a vigilantium corporalibus visis discernere non valebat? Quanquam mihi accidisse scio, et ob hoc etiam aliis accidere potuisse vel posse non dubito, ut in somnis videns, in somnis me videre sentirem; illasque imagines, quæ ipsam nostram consensionem<sup>1</sup> ludificare consueverunt, non esse vera corpora, sed in somnis eas presentari firmissime, etiam dormiens, tenerem atque sentirem. Hoc tamen fallebar aliquando, quod amico meo, quem similiter in somnis videbam, id ipsum persuadere conabar, non esse illa corpora; quæ videbamus, sed esse imagines somniantium, cum et ipse utique inter illa sic mihi appareret quomodo illa: cui et hoc dicebam, neque id verum esse quod pariter loqueremur, sed etiam ipsum tunc aliud aliquid videre dormientem, et utrum ista ego viderem omnino non scire; verum cum eidem ipsi persuadere moliebar quod ipse non esset, adducebar ex parte etiam ipsum putare esse, cui profecto non loquerer, si omni modo sic afficerer quod ipse non esset. Ita non poterat, quamvis mirabiliter vigilans, anima dormientis, nisi duci imaginibus corporum, ac si corpora ipsa essent.

4. In ecclasi autem unum audire potui, et cum rusticorum vix valentem quod sentiebat exprimere, qui et vigilare se sciret, et videre quiddam non oculis corporis. Nam ut ejus verbis utar, quantum recolere possum: Anima mea, inquit, videbat eum, non oculi mei. Non tamen sciebat utrum corpus esset, an imago corporis. Non enim erat talis, ut ista discerneret, verum tam simpliciter fidelis, ut eum sic audirem, ac si illud quod se vidisse narrabat, ipse vidissem.

5. Ac per hoc si paradysum Paulus ita vidit, ut apparuit Petro ille discus submissus e cælo (*Act. x, 41*), ut Joanni quiddam in Apocalypsi se vidisse conscripsit (*Apoc. i, 12, etc.*), ut Ezechieli campus ille cum ossibus mortuorum et illa eorum resurrectio (*Ezech. xxxvii, 1-10*), ut Isaia sedens Deus, et in conspectu ejus Seraphim, et ara unde carbo assumptus Prophetæ labia mundavit (*Isai. vi, 1-7*); manifestum est eum ignorare potuisse utrum in corpore, an extra corpus ea viderit.

**CAPUT III.** — *Apostolus certus se vidisse tertium cælum, incertus quomodo viderit.*

6. Sed si extra corpus visa sunt, et corpora non fuerunt, adhuc queri potest utrum imagines corporum fuerint, an ea substantia quæ nullam corporis

<sup>1</sup> Editi, consuetudinem: pro quo *hæc*, consensionem.

similitudinem gerit, sicut Deus, sicut ipsa mens hominis, vel intelligentia, vel ratio, sicut virtutes, prudentia, justitia, castitas, charitas, pietas, et quæcumque aliæ sunt, quas intelligendo atque cogitando enumeramus, discernimus, definimus; non utique intuentes lineamenta earum vel colores, aut quomodo sonent, aut quid oleant, aut quid inoro sapiant, aut quid contrectantibus de calore seu frigore, mollitudine seu duritia, lenitate seu asperitate renuntient; sed alia quadam visione, alia luce, alia rerum evidentia, et ea longe cæteris præstantiore atque certiore.

7. Rursus igitur ad eadem ipsa Apostoli verba redeamus, et ea diligentius perscrutemur, hoc sine dubitatione primitus constituto, multo magis atque incomparabiliter amplius Apostolum scisse, quod de incorporea corporeaque natura nos ut sciamus utramque, conamur. Si ergo sciebat, spiritualia per corpus, corporalia extra corpus videri omnino non posse; cur non per ea ipsa quæ vidit, quomodo etiam potuerit videre, discrevis? Si enim certus erat illa esse spiritualia, cur non consequenter extra corpus ea se vidisse certus nihilominus erat? Si autem corporalia esse noverat, non nisi per corpus videri potuisse cur non etiam noverat? Unde ergo dubitat utrum in corpore an extra corpus ea viderit, nisi forte ita etiam dubitat utrum illa corpora an similitudines corporum fuerint? Prius itaque videamus quid sit in verborum istorum contextione unde non dubitet, atque ita cum remanserit unde dubitet, fortassis ex his de quibus non dubitat, quomodo etiam illud dubitet apparebit.

8. Scio, inquit, hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum ejusmodi usque in tertium cælum. Scit ergo ante annos quatuordecim in Christo raptum hominem usque ad tertium cælum, hoc omnino non dubitat; nec nos ergo dubitemus: sed utrum in corpore an extra corpus, dubitat; unde illo dubitante, quis nostrum certus esse audeat? Num forte hinc etiam illud consequens erit ut tertium cælum fuisse dubitemus, quo raptum hominem dixit? Si enim res ipsa demonstrata est, tertium cælum demonstratum est: si autem imago aliqua corporalium animalis facta est, non erat illud tertium cælum, sed illa ostensio sic ordinata est, ut videretur sibi ascendere primum cælum, super quod videret alterum, quo rursus ascendens iterum alterum videret superius, quo cum pervenisset, posset dicere se in tertium cælum raptum. Sed illud quod tertium cælum esset, quo raptus est, neque dubitavit, neque dubitare nos voluit: ad hoc enim præmisit, Scio, et inde cæpit, ut id quod se scire Apostolus dicit, solus ille non credat verum esse, qui non credit Apostolo.

**CAPUT IV.** — *Vere tertium cælum fuisse illud quo raptus est Apostolus. Difficultas quomodo Apostolus certus sit de cælo viso, et incertus de modo quo visum fuit.*

9. Scit ergo hominem raptum esse usque in ter-

litium cœlum : proinde illud quo raptus est, vere tertium cœlum est ; non signum aliquod corporale, quod cum ostenderetur Moysi, usque adeo sentiebat aliud esse ipsam Dei substantiam, aliud visibilem creaturam, in qua se Deus humanis et corporalibus sensibus presentabat, ut diceret, *Ostendo mihi temetipsum* (*Exod. xxxiii, 15*) ; nec aliqua imago rei corporalis, quam cum Joannes videret in spiritu, quærebat quid esset, ei que respondebatur, vel, *Civitas est*, vel, *Populi sunt*, vel aliquid aliud, cum videret ille bestiam, sive mulierem, sive aquas, sive quid ejusmodi (*Apoc. xiii, 1, et xvii, 15, 18*) : sed, *Scio*, inquit, *hominem raptum usque in tertium cœlum*.

10. Quod si spirituales imaginem corporali similem cœlum appellare voluisset, sic erat etiam imago corporis ejus, in qua illic raptus ascenderat : sic ergo et eum corpus appellaret, quamvis imaginem corporis, quomodo illud cœlum, quamvis imaginem cœli ; neque curaret discernere quid sciret, et quid nesciret, id est quia sciret raptum hominem usque ad tertium cœlum, nesciret autem utrum in corpore an extra corpus ; sed simpliciter narraret visionem, earum rerum nominibus appellans illa quæ vidit, quarum erant similia. Nam et nos dicimus, cum somnia nostra narra- mus vel aliquam in eis revelationem, *Vidi montem, vidi fluvium, vidi tres homines, et si quid ejusmodi ; ea nomina tribuentes illis imaginibus, quæ habent res ipsæ quarum similes erant : Apostolus autem, Illud, inquit, scio, illud nescio*.

11. At si utrumque imaginaliter apparuit, utrumque pariter scitur, pariterve nescitur : si autem proprie cœlum, et ideo scitur ; quomodo potuit imaginaliter corpus illius hominis apparere ?

12. Nam si cœlum corporeum videbatur, quare latebat utrum corporeis oculis videretur ? Si autem incertum erat utrum oculis corporeis an spiritu videretur, et ideo dictum est, *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio* ; quomodo non incertum erat et illud, utrum vere cœlum corporeum videretur, an imaginaliter ostenderetur ? Itemque si substantia incorporea videbatur, non in aliqua imagine corporis, sed sicut videtur justitia, sapientia, et si quid ejusmodi, et hoc erat cœlum ; id quoque manifestum est, oculis hujus corporis videri aliquid tale non posse : ac per hoc si aliquid tale se vidisse sciebat, non per corpus se vidisse dubitare non poterat. *Scio*, inquit, *hominem in Christo ante annos quatuordecim* : hoc scio, nemo dubitet qui mihi credit ; sed utrum *in corpore an extra corpus, nescio, Deus scit*.

#### CAPUT V. — *Eadem difficultas enodatur.*

13. Quid ergo scis, quod discernis ab eo quod nescis, ne credentes fallantur ? *Raptum*, inquit, *eundem hominem usque in tertium cœlum*. At illud cœlum aut corpus erat, aut spiritus : si corpus erat, et corporeis oculis visum est ; cur illud cœlum esse scitur, et in corpore visum esse nescitur ? Si autem spiritus erat ; aut corporis imaginem præbuit, et tam incertum est utrum corpus fuerit, quam incertum est utrum in corpore visum sit ; aut sic visum est, quomodo videtur

SANCT. AUGUST. III.

mente sapientia, sive ullis imaginibus corporum, et nihilominus certum est videri non potuisse per corpus : aut ergo utrumque certum est, aut utrumque incertum ; aut quomodo certum quod visum est, incertum autem per quod visum est ? Manifestum est enim incorpoream naturam ab eo videri non potuisse per corpus. Corpora vero etiam si possunt videri sine corpore, non utique sic videntur per corpus, sed longe ille dispar modus est si quis est ; unde mirum si posset Apostolum tanquam simillimus fallere, aut ad dubitationem cogere, ut si corporeum cœlum non corporeis oculis vidit, incertum sibi esse diceret utrum in corpore an extra corpus id viderit.

14. Restat ergo fortasse ut quoniam mentiri non posset Apostolus, qui tanta cura egit, ut discerneret quid sciret, et quid nesciret, hoc ipsum eum intelligimus ignorasse, utrum quando in tertium cœlum raptus est, in corpore fuerit, quomodo est anima in corpore, cum corpus vivere dicitur, sive vigilantis, sive dormientis, sive in ecstasi a sensibus corporis alienata ; an omnino de corpore exierit, ut mortuum corpus jaceret, donec perfecta illa demonstratione membrum mortuis anima redderetur, et non quasi dormiens evigilaret, aut ecstasi alienatus denuo rediret in sensus, sed mortuus omnino revivisceret. Proinde quod vidit raptus usque in tertium cœlum, quod etiam se scire confirmat, proprie vidit, non imaginaliter. Sed quia ipsa a corpore alienata, utrum omnino mortuum corpus reliquerit, an secundum modum quemdam viventis corporis ibi anima fuerit, sed mens ejus ad videnda vel audienda ineffabilia illius visionis arrepta sit, hoc incertum erat, ideo forsitan dixit, *Sive in corpore sive extra corpus, nescio, Deus scit*.

#### CAPUT VI. — *Visionum genera tria.*

15. Quod autem non imaginaliter, sed proprie videtur, et non per corpus videtur, hoc ea visione videtur, quæ omnes cæteras superat. Harum species atque differentias, quantum me Dominus adjuverit, explicare curabo. Ecce in hoc uno præcepto cum legitur, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum* (*Math. xxii, 39*), tria genera visionum occurrunt : unum per oculos, quibus ipsæ litteræ videntur ; alterum per spiritum hominis quo proximus et absens cogitatur ; tertium per intuitum mentis, quo ipsa dilectio intellecta conspicitur. In his tribus generibus, illud primum manifestum est omnibus : in hoc enim videtur cœlum et terra, et omnia quæ in eis conspicua sunt oculis nostris. Nec illud alterum, quo absentia corporalia cogitantur, insinuare difficile est : ipsum quippe cœlum et terram, et ea quæ in eis videre possumus, etiam in tenebris constituti cogitamus ; ubi nihil videntes oculis corporis, animo tamen corporales imagines intuemur, seu veras, sicut ipsa corpora videmus, et memoria retinemus ; seu fictas, sicut cogitatio formare potuerit. Aliter enim cogitamus Carthaginem quam novimus, aliter Alexandriam quam non novimus. Tertium vero illud quo dilectio intellecta conspicitur, eas res continet, quæ non ha-

<sup>1</sup> Sic in MSS. Editi, *imaginari*.

(*Quinze.*)

hænt imagines sui similes, quæ non sunt quod ipsæ. Nam homo vel arbor vel sol, et quæcumque alia corpora, sive cœlestia sive terrestria, et præsentia videntur in suis formis, et absentia cogitantur imaginibus animo impressis; et faciunt duo genera visorum, unum per corporis sensus, alterum per spiritum, quo illæ imagines continentur. Dilectio autem numquid aliter videtur præsens in specie qua est, et aliter absens in aliqua imagine sui simili? Non utique; sed quantum mente cerni potest, ab alio magis, ab alio minus ipsa cernitur: si autem aliquid corporalis imaginis cogitatur, non ipsa cernitur.

CAPUT VII. — *Genera visionum: corporale, spirituale, intellectuale. Corporale proprie et translate. Spirituale pluribus modis.*

16. Hæc sunt tria genera visionum, de quibus et in superioribus libris aliquid diximus, sicut res postulare videbatur, non tamen eorum numerum commemoravimus; et nunc breviter eis insinuat, quoniam suscepta quæstio flagitat ut de his aliquanto uberius disseramus, debemus ea certis et congruis signare nominibus, ne assidue circumloquendo moras faciamus. Primum ergo appellemus corporale, quia per corpus percipitur et corporis sensibus exhibetur. Secundum spirituale; quidquid enim corpus non est et tamen aliquid est, jam recte spiritus dicitur: et utique non est corpus, quamvis corpori similis sit, imago absentis corporis, nec ille ipse obtutus quo cernitur. Tertium vero intellectuale, ab intellectu; quia mentale, a mente, ipsa vocabuli novitate nimis absurdum est, ut dicamus.

17. Horum vocabulorum rationem si subtilius redam, et prolixior et perplexior sermo erit, cum hoc vel nulla, vel certe non tanta necessitas exigat. Satis est ergo scire corporale aliquid vel proprie dici, cum de corporibus agitur, vel etiam translato vocabulo, sicut dictum est, *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Neque enim divinitas corpus est, sed quia sacramenta Veteris Testamenti appellat umbras futuri, propter umbrarum comparationem corporaliter dixit habitare in Christo plenitudinem divinitatis, quod in illo impleantur omnia, quæ in illis umbris figurata sunt, ac sic quodammodo umbrarum illarum ipse sit corpus (*Coloss. II, 9, 17*), hoc est figurarum et significationum illarum ipse sit veritas. Sicut ergo ipsæ figuræ significative, translato utique vocabulo, non proprie dictæ sunt umbræ; ita et quod ait plenitudinem divinitatis corporaliter habitare, translato verbo usus est.

18. Spirituale autem pluribus modis dicitur. Nam et corpus, quod futurum est in resurrectione sanctorum, spirituale appellat Apostolus, ubi ait, *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale* (*I Cor. xv, 44*); eo quod miris modis ad omnem facilitatem et incorruptionem spiritui subdatur, et sine ulla indigentia corporalium alimentorum solo vivifcetur spiritu; non quod incorpoream substantiam sit habiturum; neque enim et hoc corpus, quale nunc habemus, animæ habet substantiam, et hoc est quod anima, quia

dictum est animale. Item spiritus dicitur, vel aer iste, vel flatus ejus, id est motus ejus, sicut dictum est: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis* (*Psalm. cxlviii, 8*). Dicitur etiam spiritus anima, sive pecoris, sive hominis, sicut scriptum est: *Et quis scit, spiritus filiorum hominis si ascendat ipse sursum, et spiritus pecoris si descendat ipse deorsum in terram* (*Eccl. III, 21*)? Dicitur spiritus et ipsa mens rationalis, ubi est quidam tanquam oculus animæ, ad quem pertinet imago et agnitio Dei. Unde dicit Apostolus, *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est* (*Ephes. IV, 23, 24*); cum et alibi dicat de interiore homine, *Qui renovatur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Coloss. III, 10*). Item cum dixisset, *Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom. VII, 25*); alio loco eandem sententiam commemorans, *Caro*, inquit, *concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vultis faciat* (*Galat. V, 17*), quam dixit mentem, hanc etiam spiritum appellavit. Dicitur spiritus etiam Deus, sicut ait Dominus in Evangelio: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan. IV, 24*).

CAPUT VIII. — *Unde spirituale dicitur visionum genus secundum.*

19. Ex his omnibus modis, quos commemoravimus, quibus appellatur spiritus, non traximus hoc vocabulum, quo appellavimus spirituale hoc visionis genus de quo nunc agimus; sed ex illo uno modo quem invenimus in Epistola ad Corinthios, quo spiritus a mente distinguitur evidentissimo testimonio. *Si enim oravero*, inquit, *lingua, spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est*. Cum ergo linguam<sup>1</sup> intelligatur hoc loco dicere obscuras et mysticas significationes, a quibus si intellectum mentis removeas, nemo ædificatur, audiendo quod non intelligit; unde etiam dicit, *Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo; nemo enim audit, spiritus autem loquitur mysteria*: satis indicat eam se linguam hoc loco appellare, ubi sunt significationes velut imagines rerum ac similitudines, quæ ut intelligantur, indigent mentis obtutu. Cum autem non intelliguntur, in spiritu eas dicit esse, non in mente: unde apertius ait, *Si benedixeris spiritum; qui supplet locum idiotæ, quomodo dicit, Amen, super tuam benedictionem, quandoquidem nescit quid dicas?* Quia ergo etiam lingua, id est membro corporis quod movemus in ore cum loquimur, signa utique rerum dantur, non res ipsæ proferuntur; propterea translato verbo linguam appellavit quamlibet signorum prolationem priusquam intelligantur: quo cum intellectus accesserit, qui mentis est proprius, fit revelatio, vel agnitio, vel prophetia, vel doctrina. Proinde ait, *Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi loquar vobis in revelatione, aut in agnitione, aut in prophetia, aut in doctrina* (*I Cor. XIV, 14, 2, 16, 6*)? id est cum signis; hoc est, linguæ accesserit intel-

<sup>1</sup> Apud Fr. Lugd. Ven. Lov. legitur, *lingua*. M.

lectus; ut non spiritu tantum, sed etiam mente agatur quod agitur.

CAPUT IX. — *Prophetiam ad mentem pertinere.*

20. Proinde, quibus signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, nondum erat prophetia; magisque propheta erat, qui interpretabatur quod alius vidisset, quam ipse qui vidisset. Unde apparet magis ad mentem pertinere prophetiam, quam ad istum spiritum, qui modo quodam proprio vocatur spiritus, vis animæ quædam mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Itaque magis Joseph propheta, qui intellexit quid significarent septem spicæ et septem boves, quam Pharaon qui eas vidit in somnis (*Gen. xii, 1-32*). Illius enim spiritus informatus est, ut videret; hujus mens illuminata, ut intelligeret. Ac per hoc in illo erat lingua, in isto prophetia; quia in illo rerum imaginatio, in isto imaginationem interpretatio. Minus ergo propheta, qui rerum quæ significatur, sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium imagines videt; et magis propheta, qui solo earum intellectu præditus est: sed et maxime propheta, qui utroque præcellit, ut et videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines, et eas vivacitate mentis intelligat, sicut Daniels excellentia tentata est et probata, qui regi et somnium quod viderat dixit, et quid significaret aperuit (*Dan. ii, 27-45, et iv, 16-24*). Et ipse quippe imagines corporales in spiritu ejus expressæ sunt, et earum intellectus revelatus in mente. Ex hoc ergo modo quo appellatur in ista distinctione spiritus, secundum quem dixit Apostolus, *Orabo spiritu, orabo autem et mente* (*I Cor. xiv, 15*), ut et signa rerum formarentur in spiritu, et eorum refulgeret intellectus in mente; secundum hanc, inquam, distinctionem spirituale nunc appellavimus tale genus visorum, quali etiam corporum absentium imagines cogitamus.

CAPUT X. — *Intellectuale genus visionis.*

21. Intellectuale autem illud excellentius, quod mentis est proprium. Nec mihi occurrit omnino, ita pluribus modis dici posse intellectum, sicut spiritum multis modis appellatum esse comperimus. Sive autem intellectuale dicamus, sive intelligibile, hoc idem significamus. Quanquam nonnihil interesse nonnulli voluerunt, ut intelligibilis sit res ipsa, quæ solo intellectu percipi potest; intellectualis autem, mens quæ intelligit: sed esse aliquam rem quæ solo intellectu cerni possit, ac non etiam intelligat, magna et difficilis quæstio est. Esse autem rem quæ intellectu percipiat, et non etiam intellectu percipi possit, non arbitræ quemquam vel putare, vel dicere; mens quippe non videtur nisi mente. Quia ergo videri potest, intelligibilis; quia et videre, intellectualis est, secundum illam distinctionem. Quapropter sequestrata illa difficillima quæstione, utrum sit aliquid quod tantum intelligatur nec intelligat, nunc intellectuale et intelligibile sub eadem significatione appellamus.

CAPUT XI. — *Corporalem visionem referri ad spirituales, hanc vero ad intellectuales.*

22. Tria igitur ista genera visionum, corporale, spirituale, et intellectuale, singillatim consideranda sunt, ut ab inferioribus ratio ad superiora conscendat. Jam quidem superius exemplum proposuimus, quo in una sententia omnia tria videantur genera. Cum enim legitur, *Diligens proximum tuum tanquam teipsum* (*Math. xxii, 39*), corporaliter litteræ videntur, spiritualiter proximus cogitatur, intellectualiter dilectio conspicitur. Sed et litteræ absentes possunt spiritualiter cogitari, et proximus præsens potest corporaliter videri; dilectio autem nec per substantiam suam potest oculis corporis cerni, nec per imaginem corporis similem spiritu cogitari, sed sola mente, id est intellectu, cognosci et percipi. Corporalis autem visio nulli horum generi præsidet, sed quod per eam sentitur, illi spirituali tanquam præsidenti nuntiatur. Nam cum aliquid oculis cernitur, continuo fit imago ejus in spiritu; sed non dignoscitur facta, nisi cum ablati oculis ab eo quod per oculos videbamus, imaginem ejus in animo invenerimus. Et siquidem spiritus irrationalis est, veluti pecoris, hoc usque oculi nuntiant. Si autem anima rationalis est, etiam intellectui nuntiatur, qui et spiritui præsidet, ut si illud quod hauserunt oculi, atque id spiritui, ut ejus illic imago fieret, nuntiaverunt, alicujus rei signum est, aut intelligatur continuo quid significet, aut narretur; quoniam nec intelligi nec requiri nisi officio mentis potest.

23. Vidit rex Balthasar articulos manus scribentis in pariete, continuoque per corporis sensum imago rei corporaliter factæ spiritui ejus impressa est, atque ipso viso facto ac præterito, illa in cogitatione permansit: videbatur in spiritu, et nondum intelligebatur, nec tunc intellectum erat hoc signum, cum corporaliter fieret atque oculis corporalibus apparet; jam tamen signum esse intelligebatur, id habens ex mentis officio. Et quia requirebatur quid significaret, etiam ipsam inquisitionem utique mens agebat. Quo non comperto Daniel accessit, et spiritu prophético mente illustrata, perturbato regi quid illo signo portenderetur aperuit (*Dan. v, 5-28*); ipse potius propheta per hoc genus visionis, quod mentis est proprium, quam ille qui et signum corporaliter factum corporaliter viderat, et transacti ejus imaginem in spiritu cogitando cernebat, nec aliquid intellectu poterat, nisi nosse signum esse, et quid significaret inquirere.

24. Vidit Petrus in alienatione mentis vas quatuor lineis alligatum submitti de caelo plenum variis animalibus, cum audivit et vocem, *Macca, et manduca*. Qui cum redditus sensibus de visu disceptaret, ecce quos Cornelius miserat, nuntiavit ei spiritus dicens: *Eccce viri quærunt te; sed surge, descende, et vade cum illis, quia ego misi eos*. Qui cum venisset ad Cornelium, quid in illa visione intellexerit, ubi audierat, *Quæ Deus mundavit, tu ne communia dixeris*, ipse indicavit dicens: *Sed mihi Deus ostendit neminem communem aut immun-*

*dum hominem dicere* (Act. x, 10-28). Cum ergo illum discum videret alienatus a corporis sensibus, et illas voces, *Macta, et manduca, et, Quæ Deus mundavit, tu communia ne dixeris*, in spiritu audiebat. Redditus autem corporis sensibus, id ipsum quod visum atque auditum memoria tenuerat, in eodem spiritu cogitando cernebat. Quæ omnia non corporalia, sed corporalium imagines erant, sive cum primum in ipsa alienatione vitæ sunt, sive cum postea recordatæ atque cogitatæ. Cum vero disceptabatur, et requirebatur ut illa signa intelligerentur, mentis erat actio conantis, sed decretus effectus<sup>1</sup> donec nuntiati sunt qui venerant a Cornelio; hæc vero corporali etiam accedente visione, cum et Spiritus sanctus rursus in spiritu ei diceret, *Vade cum eis*, ubi et illud signum ostenderat, et impresserat voces, adjuncta divinitus mens intellexit quid illis signis omnibus ageretur. His atque huiusmodi rebus diligenter consideratis, satis apparet corporalem visionem referri ad spirituales, eamque spiritualem referri ad intellectualem.

CAPUT XII. — *Corporalis et spiritualis visio.*

25. Sed cum vigilantes, neque mente a sensibus corporis alienata, in visione corporali sumus, discernimus ab ea visionem spiritualem, qua corpora absentia imaginaliter cogitamus, sive memoriter recordantes quæ novimus, sive quæ non novimus et tamen sunt, in ipsa spiritus cogitatione utcumque formantes, sive quæ omnino nusquam sunt, pro arbitrio vel opinatione fingentes. Ab his omnibus ita discernimus illa corporalia quæ videmus, et in quibus presentibus sunt sensus corporis nostri, ut non dubitemus hæc esse corpora, illas vero imagines corporum. Cum autem vel nimia cogitationis intentione, vel aliqua vi morbi, ut phreneticis per febrem accidere solet, vel commixtione cuiusquam alterius spiritus seu mali seu boni, ita corporalium rerum in spiritu exprimuntur imagines, tanquam ipsis corporis sensibus corpora presententur, manente tamen etiam in sensibus corporis intentione; sic videntur quæ in spiritu sunt imagines corporum, quemadmodum corpora ipsa per corpus; ita ut simul cernatur et homo aliquis presentis oculis, et absens alius spiritu tanquam oculis. Nam experti sumus sic affectos et cum eis locutos qui vere aderant, et cum aliis qui non aderant, tanquam adessent. Resipiscentes autem aliqui referunt quod vidissent, aliqui non possunt. Sic enim et somnia quidam obliviscuntur, quidam meminerunt. Quando autem penitus avertitur atque abripitur animi intentio a sensibus corporis, tunc magis ecstasis dici solet. Tunc omnino quæcumque sint presentia corpora, etiam patentibus oculis non videntur, nec ullæ voces prorsus audiuntur: totus animi contuitus aut in corporum imaginibus est per spiritualem, aut in rebus incorporeis nulla corporis imagine figuratis per intellectualem visionem.

<sup>1</sup> Mss. magno consensu, *affectus*: forte melius, eo videlicet significato, quo postea n. 26, *affectionis* vocabulum usurpatur.

26. Sed cum spiritualis visio, penitus alienato a sensibus corporis animo, imaginibus corporalium detinetur, sive in somnis sive in ecstasi, si nihil significant quæ videntur, ipsius animæ sunt imaginationes: sicut etiam vigilantes et sani, et nulla alienatione moti, multorum corporum quæ non adsunt sensibus corporis, cogitatione imagines versant. Verum hoc interest, quod eas a presentibus verisque corporibus constanti affectione discernunt. Si autem aliquid significant; sive dormientibus exhibeantur, sive vigilantibus, cum et oculis vident presentia corpora, et absentium imagines cernunt spiritu, tanquam oculis præsto sint, sive illa quæ ecstasis dicitur, alienato prorsus animo a sensibus corporis; mirus modus est: sed commixtione<sup>1</sup> alterius spiritus fieri potest ut ea quæ ipse scit, per huiusmodi imagines ei cui miscetur ostendat, sive intelligenti, sive ut ab alio intellecta pandantur. Si enim demonstrantur hæc, nec utique a corpore demonstrari possunt, quid restat nisi ut ab aliquo spiritu demonstrantur?

CAPUT XIII. — *An insit in anima vis divinationis.*

27. Nonnulli quidem volunt animam humanam habere vim quandam divinationis in seipsa. Sed si ita est, cur non semper potest, cum semper velit? An quia non semper adjuvatur ut possit? Cum ergo adjuvatur, numquid a nullo, aut a corpore ad hoc adjuvari potest? Proinde restat ut a spiritu adjuvetur. Deinde quomodo adjuvatur? Utrum in corpore fit aliquid, ut inde quasi relaxetur et emicet ejus intentio, quo in id veniat, ubi in seipsa videat significantes similitudines, quæ ibi jam erant, nec videbantur, sicut multa habemus et in memoria, quæ non semper intuemur? An sunt illic, quæ ante non fuerant, vel in aliquo spiritu sunt, quo illa erumpens et emergens ibi eas videat? Sed si jam in illa erant quasi proprie, cur eas non etiam consequenter intelligit? Aliquando enim, imo plerumque non intelligit. An sicut spiritus ejus adjuvatus est, ut eas in se videret, ita et mens nisi adjuvetur, ea quæ habet spiritus, intelligere non potest? An forte non corporea remouentur, vel quasi relaxantur impedimenta, ut suo impetu anima in ea quæ videnda sunt, exseratur; sed ipsa prorsus in hæc assumitur, sive tantum spiritualiter cernenda, sive etiam intellectualiter cognoscenda? An aliquando in seipsa videt ista, aliquando per alterius spiritus commixtionem? Quidquid horum est, temere affirmari non oportet. Illud tamen dubium esse non debet, corporales imagines, quæ spiritu cernuntur, non semper signa esse aliarum rerum, sive in vigilantibus, sive in dormientibus, sive in ægrotantibus: mirum est autem, si aliquando ecstasis fieri potest, ut non illa corporalium rerum similitudines aliquid significant.

28. Non sane mirum est si et dæmonium habentes aliquando vera dicunt, quæ absunt a presentium sensibus; quod certe nescio qua occulta mixtura ejusdem spiritus fit, ut tanquam unus sit patientis atque vexan-

<sup>1</sup> Editi, si *commixtione*, etc. Ita etiam Mss. excepto Marticensi, cujus auctoritate reponimus, *sed*.



tis. Cum autem spiritus bonus in hæc visa humanum spiritum assumit aut rapit, nullo modo illas imagines signa rerum aliarum esse dubitandum est, et earum quas nosse utile est: Dei enim munus est. Discretio sane difficillima est, cum spiritus malignus quasi tranquillitas agit, ac sine aliqua vexatione corporis assumpto humano spiritu dicit quod potest; quando etiam vera dicit, et utilia prædicat, transfigurans se, sicut scriptum est, *velut angelum lucis* (II Cor. xi, 14), ad hoc ut cum illi in manifestis bonis creditum fuerit, seducat ad sua. Hunc discerni non arbitror, nisi dono illo de quo ait Apostolus, cum de diversis Dei muneribus loqueretur, *Alii dijudicatio spirituum* (I Cor. xii, 10').

CAPUT XIV. — *Intellectualis visio non fallit. In aliis falli non semper est perniciosum.*

Non enim magnum est, tunc eum dignoscere, cum ad aliqua pervenerit vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores vel regulam fidei: tunc enim a multis discernitur. Illo autem dono, in ipso primordio quo multis adhuc bonus apparet, continuo dijudicatur an malus sit.

29. Tamen et per corporalem visionem, et per imagines corporalium quæ demonstrantur in spiritu, et boni instruunt, et mali fallunt. Intellectualis autem visio non fallitur. Aut enim non intelligit, qui aliud opinatur quam est; aut si intelligit, continuo verum est. Quid enim faciant oculi non habent, cum simile corpus viderint, quod ab alio discernere non possint: aut quid faciat animi intentio, cum in spiritu facta fuerit corporis similitudo, quam non valeat distinguere a corpore? Sed adhibetur intellectus, quærens quid illa significent vel utile doceant; et aut inveniens ad fructum suum pervenit, aut non inveniens in disceptatione se tenet, ne aliqua perniciose temeritate prolatur in exitabilem errorem.

30. Judicat autem sobrius intellectus divinitus adjutus, quæ vel quanta sint, in quibus etiam aliud putare quam est, non sit animæ perniciosum. Nec enim putantium periculo, et non potius exitio suo, quisque a bonis putatur bonus, etiamsi occultus sit malus, si in rebus ipsis, id est in ipso bono quo fit quisque bonus, non erretur: aut aliquid obest omnibus hominibus, quod cum dormiunt, vera corpora esse arbitrantur, quorum similitudines in somnis vident: aut aliquid obfuit Petro, quod soluto se a vinculis, seque angelo deducente, factum est repentino miraculo ut putaret se visum videre (Act. xii, 7-9): vel cum in illa ecstasi respondit, *Nequaquam, Domine, quia nunquam manducavi omne commune et immundum*; putans ea ipsa quæ in disco demonstrabantur, tanquam vera animalia (Id. x, 11-14). Hæc quando aliter inventa fuerint, quam putata sunt, cum viderentur, non nos poenitet ita nobis fuisse visa, si non arguatur vel infidelitas dura, vel opinatio vana sive sacrilega. Quapropter et cum visis corporalibus diabolus fallit, nihil obest quod ludificantur oculi, si non erratur in veritate fidei, et intelligentiæ sanitate, qua docet Deus subjectos sibi. Aut si ludificet animam spirituali visione imagini-

bus corporum, ut putet corpus esse quod non est, non aliquid obest animæ si perniciosæ suasioni non consentiat.

CAPUT XV. — *Somnia venerea sine peccato contingere.*

31. Unde aliquando fit questio de consensionibus somniantium, cum etiam concumbere sibi videntur, vel contra propositum suum, vel contra etiam licitos mores. Quod non contingit, nisi cum ea quæ vigilantes etiam cogitamus, non cum placito consensionis, sed sicut etiam talia propter aliquid loquimur, sic admoventur in somnis, et exprimentur, ut eis naturaliter etiam caro moveatur, et quod naturaliter colligit, per genitales vias emittat; sicut hoc ipsum dicere utique non possem, nisi etiam cogitarem. Porro imagines rerum corporalium, quas necessario cogitavi, ut hoc dicerem, si tanta expressione præsentarentur in somnis, quanta præsentantur corpora vigilantibus. fieret illud quod sine peccato fieri a vigilante non posset. Quis enim vel cum loquitur, et postulante necessitate sermonis de suo concubitu aliquid dicit, possit non cogitare quod dicit? Porro ipsa phantasia, quæ fit in cogitatione sermocinantis, cum ita expressa fuerit in visione somniantis, ut inter illam et veram commixtionem corporum non discernatur, continuo movetur caro, et sequitur quod eum motum sequi solet, cum hoc tam sine peccato fiat, quam sine peccato a vigilante dicitur, quod ut diceretur, sine dubio cogitatum est. Verumtamen propter animæ affectionem bonam, quæ desiderio meliore mundata multas interficit cupiditates, quæ ad naturalem carnis motum non pertinent; quem casti vigilantes cohibent et refrenant, dormientes autem ideo non possunt, quia non habent in potestate quæ admoveatur expressio corporalis imaginis, quæ discerni non possit a corpore: propter illam ergo affectionem animæ bonam, etiam in somnis quedam ejus merita clarent. Nam etiam dormiens Salomon sapientiam præposuit omnibus rebus, eamque neglectis cæteris est precatus a Domino: et sicut Scriptura testatur, placuit hoc coram Domino, nec distulit retributionem bonam pro desiderio bono (III Reg. iii, 5-15).

CAPUT XVI. — *Corporalium similitudines a spiritu in seipso formari.*

32. Quæ cum ita sint, pertinet corporis sensus ad visa corporalia, qui per quinque quasi rivulos distanter valentes distribuitur: cum illud quod est subtilissimum in corpore, et ob hoc animæ vicinissimum quam cætera, id est lux, primum per oculos sola diffunditur, emicatque in radiis oculorum ad visibilia contuenda; deinde mixtura quadam, primum cum aere puro, secundo cum aere caliginoso atque nebuloso, tertio cum corpulentiore humore, quarto cum terrena crassitudine, quinque sensus cum ipso, ubi sola excellit, oculorum sensu efficit: sicut in libro quarto, itemque in septimo disseruisse me recolo. Est autem hoc cælum oculis conspicuum, unde luminaria et sidera effulgent, excellentius utique omnibus corporeis elementis, sicut oculorum sensus excellit in corpore. Quia vero spiritus omnis omni est corpore sine dubi-

uatione præstantior, sequitur ut non loci positione, sed naturæ dignitate præstantior sit natura spiritualis isto corporeo cœlo, etiam illa ubi rerum corporalium exprimuntur imagines.

33. Hic existit quiddam mirabile, ut cum prior sit corpore spiritus, et posterior corporis imago quam corpus, tamen quia illud quod tempore posterius est, fit in eo quod natura prius est, præstantior sit imago corporis in spiritu, quam ipsum corpus in substantia sua. Nec sane putandum est facere aliquid corpus in spiritu, tanquam spiritus corpori facienti, materiæ vice subdatur. Omni enim modo præstantior est qui facit, ea re de qua aliquid facit; neque ullo modo spiritu præstantius est corpus; imo perspicuo modo spiritus corpore. Quamvis ergo prius videamus aliquod corpus, quod antea non videramus, atque inde incipiat imago ejus esse in spiritu nostro, quo illud cum absens fuerit recordemur: tamen eandem ejus imaginem non corpus in spiritu, sed ipse spiritus in seipso facit celeritate mirabili, quæ ineffabiliter longe est a corporis tarditate; cujus imago mox ut oculis visum fuerit, in spiritu videntis nullius puncti temporalls interpositione formatur. Itemque in auditu, nisi auribus perceptæ vocis imaginem continuo spiritus in seipso formaret, ac memoria retineret, ignoraretur secunda syllaba utrum secunda esset, cum jam prima utique nulla esset, quæ percussa aure transisset: ac sic omnis locutionis usus, omnis cantandi suavitas, omnis postremo in actibus nostris corporalis motus dilapsus occideret; neque ullum progressum nancisceretur, si transactos corporis motus memoriter spiritus non teneret, quibus consequentes in agendo connecteret. Quos utique non tenet, nisi imaginaliter a se factos in se. Ipsorum etiam futurarum motionum imagines præveniunt fines actuum nostrorum. Quid enim agimus per corpus, quod non cogitando præoccupaverit spiritus, omniumque visibilibus operum similitudines in seipso primitus viderit, et quodammodo disposuerit?

CAPUT XVII. — *Similitudines animo expressæ unde innotescant dæmonibus. Visiones quedam miræ. Phrenetici. Puer ægrotans.*

34. Quæ spirituales corporalium similitudines in animo nostro, quemadmodum innotescant spiritibus etiam inmundis, vel quid obstaculi patiatur anima nostra ex isto terreno corpore, ut eas invicem in nostro spiritu videre nequeamus, invenire et explicare difficile est. Certissimis tamen indicis apud nos constitit enuntiatis a dæmonibus cogitationes hominum (a), qui tamen si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere, non tentarent: sicut illam in Job nobilem ac mirabilem patientiam procul dubio, si posset diabolus cernere, nollet a tentato utique suspicari. Cæterum alicubi longe jam facta quod nuntiant, quæ post aliquot dies vera esse firmentur, non est mirandum. Possunt enim hoc efficere, non solum ærimonia cernendi etiam corporalia incomparabiliter præstantiore quam nostra est, sed etiam corporum

(a) Lib. I cont. Academicos, capp. 6 et 7.

ipsorum, longe utique subtiliorum, mira velocitate.

35. Comperimus etiam in domo constitutum patientem spiritum immundum, dicere solere quando ad eum venire cœpisset ex duodecim millibus presbyter, et per omnia loca itineris ubi esset, et quam propinquaret, et quando ingrederetur et fundum et domum et cubiculum, donec in conspectu ejus astaret. Quæ omnia etsi non oculis patiens ille cernebat, tamen nisi aliquo modo cerneret, non tam veraciter enuntiaret. Erat autem iste febrilis, et tanquam in phrenesi ista dicebat. Est forte revera phreneticus erat, sed propter ista dæmonium pati putabatur. Nullum refectionis cibum accipiebat a suis, sed a solo presbytero. Resistebat etiam suis violenter quantum valebat; illo solo presbytero veniente quiescebat, illi tantum subditus erat, et subdite respondebat. Nec tamen eidem saltem presbytero illa cessit mentis alienatio sive dæmonium, nisi cum sanus esset a febrilibus, sicut phrenetici sanari solent; nec aliquando postea tale aliquid passus est.

36. Novimus etiam sine dubitatione phreneticum futuram mortem cujusdam feminæ prædixisse; non sane specie divinandi, sed tanquam factum ac præteritum recolentem. Nam cum ejus apud eum commemoratio fieret, Mortua est, inquit, ego eam vidi efferri, hac cum ejus corpore transierunt; cum illa incolumis viveret: post paucos autem dies repente defuncta, et per eum locum elata est, qua ille prædixerat.

37. Fuit item apud nos puer, qui in exordio pueritatis dolorem acerrimum genitalium patiebatur, medicis nequaquam valentibus quid illud esset agnoscere, nisi quod nervus ipse introrsum reconditus erat, ita ut nec præciso præputio, quod immoderata longitudine propendebat, apparere potuerit, sed postea vix esset inventus. Humor autem viscosus et acer exsudans testes et inguina urebat. Sed acutum dolorem non continuum patiebatur, et cum patiebatur, ejulabat vehementer cum jactatione membrorum mente sanissima, sicut in cruciatibus corporalium dolorum fieri solet. Deinde inter voces suas abripiebatur ab omnibus sensibus, et jacebat patentibus oculis neminem circumstantium videns, ad nullam vellitationem se movens. Post aliquantum tanquam evigilans, nec jam dolens, quæ videret iudicabat. Tum interpositis paucis diebus eadem patiebatur. In omnibus sane vel pene omnibus visionibus suis, duos se dicebat videre, unum provectoris ætatis, alterum puerum, a quibus ei vel dicebantur, vel demonstrabantur, quæ se audisse et vidisse narrabat.

38. Vidit quodam die chorum piorum psallentium, latantium in luce mirabili, et impiorum in tenebris diversas et atrocissimas pœnas; illis ducentibus et ostendentibus, et felicitatis aliorum, aliorumque infelicitatis meritum insinuantibus. Hoc autem vidit die dominico Paschæ, cum per totam Quadragesimam nihil doluisset, cui vix intervallo tridui antea parcebatur. Viderat autem in ipso ingressu Quadragesimæ illos promittentes sibi quod per quadraginta dies nullum sensurus esset dolorem; postea ipsi ei dederunt

tanquam medicinale consitum, ut ei præputii longitudo præcideretur, quo facto diu non doluit. Cum vero herum similiter doleret, et similia videre cõpisset, accepit ab eis rursus consilium, ut in mare pube tenus intraret, ac post aliquantam moram inde discederet, promittentibus sane quod jam deinceps vehementem illum dolorem non esset passurus, sed solius illius viscosi humoris molestiam: atque ita secutum est; nec unquam talem aliquam postea passus est aversionem mentis a sensibus, nec tale aliquid vidit quale antea cum in mediis doloribus et horrendis vocibus repente obmutescens abriperetur. Postea tamen medicis cætera curantibus et sanantibus, non permansit in proposito sanctitatis.

CAPUT XVIII. — *De visionum causis.*

39. Istarum visionum et divinationum causas et modos vestigare si quis potest, certoque comprehendere, eum magis audire vellem, quam de me expectari ut ipse dissererem. Quid tamen putem, ita ut nec docti me tanquam confirmantem derideant, nec inducti tanquam docentem accipiant, sed atri que discipulantem et querentem potius quam scientem, non occultabo. Ego visa ista omnia visis comparo somniantium. Sicut enim aliquando et hæc falsa, aliquando autem vera sunt, aliquando perturbata, aliquando et tranquilla; ipsa autem vera, aliquando futuris omnino similia, vel aperte dicta, aliquando obscuris significationibus et quasi figuratis locutionibus prænuntiata: sic etiam illa omnia. Sed amant homines inexperta visum, et causas insolitorum requirere, cum quotidiana plerumque talia sæpe etiam latentioris originis nosse non curent. Nam quemadmodum in vocibus, hoc est signis quibus loquendo nitimur, audito verbo inusitato, querunt primo quid sit, hoc est quid significet; quo cognito deinde querunt unde ita dictum sit, cum tam multa sine cura nesciant, quæ in usu sermonis habent, unde ita sint dicta: sic cum aliquid inusitatum in rebus acciderit, sive corporalibus, sive spiritualibus, causas rationemque sollicitè inquirunt, et sibi reddi a doctoribus flagitant.

40. Soleo autem cum me quisque interrogat, verbi gratia, quid sit catus, et respondeo, Prudens vel acutus, nec ei sufficit, sed pergat querere unde dictus sit catus, vicissim referre et querere unde dictus sit acutus, quod nihilominus utique ignorabat, sed quia usitatum nomen erat, patienter ejus originem nesciebat: quod autem novum insonuit auribus, parum putat nosse quid significando valeat, nisi etiam unde dicatur exquirat. Quisquis ergo ex me querit unde visa corporalibus similia in ecstasi appareant, quæ raro accidunt animæ, vicissim quero, unde appareant dormientibus, quæ quotidie sentit anima, et nemo istud aut non multam curat inquirere. Quasi vero ideo minus mira sit talium natura visorum, quia quotidiana est; aut ideo minus curanda, quia omnium est; aut si recte faciunt qui ista non querunt, non rectius fecerint si nec in illa curiosi sint. Ego vero multo amplius admiror, multoque maxime stupeo quanta celeritate ac facilitate in se anima fabricetur

imagines corporum, quæ per corporis oculos viderit, quam somniantium vel etiam in ecstasi visiones. Quæcumque tamen illa natura visorum est, procul dubio corpus non est. Hoc nosse cui non sufficit, unde etiam existant, inquirat ab aliis; me ignorare conatur.

CAPUT XIX. — *Unde nascantur visiones.*

41. Illud plane exemplorum experimentis colligi datur, sicut corporum pallor, rubor, tremor, vel etiam morbus aliquando a corpore habet causas, aliquando ab anima; et a corpore quidem, cum vel humor suffunditur, vel cibus vel aliquid aliud corpori injectum extrinsecus; ab anima vero, cum vel timore turbatur, vel pudore confunditur, vel irascitur, vel amat, vel si quid ejusmodi; nec immerito, si id quod animat et regit, etiam cum vehementius movetur, vehementius exagitat: ita et ipsi animæ ut in ea visa pergat, quæ non ei per sensus corporis nuntiantur, sed per incorporalem substantiam, et ita pergat ut non discernat utrum corpora sint an similitudines corporum, aliquando a corpore accidunt, aliquando a spiritu: et a corpore quidem, sive naturali vicissitudine, ut sunt visa somniantium, dormire quippe a corpore est homini; sive aliqua mala valetudine sensitus perturbatis, ut cum a phreneticis simul et corpora videntur, et visa similia corporibus tanquam et ipsa præ oculis adsint: aut penitus interclusis, sicut sæpe male affecti morbo aliquo ingravescente, præsentente corpore diu absentes, deinde hominibus redditi, multa se vidisse dixerunt: a spiritu vero, cum omnino sano atque integro corpore in alienationem rapiuntur, sive ita ut et per sensus corporis corpora videant, et in spiritu quædam similia quæ a corporibus non discernant; sive penitus avertantur a sensibus carnis, et nihil per eos omnino sentientes, illa spirituali visione habitent in similitudinibus corporum. Sed cum malus in hæc arripit spiritus, aut dæmoniacos facit, aut arreptitios, aut falsos prophetas: cum autem bonus, fidelos mysteria loquentes, aut accedente etiam intelligentia veros prophetas, aut ad tempus quod per eos oportet ostendi, videntes atque narrantes.

CAPUT XX. — *Visa quæ a corpore occasionem habent, non tamen exhiberi a corpore.*

42. Sed cum a corpore causa est ut talia visa cerantur, non ea corpus exhibet; neque enim habet eam vim, ut formet aliquid spirituale: sed sopito, aut perturbato, aut etiam intercluso itinere intentionis a cerebro, qua dirigitur sentiendi motus, anima ipsa quæ motu proprio cessare ab hoc opere non potest, quia per corpus non sinitur, vel non plene sinitur corporalia sentire, vel ad corporalia vim suæ intentionis dirigere, spiritu corporalium similitudines agit, aut intuetur objectas. Et si quidem eas ipsa agit, phantasie tantum sunt; si autem objectas intuetur, ostensiones sunt. Donique cum oculi dolent vel extincti sunt, quia non est causa in sede cerebri, unde ipsa dirigitur intentio sentiendi, non fiunt hujusmodi visiones, quamvis cernendis corporalibus obstaculorum

existat a corpore. Magis enim caeci aliquid dormientes quam vigilantes vident. Dormientibus quippe in cerebro consopitur via sentiendi, quae intentionem ad oculos ducit, ideoque ipsa intentio in aliud aversa, cernit visa somniorum tanquam species corporales adsint, ut sibi dormiens vigilare videatur, et non similia corporibus, sed ipsa corpora intueri se putet: cum autem vigilant caeci, ducitur per illa itinera intentio cernendi, quae cum ad loca venerit oculorum, non exseritur foras, sed ibi remanet, ut vigilare se sentiant, potiusque esse in tenebris vigilando etiam per diem, quam dormiendo, sive per diem sive per noctem. Nam et qui caeci non sunt, plerique patientibus oculis dormiunt nihil per eos videntes, sed non ideo nihil videntes, cum spiritu cernant visa somniorum: si autem clausis oculis vigilent, neque dormientium praesto sunt visionibus neque vigilantium. Tantum tamen valet, quod usque ad oculos eorum nec sopita nec perturbata nec interclusa pervenit a cerebro via sentiendi, et animae intentionem usque ad ipsas quamvis clausas fores corporis ducit, ut cogitentur quidem imagines corporum, sed nullo modo pro eis habeantur corporibus quae per oculos sentiuntur.

43. Tantum interest, ubi fiat impedimentum sentiendi corporalia, cum sit in corpore. Si enim non sit nisi in ipsis aditibus, et quasi ianuis sensuum, velut in oculis, in auribus, ceterisque sensibus corporalibus, sola impeditur perceptio corporalium: non autem animae intentio in aliud sic avertitur, ut pro corporibus habeat imagines corporum: si autem causa est intus in cerebro, unde diriguntur viæ ad ea quae foris sunt, sentienda; ipsius intentionis vasa sopiuntur, vel turbantur, vel intercluduntur, quibus nititur anima in ea quae foris sunt, intuentia vel sentienda. Quem nisum quoniam non amittit, tanta expressione format similia, ut imagines corporalium a corporibus discernere non valens, utrum in illis an in istis sit nesciat; et cum scit, longe alio modo sciat, quam dum in cogitando versantur sive occurrunt similitudines corporum. Qui modus nisi ab expertis capi utcumque non potest. Hinc enim erat, quod me dormiens in somnis videre sciebam, nec tamen illas corporalium rerum similitudines quas videbam, sic ab ipsis corporalibus discernebam, quemadmodum eas cogitantes etiam clausis oculis vel in tenebris constituti discernere solemus. Tantum valet ipsa animi intentio utrum perlocatur usque ad sensus licet clausos, an in ipso cerebro, unde in hæc nititur, aliqua causa existente in aliud avertatur, ut quamvis aliquando se noverit non corpora, sed corporum similitudines cernere, vel minus erudita etiam ipsa esse corpora existimans, sentiat se non ea corpore, sed spiritu videre, longe sit tamen ab affectione qua suo corpori presentatur: unde se norunt et caeci vigilare, cum similitudines corporum cogitatas a corporibus, quae videre non possunt, certa notione discernunt.

CAPUT XXI. — *Visa corporalibus similia in quæ anima rapitur, non ideo esse naturæ diversæ.*

41. Cum autem sano corpore, nec somno sensibus consopitis, aliquo occulto opere spirituali in ea visa quæ similia sunt corporalibus anima rapitur, non quia modus diversus est, ideo est etiam diversa natura visorum; cum et in illis causis quæ de corpore existunt, sit utique differentia, et aliquando a contrario. Nam phrenetici non dormiendo potius perturbatas habent sentiendi vias in capite, ut talia videant, qualia somniantes vident, quorum dormiendo avertitur intentio a sensu vigilandi, et in ea videnda convertitur. Cum ergo illud fiat non dormiendo, hoc autem dormiendo, non tamen ea quæ videntur ex alio genere sunt, quam ex natura spiritus, de quo vel in quo sunt similitudines corporum. Ita quamvis diversa sit causa intentionis alienatæ, quando sano corpore vigilantis occulta quadam vi spirituali anima rapitur, ut vice corporum expressas corporalium rerum similitudines in spiritu videat, eadem tamen est natura visorum. Neque enim dici potest, cum causa in corpore est, tunc animam sine ulla præsensatione futurorum ex se ipsa versare imagines corporum, sicut etiam cogitando eas solet; cum vero in ea videnda spiritu assumitur, divinitus hæc demonstrari: quandoquidem aperte Scriptura dicit, *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et juvenes visa videbunt, et senes somnia somniantur* (Joel. ii, 28), divinæ operationi utrumque tribuens; et, *Angelus Domini apparuit Joseph in somnis dicens, Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; et iterum, Tolle puerum, et vade in Ægyptum* (Matth. i, 20; et ii, 13).

CAPUT XXII. — *Quomodo contingant visa illa, ex quibus divinationes occulto instinctu seu casu factæ.*

45. Itaque bono quidem spiritu assumi spiritum hominis ad has videndas imagines, nisi aliquid significant, non puto: cum vero in corpore causa est, ut in eas expressius intuentas humanus intendatur spiritus, non semper aliquid significare credendum est; sed tunc significant, cum inspirantur a demonstrante spiritu, sive dormienti, sive aliquid aliud ex corpore, ut a carnis sensibus alienaretur, patienti. Vigilantibus etiam neque ullo morbo afflictis nec furore exagitatis, occulto quodam instinctu ingestas esse cogitationes quas promendo divinarent, non solum aliud agentes, sicut Caiphas pontifex prophetavit (Joan. xi, 51), cum ejus intentio non haberet voluntatem prophetandi, verum etiam id suscipientes, ut divinandi modo aliquid dicerent, novimus.

46. Nam quidam juvenes jocando ut fallerent, ubi peregrini iter agebant, mathematicos se esse finxerunt, ignorantes omnino utrum duodecim signa dicerentur. Qui cum hospitem suum mirari cernerent quæ dicebant, et attestari esse verissimum, audacius in plura progressi sunt. At ille attestans ad omnia mirabatur. Postremo ab eis de filii salute quæsit, quem diu absentem desiderabat, et quod inopinate tardaret, ne quid ei accidisset sollicitus erat. At illi non curantes quid post eorum abscessum veri cognosceretur, dum

tamen in præsentia lætam hominem redderent, mox profecturi responderunt saluum ac propinquantem, et eo ipso die quo hæc loquebantur, esse venturam : neque enim metuebant, ne cum totus dies peractus esset, eos ille redarguendos postredie sequeretur. Quid multa? dem jam abire disponderent, ecce subito ad hæc eis illic positus venit.

47. Item alius ante symphonicum saltabat, ubi erant multa idola per quamdam Paganorum solemnitatem, non aliquo spiritu arreptus, sed imitatione ludicra arreptitios æmulatus, scientibus circumstantibus et spectantibus. Moris enim erat ut ante prandium peractis sacrificiis agitatique fanaticis, si qui adolescentes post prandium vellet eo more ludere, nullus prohiberetur. Ille ergo inter saltandum, facto sibi silentio, jocabundus, et ridente multitudine circumseptus, ea nocte quæ impendebat, in ea silva quæ juxta erat, hominem a leone interemptum iri, ad cujus cadaver spectandum illucescente die confluxuram turbam, et illius solemnitatis locum deserturam, prædixit. Et factum est; cum satis cunctis qui aderant in omnibus ejus motibus claruisset, hoc cum ludendo et jocando nusquam perturbata vel alienata mente dixisse; ipso etiam tanto amplius mirante quod accidit, quanto magis nosset quo id animo atque ore protulerit.

48. Quonam modo hæc visa in spiritum hominis veniant, utrum ibi primitus formentur, an formata ingerantur, et quadam conjunctione cernantur, ut sic hominibus angeli ostendant cogitationes suas, et corporalium rerum similitudines, quas in suo spiritu futurorum cognitione præformant, quemadmodum et ipsi nostras cogitationes, non utique oculis, quia non corpore, sed spiritu vident; verum hoc intersit, quod illi nostras, etiam si nolimus, noverunt, nos autem ipsorum, nisi ostendantur, nosse non possumus; quia sic eas, ut opinor, habent in potestate occultare spiritualibus modis, quemadmodum nos quibusdam interjectis obstaculis, nostra corpora ne aliorum oculis videantur, abscondimus: et quid fiat in spiritu nostro, ut aliquando cernantur tantummodo significantes imagines, et utrum aliquid significant ignoretur; aliquando autem aliquid significare sentiantur, sed quid significant nesciatur; aliquando vero tanquam pleniore demonstratione anima humana et spiritu ipsas et mente quid significant videat; et scire difficillimum est, et si jam sciamus, disserere atque explicare operosissimum.

CAPUT XXIII.—*Spiritualem naturam, ubi tam multis causis similitudines corporalium formentur, in nobis existere.*

49. Quod autem nunc insinuare satis arbitror, certum est esse spiritualem quamdam naturam in nobis, ubi corporalium rerum formantur similitudines; sive cum aliquod corpus sensu corporis tangimus, et continuo formatur ejus similitudo in spiritu, memoriaque reconditur; sive cum absentia corpora jam nota cogitamus, ut ex eis formetur quidam spiritualis aspectus, quæ jam erant in spiritu et antequam ea cogitarem; sive cum eorum corporum quæ non novimus, sed tamen esse non dubitamus, similitudines, non ita

ut sunt illa, sed ut occurrit, intuemur; sive cum alia, quæ vel non sunt, vel esse nesciuntur, pro arbitrio vel opinione cogitamus; sive unde nate, neque id agentibus, neque volentibus nobis variæ formæ corporalium similitudinum versantur in animo; sive cum aliquid corporaliter acturi, ea ipsa disponimus quæ in illa actione futura sunt, et omnia cogitatione antecedimus; sive jam in ipso actu, vel cum loquimur, vel cum facimus, omnes corporales motus, ut exeri possint, præveniuntur similitudinibus suis intus in spiritu; neque enim ulla vel brevissima syllaba in ordine soni nisi prospecta sonuisset: sive cum a dormientibus somnia videntur, vel nihil vel aliquid significantia; sive cum valetudine corporali turbatis intrinsecutitineribus sentiendi, imagines corporum spiritus veris corporibus ita miscet, ut internosci vel vix possint, vel omnino non possint; et aut significant aliquid, aut sine ulla significatione oboriantur; sive prorsus ingravescente aliquo morbo vel dolore corporis, et intercludente intus vias quibus animæ, ut per carnem sentiret, exerebatur ac nitebatur intentio, alius quam somno absentato spiritu, corporalium rerum existunt aut monstrantur imagines, vel significantes aliquid vel sine ulla significatione apparentes; sive nulla ex corpore causa existente, sed assumente atque rapiente aliquo spiritu tollitur anima in hujusmodi videndas similitudines corporum, miscens eis visa corporalia, cum simul etiam corporis sensibus utitur; sive ita spiritu assumente alienatur ab omni corporis sensu, et avertitur, ut solis similitudinibus corporum spirituali visione teneatur, ubi nescio utrum possint aliqua nihil significantia videri.

CAPUT XXIV.—*Visionem intellectualem spirituali, spiritualem corporali præstare.*

50. Hæc igitur natura spiritualis, in qua non corpora, sed corporum similitudines exprimentur, inferioris generis visiones habet, quam illud mentis atque intelligentiæ lumen, quo et ista inferiora dijudicantur, et ea cernuntur quæ neque sunt corpora, neque ullas gerunt formas similes corporum; velut ipsa mens et omnis animæ affectio bona, cui contraria sunt ejus vitia, quæ recte culpantur atque damnantur in hominibus. Quo enim alio modo ipse intellectus nisi intelligendo conspicitur? Ita et charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, et cætera hujusmodi, quibus propinquatur Deo (*Galat. v. 22, 23*): et ipse Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (*Rom. xi. 36*).

51. Quanquam itaque in eadem anima siant visiones, sive quæ sentiuntur per corpus, sicut hoc corporeum cælum, terra, et quæcumque in eis nota esse possunt, quemadmodum possunt; sive quæ spiritu videntur similia corporum, de quibus multa jam diximus; sive cum mente intelliguntur, quæ nec corpora sunt, nec similitudines corporum; habent utique ordinem suum, et est aliud alio præcellentius. Præstantior est enim visio spiritualis quam corporalis, et rursus præstantior intellectualis quam spiritualis. Corporalis enim sine spirituali esse non potest; quandoquidem mæ-

mento eodem quo corpus sensa corporis tangitur, sit etiam in animo tale aliquid, non quod hoc sit, sed quod simile sit; quod si non fieret, nec sensus ille esset, quo ea quæ extrinsecus adjacent, sentiuntur. Neque enim corpus sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in seipsa quod extrinsecus nuntiatur. Non potest itaque fieri visio corporalis, nisi etiam spiritualis simul fiat: sed non discernitur, nisi cum fuerit sensus ablati a corpore, ut id quod per corpus videbatur, inveniatur in spiritu. At vero spiritualis visio etiam sine corporali fieri potest, cum absentium corporum similitudines in spiritu apparent, et finguntur multæ pro arbitrio, vel præter arbitrium demonstrantur. Item spiritualis visio indiget intellectuali ut dijudicetur, intellectualis autem ista spirituali inferiore non indiget; ac per hoc spirituali corporalis, intellectuali autem utraque subjecta est. Cum ergo legimus, *Spirituales omnia iudicat, ipse autem a namine dijudicatur* (1 Cor. ii, 15); non secundum spiritum, a quo mens discernitur, sicut illud quod dictum est, *Orabo spiritu, orabo et mente* (Id. xiv, 15), sed ex illa notione debemus accipere qua dictum est, *Renovamini autem spiritu mentis vestræ* (Eph. iv, 23). Jam enim supra docuimus alio modo et ipsam mentem spiritum dici, secundum quam spiritualis omnia dijudicat. Quapropter non absurde neque inconvenienter arbitror spirituales visionem inter intellectualem et corporalem tanquam medicatam quandam obtinere. Puto enim non incongruenter medium dici, quod corpus quidem non est, sed simile est corporis, inter illud quod vere corpus est, et illud quod nec corpus est, nec simile corporis.

CAPUT XXV. — *Solum intellectualem visionem non fallere.*

52. Illuditur autem anima similitudinibus rerum, non earum vitio, sed opinionis suæ, cum approbat quæ similia sunt pro iis quibus similia sunt, ab intelligentia deficiens. Fallitur ergo in visione corporali, cum in ipsis corporibus fieri putat quod sit in corporis sensibus; sicut navigantibus videntur in terra moveri quæ stant, et intuentibus cælum stare sidera quæ moventur, et divaricatis radiis oculorum duas lucernæ species apparere, et in aqua remus infractus, et multa huiusmodi: aut cum putat aliquid hoc esse, quod similiter coloratum est, vel similiter sonat, vel olet, vel sapit, vel tangitur; hinc enim et medicamentum aliquod ceratum coctum in cacabo putatur legumen, et tonitus transeuntis vehiculi putatur ex tonitruo, et si nullis aliis sensibus exploratur, sed soli adjacet olfactui, citrium putatur herba quæ vocatur apiaria, et cibus aliquo dulciculo succo affectus putatur melle conditus; et ignotus annulus contrectatus in tenebris, putatur aureus, cum sit æreus aut argenteus. aut cum repentinis inopinatisque corporalibus visis anima turbata vel in somnis videre se putat, vel aliquo huiusmodi spirituali viso affici: unde in omnibus corporalibus visis, et aliorum sensuum contestatio, et maxime ipsius mentis atque rationis adhibetur, ut

quod in hoc rerum genere verum est, inveniatur quantum inveniri potest. In visione autem spirituali, id est in corporum similitudinibus, quæ spiritu videntur, fallitur anima, cum ea quæ sic videt, ipsa corpora esse arbitratur; vel quod sibi suspitione falsaque conjectura fluxerit, hoc etiam in corporibus putat, quæ non visa coniectat. At vero in illis intellectualibus visis non fallitur: aut enim intelligit, et verum est; aut si verum non est, non intelligit: unde aliud est in his errare quæ videt, aliud ideo errare quia non videt.

CAPUT XXVI. — *Raptus animæ duplex, spirituali visione et intellectuali.*

53. Quapropter cum rapitur anima in ea visa quæ spiritu cernuntur similia corporalibus, ita ut omnino a sensibus corporis avertatur amplius quam in somno solet, sed minus quam in morte; jam divinæ admonitionis est et adiutorii, ut se non corpora, sed visa corporum similia spiritualiter noverit cernere, sicut quæ se in somnis videre, etiam antequam evigilent sciunt. Ibi si etiam videntur futura, ita ut omnino futura noscantur, quorum imagines præsentibus videntur, sive ipsa hominis mente divinitus adjuncta, sive aliquo inter ipsa visa quid significant exponente, sicut in Apocalypsi Joanni exponatur (Apoc. i, 10 seq.), magna revelatio est: etiamsi forte ignoret ille cui hæc demonstrantur, utrum e corpore exierit, an adhuc sit in corpore, sed spiritu a sensibus corporis alienato ista videat; potest enim sic raptus id ignorare, si ei et hoc non ostendatur.

54. Porro autem, si quemadmodum raptus est a sensibus corporis, ut esset in istis similitudinibus corporum, quæ spiritu videntur, ita et ab ipsis rapiatur, ut in illam quasi regionem intellectualium vel intelligibilium subvehatur, ubi sine ulla corporis similitudine perspicua veritas cernitur; nullis opinionum falsarum nebulis offuscatur: ibi virtutes animæ non sunt operosæ ac laboriosæ. Neque enim opere temperantiæ libido frenatur, aut opere fortitudinis tolerantur adversa, aut opere justitiæ iniqua puniuntur, aut opere prudentiæ mala devitantur. Una ibi et tota virtus est amare quod videas, et summa felicitas habere quod amas. Ibi enim beata vita in fonte suo bibitur, inde aspergitur aliquid huic humanæ vitæ, ut in tentationibus huius sæculi, temperanter, fortiter, juste, prudenterque vivatur. Propter illud quippe adipiscendum, ubi secunda quies erit et ineffabilis visio veritatis, labor suscipitur, et continendi a voluptate, et sustinendi adversitates, et subveniendi indigentibus, et resistendi decipientibus. Ibi videtur claritas Domini, non per visionem significantem, sive corporalem, sicut visa est in monte Sina (Exod. xix, 18), sive spirituales, sicut vidit Isaias (Isai. vi, 1), vel Joannes in Apocalypsi: sed per speciem, non per ænigmata, quantum eam capere mens humana potest, secundum assumptis Dei gratiam, ut os ad os loquatur ei quem dignum tali Deo colloquio fecerit; non os corporis, sed mentis,

CAPUT XXVII. — *Quo genere visionis Deus a Moyse visus.*

Sicut intelligendum arbitror quod de Moyse scriptum est (*Num. xii, 8*).

55. Concupiverat enim, sicut in Exodo legimus, videre Deum; non utique sicut viderat in monte, nec sicut videbat in tabernaculo (*Exod. xix, 18, et xxxiii, 9*), sed in ea substantia qua Deus est, nulla assumpta corporali creatura, quæ mortalis carnis sensibus præsentetur: neque in spiritu figuratis similitudinibus corporum; sed per speciem suam, quantum eam capere creatura rationalis et intellectualis potest, sevocata ab omni corporis sensu, et ab omni significativo ænigmate spiritus. Sic enim scriptum est, *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te*; cum paulo superius legatur locutus Dominus ad Moysen *facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum*. Sentiebat ergo quid videbat, et quod non videbat desiderabat. Nam et paulo post, cum dixisset ei Deus, *Invenisti enim gratiam in conspectu meo, et scio te præ omnibus*; respondit ei, *Ostende mihi claritatem tuam*. Et tunc quidem responsum accepit a Domino figuratum, de quo nunc longum est disputare, quando ei dixit: *Non poteris videre faciem meam, et vivere. Non enim videbit homo faciem meam, et vivere*. Deinde subjecit et ait illi: *Eccæ locus penes me, et stabis super petram, statim ut transiet mea majestas, et ponam te in spelunca petræ, et tegam manu mea super te donec transeam; et auferam manum, et tunc videbis posteriora mea: nam facies mea non apparebit tibi* (*Id. xxxiii, 11-23*). Nec tamen secuta Scriptura hoc etiam corporaliter factum esse narravit, satisque per hoc demonstratum est figurate dictum esse in Ecclesiæ significatione. Ipse enim locus ponens Dominum, quia Ecclesia est templum ejus et ipsa edificata est super petram, et cætera quæ ibi dicta sunt, eidem intelligentiæ congruunt. Nisi tamen concupitam et desideratam Dei claritatem Moyses videre meruisset, non in libro Numerorum diceret Deus ad Aaron et Mariam fratres ejus: *Audite verba mea, Si fuerit propheta inter vos Domino, in visione illi cognoscar<sup>1</sup>, et in somno loquar illi; non ita quomodo famulus meus Moyses in tota domo mea fidelis est. Os ad os loquar ad illum in specie, et non per ænigmata, et claritatem Domini vidit* (*Num. xii, 6-8*). Neque enim hoc secundum substantiam corporis, quæ carnis sensibus præsentatur, intelligendum est; nam utique sic loquebatur ad Moysen *facie ad faciem*, contra in contra, quando tamen dixit ei, *Ostende mihi temetipsum*; et nunc etiam ad ipsos quos objurgabat, et quibus Moysi meritum ita præferbat, sic loquebatur per creaturam corporalem præsentatam sensibus carnis. Illo ergo modo, in illa specie qua Deus est, longe ineffabiliter secretius et præsentius loquitur locutione ineffabili, ubi eum nemo videns vivet<sup>2</sup> vita ista, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis: sed nisi ab hac vita quisque

<sup>1</sup> *Num.* aliquot probe notæ, *Si fuerit propheta vester, in visione illi Dominus cognoscur.*

<sup>2</sup> in Jerusalem *Num.*, *vivens videt.*

quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus et alienatus a carnalibus sensibus, ut merito nesciat, sicut Apostolus ait, utrum in corpore an extra corpus sit (*II Cor. xn, 3*), cum in illam rapitur et subvehitur visionem.

CAPUT XXVIII. — *Tertium cælum et paradysum de quo Apostolus, posse intelligi tertium genus visionis.*

56. Quapropter si hoc tertium visionis genus, quod superius est, non solum omni corporali, quo per corporis sensus corpora sentiuntur, verum etiam omni illo spiritali, quo similitudines corporum spiritus et non mente cernuntur, tertium cælum appellavit Apostolus; in hoc videtur claritas Dei, cui videndæ corda mundantur, unde dictum est, *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth. v, 8*): non per aliquam corporaliter vel spiritaliter figuratam significationem tanquam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem (*I Cor. xiii, 12*), quod de Moyse dictum est, *os ad os*; per speciem scilicet qua est Deus quidquid est, quantumcumque eum mens, quæ non est quod ipse, etiam ab omni terrena labe mundata, et ab omni corpore et similitudine corporis alienata et abrepta capere potest: a quo peregrinatur mortali et corruptibili onere gravati, quamdiu per fidem ambulamus, non per speciem (*II Cor. v, 6, 7*), et cum hic justo vivimus. Cur autem non credamus, quod tanto Apostolo doctori Gentium, raptus usque ad istam excellentissimam visionem, voluerit Deus demonstrare vitam, in qua post hanc vitam vivendum est in æternum? Et cur non dicatur iste paradysus, excepto illo in quo corporaliter vixit Adam inter ligna nemorosa atque fructuosa? Quandoquidem et Ecclesia, quæ nos congregat in charitatis sinum, *paradysus* dicta est *cum fructu pomorum* (*Cant. iv, 13*). Sed hoc figurate dictum est, tanquam illo paradiso, ubi proprie fuit Adam, Ecclesia significata sit per formam futuri. Quanquam diligentius considerantibus fortassis occurrat illo paradiso corporali, in quo Adam corporaliter fuit, et istam vitam sanctorum significatam, quæ nunc agitur in Ecclesia, et illam quæ post hanc erit in æternum: sicut Jerusalem, quæ interpretatur Visio pacis, et tamen quædam terrena civitas demonstratur, significat Jerusalem matrem nostram æternam in cælis, sive in iis qui spe salvi facti sunt, et quod non vident sperantes per patientiam expectant (*Rom. viii, 24, 25*), secundum quos multi alii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum (*Galat. iv, 26, 27*); sive in ipsis Angelis sanctis per Ecclesiam multiformis sapientiæ Dei (*Ephes. iii, 10*), cum quibus post hanc peregrinationem sine labore et sine fine vivendum est.

CAPUT XXIX. — *An ut plures cæli, ita in spiritali et intellectuali visione plures gradus.*

57. Si autem sic accipimus tertium cælum quo Apostolus raptus est, ut quartum etiam, et aliquot ultra superius cælos esse credamus, infra quos est hoc tertium cælum, sicut eos alii septem, alii octo, alii novem vel etiam decem perhibent, et in ipso quo quod dicitur firmamentum, multos graduum esse

confirmant; ac per hoc corporeus esse vel ratiocinantur vel opinantur, de quorum ratione sive opinione nunc disserere longum est: potest etiam<sup>1</sup> fieri, ut etiam in spiritualibus vel intellectualibus multos quosdam gradus quisquam esse contendant, aut si possit ostendat, eosque distinctos juxta aliquem provectum magis minusve illustrium revelationum. Sed utcumque se ista habeant, et accipiantur ut libet, ab alio sic, ab alio autem sic; ego visorum vel visionum præter ista tria genera, aut corpore, aut spiritu, aut mente, usque adhuc vel nosse vel docere non possum. Sed quot et quantæ singulorum generum sint differentiarum, ut in unoquoque aliud alio gradatim superferatur, ignorare me fateor.

CAPUT XXX. — *In spirituali genere visionis alia visa quasi divina, alia humana.*

58. Sicut autem in ista luce corporea est cælum, quod super terras suspicimus, unde luminaria clarent et sidera, quæ corpora longe sunt meliora terrestribus: sic in illo genere spirituali, in quo videntur corporum similitudines luce quadam incorporali ac sua, sunt quædam excellentia et merito divina, quæ demonstrant Angeli miris modis; utrum visa sua facili quadam et præpotenti junctione vel commixtione etiam nostra esse facientes, an scientes nescio quomodo nostram in spiritu nostro informare visionem, difficili perceptu, et difficili dictu res est. Sunt autem alia visa usitata et humana, quæ sive ex ipso spiritu nostro multipliciter existunt, sive ex corpore spiritui quodammodo suggeruntur, sicut fuerimus affecti vel carne vel animo. Non solum enim vigilantes homines curas suas cogitando versant in similitudinibus corporum, verum etiam dormientes hoc sæpe somniant, quo indigent: nam et negotia sua gerunt ex animi cupiditate, et epulis poculisque inhiantes insistunt, si forte esurientes sitientesque dormierunt. Quæ omnia puto comparata illis angelicis demonstrationibus sic habenda, ac si in ista natura corporum terrena celestibus comparentur.

CAPUT XXXI. — *In intellectuali visione alia sunt quæ in anima videntur, aliud lumen quo ipsa illustratur. Lumen animæ Deus.*

59. Sic etiam in illo genere intellectualium visorum alia sunt, quæ in ipsa anima videntur, velut virtutes quibus vitia sunt contraria; sive permansuræ, ut pietas; sive utiles huic vitæ, et postea non futuræ, sicut fides qua credimus ea quæ nondum videmus, et spes qua futura cum patientia exspectamus, et ipsa patientia qua omnia toleramus adversa, donec quo volumus veniamus. Istæ quippe et hujusmodi virtutes, quæ nunc propter transigendam istam peregrinationem valde necessariæ sunt; non erunt in illa vita, propter quam adipiscendam sunt necessariæ: et tamen etiam ipsæ intellectualiter videntur; neque enim aut corpora sunt, aut species habent similes corporum. Aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo veraciter intellecta conspiciat: nam illud jam ipse Deus est, hæc autem

<sup>1</sup> In Er. Lugd. Ven. Lov. autem. M.

creatura, quamvis rationalis et intellectualis ad ejus imaginem facta, quæ cum conatur lumen illud intueri, palpitat infirmitate, et minus valet. Inde est tamen quidquid intelligit sicut valet. Cum ergo illuc rapitur, et a carnalibus abstracta sensibus, illi visioni expressius præsentatur non spatiis localibus, sed modo quodam suo, etiam supra se videt illud, quo adjuncta videt quidquid etiam in se intelligendo videt.

CAPUT XXXII. — *Anima corpore exuta quo feratur.*

60. Si autem quaeritur, cum anima de corpore exierit, utrum ad aliqua loca corporalia feratur, an ad incorporalia corporalibus similia, an vero nec ad ipsa, sed ad illud quod et corporibus et similitudinibus corporum est excellentius; cito quidem responderim, ad corporalia loca eam vel non ferri nisi cum aliquo corpore, vel non localiter ferri. Jam utrum habeat aliquod corpus, cum de hoc corpore exierit, ostendat qui potest; ego autem non puto: spiritualem enim arbitror esse, non corporalem<sup>1</sup>. Ad spiritualia vero pro meritis fertur, aut ad loca pœnalis similia corporibus: qualia sæpe demonstrata sunt iis qui rapti sunt a corporis sensibus, et mortuis similes jacuerunt, et infernales pœnas viderunt, cum et ipsi in seipsis gererent quamdam similitudinem corporis sui, per quam possent ad illa ferri, et talia similitudinibus sensuum experiri. Neque enim video cur habeat anima similitudinem corporis sui, cum, jacente sine sensu ipso corpore, nondum tamen penitus mortuo, videt talia, qualia multi ex illa subductione vivis redditi narraverunt; et non habeat, cum perfecta morte penitus de corpore exierit. Aut ergo ad illa fertur pœnalis, aut ad illa itidem similia corporalibus, nec tamen pœnarum, sed quietis atque gaudiorum.

61. Neque enim recte dici potest, vel illas falsas esse pœnas, vel illam falsam requiem atque lætitiã: tunc enim hæc falsa sunt, quando per opinionis errorem alia pro aliis putantur. Nam Petrus non solum cum discum illum videbat, et in eo non similitudines corporum, sed corpora putabat (*Act. x, 11, 12*), in hoc utique fallabatur; verum etiam cum alio tempore ab angelo solutus e vinculis ibat in corpore ambulans, et præsentatus corporalibus formis, et putabat se visum videre (*Id. xii, 7-9*), nihilominus fallabatur. Nam et illæ in disco erant spirituales formæ corporalibus similes; et ista corporalis expressio soluti de vinculis, propter miraculum spirituali similis erat. Fallabatur autem anima in utrisque, non nisi cum alia pro aliis approbaret. Quamvis ergo non sint corporalia, sed similia corporalibus, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, seu bene seu male, cum et ipsæ corporibus suis similes sibimet appareant; sunt tamen et vera lætitiã et vera molestia facta de substantia spirituali. Nam et in somnis magni interest utrum in lætis an in tristibus simus. Unde quidam in rebus quas concupiverant constituti, se evigilasse do-

<sup>1</sup> Mss. aliquot optimæ notæ carent his verbis, *spiritualem enim arbitror esse, non corporalem*, quæ rursus habentur in fine n. 61, quo forte ex loco huc translata sunt: nam et in pluribus Mss. insignis hic transpositio versuum tere 50, commissa est.



laerant; et rursus gravibus terroribus atque cruciatibus exagitati atque vexati, cum expergefacti essent, dormire timebant, ne in eadem mala revocarentur. Et utique dubitandum non est quod expressiora sint illa quæ inferna dicuntur, atque ob hoc vehementius sentiantur. Nam et qui subtracti sunt sensibus corporis, minus quidem quam si omni modo morerentur, sed tamen amplius quam si dormirent, expressiora se vidisse narraverunt, quam si somnia narravissent. Est ergo prorsus inferorum substantia, sed eam spirituales arbitror esse, non corporalem.

CAPUT XXXIII.— *De inferis questio. Animam esse incorpoream Sinus Abraham.*

62. Nec audiendis sunt, qui affirmant inferos in hac vita explicari, nec esse post mortem. Viderint enim quemadmodum poetica signa interpretentur; nos ab auctoritate divinarum Scripturarum, quibus solis de hac re fides habenda est, recedere non debemus. Quanquam possimus ostendere, illorum quoque sapientes de inferorum substantia minime dubitasse, quæ post hanc vitam excipit animas mortuorum. Unde autem sub terris esse dicantur inferi, si corporalia loca non sunt, aut unde inferi appellentur, si sub terris non sunt, merito queritur (a). Animam vero non esse corpoream non me putare, sed plane scire, audio profiteri: tamen habere posse similitudinem corporis et corporalium omnium membrorum quisquis negat, potest negare animam esse, quæ in somnis videt vel se ambulare, vel sedere, vel hac atque illac gressu aut etiam volatu ferri ac referri, quod sine quadam similitudine corporis non fit. Proinde si hanc similitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem, sed corpori similem; ita etiam in locis videtur esse non corporalibus, sed corporalium similibus, sive in requie, sive in doloribus.

63. Quanquam et illud me nondum invenisse confiteor, inferos appellatos, ubi iustorum animæ requiescunt. Et Christi quidem animam venisse usque ad ea loca in quibus peccatores cruciantur, ut eos solveret a tormentis quos esse solvendo occulta nobis sua iustitia iudicabat, non immerito creditur. Quomodo enim aliter accipiendam sit quod dictum est, *Quem Deus suscitavit ex mortuis, solutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis* (Act. II, 24), non video nisi ut quorundam dolores apud inferos eum solvisse accipiamus, ea potestate qua Dominus est, cui omne genua flectitur, caelestium, terrestrium, et infernorum (Philipp. II, 10), per quam potestatem etiam illis doloribus, quos solvit, non potuit attingi. Neque enim Abraham, vel ille pauper in sinu ejus, hoc est in secreto quietis ejus, in doloribus erat, inter quorum requiem et illa inferni tormenta<sup>1</sup> legimus magnum chaos<sup>2</sup> firmatum: sed nec apud inferos esse dicti sunt. *Contigit enim, inquit, mori inopem illum, et auferri ab Angelis in sinum Abraham: mortuus est autem et dives, et sepultus est; et*

*cum apud inferos in tormentis esset* (Luc. XVI, 22-26), et cætera. Videmus itaque inferorum mentionem non esse factam in requie pauperis, sed in supplicio divitis.

64. Illud etiam quod Jacob dicit ad filios suos, *Deducetis senectam meam cum tristitia ad inferos* (Gen. XLIV, 29), videtur hoc magis timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur, ut non ad requiem beatorum iret, sed ad inferos peccatorum. Neque enim parvum animæ malum est tristitia, cum et Apostolus eundem tam sollicitè timuerit, ne majore tristitia absorberetur (II Cor. II, 7). Proinde, ut dixi, nondum inveni, et adhuc quero, nec mihi occurrit inferos alicubi in bono posuisse Scripturam duntaxat canonicam: non autem in bono accipiendum sinum Abraham, et illam requiem quo ab Angelis pius pauper ablati est, nescio utrum quisquam possit audire; et ideo quomodo eam<sup>3</sup> apud inferos credamus esse, non video. CAPUT XXXIV.— *De Paradiso et tertio cælo quo raptus est Paulus.*

65. Verum hoc dum quarimus, et aut invenimus, aut non invenimus, urget nos longitudo libri hujus cum aliquando concludere. Quapropter quoniam de paradiso sermonem instituimus, propter illud quod Apostolus ait, scire se raptum hominem usque in tertium cælum, nescire autem sive in corpore sive extra corpus, et quia raptus est in paradysum, et audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui; non temere affirmamus, utrum in tertio cælo sit paradysus, an etiam in tertium cælum, et inde rursus in paradysum raptus sit. Si enim proprie quidem nemorosus locus, translato autem verbo, omnis etiam spiritualis quasi regio, ubi animæ bene est, merito paradysus dici potest; non solum tertium cælum, quicquid illud est, quod profecto magnum sublimiterque præclarum est, verum etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientie paradysus est. Unde et Ecclesia in sanctis temperanter et juste et pie viventibus paradysus recte dicitur (Eccli. XL, 28), pollens affluentia gratiarum, castisque deliciis: quandoquidem et in tribulationibus gloriatur de ipsa patientia plurimum gaudens, quia secundum multitudinem dolorum in corde consolationes Dei jucundant animam ejus (Psal. XCIII, 19). Quanto magis ergo post hanc vitam etiam sinus ille Abraham paradysus dici potest, ubi jam nulla tentatio, ubi tanta requies post omnes dolores vite hujus? Neque enim et lux ibi non est propria quædam et sui generis, et profecto magna, quam dives ille de tormentis et tenebris inferorum, tam utique de longinquo, cum magnum chasma esset in medio, sic tamen vidit, ut ibi illum quondam contemptum pauperem agnosceret.

66. Quæ si ita sunt, ideo sub terris dicuntur inferi vel creduntur, quia congruenter in spiritu per illas corporalium rerum similitudines sic demonstrantur, ut quoniam defunctorum animæ inferis dignæ, carnis amore peccaverunt, hoc eis per illas corporalium similitudines exhibeatur, quod ipsi carni mortuæ solet,

<sup>1</sup> Mas. magno consensu: *Et illa inferna tormenta.*

<sup>2</sup> Mas. plerique, *chasma.*

(a) II Retract. c. 24, n. 2.

<sup>3</sup> Pålmi, emm. At omnes nostri Mas., emm, quod ad requiem refertur.

ut sub terram recondatur. Denique inferi eo quod infra sint, latine appellantur: sicut autem secundum corpus si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora; ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora: unde et in græca lingua origo nominis quo appellantur inferi, ex eo quod nihil suave habeant, resonare perhibetur. Nec ipsam tamen rerum partem noster Salvator mortuus pro nobis visitare contempsit, ut inde solveret quos esse solvandos secundum divinam secretamque justitiam ignorare non potuit. Quapropter animæ illius latronis cui dixit, *Hodie mecum eris in paradiso* (Luc. xiii, 43), non utique inferos præstitit, ubi pœnæ sunt peccatorum: sed aut illam requiem sinus Abraham; non enim alicubi non est Christus, cum ipse sit Sapiencia Dei attingens ubique propter suam munditiam (Sap. vii, 24); aut illum paradysum, sive in tertio cælo, sive ubicumque alibi est, quo post tertium cælum est raptus Apostolus: si tamen non aliquid unum est diversis nominibus appellatum, ubi sunt animæ beatorum.

67. Si ergo cælum primum recte accipimus hoc omne corporeum generali nomine quidquid est super aquas et terram; secundum autem, in similitudine corporali quod spiritu cernitur, sicut illud unde animalibus plenus in epistola Petro discus ille submissus est (Act. x, 10-12); tertium vero, quod mente conspicitur ita secreta et remota et omnino abrepta a sensibus carnis atque mundata, ut ea quæ in illo cælo sunt, et ipsam Dei substantiam, Verbumque Deum per quod facta sunt omnia, in charitate Spiritus sancti ineffabiliter valeat videre et audire: non incongruenter arbitramur, et illum esse Apostolum raptum (1 Cor. xii, 2-4), et ibi fortassis esse paradysum omnibus meliorem, et si dici oportet, paradysum paradysorum. Si enim animæ bonæ lætitia in rebus bonis est in omni creatura, quid ea lætitia præstantius quæ in Verbo Dei est per quod facta sunt omnia?

CAPUT XXXV. — *Resurrectio corporum ad perfectam beatitudinem animæ cur sit necessaria.*

68. Sed si quem movet, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si potest eis etiam sine corporibus summa illa beatitudo præberi; difficilior quidem questio est, quam ut perfecte possit hoc sermone finire: sed tamen minime dubitandum est, et raptam hominis a carnis sensibus mentem, et post mortem ipsa carne deposita, transcendens etiam similitudinibus corporalium, non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti Angeli vident; sive alia latentiore causa, sive ideo quia iust ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi; quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illud summum cælum, quamdiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat. Porro autem si tale sit corpus, cuius sit difficilis et gravis administratio, sicut hæc caro quæ corrumpitur, et aggravat animam (Sap. ix, 15), de propagine transgressionis existens, multo magis avertitur mens ab illa visione summi cæli: unde necessario abripienda erat ab ejusdem carnis sensibus,

ut ei, quomodo capere posset, illud ostenderetur. Proinde cum hoc corpus jam non animale, sed per futuram commutationem spirituale receperit Angelis coæquata, perfectum habebit naturæ suæ modum, obediens et imperans, vivificata et vivificans, tam ineffabili facilitate, ut sit ei gloriæ quod sarcinæ fuit. CAPUT XXXVI. — *Tria visionum genera quomodo erunt in beatis.*

69. Nimirum enim erunt et tunc ista tria genera visionum, sed nulla falsitate aliud pro alio approbabitur, nec in corporalibus, nec in spiritualibus visis; multo minus in intellectualibus, quibus ita presentatis et perspicuis perfruetur<sup>1</sup> ut longe minore evidentia nunc nobis adiaceant istæ species corporales, quas sensu carnis attingimus, et eis multi ita sunt dediti, ut solas esse arbitrentur, et quidquid tale non est, putent omnino non esse. Sapientes autem ita sunt in his corporalibus visis, ut quamvis ea præsentiora videantur, certiores sint tamen in illis quæ præter corporis speciem præterque corporis similitudinem intelligendo utcumque perspiciunt; quamvis ea non valeant ita mente conspicerere, ut hæc sensu corporis intuentur. Sancti vero Angeli et his corporalibus judicandis atque administrandis præsent, nec eis tanquam presentioribus familiariter inclinantur; et eorum significativas similitudines in spiritu ita discernunt, et tanta potentia quodammodo tractant, ut eas possint etiam hominum spiritibus revelando miscere; et illam incommutabilem substantiam Creatoris ita conspiciunt, ut visione atque amore et eam præponant omnibus, et secundum eam judicent de omnibus, et in eam dirigantur ut agant, et ex ea dirigant quidquid agunt. Denique quamvis abrepto Apostolo a carnis sensibus in tertium cælum et paradysum, hoc ipsum certe defuit ad plenam perfectamque cognitionem rerum, quæ Angelis inest, quod sive in corpore sive extra corpus esset, nesciebat. Hoc utique non deerit, cum receptis corporibus in resurrectione mortuorum corruptibile hoc induetur in incorruptione, et mortale hoc induetur immortalitate (1 Cor. xv, 53). Omnia enim evidentia erunt sine ulla falsitate, sine ulla ignorantia, suis ordinibus distributa et corporalia et spiritualia et intellectualia, in natura integra et beatitate perfecta.

CAPUT XXXVII. — *Sententia quorundam de tertio cælo.*

70. Scio quidem nonnullos eorum qui Scripturas sanctas ante nos in fide catholica tractasse laudantur, etiam sic exposuisse quod ait Apostolus, tertium cælum, ut corporalis et animalis et spiritualis hominis hic differentias accipi vellent, atque ad illud incorporearum rerum genus excellenti evidentia contemplandum esse Apostolum raptum: quod genus etiam in hac vita spirituales homines præ cæteris rebus diligunt, eoque perfrui concupiscunt. Ego autem cur maluerim spirituale et intellectuale dicere, quod illi fortasse animale et spirituale dixerunt, ut earumdem rerum alia tantummodo nomina ponerem, jam in primis hujus libri partibus me diservisse suffecerit. Quæ si rite

<sup>1</sup> Falli, perfructur. At Man. omnes, perfruitur.

pro modo nostro disputavimus, aut spiritualis lector hæc approbabit, aut etiam ut sit spiritualis, adjuvante Spiritu sancto, aliquid ex ista lectione proficiet. Sed

jam universum hoc opus, quod duodecim voluminibus continetur, isto tandem fine concludimus.

## DE SUBSEQUENTI LOCUTIONUM OPERE.



LIBRI II RETRACTATIONUM CAPUT LIV.

Septem libros de septem libris divinarum Scripturarum, id est Moysi quinque, et uno Jesu Nave, et altero Jedicum feci, notatis locutionibus singulorum quæ minus usitatæ sunt linguæ nostræ: quas parum advertendo sensum quærant, qui legunt, divinarum eloquiorum, cum sit locutionis genus, et nonnunquam exsculpunt aliquid quod a veritate quidem non abhorreat; non tamen id sensisse auctor a quo hoc scriptum est invenitur, sed genere locutionis hoc dixisse credibilis apparet. Multa autem in Scripturis sanctis obscura, cognito locutionis genere dilucescunt. Propter quod cognoscenda sunt eadem genera locutionum ubi sententiæ patent; ut etiam ubi latent cognitio ipsa succurrat, easque intentioni legentis aperiat. Hujus operis titulus est, Locutiones de Genesi; atque ita de singulis libris. Quod autem in libro primo posui scriptum esse: *Et fecit Noe omnia verba quæcumque præcepit illi Dominus, sic fecit (Locut. in Gen. vi, 22)*, eamque locutionem dixi esse similem ei, quod in conditione creaturæ posteaquam dicitur, *Et sic est factum*, additur, *et fecit Deus (Gen. 1)*; non omni modo simile hoc eidem mihi videtur. Denique ibi etiam sensus latet; hic sola locutio est. Hoc opus sic incipit: *Locutiones Scripturarum.*

# S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

In Heptateuchum

## LOCUTIONUM

### LIBRI SEPTEM <sup>(a)</sup>.



## LIBER PRIMUS.

Locutiones de Genesi.



Locutiones Scripturarum, quæ videntur secundum proprietates, quæ idiomata græcæ vocantur, linguæ hebraicæ vel græcæ.

[GEN. cap. 1, § 14.] *Et dividant inter medium diei, et inter medium noctis.*

[Ib. 20, 26.] *Volatilia volantia super terram secundum firmamentum caeli.* Queritur quomodo accipiendum sit, secundum firmamentum. Sic etiam, *Faciamus hominem secundum imaginem et secundum similitudinem*: quod multi latini codices habent, *ad imaginem et similitudinem.*

[Ib. 28.] *Implete terram, et dominamini ejus*: latini enim locutio est, *Dominamini ei.*

[Ib. 11, 5.] *Et homo non erat operari terram*: quod latini codices habent, *qui operaretur terram.*

[Ib. 8.] *Plantavit Deus paradysum secundum orientem*: quod latini habent, *ad orientem.*

[Ib. 9.] Quod habent multi latini codices, *Et lignum sciendi bonum et malum*, vel, *lignum scientiæ boni et mali*, vel, *lignum sciendi boni et mali*; et si quæ sunt aliæ varietates de hac re interpretum, græcus habet, *et lignum ad sciendum cognoscibile boni et mali*: quod

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Castigati sunt de novo (hi septem libri) ad BSS. Victorinos duos, ad Vaticanum, Sorbonicum, Cisterciensem, Boccense, Michaelinum, PP. Bernardinorum collegii Parisiensis unum, ad Corbeisensem vetustissimum et optimæ notæ, ad variantes Lovaniensium lectiones ex quatuor Belgicis: et demum ad editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., t. 1, memoratas. M.

(a) Hoc opus ad annum circiter 419 referre idcirco visum est, quia in Retractationibus locum habet proximum post libros de Nuptiis et Concupiscentiis, quos eo fere tempore scriptos fuisse liquet.

nescio utrum locutionis sit, et non magis certam sententiam aliquem insinuet.

[Ib. 16.] Quod habent latini codices, *Ex omni ligno quod est in paradiso, escæ edes*: non, in paradiso *escæ*, distinguendum est; sed, *escæ edes*: nam *esca edes* dici admittit latina locutio, quoniam pro dativo casu græco, ablativum vel quem appellant septimum, in huiusmodi locutionibus solent ponere. Aut certe ordo verborum est, *Ex omni ligno escæ*.

[Ib. III, 1.] *Serpens erat prudentissimus omnium bestiarum*, quod multi latini habent; in græco scriptum est *πρωτόσοφος*<sup>1</sup>, non *σοφώτατος*.

[Ib. 7.] Quod scriptum est de Adam et Eva, *Aperti sunt oculi eorum*; cum absurde credatur eos in paradiso æceos, vel oculis clausis prius oberrasse, locutionis est, qua etiam de Agar scriptum est, *Apertis oculos suos, et vidit puteum* (*Gen. XXI, 19*); neque enim clausis prius oculis sedebat: et quod in fractione panis aperti sunt oculi eorum qui cognoverunt Dominum post resurrectionem (*Luc. XXIV, 31*); neque enim per viam cum illo clausis oculis ambulabant.

[Ib. 15.] Quod habent multi codices, *Ininicitiam ponam inter te et mulierem*; græci habent, *in medio tui et in medio mulieris*: quod locutionis est; nam tantumdem valet quantum cum dicitur, *inter te et mulierem*: hoc et in eo quod sequitur, *in medio seminis tui, et in medio seminis ejus*.

[Ib. 17.] Quod habent multi latini codices, *Quia audisti vocem mulieris tuæ, et edisti de ligno de quo præceperam tibi, de eo solo non edere*; græci habent, *edisti de ligno de quo præceperam tibi, eo solo non edere ex eo*: alii autem interpretes græci habeant, *manducasti, vel edisti*; ut ita sit sensus secundum ipsos, *Quia audisti vocem mulieris tuæ, et edisti de ligno de quo præceperam tibi eo solo non edere, ex eo edisti*.

[Ib. IV, 2.] *Et apposuit parere fratrem ejus Abel*: locutio est frequens in Scripturis, *apposuit dicere*.

[Ib. 8.] *Et factum est, dum essent in campo, insurrexit Cain super Abel, et occidit eum*: locutio est; nam etsi non haberet, *Et factum est*, posset integer sensus esse, *et cum essent in campo*.

[Ib. VI, 6.] Quod scriptum est in quibusdam latinis codicibus, *Et penituit, et dixit Deus, Deleam hominem, quem feci a facie terræ*; in græco invenitur *δυσόθη*, quod magis *recogitavit*, quam *penituit*, significare perhibetur: quod verbum etiam nonnulli latini codices habent.

[Ib. 14.] Quod habent latini codices plurimi, *Nidos facies in arcam*; cum latina locutio sit non in arcam, sed in arca: græci nec in arcam, nec in arca habent; sed, *Nidos facies arcam*; quod intelligitur, ut ipsa arca nidus essent.

[Ib. 16.] Quod habent plerique codices, *Facies ostium arcæ a latere*; nonnulli habent, *ex transverso*: sic enim voluerunt interpretari quod græce dicitur, *ἐκ πλαγίων*.

[Ib. VII, 4.] Quod scriptum est, *Adhuc enim septem dies, ego inducam diluvium aquæ super terram*, quod

<sup>1</sup> Omnes Mss., *scriptum est, σοφώτατος*.

nonnulli latini codices habent, in græco invenitur, *ego inducam pluviam super terram*: græca locutio genitivum casum habet, non accusativum, ut si hoc in latinum exprimamus, ita dicatur, *Adhuc enim septem dierum inducam pluviam super terram*.

[Ib. 5.] Quod scriptum est, *Et fecit Noe omnia quæcumque præcepit illi Dominus Deus, sic fecit*, locutio est similis ei quod in conditione creaturæ posteaquam dicitur, *Et sic est factum*, additur, *Et fecit Deus*.

[Ib. 4.] Quod scriptum est, *Delebo omnem suscitationem*, non creationem dictam notandum est: *ἀνάστασις* enim græce scriptum est, quod nomen etiam resurrectionis assidue ponitur in scripturis græcis, cum posset *ἐκανάστασις* dici, ut suscitatio sit *ἀνάστασις*, resurrectio *ἐκανάστασις*. Quo verbo et Apostolus usus est, *Si quo modo occurram in resurrectionem mortuorum* (*Philipp. III, 11*): ibi enim Græci non *ἀνάστασις*, sed *ἐκανάστασις* habent.

[Ib. 14.] Quod scriptum est, *Et omnes bestię secundum genus, et omnia pecora secundum genus, et omne repens quod movetur super terram secundum genus, et omne volatile secundum genus intrarunt ad Noe in arcam, bina ab omni carne in quo est spiritus vitæ*; non refertur in quo, nisi genus subaudias, id est, in quo genero: nam si carne subaudiremus, in qua fuerat dicendum; quod solus interpretes Symmachus dixit.

[Ib. 23.] Quod iterum scriptum est, *Et deleta est omnis suscitatio, notandum locutionis esse, pro eo ac si diceret, conditionem vel creaturam carnis. Cum dixisset, Et deleta est omnis suscitatio quæ erat super faciem omnis terræ, ab homine usque ad pecudem<sup>1</sup> et reptantem et volatiliam cæli, deinde addidit, Et deleta sunt de terra*; locutionem illam esse repetitionis, qua familiariter utitur<sup>2</sup> Scriptura, notandum est.

[Ib. VII, 6, 7.] Quod scriptum est, *Dimisit corvum videre si cessavit aqua, et exiens reversus non est, donec siccavit aqua a terra*, locutio est usitata in Scripturis, quæ jam nunc incipiat adverti: non enim postea reversus est, quia dictum est non reversum donec siccavit aqua.

[Ib. 9.] Quod scriptum est, *Et extendit manum suam, accepit eam, et induxit eam ad semetipsum in arcam*, locutio est, quam propterea hebræam puto, quia et punice lingue familiarissima est, in qua multa invenimus hebræis verbis consonantia: nam utique sufficeret, *Et extendit manum*, etsi non adkeret, *suam*. Tale est etiam quod paulo post dicit, *Habebat olivæ folia, surculum in ore suo*.

[Ib. 12.] *Et non apposuit reverti ad eum amplius*: locutio est familiarissima in Scripturis.

[Ib. 21.] Quod scriptum est, *Et non adjiciam adhuc maledicere super terram, simile est superiori, Et non apposuit reverti ad eum*.

[Ib. 21.] *Et non adjiciam percutere omnem carnem vivam*: ipsa locutio est.

[Ib. IX, 5.] *Etenim sanguinem vestrum animarum ve-*

<sup>1</sup> Editi, *pecudum*. At Mss., *pecudem*: juxta græc. *ἰχθῆ, ἐκὸς ἰχθῆνος*.

<sup>2</sup> Sequitur Lugd. Ven. Lov. B. habent, *utatur*. M

stratum; cum sufficeret aut sanguinem vestrum, aut sanguinem animurum vestrarum.

[Ib. 12.] Hoc signum testamenti quod ego ponam inter medium meum et vestrum; quod est, inter me et vos.

[Ib. x, 9.] Hic erat gigas<sup>1</sup> venator contra Dominum Deum; incertum est utrum possit accipi, coram Domino Deo; quia et sic solet intelligi quod græce dicitur, *εὐκρυβος*.

[Ib. 14.] Unde exiit inde Philistiim; cum sufficeret, Unde exiit Philistiim.

[Ib. xi, 1.] Et erat omnis terra labium unum; quod usitate nos dicimus, lingua una. Et erat omnis terra labium unum; notandum, omnem terram appellatam omnes homines qui tunc erant, quamvis nondum in omni terra.

[Ib. 3.] Et facti sunt illis lateres pro lapide: græcus habet, Et facti sunt illis lateres in lapidem; quod si latine diceretur, locutio minus intelligeretur.

[Ib. 4.] Venite, ædificemus nobis civitatem et turrim, cuius caput erit usque ad cælum; secundum hyperbolen fictum est, si locutionis genus hic accipiendum est: si autem, usque ad cælum, proprie dictum accipitur, inter quæstiones consideretur.

[Ib. 10.] Quod quidam latini codices habent, Sem filius Noe erat annorum centum cum genuit Arphaxad; græci habent, Sem filius centum annorum cum genuit Arphaxad: ubi ellipsis est, quia deest erat. Sed quod non habent filius Noe, sed filius tantum, nova locutio est.

[Ib. 30.] Et erat Sara sterilis, et non generabat; cum posset sufficere, Et erat Sara sterilis.

[Ib. xii, 12.] Erit ergo cum te viderint Ægyptii, dicent, Quia uxor illius hæc: genere locutionis adjunctum est, Quia; nam sufficere potuit, uxor illius hæc.

[Ib. 14.] Quod ait Scriptura, Factum est autem statim ut intravit Abram in Ægyptum; sufficeret, Statim autem ut intravit Abram in Ægyptum.

[Ib. 18.] Quid hoc fecisti mihi, quia non annuntiasti mihi quia uxor tua est? cum sufficeret, non annuntiasti. Et ipsum, annuntiasti, more Scripturarum dictum est; nam latini habent plerique, non dixisti.

[Ib. xiii, 1.] Ascendit autem Abram de Ægypto, ipse et uxor ejus et omnia ejus, et Loth cum eo in desertum; subauditur, ascenderunt: nec tamen proprie dicitur ascendisse cum eo quod habebat exanime, sicut aurum et argentum et omnis supellex; ac per hoc intelligitur hic locutio, quæ vocatur græce *ζεύγμα καὶ ἀξίθηρα*.

[Ib. 7.] Et facta est rixa inter medium pastorum pecorum Abram et pecorum Loth: unde latini codices bene omnes non transtulerunt istam locutionem, sed ita loquuntur ut consuetudo nostra habet, et nobis deinceps eam notare non placuit; ipsa est enim per omnia in græca scriptura, ubi tale aliquid dicitur.

[Ib. 8.] Quoniam homines fratres nos sumus, Abram dixit ad Loth: unde intelligitur morem esse Scripturæ ita loqui, ut fratres appellentur unius cognationis,

<sup>1</sup> In antiquis codicibus constanter, *gigans*

etiamsi gradu sanguinis differant, ut alter sit in superiore, alter in inferiore, sicut hoc loco; nam patruus ejus<sup>1</sup> erat Abram.

[Ib. xiv, 1.] Factum est autem in regno Amarrhai regis Sennaar; secundum nostræ locutionis consuetudinem sic incipere sufficeret, in regno autem Amarrhai: ergo quod ait Scriptura, Factum est autem, more suo locuta est.

[Ib. 5.] Quarto decimo autem anno Chodollogomor et reges qui cum eo; subauditur, erant: unde a quibusdam latinis etiam additum est.

[Ib. 6.] Et Chorræos qui in montibus Seir; subauditur, erant.

[Ib. 13.] Adveniens autem eorum qui evaserunt quidam, nuntiavit Abram transfluviali, ipse autem habitabat ad quercum Mambre, Amorrhis fratris Eschol, et fratris Aunan; qui erant conjurati Abram; obscurum hyperbaton: ordo est enim, Adveniens eorum qui evaserunt quidam Amorrhis fratris Eschol et fratris Aunan, qui erant conjurati, nuntiavit Abram transfluviali; ipso autem habitabat ad quercum. Hoc hyperbaton obscurius sit etiam per ellipsin: cum enim dictum esset, quidam Amorrhis fratris Aunan; non dictum est, quid fratris, sed intelligitur, filius: sicut cum dicitur Jacobus Alpei, quamvis non dicatur filius, nihil aliud intelligitur; et multæ sunt tales locutiones Scripturarum ubi filius tacetur et intelligitur.

[Ib. 22.] Quod habent quidam latini codices, Et dixit Abram ad regem Sodomorum, Extendo manum meam ad Deum altissimum, qui creavit cælum et terram, si a sparto usque ad corrigiam calcementi; sefellit interpretationem, quod græcus habet *εκαρπτον*, quod latine filium intelligitur, ut ista Scripturarum locutio sit, Extendo manum meam ad Deum altissimum, qui creavit cælum et terram, si accipiam de omnibus tuis: si enim pro eo dixit, Extendo manum meam ad Deum altissimum, ac si diceret, juro, non est in latino usitata locutio, nisi ita dicatur, Extendo manum meam ad Deum altissimum, me non accipero de omnibus tuis.

[Ib. xv, 13.] Sciendo scies quia peregrinum erit sementium in terra: locutio quidem Scripturarum est usitatissima; sed græci habent, *Sciens scies*, quod penitentiam est.

[Ib. xvi, 3.] Et dedit eam Abram viro suo ipsi uxorem plus habet, ipsi.

[Ib. 4.] Cum autem vidit se conceptum habere, spreta sum coram illa: græci habent hoc loco participium, quod latina lingua non habet, hoc est *ιδούσα*: sed tanquam si diceretur, Videns autem se conceptum habere, spreta sum coram illa; quasi solæcismus sonat: sic etiam per illud participium quod dictum est, *ιδούσα*, pro quo nos dicimus, Videns.

[Ib. xvii, 6.] Quod latini habent, Augeam te nimis valde; græci habent, *valde valde*.

[Ib. 8.] Et dabo tibi et semini tuo post te terram in qua habitas, omnem terram Chanaan in possessionem æternam: videndum utrum locutio sit quod dicit, æternam, græci habent *αἰώνιος*: et quod ait, et semini tuo

<sup>1</sup> In editis omissum fuerat, *ejus*: quod ex Corbelena alisque optimæ notæ MSS. restituitur.

post te: ibi enim voluit intelligi quod dixerat, tibi.

[Ib. xvii, 9.] Tu autem testamentum meum conserva-  
bis, et semen tuum post te in progenies suas: conservabis,  
pro, conserva; promissivum pro imperativo modo posuit.

[Ib. 12.] Et puer octo dierum circumcidetur, omne ma-  
sculinum: pro, omnis masculus; quasi posset circum-  
cidi nisi masculus.

[Ib. 17.] Et procidit Abraham in faciem, et dixit in  
animo suo dicens, Si mihi centum annos habenti nasce-  
tur, et si Sara annorum nonaginta pariet? Admirantis  
esse istam locutionem, non dubitantis, dubitandum  
non est.

[Ib. 24.] Abraham autem erat annorum nonaginta no-  
vem cum circumcisus est carnem præputii sui: non dixit,  
Carne; aut, in carne.

[Ib. xviii, 7.] Et in boves accucurrit Abraham: non  
dixit, Ad boves.

[Ib. 11.] Abraham autem et Sara seniores progressi in  
diebus: quod græci habent, progressi dierum.

[Ib. 26.] Dixit autem Dominus, Clamor Sodomorum  
et Gomorrhæ impletus est, et delicta eorum magna valde.  
Clamore Scriptura solet ponere pro tanta impuden-  
tia et libertate iniquitatis, ut nec verecundia, nec ti-  
more abscondatur.

[Ib. 28.] Et dixit, Quia non perdam si invenero ibi  
quadragesima quinque: superfluum videtur, quia, et ideo  
in codicibus nonnullis latinis non legitur.

[Ib. 30.] Numquid, Domine, si loquar: subauditur,  
irasceris, aut aliquid huiusmodi.

[Ib. xix, 29.] Cum everteret Dominus civitates, in qui-  
bus habitabat in eis<sup>1</sup>.

[Ib. xx, 15.] In omni loco ubi intraverimus ibi.

[Ib. xx, 19.] Et aperuit Deus oculos ejus, et vidit pu-  
teum aquæ vivæ: locutio est, non enim clausis oculis  
erat; unde jam in principio libri locuti sumus, ubi  
scriptum est, Et aperti sunt oculi eorum.

[Ib. 23.] Et terra quam inhabitasti in ea.

[Ib. 27.] Et disposuerunt ambo testamentum, vel testati  
sunt ambo: amat Scriptura testamenti nomine pactum  
appellare.

[Ib. xxii, 2.] Accipe filium tuum dilectum: illa locu-  
tione dictum est, Accipe, qua etiam ad Agar de filio  
ejus.

[Ib. 4.] Et respiciens Abraham oculis; cum sufficeret,  
respiciens.

[Ib. 16.] Per memetipsum juravi, nisi benedicens bene-  
dicam te: ac si dicret, Per memetipsum juravi quod  
benedicens benedicam te; aut nullo verbo addito sim-  
pliciter, Per memetipsum juravi, benedicens benedi-  
cam te.

[Ib. 17.] Et multiplicans multiplicabo semen tuum;  
cum sufficere posset, multiplicabo.

[Ib. 20.] Et nuntiatum est Abraham, dicentes; cum con-  
suetudo loquendi habeat, Nuntiaverunt Abraham di-  
centes, aut, nuntiatum est a dicentibus.

[Ib. xxiii, 3, 4.] Et surrexit Abraham a mortuo suo:  
non dixit, a mortua sua. Et iterum de eadem: Et se-

<sup>1</sup> Fecit, habitabant in eis. Mss. vero, habitabat: scilicet  
colli, juxta græcum.

peliam, inquit, mortuum meum: quod non neutro quasi  
corpus mortuum, sed masculino genere dictum græca  
scriptura demonstrat.

[Ib. xxiv, 3.] Et adjurabo te per Dominum Deum cæli  
et Deum terræ: græci non habent, per, sed, adjurabo  
Dominum Deum cæli.

[Ib. 3.] Cum quibus ego habito in eis.

[Ib. 5.] Ne quando noluerit mulier ire mecum: mu-  
lierem feminam appellare proprium est illius linguæ.

[Ib. 5.] In terram de qua existi inde.

[Ib. 6.] Attende tibi ne revoces filium meum illuc: his  
verbis solet comminatio declarari.

[Ib. 9, 8.] Et posuit puer manum suam sub femore  
Abraham, et juravit ei de verbo hoc: ergo locutio est  
qua dixerat Abraham, adjuro te, ac si dixisset, jura  
mihi; non autem solemus sic loqui, sed observandum  
est utrum sint in Scripturis aliæ similes locutiones:  
nam quod dixit Abraham, Si noluerit mulier venire  
tecum, purus eris a juramento hoc; manifestavit ita se  
dixisse, adjuro te, tanquam diceret, jura mihi.

[Ib. 16.] Quod scriptum est de Rebecca, Virgo au-  
tem erat speciosa valde, virgo erat, vir non cognoverat  
eam, ista repetitio commendationem virginitalis insi-  
nuat. Sed cur additum sit, vir non cognoverat eam,  
nisi locutionis sit, mirum si possit ita accipi ut virgo  
nomen sit ætatis, non integritatis. Græci autem non  
habent, cognoverat, sed cognovit; quod videtur incon-  
sequens.

[Ib. 26.] Adoravit Domino: quod nobis usitatum est  
dicere, Adoravit Dominum.

[Ib. 27.] Quoniam non dereliquit justitiam et veritatem  
a Domino meo: id est justitiam et veritatem quæ est  
a Domino meo, ac si diceret, quam fecit Dominus  
meus.

[Ib. 28.] Et currens puella nuntiavit in domum matris  
sue: quasi non ipsa esset et patris domus.

[Ib. 32.] Et aquam lavare pedibus ipsius, et pedibus  
virorum qui cum eo erant.

[Ib. 40.] Dominus cui placui ante ipsum, ipse mihi et  
angelum suum tecum; quasi non sufficeret, cui placui:  
an poterat ei placere nisi ante ipsum?

[Ib. 42.] Si tu prosperas viam meam, qua ego nunc  
ingredior in eam.

[Ib. 43, 44.] Cum verba sua narraret servus Abra-  
hæ, quæ dixit accessurus ad fontem, ita narravit: Et  
erit virgo cui ego dixero, Da mihi bibere pusillum aquæ  
de hydria tua, et dicit mihi, Et tu bibe, et camelis tuis  
hauriam: hæc mulier est quam paravit Dominus famu-  
lo suo Isaac. Quibus verbis satis evidenter expressum  
est, etiam mulieres appellatas locutione hebraica, quæ  
virgines essent.

[Ib. 48.] Et benedixi Dominum Deum domini mei  
Abraham: honorificentiae locutio est, et familiarissima  
Scripturis, sicut Deus Helizæ.

[Ib. 49.] Renuntiate mihi ut redeam in dextram aut  
sinistram. Per dextram prosperitatem, per sinistram  
adversitatem significavit; id est dextram, si concesser-  
int; sinistram, si non concesserint; nam utique ea  
via rediturus fuerat qua venerat: quam locutionem

Scripturarum etiam cætera earum loca indicabunt; quia dextra nominatur in omnibus bonis, sinistra in malis, sive felicitas et infelicitas, sive justitia et injustitia, et aliquando dextra in æternis, sinistra in temporalibus.

[Ib. xxv, 13.] *Hæc sunt nomina filiorum Ismael secundum nomina generationum eorum*: tanquam dixisset, secundum quæ nomina generationes eorum appellatæ sunt.

[Ib. 20.] *Accepit Rebecam filiam Bathuel Syri de Mesopotamia, sororem Laban Syri, sibi in uxorem*: cum posset dici tantummodo, uxorem; aut, sibi uxorem.

[Ib. 24.] *Et ei erant gemini in utero ejus*; cum posset non addi quod dictum est, *ejus*.

[Ib. 27.] *Creverunt autem juvenes*. Est talis locutio et apud auctores sæculares, sicuti est, *Et scuta latentia condunt* (Virg. *Æneid. lib. 3, v. 237*): id est, condendo latentia faciunt. Sic et hic, *Creverunt juvenes*, cum infantes essent, intelligitur, crescendo facti sunt juvenes.

[Ib. 31.] Jacob ad Esau, *Vende mihi hodie primogenita tua mihi*: sic enim habent codices græci.

[Ib. xxvi, 28.] *Videntes vidimus quia est Dominus tecum*.

[Ib. 28.] *Et disponemus tecum testamentum*: amant Scripturæ pro pacto ponere testamentum, id est διαθήκη. Quod latini habent, *Et disponemus tecum testamentum ne facias nobiscum malum*: tanquam diceretur, ut paciscaris non facere nobiscum malum.

[Ib. xxvii, 1.] *Et vocavit filium suum seniore Esau, et dixit*: hoc loco senioris nomen non significat ætatem gravem, sed ex comparatione majorem.

[Ib. 3.] *Nunc ergo sume vas tuum pharetramque et arcum*: non dixit vasa, sed *vas*: quod autem intelligi voluit, non apparet, nisi forte locutio est, ut vas pharetram voluerit intelligi, et exponendo quid dixerit vas, adjunxerit *pharetramque et arcum*, tanquam dixerit, sume vas tuum et pharetram; veluti si diceret, sume vas tuum, id est pharetram: deinde aliud, et arcum, quod non ad illud vas pertineret quod est pharetra: aut certe pharetram et arcum vas voluit appellare, singularem ponens numerum pro plurali; tanquam si diceret, accipe vestem tuam, quo nomine intelligeremus plures vestes, sicuti intelligimus militum pro militibus, et multa sunt talia.

[Ib. 3.] *Exi in campum, et venare mihi venationem*.

[Ib. 9.] *Et vade ad oves, et sume mihi duos hædos teneros et bonos*: nomine ovium utriusque pecoris genus significavit, quod in eisdem pascuis simul erant.

[Ib. xxviii, 4.] *Et det tibi benedictionem patris tui Abraham*: Isaac dicit filio suo de avo ejus patre suo.

[Ib. 5.] *Et exiit in Mesopotamiam Syriæ*: quasi Mesopotamia dicatur nisi Syriæ, quamvis hoc Septuaginta non habere perhibeantur Syriæ, sed cum asterisco scriptum est.

[Ib. 15.] Dens ad Jacob, *Non derelinquam te, d. nec faciam omnia quæ tecum locutus sum*: quasi dimissu-

rus, cum fecerit; non utique, sed locutio est.

[Ib. xxviii, 16.] *Surrexit Jacob de somno suo, et dixit, Quia est Dominus in loco hoc, ego autem ignorabam*: plenus sensus est, etsi non habeat, *quia. Est Dominus in loco hoc*; ac si diceret, est hic demonstratio Domini: non enim Dominus in loco est.

[Ib. xxix, 5.] Jacob interrogans quod ait, *Nostis Laban filium Nachor?* cum esset filius Bathuel; intelligendum est nobiliorem fuisse Nachor, et merito dignitatis ejus factum esse ut de ipso interrogaret. Filium autem dici et avi et proavi et ultra majoris aliquis eum qui ex illo propagatur, usitatissimæ locutionis est. Hinc est quod et Isaac patrem filii sui appellavit Abraham, sicut paulo ante commemoravi.

[Ib. 7.] *Adhuc est dies multa, nondum est hora congregandi pecora*.

[Ib. xxx, 4.] *Et dedit illi Ballam ancillam suam ipsi uxorem*: plenum esset, etsi *ipsi* non adderetur.

[Ib. 27.] *Si inveni gratiam ante te, auguratus essem; benedixit enim me Deus in introitu tuo*: non videtur consequens; quia hic dicendum fuit, Si invenissem gratiam ante te, auguratus essem; nunc autem *Si invenit*: ordo est, Si inveni gratiam ante te, permitte me augurari; ita enim dixit, *auguratus essem*, tanquam diceret, o si auguratus essem! id est, ad bonum augurium te in domo mea haberem.

[Ib. 33.] *Et exaudiet me justitia mea in die crastino*: id est, exaudiri me faciet.

[Ib. xxxi, 2.] *Et vidit Jacob faciem Laban, et ecce non erat ad eum sicut hesternæ et nudistertianæ die*: familiarissima in Scripturis locutio, hesternæ et nudistertianæ die, pro tempore præterito posuit.

[Ib. 10.] *Et vidit oculis meis in somno*; cum clausi sint in somno oculi corporis.

[Ib. 13.] *Ego sum Deus, qui apparui tibi in loco Dei*, locutio est: an Deus in loco Dei sic accipiendum est, quomodo, *Pluit Dominus a Domino* (Gen. xix, 24), Filius a Patre?

[Ib. 31.] *Respondens autem Jacob dixit ad Laban, Dixi enim ne forte auferas filias tuas a me, et omnia mea*.

[Ib. 33.] *Intravit autem Laban et inscrutatus est in domo Lia*: advertendum est quomodo dicatur domus uxoris, cum in itinere comprehensi sint a Laban; nisi forte consuetudo Scripturarum dicit domum pro cubiculo vel tentorio, quomodo etiam ancillarum domos dicit.

[Ib. 37.] *Jacob dicit ad Laban, Quia scrutatus es omnia vasa domus meæ*: nunc unam domum dicit, cujus membra erant domus uxoris ejus et concubinarum; ut intelligatur domos appellatas, cum essent cubicula aut tentoria, quos etiam papilionem vocant.

[Ib. 42.] *Nisi Deus patris mei Abraham et timor Isaac adfuisset mihi*: patrem suum appellat avum suum, sicut ei dixerat Isaac pater ejus.

[Ib. xxxii, 3-5.] *Misit autem Jacob nuntios ante se in Mesopotamiam; juxta græc. LXX, en moi.*

ad Esau fratrem suum in terram Seir in regionem Edom, mandavit illis dicens, Sic dicetis domino meo Esau, Sic dicit puer tuus Jacob, cum Laban habitavi et demoratus sum usque modo, et facti sunt mihi boves et asini et oves et pueri et puellæ, et misi nuntiare domino meo Esau: non dixit, misi nuntiare tibi.

[Ib. xxxii, 17.] Si interrogaverit te Esau dicens, Cujus es? et quo vadis? et cujus hæc quæ antecedunt te? et dices, Pueri tui Jacob: plenum esset et integrum, etiam si et non haberet.

[Ib. 18.] Munera misit domino meo Esau, et ecce ipse post nos: dicendum autem fuerat usitata locutione, domino meo tibi, aut, domino suo tibi.

[Ib. 22.] Surrexit autem eadem nocte, et accepit uxores duas et duas ancillas: hic distinguuntur ab uxoribus, quas prius uxores Scriptura dixerat. Et accepit duas uxores et duas ancillas: notandum est quemadmodum dicatur consuetudine Scripturarum, accepit; non enim tunc ens duxit, aut tunc a socio accepit.

[Ib. xxiii, 13.] Quod habent latini codices, Et oves et boves sciantur; græci habent, sciantur super me: quod ea significatione dictum est, ut intelligatur, super sollicitudinem vel curam meam; quomodo solent loqui, cum dicimus super caput nostrum esse aliquid, ejus maximam curam gerimus.

[Ib. xxxiv, 7.] Et filii Jacob venerunt de campo, et cum audissent, compuncti sunt viri, et triste erat illis valde quod tempus fecerat in Israel, quod dormisset cum filia Jacob, et non sic erit: difficile talis locutio reperitur in Scripturis, non inducta persona loquentium scriptorem verba eorum interposuisse: non enim ait, et dixerunt; sed hoc tacito verba dixit eorum: nam qui alii dicere poterant, et non sic erit, nisi qui graviter indignati vindictam moliebantur?

[Ib. 8.] Notandum quod Esau loquens de Diva ad Jacob et filios ejus, fratrem dicit vestram; non dicit, fratrem tuam, sororem Isidorum.

[Ib. 15, 16.] In hoc similes erimus vobis, et habitabimus in vobis: id est, inter vos.

[Ib. 19.] Appositus enim erat filius Jacob: id est, amabat eam.

[Ib. 26.] Et filium ejus Sichem interfecerunt in ore gladii: ne si diceret, gladio.

[Ib. 28, 29.] Quæ abstulerunt sibi Jacob de civitate Sichemorum Salem, cum eam expugnassent, sic enumerantur: Oves eorum, et boves eorum, et asinos eorum, quæcumque erant in civitate, et quæcumque erant in campo tulerunt; et omnia corpora eorum captivarunt, et diriperunt quæcumque erant in civitate, et quæcumque erant in domibus. Inter hæc omnia non satis intelligitur quid dixit, et corpora eorum: neque enim suspicandum est, quod corpora abstulerunt peremptorum; sed rerum intelligenda sunt, quæ corpora hæc possidentur: ut eorum sit executio quod sequitur, et suppellectilem, et cætera, sicut in jure dicitur traditio corporum; quamquam græci οὐράκια servos appellant usitatissima locutione, sed quia non οὐράκια, sed οὐράκια hic dictum est, non est temere con-

firmandum, servos significatos: fieri tamen potest, ut hoc magis sit.

[Ib. xxxvi, 40.] Cum gentem Edom, id est Idumæorum, commemoret Scriptura, et qui in ea regnassent, postea dicit, Hæc nomina principum Esau, secundum loca eorum in regionibus eorum, et in gentibus eorum: gentes appellans unius gentis, propter familiarium multiplicatas generationes, cum etiam ipse Edom vocaretur; unde et gens quam propagavit cognominata est, cujus utique pater fuit.

[Ib. xxxvii, 21.] Cum audisset autem Ruben, liberavit eum de manibus eorum, et dixit, Non seriamus eum in animam. Non ergo liberavit eum, et inde hoc dixit; sed hoc dicendo eum liberavit. Prius ergo dixit, liberavit eum, et deinde brevi recapitulatione quomodo eum liberaverit, insinuat.

[Ib. 22.] Non seriamus eum in animam: hoc loco nomine animæ vitam corporis animati significat, per efficientem id quod efficitur. Secundum hoc videri potest etiam ad diabolum dictum esse de Job, Animam ejus ne tangas (Job ii, 6); id est, ne occidas eum. Nam secundum illam significationem qua natura animæ commemoratur, illud a Domino dicitur: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere (Matth. x, 28).

[Ib. 27.] Quod Judas dicit, Manus autem nostræ non sint super eum, hoc est quod dici a nobis solet, Manus ei non inferamus.

[Ib. 27.] Quoniam frater noster et caro nostra est: non aliud, sed bis hoc idem dictum est, tanquam exponendo quid sit frater noster, id est caro nostra, quod ex eadem carne fuerant procreati.

[Ib. 31.] Occiderunt hædum caprarum: sic solet loqui Scriptura, quemadmodum in Psalmo, Sicut agni orium (Psal. cxiii, 4). quasi possit esse aut hædus nisi caprarum, aut agni nisi ovium.

[Ib. xxxviii, 13.] Et nuntiatum est narui ejus Thamar dicentes: dicendum autem fuit, Numtaverunt dicentes.

[Ib. 14.] Et depositis vestimentis viduitatis suæ a se: quid minus esset, si non adderetur, a se?

[Ib. 26.] Et non apposuit amplius scire eam: pro eo quod est misceri ei.

[Ib. xxxix, 4.] Et invenit Joseph gratiam in conspectu domini sui: hæc locutio nulli est ignota in Scripturis.

[Ib. 6.] Et nesciebat quæ circa eum erant nihil: apud Græcos usitata est vulgo locutio, apud nos recta non est; sed, nesciebat aliquid, dicimus.

[Ib. 6.] Præter panem quem ipse edebat: per panem utique omnia intelligi voluit ad victum ejus pertinentia; unde pro quotidiano victu, panis solus positus intelligitur in oratione Dominica (Matth. vi, 11).

[Ib. 7.] Et misit uxor Domini ejus oculos suos in Joseph: solet et apud nos vulgo esse usitata locutio, pro eo quod est, Amavit eum.

<sup>1</sup> Editi: Quæ circa eum erant; nec addunt, nihil. quod reposuimus ex Mss. quippe cum hujus vocis causa locutionem illam commemoret Augustinus.



[Ib. xxxix, 7.] *Et ait, Dormi mecum : et ista usitata est locutio, pro eo quod est, Concumbe mecum.*

[Ib. 22.] *Et dedit carceris custos carcerem per manum Joseph : pro eo quod est, In manus Joseph ; per quod significat, in potestate.*

[Ib. xl, 8.] *Et dixerunt, Somnium vidimus, et non est qui interpretetur illud : cum somnium suum unusquisque vidisset, non dixerunt, Somnia vidimus ; sed, Somnium vidimus.*

[Ib. 12.] *Tres fundi, tres dies sunt : non dixit, tres dies significant. Et multum hæc locutio notanda est, ubi aliqua significantia, earum rerum quas significant, nomine appellantur : inde est quod ait Apostolus, Petra autem erat Christus (1 Cor. x, 4) ; non ait, Petra significabat Christum.*

[Ib. 13.] *Et dabis calicem Pharaoni in manum ejus ; cum plenum esset, etiamsi non adderetur, in manum ejus.*

[Ib. 19.] *Et auferet Pharao caput tuum abs te : plenum esset, etiam si non haberet, abs te.*

[Ib. 19.] *Et manducabunt aves cæli carnes tuas abs te : similibus superiori locutioni.*

[Ib. xli, 1.] *Et factum est post biennium dierum : quid minus esset si non haberet, dierum ?*

[Ib. 7.] *Surrexit autem Pharao, et erat somnium : amant Scripturæ sic loqui de somniis, cum fuerit evigilatum, tanquam reddita homini veritate vigilantium, tunc illud appareat somnium, quod cum videretur, quasi veritas fuit.*

[Ib. 9.] *Peccatum meum recorder hodie. Pharao iratus fuit pueris suis, et posuit nos in carcere : illi loquebatur tanquam de altero.*

[Ib. 11.] *Et vidimus somnium ambo nocte una, ego et ille : quasi non sufficeret, quod ambo dixerat. Deinde et hic, vidimus somnium dicit ; non, vidimus somnia : tanquam unum ambo vidissent.*

[Ib. 13.] *Factum est autem sicut comparavit nobis, ita et contigit. Factum est autem ; sic solet Scriptura ponere : nam plenum esset, sicut enim comparavit nobis, ita et contigit.*

[Ib. 19.] *Quales nunquam vidi tales in tota terra Ægypti turpiores : dici autem posset more nostro, quibus nunquam vidi turpiores ; aut, quales nunquam vidi ; aut, nunquam vidi tales. Exurgens autem dormivit : exurgens ait, pro expergiscens.*

[Ib. 25.] *Quanta Deus facit, ostendit Pharaoni : cum illi loqueretur, tanquam de altero dicit.*

[Ib. 30.] *Etc onsumet fames terram : pro, homines qui sunt in terra.*

[Ib. 33.] *Nunc ergo vide hominem prudentem et intelligentem, et constitue eum super terram Ægypti ; et faciat Pharao et constituat locorum principes super terram : quasi alius sit cui dixit, Provide hominem prudentem, et alius de quo dixit, constituat Pharao.*

[In 35.] *Et congregetur triticum sub manu Pharaonis : id est, sub potestate.*

[Ib. 40.] *Tamen thronum præcedam tui ego : sic se habent verba in græco, quæ dixit Pharao ad Joseph. Sed præcedam tui, usitata est apud Græcos locutio,*

apud nos autem dicitur, præcedam te : illud vero, præcedam te thronum, nec apud Græcos usitata perhibetur, sed, præcedam te throno, id est honore sedis ; quod intelligitur, præcedam te regno, hoc enim illi et postea dicit.

[Ib. xli, 44.] *Ego Pharao ; sine nemo extollet manus suam super omnem terram Ægypti : tanquam diceret, ego sum rex, tu autem princeps vel præpositus Ægypti. Pharao quippe non hominis nomen est, sed regis potestatis.*

[Ib. xlii, 1, 2.] *Videns autem Jacob quia est venditio in Ægypto, dixit filiis suis, Quare segnes estis ? Ecos audivi quod est venditio in Ægypto : notandum quia id quod audisse se dicit, vidisse eum Scriptura dixerat.*

[Ib. 2.] *Emitte nobis pusillas escas, ut vivamus, et non moriamur : unum horum sufficeret, aut, vivamus, aut, non moriamur.*

[Ib. 11.] *Pacati sumus ; non sunt pueri tui exploratores : quasi de aliis dixerint, non sunt pueri tui exploratores, cum possent dicere, non sumus : honorificentissimæ autem more maxime ita loquebantur.*

[Ib. 13.] *Duodecim sumus pueri tui fratres in terra Chanaan : cum posterius dicant, quod unus eorum non sit, ipsum scilicet Joseph non esse existimantes, id est, periisse. Ilac locutione dictum est etiam illud, H. filii Jacob qui facti sunt in Mesopotamia (Gen. xxxv, 26) ; cum ibi non fuerit natus Benjamin. Quod autem dixerunt, sumus in terra Chanaan, cum eo tempore quo loquebantur, in Ægypto essent, sumus dictum est, pro habitamus : inde enim venerant, illico redituri, ibi commorantes.*

[Ib. 14.] *Hoc est quod dixi vobis, dicens quod exploratores estis : quid deesset, etiam si non adderet, dicens ?*

[Ib. 19.] *Ipsi vero ite et ducite emptionem tritici vestri : ducite, pro eo quod est, ferte ; quia enim ducuntur jumenta in quibus fertur, etiam hoc duci dictum est.*

[Ib. 22.] *Nonne locutus sum vobis, dicens, Ne nocentis puero, et non exaudistis me ? Notandum exauditionem non eam solam dici qua exaudit Deus.*

[Ib. 23.] *Ipsi autem ignorabant quia audit Joseph : audit, pro intelligit ; nam voces audit utique aure etiam qui non intelligit linguam. Repetitur illa locutio quando narrant patri suo quid eis acciderit in Ægypto, et quid dixerint ad Joseph.*

[Ib. 32.] *Duodecim sumus fratres filii patris nostri : unus non est, pusillus autem cum patre nostro hodie in terra Chanaan. Multa in his paucis verbis genera locutionum sunt, et illud quod paulo ante memoravi, duo decim sumus, cum ipsi dicant, unus non est : et, filii sumus patris nostri, quasi possent esse filii non patris sui. Pusillus autem cum patre nostro hodie in terra Chanaan, nec dixerunt, est, aut aliquod hujusmodi. Deinde notandum est, quod maxime necessarium videtur propter Evangelistarum narrationes, quomodo cum ea quæ dicta sunt, dicta esse narrantur, non omnino eodem modo repetuntur, cum tamen in diver-*

sitate verborum nihil sententiæ depercat veritatis. Nam quod dixerunt dictum sibi esse a Joseph, *et in terra mercamini*, non invenitur ab illo dictum. Sine mendacio autem dixerunt, quod ex verbis quæ dixerat, in ejus voluntate cognoverant: neque enim verba sunt necessaria nisi ad expromendam, et in audientium notitiam perferendam, quantum possumus, voluntatem.

[Ib. XLII, 55.] *Et erat uniuscujusque alligatura argenti in sacco eorum*: non dixit, in sacco ejus, aut, in saccis eorum, sed quasi unus saccus omnium esset.

[Ib. 56.] *Super me facta sunt omnia hæc*: id est, me miseria onerant.

[Ib. XLIII, 5.] *Ait autem illi Judas, dicens*: potuit plenum esse, etsi non haberet, *dicens*.

[Ib. 3.] *Interrogans interrogavit nos homo*: assidua est talis locutio in Scripturis, *interrogans interrogavit nos homo*; aut, interrogando interrogavit, et si qua similia.

[Ib. 16.] *Mecum enim manducabunt homines panes meridie*: numquid panes tantum? sed ab eo quod excellit et cetera est complexa locutio. *Mecum enim manducabunt homines panes meridie*: quod dicit *meridie*, prandium significat quod sit medio die, hoc est enim meridies.

[Ib. 18.] *Ut accipias nos in servos et asinos nostros*: non utique subauditur, servos; nam quod latini cædices *servos* habent, in græcis *παῖδες* legitur, quod nullo modo asini possunt esse. Ergo *asinos nostros* tantummodo accipias subauditur.

[Ib. 21.] *Aperuimus saccos nostros, et hoc argentum uniuscujusque in sacco suo*: non addidit, inventum est; aut, apparuit; aut, erat, aut aliquid hujusmodi.

[Ib. 25.] *Propitius vobis, nolite timere*: in his verbis quibus dictum est, *Propitius vobis*, duo verba sunt quæ subaudiuntur, et sit, et Deus. Plenum est enim, Propitius sit vobis Deus, quod omnino in græco usitatissimum est.

[Ib. 28.] *Saltus est puer tuus pater noster, adhuc vivit*: hic expressius ostenditur pueri nomine servum solere significari; non enim in illo scene posset hoc esse nomen retatis.

[Ib. 32.] *Non enim poterant Ægyptii manducare cum Hebræis panes*: abominatio est enim Ægyptiis. Illa locutio frequentatur, ut in panibus omnes escæ intelligantur.

[Ib. 34.] *Magnificata facta est autem pars Benjamin præ partibus omnium quincupliciter ad illorum*: jam quia dictum erat, *præ partibus omnium*, potuit non dici, *ad illorum*.

[Ib. XLIV, 6, 7.] *Invensiens autem eos, dixit secundum verba hæc*: potuit dicere, dixit eis verba hæc. An forte non locutionis genus est, sed interest etiam sententiæ? Aliud enim est ipsa verba dicere, aliud secundum ipsa, ut quæcumque alia dicta fuerint, eadem sententia teneatur quæ illis verbis comprehensa est: hoc est, secundum ipsa, etiamsi non ipsa. Sed quia sequitur illis respondentibus, *Ut quid loquitur dominus secundum verba hæc?* qui utique dicere debuerunt usi-

tato more, *Ut quid loquitur dominus verba hæc?* constat esse locutionis genus.

[Ib. XLIV, 7.] *Absit a pueris tuis facere secundum verbum hoc*: potuerunt dicere, Absit a nobis; sed illa honorificentia est usitata in Scripturis sic dicere, tanquam de aliis: *pueris* autem, pro servis dictum est.

[Ib. 9.] *Et nos autem erimus servi domino nostræ. Etiam hic παῖδες*, græci habent, hoc est *pueri*, quod tam assidue Scriptura pro servis ponit, ut difficile inveniat non isto nomine appellare servos.

[Ib. 34.] *Quomodo autem ascendam ad patrem, cum puer non sit nobiscum, ut non videam mala quæ invenient patrem meum?* Magis consuetudo loquendi exigebat dici, *Ut videam mala quæ invenient patrem meum*<sup>1</sup>; hoc est, Quomodo ascendam ut videam? Novo itaque loquendi more id quod dixit, pro eo dixit ac si dixisset, non. Sic enim usitatus ordo iste verborum est: Non ascendam ad Patrem, cum puer non sit nobiscum, ut non videam mala quæ invenient patrem meum.

[Ib. XLV, 2, 4.] Quando flevit Joseph, cum recognosceretur a fratribus suis, ait Scriptura, *Audierunt autem omnes Ægyptii, et auditum est in domo Pharaonis*. Deinde sequitur quod narrabat, *Dixit autem Joseph ad fratres suas*: prius itaque Scriptura dixit quod postea factum est; hoc enim famæ celebritate accidit, ut omnibus Ægyptiis notum fieret; et postea reversa est narratio ad id quod dicebatur brevi recapitulatione.

[Ib. 16.] *Et divulgata est vox in domo Pharaonis, dicentes, Venerunt fratres Joseph*: dicentes, posuit pro dicentium; vox enim dicentium divulgata est, *Venerunt fratres Joseph*.

[Ib. XLVI, 2.] *At ille respondit, Quid est, dicens?* Ordo est, At ille respondit dicens, Quid est?

[Ib. 4.] Deus ad Jacob dicit, *Ego descendam tecum in Ægyptum, et ego ascendere te faciam in finem*: sic habent græci, quod latini habent, *et ego deducam te in finem*.

[Ib. 28.] *Judam autem misit ante se ad Joseph, ut veniret sibi obviam juxta Heroum civitatem*: nescio utrum Heroum nomen facile in Scripturis reperiat.

[Ib. 31, 52.] In verbis Joseph, quibus ait ad fratres suos, *Ascendens nuntiabo Pharaoni et dicam ei, Fratres mei et domus patris mei qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me*: viri autem sunt pastores (*viri enim pecorum nutritores erant*), et jumenta et oves et omnia sua adduxerunt, quod interpositum est, *viri enim pecorum nutritores erant*, ex persona sua scriptor interposuit, et redit ad verba Joseph, adjungendo, *et jumenta et omnia sua adduxerunt*, ut ordq sit in verbis Joseph: Viri autem sunt pastores, et jumenta et oves et omnia sua adduxerunt.

[Ib. XLVII, 8.] *Dixit autem Pharaon ad Jacob, Quot anni dierum vitæ tuæ?* subauditur, sunt.

[Ib. 9.] *Pusilli et mali fuerunt dies annorum vitæ meæ, Pusilli*, pro paucis, positum est: neque enim vitæ

<sup>1</sup> In excusis omissum fuerat: Magis consuetudo loquendi exigebat dici, *et videam mala quæ invenient patrem meum* restituitur locus ex MSS.

alicujus quam cæterorum dies possunt esse horarum spatio breviores. Hoc autem Jacob ex comparatione dicit vitæ majorum suorum : nam utique centum triginta annos, quos ille jam agebat, nemo nunc vivit.

[Ib. XLVII, 12.] *Triticum secundum corpus* : id est, secundum numerum corporum. Per corpus etenim, numerum corporum ; per numerum corporum, numerum hominum significat.

[Ib. 13.] *Invaluerat autem fames valde, et defecit terra Ægypti* : terram posuit pro hominibus qui erant in terra.

[Ib. 15.] *Venerunt autem omnes Ægyptii ad Joseph dicentes, Da nobis panes* : per panes triticum significat, locutione per id quod efficitur, id quod efficit.

[Ib. 20.] *Et facta est terra Pharaonis* : non ait, Pharaonis. Amat sic loqui Scriptura, sicut in Psalmo dictum est, *Et custodivi legem tuam ; hæc facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi (Psal. CXVIII, 55, 56)* : de lege Dei dixit, *hæc facta est mihi*, id est, in meam utilitatem.

[Ib. 22.] *Præter terram sacerdotum tantum non possedit Joseph* : quasi dixisset, Præter terram sacerdotum tantum, omnem terram possedit Joseph.

[Ib. 26.] *Et posuit illis Joseph in præceptum usque in hodiernum diem in terra Ægypti, ut præstent quintas Pharaoni* : hinc intelligitur Pharaonis nomen potestatis fuisse regalis, quod dixit usque in hodiernum diem. Non enim illi qui tunc fuit, præstare poterant Ægyptii usque ad illum diem, quo ista scribebantur, quando ille jam non vivebat.

[Ib. 28.] *Et fuerunt dies Jacob annorum vitæ ejus* : dies annorum sæpe dicit Scriptura, cum semel posset apertè dicere.

[Ib. XLVIII, 1.] Quod scriptum est, *Nuntiatum est Joseph, quia pater tuus turbatur* : aliqui codices habent *rextatur*, aliqui *axtatur*, et aliud alii, sicut interpretari Latini potuerunt, quod græce scriptum est *ἰνοχλαστία*. Ideo autem *turbatur*, accomodatius dici videtur, quia hoc dici solet de iis qui afflictatione corporis morte propinquant jactantur. Et ex hoc etiam turba *θχλος* dicitur : est enim turba, multitudo inordinata, non sicut populus, quod *ἄσμος* dicitur, nec sicut plebs, quod *πλῆθ* dicitur, sed sicut *θχλος*, quod turba dicitur.

[Ib. 16.] Jacob benedicens nepotes suos filios Joseph, ait inter cætera, *Et invocabitur in his nomen meum, et nomen patrum meorum* : unde notandum est, non solum exauditionem, sed etiam invocationem dici aliquando quæ non Dei, sed hominum sit.

[Ib. 18.] *Illic enim primitivus* : minus habet, est, secundum codices græcos.

[Ib. XLIX, 24.] In benedictione Joseph ait inter cætera Jacob, *Inde qui confortavit Israel* : mirum si non subauditur, est, ut plenum sit, Inde est qui confortavit I-rael.

[Ib. I, 2, 3.] Quod scriptum est, *Dixit Joseph servis suis sepulchris, ut sepelirent patrem ejus* ; non inveit lingua latina quemadmodum appellaret *ἑταίρους* : non enim ipsi sepeliunt, id est, terræ mandant corpora mortuorum, quod non est græce *ἑταίρειαι*, sed *ἑτάται*. Illi ergo *ἑταίρειαι* id agunt quod exhibetur corporibus humanis, vel condiendo vel siccando vel involvendo et alligando, in quo opere maxime Ægyptiorum cura præcellit. Quod ergo dicit, *Etiam sepelirent* ; curaverunt, intelligere debemus. Et quod dicit, *quadraginta dies sepulture*, ipsius curationis accipiendi sunt. Sepultus enim ille non est, nisi ubi se mandaverat sepeliri.

[Ib. 4.] *Loquimini in aures Pharaonis* : locutio est usitata in Scripturis.

[Ib. 6.] *Et dixit Pharaon ad Joseph, Descende et sepeli patrem tuum* : etiam si per potentes illos per quos Joseph mandaverat, Pharaon dixit quod perferrent ad Joseph, non utique dixit nisi ipsi Joseph. Unde illud est in Evangelio, quod unus Evangelistarum dicit, centurionem venisse ad Dominum et dixisse illi, *Puer meus jacet in domo paralyticus (Matth. VIII, 5, 6)* : alius autem totum diligentius narrans, amicos cum ad Dominum misisse commemorat, qui hoc ei dicerent (*Luc. VII, 3*) ; in quibus amicis utique ipse venit, cuius in eis voluntas præsens fuit : unde est, *Qui vos recipit, me recipit ; et qui me recipit, recipit eum qui me misit (Matth. X, 40)*.

[Ib. 10.] *Planxerunt cum planctum magnum et validum* : planxerunt planctum, non planxerunt planetu ; locutio est in latina lingua non ignota, sicut dicitur, servitutum servivit, militiam militavit, et similia.

[Ib. 15.] *Et redditione reddet nobis, omnia mala que ostendimus ei*. Ex hac locutione ait et Apostolus, *Alexander ararius multa mala mihi ostendit (II Timoth. IV, 14)* : *ostendimus* enim dictum est, vel *ostendit*, pro ea quod est, fecimus, vel fecit.

[Ib. 17.] *Accipe iniquitatem servorum Dei patris tui* : nova locutio est, *Accipe iniquitatem*, pro ignosce, aut remitte, aut obliviscere ; sed puto inde esse dictum *Accipe*, ac si diceretur, æquo animo accipe, hoc est, noli indigne ferre.

[Ib. 18.] *Et venientes ad eum dixerunt* : non iterum venerunt, sed quod dictum fuit iterum dictum est : solet hoc facere Scriptura.

## LIBER SECUNDUS.

Locutiones de Exodo.



[EXOD. cap. I, §. 7-12.] *Et invalescebant valde valde.*

[Ib. 21.] Quid est quod dictum est de obstetricibus, *Et fecerunt sibi domos, quoniam timuerunt Deum* ? Prædictum est enim, *Benefaciebat Deus cum obstetricibus.*

Et ad hoc videtur pertinere, quod fecerunt sibi domos timendo Deum, tanquam beneficia Dei ad hoc eis profuerint ut facerent sibi domos. Numquid antea non eas habuisse domos intelligendum est ? An ad divitijs

hoc verbum pertinet, vel potius ad aliquas rei familiaris idoneas facultates? Huic enim simile videtur, quod ait etiam Jacob post quatuordecim annos servitutis suæ socero suo volenti cum adhuc apud se tenere: *Nunc ergo quando faciam et ego mihi domum?* Dixerat enim quod creverint pecora Laban sub illo; sicut et ipse Laban confessus fuerat dicens, *Benedixit me Deus in introitu tuo* (Gen. xxx. 29-31): cum ergo dicit, *quando faciam et ego mihi domum?* subintelligitur, sicut et tu. Hoc videtur enim valere quod ait, *et ego*, ut ad ipsam domum faciendam videatur pertinere quod consequenter ad Laban merces ipsa statuenda proponitur.

[Ib. 1. 22.] *Et omne femininum vivificate illud*: sic enim habent græci; latini non habent, *illud*.

[Ib. 11. 4.] *Erat autem quidam de tribu Levi, et sumpsit sibi de filiabus Levi*: intelligitur uxorem, quod quidam latini interpretes etiam addendum putaverunt; sequitur autem, *Et habuit eam, et concepit*.

[Ib. 3.] Quid sit *thibin*, ideo difficile est nosse, quia nec græcus interpres ex hebræo, nec latinus ex græco verit hoc nomen, sed sic transtulit ut invenit.

[Ib. 14.] *Timuit autem Moyses et dixit, Si sic divulgatum est verbum hoc*. Duo sunt in hac locutione attendenda: primo, quia pendet sententia, et sic dimissa est; deinde, quia verbum pro facto posuit.

[Ib. 25.] *Et respexit filios Israel, et innotuit illis*: pro eo positum est *innotuit*, quod egit in eis, quibus Dei curam erga se intelligerent.

[Ib. 11. 7.] *Videns vidi vexationem populi mei, qui est in Ægypto*.

[Ib. 11. 12.] *Et dixit Moyses ad Deum, Quis sum, quia ibo ad Pharaonem regem Ægypti, et quia educam filios Israel de terra Ægypti? Dixit autem, Quoniam ero tecum*: sic habet græcus; latinus autem, *Et quis ego, dixit*: et non dixit, *quia ibo, et quia educam*; sed, *ut eam, et educam*. Et quod in græco habet, *Dixit autem, quia ero tecum*, intelligitur utique quod dixerit ad Moysen: totum autem hoc latinus addidit, et ait, *Dixit autem Deus ad Moysen*.

[Ib. 16.] Deus dicit quod dicat Moysès filiis Israel, *Visitans visitavi vos, et quæcumque contigerunt vobis in Ægypto*: græcus habet, *Visitatione visitavi vos*.

[Ib. 18.] Deus dicit ad Moysen de filiis Israel, *Et audient vocem tuam*: græcus habet, *Et exaudient vocem tuam*, quia et exauditio dicitur hominis.

[Ib. 22.] Quod habet latinus, *Poscet mulier a vicina, et ab inquilina sua vasa argentea et aurea et vestem*; græcus habet *a cohabitatrice sua*, hoc est *συνεπιθυοῦ*<sup>1</sup>, quod latini aliqui interpretati sunt, *a concellaria sua*.

[Ib. 14. 1.] Moyses dicit, *Quid si non crediderint mihi, neque exaudierint vocem meam*: quod latinus, *audierint* interpretatus est.

[Ib. 4.] *Extende manum, et apprehende caudam*, græcus habet: latinus autem, *manum tuam et caudam ejus*, interpretatus est. *Et extendens manum apprehendit caudam, et facta est virga in manu ejus*.

[Ib. 5.] *Et dixit illi: Ut credant tibi quoniam apparuit tibi, sunoikon*. At Mss. uti apud LXX. *suskenou*.

*rui tibi Dominus Deus patrum ipsorum*: græcus non habet, *Et dixit illi*; sed continuo adjunxit, *ut credant tibi*; id est, verba Dei, post illud factam miraculum: tanquam adhuc loqueretur, et modo sententiam verborum impleverit. Nam ordo est verborum, *Extende manum et apprehende caudam, ut credant tibi*: sed interposita est facti narratio, et postea redditum, *ut credant tibi*.

[Ib. 14. 6.] Quod latinus habet, *Et facta est manus ejus leprosa tanquam nix*; græcus non habet *leprosa*, sed tantum, *facta est tanquam nix*.

[Ib. 8.] *Quod si non audierint vocem signi primi*: græcus sic habet: latinus autem, *vocem tuam signi primi*; sic et sequitur, *credent tibi in voce signi sequentis*.

[Ib. 9.] *Et erit aqua, quam sumes de flumine, sanguis super aridam*: vel potius *super aridum*, id est, super id quod aridum est; quod latinus dixit, *sanguis super terram*.

[Ib. 10.] Moyses dicit: *Precor, Domine, non sum eloquens ante hesternam et nudiustertianam diem*.

[Ib. 17.] *Et virgam hanc sumes in manum tuam, in qua facies in ea signa*; cum dici posset, in qua facies signa; aut certe, *Virgam hanc sumes in manum tuam, et facies in ea signa*: nunc vero utrumque dictum est solita locutione Scripturarum.

[Ib. 18, 19.] *Post dies autem illos multos, mortuus est rex Ægypti*: dixit autem Dominus ad Moysen in Madian, *Vade, perge in Ægyptum, mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam*. Multa in his verbis genera locutionum notanda sunt: primo, *Vade, perge in Ægyptum*, tanquam non sufficeret tantum *Vade*, vel tantum *perge*; deinde, *mortui sunt omnes qui quærebant animam tuam*, cum solum regem Ægypti Scriptura dixerit mortuum, et de solo antea dictum fuerit quod Moysen quærebat occidere. An ipse post alios inimicos ultimus mortuus est? Quod si ita est, non locutio, sed sensus est. Item, *qui quærebant animam tuam*, non in malo tantum, sed etiam in bono dici solet in Scripturis: nam sicut hic, in malo dictum est etiam in Psalmis, *Confundantur et revereantur qui quæerunt animam meam* (Psal. xxxix, 15); in bono, *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam* (Psal. cxli, 5): nisi forte aliquid distare dicitur inter quærentes et requirentes, ut illud in malo, hoc in bono intelligendum sit.

[Ib. 10. 10.] *Et dicebant ad populum dicentes, Hæc dicit Pharaos*: quam locutionem piguit latinum interpretari.

[Ib. 21.] *Videat Deus vos et judicet, quoniam execrabilem fecistis odorem nostrum palam Pharaone, et palam servis ejus, dare gladium in manus ejus, ut occidat nos*; sic enim habet græcus: latinus autem ait, quem pro optimo legebamus, *ut daretis gladium in manibus ejus*; qui solæcismus, nulla interpretationis necessitate factus est, quia in græco non est.

[Ib. 11. 4.] *Statui testamentum meum ad illos, ita ut darem illis terram Chananæorum, et terram quam incoluerunt, in qua et incolerunt in ea*: sic enim habet

græcus, quod utique et in græca lingua absurde videtur sonare; et tamen Septuaginta interpretum auctoritas tanta est, quos ita loqui non piguit. Quid enim? et sensus hic latet? Quod si nullus est, ipsa locutio notanda est, ne alibi inventa sensum impediatur, vel aliquid querere ubi querendum non est, compellat.

[Ib. vi, 5.] Quod habet latinus, *Exaudivi gemitum filiorum Israel, quemadmodum Ægyptii affligerent eos*; græcus habet *καταδουλοῦνται*, quod interpretari posset, in servitutem redigunt eos: nam uno verbo non potest.

[Ib. 9.] *Et locutus est Moyses sic ad filios Israel, et non exaudierunt Moysen a defectione animi et ab operibus davis: exaudierunt* ait, non, audierunt.

[Ib. 12.] *Ego enim inloquens sum, quod ait Moyses ad Dominum, ελωπος* dixit græcus, non, imperitus, quasi ἀπαθής, vel ἀκατένους.

[Ib. 26.] *Hi sunt Aaron et Moyses, quibus dixit eis Deus ut educant filios Israel de terra Ægypti: sic enim habet græcus.*

[Ib. 30.] *Ecce ego gracili voce sum, et quomodo exaudiet me Pharaos? Notandum quod exaudiet dixit, non, audiet.*

[Ib. vii, 6.] *Fecit autem Moyses et Aaron, sicut præcepit illis Dominus, ita fecerunt: quid decasset, si non diceretur, ita fecerunt?*

[Ib. 9.] *Si loquetur vobis Pharaos dicens, Date nobis signum aut portentum, et dices Aaron fratri tuo, Sume virgam: nonne locutionis nostræ consuetudo poscebat et quædam ejus integritas, ut ita diceretur, Si loquetur vobis Pharaos dicens, Date nobis signum aut portentum, dices Aaron fratri tuo, Sume virgam? quid ergo ibi additum est, et, nisi aliqua proprietate locutionis hebræicæ? nam neque græca esse perhibetur.*

[Ib. 14.] Non mihi videntur satis commode interpretati latini *σοφισταί* Pharaonis, ut dicerent *sapientes*: σοφοί enim sapientes dicuntur. Potuit enim latinus interpretes sophistas dicere, quoniam non est quemadmodum id latine dicatur; et ideo isto verbo jam utimur pro latino, sicut philosophiam dicimus non solum græce, verum etiam latine: sophistas appellarunt latinorum litterarum eloquentissimi auctores.

[Ib. 12.] *Et absorbit virga Aaron virgas illarum: ac si diceret, draco Aaron.*

[Ib. 15.] Quod dictum est de Pharaone, *Ecce ipse exiit ad aquam; græcus habet, super aquam.*

[Ib. 16.] *Dimitte populum meum ut serviant mihi in deserto, et ecce non exaudisti usque adhuc: quoties dicitur exaudisti, cum homini dicatur?*

[Ib. 22.] *Fecerunt autem similiter et incantatores Ægyptiorum beneficiis suis. Et induratum est cor Pharaonis, et non exaudivit eos, sicut dixit Dominus: quia in usu Scripture est, exaudivit, cum etiam de homine loquitur.*

[Ib. viii, 1.] *Dimitte populum meum ut serviant mihi; non, ut serviat: qui loquendi modus non fere invenitur nisi ubi res ipsa singularis pluribus constat. Populus enim singulari nomine dicitur, sed constat ex multis. Sic etiam est, Omnis terra adorent te (Psal.*

134. At editi, *servistæ autem appellantur.*

lxv, 4): quia omnis terra dictum est, pro hominibus qui sunt in terra.

[Ib. viii, 2.] *Ecce ego serio omnes fines tuos ranis: sic enim habet græcus elegantissima locutione, ut ranæ ipsæ, plaga intelligatur, qua feritur terra Ægypti.*

[Ib. 3, 4.] *Et eructabit flumen ranas, et ascendentes intrabunt in domos tuas et in promptuaria cubiculorum, tuorum super lectos tuos, et in domos terrorum tuorum, et populi tui, et in conspersis tuis, et in clibanis tuis; et super te et super populum tuum et super serpos tuos ascendent ranæ. Notandum quod in domos, etc. cum dixisset, accusativum casum tenuit; et super lectos, etc., ubi dixit, super, accusativum similiter servavit; in conspersis autem et in clibanis ad ablativum se transtulit: nam et græcus mutavit præpositionem, quam non mutat latinus. Ille enim habet *εἰς τοὺς οἴκους, in domos; in conspersis autem ἐν τοῖς πυράμασι*: ubi mirum si non etiam sensus est, non locutio, ut in conspersionibus et in clibanis exortas ranas forsitan velit intelligi, non extrinsecus ascendisse vel irruisse, et quia eas fluvium eructaturum prædicat, inde implere omnia.*

[Ib. 6.] *Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti et eduxit ranas, et educta est rana et operuit terram: repetitio a plurali ad singularem numerum trajecta est; nam utique rana, pro multitudine ranarum positum est; nescio quo autem modo per loquendi consuetudinem imbutis sensibus hominum, sæpe plus videtur quod singulariter, quam quod pluraliter dicitur: nam plus accipitur cum dicitur, verbi causa, est illic miles, quam sunt illic milites; est illic piscis, quam sunt illic pisces.*

[Ib. 14.] *Et colligebant eas acervos acervos: hæc repetitio multitudinem acervorum significat, et Scripturis est familiaris.*

[Ib. 16.] Quod habent latini, *Extende manu virgam tuam, et percutite terra; non, percutite terram: græcus habet aggerem terræ, si tamen hoc verbo recte interpretatur quod dictum est τὸ χόμα τῆς γῆς.*

[Ib. 18.] *Fecerunt autem similiter et incantatores veneficiis suis, ut educerent cyniphes, et non poterant. Notandum est, fecerunt dictum pro eo quod est, conati sunt facere. Nam utique si fecerunt similiter, procul dubio eduxerunt cyniphes: sed quia sequitur, ut educerent, et non poterant; non ergo similiter fecerunt, sed similiter facere conati sunt. Aut si forte et ipsi quamvis veneficiis agerent, eadem tamen agendi specie virgam extendebant, quod Scriptura non expressit, ad hoc referendum est, fecerunt similiter.*

[Ib. 21, 22.] *Et in terram super quam sunt super eam, Et gloriosam faciam in die illa terram Gessen, in qua populus meus inest super eam.*

[Ib. 29.] *Et dixit Moyses, Ego exeam a te, et orabo ad Deum, et exhibit synonymia a Pharaone et a servis ejus: quasi alteri diceret et exeam a te, et de altero Pharaone subsqueretur a quo esset exitura cynomyia.*

[Ib. ix, 1.] *Dimitte populum meum ut mihi serviant.*

[Ib. 18, 21.] *Ecce ego pluam hanc horam crastinam*

diem grandinem multam. Grando autem multa valde valde.

[Ib. ix, 29, 28.] *Et desinent voces et grando.* Notandum est Scripturam, voces solere appellare tonitrua, quas voces Dei etiam Pharaon superius appellavit dicens, *Orate pro me ad Dominum, ut desinant fieri voces Dei* : ubi et illa locutio est quod dixit, *desinant fieri voces.*

[Ib. x, 2.] *Ut narretis in aures filii vestris, et filiis filiorum vestrorum quæcumque illi Aegyptiis* : notandum quemadmodum dicitur illi, ne forte ita sit dictum, *Draco hic quem finxisti ad illudendum ei* (Psal. ciii, 26); et illud in Job, *Hoc est initium figmenti Domini quod fecit ad illudendum ab Angelis ejus* (Job xl, 14).

[Ib. 4.] *Ecce ego induco hanc horam crastino die locustam multam.* Ecce quemadmodum superius dixit ranam, ubi diximus plerumque plus intelligi cum aliquod huiusmodi singulariter dicitur, quam si pluraliter diceretur. Manifestum est enim plus sonare, *locustam multam*, quam si diceret, *locustas multas.*

[Ib. 8.] *Qui autem et qui sunt qui ibunt?* quotidie dicimus consuetudine familiariore, *Quam qui et qui ibunt?*

[Ib. 15.] *Non est relictum viride nihil in lignis* : dicendum fuit more locutionis nostræ, *Non est relictum viride aliquid in lignis.*

[Ib. 16, 17.] Pharaon ad Moysen, *Peccavi ante Dominum Deum vestrum et in vobis; suscipite ergo delictum meum* : hac locutione et ad Joseph usi sunt fratres ejus ubi dixerunt, *Accipe iniquitatem servorum Dei patris tui* (Gen. l, 17).

[Ib. 23.] Quod latini habent, *Et nemo vidit fratrem suum tribus diebus*; græcus habet, *Et non vidit nemo fratrem suum* : notandum etiam fratrem hominis quemlibet hominem dici.

[Ib. 24.] Pharaon dicit ad Moysen et Aaron, *Ite et servite Domino Deo vestro, præter oves et boves, relinquate*; sic enim habet græcus : valde inusitata locutio est, nisi post distinctionem inferatur, *relinquate*, et subaudiatur, *ista*; ut sit sensus, *Ite præter oves et boves, et relinquate ista* : solet enim talis ellipsis fieri crebro in locutionibus Scripturarum.

[Ib. 26.] *Et non relinquemus unguam*; quasi abductis pecoribus, posset unguia remanere : quid est enim aliud non relinquemus unguam, nisi, nec unguam relinquemus?

[Ib. 28.] Pharaon ad Moysen, *Attende tibi ultra apponere videre faciem meam* : pro eo quod est, *attende tibi ne ultra videas faciem meam.*

[Ib. xi, 2.] *Et petat unusquisque a proximo suo, et mulier a proxima vasa argentea et aurea et vestem* : notandum et Aegyptios Hebræis proximos dictos.

[Ib. 6, 7.] *Et erit clamor magnus per omnem terram Aegypti, qualis non fuit, et talis non adhuc apponetur* : in filiis autem Israel non mutiet canis lingua sua ab homine usque ad pecus. Elegantissima locutio est : per canem quippe extremum significavit vel hominum vel pecorum, ita commendans quanta in Hebræis quies futura esset, Aegyptiis acerba orbitate clamantibus.

[Ib. xv, 3.] *Accipiant singuli ovem per domos patriarum.* Quas dicat patrias, non facile est intelligere; utrum civitates in quibus commanebant, an potius numerosas familias a cujusque velut paternitate propagatas : hoc enim magis in græco significari perhibetur.

[Ib. 4.] *Si autem pauci sint qui in domo, ita ut non sint idonei ad ovem, id est, ut ipsa paucitas non sit idonea ad ovem consumendam, assumet secum vicinum proximum suum, hoc est ipsa domus assumet vicinam* : hominem proximum pro homine posuit, singularem autem pro plurali; non enim unum, sed quot sufficiunt : cum de ove consumenda Scriptura loqueretur, *secundum numerum*, inquit, *animarum unusquisque quod sufficiat*; animas pro hominibus, a parte totum.

[Ib. 7.] *Sument a sanguine, et ponent super duos postes, et super limen in domibus in quibus manducabunt illas in eis.* Cum dixerit, *in quibus*, dixit etiam, *in eis*, more usitatissimo : sed *manducabunt illas*, quaeritur quas, et intelligitur carnes; hoc enim sequitur, *Et manducabunt carnes hac nocte assatas igni*; quod habent latini codices, *qui manducabunt carnem*, græci autem habent *ρέας*, id est carnem, sed genere nostro; ideo in græco est, *in domibus, in quibus manducabunt illa in eis.* Est vero illa locutio, ut prius dixeret illas, quam prædiceret quid in consequentibus intelligeretur quas dixerit, similis ei locutioni quam de filio Moysi exposuimus (Lib. ii *Quæstionum de Exodo, quæst. 11*), cum eum vellet angelus occidere, et exemplum adhibuimus de Psalmo, *Fundamenta ejus in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion* (Psal. lxxxvi, 1, 2) : cujus enim fundamenta non intelligimus, nisi ex consequentibus; sic et hic, *in quibus manducabunt illas in eis*, id est in quibus domibus manducabunt illas, intelligitur carnes, de quibus consequenter loquitur.

[Ib. 22.] *Sumetis autem vobis fasciculum hyssopi, et tingetis ex sanguine qui est juxta ostium, et liniatis super limen et super ambos postes de sanguine.* Etiam hic fasciculus hyssopi plures utique fasciculos significat, sicut rana plures ranas, et locusta plures locustas : tropus autem iste quando sit in rebus quæ a nobis non ita dici solent, obscuritatem facit.

[Ib. 26, 27.] *Et erit cum dicent ad vos filii vestri, Quæ est servitus ista? Et dicetis eis, Inmolatio pascha hoc Domino* : etiam si non haberet, et, plenum esset, *dicetis eis.*

[Ib. 28.] *Et advenientes fecerunt filii Israel sicut præcepit Dominus Moysi et Aaron; ita fecerunt* : non adderet, *ita fecerunt*, nisi mos esset Scripturarum.

[Ib. 51.] *Et factum est, in die illa eduxit Dominus filios Israel de terra Aegypti.*

[Ib. xiii, 4.] *Ait autem Dominus ad Moysen dicens.*

[Ib. 12.] *Omne adaperiens vulvam, masculina* : pluralem numerum intulit singulari, quia ipsum quod dictum est, *omne adaperiens*, non utique in uno, sed in multis accipitur. Similis est locutio, *Attendite, popule meus* (Psal. lxxvii, 4). Tale est et quod paulo post sequitur, *Omne quod adaperit vulvam de armentis*

et de pecoribus, quæcumque tibi nata erunt : omne quæcumque tibi nata erunt, ipse modus est locutionis.

[Ib. xiii, 15.] *Omne adapertens vulvam asinæ* : græcus habet, *asini* ; modo illo locutionis, quem jam in Genesi notavimus, ubi in masculinum pro-feminino positum est, de morte Saræ dicente Scriptura, *Surgens Abraham a mortuo*, et, *Sepelidm mortuum meum* (*Gen. xxiii, 3, 4*) ; et talia ibi sæpe dicuntur de mortua.

[Ib. 15.] *Propter hoc ego immolo Domino omne quod aperit vulvam, masculina* : similis locutio superiori.

[Ib. 16.] *Et erit in signum super manum tuam* : id est, super opera tua ; ubi magis sensus est forsitan quam locutio.

[Ib. xiv, 27.] *Et excussit Dominus Ægyptios in medium maris* : græcus habet, *Et excussit Dominus Ægyptios medium maris*.

[Ib. 31.] *Vidit autem Israel manum magnam, quæ fecit Dominus Ægyptiis*.

[Ib. xv, 1.] *Tunc cantavit Moyses et filii Israel canticum hoc Domino, et dixerunt dicere* : sic enim habet græcus, καὶ ἔκωσ ἄνευ.

[Ib. 22.] *Et non inveniebant aquam, ut biberent* : poterat non habere, ut biberent.

[Ib. 21.] *Et murmuravit populus adversus Moysen dicentes* : non, dicens ; sed, dicentes : ex pluribus enim populus constat.

[Ib. xvi, 1.] *Et venerunt omnis synagoga filiorum Israel in eremum* : non dixit, venit, quia synagoga ex pluribus constat.

[Ib. 2.] *Murmurabant omnis synagoga filiorum Israel adversus Moysen et Aaron* : eadem est ista locutio.

[Ib. 4.] *Dixit autem Dominus ad Moysen, Ecce ego pluam vobis panes de caelo*. Manna pluiturus, panes promisit : locutio est qua panis pro alimento ponitur ; amat autem Scriptura pluraliter magis panes, quam singulariter dicere.

[Ib. 7.] *Mane videbitis, inquit, gloriam, dum exaudiet murmuracionem vestram super Deum* : id est, quia murmuratis super Deum, quod tantum valet ac si diceret, adversus Deum. Deinde notandum novo modo hic exauditionem dictam non precantium, sed murmurantium, cum reprehendat utique Scriptura murmuracionem : tanquam hoc dixerit, quod cognoverit Deus murmuracionem eorum, et ipsam Dei cognitionem dixit exauditionem.

[Ib. 9, 12.] *Accedite ante Deum ; exaudivit enim murmur vestrum* : iterum exauditionem, non precum significat et petitionum, sed etiam murmuris malorum ; hoc et postea dicit Deus, *Exaudivi murmur filiorum Israel*.

[Ib. 14.] *Et ecce in facie eremi minutum tanquam coriandrum*. Cum toties Deus dicat, *faciem terræ*, sicut hic *faciem eremi*, mirum est unde homines ita errent cum faciem audierint, ut aliquid tale opinentur, qualis hominis facies est, vel alicujus animantis.

[Ib. 16.] *Secundum numerum animarum vestrarum unusquisque carnem commanentibus vobis colligite*. Quam sæpe Scriptura animas, homines appellat, a parte spiritum : non facile autem carnes pro hominibus, sed

carnem, sicuti est, *Non timebo quid mihi faciat caro*, quod apertius in eodem psalmo ait, *Quid mihi faciet homo* (*Psal. lv, 5, 11*). Non autem diceret, secundum numerum carniū vestrarum, sicut dixit, *secundum numerum animarum vestrarum*.

[Ib. xvi, 21.] *Et collegerunt illud mane mane* : quomodo puteos puteos, acervos acervos, sic dictum est *mane mane*.

[Ib. 29.] *Nullus vestrum egredietur unusquisque de loco suo die septimo* : quod interpositum est, *unusquisque*, potuit et non dici.

[Ib. xvii, 1.] *Non erat autem populo aqua bibere* : id est ad bibendum.

[Ib. 2.] *Et maledicebat populus ad Moysen* : id est, maledictis agebat Moysen ; hoc est, maledicebant illi : nam hoc in consequentibus ipse dixit, *Quid maledictis mihi ?*

[Ib. 3.] *Et murmuravit populus ad Moysen dicentes*.

[Ib. 5.] *Et virgam in qua percussisti flumen accipe in manu tua* : in qua percussisti, dixit pro eo quod dicimus, de qua percussisti ; et est ita locutio creberrima in Scripturis.

[Ib. xviii, 12.] *Et sumpsit Jothor socer Moysi holocaustamala et sacrificia Deo* : sumpsit, pro eo quod est obtulit. An forte sensus est, non locutio, ut ea sumpsisse intelligatur, quæ Moyses obtulisset ? quanquam Moyses non legatur superius sacrificasse, nec Aaron nec quisquam Hebræorum qui educti sunt de terra Ægypti ; sed tantum superius scriptum est, quod altare constituerit Moyses, et appellaverit illud, *Dominus meum refugium* (*Exod. xvii, 15*). Istum autem Jothor legimus sacerdotem fuisse Madian, id est gentis Madian. Mirum est autem, si ejus adventu cæpit sacrificare Moyses, et non potius ipse Jothor qui jam sacerdos erat.

[Ib. 18.] *Grave tibi verbum hoc* : subauditur, est.

[Ib. 20.] *Et demonstrabis illis vias, in quibus ambulabunt in eis*.

[Ib. 26.] *Verbum autem grave referebant super Moysen* : sic enim habet græcus, quod latini interpretati sunt, *ad Moysen*. Illa sane locutione ipsa etiam cura significatur, qua dictum est, *super Moysen* ; velut onus ei significaretur impositum. *Verbum autem grave* dictum est, pro quæstione gravi : unde sequitur, *Omne autem verbum leve judicabunt ipsi*.

[Ib. xx, 24.] Quod græcus habet *ἐπωνόμῳ*, *super-nominavero* aut *annominavero* expressius dicitur, quod usitatius *cognominavero* nonnulli interpretati sunt ; sed non habet necessariam significationem *cognominavero* : propinquius autem dicitur *cognominavero*, quam *noninavero* ; nam et hoc aliqui interpretes dixerunt.

[Ib. 24.] *Et veniam ad te, et benedicam te* : cum superius pluraliter loqueretur, *facietis et immolabitis*, dicit, *veniam ad te*, tanquam ipsi Israel, id est, populo.

[Ib. xxi, 4.] *Et hæc justificationes quas pones coram illis. Si emeris servum Hebræum*, etc. Notanda locutio, quemadmodum cum illud dictum sit ad Moysen, hoc est, *hæc sunt justificationes quas appones coram illis* ;

nam ad populum ipsum cætera dicuntur quasi ad Moysen, *Si emeris servum Hebræum*. Non enim hoc Moysi dictum est, sed quod populo diceret, tantum ipsi populo dicebat.

[lb. xxi, 6.] *Pertundet ei Dominus auriculam de subula, et serviet ei in sempiternum*, vel *in æternum*: quod græcus habet, εἰς τὸ αἰδίον. Ecce quemadmodum Scriptura multis locis dicit secundum hoc verbum græcum, *sempiternum*, vel *æternum*. Ubi non intelligitur æternitas illa, secundum quam nobis æterna promittuntur, vel secundum quam a contravio igne æterno mali cremabantur: neque enim servus iste qui vivere in æternum non posset, posset servire in æternum; sed intelligitur *æternum* dictum, cuius temporis finis non est; aut certe aliquid hoc sacramento significatur æternum.

[lb. 13.] *Dabo tibi locum, in quem fugiat ibi qui occiderit*.

[lb. 20.] *Si quis percusserit servum suum aut ancillam suam in virga*: quod est, de virga.

[lb. 28.] *Lapidibus lapidabitur taurus*: quasi possit lapidari nisi lapidibus. Differt aliquid ista locutio ab illa qua diceret more Scripturarum, *lapidatione lapidabitur*, sed tamen similis est.

[lb. 29.] *Si autem taurus cornupela erat ante hesternam et nudiustertianam*: pro tempore præterito posuit partem pro toto, quantumcumque illud fuisset, more Scripturarum.

[lb. 33.] *Si quis autem aperuerit lacum, aut exciderit lacum, et non operuerit eum, et ceciderit illuc vitulus aut ovinus, dominus laci reddet*. Et hæc locutio a parte totam intelligenda est: non enim si equus ceciderit in lacum aut ovis, ideo non reddet, quia hoc scriptum non est.

[lb. 34.] *Quod autem mortuum fuerit, ipsi erit*: pro, ipsius erit.

[lb. xxii, 5.] *Si autem depaverit quis agrum aut vineam, et admisit pecus suam depascere agrum alium; id est, alienum*.

[lb. 26.] *Si autem pignus acceperis vestem proximi, aut solis occasum reddes ei*: genus pro specie posuit; sic enim dictum est, ac si de omni veste pignus dederit, cum de illo specialiter se dicere ex consequentibus Scriptura testetur, qui non habet nisi eam vestem unde se nocte cooperiat.

[lb. xxii, 20, 21.] *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, ut servet te in via, et inducat te in terram quam paravi tibi. Ante te ibit<sup>1</sup>, et exaudi eum*. Angelum suum jubet Deus exaudiri a populo, non utique potentem, sed jubentem.

[lb. 28.] *Et mittam vespas ante te, et ejiciet Amorrhæos*: a plurali ad singularem numerum se convertit. Intelligitur autem, Ejiciet Amorrhæos vespa, sicut rana, sicut locusta, non quod una sit, sed quod per singularem pluralis numerus intelligatur.

[lb. 30.] *Per partes ejiciam illos a te*.

<sup>1</sup> Vetus codex Corbelensis optime notæ, ante ibi: forte interpres in græco legerat, pro eket. Nunc porro a, ud LXX habetur, proscæthe scantib Attende tibi. In vulgata, Obsecra eam.

[lb. xxiii, 32, 33.] *Non dispnes illis et diis eorum partum; et non consident in terra tua, ne peccare te faciant ad me*: non dixit, in me, idem tamen significat.

[In xxiv, 3.] *Respondit autem omnis populus voce una, dicentes*.

[lb. 10.] *Et viderunt locum ubi steterat ibi Deus Israel: ubi steterat, posset sufficere, sed hebraicæ dicuntur istæ locutiones*.

[lb. xxv, 13.] *Et inaurabis illa auro*: similis est locutio, lapidibus lapidabitur.

[lb. 29.] *Cyathos in quibus immolabunt in eis*.

[lb. xxvi, 19.] *Duas bases columnarum uni in ambas partes ejus, et duas bases columnarum uni in ambas partes ejus*. Ne de omnibus diceret, de duabus dicit more suo geminando: sicut puteos puteos, acervos acervos, generationes et generationes, et similia.

[lb. 29.] *Et columnas inaurabis auro, et inaurabis seras auro*.

[lb. xxvii, 6.] *Et inaurabis ea aramento*: talis locutio est, inaurabis auro.

[lb. 21.] *Extra velum, quod est super testamentum*: de lucerna accendenda cum diceret, hoc ait, id est quod foris accenderetur ubi est sanctum, non intra velamen quod est super testamentum, hoc est Sanctum sanctorum. Ergo *super* non sic ait, tanquam est tectum, vel camera, vel firmamentum cæli, vel arcæ cooperculum; sed etiam quod vice parietis oppositum esset, *super* dixit: sicut dicimus superiorem discumbere aut stare, non utique alterum portari ab altero.

[lb. 21.] *Legitimum sempiternum in progenies vestras*: eo modo sempiternum, quo multa superius diximus.

[lb. xxviii, 22 (a).] *Et sumet Aaron nomina filiorum Israel super rationale iudicii super pectus introeuntis sanctum<sup>1</sup>*. Consequens erat ut diceret, *introiens in sanctum*, hoc est sumet Aaron introiens, quod aliqui latini, solæcismum vitantes, interpretati sunt. Sed quia et græcus *introeuntis* habet, et latini aliqui consentiant, locutionem potius notandam credidi, quam corrigendam.

[lb. 24 (b).] *Et pones super rationale iudicii fimbrias calenatas*. Et hic latini nonnulli solæcismum caventes, *fimbrias calenatas*, interpretati sunt; græcus autem habet, τοὺς κροσσούς τὰ ἀλευειδρά. Hanc solemus dicere absolutam locutionem, cum generi masculino vel feminino neutrum inferitur; quemadmodum si dicamus, *Justitiæ terrenæ non sunt stabilia*.

[lb. 35.] *Et Aaron cum coeperit fungi sacerdotio, audietur vox ejus intranti in sanctum in conspectu Domini, et exeunti*. Vocem ejus ex tintinnabulis dixit, qui magis sonus est ejus. *Intranti et exeunti*, pro intrantis et exeuntis, posuit dativum pro genitivo.

[lb. xxix, 13.] *Et duos renes et adipem quas super eos subauditur, est, quod nonnulli interpretes addiderunt*.

[lb. 26.] *Et separabis illud separatione*.

[lb. xxx, 8.] *Et cum accendet Aaron lucernas, sero*

<sup>1</sup> sic melioris notæ Mss. At excusi, *introeuntis in sanctuarium, hoc est, etc.*

(a) Apud LXX. in vulgata v. 27.

(b) Apud LXX. in vulgata v. 30.



*incendat super illud* : sero dixit pro vespere , et ideo notanda locutio est ; ἔπειτα quippe græcus habet. Sero autem proprie non solet dici, nisi cum tempus transierit quo fieri debuit , quod sero dicitur factum.

[Ib. xxx, 12, 13.] *Si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum , et dabunt singuli redemptionem animæ suæ Domino , et non erit in eis ruina in visitatione eorum , et hoc est quod dabunt tibi.* Pendet ista locutio , quia interposita est conjunctio copulativa , quæ si non interponeretur , non penderet. Tribus autem locis est posita quorum undelibet detracta , plenam facit esse sententiam. Rursus ubi dictum est, *Si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum , et dabunt singuli redemptionem animæ suæ Domino* : si enim non dixisset, *et dabunt*, sed tantummodo dixisset, *dabunt*, finiretur sententia nec penderet ; ita enim diceretur , *Si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum , dabunt singuli redemptionem animæ suæ Domino*. Si autem hic ponitur hæc conjunctio, deorsum tollenda est, ut ita dicatur, *Si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum , et dabunt singuli redemptionem animæ suæ Domino , et non erit in eis ruina in visitatione eorum , hoc est quod dabunt.* Aut certe in medio ubi dictum est, *et non erit in eis ruina*, si detrahas conjunctionem, non pondebit sententia : erit enim sensus, *Si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum , et dabunt singuli redemptionem animæ suæ Domino , non erit in eis ruina*. Cum vero ubique posita est eadem conjunctio, pendere facit locutionem : ideo eam notandam potavimus.

[Ib. xxxii, 1.] *Conspexit populus in Aaron , et dixerunt ei* : usitata locutio est , quia ex multis populus constat. Deinde notandum, totum pro parte positum. Apostolus enim, sicut revera erat, quosdam eorum dixit hoc fecisse, non totum populum, ubi ait, *Neque idolis serviamus, sicut quidam illorum* (I Cor. x, 7).

[Ib. 4.] *Surge , et fac nobis deos qui nos præcedant.* Sediti loquebantur? an potius locutio est notanda, propter quod sæpe dicitur, *Exsurge , Domine* (Psal. xlii, 26); aut, *Surge , Deus , judica terram* (Psal. lxxxi, 8)?

[Ib. 10.] *Et nunc sine me , et iratus ira* ; quomodo, morte morietur : amat ita loqui Scriptura.

[Ib. 24.] *Cui sunt aurea demite* : non dixit quid aurea, unde latini interpretes dixerunt , *qui habet aurum demat*.

[Ib. 26.] *Quis ad Dominum , veniat ad me.*

[Ib. 31.] *Fecerunt sibi deos aureos* : de uno virtulo ; pluralem ergo numerum pro singulari posuit. Inde est et illud, *Hi dii tui Israel qui eduxerunt te de terra Ægypti*. Non sane locutiones istæ reperiuntur ubi pluralis pro singulari ponitur, nisi in eo rerum genere in quo etiam de pluribus fieri vel intelligi potest. Non enim quia unus ille vitulus erat, ideo non et plures fieri poterant, aut ideo non multis idolis similis fuerat. Ilæ locutione dictum est latrones insultasse Domino (Matth. xxvii, 44), cum hoc unum fecisse Scriptura testetur (Luc. xxiii, 39), sed non solus fuerat

latro. Quin etiam cum ista locutio fit per nomina propria, qualiter eam in Scripturis factam nondum comperimus, plures illic intelliguntur, sicut Phædras et Medæas quidam dixerunt, cum fuerit una Phædra et una Medea, sed Phædras et Medæas appellaverunt omnes similes Phædræ et Medææ. Ita non sine causa nec utcumque ac passim sicut ab imperitiis vitiose fit, sed certo modo certisque regulis istæ locutiones interponuntur.

[Ib. xxxiii, 1.] *Vade , ascende hinc tu , et populus tuus , quos eduxisti de terra Ægypti* : non, quem eduxisti, quod ita usitatum est ut variis aliter dicatur.

[Ib. 5.] *Et dixit Dominus , Deponite stolas gloriarum vestrarum et cultum , et ostendam quæ facturus sum tibi.* A plurali ad singularem numerum locutionem terminavit, quia multi erant et populus erat, sicut eis dixerat, *Vos populus dura cervice* : non dixit, tu populus, sed, *Vos populus*, cum vos, numeri sit pluralis, populus autem numeri singularis.

[Ib. xxxiv, 9.] *Si inveni gratiam in conspectu tuo , simul ambulet Dominus meus nobiscum* : tanquam de alio dicat. Assidue sunt hæc locutiones, sed cum dicitur ad Deum, putatur Patri dici de Filio. Cum autem talia dicerentur ad Pharaonem et ad Joseph et ad alios multis locis, genus locutionis intelligebatur.

[Ib. 15.] *Nequando ponas testamentum iis qui sedent super terram* : ac si diceret, sedes habent, quod est, habitant.

[Ib. 17.] *Et deos fusiles ne feceris tibi* : locutio est a parte totum significans ; non enim quia fusiles tantummodo nominavit, fieri sculpiiles, ductiles, fictilesque permisit, vel illum genus simulacrorum, aut quælibet quæ facitiorum deorum.

[Ib. 19.] *Omne adaperiens vulvam , masculina* : id est, omne adaperiens vulvam mihi erit, ex iis quæ sunt masculina.

[Ib. 20.] *Primitivum subjugalis redimes ove* : et nec a parte totum est ; neque enim si suljugale non sit jumentum quodlibet, cujus caro tanquam immunda respuitur, ideo non est redimendum, aut alio quam ove redimendum.

[Ib. 25.] *Non occides super fermentum sanguinem immolatorum mcorum* : locutio est utique, occides sanguinem, pro eo quod est, occidendo effundes.

[Ib. 25.] *Et non dormiet usque in mane immolatio solennitatis Paschæ : dormiet dixit, manebit* ; nam caro pecudis occisæ et coctæ quomodo dormiet? Quod ergo dicitur, *Quare obdormis, Domine* (Psal. xliii, 34), hoc genere locutionis dicitur, et intelligitur, *Quare cessas, id est, non vindicas*.

[Ib. 28.] De quadraginta dierum jejunio Moysi Scriptura sic loquitur, *Panem non manducavit, et aquam non bibit* : a parte totum, pane omnem cibum, et aqua omnem potum significans.

[Ib. 1.] *Excide tibi duas tabulas , sicut et primæ* : subauditur, fuerunt ; unde hoc verbum nostri interpretes etiam abendum putaverunt, quoniam inusitata est in lingua latina talis ellipsis.

[Ib. xxxv, 4.] *Et ait Moyses ad omnem synagogam*

*filiorum Israel, dicens: plenum esset, etsi non haberet, dicens.*

[Ib. xxxv, 21.] *Et attulerunt unusquisque quod offerbat cor eorum: poterat usitatus dici, Et attulit unusquisque quod offerbat cor ejus.*

[Ib. 21.] *Et quibus visum est animæ eorum, attulerunt demptionem<sup>1</sup> Domino: non dixit, et sicut visum est animæ eorum.*

[Ib. 25.] *Et omnis cui inventum est apud eum coria arietum rubricata: quod diceretur usitate, omnes apud quos inventa sunt coria arietum rubricata.*

[Ib. 24.] *Omnis afferens demptionem, argentum et æs attulerunt demptiones Domino: usitatus diceretur, omnis attulit, quam, omnis attulerunt.*

[Ib. 24.] *Et apud quos inventum sunt apud eos ligna impurabilia: apud eos more Scripturarum additum est, nam sine hoc esset plena sententia.*

[Ib. 25.] *Et omnis mulier sapiens mente, manibus nere; quasi nere posset non manibus: et sapiens nere, elegans atque inusitata locutio est. Deinde, Omnis mulier attulerunt: more superiorum plurali concluditur singularis, quia, omnis mulier attulit, usitatus diceretur.*

[Ib. 26.] *Et omnes mulieres quibus visum est sensu suo, in sapientia nerunt pilos caprinos: notandum sapientiam in his artibus sæpe appellare Scripturam, id est copiosa.*

[Ib. 28.] *Et compositiones et oleum unctionis et compositionem incensi: non compositiones aliquas extra debemus intelligere; sed cum dictum esset, et compositiones, per conjunctionem copulativam non aliud adjunxit, sed quod dixerat exposuit, ut sciremus quas compositiones, et oleum, inquit, unctionis et compositionem incensi: compositiones autem vocat, quia ex multis ista confecta sunt.*

[Ib. 29.] *Et omnis vir et mulier quorum offerbat sensus eorum, ut intrarent, et facerent omne opus quodcum-*

<sup>1</sup> Editi hic et infra, *redemptionem*: pro quo Mas. constanter, *demptionem*, juxta græc. LXX, *aphairema*.

*que præcepit Dominus fieri illud per Moysen, attulerunt filii Israel demptionem Domino. Ergo omnis vir et mulier, intelliguntur filii Israel. Cæteræ locutiones similes superioribus.*

[Ib. 32, 33.] *Facere aurum et argentum et æs: pro eo quod est facere ex auro et argento et ære; non enim aurum faciebant, sed ex auro. Tale est etiam quod paulo post dicit, Et operari ligna; hoc est, ex lignis.*

[Ib. 35.] *Facere omnia opera sancti textilia, et varia texere cocco et bysso, facere omne opus architectonicum varietatis. Ecce et in rebus textilibus architectonicum opus appellat: mirum nisi propterea, quia tabernaculum fiebat, quod ædificii simile fuit, et tanquam domus erigebatur. Quid autem dicat opera sancti, non evidenter apparet, utrum sancti sacerdotis, quoniam et de stola vel de stolis ejus hæc dicuntur; an sancti Dei, in cujus cultum hæc fiebant; an opera sancti, sicut dicebatur Sanctum et Sanctum sanctorum.*

[Ib. xxxvi, 8 (a).] *Humeralia continentia ex utrisque partibus ejus: non dixit ex utrisque partibus eorum, quamvis illa humeralia, non humerale dixisset, sicut solet humerale dicere; ipsum enim appellavit pluraliter humeralia, sicut stolam et easdem stolas.*

[Ib. 37 (b).] *Et Eliab filius Achisamaeh de tribu Dan, qui architectonatus est textilia et consutilla, et diversicoloria, texere de cocco et bysso. Novo more dicuntur architectonari textilia. Etiam illud a parte totum intelligendum est quod ait, texere cocco et bysso: ex his enim et cætera intelligimus, id est, purpura et hyacinthum.*

[Ib. xxxix, 51.] *Et fecerunt filii Israel sicut præcepit Dominus Moysi, ita fecerunt: plenum esset, etiamsi non adderetur, ita fecerunt.*

[Ib. xl, 14.] *Et fecit Moyses omnia quæ præcepit ei Dominus, ita fecit: similiter ut dictum est de filiis Israel.*

(a) Apud LXX.

(b) Apud LXX: At in Vulgata cap. 38, v. 23.

## LIBER TERTIUS.

Locutiones de Levitico.

⌘ < 0 > ⌘

(a) [LEVIT. cap. 1, § 2.] *Homo ex vobis si obtulerit dona Domino a pecoribus, a bobus et ab ovibus offeretis: hoc est, si a pecoribus offeretis, a bobus, ab ovibus offeretis. Ovium nomine etiam caprarum genus inclusit, sicut in aliis locis solet.*

[Ib. ii, 6.] *Et confringes ea fragmenta: id est, confringendo facies ea fragmenta.*

[Ib. iv, 23.] *Et cognitum ei fuerit peccatum quod peccarit in eo. Duo modi locutionis hic notandi sunt, et peccatum peccavit, et quod addidit, in eo. In quo enim nisi in ipso, id est peccato?*

[Ib. v, 1.] *Si autem anima peccaverit, et audierit vo-*

(a) Mas. aliquot et omnes hactenus editi carent prioribus hæc 31 locutionibus; quæ ex Cisterciensi codice, necnon ex Corbeiensis optime notæ et ante 800 annos conscripto aucto primo vulgantur.

*cem jurationis, et ipse testis fuerit, aut viderit, aut conscius fuerit, si non nuntiaverit, et accipiet peccatum: plus videtur habere, et; nam eo dempto integre sequitur, accipiet peccatum.*

[Ib. 1.] *Si autem anima peccaverit, et audierit vocem jurationis, et ipse testis fuerit, aut viderit, aut conscius fuerit non nuntiaverit: et positum est, pro id est: nam sic dici posset nostræ locutionis consuetudine, Si autem anima peccaverit, id est audierit vocem jurationis, et cætera.*

[Ib. 3.] *Aut tetigerit ab immunditia hominis, ab omni immunditia ejus, quam si tetigerit inquinatus, et latuit eum, post hoc autem cognoverit et deliquerit; cum recto ordine dicendum esset, et deliquerit, post hoc autem cognoverit.*

[Ib. xv, 16.] *Anima si latuerit eum oblivione, et peccaverit nolens*: non ait, si latuerit eam, quoniam animam pro homine ponit, sicut facit et in aliis, ubi animam prius dicit, quæ generis feminini est, postea masculinum infert genus ad hominem referens. Sed hic multo est hæc locutio pressior, quoniam continuatim utrumque genus positum est, ut diceretur, *Anima si latuerit eum*. Hæc locutio terruit interpretes latinos, et noluerunt eam transferre, sed ita posuerunt: *Anima si qua latuerit, et peccaverit non volens*, cum aliud sit utique si anima lateat, aliud si animam lateat: hoc autem Scriptura dicit, *si lateat eam*; non, si ipsa lateat. In græco autem alio invenimus, *Animam si latuerit ea oblivione*; sed etiam ipse in consequentibus masculinum intulit dicens, *Sacerdos exorabit pro eo, et dimittetur illi*, quod ibi habet  $\alpha\nu\tau\phi$ . Unde apparet scriptorem timuisse solœcismum, nec tamen perseverare potuisse in genere feminino victum evidentia Scripturæ consequentis.

[Ib. vi, 9.] *Ista holocaustosis super incensionem ejus super altare totam noctem usque in mane, et ignis altaris ardebit super illud*: potuit non habere et, atque ita dici, *totam noctem usque in mane ignis altaris ardebit*. Sed addita ista conjunctio facit obscuritatem his qui in talibus Scripturarum locutionibus non assuefacti sunt.

[Ib. 14.] *Ista lex sacrificii, quod offerrent illud filii Aaron, sacerdotes ante Dominum*: nihil deesset si non haberet, *illud*.

[Ib. 17.] *Sancta sanctorum est*. Sic habet et græcus, sed græca locutio est, quam nostri quidam transferre nolentes dixerunt, *Sancta sanctorum sunt*.

[Ib. 32 (a).] *Occident arietem qui pro delicto ante Dominum*. Latini interpretes addiderunt, *est*, et dixerunt, *qui pro delicto est*, quod græcus non habet.

[Ib. vii, 6 (b).] *Et si votum aut voluntarium sacrificaverit donum suum, quacumque die obtulerit sacrificium, edetur crastina die*: pro eo quod est, *postera die*; unde alii, *altera die*, interpretati sunt.

[Ib. viii, 31.] *Coquite carnes in utrio tabernaculi testimonii in loco sancto, et ibi edetis eas, et panes qui sunt in canistro consumptionis, quomodo præceptum est mihi dicens, Aaron et filii ejus edent eam*. Hanc locutionem quidam transferre nolentes dixerunt *quomodo præcepit mihi dicens*; quia hoc videtur consequens, ille autem in nostræ locutionis consuetudine solœcismus est.

[Ib. 35.] *Et ad ostium tabernaculi testimonii sedebitis septem dies, die et nocte*: pro eo quod est, *habitabitis*.

[Ib. ix, 7.] *Et ait Moyses ad Aaron, Accede ad altare, et fac quod pro peccato tuo, et holocaustum: et exora pro te et domo tua, et fac dona populi, et exora pro eis quomodo præcepit Dominus Moysi*. Non ait, *Quomodo præcepit Dominus mihi*; sed ita locutus est, quasi fuisset alter Moyses cui Dominus præcepit, et alter iste qui hoc ad Aaron loquebatur.

<sup>1</sup> Sic vetus codex Corbeionsis. At Cisterciensis, *anima*.]

(a) Apud LXX: at in Vulgata, cap. 7, v. 2.

(b) Apud LXX: at in Vulgata, v. 16.

[Ib. x, 8, 9.] *Et locutus est Dominus ad Aaron dicens, Vinum et siceram non bibetis, et cætera*. Quam locutionem Domini ita concludit, *Omnia legitima quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi*: cum Dominus loqueretur, non ait, *Quæ locutus sum ad eos per manum Moysi*; sed ea locutione usus est qua superius ipse Moyses.

[Ib. 9.] *Legitimum æternum in progenies vestras distinguere inter medium mundorum et contaminatorum, et cætera*. Notandum quemadmodum dicat, *æternum*, quod utique non erit sine fine.

[Ib. 14.] Moyses loquens ad Aaron, Eleazar et Ithamar filios ejus, inter cætera etiam hoc ait, *A sacrificiis salutarium filiorum Israel brachium ablationis et pectusculum segregatiouis super hostias adipum offerent, segregatiouem segregare ante Deum. Et erit tibi et filiis tuis et filiabus tuis tecum legitimum æternum*; cum hoc totum suum fuisset habiturum.

[Ib. xi, 9.] Cum de animantibus quæ in aquis sunt præciperet, quæ sint eorum munda vel immunda, *In aquis*, inquit, *et in mari, et in torrentibus*. Sed in mari latini codices habent, quia nimis insolens fuit pluralem numerum transferre de græco, et non dicere *in mari*, sed *in maribus*, maxime propter ambiguitatem, ne non maria, sed mares intelligerentur, id est masculi: nam nihilo minus insolens est, sed tamen interpretatum est de sanguinibus, quia latina lingua sanguinis numerum pluralem non recipit, vel in ipso nominativo casu. Nam etsi ab eo quod est mare nemo dicit maribus, dicuntur tamen maria, cum sanguines non dicantur, et tamen scriptum est, *Libera me a sanguinibus* (Psal. l, 16); et, *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus* (Psal. xv, 4). Ergo et maribus ita dici posset nisi, ut dixi, ambiguitas vitaretur. Torrentes vero isto loco pro fluminibus posuit Scriptura, cum torrentes proprie dicantur hiemales fluvii qui siccantur æstate, et ideo pisces habere non possunt. Unde nonnulli interpretes nostri non torrentes interpretari, sed flumina maluerunt. Poni autem in Scripturis torrentes pro fluminibus locus ille Psalmi satis ostendit ubi legitur, *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Non enim tale aliquid intelligi voluit nomine torrentis quod ad tempus flueret, ac deinde siccaretur, cum sequatur et dicat, *Quoniam apud te est fons vitæ* (Psal. xxxv, 9, 10); quæ utique æterna est et indeficiens.

[Ib. 21.] *Sed hæc edetis a repentibus volatilibus, quæ ambulant super quatuor, quæ habent crura superiora pedum ejus*: non dixit, *pedum suorum*.

[Ib. 44.] *Et eritis sancti, quoniam sanctus ego*: subauditur, *sum*; unde plerique nostri interpretati sunt, *quoniam sanctus sum ego*.

[Ib. xii, 1.] *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens*. Hæc usitatissima locutio est et creberrima in Scripturis, *locutus est dicens*. Sed ea quæ sequitur, rarius reperitur, et latini sermonis coarctat inopiam: græcus enim habet, *καὶ ἔπερ ἐπὶ αὐτοὺς λέγων*, quod latino exprimi posset, et dices ad eos dicens; minus autem offendit, si dicatur, et iniquis ad eos dicens; et simi-

lius est græco, quia et ille non dixit, λέγει; πρὸ; αὐτοῦ; λέγει, sed; ἐπεί; πρὸ; αὐτοῦ; λέγει.

[Ib. xii, 2.] *Mulier quæcumque semen receperit et pepererit masculum, et immunda erit septem dies*: nostri plerique noluerunt transferre, sed ita dixerunt, *Mulier quæcumque semen receperit et pepererit masculum, immunda erit septem dies*. Illa ergo locutio quoniam et græco eloquio inusitata est, posset nec in græco transferri: quia vero eam Græcos transferre non piguit, tur Latinis pignere, ignoro.

[Ib. 4.] *Triginta et tres dies<sup>1</sup> sedebit in sanguine mundo suo*. Similiter et de illa quæ feminam peperit, dictum est, *sedebit in sanguine mundo suo*, sed duplicatis eisdem diebus, id est, sexaginta sex diebus. *Sedebit* ergo dictum est manebit, non enim per tot dies de sella ei surgere non licebat.

[Ib. xiii, 2.] *Homini si cui facta fuerit in cute corporis ejus cicatrix signi lucida*. Notandum cicatricem dicere Scripturam non vulneris, sed etiam solius coloris notam.

[Ib. 2.] *Et fuerit in cute coloris ejus tactus lepræ*: tactum dicit ipsam maculam, quod ipse homo lepra sit tactus.

[Ib. 3.] *Et videbit eum sacerdos, et inquinabit eum*: pro eo quod est, inquinatum pronuntiabit.

[Ib. 3.] *Et pilus qui est in tactu convertatur albus*: id est, convertatur in album.

[Ib. 6.] *Et purgabit eum sacerdos; signum enim est*: purgatum pronuntiabit; sicut, inquinabit, quod supra dixit, inquinatum pronuntiabit.

[Ib. 7, 8.] *Et viderit eum sacerdos, et ecce commutata est significatio in cute, et inquinabit illum sacerdos*: plus habet, et; nam ea conjunctione detracta integer sensus est hoc modo, *Si autem conversa fuerit significatio in cute, posteaquam vidit eum sacerdos, ut purget illum, et vius fuerit denno sacerdoti, et viderit eum sacerdos, et ecce commutata est significatio in cute, inquinabit illum sacerdos*.

[Ib. 9, 10.] *Et tactus lepræ, si fuerit in homine, veniet ad sacerdotem, et videbit sacerdos, et ecce cicatrix alba in cute, et hæc mutavit pilum album, et a sano carnis vivæ in cicatrice*: id est, mutavit pilum in album colorem in cicatricem, *mutavit autem a sano carnis vivæ*, id est, quia non talem pilum habet, quod sanum est in carne vivat.

[Ib. 45, 46 (a).] De leproso cum loqueretur, ait, *Et immundus immundus vocabitur*; quasi non satis esset semel dicere, *immundus vocabitur*. Quæquam nonnulli codices ita habeant, in alio græco ita invenimus semel dictum, *immundus vocabitur*. Item paulo post dicit, *Cum sit immundus, immundus erit*; quod in latinarum de græco non sicut positum est exprimi potuit: ait enim Græcus, ἀκάθαρτος ὅτι ἀκάθαρτος ἵσται: quasi diceret, immundus existens, immundus erit: sed non hoc est existens, quod græcus dicit ὅτι, sed si dici pos-

set, essens, ab eo quod est esse, non ab eo quod est existere.

[Ib. xiii, 47.] *Et vestimento si fuerit in eo tactus lepræ*: potuit usitate ita dicere, *Et in vestimento si fuerit tactus lepræ*.

[Ib. 51.] *Aut in omni vase pelliceo, in quocumque fuerit in eo tactus*: poterat satis esse, *in quocumque fuerit tactus*.

[Ib. 55.] *Et ecce non commutavit tactus aspectum suum*: id est colorem in quem aspicitur; non enim aspectum quo ipse aspici: tactum quippe ipsam maculam dicit.

[Ib. xiv, 15.] *Et accipiens sacerdos de hemina olei, superfundet in manum sacerdotis sinistram*: non dixit, in manum suam sinistram, cum; utique in suam faciet.

[Ib. xv, 2.] *Viro, viro cuiusque fuerit fluor*.

[Ib. 16.] *Et homo cuiusque exierit ex eo concubitus scmidæ*.

[Ib. 21.] *Et omne super quodcumque dormit super illud: et omne super quod sederit super illud, immundum erit*.

[Ib. xvi, 21.] *Et emittet in manu hominis parati in eremum*: id est, emittet in eremum in manu hominis ad hoc parati; de hircu emissario loquebatur cum hoc diceret: notandum est autem quomodo dicat Scriptura, *in manu*.

[Ib. xvii, 3.] *Homo, homo filiorum Israel*: id est, ex filiis Israel; ista autem repetitio quemlibet hominem videtur significare, id est, ille aut ille.

[Ib. xviii, 7.] *Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuæ non revelabis*: hac locutione concubitum vetuit cum his personis.

[Ib. 14.] *Turpitudinem fratris patris tui non revelabis, et ad uxorem ejus non introibis*: *propinqua enim tuæ est*: et posuit, pro id est; hanc enim dicit turpitudinem fratris patris ejus, id est, turpitudinem patris, pendenda uxoris patris.

[Ib. 25.] *Et exhorruit terra eos qui insident super eam*: id est, sedes habent, quod est habitant.

[Ib. xix, 9.] *Et permelentibus vobis messem terræ vestræ, non perficiatis messem vestram agri tui permelere*. Hoc quod a plurali cœpit, et ad singularem numerum terminavit, plerique latini interpretari noluerunt, sed dixerunt, *agri vestri*, ubi dictum est *agri tui*, quasi græcus hoc non posset dicere: magis ergo locutio notanda fuit quam emendanda.

[Ib. xx, 17.] *Quicumque acceperit sororem suam ex patre suo aut ex matre sua, et viderit turpitudinem ejus, et ipsa viderit turpitudinem ejus, turpitudinem sororis suæ revelavit, peccatum suum accipient*: peccatum posuit pro pœna peccati.

[Ib. 25.] *Et segregabitis vosmetipsos inter medium pecorum mundorum, et inter medium pecorum immundorum, et inter medium volucrum mundarum et immundarum*. *Segregabitis vosmetipsos*, dixit; *inter medium mundorum et immundorum*, quoniam segregantur munda ab immundis, vel a mundis immunda: nova est omnino locutio. Aliud est enim, *Segregabis inter me-*

<sup>1</sup> Mss.; sex dies. Sed liquet legendum hic juxta LXX, tres dies.

(a) Hinc liber tertius lucij fit in prius edita.

dum pecorum mundorum, et inter medium pecorum mundorum, sicut scripsisse loqui solet; aliud est quod modo ait, *Segregabitis vosmetipsos*, tanquam illa ab altero segregantis, seipsos segregent ab utrisque, tanquam iudicando inter utraque.

[Ib. XXI, 1.] *Dic sacerdotibus filiis Aaron, et dices ad eos, In animabus non inquinabuntur in gente eorum, nisi in propinquo qui proximus est eis*: in luctu dicit qui debetur animabus defunctorum; ideo enim lugetur, quia excesserunt.

[Ib. 5.] *Et caritum non rademini super mortuum, et super carnes suas non secabunt sectiones*: usitata esset locutio, carnes suas non secabant sectionibus.

[Ib. 7, 8.] *Mulierem fornicariam et profanam non accipiant, et mulierem ejectam a viro suo; quoniam sanctus est Domino Deo suo*: non dixit, quoniam sancti sunt, sed tanquam de uno loqueretur, cum coeperit a plurali. Deinde sequitur singulariter, *Sanctificabit eam, dona Domini Dei vestri iste offeret; sanctus est, quoniam sanctus ego Dominus qui sanctifico eos*: rursus ad pluralem conclusit.

[Ib. XXII, 11.] *Si autem sacerdos possederit animam captam pecunia, hic edet de panibus ejus*: non dixit, haec edet, cum animam dixerit, quae generis est feminini; sed potius ad illud respexit quod per animam significare voluit, id est hominem.

[Ib. 12.] *Et filia hominis sacerdotis si fuerit viro alienigenae*: id est, si nupserit viro alienigenae.

[Ib. 26, 27.] *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Vitulum aut ovem aut capram, cum natum fuerit, et erit septem dies sub matre sua*: plus videtur habere, et, secundum usitatissimas locutiones in Scripturis, quas latini plerique transferre noluerunt.

[Ib. 32.] *Et sanctificabor in medio filiorum Israel*: quod est, sanctus habebor; neque enim Dominus etiam praeter filios Israel non est sanctus. Eo sensu dictum est et in oratione dominica, *Sanctifietur nomen tuum* (Matth. vi, 9), id est, sanctum habeatur ab hominibus.

<sup>1</sup> Editi, *sanctificati*. Mss. *sanctificati*. Apud LXX, *Hagiais, Sanctificabis*.

[Ib. XXIII, 2.] *Loquere ad filios Israel, et dices ad eos, Solemnia Domini quae vocabitis vocata sancta, ista sunt solemnia mea: sex diebus facies opera*: cum ad plures loquendum dixerit, tanquam ad unum postea loquitur.

[Ib. 15 et 16.] *Et numerabitis vobis a die crastino sabati qua obtulerit gremium superpositionis, septem septimanas integras numerabis*: non dixit, numerabitis, cum ad plures superius loqueretur.

[Ib. XXIV, 11.] *Et cum nominasset filius mulieris Israelitidis, nomen maledixit*: cum hic non addiderit, Dei, manifestum est tamen nomen Dei esse intelligendum cui maledixit.

[Ib. 15.] *Homo, homo si maledixerit Deum, suum peccatum accipiet*. Ecce ubi satis apparet locutionis esse, cum dicitur, *Homo, homo*, tanquam dicat, homo ille aut ille, hoc est quicumque homo: non sicut quidam putaverunt, *Homo, homo* ita dici, tanquam laudabiliter nuncupetur, ac si diceretur, *Homo*, sed *homo*; id est, non qualiscumque velut similis pecori, sed qui vere sit homo: quem sensum non esse verum, sed locutionis hoc esse Scripturarum, aperte hic ostenditur, cum in eo dicitur qui culpatur, non qui laudatur.

[Ib. XXV, 46.] *Cum de servis ageret, quos liceret habere Israelitis, Et erunt vobis, inquit, in possessionem in aeternum*: cum utique aeterni moriendo esse non possent vel domini vel servi; *aeternum* ergo dixit, ubi non est temporis praestitutus modus quousque serviant sicut constitutus est eis, quos in remissione dimitti jubet libertati suae.

[Ib. XXVI, 5.] *Si in praecipis meis ambulaveritis, et mandata mea observaveritis, et feceritis ea, et dabo pluviam vobis in tempore suo*: superfluum est, et, consuetudini locutionis nostrae, sed more Scripturarum additum; sequebatur enim, *dabo vobis*.

[Ib. 18.] *Et si usque adhuc non obedieritis mihi, et apponam castigare vos septies in peccatis vestris*: etiam hic superfluum est, et; sequebatur enim, *apponam castigare vos*: quod autem ait, *septies*, pro omni numero accipiendum est.

## LIBER QUARTUS.

Locutiones de Numeris.



[Num. cap. 1, § 4.] *Et vobiscum erunt unusquisque secundum caput uniuscujusque principum*.

[Ib. 22, 20.] *Filiis Simeon secundum propinquitates eorum, secundum populos eorum, secundum domos familiarum eorum, secundum numerum nominum eorum, secundum caput eorum, omnia masculina, a viginti annis et supra, omnes qui procedit in virtute, cognitio eorum*. Haec locutio quod non dicit, *filiis Simeon*, vel, ex filiis Simeon, sed, *filiis Simeon*, dativo casu, et hoc servat descriptis in caeteris tribubus, non est translata ab interpretibus latinis quos inspicere potuimus. In sola autem tribu Ruben, quae prima numerata est, non est

SANCT. AUGUST. III.

ista locutio: non enim ait, *Filiis Ruben secundum propinquitates eorum, etc.*, sed ait, *Et fuerunt filii Ruben primogeniti Israelis secundum propinquitates eorum*; et deinde similiter ut in caeteris.

[Ib. 54.] *Et fecerunt filii Israel secundum omnia quae mandavit Dominus Moysi et Aaron*; ita fecerunt.

[Ib. III, 3.] *Sacerdotes qui uncti sunt, quorum consummaverunt manus eorum sacerdotio fungi*.

[Ib. IV, 14.] *Et imponent super illud omnia vasa ejus, quibus ministrant in ipsis*.

[Ib. V, 7.] *Et reddet cui deliquit ei*: quidam locutionem istam transferre nolentes, emendato ordine

(*Dix-sept.*)

verba transtulerunt, dicentes, *Et redde: ei cui deliquit.*

[Ib. 6.] *Vir aut mulier quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis*: non ait, quæcumque fecerit; sed locutio est, ubi sexus masculinus pronomen vindicavit, quamvis posterius femininus sit positus, quæ locutio usitata non est.

[Ib. 12.] *Viri viri, si prævaricata fuerit uxor ejus*: non solum quia geminavit nomen, ut diceret, *Viri, viri*, sed etiam quia addidit, *ejus*, notanda locutio est.

[Ib. 14.] *Si superveniet illi spiritus zelandi, illu autem non fuerit inquinata, et adducet homo uxorem suam ad sacerdotem*: superfluum est, et, sed Scripturæ usitata locutio.

[Ib. 18.] *Erit aqua argutionis, quæ maledicetur hæc*: hanc locutionem inusitatum fecit ordo verborum; posset enim usitate ita dici, *Erit aqua argutionis hæc quæ maledicetur*, aut, *Erit hæc aqua argutionis quæ maledicetur*, vel si quid aliud usitata verba ordinando dici potest.

[Ib. 19.] *Innocense esto ab aqua argutionis, quæ maledicetur hæc*. In hac locutione non solus verborum ordo inusitate sonat, sed etiam casus mutatus est: esset enim integrum et usitatum, *Innocens esto ab hac aqua argutionis, quæ maledicetur*; aut, *ab aqua argutionis hæc, quæ maledicetur*.

[Ib. 27.] *Et inflabitur ventrem*; pro, *inflabitur ventre*: hæc locutio et apud latinos auctores frequentatur; sed interpretes nostri qui eam transferre noluerunt, dixerunt, *Et inflabitur venter ejus*.

[Ib. vi, 2.] *Vir vel mulier quicumque magna voverit votum*: non dixit, quæcumque.

[Ib. 9.] *Et radetur caput suum*, talis locutio est qualis superius, *inflabitur ventrem*.

[Ib. vii, 3.] *Sex vehicula tecta et duodecim boves, vehiculum a duobus principibus, et vitulum a singulis*: in hac locutione notandum putavi eosdem dictos vitulos quos boves dixerat; sed hoc etiam græcum idioma esse perhibetur.

[Ib. 41.] *Princeps unus quotidie, princeps quotidie offerent dona sua*: pro eo ut diceret, singulis diebus singuli principes.

[Ib. 15.] *Vitulum unum pro bobus, et hircum ex capris unum*.

[Ib. viii, 19.] *Et non erit in filiis Israel accedens filiorum Israel ad sancta*: videtur potuisse sufficere, *Et non erit in filiis Israel accedens ad sancta*; aut certe, *non erit filiorum Israel accedens ad sancta*.

[Ib. 20.] *Et fecit Moyses et Aaron et omnis synagoga filiorum Israel Levitis secundum quæ præcepit Dominus Moysi de Levitis; ita fecerunt eis filii Israel*.

[Ib. ix, 15.] *Et homo, homo quicumque mundus fuerit, et in riam longinquam non est, et defuerit facere pascha, exterminabitur anima illa de populo suo*: ergo *homo, homo*, locutio est, ac si diceret, quicumque homo, ille vel ille.

[Ib. 17.] *Et cum ascendisset nubes a tabernaculo, et postea promovebant filii Israel*: poterat plenum esse, *Et cum ascendisset nubes a tabernaculo, promovebant filii Israel*.

[Ib. x, 14.] *Et promovebunt ordo castrorum Juda primi*.

[Ib. 17.] *Et promovebunt filii Gerson et filii I* futuri temporis verbum posuit, cum rem gestam teritam narret, sicut in superioribus cum de nqueretur, ad cujus motum vel stationem castravebant vel consistebant (*Exod. xii, 21, 22*), at deinceps in plurium promotionibus hoc verbo

[Ib. 29.] *Et dixit Moyses Obeth filio Raguel Ma genero Moysi*: non ait, genero suo.

[Ib. 30.] *Et dixit ad eum, Non ibo, sed ad meam et ad progeniem meam*: subauditur, *ibo*.

[Ib. xi, 4.] *Et promiscuus qui erat in eis, conrunt concupiscentiam*: singularem posuit pro ut *promiscuus* diceret, non *promiscui*; et talem reddidit, cum ait, *concupiverunt*.

[Ib. 6.] *Nunc autem anima nostra arida, nihil in manna oculi nostri*: desunt verba, est et sunnum quippe esset, Anima nostra arida est, nihil in manna sunt oculi nostri: nam quidam pretes ita transtulerunt, et addiderunt verba quæ sunt in græco.

[Ib. 8.] *Et molebant illud in mola*.

[Ib. 21.] *Sexcenta millia peditem, in quibus sun*

[Ib. 25.] *Et abstulit de spiritu qui super ipsum auditur, aut erat, aut erit*. Sed hanc locutionem dicitur ellipsis, græco eloquio familiarissimam quantum puto, etiam hebræo, latinos inte transferre piguit, cum et in latina lingua frequè quamvis minus quam in græca.

[Ib. 33.] *Et percussit Dominus plagam magnam notanda fuit locutio, percussit plagam*; non, *pe plaga*, quod est usitatum.

[Ib. xii, 3.] *Et homo Moyses lenis valde*: suba erat.

[Ib. 9.] *Et ira animationis Domini super eos*: dicitur, facta est.

[Ib. 10.] *Et ecce Maria leprosa sicut nix*: et h auditur, facta est.

[Ib. xiii, 20.] *Et quæ terra, in qua isti insident eam; et quæ civitates, in quibus isti habitant in I*

[Ib. 25.] *Locum ipsum quem nominaverunt Botri*<sup>1</sup>; cum superius dixisset, *Venerunt in Botri*; dictum est ergo per anticipationem, ne jam hoc vocabatur quando venerunt, sed cum retur hic liber, jam vocabatur.

[Ib. 32.] *Quoniam fortior nobis est magis*: esset locutio si non haberet, *magis*.

[Ib. 33.] *Et protulerunt pavorem terræ, quam raverunt eam*.

[Ib. 33.] *Terram quam transivimus eam exp terra comedens qui habitant super eam est*: dic autem fuit usitate, terra quam transivimus exp

[Ib. xiv, 7.] *Terra quam exploravimus eum, et valde valde*.

[Ib. 10.] *Et ait omnis synagoga lapidare eos I dibus*: non dictum est, lapidibus; cum ipsam laj posset usitata locutione sufficere.

<sup>1</sup> Mss. constanter, *totrid*.

[Ib. 11.] *Et quousque non creantur mihi in omnibus signis, quibus feci in ipsis?* non ait, quæ feci in ipsis.

[Ib. 21.] *Puer autem meus Chaleb, quoniam spiritus alius in eo, et associatus est me, et inducam eum in terram:* usitatum esset, si non haberet, et.

[Ib. 24.] *Et inducam eum in terram, in quam intravit illic:* sufficeret usitata locutione, in quam intravit.

[Ib. 26.] *Et ait Dominus ad Moysen et Aaron, dicens:* hoc illatum est, cum Dominus et superius loqueretur. Facit hoc sæpe Scriptura, cum aliquid aliud vult dicere, iterum inducit loquentem, qui jam loquebatur.

[Ib. 29.] *Quotquot murmuraverunt super me:* non ait, de me, aut adversus me.

[Ib. 31.] *Et hereditate possidebunt terram, quam vos accessistis ab ea:* usitatum esset, a qua vos accessistis; nunc vero, et *quam accessistis* dictum est novo more, et additum est, *ab ea*, sicut Scripturæ loqui solent: sicut est, *Penitusque sonantes accessit scopulos*, id est, accessistis scopulos, non ait, ad scopulos; et, *Devenere locos* (*Æneid. lib. 1, vv. 200, 201; et lib. 6 v. 658*), non ait, ad locos: ita et *quam accessistis*, non ait, a qua accessistis.

[Ib. 35.] *Ego Dominus locutus sum, nisi ita fecero synagoga malignæ isti.* Querendum est sane quid sit quod græce positum est ἢ μὴ ἴ. nostri enim interpretes hoc pene ubique interpretati sunt, nisi.

[Ib. xv, 18.] *In terram in quam ego induco vos illic.*

[Ib. 27, 28.] *Si autem anima una peccaverit non sponte, offeret capram unam anniculam pro peccato, et exorabit sacerdos pro anima invita, et quæ peccaverit nolenter ante Dominum, exorare pro eo; et remittetur ei.* In hac sententia, et illa locutio notanda erat, quod ait, *exorabit sacerdos*, et postea dixit, *exorare*, utrumque enim simul ita dici posset, *exorabit exorare*. Et illa, quod a feminino genere incipiens ad masculinum clausit. Cum enim dixisset, *Si anima una peccaverit*; conclusit dicens, *exorare pro eo*: ubi intelligitur, pro eo hominæ: nam et quod adiunxit, *et dimittetur ei*, in latino quidem non apparet, quia hoc pronomen generis omnis est; sed in græco masculinum elucet, ubi habet ἀνδρῶ, quod hic positum est, *ei*. Quod vero hic dictum est, *pro anima invita*, intelligitur quæ invita peccaverit, non quod nolit pro se offerri. Hoc enim etiam consequenter exposuit, cum ait, *et quæ peccaverit nolenter*. Et ideo *invita* positum est, quia latine non potuit exprimi quod græce dictum est ἀκούουσα βέλους, non enim potuit dici nolentata, vel quid aliud ab eo quod nolens fecerit.

[Ib. 30.] *Et anima quæcumque fecerit in manu superbiæ;* subauditur peccatum: notandum etiam quod ait, *manu superbiæ*, manum ponens pro opere sive potestate.

[Ib. 35.] *Morte moriatur homo; lapidate eum lapidibus, omnis synagoga:* et *morte moriatur, et lapidate lapidibus*, et *lapidate, omnis synagoga*, locutiones sunt inusitatae nobis.

[Ib. xvi, 17.] *Et accipite singuli thuribulum suum.*

<sup>1</sup> Filii, ekel. At Mss. fere uti apud LXX, ἐ μὲν, quod Num. cap. 26 et 35, aliisque locis vertitur, ἢ σί.

[Ib. 35.] *Et descenderunt ipsi et omnia quæ sunt eis:* præsens posuit pro præterito, sunt pro erant vel fuerunt.

[Ib. 34.] *Et omnis Israel qui in circuitu eorum, fugerunt a voce eorum:* subauditur erat; id est, omnis Israel qui erat in circuitu eorum.

[Ib. 37.] *Quoniam sanctificaverunt thuribula peccatorum horum in animabus suis:* non dixit, quia sanctificaverunt thuribula peccatores hi in animabus suis; sed quasi quæreretur quorum thuribula pro eo ut diceret sua, dixit, *peccatorum horum*. Qui autem sanctificaverunt, intelligendum reliquit, id est, quia ipsi.

[Ib. xvii, 8] *Et ecce germinavit virga Aaron in domum Levi:* latina consuetudo, in domo Levi exigeret dici.

[Ib. xviii, 6.] *Et ego accepi fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel donationem datam Domino:* hæc locutio in latino necessitate ita translata est. Nam græcus habet δόμα δεδομένον, quod si quisquam latine velit exprimere, dicitur est, datum datum, quia et δόμα datum est, secundum quod dicit Apostolus, *Non quia quæro datum, sed requiro fructum* (*Philipp. iv, 17*), quod in græco δόμα scriptum est: et in Genesi, *Dedit Abraham data filiis suis* (*Gen. xxv, 6*); græcus habet, δόματα: et in Evangelio, *Notis bona data dare filiis vestris* (*Matth. vii, 11*); δόματα est in græco: et δεδομένον, datum est, non nomen, sed participium. Ac per hoc datum datum dici posset, tanquam datum quod datur, nisi ambiguitas vitanda esset. Hanc ambiguitatem quidam nostri interpretes vitare conantes, *donum datum* dixerunt; sed donum, græce δῶρον dicitur, non δόμα: unde hoc loco non recte diceretur, quia non sibi hoc donatum a filiis Israel dicit Deus, sed pro primogenitis sibi debitis redditum: unde et quæ redduntur et quæ donantur, data dici possunt; et ideo omne donum etiam datum est, non omne datum etiam donum est: quia non omne quod datur continuo etiam donatur.

[Ib. xviii, 12] *Omnis primitia olei, et omnis primitia vini et tritici, primitia eorum quæcumque dederint Domino, tibi dedi ea.* Non dixit, omnem primitivum tibi dedi eum; sed cum dixisset, *omnis primitia*, et enumeraret de quibus rebus esset, intulit, *tibi dedi ea*: nec saltem, tibi dedi eam, aut, tibi dedi eas, id est primitias; sed neutrum genus intulit, quod quidem fieri absoluta locutione etiam in latina lingua solet. Neque hoc quod dictum est, *primitia*, latinum videtur: primitiæ quippe numeri tantum pluralis dici solent. Sed si potuerunt interpretes nostri transferre quod in græco invenerunt, *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus* (*Psal. xv, 4*); et alio loco, *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus* (*Psal. v, 7*); cum sanguis in latina lingua numeri sit tantum singularis; cur etiam hic pigeret singularem numerum *primitia*, sicut habet græcus, exprimere? Aliqui tamen interpretes primitias transtulerunt, et per accusativum casum, ut dicerent, *omnes primitias tibi dabo*. Ita utramque locutionem nobis inusitatum, quomodo in græco inventa est, transferre noluerunt.

[Ib. xix, 2.] *Loquere filiis Israel, et accipiant a te iuvencam rufam:* pro eo ac si diceret, adducam ad te;

aut certe utrumque usitate diceretur, accipiant et adducant ad te juveneam rufam.

[lb. 7.] *Et lavabit corpus suum aqua* : hoc intelligetur etiamsi non haberet, aqua.

[lb. 9.] *Et ponet extra castra in locum mundum* : non in loco mundo dixit, quod latinæ locutionis est.

[lb. 15.] *Omne vas apertum quæcumque non habent alligaturam alligatam super ea.*

[lb. xx, 9.] *Et accepit Moyses virgam quæ ante Dominum* : subauditur, erat.

[lb. 12.] *Quia non credidistis sanctificare me in conspectu filiorum Israel* : id est, sanctitatem meam declarare. Secundum istam locutionem dictum est, *Et pro eis sanctifico meipsum* (Joan. xvii, 19) : et in oratione Dominica, *Sanctificetur nomen tuum* (Matth. vi, 9).

[lb. 15.] *Et incolæ fuimus in Ægypto dies plures* : pro, annis multis.

[lb. 18.] *Et dixit ad eum Edom* : hoc est gens ipsa ; non enim adhuc vivebat Edom qui erat Esau : sicut ipsi qui nuntios miserunt, Israel vocabantur, quod prius nomen unius hominis erat.

[lb. 19.] *Et dicunt ei filii Israel, Juxta montem transibimus : si autem de aqua tua biberimus ego et pecora mea, dabo pretium tibi* : satis eleganter a plurali transit ad singularem numerum, tanquam Israel diceret, cum dixisset, *filii Israel*, et a verbis cœpisset numeri pluralis, quod est, *transibimus* et *biberimus*.

[lb. 30.] *Et vidit omnis synagoga quia dimissus est Aaron* : non facile hoc verbum reperitur in Scripturis, *dimissus*, pro eo quod est mortuus ; hoc et in Evangelio est, ubi ait Simeon, *Nunc dimittis servum tuum in pace* (Luc. ii, 29) : verum tamen ἀπολύεις habet in græco, quod magis a resolutione quam a dimissione dictum sonat ; non enim dixit ἀπέχε, quod sine dubio est, dimittis.

[lb. 30.] *Et fleverunt Aaron triginta dies omnis domus Israel* : non dixit, flevit ; nec dixit, tota vel universa, sed *omnis*, quasi plures essent ; sicuti est, *omnis homo*, quod de omnibus dicitur, longe utique citius quam totus homo, quod de uno dicitur : sed assidue ponit Scriptura omne pro toto.

[lb. xxi, 5.] *Et detrahebat populus ad Deum et adversus Moysen* : non dixit, de Deo ; sed, *ad Deum*. Quamvis hanc locutionem quidam transferre nolentes, *detrahebant de Deo*, transtulerunt.

[lb. 7.] *Ora ergo ad Deum ut auferat a nobis serpentem* : sicut et in Exodo dictum est, *ranam* (Exod. viii, 6), singulare pro plurali.

[lb. xxi, 9.] *Et factum est quando momordit serpens dominum, et aspexit in æneum serpentem, et vivebat* : non solum hoc habet ista locutio quod vertit modum verbi, et a specie perfecta præteriti temporis ad imperfectam clausit, sed etiam quod plus habet, et.

[lb. 11.] *Et elevantes ex Oboth, castra collocaverunt in Achalgai trans in eremo* : hoc est, in ulteriore eremo.

[lb. xxii, 23.] *Et percussit asinam in virga* : non dixit, virga, sed, *in virga*.

[lb. xxi, 12.] *In maledictionem inimicorum meorum* : non dixit,

benedictione, sed tanquam diceret, ecce dixisti benedictionem.

[lb. 12.] *Quæcumque miserit Deus in os meum, hæc observabo loqui* : non dixit, hæc observabo.

[lb. 13.] *Veni mecum adhuc in locum alium, de quo non videbis eum inde.*

[lb. xxv, 4.] *Et ait Dominus ad Moysen, Accipe duces populi, et ostenta eos Domino contra solem, et avertetur ira animationis Domini ab Israel* : cum Dominus loqueretur ; non dixit, et ostenta eos mihi, et avertetur ira mea ab Israel.

[lb. 15.] *Domus familiæ est Madian* : de muliere hoc dixit, quæ cum adultero Israelita percussa est ; quibus verbis, quantum puto, intelligi voluit nobilem fuisse, ut diceret eam, *domus familiæ*, sicut jam vulgo ad insigne divitiarum et paterfamilias et materfamilias dicitur.

[lb. xxvi, 4.] *Et locutus est Dominus ad Moysen et ad Eleazar sacerdotem dicens, Accipe principium totius synagogæ filiorum Israel a viginti annis et supra* : notandum quid appellaverit *principium*, robur scilicet ætatis in populo.

[lb. xxvii, 20 et 21.] *Ut exaudiant eum filii Israel ; et, In ore ejus exibunt ; et, In ore ejus introibunt*, id est, cum jusserit.

[lb. 22.] *Et fecit Moyses secundum quæ præcepit illi Dominus ; et assumens Jesum statuit eum ante Eleazarum sacerdotem*, etc., ubi hoc notandum fuit, quia cum jam dixisset, *Et fecit Moyses secundum quæ præcepit illi Dominus*, eadem ipsa repetit.

[lb. 23.] *Et commendavit eum secundum quæ præcepit Dominus Moysi* : non ait, secundum quæ præcepit illi Dominus.

[lb. xxviii, 15.] *Decimam decimam similaginis consparsam in oleo agno uni* : id est singulas decimas singulis agnis ; quod enim ait, *Decimam decimam*, significavit quod repetendæ sint decimæ per singulos agnos.

[lb. 16 et 17.] *In mense primo quarta decima mensis hujus dies festus, septem dies azyma edetis* : notandum diem festum per plures dies celebrari ; et tamen diem festum dici, non dies festos, ipsius festivitatis celebrationem, quotquot dies tenuerit.

[lb. xxix, 4.] *Et mense septimo una mensis* Secundum hanc locutionem dictum est in Genesi, *Et facta est vespera, et factum est mane dies unus* (Gen. i, 5) : nam et ibi sicut hic græcus habet ἡμέρας μία, unde quidam hic interpretantes *prima die mensis*, necessariam locutionem prætermiserunt, quamvis a sententia verborum non recesserint.

[lb. 2.] *Vitulum unum ex bobus, arietem unum* : non ait, ex ovibus, sicut illud *ex bobus*, cum et illud si deesset, plenum esset.

[lb. 2.] *Agnos anniculos sine vitio septem* : hoc quod in agnis posuit, *sine vitio*, per omnia subauditur, et in vitulo scilicet, et in ariete.

[In 4.] *Decima decima agno uni, septem agnis* : id est, singula singulis.

[lb. 59.] *Exceptis votis vestris, et voluntaria vestra, et holocaustomata vestra, sacrificia vestra, et libamina vestra, et salutaria vestra*. Hanc locutionem, si vel græca



esset, non notarem : non enim ait, *Exceptis votis vestris et voluntariis vestris, et cætera, ut cœperat; sed neque, Excepta vota vestra, ut ab ipso velut solœcisano inciperet*: sed cum prius recte usitata locutione dixisset, *Exceptis votis vestris*; ea deinde adjunxit per alium casum, ubi subaudiri non possit, *exceptis*, sed, *excepta*; quod non admittit nec græca nec latina locutio.

[Ib. xxx, 3.] *Homo, homo quicumque voverit votum Domino*: pro eo quod est, omnis homo.

[Ib. 4.] *Cum autem mulier voverit votum Domino, aut defuerit definitione in domo patris sui in juventute sua*. Hic mulierem feminam dicit etiamsi virgo sit, more Scripturarum: unde etiam de Christo est, quod ait Apostolus, *Factum ex muliere* (Galat. iv, 4).

[Ib. 4.] *Et audierit pater ejus vota ejus et definitiones ejus, quas definiuit. Definitiones definiuit, locutio est.*

[Ib. 4.] *Definuit adversus animam suam*: id est, adversus delictationes animæ suæ.

[Ib. 4.] *Et tacuerit pater ejus, et stabunt omnia vota ejus*: hic plus habet, et; nam integer sensus est, *Si audierit et tacuerit pater ejus, stabunt omnia vota ejus*.

[Ib. 7.] *Si autem facta fuerit viro*: intelligitur, susceperit; Scriptura sic loquitur.

[Ib. 7.] *Et vota ejus super eam*: subauditur, sunt, quod nonnulli interpretes etiam addiderunt.

[Ib. 15.] *Omnia quæcumque exierint ex labiis ejus secundum vota ejus, et secundum definitiones quæ adversus animam ejus, non manent ei, et cum expectaretur numerus pluralis, ut diceret, non manent ei; nam ita nonnulli interpretati sunt, vitantes istum quasi solœcisanicum.*

[Ib. xxxi, 4.] *Mille ex tribu, et mille ex tribu, ex omnibus tribubus Israel*. Numquid duodecies dixit mille? Et tamen repetitio ista millenos significat.

[Ib. 8.] *Interfecerunt in gladio*: quod usitate diceretur, interfecerunt gladio.

[Ib. 10.] *Et omnes civitates eorum, quæ in habitacionibus eorum*: subauditur, erant.

[Ib. 10.] *Et villas eorum succenderunt in igni*: quod usitate diceretur, succenderunt igni.

[Ib. 18.] *Et omnem multitudinem mulierum, quæ non novit concubitum masculi, vivificate*. Nusquam certius apparet hebræa locutione mulieres etiam dici virgines solere.

[Ib. 28 et 29.] *Et a dimidia parte eorum accipietis, et dabis ea Eleazar sacerdoti primitias Domini*: non dixit, dabis.

[Ib. 35.] *Et animæ hominum a mulieribus, quæ non cognoverunt concubitum viri, omnis anima duo et triginta millia*: et hic superior locutio confirmata est, mulieres dici etiam quæ non cognoverunt concubitum viri, id est virgines.

[Ib. 54.] *Et accepit Moyses et Eleazar sacerdos aurum a chiliarchis et a centurionibus, et intulit ea in tabernaculum testimonii*. Videtur dicere debuisse, et intulit illud in tabernaculum testimonii; quoniam aurum acceptum esse prædixerat, et plerique latini codices sic

habent: sed ideo pluraliter videtur illatum ut diceret, *intulit ea*, quia multa vasa fuerant superius commemorata, in quibus erat hoc aurum.

[Ib. xxxii, 1.] *Et pecora, multitudo erat filiis Ruben et filiis Gad, multitudo copiosa valde*: non dixit, et pecorum multitudo erat.

[Ib. 1.] *Et viderunt regionem Jazer et regionem Galaad, et erat locus, locus pecoribus*: non jungendum est in pronuntiatione quod bis dixit *locus*; sed subdistingendum, et erat locus, et deinde inferendum, locus pecoribus. Quasi enim expectaretur qualis locus, ita repetitio eleganter illata est.

[Ib. 2.] *Et accedentes filii Ruben et filii Gad, dixerunt ad Moysen et Eleazar sacerdotem, et ad principes synagogæ, dicentes*: non est ista vel græca vel latina locutio, *dixerunt dicentes*, sed hebræa videtur.

[Ib. 5.] *Detur terra ista famulis tuis in possessionem*: quasi de aliis dicerent, cum sibi peterent.

[Ib. 12.] *Non enim secuti sunt post me, præter Chaleb filius Jephone*. Videtur dicere debuisse, præter Chaleb filium Jephone; sed nominative intulit, quia præcessit, *secuti sunt*. Est autem ista locutio etiam latina; sed rara.

[Ib. 15.] *Donec consumeretur omnis generatio facientes maligna in conspectu Domini*: non dixit, faciens maligna; neque, facientium maligna.

[Ib. 16.] *Et accesserunt ei, et dixerunt*: non ait quod usitatum est, accesserunt ad eum.

[Ib. 24.] *Et edificabitis vobis ipsis civitates impedimentis vestris*: ac si diceret, ædificabitis vobis ipsis civitates propter impedimenta vestra.

[Ib. 26, 27.] *Impedimenta nostra et uxores nostras et omnia pecora nostra erunt in civitatibus Galaad, pueri autem tui transibunt omnes armati*: non dixerunt, nos autem transibimus omnes armati, sed tanquam de aliis dicerent.

[Ib. 28.] *Et commendavit eis Moyses Eleazar sacerdotem et Jesum filium Nave, et principes familiarum tribuum Israel*. Non ait, commendavit eos Moyses Eleazar sacerdoti, quod utique ordo locutionis usitata exigebat: per hos enim introducti sunt in terram, quam petebant: unde magis illi istis a quibus introducebantur in terram postulatam, quam isti qui introducebant, illis quos introducebant, commendati videntur.

[Ib. 30.] *Si autem non transierint armati vobiscum in bellum in conspectu Domini, et transferite impedimenta eorum*: plus habet, et.

[Ib. 33.] *Et dedit eis Moyses filiis Gad et filiis Ruben*: plus habet, eis.

[Ib. xxxiii, 14.] *Et non ibi erat aqua populo bibere*: pro eo quod est, ad bibendum.

[Ib. 51.] *Loquere filiis Israel, et dices ad eos*: sufficere videtur, loquere filiis Israel.

[Ib. 52.] *Et omnia idola fusilia eorum perdetis eis*: plus habet, ea.

[Ib. xxxiv, 6.] *Hoc erit vobis fines maris*: non dixit, hi erunt vobis.

[Ib. 7. *Et hoc erit vobis fines ad Aquilonem* : eadem repetita locutio est.

[Ib. xxxv, 3.] *Et crunt civitates eis habitare*: pro eo quod dici solet, ad habitandum.

[Ib. 11.] *Refugia erunt vobis fugere illo homicidam* : quod usitate dici potest, ut fugiat illo homicida.

[Ib. 15.] *Et incolæ qui in vobis, istæ civitates in refugium* : singulari numero positum est *incolæ* ; id est, huic incolæ qui in vobis, quoniam minus habet, est ; non enim ait, qui in vobis est, notissima locutione, sed rariore in lingua latina quam in græca.

## LIBER QUINTUS.

locutiones de Deuteronomio.



[DEUTER. cap. 1, § 7.] *Usque ad flumen magnum, flumen Euphratem* : non dixit, usque ad flumen magnum Euphratem.

[Ib. 17.] *Et iudicium quod durum fuerit a vobis, afferetis illud ad me* : non dixit, quod durum fuerit vobis, sed, a vobis ; id est, ita durum, ut a vobis iudicari non possit.

[Ib. 35.] *Si videbit aliquis virorum istorum terram optimam hanc, quam iuravi patribus eorum, præter Chaleb filius Jephone, hic videbit eam* : et in libro Numerorum istam locutionem notavimus, quia non dixit, præter Chaleb filium Jephone ; sed, filius.

[Ib. II, 7.] *Dominus enim Deus vester benedixit te in omni opere manuum tuarum* : non ait, benedixit vos in omni opere manuum vestrarum, cum prædixisset, vester, non, tuus.

[Ib. 21.] *Nunc ergo surgite, et promovete, et pertransite vos vallem Arnon ; ecce tradidi in manus tuas Seon regem Esebon* : non dixit, in manus vestras, sed a plurali ad singularem transit.

[Ib. IV, 7.] *Quoniam quæ est gens magna, cui est ei Deus appropians illis* : duo sunt hic notanda ; vel quod ait, cui est ei, vel quod non ait, appropians illi, sed, appropians illis.

[Ib. 12.] *Et similitudinem non vidistis, sed vocem* : cum vox non possit videri, sed generaliter hoc verbum posuit, tanquam ad omnem corporis sensum videre pertineat.

[Ib. 5 et 14.] *In quam vos ingredimini illo, hæreditare eam* : plenum esset etiamsi non additum esset, illo.

[Ib. 20.] *Et eduxit vos de fornace ferrea ex Ægypto* : fornacem ferream, duram tribulationem intelligi voluit ; secundum hoc et de Joseph dictum est in Psalmis, *Ferrum pertransiit animam ejus* (Psal. civ, 18).

[Ib. 22.] *Et non transeo Jordanem hunc* ; quasi et alius sit Jordanis : ex hac locutione arbitror sæpe dici etiam hunc mundum, quasi alius sit.

[Ib. 25.] *Si autem genueris filios et filios filiorum tuorum* : notanda locutio est, ubi et avos nepotes dicit gignere.

[Ib. 29.] *Et quæretis ibi Dominum Deum vestrum ; et inventetis eum, quando exquiretis eum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua in tribulatione tua* : non dixit, in toto corde vestro, et in tota anima vestra, in tribulatione vestra.

[Ib. 32.] *Interrogate dies priores, qui fuerunt priores te* : non dies, sed homines intelligendum est. Similiter et hoc notandum quod etiam superius cum dixerit, *Interrogate pluraliter, priores te* intulit singulariter ; non, priores vobis.

[Ib. 34.] *Si et tentavit Deus ingressus accipere sibi gentem de media gente* : tentavit, pro eo quod est voluit, positum est, aut quid aliud : quod autem ait, de media gente, de mediis gentibus intelligendum est, singulari posito pro plurali ; sicut serpentem, ranam, et locustam, pro serpentibus ; ranis et locustis, scriptum legimus.

[Ib. 31.] *Secundum omnia quæ fecit Dominus Deus vester in Ægypto coram te vidente* : nihil minus est, etsi non addatur, vidente.

[Ib. v, 5.] *Et ego stabam inter Dominum et vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini ; quoniam tenuistis a facie ignis, et non ascendistis in montem, dicens, Ego sum Dominus Deus tuus, etc. Dicens* posuit pro, cum diceret.

[Ib. 14.] *Et advena qui incolit in te* : populo dictum accipiendum est, non quasi uni homini, quia in populo incolit advena.

[Ib. 15.] *Propter hoc constituit tibi Dominus Deus tuus, ut observes diem sabbati, et sanctificare eum* : si, et, non haberet, non videretur inusitata locutio, ut observes diem sabbati sanctificare eum ; aut certe si ita esset, ut observes diem sabbati et sanctifices eum ; aut ita, propter hoc constituit tibi Dominus Deus tuus observare diem sabbati et sanctificare eum : nunc vero, ut observes diem sabbati, et sanctificare eum, inusitata et notanda locutio est.

[Ib. vi, 13.] *Attende tibi, ne dilatetur cor tuum, et obliviscaris Domini Dei tui* : notandum etiam in malo dici posse dilatationem cordis ; exsultatio quippe in dilatatione intelligitur, cui contrariæ sunt angustia, id est tristitia : utrumque autem potest et in bono et in malo accipi.

[Ib. 20.] *Et erit cum interrogaverit te filius tuus cras dicens* : cras posuit, pro futuro quocumque tempore.

[Ib. vii, 1.] *Septem gentes magnas et multas* : quomodo ergo multas, si septem ? sed multas dixit multitudinem habentes.

[Ib. 2.] *Non dispones ad eos testamentum ; cum de gentibus diceret* : testamentum ergo pro pacto posuit

[Ib. 3 et 4.] *Et filiam ejus non sumes filio tuo; discedere enim faciet filium tuum a me, et serviet diis aliis, et irascetur indignatione Dominus in vos: non ait, irascar, sed tanquam de alio diceret.*

[Ib. ix, 1.] *Civitates magnas et muratas usque in caelum: hyperbolice dictum.*

[Ib. 4.] *Ne dicas in corde tuo, cum consumpserit Dominus Deus tuus gentes istas ante faciem tuam, dicens, Propter justitias meas induxit me Dominus haereditare terram bonam istam: ordo est, Ne dicas in corde tuo dicens.*

[Ib. 28.] *Ne quando dicant inhabitantes terram, unde eduxisti nos inde: more Scripturae additum est, inde.*

[Ib. xi, 3.] *Quae fecit virtutem Aegyptiorum: hoc interpretes quidam latini minus intelligentes noluerunt dicere virtutem, sed virtuti, vel exercitui; quoniam id quod ait Graecus ἰσχυρισμῶν, nonnulli exercitum intellexerunt. Sed elegans locutio est, Quae fecit virtutem eorum; intelligendum est quid eam fecit; quoniam ad nihil eam redegit: sed quia pluraliter dictum est, ideo subobscurum est.*

[Ib. 6.] *Quos aperiens terra os suum deglutivit eos, et domos eorum, et tabernacula eorum: duae locutiones hic notandae sunt, quod et additum est, eos, cum sufficere posset quod ait superius, quos; et domos eorum cum dixisset, addidit et tabernacula eorum, quasi alias in eremo haberent domos nisi tabernacula. Sed nimirum domus intelligi voluit homines ad eos pertinentes, sicut ipsi populo dicitur, Et nunc tu, domus Jacob (Isai. ii, 5). Nec ista locutio aliena est a latina lingua: nam et Romani dicti sunt domus Assaraci (Aeneid. lib 1, v. 284), quod ex Assaraco Trojano originem ducerent.*

[Ib. 7.] *Quoniam oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna, quae fecit in vobis hodie: cum de his operibus diceret, quae per eremum facta sunt eo tempore quo ibi circumducebantur per quadraginta annos; tamen hodie dixit, quod intelligi voluit hoc tempore, quotquot ibi annos idem tempus habere potuisset.*

[Ib. 9.] *Terram quam juravit Dominus patribus vestris dire eis, seminique eorum post eos: tanquam diceret, id est semini eorum post eos; non enim et ipsis dedit, sed ita ipsis dedit, cum semini eorum dedit.*

[Ib. 13.] *Si autem auditu audieritis omnia mandata ejus, quae ego mando tibi hodie; auditu videtur superfluum, sed locutio est Scripturae sanctae familiarissima.*

[Ib. 14.] *Et dabit pluviam terrae tuae in tempore suo matutinum et serotinum<sup>1</sup>. Cum matutinum tempus dies dicatur, nuncquid hinc intelligi voluit tempus anni primum? Serotinum vero minus latinum est; sed non potuit magis proprie de graeco exprimi, quod illi dicunt ἄρπυριον tamen etiam in latina lingua vulgo usitatum est; ut dicatur serotinum, sed quod tardius quam oporteat factum est; hic vero tempus anni potius intelligi voluit.*

<sup>1</sup> uss. quinque hic tantum, matutinam et serotinam.

[Ib. 15 et 16.] *Et cum comederis, et satiatu fueris, attende tibi ipsi ne dilatetur cor tuum, et pravaricemini et serviat diis aliis. Jam superius tales locutiones notavimus, sive quod a singulari ad pluralem transit, sive quod in malo voluit intelligi dilatetur, ubi noxiam prosperitatem significavit.*

[Ib. 24.] *Et flumen magnam flumen Euphratem, repetitiones istae usitatae sunt in Scripturis, et rem decenter commendant.*

[Ib. 25.] *Timorem vestrum et tremorem vestrum imponet Dominus Deus vester super faciem universae terrae: non timorem et tremorem quo ipsi timent et tremunt, sed quo timentur et alios tremere faciunt.*

[Ib. xii, 17.] *Non poteris manducare in civitatibus tuis decimationem frumenti tui: pro eo quod est, non debebis.*

[Ib. xiii, 16.] *Et incendes civitatem in igni: nos usitatus diceremus, igni.*

[Ib. xiv, 24.] *Si autem longe fuerit via a te: ac si diceret, longa via fuerit; adverbium posuit pro nomine.*

[Ib. xv, 6.] *Et fenerabis gentes multas. Fenerationem Scriptura dicit mutuo datam pecuniam, etiamsi usura non accipiantur: unde est et illud in Psalmo, Deus qui miseretur et commodat (Psal. cxi, 5). Hoc enim maluerunt interpretari nostri, qui sententiam potius quam verba sequenda putaverunt: nam in graeco habet δανεισι, quod est feneratur.*

[Ib. 6.] *Et principaberis gentium multarum; tui autem non principabuntur: tanquam diceret, tibi non dominabuntur, hoc est gentes: genitivus enim casus est singularis hujus pronominis quod ait tui, cujus dativus est tibi; non pluralis nominativus, cujus genitivus est tuorum.*

[Ib. 7.] *Si autem fuerit in te egenus in fratribus tuis: non uni homini, sed populo dicitur, ideo in te.*

[Ib. 7, 8.] *Si autem fuerit in te egenus in fratribus tuis in una civitatum tuarum, in terra quam Dominus Deus tuus dat tibi, non avertes cor tuum, neque constringes manum tuam a fratre tuo egente: aperiens aperies manus tuas ei, fenus fenerabis ei quantumcumque postulat, et quantum eget. Illic certe cum opera misericordiae praecipiat, non utique usurarum crudelitas suscipienda est: unde apparet quod ait, fenus fenerabis ei, mutuo dandum quod postularet, intelligi voluisse. Quod autem ait, aperiens aperies manus tuas, tale est et quod sequitur, fenus fenerabis, usitata locutio est in Scripturis sanctis.*

[Ib. 17.] *Cum de aure pertundenda servi praecipisset, Et ancillam, inquit, tuam facies similiter: accusativum pro dativo ponens; non ait, ancillae tuae facies, quod locutionis nostrae consuetudo poscebat.*

[Ib. 21.] *Si autem fuerit in eo vitium, claudum aut caecum, vel omne vitium malum: non ait, claudicatio aut caecitas, ipsa enim sunt vitia; sed claudum, et caecum, quod sunt non vitia, sed animalia quae habent vitia. Hoc quoque notandum est quod ait, vitium malum, quasi posset esse vitium bonum.*

[Ib. xvi, 4] *Et non dormiet de carnibus, de quibus*

*innolueritis vespere die primo usque in mane* : pro eo quod est, non remanebit ea nocte, non dormiet dictum est.

[Ib. xvii, 1.] *Non offeres Domino Deo tuo ritulum vel orem, in quo est in ipso vitium* : usitata locutio esset, in quo est vitium ; sed ista Scripturis est usitatio.

[Ib. 5.] *Et lapidabis eos in lapidibus, et morientur* : quod ex nostra consuetudine diceretur, lapidibus, non in lapidibus.

[Ib. 16.] *Non multiplicabit sibi equum* : pro equis vel pro equitatu, *equum* posuit ; unde nonnulli *equitatum* interpretati sunt.

[Ib. 15.] *Non poteris constituere super te hominem alienum, quia non est frater tuus* : *Non poteris*, dictum est pro, non debetis.

[Ib. xviii, 16.] *Secundum omnia quæ petisti a Domino Deo tuo in Horeb, in die convocationis, dicentes* : cum dixerit superius *petisti*, dicentes subiecit, non, dicens.

[Ib. xx, 4.] *Quoniam Dominus Deus noster, qui præcedit vobiscum* : non dixit, vos.

[Ib. xxii, 6.] *Si occurreris nido avis ante faciem tuam in via*. Notandum quod *ocurreris* dixit etiam non ambulanti.

[Ib. 8.] *Si autem ædificaveris domum novam, facies coronam solaris tuo, et non facies homicidium in domo tua, si cadat qui cecidit ab eo* : id est, a solaris cadat qui cecidit ; nimis inusitata locutio est.

[Ib. xxiv, 2 et 3.] *Et aliens fuerit viro alteri, et oderit eum vir novissimus*. Notandum ex duobus posteriorem novissimum dici : talis locutio est et in Evangelio, quando queritur ex duobus fratribus quis eorum fecerit voluntatem patris, et respondetur *novissimus*, cum duo fuerint (*Matth. xxi, 31*).

[Ib. 6.] *Non pignerabis molam, neque superiorem lapidem molæ, quia animam iste pignerat* : pro eo quod est, quia animam pignerat, si feceris. Deinde notandum animam dixisse, pro ea vita quam habet anima in corpore : ex qua locutione et illud est in Evangelio, *Nonne anima plus est quam esca* (*Matth. vi, 25*) ?

[Ib. 7.] *Si autem deprehendatur homo furans animam ex fratribus suis filiis Israel* : animam pro homine posuit. Denique sequitur, *et opprimens eum vendiderit* ; quæ non minus notanda est locutio : noluit enim dicere, eam, quod esset magis consequens, quoniam animam dixerat ; sed *eum*, id est hominem, in cujus significatione dixerat animam.

[Ib. 10.] *Si debitum fuerit in proximo tuo, debitum quodcumque* : repetitio verbi locutionem notandam facit.

[Ib. xxv, 7.] *Si autem noluerit homo accipere uxorem fratris sui, et ascendet mulier in porta ad senatum et dicet, Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel, noluit frater viri mei*. Quamvis verborum repetitiones amet Scriptura, inusitatio est tamen repetitio hæc : sed elegantius querelæ ostentat affectum.

[Ib. xxvii, 21.] *Maledictus omnis qui dormierit cum*

*omni pecore* : pro eo quod est, concubuerit. Deinde *cum omni pecore*, pro eo quod est, cum quolibet pecore.

[Ib. xxviii, 48.] *Et servies inimicis tuis, quos immittet Dominus Deus tuus super te*. Græcus habet *λαρπαρισ*, ubi latinus interpretatus est, *servies* : solet autem hoc verbum in ea servitute Scriptura ponere, quæ debetur Deo ; unde idololatræ appellantur, qui ea servitute idolis serviunt : ergo hic inusitate positum est hoc verbum. Quanquam possit etiam hunc sensum habere, quod tam graviter multa dixerit, ut inimicis suis nimium superbientibus tanquam diis servisse cogantur.

[Ib. 49.] *Gentem cujus non audies vocem ejus* : et hoc notandum est, quod et *cujus* dixit, et *ejus*, sicut loqui Scripturæ solent ; et in quod ait, *cujus non audies vocem*, pro eo quod est, *cujus linguam non intelliges*.

[Ib. 54 et 55.] *Mollis in te et tenera valde fascinabit oculo suo fratrem suum, et uxorem quæ est in sinu ejus, et qui reliqui sunt filii quicumque velicti fuerint illi ; ita ut det uni ex eis a carnibus filiorum suorum de quibuscumque edet, eo quod non derelictum sit ei quidquam in angustia et tribulatione, qua tribulabunt te inimici tui in omnibus civitatibus tuis*. Notandum est quemadmodum hic dictum sit *fascinabit*, pro *invidet*, et tanquam ad hoc derelicto, ut necesse sit ei dare de carnibus filiorum, quas cogit necessitas in cibum sumi a parentibus. Nam et in Proverbis quod latini codices habent, *Non carnabis cum viro invidio* (*Prov. xxiii, 6*) ; græcus habet, *ἀπέφθασάνη βόσκων* ; autem *fascinus* dicitur.

[Ib. 65.] *Et erit sicut lætatus est Dominus in vobis, benefacere vobis*. Græcus habet, *benefacere vos*, nec videtur esse saltem græca locutio : accusativus tamen pro dativo positus intelligitur ; unde maluerunt latini interpretes dicere *vobis*, quam *vos*.

[Ib. xxix, 2.] *Vos vidistis omnia quæ fecit Dominus Deus vester in terra Ægypti, coram vobis, Pharaoni et servis ejus omnibus et omni terræ illius, tentationes magnas, quas viderunt oculi tui* : notandum illas plagas etiam *tentationes* vocari.

[Ib. xxx, 4.] *Si fuerit dispersio tua a summo cæli usque ad summum cæli, inde congregabit te Dominus Deus tuus*. Mirum si non hoc dicit, *a summo cæli usque ad summum cæli*, quod solet etiam dicere, *a summo terre usque ad summum terræ* : fortasse propterea quia secundum id quod et iste aer cælum dicitur, conjungitur terræ.

[Ib. 12 et 13.] *Non in celo est, dicens, Quis ascendet in cælum, et accipiet nobis illud, et radientes in una faciemus ? Neque trans mare est, dicens, Quis transfretabit nobis trans mare, et accipiet nobis illud, et audientes illud faciemus ? dicens* pro eo posuit quod est, ut dicat : nova locutio.

[Ib. xxxi, 8.] *Et Dominus qui comitatur tibi tecum*.

[Ib. 16.] *Et dixit Dominus ad Moysen, Ecce tu dormies cum patribus tuis* : hoc verbo ejus mortem significavit.

[Ib. 27.] *Amaricantes eratis quæ ad Deum* : id est, amaricabatis ea quæ Dei sunt.

[Ib. 29.] *Selo enim quia post obitum meum, iniquitatem facietis; uno verbo autem græce dicitur, iniquitatem facietis, quod est ἀνομιήτε.*

[Ib. 29.] *Et occurrent vobis mala novissimum dierum: sic enim habet græcus, pro in novissimis diebus, aut in novissimo dierum.*

[Ib. xxxii, 6.] *Nonne hic ipse pater tuus possedit te, et fecit te, et creavit te? ordo notandus est; prius enim videtur dicere debuisse, creavit te et fecit te, et deinde, possedit te. Quomodo enim intelligitur posse possideri qui non est?*

[Ib. 14.] *Cum adipe renum tritici. Hæc metaphora nimis inusitata est, ut renes tritici intelligantur velut interiora tritici, unde farina ejicitur: hoc enim et adipem dixit; nam hoc nomine etiam farinam solent Græci dicere: hoc enim habet græcus in Exodo, ubi scriptum est, *Elevantes farinam super humeros suos (Exod. xii, 34)*; græcus quippe interpret *ordata* posuit, quod sunt adipēs.*

[Ib. 20.] *Filii in quibus non est fides in eis: usitata Scripturis locutio.*

[Ib. 36.] *Quoniam judicabit Dominus populum suum, et in servis suis consolabitur: pro, servos suos consolabitur; nisi forte ipsum consolari dicit translate verbo, velut ab indignatione et offensione, qua eum offendunt mali. Sic autem ejus consolatio accipienda est, non ex more hominum, sicut nec ira et zelus, et cætera talia.*

[Ib. 37.] *Ubi sunt dii eorum, in quibus fidebant in ipsis: plenum esset et sine, in ipsis.*

[Ib. 40.] *Et jurabo dexteram meam: id est, per dexteram meam.*

[Ib. 42 (a).] *Lætamini cœli simul cum eo, et adorent eum omnes Angeli Dei: alii codices habeant, et adorent eum omnes filii Dei. Filios autem Dei dictos, qui Angeli sunt in cœlis, non facile in Scripturis sanctis invenitur.*

(a) Apud LXX.

## LIBER SEXTUS.

Locutiones de Jesu Nave.



[Jos. cap. 1, § 14.] *Vos autem transibitis expeditiores fratribus vestris, omnis fortis: id est, omnis quicumque in vobis fortis est.*

[Ib. iii, 4.] *Ut sciatis viam, quam ibitis eam: plenum esset, etiam si non haberet, eam.*

[Ib. v, 13.] *Et factum est, cum esset Jesus in Jericho: notanda locutio est; nondum quippe erant in eadem civitate, cujus portæ contra illos clausæ fuerant, unde factum est ut in eam intrare non possent, nisi muri ejus cecidissent circumacta arca Domini: ergo in Jericho dictum est, in terra quæ pertineret ad Jericho.*

[Ib. vi, 1.] *De Jericho dictum est cum clausa esset, Nec quisquam ex illa prodibat, neque introibat: utique in illam subauditur, non ex illa; hoc appellatur græce ζήτημα καὶ ἔλλειψις.*

[In 21.] *Dominus dicit ad Jesum: Ecce ego trade tibi subjugatam Jericho, et regem ejus qui est in ea, potentes fortitudine. Mirandum quod non hic posuit conjunctionem copulativam ut diceret, et potentes fortitudine, quam solet Scriptura tam assidue ponere, ut etiam ibi inveniat ubi sensum solitæ locutionis impediatur: an et Jericho et rex ejus dicti sunt potentes fortitudine?*

[Ib. 23, et iv, 9.] *Et Raab meretricem et domum paternam ejus vivificavit Jesus, et commorata est in Israel usque in hodiernum diem. Notandum est quemadmodum dicat Scriptura, usque in hodiernum diem, quod assidue dicit; nam et de lapidibus illis duodecim qui positi sunt ubi Jordânis ex ima parte defluerat, et ex parte superiore constiterat, arca transiente vel populo, ita dictum est, quod essent ibi usque in hodiernum diem: quod videtur ita sonare, tanquam post plurimum temporis per hanc Scriptu-*

ram ista narrentur, nec eo tempore li libri conscripti fuerint quo erant hæc recentissima. Quisquis autem putat hoc, quid de ista meretrice dicturus est, quæ utique quantum est ætas omnis hominis vixit, et tamen dicitur, usque in hodiernum diem? De his itaque rebus hoc dicitur, quæ non ita constitutæ sunt, ut postea mutarentur ab eis qui constituerant: quomodo dicitur aliquis in exilium perpetuum missus, quia non ad tempus præfinitum hoc supplicio plectitur; non quia quisquam potest esse perpetuus in exilio, cum homo ipse non possit esse perpetuus. Sic ergo et ista meretrix non est præcepta ad tempus habitare in Israel; ideo dictum est, usque in hodiernum diem.

[Ib. vii, 11.] *Dominus dicit ad Jesum: Peccavit populus, et transgressus est testamentum meum, quod disposui ad eos. Notandum quemadmodum testamentum appellet hoc quod præceperat, ut anathema esset Jericho, et nemo sibi inde aliquid usurparet.*

[Ib. viii, 1 et 2.] *Dominus loquens ad Jesum ait inter cætera: Ecce dedi in manus tuas regem Gai et terram ipsius, et facies Gai sicut fecisti Jericho et regi ejus, et prædam pecorum prædaberis tibi. Præcipue notanda locutio est, non solum quia prædaberis tibi dixit, tanquam unius futura esset illa præda, cum omnium esset futura; nam tales locutiones usitatissimæ sunt, cum Deus tanquam ad unum loquitur, quæ ad populum loquitur: sed hoc novum est hic, quia prædixit Scriptura, Et dixit Dominus ad Jesum, quem constat unum hominem fuisse; quod tamen dixit prædaberis tibi, non utique ita dictum est, ut præda illa hujus unius hominis esse præcepta sit, sed universi populi.*

[Ib. 12.] *Et insidiæ erant civitati a mari. Qui nescit, putat istam civitatem maritimam. Consuetudinis est*

autem Scripturarum, ut occidentalem partem, a mari appellet, vel ad mare; quia ex ipsa parte terra ubi hæc agebantur, propius habet mare quam a cæteris partibus.

[Ib. 18.] *Extende manum tuam in gæso, quod est in manu tua, contra civitatem.* Ista locutio notanda non esset, nisi propter nomen quod obscurum est eis, in quorum consuetudine non est. Quid enim dicat gæson, non facile intelligitur: hoc interpretes Symmachus scutum appellasse perhibetur. Septuaginta autem interpretes, secundum quos ista tractamus, qui posuerunt gæson, miror si et in græca lingua hastam vel lanceam gallicanam intelligi voluerunt: ea quippe dicuntur gæsa, quorum et Virgilius meminit, ubi ait de Gallis in scuto *Æneæ* pictis, *Duo quisque Alpina coruscant gæsa manu* (*Æneid. lib. 8, vv. 661, 662*).

[Ib. 22.] *Et facti sunt inter medium castrorum, hi hinc et hi hinc.* Duo notanda sunt in hac locutione: unum, quod cum hostes qui vincebantur, in medio essent, tanquam de his dictum est, quod hi essent hinc et hi hinc, cum potius ita Israelitæ fuerint, qui eos in medio posuerant percutiendos; alterum, quod inter medium castrorum eos factos esse dicit Scriptura, castra appellans etiam productas acies in prælio constitutas, cum castra non soleant appellari, nisi ubi exercitus ad manendum consistit: nisi forte ideo castra appellata sunt, quia cum omnibus suis ibant.

[Ib. 27.] *Exceptis pecoribus et spoliis, quæ erant in civitate, prædati sunt filii Israel secundum præceptum Domini, quemadmodum constituit Dominus Jesu: ita dictum est Exceptis pecoribus et spoliis, prædati sunt, quasi ipsa non fuerint prædati, cum potius ipsa prædati sint, et excepta ideo dicta sint, quia hæc illo prælio sola consumpta non sunt.*

[Ib. 19, 7.] Israelitæ respondentes Gabaonitis dixerunt: *Vide ne in me habitas. Et quomodo disponam tibi testamentum?* Jam et superius tales locutiones notavimus: hoc est enim *Vide ne in me habitas*, quod est, apud me, id est in terra quam eis promiserat Deus. Et hic tanquam ad unum hominem videntur locuti, cum legatus ad eos non unus venerit: sed more suo genti et populo responsa reddentes, singulari numero loquuntur, sicut plerumque et ad ipsos Deus vel ductor ipsorum. Notandum etiam quod pactum pacis testamentum vocat Scriptura, more quidem suo; nam sæpe ita loquitur.

[Ib. x, 17.] *Et nuntiatum est Jesu dicentes, Inventi sunt quinque reges absconditi in spelunca: pro eo quod est, nuntiaverunt dicentes.*

[Ib. 25.] *Ita faciet Dominus omnibus inimicis vestris, quos vos debellabitis eos: nihil minus esset huic sententiæ, etsi non haberet, eos.*

[Ib. xi, 19 et 20.] *Et omnes cepit in bello, quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum ad Israel, ut exterminarentur: notandum est, confortari cor, non semper in bono accipiendum.*

[Ib. xiv, 6.] *Tu scis verbum, quod locutus est Domi-*

*nus ad Moysen hominem Dei de me et te: non dixit, hominem suum.*

[Ib. xvii, 16.] *Et dixerunt filii Joseph, Non sufficit nobis mons et equus electus, et ferrum Chanaanæ qui habitat in Bethsan: equum electum dixit, pro equis electis, quod usitatum in nostro sermone non est; unde nonnulli latini interpretes noluerunt equum interpretari, sed equitatum. Sic autem dictum est, equus electus, pro equis, sicut in nostra consuetudine dicitur miles, pro militibus.*

[Ib. xix, 35 et 34.] *Et facti sunt exitus illorum Jordanis, et revertentur fines ad mare: non dixit, reversi sunt, aut saltem, revertuntur, sicut solet de finibus dici; sed, revertentur, tanquam adhuc futurum sit, cum præteritorum sit ista narratio: et in omnibus fere ista locutionibus, per singulas quasque tribus ita loquitur Scriptura, ut futuri temporis verbi utatur.*

[Ib. xx, 9.] *Refugere illuc qui percusserit animam nolens: hic animam, vel hominem intelligere debemus, vel vitam carnis quæ sit per animam; qua locutione et illud dictum est a fratribus Joseph, Non percutiamus ejus animam (*Gen. xxxvii, 22*), id est, non eum occidamus. Nam si anima posset ab interfectore percuti, non diceret Dominus, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt (*Math. x, 28*).*

[Ib. xxi, 2.] *Mandavit Dominus in manu Moysi: locutio familiarissima Scripturis; ita enim dicitur, Verbum quod factum est in manu illius vel illius prophætæ, hoc est in potestate dicendi datum.*

[Ib. 40 (a).] *Et accepit Jesus cultros petrinus, in quibus circumciderat filios Israel: non dixit, quibus circumciderat, sed in quibus.*

[Ib. xxii, 7.] *Et ubi dimisit eos Jesus in domos suas, et benedixit eos dicens: plus videtur hic copulativa conjunctio, id est, et; nam ita dici posset, Et ubi dimisit eos in domos suas, benedixit eos dicens.*

[Ib. 8.] Item alia locutio notanda est, quod cum dixisset Scriptura, *Et benedixit eos Jesus dicens*, atque his verbis intentos fecisset audire quid benedicendo dixit Jesus; hoc solum subjecit, *In divitiis multia abierunt in domos suas, et pecora multa valde, et argentum et aurum et vestem multam valde, diviserunt prædam inimicorum suorum cum fratribus suis: quod magis esse narrantis quam benedicentis apparet.*

[Ib. 10.] *Ædificaverunt ibi aram super Jordanem, aram magnam videre: ista locutio etiam in sermone latino nota est.*

[Ib. 11.] *Et audierunt filii Israel dicentium: non ait, dicentem, vel dicentes.*

[Ib. 27.] *Servire servitutum Domini: in qua locutione duo notanda sunt, et servire servitutum, quæ etiam latina locutio reperitur; et servitutum Domini, id est quæ debetur vel exhibetur Domino.*

[Ib. 30.] *Et audientes Phinees sacerdos et omnes principes synagogæ qui erant cum illo, verba quæ locuti sunt filii Ruben et filii Gad et dimidium tribus Manasses, et placuerunt illis: audientes pro audierunt positum est;*

(a) Apud 1. XX.

aut plus est hic, *et*; nam plenus est sensus, *audientes verba hæc, placuerunt illis*: nec tamen sine inconsequentia; quia, cum audissent, dicendum fuit.

[Ib. xxiii, 4.] *Et Jesus senior propectus diebus*: hoc de Abraham dictum notavimus, seniore in Scripturis non solum illum appellari qui est infra ætatem senis, sed etiam valde senem. Unde non omnis se-

nior senex, omnis autem senex senior dici potest.

[Ib. xxiv, 7.] *Et induxit super illos mare, et operuit super illos*: non ait, operuit illos, quamvis nonnulli interpretes hoc maluerunt dicere.

[Ib. 17.] *In omnibus gentibus quas transivimus per ipsas*: usitatæ in Scripturis sunt istæ locutiones, nec tam crebro notandæ quam crebro Intercurrunt.

## LIBER SEPTIMUS.

Locutiones de Judicibus.



[Jud. cap. 1, § 4.] *Et factum est postquam defunctus est Jesus, interrogabant filii Israel in Domino*: non ait, Dominum, quod sermonis nostri consuetudo posebat.

[Ib. 3.] *Et bellemus in Chanaanæo*: non dixit, adversus Chanaanæum, aut contra Chanaanæum, aut saltem, in Chanaanæum.

[Ib. ii, 8.] *Et mortuus est Jesus filius Nave servus Domini, filius centum decem annorum*. Ista repetitio quod cum dixisset *filius Nave*, repetivit *filius*, et deinde addidit, *centum decem annorum*, inusitata est; ut potius *filius centum decem annorum* diceret, quam homo centum decem annorum: sed tamen et alibi reperitur.

[Ib. 10.] *Et omnis generatio appositi sunt ad patres suos*: notanda locutio est, quod non ait, apposita est, quia plures erant.

[Ib. 14.] *Tradidit eos in manu prædantium*: non dixit, in manum; quod videtur latina locutio postulare.

[Ib. 18.] *Et cum suscitavit Dominus eis iudices, et erat Dominus cum iudice*: solita locutione plus est hic, *et*; nam plenum esset, *Et cum suscitavit Dominus eis iudices, erat Dominus cum iudice*. Notandum est etiam hoc, quod a plurali ad singularem transiens, non ait, cum iudicibus, sed, *cum iudice*, id est, cum unoquoque iudice.

[Ib. 19.] *Et factum est, cum moreretur iudex, et revertebantur, et iterum corrumpebant super patres suos*. Recta locutio esse i'a poterat secundum consuetudinem sermonis nostri, *Et fiebat cum moreretur iudex, et revertebantur, et iterum corrumpebant super patres suos*, id est plusquam patres eorum.

[Ib. 20.] *Propter quod tanta dereliquit gens hæc testamentum meum*: tanta dixit, pro tantum, id est tam multum nomen pro adverbio, quod etiam in latinis locutionibus maxime poetiis invenitur.

[Ib. 20.] *Et non obaudierunt vocis meæ*: græca magis locutio est.

[Ib. iii, 10.] *Factus est super eum Spiritus Domini*: cum Spiritus Domini utique factus non sit; sed *super eum factus est*, ita dictum est ac si diceretur, factum est ut esset super eum. Ex qua locutione et in Evangelio lesitur. *Ante me factus est* (Joan. i, 27); id est,

factum est ut esset ante me: quod alio modo diceretur, prælatus est mihi.

[Ib. 21.] *Et sumpsit Aioth gladium de super femore suo dextro*: sic interpretari potuit quod græcus habet: *ἐκ τοῦ ἄνωθεν*, nam locutio minus latina est.

[Ib. 17.] *Erat autem Eglom vir exilis valde*: hoc *κατ' ἀντιστάσειν* dictum, id est locutione contraria, sequentia indicant; quando enim percussus est, dictum est quod concluderunt adipes vulnus, quia non eductus est gladius de ventre ejus.

[Ib. 31.] *Et percussit alienigenas in sexcentos viros*: non ait, alienigenarum sexcentos viros, aut certe alienigas in sexcentis viris.

[Ib. iv, 6.] *Nonne præcepit Dominus Deus Israel tibi, et perges in montem Thabor?* Non ait, ut pergas, quod videtur esse consequens; sed inusitata locutione, *Nonne præcepit tibi, et perges*, ut subaudiamus verbum quod supra positum est, et sit, *Nonne perges?* aut solita locutione plus habet, *et*; nam ista conjunctione detracta sensus currit, *Nonne mandavit Dominus Deus Israel tibi, Perges in montem Thabor, et accipies tecum decem millia virorum?* etc.

[Ib. 8.] *Quoniam nescio diem in quo Dominus prosperat angelum mecum*: utrum prosperat actus angeli ejus qui mecum est? an prospera mihi facit per angelum?

[Ib. 15.] *Omnes currus suos, nongentos currus ferreos*. Ubilibet distinguatur, elegans repetitio: utrum *omnes currus suos*, et deinde sequatur *nongentos currus ferreos*; an *omnes currus suos nongentes*, et deinde inferatur *currus ferreos*.

[Ib. 15.] *Et pavescit Dominus Sisaram, et omnes currus ejus, et omnia castra ejus, in ore gladii in conspectu Barach*. Quomodo pavescit currus, nisi eos intelligas qui erant in curribus? *Et pavescit Dominus Sisaram, et omnes currus ejus, et omnia castra ejus, in ore gladii in conspectu Barach*. *Pavescit in ore gladii*, ac si diceret, interfecit in ore gladii: *pavescit* ergo, cum cæderentur gladio.

[Ib. 16.] *Et descendit Sisara desuper currus suo*: ita dici latine potuit, quod est græce *ἐκ τοῦ ἄνωθεν*.

[Ib. 19.] *Et cooperuit eum in pelle sua*: non dixit, pelle, aut de pelle; sic enim habet græcus *ἐν τῇ δέρμει αὐτοῦ*.

[Ib. 20.] *Et erit, si quis venerit ad te, et dixerit, Est hic vir? et dices, Non est*. Detracta conjunctione consequentem habet sensum, *Si quis venerit ad te, et dixerit, Est hic vir? dices, Non est*.

[Ib. 24.] *Et pergebat manus filiorum Israel pergens* : solita et frequentata locutio est.

[Ib. 24.] *Et indurabatur in Jabin regem Chanaan* : novo modo positum est hoc verbum, *indurabatur*, pro eo quod est, fortis efficiebatur et prævalidus.

[Ib. v, 26.] *Perforavit caput ejus, et percussit* : id est, percussit caput ejus, et perforavit.

[Ib. 31.] *Sic pereant omnes inimici tui, Domine; et diligentes eum sicut ortus solis in potentia ejus* : non dixit, diligentes te, cum utique de Domino intelligi vellet.

[Ib. vi, 3.] *Et factum est, quando seminavit vir Israel* : non unum hominem significat, sed ipsam gentem.

[Ib. 3.] *Ascendebat Madian et Amalech et filii Orientis, et ascendebat super eum* : ista repetitio verbi non videtur habere solitam elegantiam vel affectum.

[Ib. 9.] *Et liberavi vos de manu Ægypti* : per manum, potestatem significat; per Ægyptum, Ægyptios.

[Ib. 13.] *Et dixit ad eum Gedeon, In me, Domine mi* : subintelligitur, intende, hoc est, In me intende; et est ista locutio Scripturis familiarissima.

[Ib. 13.] *Et si est Dominus nobiscum, et ut quid invenerunt nos omnia mala ista?* Plus habet conjunctionem, et, sicut solet loqui Scriptura, quæ si detrahatur, plena sententia est, *Et si est Dominus nobiscum, ut quid invenerunt nos omnia mala ista?* Quamvis et superior conjunctio possit salva sententia detrahi, ut cum dixisset, *In me, Domine mi*; deinde subsequatur, *si est Dominus nobiscum, ut quid invenerunt nos omnia mala ista*: magis enim hoc exigit nostræ locutionis consuetudo.

[Ib. 25.] *Et vitulum annorum septem*. Hic manifestum est quomodo vitulos appellet Scriptura: bos enim annorum septem, secundum consuetudinem locutionis nostræ, non est utique vitulus. Secundum hanc ergo locutionem dictum est de Samegar<sup>1</sup>, quod occiderit secentos viros præter vitulos boum (Jud. iii, 31), hoc est præter boves.

[Ib. 34.] *Et cecinit in cornea* : subauditur tuba; græcus enim non habet, tuba, sed tantum cornea.

[Ib. vii, 12.] *Camelis eorum non erat numerus, et erant sicut arena quæ est ad labium maris*. In multitudine constat *ἡ ἀριθμητὴ ἀrena* dictum. Hæc autem translatio, ubi *labium maris* posuit pro littore, assidua est in Scripturis, sed rara est in latinis codicibus, quia plerique littus interpretati sunt, magis quid significaret labium volentes ponere, quam ipsum labium. Nam littus si vellent Septuaginta interpretes dicere, non decasset linguæ græcæ quod dicerent.

[Ib. 16.] *Et dirisit trecentos viros per tria principia* : pro partibus principia posuit.

[Ib. viii, 1.] *Et dixerunt ad Gedeon viri Ephraim* : id est viri de tribu Ephraim.

[Ib. 1.] *Quid verbum hoc fecisti nobis, ut non vocares nos cum esires pugnare in Madian?* verbum pro facto posuit.

[Ib. ix, 4.] *Et dederunt septuaginta argenti* : subauditur, pondo, vel tale aliquid : interpretatio ex hebræo, *septuaginta pondo* habet.

<sup>1</sup> in Xss., *Samegar*.

[Ib. 4.] *Et conduxit in ipsis Abimelech viros* : in ipsis dixit, pro ex ipsis, id est ex argenti pondo septuaginta conduxit viros.

[Ib. 4.] *Viros inanes et perturbatos* : inanes posuit pro levibus, quibus sunt contrarii graves; unde dicitur, *In populo gravi laudabo te* (Psal. xxxiv, 18).

[Ib. 5.] *Et intravit in domum patris sui in Ephratha, et interfecit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros super lapidem unum* : quia jam superius septuaginta dixerat filios Jerobaal, id est Gedeon; et nunc eorum septuaginta dicit occisos : quamvis minus occisi fuerint duo; id est, ipse qui occidit, et Joatham junior qui latuit, de quo adjungens dicit, *et remansit Joatham filius Jerobaal junior, quoniam abscondit se* : ac per hoc universum numerum posuit pro pene universo.

[Ib. 23.] *Et spreverunt viri Sichimorum in domo Abimelech* : non dixit, spreverunt domum Abimelech.

[Ib. 34.] *Et insidiati sunt super Sichimam quatuor principia* : id est, quatuor partes : jam istam locutionem superius etiam notavimus.

[Ib. 43.] *Et accepit populum, et divisit eum in tria principia* : accepit, dixit de illo populo qui cum illo erat; et hic *tria principia* pro tribus partibus posuit.

[Ib. 55.] *Et abierunt viri locum suum* : id est, unusquisque.

[Ib. xi, 8.] *Et eris nobis in caput omnibus habitantibus Galaad* : non dixit, eris nobis caput; sic enim solet loqui Scriptura : unde est, *Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii* (Psal. xxx, 3), et multa hujusmodi.

[Ib. 34.] *Et hæc unica ei, et non est præter ipsam filius aut filia* : hoc est quod dictum est, *unica ei*; sed propter affectum repetita sententia est. *Et non est ei præter ipsam filius aut filia* : non est ei, pro non erat ei dictum est; præterita quippe narrantur.

[Ib. xiii, 2.] *Et uxor ejus sterilis, et non pariebat* : cum potuisset sufficere quod dictum est, *sterilis*.

[Ib. 8.] *Et precatus est Manus Dominum et dixit, In me, Domine; homo Dei quem misisti, veniat nunc iterum ad nos* : In me ita dictum est ut subaudiatur, intende.

[Ib. xv, 8.] *Et percussit eos tibiam super femur* : hæc locutio inusitata est, tamen locutio est, non aliquis in corpore vulneris locus, sicut in Quæstionibus exposui; hoc est, percussit eos ad admirationem, ad stuporem (Quæst. in Jud. quæst. 55).

[Ib. 10.] *Et dixerunt viri Juda, Quare ascendistis super nos* : singularem posuit pro plurali, dixerunt enim viri Juda, non unus vir.

[Ib. 12.] *Ne forte occurratis in me vos* : pro eo quod est, occidatis me; et hæc locutio in Quæstionibus exposita est (Id. quæst. 56).

[Ib. 13.] *Et reduxerunt eum de petra, et venit usque ad Maxillam* : locus est sic appellatus postea ex eo facto quod ibi gessit ipse Samson, quando maxilla asini pugnans, mille prostravit : hoc ergo per prolepsim dictum est, quia post illa omnia gesta, hæc historia conscripta est.

[Ib. 14.] *Sicut stupa cum olefecerit ignem* : metaphora



ab animali ad inanimale; non enim stupa sensum habet olfactus: sed ita dictum est, ac si diceretur, cuniguem senserit; quamvis et hoc quod dixi, senserit, ad eandem metaphoram pertineat, sed ad celeritatem intelligendam pertinet quod dictum est, *olefecerit*.

[lb. 15.] *Et extendit manum suam, et accepit eam: etsi non diceret extendit manum suam, utique extenta manu acceptam intelligeremus.*

[lb. xvi, 2.] *Et nuntiatum est Gazæis, dicentes: non est, nuntiaverunt dicentes, aut nuntiatum est a diceantibus.*

[lb. 7.] *Si ligaverint me in septem nervis humidis nondum siccatis: non sicut, septem nervis, sed in septem nervis.*

[lb. 7.] *Si ligaverint me in septem nervis humidis nondum siccatis, et infirmabor: plenum esset, etsi non haberet, et.*

[lb. 9.] *Et insidiæ ei sedebant in cubiculo: quod non-*

nulli interpretati sunt, *obsidebant*, sed græcus ἐκδιόχο, hoc est sedebat, quia insidiæ singulari numero græco dicuntur, nec potest latine dici insidia: locutio autem notanda erat, quia dictum est, *insidiæ sedebant*, pro his qui insidiabantur; ipsi enim sedebant.

[lb. 10.] *Nunc ergo indica mihi in quo ligaberis: non ait, quo ligaberis, aut unde ligaberis.*

[lb. 11.] *Si ligaverint me in funibus novis: non dixit, funibus.*

[lb. 11.] *Item, Si ligaverint me in funiculis novis, in quibus non est factam opus, et infirmabor: plenum esset, etsi non præponeretur, et.*

[lb. 15.] *Et hoc tertium fessisti me: tertium, posuit pro tertio, sive ter, nomen scilicet pro adverbio, quod et in latinis locutionibus eleganter fieri solet.*

[lb. 26.] *Dimitte me, et palpabo columnas, super quas domus confirmata est super eas.*

## DE SUBSEQUENTI QUÆSTIONUM OPERE.



### LIB. II. RETRACT. CAPUT LV.

1. Eodem tempore (a) scripsit etiam libros Quæstionum de Libris eisdem divinis septem, quos ideo appellare sic volui, quia ea quæ ibi disputantur, magis querenda proposui, quam quæstia dissolvi; quamvis multo plura in eis mihi videantur ita pertractata, ut possint etiam soluta et exposita non inmerito judicari. Regnorum quoque libros eodem modo jam considerare cœperamus; sed non multum progressi, in alia quæ magis urgebant, animum intendimus. In primo autem libro, ubi agitur de virgis variatis, quas ponebat Jacob in aqua, ut in conceptu positæ oves eas viderent cum biberent, et varios fetus parerent (Quæst. 95); non bene a nobis exposita est causa, cur iterum concipientibus non ponebat, id est cum alios fetus conciperent, sed in priore conceptu. Nam quæstionis alterius expositio (Id. 95), ubi queritur cur dixerit socero suo Jacob, « Et decepisti mercedem meam decem agnabus » (Gen. xxxi, 41), satis veraciter enodata, demonstrat istam sicut solvi debuit non solutam.

2. In tertio quoque libro ubi de summo agitur sacerdote, quomodo creabat filios, cum haberet necessitatem bis in die ingredi in Sancta sanctorum, ubi erat altare incensæ, ad offerendum incensum mane et vespera (Exod. xxx, 7, 8), quo non possit, sicut Lex dicit, immundus intrare; et eadem Lex dicat, immundum fieri hominem etiam ex concubitu conjugali, quem jubet quidem lavari aqua, sed et lotum dicit immundum esse usque ad vesperam (Levit. xv, 16); unde dixi, « Consequens fuisse, ut aut continens esset, aut diebus aliquibus intermitteretur incensum » (Quæst. 82): non vidi non fuisse consequens. Potest enim sic intelligi quod scriptum est, « Immundus erit usque ad vesperam, » ut per ipsam vesperam jam non esset immundus, sed usque ad ipsam, ut vespertino jam tempore incensum mundus offerret, cum propter creandos filios post matutinum incensum mixtus esset uxori. Itemque ubi quæsitum est, quomodo prohibitus esset super junus patris sacerdos summus intrare (Levit. xxi, 11), cum enim fieri sacerdotem (quando unus erit) nisi post mortem sacerdotis patris non oporteret; dixi, « Propter hoc necesse fuisse, nondum sepulto patre statim post ejus mortem, filium ejus constitui, qui succederet patri; propter etiam continuationis incensum, quod bis in die necesse erat offerri » (Quæst. 83); qui sacerdos super mortem nondum sepulti patris prohibetur intrare. Sed parum attendi, potuisse hoc præcipi magis propter illos, qui futuri fuerant summi sacerdotes non patribus summis sacerdotibus succedentes, sed tamen ex filiis, id est ex posteris Aaron, si forte summus sacerdos, aut filios non haberet, aut ita reprobos haberet ut nullus eorum patri deberet succedere: sicut Samuel summo sacerdoti Heli successit (1 Reg. 1); cum sacerdotis filius ipse non esset sed tamen ex filiis, hoc est, ex posteris esset Aaron.

3. De latrone etiam cui dictum est, « Hodie mecum eris in paradiso » (Luc. xxiii, 43), quod non fuerit visibilter baptizatus, quasi certum posui (Quæst. 84), cum sit incertum, magisque illum baptizatum fuisse credendum sit, sicut ego quoque alibi postea disputavi. Item quod in quinto libro dixi, ubi commemorantur matres in generationibus evangelicis, « non eas positas nisi cum patribus » (Id. 46), verum est quidem, sed ad rem de qua agebatur non

(a) Quo nimirum tempore superiorem Locutionum collectionem, quæ in lib. II retractationum cap. 54 recensita est, comparabat eodem ipso S. Doctor subsequentes Quæstionum in Heptateuchum, uti in antiquis codicibus inscribuntur, libro perierit: nisi quod quæstiones primum, deinde tum Locutiones de hisdem divinis Libris dictasse intelligitur ex Locutionibus de Exodo, cap. 12, v. 7, et Locutionibus de Judicibus, cap. 15, vv., 8 et 12; tamen in retractationibus priorem locum dedit Locutionum collectioni, forte quia eam hoc ordine sive dictare cœperat, sive legi volebat.

pertinet. Agebatur autem de iis qui ducebant fratrum vel propinquarum conjuges, eorum qui sine filiis defuncti essent, propter duos patres Joseph, quorum alterum Matthæus commemorat, alterum Lucas. De qua quæstione diligenter in hoc opere disserui, cum retractarem opus nostrum contra Faustum Manichæum. Hoc opus sic incipit: « Cum Scripturas sanctas, quæ appellantur canonicæ. »

# S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

## QUÆSTIONUM

In Heptateuchum

LIBRI SEPTEM <sup>(a)</sup>,

### LIBER PRIMUS.

Quæstiones in Genesim.



#### PROÆMIUM.

Cum Scripturas sanctas, quæ appellantur canonicæ, legendo et cum aliis codicibus secundum Septuaginta interpretationem conferendo percurreremus, placuit eas quæstiones, quæ in mentem venirent, sive breviter commemorando, vel etiam pertractando tantummodo proponerentur, sive etiam qualitercumque tanquam a festinantibus solverentur, stilo alligare, ne de memoria fugerent. Non ut eas satis explicarem, sed ut eum opus esset, possemus inspicere; sive ut admoneremur quid adhuc esset requirendum, sive ut ex eo quod jam videbatur inventum, ut poteramus, casemus et ad cogitandum instructi, et ad respondendum parati. Si quis igitur hæc legere propter incultum in nostra festinatione sermonem non fastidierit, si quas quæstiones propositas invenerit nec solutas, non ideo sibi nihil collatum potest. Nonnulla enim pars inventionis est, nosse quid quæras. Quarum autem solutio placuerit, non ibi vile contemnat eloquium, sed de aliqua participatione doctrinæ potius gratuletur. Non enim disputatio veritate, sed veritas disputatione requiritur. Exceptis ergo iis quæ a principio, ubi Deus cælum et terram fecisse narratur, usque ad dimissionem duorum primorum hominum de paradiso, tractari multipliciter possunt, de quibus alias, quantum

potuimus, disseruimus (*In libris de Genesi*): hæc sunt quæ legentibus nobis occurrentia voluimus litteris attingeri<sup>1</sup>.

QUÆST. I. [GEN. cap. IV, § 17.] Quomodo Cain potuerit condere civitatem, cum civitas alicui utique constituatur hominum multitudini, illi autem duo parentes et duo filii fuisse referantur, quorum filiorum ab altero alter occisus est, in cujus occisi locum alius natus esse narratur. An ideo quæstio est, quoniam qui legunt, putant solos tunc fuisse homines quos divina Scriptura commemorat, nec advertunt eos qui prius sunt conditi duos, vel eos etiam quos genuerunt, tam diu vixisse, ut multos gignerent? Non enim et Adam ipse eos solos genuit, quorum nomina leguntur, cum de illo Scriptura loquens ita concludat, quod genuerit filios et filias (*Gen. v, 4*). Proinde cum multo pluribus illi vixerint annis, quam Israelitæ in Ægypto fuerunt, quis non videat quam multi homines nasci potuerunt, unde illa civitas impleteretur, si Hebræi multo minore tempore ita multiplicari potuerunt?

II. [Ib. v, 25.] Quæri solet quomodo Mathusalam secundum annorum computationem vivere post diluvium potuerit, cum omnes, præter eos qui in arcam ingressi sunt, periisse dicantur. Sed hanc questionem

#### ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Recensiti sunt (hi libri) ad Mss. codic. vatic. duos, Fuxonsis collegii apud Tholosates unum, ad Sorbonicum scriptum ante annos circiter 400, Beccensem qui annos 600; refert, ad ejusdem fere ætatis Remigianum, et Michaelinum, ad Thuanicum et Bonignitanum, qui ante 800 annos scripti videntur, ad vetustissimum omnium et optime notæ Corbeiensem: ad varias lectioes Lovaniensium Theologorum ex quinque Belgicis decerptas: item ad Excerpta Ægyptii abbatis in duobus Mss. contenta, et ad Flori collectionem manu descriptam. Postremo collati fuerunt ad antiquiores editiones Bad. seu Rat., id est quæ ex Augustini Hippionensis recognitione, cura Jodoci Badii prodit Lugduni, an. 1497, ad Amerbachianam, ad Frobenianam Erasmi, et ad Lovaniensium Antuerpiensem.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., t. 1, memoratas. M.

(a) Scripti circiter Christi annum 419.

<sup>1</sup> Am. Fr. et Lov., attingere. Tres antiquiores Mss., attingere. Nos cum Rat. et duobus Mss., attingere.

plurimum codicum mendositas peperit (a). Non solum quippe in Hebræis aliter invenitur; verum etiam in Septuaginta interpretatione, Mathusalam in codicibus paucioribus, sed veracioribus, sex annos ante diluivium reperitur fuisse defunctos.

III. [Ib. vi, 4.] Item quaeritur quemadmodum potuerint angeli cum filiabus hominum concumbere, unde gigantes nati esse perhibentur: quamvis nonnulli et latini et græci codices non angelos habeant, sed filios Dei; quos quidam ad solvendam istam quaestionem, justos homines fuisse crediderunt, qui potuerant etiam angelorum nomine nuncupari. Nam de homine Joanne scriptum est, *Eccæ ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam (Malach. iii, 1)*. Sed hoc movet, quomodo vel ex hominum concubitu nati sunt gigantes, vel feminis miscere se potuerunt, si non homines, sed angeli fuerunt? Sed de gigantibus, id est, nimium grandibus atque fortibus, potest non esse mirandum quod ex hominibus nasci potuerint; quia et post diluivium quidam tales fuisse reperuntur; et quædam corpora hominum in incredibilem modum ingentia, nostris quoque temporibus exstiterunt, non solum virorum, verum etiam feminarum. Unde credibilis est homines justos appellatos vel angelos, vel filios Dei, concupiscentia lapsos peccasse cum feminis, quam angelos carnem non habentes usque ad illud peccatum descendere potuisse: quamvis de quibusdam daemonibus, qui sint improbi mulieribus, a multis tam multa dicantur, ut non facile sit de hac re definienda sententia.

IV. [Ib. vi, 15.] De arca Noe quaerit solet utrum tanta capacitate quanta describitur, animalia omnia quæ in eam ingressa dicuntur, et escas eorum ferre poterit. Quam quaestionem cubito geometrico solvit Origenes, asserens non frustra Scripturam dixisse quod Moyses omni sapientia Ægyptiorum fuerit eruditus (Act. vii, 22), qui geometricam dilexerunt. Cubitum autem geometricum dicit tantum valere quantum nostra cubita sex valent. Si ergo tam magna cubita intelligamus, nulla quaestio est, tantæ capacitatis arcam fuisse, ut posset illa omnia continere.

V. [Ib. vi, 15.] Item quaeritur utrum arca tam magna centum annis poterit fabricari a quatuor hominibus, id est, Noe et tribus filiis ejus. Sed si non potuit, non erat magnum fabros alios adhibere: quamvis operis sui mercede accepta non curaverint, utrum eam Noe sapienter, an vero inaniter fabricaretur; et ideo non in eam intraverint, quia non crediderint quod ille crediderat.

VI. [Ib. vi, 16.] Quid est quod ait, cum de arcae fabricatione loqueretur, *Inferiora bicamerata et tricamerata facies eam*? Non enim inferiora futura erant bicamerata et tricamerata. Sed in hac distinctione totam instructuram ejus intelligi voluit, ut haberet

<sup>1</sup> Editi, ea; pro quo Mss., eam, juxta LXX, autem: referunt ad arcam.

<sup>2</sup> Editi, structuram ejus. At omnes nostri Mss., instructuram.

(a) Confer lib. 13 de Civit. Dei, cap. 11.

inferiora, haberet et superiora inferiorum<sup>1</sup> quæ appellantur bicamerata; haberet et superiora superiorum, quæ appellavit tricamerata. In prima quippe habitatione, id est in inferioribus, semel camerata erat arca; in secunda vero habitatione supra inferiorem jam bicamerata erat, ac per hoc in tertia supra secundam sine dubio tricamerata erat.

VII. [Ib. vi, 21.] Quoniam non solum vivere, sed etiam pasci in arca animalia Deus dixit, et jussit ut Noe ab omnibus escis sumeret sibi et illis, quæ ad illum fuerant ingressura: quaeritur quomodo ibi leones vel aquilæ, quæ consueverunt carnibus vivere, pasci potuerint; utrum et animalia præter illum numerum propter aliorum escam fuerint intromissa, an aliqua præter carnes (quod magis credendum est) a viro sapiente, vel Deo demonstrante provisa sint, quæ talium quoque animantium escis convenirent?

VIII. [Ib. vii, 8, 9.] Quod scriptum est, *Et a volatilibus mundis et a volatilibus immundis, et a pecoribus mundis et a pecoribus immundis, et ab omnibus serpentibus in terra*; quod deinde non additur, subauditur mundis et immundis; et adjungitur, *Duo duo<sup>2</sup> intraverunt ad Noe in arcam, masculus et femina*. Quaeritur quomodo superius distinxit duo duo ab immundis, nunc autem sive a mundis sive ab immundis duo duo dicat intrasse. Sed hoc refertur non ad numerum mundorum vel immundorum animalium, sed ad masculum et feminam; quia in omnibus sive mundis sive immundis duo sunt, masculus et femina.

IX. [Ib. vii, 15.] Notandum quod scriptum est, *In quo est spiritus vitæ*, non solum de hominibus, sed etiam de pecoribus dictum, propter illud quod quidam de Spiritu sancto volunt intelligere, ubi scriptum est, *Et insufflavit Deus in faciem ejus spiritum vitæ (Gen. ii, 7)*: quod melius quidam codices habent, *flatum vitæ*.

X. [Ib. vii, 20.] De montium altitudine, quam omnem scriptum est transcendisse aquam cubitis quindecim, quaeritur propter Olympi montis historiam. Si enim terra invadere potuit spatium tranquilli illius aeris, ubi dicitur nec nubes videri, nec ventos sentiri, cur non et aqua crescendo?

XI. [Ib. vii, 24.] Quod scriptum est, *Exaltata est aqua super terram centum quinquaginta dies*; quaeritur utrum usque ad hunc diem creverit, an per tot dies in altitudine qua creverat manserit: quoniam alii interpretes planius videntur hoc dicere. Nam Aquila dixit, *Obtinuit*: Symmachus, *Prævaluerunt*, id est aqua<sup>3</sup>.

XII. [Ib. viii, 1.] Quod scriptum est<sup>4</sup>, post centum quinquaginta dies adductum esse spiritum super terram, et desiisse aquam, et conclusos fontes abyssi, et

<sup>1</sup> Sic plures et melioris notæ Mss. At excusi forebant: *et haberet inferiora, haberet mediu et superiora, quæ appellantur tricamerata.*

<sup>2</sup> In editis, Duo et duo. Abscst conjunctio, et, a Mss. et a græc. LXX.

<sup>3</sup> Editi, prævaluerunt aquæ; omisso, id est, quod habent nostri omnes Mss.

<sup>4</sup> Editi: Quod scriptum est exaltatam esse aquam post centum quinquaginta dies, et adductum esse spiritum; reliquis septem melioris notæ Mss. quæ hic sequuntur.

cataractas coeli, et detentam pluviam de caelo; queritur utrum post centum quinquaginta dies hæc facta sint, an per recapitulationem omnia commemorata sint, quæ post quadraginta dies pluviae fieri ceperunt: ut hoc solum ad centum quinquaginta dies pertineat, quod usque ad ipsos aqua exaltata est, aut de fontibus abyssi cessante jam pluvia, aut quia mansit in altitudine sua, dum nullo spiritu<sup>1</sup> siccaretur; cætera vero quæ dicta sunt, non post centum quinquaginta dies omnia facta sint, sed commemorata sint omnia, quæ ex his quadraginta dierum fieri ceperunt.

XIII. [lb. viii, 6-9.] Quod scriptum est, *dimissum esse corvum, nec rediisse; et dimissam post eum columbam, et ipsam rediisse, quod non invenisset requiem pedibus suis*: questio solet oboriri, utrum corvus mortuus sit, an aliquo modo vivere potuerit? quia utique si fuit terra ubi requiesceret, etiam columba requiem potuit invenire pedibus suis. Unde conjicitur a multis quod cadaveri potuerit corvus insidere, quod columba naturaliter refugit.

XIV. [lb. viii, 9.] Item questio est quomodo columba non invenit nisi resideret, si jam, sicut narrationis ordo contextitur, nudata fuerant cacumina montium. Quæ videtur questio aut per recapitulationem posse dissolvi, ut ea posterius narrata intelligantur, quæ prius facta sunt; aut potius quia nondum siccata fuerant.

XV. [lb. viii, 21.] Quid sibi vult quod Dominus dicit, *Non adjiciam adhuc maledicere super terram propter opera hominum; quia apposita est mens hominis ad maligna a juventute*<sup>2</sup>. *Non adjiciam ergo adhuc percussere omnem carnem vivam, quemadmodum feci; et deinde adjungit quæ secundum largitatem bonitatis suo donat hominibus indignis? Utrum hic Testamenti Novi indulgentia figurata sit, et præterita ultio ad Vetus pertinere Testamentum sit: hoc est, illud ad Legis severitatem, hoc ad gratiæ bonitatem*<sup>3</sup>?

XVI. [lb. ix, 5.] Quid est, *Et de manu hominis fratris exquiram animam hominis*? An omnem hominem fratrem omnis hominis<sup>4</sup> intelligi voluit, secundum cognationem ex uno ductam?

XVII. [lb. ix, 25.] Quare peccatus Cham in patris offensa, non in seipso, sed in filio suo Chanaan maledicitur; nisi quia prophetatam est quodammodo terram Chanaan, ejectis inde Chanaanis et debellatis, accepturos fuisse filios Israel, qui venissent de semine Sem?

XVIII. [lb. x, 8.] Queritur quomodo dictum sit de Nembroth, *Hic cepit esse gigas super terram*; cum gigantes et antea antea Scriptura commemoraret. An forte quia post diluvium novitas generis humani reparandi denuo commemoratur, in qua novitate hic cepit esse gigas super terram?

<sup>1</sup> Am. Er. et Lov., *dum in illo spiritu*. At Rat. et omnes Mss., *dum nullo spiritu*.

<sup>2</sup> Editi, *ad maligna a juventute*. At Vss. Corbeiensis et Egypti duo, *ad maligna*: juxta græc. LXX, *ta pœneta*.

<sup>3</sup> Vetus codex Corbeiensis, *veritatem*.

<sup>4</sup> Editi, *hominis nomine intelligi*. Abest, *nomine*, a Mss. e quibus duo ejus loco habent, *vel hominis*.

XIX. [lb. x, 25.] Queritur quid sit, *Et Heber nati sunt filii duo; nomen unius Phalech, quia in diebus ejus divisa est terra*: nisi forte in diebus ejus linguarum illa diversitas existerit, per quam factum est ut gentes dividerentur.

XX. [lb. xi, 1.] *Et erat omnis terra labium unum*: quomodo hoc potest intelligi, quando superius dictum est quod filii Noe, vel filiorum ejus distributi essent per terram secundum tribus et secundum gentes, et secundum linguas suas, nisi quia per recapitulationem postea commemorat quod prius erat? sed obscuritatem facit quod eo genere locutionis ista contextit, quasi narratio de iis quæ postea facta sunt, consequatur.

XXI. [lb. xi, 4.] *Venite ædificemus nobis civitatem, et turrim cujus caput erit usque in caelum*. Si hoc se posse crediderunt, nimium stulta audacia et impietas dprehenditur. Et quia ob hoc Dei vindicta secuta est, ut eorum linguæ dividerentur, non absurde hoc cogitasse creduntur.

XXII. [lb. xi, 7.] *Venite descendamus, et confundamus ibi linguam eorum*<sup>1</sup>, *ne audiat unusquisque vocem proximi*: utrum ad Angelos Dominus hoc dixisse intelligitur? an secundum illud accipiendum est, quod in exordio libri legitur, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1, 26)? Nam, et quomodo postea dicitur singulari numero, *quia ibi confudit Dominus labia terræ*: sic et illic cum dictum esset, *Faciamus ad imaginem nostram*; in consequentibus tamen non dictum est, *Fecerunt, sed, Fecit Deus*.

XXIII. [lb. xi, 12, 13.] Quod scriptum est, *Et erat Arphaxad annorum centum triginta quinque, cum genuit Chainan; et vixit Arphaxad postquam genuit Chainan annos quadringentos*, vel, sicut in græco invenimus, *annos trecentos*; queritur quomodo dixerit Deus ad Noe, *Erunt anni vitæ eorum centum viginti*. Nondum enim natus erat Arphaxad quando dixit hoc Deus, nec fuit in arca cum parentibus suis: quomodo ergo intelliguntur deinceps anni vitæ humanæ prædicti centum viginti, cum inveniatur homo vixisse amplius quadringentis annis? Nisi quia intelligitur, ante viginti annos quam inciperet arca fieri, quæ centum annis facta reperitur, hoc Deum dixisse ad Noe, cum jam prænuntiaret facturum se esse diluvium, nec vitæ humanæ deinceps futuræ in iis qui post diluvium nascerentur spatium prædixisse, sed vitæ hominum quos fuerat diluvio deleturus.

XXIV. [lb. x, 21.] Queritur quare scriptum sit, *Sem erat pater omnium filiorum Heber*; cum inveniatur Heber quatuor a Sem filio Noe: utrum quia ex illo Hebræi dicuntur appellati? per illum enim generatio transit ad Abraham. Quid ergo probabilis sit, Hebræos tanquam Heberæos dictos, an tanquam Abrahamos, merito queritur (a).

<sup>1</sup> Editi, *linguas eorum*. Et paulo infra, *confudit Dominus labia terræ*. Nos juxta græcum, j. rim. ad Corbeiensium codicem reponimus, *confundamus ibi linguam eorum*; deinde ad alios cum eodem septem, *labia terræ*.

(a) Vid. lib. 10 de Civit. Dei, cap. 3; et lib. 2 Retract., cap. 10.

XXV. [Ib. xi, 26.] 1. Quomodo accipiendum sit, quod cum esset Tharra<sup>1</sup> pater Abraham annorum septuaginta, genuit Abraham, et postea cum suis omnibus mansit in Charran, et vixit annos ducentos quinque in Charran, et mortuus est: et dixit Dominus ad Abraham et exiret de Charran, et exiit inde, cum esset idem Abraham septuaginta quinque annorum? Nisi quia per recapitulationem ostenditur, vivo Tharra locutum esse Dominum; et Abraham vivo patre suo secundum præceptum Domini, exiisse de Charran, cum esset septuaginta quinque annorum, centesimo et quadragesimo quinto anno vitæ patris sui, si dies vitæ patris sui anni ducenti quinque fuerunt: ut ideo scriptum sit, *Fuerunt anni vitæ Tharræ ducenti quinque in Charran*, quia ibi complevit omnes annos totius vitæ suæ. Solvitur ergo quæstio per recapitulationem, quæ indissolubilis remaneret, si post mortem Tharræ acciperemus locutum esse Dominum ad Abraham ut exiret de Charran, quia non poterat esse adhuc annorum septuaginta quinque cum pater ejus jam mortuus esset, qui eum septuagesimo ætatis suæ anno genuerat; ut Abraham post mortem patris sui annorum esset centum triginta quinque, si omnes anni patris ejus ducenti quinque fuerunt. Recapitulatio itaque ista, si advertatur in Scripturis, multas quæstiones solvit, quæ indissolubiles possunt videri secundum etiam superiorum quæstionum expositionem, per eandem recapitulationem factam.

2. Quanquam et aliter ista quæstio a quibusdam solvatur, ex illo computari annos ætatis Abraham, ex quo liberatus est de igne Chaldæorum, in quem missus ut arderet, quia eundem ignem superstitione Chaldæorum colere noluit, liberatus inde, etsi in Scripturis non legitur, Judaica tamen narratione traditur. Potest et sic solvi, quoniam Scriptura quæ dixit, *Cum esset Tharra annorum septuaginta, genuit Abraham et Nachor et Arran*; non utique hoc intelligi voluit, quia eodem anno septuagesimo ætatis suæ omnes tres genuit, sed ex quo anno generare cepit, eum annum commemoravit Scriptura. Fieri autem potest ut posterior sit generatus Abraham, sed merito excellentiæ, qua in Scripturis valde commendatur, prior fuerit nominatus: sicut propheta priorem nominavit minorem, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malack. i, 2, 3*); et in Paralipomenon cum sit quartus nascendi ordine Judas, prior est commemoratus (*1 Paral. iv, 1*), a quo Judaicæ genti nomen est, propter tribum regiam. Commodius autem plures exitus inveniuntur, quibus quæstiones difficiles dissolvantur.

3. Consideranda est sane narratio Stephani de hac re, cui magis harum expositionum non repugnet. Et illud quidem cogit ut non sicut narrari videtur in *Genesi* (*Gen. xii, 1*), post mortem Tharræ locutus sit Deus ad Abraham, ut exiret de cognatione sua et de domo patris sui; sed cum esset in Mesopotamia priusquam habitaret in Charran, jam utique egressus de terra Chaldæorum, ut in illo itinere intelligatur ei lo-

cutus Deus. Sed quod Stephanus postea sic narrat, *Tunc Abraham egressus de terra Chaldæorum habitavit in Charran; et inde, postquam mortuus est pater ejus, collocavit eum in terra hac* (*Act. vii, 4*); non parvas affert angustias huic expositioni, quæ sit per recapitulationem. Videtur enim habuisse imperium Domini, quo ei fuerat locutus in itinere Mesopotamiæ, egresso de terra Chaldæorum, et eunti in Charran, et hoc imperium post mortem patris sui obedienter implese, cum dicitur, *Et habitavit in Charran; et inde, postquam mortuus est pater ejus, collocavit illum in terra hac*. Ac per hoc manet quæstio, si septuaginta quinque annorum (sicut evidenter Scriptura *Genescos* loquitur) fuit, quando egressus est de Charran, quomodo esse possit hoc verum, nisi forte quod ait Stephanus, *Tunc Abraham egressus est de terra Chaldæorum et habitavit in Charran*, non sic accipiaur, Tunc egressus est postquam ei locutus est Dominus; jam enim erat in Mesopotamia, sicut supra dictum est, quando illud audivit a Domino: sed ipsa regula recapitulationis contexere voluit Stephanus, et simul dicere, unde egressus, ubi habitaverit, cum ait, *Tunc Abraham egressus est de Terra Chaldæorum, et habitavit in Charran*. In medio autem, id est, inter egressum de terra Chaldæorum, et habitationem in Charran, locutus est ei Deus. Postea vero quod adjungit Stephanus, *Et inde, postquam mortuus est pater ejus, collocavit illum in terra hac*; intuendum est, quia non dixit, *Et postquam mortuus est pater ejus, egressus est de Charran*; sed, *Inde collocavit eum Deus in terra hac*: ut post habitationem in Charran collocaretur in terra Chanaan, non post mortem patris egressus, sed post mortem patris collocatus in terra Chanaan, ut ordo verborum sit, *Habitavit in Charran, et inde collocavit illum in terra hac, postquam mortuus est pater ejus*; ut tunc intelligamus collocatum vel constitutum Abraham in terra Chanaan, quando illic eum nepotem suscepit, cujus universum semen illic fuerat regnaturum, ex promisso Dei hæreditate douata. Nam ex ipso Abraham natus est Ismael de Agar, nati et alii ex Cethura, ad quos illius terræ non pertineret hæreditas. Et ex Isaac natus est Esau, qui similiter ab illa hæreditate alienatus est. Ex Jacob autem filii Isaac, quotquot filii nati sunt, id est universum semen ejus, ad illam hæreditatem pertinuit. Sic ergo collocatus et constitutus in illa terra Abraham, quoniam vixit usque ad nativitatem Jacob, si recte intelligitur; soluta quæstio est secundum recapitulationem; quamvis et aliæ solutiones non sunt contemnendæ.

XXVI. [Ib. xii, 12, 14.] *Erit ergo cum te viderint Ægyptii, dicent quia uxor illius hæc. Factum est autem statim ut intravit Abraham in Ægyptum, videntes Ægyptii mulierem quia speciosa erat valde.* Quomodo accipiatur, quod Abraham veniens in Ægyptum celare voluit uxorem suam esse Saram<sup>1</sup>, secundum omnia quæ de hac re scripta sunt, utrum hoc convenerit tam sancto viro, an subdefectio<sup>2</sup> fidei ejus intelligatur,

<sup>1</sup> Mss. constanter cum gemina rr, uti apud LXX, *Sarram*.

<sup>2</sup> Idem, sub defectio fidei. Legendum cum Mss., *subdefectio fidei*; uti rursus postea lib. 6, quæst. 30.

(Dir-huit.)

<sup>1</sup> In excusis, *Thare*. At in Mss. constanter, *Thara*, vel *Tharra*; et sic in græco.

SANCT. AUGUST. III.

sicut nonnulli arbitrati sunt; jam quidem et contra Faustum de hac re disputavi (*Contra Faustum*, lib. 22, cap. 35 et 34); et diligentius a presbytero Hieronymo expositum est, quare non sit consequens ut cum aliquot dies apud regem Ægypti Sara fuerit, etiam ejus concubitu credatur esse polluta (*Hieron. lib. Questionum in Gen.*); quoniam mos erat regius, vicibus ad se admittere mulieres suas, et nisi lomentis<sup>1</sup> et unguentis diu prius accurato corpore, nulla intrabat ad regem. Quæ dum fierent, afflicus est Pharaon manu Dei, ut viro redhiberet intactam, quam ipsi Deo maritus commiserat, tacens quod uxor esset, sed non mentiens quod soror esset: ut caveret quod poterat, quantum homo poterat, et Deo commendaret quod cavere non poterat; ne si illa quæ<sup>2</sup> cavere poterat, Deo tantum dimitteret, non in Deum credere, sed Deum tentare potius inveniretur.

XXVII. [lib. xiii, 10.] Quod terra Sodomorum et Gomorrhæ, antequam deleberetur, comparatur paradiso Dei, eo quod erat irrigua, et terræ Ægypti<sup>3</sup> quam Nilus irrigat; satis, ut opinor, ostenditur quomodo intelligi debeat ille paradisos quem plantavit Deus, ubi constituit Adam. Quis enim alius intelligatur paradisos Dei, non video. Et utique si arbores fructiferæ in paradiso virtutes animi accipiendæ essent, sicut nonnulli existimant, nullo corporali in terra paradiso veris lignorum generibus inasuito, non diceretur de ista terra, sicut paradisos Dei.

XXVIII. [lib. xiii, 14.] *Respicens oculis tuis, vide a loco in quo nunc tu es ad Aquilonem et Africum et Orientem et mare, quia omnem terram quam tu vides, tibi dabo eam et semini tuo usque in sæculum.* Quæritur hic quomodo intelligatur tantum terræ promissum esse Abrahamæ et semini ejus, quantum poterat oculis circumspicere per quatuor cardines mundi. Quantum est enim quod ad terram conspiciendam acies corporalis visus possit attingere? Sed nulla est quæstio, si advertamus non hoc solum esse promissum: non enim dictum est, Tantum terræ dabo tibi quantum vides; sed, *Tibi dabo terram quam vides.* Cum enim et ulterior undique datur, profecto hæc præcipue quæ videbatur datur. Deinde attendendum est quod sequitur; quoniam ne putaret etiam ipse Abraham hoc solum promitti terræ quod aspicere vel circumspicere posset, *Surge, inquit, et perambula terram in longitudine ejus et latitudine, quia tibi dabo eam: ut perambulando perveniret ad eam, quam oculis uno loco stans videre non posset.* Significatur autem ea terra quam prius<sup>4</sup> populus accepit Israel, semen Abrahamæ secundum carnem; non illud latius semen secundum fidem, quod ne taceretur, dictum est ei futurum sicut arena maris, secundum hyperbolen quidem, sed tamen tantum quod numerare nullus posset.

<sup>1</sup> Editi, *fomentis*: pro quo Mss., *lomentis*.

<sup>2</sup> Sic in Mss. At in editionibus Am. Er. et Lov., *ne si et illa quod.* In editione autem Rat. (id est quæ ex Augustini natalis, omnia recensio) 497, vulgata est) legitur, *ne si et illa quod.*

<sup>3</sup> Editi, *ut terra Ægypti.* Mss. vero, *et terra Ægypti*: supple, comparatur.

<sup>4</sup> Velus codex Corbeicensis, *primus*.

XXIX. [lib. xiv, 13.] *Et nuntiavit Abraham transfluviali.* Transfluvialom Abraham appellatum etiam græca exemplaria satis indicant: sed cur ita appellatus sit, hæc videtur causa, quod ex Mesopotamia veniens, transito flumine Euphrate, sedes constituit in terra Chanaan, et transfluvialis appellatus est ex ea regione unde venerat. Unde Jesus Nave dicit Israelitis: *Quid? vultis servire diis patrum vestrorum qui sunt trans flumen* (*Josue xxiv, 15*)?

XXX. [lib. xv, 12.] De eo quod scriptum est, *Circa solis autem occasum pavor irruit super Abraham, et ecce timor magnus incidit ei*; tractanda est ista quæstio, propter eos qui contendunt perturbaciones istas non cadere in animum sapientis: utrum tale aliquando sit quale Agellius<sup>1</sup> commemorat in libris Noctium Aticarum, quemdam philosophum in magna maris tempestate turbatum, cum esset in navi et animadvertens a quodam luxurioso adolescente; qui cum ei post transactum periculum insultaret, quod philosophus cito perturbatus esset, cum ipse neque timuerit neque palluerit; respondit, ideo illum non perturbatum, quia nequissimæ animæ suæ nihil timere deberet, quod nec digna esset pro qua aliquid timeretur (*Agell. lib. 19, c. 1. De Civit. Dei, lib. 9, c. 4*). Cæteris autem studiosis, qui in navi fuerant, exspectantibus protulit librum quemdam Epicteti stoici, ubi legebatur non ita placuisse Stoicis, nullam talem perturbacionem cadere in animum sapientis, quasi nihil tale in eorum appareret affectibus, sed perturbacionem ab eis definiri, cum ratio talibus motibus cederet; cum autem non cederet, non dicendam perturbacionem. Sed considerandum est quemadmodum hoc dicat Agellius, et diligenter inserendum<sup>2</sup>.

XXXI. [lib. xvii, 8.] *Dabo tibi et semini tuo post te terram in qua habitas, omnem terram cultam<sup>3</sup> in possessionem æternam.* Quæstio est quomodo dixerit æternam, cum Israelitis temporaliter data sit: utrum secundum hoc sæculum dicta sit æterna, ut ab eo quod est *αἰών* græce, quod sæculum significat, dictum sit *αἰώνιος*, tanquam si latine dici posset sæculare: an ex hoc aliquid secundum spirituales promissionem hic intelligere cogamur, ut æternum dictum sit, ideo quia hinc æternum aliquid significatur: an potius locutionis est Scripturarum, ut æternum appellent, cujus rei finis non constituitur; aut non ita fit ut deinceps non sit faciendum, quantum pertinet ad curam vel potestatem facientis; sicut ait Horatius,

*serviet æternum, qui parvo nesciet uti.*  
(*Horat., lib. 1, epist. 10.*)

Non enim potest in æternum servire, cujus ipsa vita, qua servit, æterna esse non potest. Quod testimonium non adhiberem, nisi locutionis esset. Verborum quippe illi sunt nobis auctores, non rerum vel sententiarum. Si autem defenduntur Scripturæ secundum

<sup>1</sup> In excusis, *Aulus Gellius*. At in Mss. optimæ notæ utique, *Agellius*: ut passim restitutum eunt viri litterati.

<sup>2</sup> Am. Er. et Lov., *et diligenter disserendum.* Editio Rat., *ut diligenter miserendus.* At Mss. duodecim, *et diligenter inserendum*.

<sup>3</sup> Apud LXX et in Vulgata, *terram Chanaan.* In Ms. Corb., *terram incultam.*

*Idiomata propriae, quae Idiomata vocantur. quanto magis secundum eas quae cum aliis linguis communes habent?*

XXXII. [Ib. xviii, 16.] Quæritur quomodo dictum sit ad Abraham de filio ejus, *Fili reges gentium ex te erunt*: utrum quia non provenit secundum regna terrena, secundum Ecclesiam accipi debeat; an propter Esau etiam ad litteram contigit.

XXXIII. [Ib. xviii, 2.] *Et videns procucurrit in obviam illis ab ostio tabernaculi sui, et adoravit super terram, et dixit: Domine, si inveni gratiam ante te, ne prætercas servum tuum.* Quæritur cum tres viri essent qui ei apparuerant, quomodo singulariter Dominum appellet, dicens, *Domine, si inveni gratiam ante te*: an intelligebat unum ex eis Dominum, et alios angelos: an potius in angelis Dominum sentiens, Domino potius quam angelis loqui elegit: quia uno ex tribus cum ipso Abraham postea remanente, duo mittuntur in Sodomam, et illis sic loquitur Loth tanquam Domino.

XXXIV. [Ib. xviii, 4.] *Sumatur aqua, et lavem pedes vestros, et refrigerate sub arbore, et sumam panem, et manducate.* Quæritur si angelos intelligebat, quomodo potuerit ad hanc humanitatem invitare; quoniam reflectio mortali carni<sup>1</sup> necessaria est, non immortalitati Angelorum.

XXXV. [Ib. xviii, 11.] *Abraham autem et Sara seniores, progressi in diebus: defecerant autem Sarae feri muliebria.* Seniorum ætas minor est quam senum, quamvis et senes appelentur seniores. Unde si vera sunt quæ a nonnullis medicis asseruntur, quoniam senior vir cum muliere seniore filios facere non potest, etiamsi adhuc feminæ muliebria veniant; secundum hoc admiratum Abraham de promissione filii (Gen. xvii, 17); et miraculum posuisse Apostolum, accipere possumus, ubi dixit *emortuum corpus* Abraham (Rom. iv, 19). Emortuum quippe corpus non ita intelligendum est, ac si omnino nullam vim generandi habere posset, si mulier juvenilis<sup>2</sup> ætatis esset; sed secundum hoc emortuum, ut etiam de provectoris ætatis muliere non posset. Nam ideo de Cethura potuit, quia et juvenilis illam invenit ætatis. Sic enim medici tradunt, quoniam cujus corpus viri secundum hoc jam defecit, ut cum femina provectoris ætatis, quamvis menstrua adhuc patiat, generare non possit, de juvenula potest. Et rursus mulier quæ jam provectoræ ætatis est, quamvis adhuc menstrua fluant, ut de seniore parere non possit, de juvene potest. Illud itaque ideo miraculum fuit, quia secundum id quod diximus, emortuo corpore viri, femina quoque provectoræ ætatis fuit, ut ei destitissent fieri muliebria. Nam si quod ait Apostolus, *corpus emortuum*, verbo quis premat, quia dixit *emortuum*; jam ergo nec animam habuisse, sed cadaver fuisse intelligi debet; quod absurdissimæ falsitatis est. Sic itaque solvitur ista quæstio. Alioquin merito movet quomodo cum esset Abraham prope mediæ ætatis, secundum quam homi-

nes tunc vivebant, et postea filios de Cethura fecerit, dicatur ab Apostolo, corpore emortuo, et pro miraculo, quia genuit, prædicetur?

XXXVI. [Ib. xviii, 15.] *Et dixit Dominus ad Abraham, Quare risit Sara in semetipsa dicens, Ergo vero pariam<sup>1</sup>? ego autem senni.* Quæritur quare istam re-darguat Dominus, cum et Abraham riserit, nisi quia illius risus admirationis et lætitiæ fuit, Sara autem dubitationis; et ab illo hoc dijudicari potuit, qui corda hominum novit.

XXXVII. [Ib. xviii, 15.] *Negavit Sara dicens, Non risi: timuit enim.* Quomodo intelligebant Deum esse, qui loquebatur, cum etiam negare ausa sit Sara quod riserit, tanquam hoc ille posset ignorare: nisi forte Sara homines eos putabat, Abraham vero Deum intelligebat? Sed etiam ipse illa humanitatis officia præbendo, de quibus supra dixi, quæ necessaria nisi infirmæ carni esse non possent, mirum nisi homines prius esse arbitratus est: sed fortassis in quibus Deum loqui intellexit, quibusdam divinæ majestatis existentibus et apparentibus signis, sicut in hominibus Dei<sup>2</sup> sæpe apparuisse Scriptura testatur. Sed rursus quæritur, si ita est, unde angelos fuisse postea cognoverint, nisi forte cum eis videntibus in cælum iissent.

XXXVIII. [Ib. xviii, 19.] *Scio enim, quia constituet filios suis, et domui suæ post se, et custodient vias Domini, et facere<sup>3</sup> justitiam et iudicium, ut adducat Dominus in Abraham omnia, quæ locutus est ad illum.* Ecce ubi promittit Dominus Abraham non solum præmia, sed etiam obedientiam justitiæ filiorum ejus, ut circa eos etiam præmia promissa compleantur.

XXXIX. [Ib. xviii, 21.] *Descendens ergo videbo si secundum clamorem ipsorum venientem ad me consummantur, si autem non, ut sciam.* Verba hæc si non dubitantis quid quorum potius eventurum sit, sed irascentis et minantis accipiamus, nulla quæstio est. More quippe humano Deus in Scripturis ad homines loquitur, et ejus iram noverunt sine perturbatione ejus intelligere, qui noverunt. Solemus autem etiam sic minaciter loqui, Videamus si non tibi facio, aut, Videamus si non illi fecero, et, si non potuero tibi facere; vel, Sciam, id est, hoc ipsum experior, utrum non possim: quod cum minando non ignorando dicitur, irati apparet affectus; sed perturbatio non cadit in Deum. Mos autem humanæ locutionis et usitatus est, ut humanæ infirmitati congruat<sup>4</sup>, cui Deus coaptat locutionem suam.

XL. [Ib. xviii, 32.] Quæri solet utrum quod de Sodomis dixit Deus, non se perdere locum, si invenirentur illic vel decem justi, speciali quadam sententia, de illa civitate, an de omnibus intelligendum sit generaliter, parcere Deum loco, in quocumque vel decem justi fuerint. In qua quæstione non est quidem necesse ut hoc de omni loco accipere compellamur: verumtamen de Sodomis potuit et sic dici, quia sciebat Deus

<sup>1</sup> Sic Mss. juxta græcum. Editi vero, *ego vero pariam.*

<sup>2</sup> Editi, *Deum.* At Mss., *Dei.*

<sup>3</sup> Sic Mss. juxta græc. LXX. At editi habent, *et custodiant vias Domini, et faciunt.*

<sup>4</sup> Mss., *congruat.*

<sup>1</sup> Mss. melioris notæ, *quæ refectioni mortalis carnis.*

<sup>2</sup> In antiquis codicibus constanter scriptum, *juvenalis.*

ibi non esse vel decem; et ideo sic respondebatur Abraham, ut significaretur nec tot ibi posse inveniri, ad exaggerationem iniquitatis illorum. Non enim necesse erat Deo tam sceleratis hominibus parcere, ne cum illis perderet justos; cum posset, justis inde liberatis, reddere impiis digna supplicia: sed, ut dixi, ad ostendendam malignitatem multitudinis illius, dixit, *Si decem ibi invenero, parcam universam civitati*; tanquam si diceret, Certe possum nec pios cum impiis perdere, nec tamen propterea impiis parcere quia liberatis et separatis inde piis, possum impiis digna rependere; et tamen si ibi inveniantur, parco; hoc est, quia nec tot ibi possent inveniri. Tale aliquid est apud Jeremiam, ubi ait, *Circuite vias Jerusalem, et videte, et quærite in plateis ejus, et cognoscite si invenietis hominem facientem justitiam et quærentem fidem, et propitius ero peccatis eorum* (Jerem. v. 1): id est, invenite vel unum, et parco cæteris; ad exaggerandum et demonstrandum quod nec unus ibi posset inveniri.

XL. [Ib. xix, 1.] Quod occurrit Loth angelis, et adoravit in faciem, videtur intellexisse quod angeli essent; sed rursus cum eos ad refectorem corporis invitaret, quæ mortalibus necessaria est, videtur putasse quod homines essent: ergo quæstio similiter solvitur, ut soluta est in tribus qui venerunt ad Abraham, ut aliquibus signis appareret eos divinitus missos, qui tamen homines crederentur. Nam hoc et in Epistola quæ est ad Hebræos, cum de hospitalitatis bono Scriptura loqueretur, ait: *Per hanc enim quidam nescientes hospitio receperunt angelos* (Hebr. xiii, 2).

XLI. [Ib. xix, 8.] Quod ait Sodomitis Loth, *Sunt mihi duæ filię quæ nondum noverunt viros, producam illas ad vos; utimini illis quomodo placuerit vobis, tantum in viros istos ne faciatis iniquum*; quoniam prostituere volebat filias suas hac compensatione, ut viri hospites ejus nihil a Sodomitis tale paterentur: utrum admittenda sit compensatio flagitiorum vel quorumque peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius gravius malum faciat; an potius perturbationi Loth, non consilio tribuendum sit quia hoc dixerit, merito quæritur. Et nimirum periculosissime admittitur hæc compensatio: si autem perturbationi humanæ tribuitur, et menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda est.

XLII. [Ib. xix, 11.] *Viros vero qui erant ad ostium domus percusserunt cæcitate*. Græci habent, *ἀσπασίς*, quod magis significat, si dici posset, avidentia, quæ faciat non videri, non omnia, sed quod non opus est. Nam merito movet quomodo potuerunt delirare quærendo ostium, si tali erant cæcitate percussi, ut omnino nihil viderent. Hoc enim modo sua calamitate turbati, ulterius ostium non requirerent. Hac *ἀσπασίς* et illi percussi sunt, qui quærebant Elisæum (IV. Reg. vi, 48). Hanc et illi habuerunt, qui Dominum post resurrectionem cum illo ambulantes in via non cognoverunt (Luc. xxiv, 16); quamvis ibi non sit hoc verbum positum, sed res ipsa intelligatur.

XLIII. [Ib. xix, 18, 19.] *Dixit autem Loth ad illos: Oro, Domine, quia invenit puer tuus miseri-*

*cordiam ante te, et magnificasti justitiam tuam, quam facis in me, ut vivat anima mea; ego autem non possum salvus fieri in monte, ne forte comprehendant me mala et moriar*. Hæc perturbatione timoris non credebatur ipsi Domino, quem in angelis cognoscebat, quæ etiam illud de filiabus suis prostituendis dixerat: ut intelligamus non pro auctoritate habendum quod dixit de turpitudine filiarum: non enim et hoc pro auctoritate habendum est, Deo non esse credendum.

XLV. [Ib. xix, 29.] *Et recordatus est Deus Abraham, et exemit Lot de medio everisionis*. Commendat Scriptura meritis magis Abraham liberatum esse Lot, ut intelligamus justum Lot dictum secundum quemdam modum, maxime quod unum verum Deum colebat, et propter comparisonem scelerum Sodomorum, inter quos vivens ad vitam similem non potuit inclinari.

XLVI. [Ib. xix, 30.] *Ascendit autem Loth de Segor, et sedebat in monte*. Mirum nisi ipse mons est, in quem sponte ascendit, quo admonente Domino ascendere noluit: aut enim nullus est alius, aut non apparet.

XLVII. [Ib. xix, 30.] *Timuit enim habitare in Segor*. Inlimitati ejus Dominus et timori concesserat civitatem quam Loth ipse delegerat, et in ea promiserat ei securitatem, quod propter illum parceret civitati: tamen etiam ibi esse timuit; ita fides ejus non magni roboris fuit.

XLVIII. [Ib. xx, 2.] *Dixit autem Abraham de Sara uxore sua, Soror mea est. Timuit enim dicere, Uxor mea est, ne forte occiderent eum viri civitatis propter illam*. Quæri solet quomodo adhuc in illa ætate pro Saræ pulchritudine Abraham periclitari metuebat. Sed magis formæ illius vis miranda est, quæ adhuc amari poterat, quam quæstio difficilis putanda.

XLIX. [Ib. xx, 6.] Quod ait Deus ad Abimelech, propter Saram, *Et peperci tibi ut non peccares in me, quando cum admonuit uxorem Abraham esse, quam putabat sororem: advertendum est et notandum, in Deum peccari, quando talia committuntur quæ putant homines leviter habenda, tanquam in carne peccata*. Quod autem dixit ei, *Ecce tu morieris*: etiam hoc notandum est, quomodo dicat Deus tanquam prædicens sine dubio futurum quod admonens dicit, ut a peccato abstinendo caveatur.

L. [Ib. xxi, 8.] Merito quæritur cur Abraham nec die quo natus est ei filius, nec die quo circumcisus est, sed die quo ablactatus est, epulum fecerit. Quod nisi ad aliquam spirituales significationem referatur, nulla solutio quæstionis est; tunc scilicet esse debere magnum gaudium spiritualis ætatis, quando fuerit factus homo novus spiritualis, id est, non talis qualibus dicit Apostolus, *Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis: sed nec adhuc potestis; adhuc enim estis carnales* (I Cor. iii, 2).

LI. [Ib. xxi, 10.] Quæritur Sara dicente, *Ejice ancillam et filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac*, quare contristatus sit Abraham,



cum ista fuerit propheta, quam utique magis debuit nosse ipse quam Sara. Sed intelligendum est, vel ex revelatione hoc dixisse Saram, quia prius illi fuerat revelatum; illum vero quem de hac postea Dominus instruit, paterno affectu pro filio fuisse commotum; vel ambos prius nescisse quidnam illud esset, et per Saram nescientem hoc propheticè dictum esse, cum illa mota esset muliebri animo propter ancillæ superbiam.

LII. [Ib. XXI, 13.] Notandum quod et Ismael dictus sit a Deo semen Abrahæ, propter illud quod sic accipiendum docet Apostolus quod dictum est, *In Isaac vocabitur tibi semen; id est, non filii carnis, sed filii promissionis deputantur in semine* (Rom. ix, 7, 8): ut hoc proprie pertineat ad Isaac, qui non fuit filius carnis, sed filius promissionis, ubi promissio fit de omnibus gentibus.

LIII. [Ib. XXI, 14.] *Surrexit autem Abraham mane, et sumpsit panes et utrem aquæ, et dedit Agar, et imposuit in humeros, et puerum, et dimisit illam.* Fieri quæstio solet quomodo imposuerit in humeros et puerum tam grandem. Nam qui fuerat antea quam natus esset Isaac; tredecim annorum circumcisis, cum esset Abraham nonaginta novem, et natus sit Isaac centenario patre, ludebat autem Ismael cum Isaac quando Sara commota est, utique cum grandiuculo, qui jam fuerat ab lactatus; profecto annorum fuit Ismael, quando cum matre sua de domo patris expulsus est, amplius sexdecim. Sed ut hoc quod cum parvulo in it, per recapitulationem dictum accipiamus, antequam ab lactaretur Isaac; profecto etiam sic amplius quam tredecim annorum puer in humeros matris, cum utre et panibus, nimis absurdum est ut impositus esse credatur. Quam facile autem solvitur quæstio, si non subaudiamus, imposuit; sed, dedit. Dedit enim Abraham, sicut scriptum est, matri ejus panes et utrem, quæ illa imposuit in humeros suos. Cum autem adjunctum et dictum est *et puerum*, subaudimus dedit, qui panes et utrem dederat; non, in humeros imposuit.

LIV. [Ib. XXI, 15-18.] *Defecit autem aqua de utre, et projecit puerum sub unam abietem, et discessit, et sedere cepit contra illum longe quantum arcus mittit; dixit enim, Non videbo mortem filii mei: et sedit contra eum. Exclamans autem puer ploravit; et exaudivit Deus vocem pueri de loco ubi erat: et vocavit angelus Dei Agar de caelo, et dixit ei, Quid est, Agar? Noli timere, exaudivit enim Deus vocem filii tui de loco in quo est. Surge, et accipe puerum, et tene illum in manu tua: in magnam enim gentem faciam illum.* Solet quæri quomodo, cum puer esset annorum amplius quindecim, projecit eum mater sub arborem, et herit longe quantum arcus mittit, ne videret eum morientem; quasi enim quem portabat projecit, ita videtur sonare quod dicitur, maxime quia sequitur, *Flevit puer.* Sed intelligendum est projectum esse non a portante, sed ut sit, ab animo, tanquam moriturum. Neque enim quod scriptum est, *Projectus sum a facie oculorum tuorum* (Psal. xxx, 23), portabatur qui

hoc dixit. Et est in quotidiano loquendi usu, cum projici dicitur aliquis ab aliquo cum quo erat, ne ab illo videatur aut cum illo maneat. Intelligendum est autem quod Scriptura tacuit, ita discessisse matrem a filio, ut puer ignoraret quo mater abierit, et eam in silvestribus stirpibus latuisse, ne filium sibi deficientem videret. Ille autem etiam illa ætate, quid mirum si matre diutius non visa et tanquam perditâ, eo loco, ubi solus remanserat, flevit? Quod ergo postea dicitur, *Accipe puerum*, non ut eum de terra velut jacentem tolleret, dictum est, sed ut ei conjungeretur, et eum manu teneret deinceps comitem, sicut erat: quod plerumque faciunt simul ambulantes cujuslibet ætatis.

LV. [Ib. XXI, 22.] *Factum est autem in tempore illo, et dixit Abimelech, etc.* Quæri potest, quando cum isto Abimelech pactum fecit Abraham, et appellatus est puteus quem fodit, puteus jurationis, quomodo congruat veritati. Agar enim de Abrahæ domo expulsa cum filio, juxta puteum, sicut dictum est, jurationis errabat, qui valde postea dicitur factus ab Abraham: ibi enim Abimelech et Abraham juraverunt, quod nondum utique factum erat, cum de domo Abraham Agar cum filio fuisset expulsa. Quomodo ergo errabat juxta puteum jurationis? An factum jam fuisset intelligendum est, et per recapitulationem postea commemoratum quod egit Abraham cum Abimelech? Nisi forte qui longe postea librum scripsit, ex nomine putei jurationis appellavit regionem, in qua cum filio mater errabat, tanquam diceret, Errabat in illa regione, ubi puteus jurationis factus est: quamvis puteus postea sit factus, sed longe ante ætatem scriptoris; sic autem appellabatur puteus cum liber scriberetur, nomen tenens antiquum, quod Abraham inposuerat. Si autem ipse est puteus, quem apertis oculis vidit Agar, nihil restat nisi ut per recapitulationem quæstio dissolvatur. Nec movere debet quomodo puteum, quem foderat Abraham, nesciebat Agar si ante est ille fossus quam illa expulsa. Valde enim fieri potuit ut procorum suorum causa, longe a domo in qua cum suis habitabat, puteum foderet, quem illa nesciret.

LVI. [Ib. XXI, 33.] Quæri potest quomodo ad puteum juramenti agrum plantaverat Abraham, si in terra illa, quemadmodum Stephanus dicit, non acceperat hæreditatem, nec spatium pedis (Act. vii, 5). Sed ea est intelligenda hæreditas quam Deus munera suo fuerat daturus, non empta pretio. Intelligitur autem spatium circa puteum ad illud emptionis pactum pertinere, in quo fuerant agræ septem datæ, quando Abimelech et Abraham sibi etiam juraverunt.

LVII. [Ib. XXII, 1.] *Et tentavit Deus Abraham.* Quæri solet quomodo hoc verum sit, cum dicat in Epistola sua Jacobus quod Deus neminem tentat (Jacobi, i, 13): nisi quia locutione Scripturarum solet dici, tentat, pro eo quod est probat. Tentatio vero illa de qua Jacobus dicit, non intelligitur nisi quia quisque peccato implicatur. Unde Apostolus dicit: *Ne forte ten-*

<sup>1</sup> Mss. Beccensis et Michaëlianus, *nemus*.

taverit vos is qui tentat (1 Thess. III, 5). Nam et alibi scriptum est, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (Deut. XIII, 5): etiam hoc genere locutionis, ut *sciat*, dictum est, ac si diceretur, ut scire vos faciat; quoniam vires dilectionis suæ hominem latent, nisi divino experimento etiam eidem innotescant.

LVIII. [Ib. XXII, 12.] Vox angeli de cælo ad Abraham, *Ne injicias manum in puerum, neque facias ei quiddam. Modo enim cognovi, quoniam timeas Deum tu;* etiam ista quæstio simili locutione solvitur: hoc est enim, *Nunc cognovi, quoniam timeas Deum tu*, quod significat, Nunc te feci cognoscere. In consequentibus autem hoc genus locutionis evidenter apparet, ubi dicitur, *Et vocavit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit; ut dicant hodie, In monte Dominus apparuit. Vidit*, pro eo quod est apparuit, hoc est *vidit*, pro eo quod est *videri fecit*; significans per efficiendum id quod efficitur, sicut frigus pigrum quod pigros facit.

LIX. [Ib. XXII, 12.] *Et non pepercisti filio tuo dilecto propter me.* Numquid Abraham propter Angelum non pepercit filio suo, et non propter Deum? Aut ergo angeli nomine Dominus Christus significatus est, qui sine dubio Deus est, et manifeste a propheta dictus est, *magni consilii Angelus* (Isai. IX, 6, sec. LXX); aut quod Deus erat in angelo, et ex persona Dei angelus loquebatur, sicut in Prophetis etiam solet. Nam in consequentibus hoc magis videtur apparere ubi legitur, *Et vocavit angelus Domini Abraham iterum de cælo, dicens, Per memetipsum juravi, dicit Dominus.* Non facile enim invenitur Dominus Christus Patrem Dominum dicere tanquam suum Dominum, illo præsertim tempore antequam sumeret carnem. Nam secundum id quod formam servi accepit, non incongruenter hoc dici videtur. Nam secundum hujus rei futuræ prophetiam illud est in Psalmo, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu* (Psal. II, 7). Nam neque in ipso Evangelio facile invenimus a Christo Deum Patrem Dominum appellatum. quod Dominus ejus esset; quamvis Deum invenimus in illo loco, ubi ait, *Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meam et Deum vestrum* (Joan. XX, 17). Quod autem scriptum est, *Dixit Dominus Domino meo* (Psal. CIX, 1), ad ipsum qui loquebatur refertur, id est, *Dixit Dominus Domino meo*, Pater scilicet Filio: et, *Pluit Dominus a Domino*, qui scribebat dixit (Gen. XIX, 24); ut Dominus ejus a Domino ejus, id est, Dominus noster a Domino nostro pluisse intelligatur, Filius a Patre.

LX. [Ib. XXII, 21.] Quod in his quos nuntiaverunt Abraham natos esso filios Melchæ, nominatur et Chamuel pater Syrorum, non utique illi qui nuntiaverunt, nuntiare patrem Syrorum potuerunt: ex origine quippe illius Syrorum genus longe postea propagatum est. Sed dictum est a persona scribentis, qui post omnia illa tempora hæc scribendo narravit; quemadmodum supra diximus de puteo jurationis (Sup. quæst. 55).

LXI. [Ib. XXI, 7.] *Exurgens autem Abraham ado-*

*ravit populum terræ. Queritur quomodo scriptum sit, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Deut. VI, 13; X, 20); cum Abraham sic honoraverit populum quemdam gentium, ut etiam adoraret. Sed animadvertendum est in eodem præcepto, non dictum, *Dominum Deum tuum solum adorabis*, sicut dictum est, *Et illi soli servies*, quod est græce *λατρεύσεις*. Talis enim servitus non nisi Deo debetur. Unde damnantur idololatræ, id est, ejusmodi servitutes exhibentes idolis, quæ debetur Deo. Nec moveat quod alio loco in quadam Scriptura prohibet angelus hominem adorare, et admonet ut Dominus potius adoretur (Apoc. XIX, 10). Talis enim apparuerat angelus ut pro Deo posset adorari; et ideo fuerat corrigendus adorator.

LXII. [Ib. XXI, 5.] Quod Abraham jubet puero suo ut manum suam ponat sub ejus femore, et sic eum adjurat per Dominum Deum cæli, et Dominum terræ, solet imperitos movere; non attendentes magnam istam de Christo exstitisse prophetiam, quod ipse Dominus Deus cæli et Dominus terræ in ea carne venturus esset, quæ de illo femore propagata est.

LXIII. [Ib. XXIV, 12-14.] Querendum quo differant augurationes illicitæ ab illa petitione signi, qua petivit servus Abrahæ ut ei Deus ostenderet ipsam esse futuram uxorem domini sui Isaac, a qua cum petivisset ut biberet, diceretur illi, *Bibe et tu, et adaquabo camelos tuos quoadusque bibere desinent.* Aliud est enim, mirum aliquid petere quod ipso miraculo signum sit; aliud ea observare, quæ ita fiunt ut mira non sint, sed a conjectoribus superstitionosa vanitate interpretentur. Sed hoc ipsum etiam quod mirum aliquid postulatur, quo significetur quod quisque vult nosse, utrum audendum sit, non parva quæstio est. Eo namque pertinet, quod dicuntur qui hoc non recte faciunt, tentare Dominum. Nam ipse Dominus cum a diabolo tentaretur, testimonium de Scripturis adhibuit, *Non tentabis Dominum Deum tuum* (Deut. VI, 16; Matth. IV, 7). Suggerebatur enim tanquam homini ut signo aliquo exploraret ipse quantus esset, id est, quam multum apud Deum posset; quod vitiose fit, cum sit. Ab hoc autem discernitur quod Gedeon fecit pugnx imminente periculo (Jud. VI, 17): consultatio quippe illa magis quam tentatio Dei fuit. Unde et Achaz apud Isaiam timet signum petere, ne Deum tentare videatur, cum hoc eum Dominus admoneat per prophetam (Isai. VI, 11, 12); credo, existimans quod ab ipso propheta exploraretur utrum præcepti memor osset, quo tentare Deum prohibetur.

LXIV. [Ib. XXIV, 37, 38.] Servus Abrahæ narrans quæ sibi mandata fuerant a domino suo, dicit eum sibi dixisse, *Non sumes uxorem filio meo a filiabus Chanaanæorum, inter quos ego habito in terra eorum, sed in domum patris mei ibis, et in tribum meam, et sumes uxorem filio meo inde*: et cætera si legantur quemadmodum illi mandata sint, sententia eadem reperitur; verba vero non omnia, vel ipsa, vel ita dicta sunt. Quod admonendum putavi propter stultos et indoctos homines, qui Evangelistis hinc calumniantur, quod in aliquibus verbis non omni modo convē-

niunt, quamvis rebus atque sententiis omnino non discrepent. Certe enim istum librum unus homo scripsit, qui ea quæ supra dixit cum mandaret Abraham, vel relecta sic ponere potuit, si ad rem pertinere judicaret, cum veritas narrationis exigitur<sup>1</sup>, nisi ut rerum sententiarumque sit, quibus voluntas, propter quam intimandam verba sunt, satis appareat.

LXV. [Ib. xxiv, 41.] Quod habent latini codices, narrante servo Abrahæ quæ sibi mandaverat dominus ejus, *Tunc innocens eris a juramento meo*, vel, *juratione mea*; græci habent, *a maledicto meo*: ἔραος enim dicitur juratio, ἀρά maledictum; unde et κατάρτος maledictus vel ἐπιματάρτος dicitur. Proinde oritur quæstio, quomodo illa juratio maledictum possit intelligi; nisi quia maledictus est qui contra jurationem fecerit.

LXVI. [Ib. xxiv, 49.] *Si ergo facitis misericordiam et justitiam ad dominum meum, renuntiate mihi.* Duo illa quæ assidue ponuntur in aliis sanctis Scripturis, et maxime in Psalmis, misericordia, et justitia, tantumdem enim valet misericordia et veritas, hinc jam apparere cœperunt.

LXVII. [Ib. xxiv, 51.] *Ecce Rebecca in conspectu tuo; accipiens recurre, et sit uxor filii domini tui, quemadmodum locutus est Dominus.* Quæritur quando locutus sit Dominus, nisi quia vel prophetam esse Abraham noverant, et propheticæ a Domino dictum quod per illum dictum fuerat, agnoscebant: aut signum illud quod sibi datum servus ejus narravit, locutionem Domini appellaverunt; hoc enim magis de Rebecca expressum est. Nam quod Abraham dixerat, non de Rebecca dixerat, sed de aliqua femina ex tribu vel cognatione sua; et hoc ad utrumque, ut inamnis esset a juramento servus, si non impetrasset: quod utique nec dicitur, cum aliquid prophatur. Certam enim decet esse prophetiam.

LXVIII. [Ib. xxiv, 60.] Quod Rebecca dixerunt fratres ejus proficiscenti, *Soror nostra es, esto in nullius millium, et hereditatem obtineat semen tuum, civitates adversariorum*: non propheta fuerunt, aut vanitate tam magna optaverunt; sed eos quæ promiserat Deus Abrahæ latere non potuit.

LXIX. [Ib. xxiv, 63.] Quod scriptum est, *Et exiit Isaac exerceri in campo meridie*; qui verbum de hac re græcum nesciunt, exercitationem corporis putant. Scriptum est autem græce ἀδολεσχῆσαι: ἀδολεχῆν vero ad animi exercitationem pertinet, et sæpe vitio deputatur; more tamén Scripturarum plerumque in bono ponitur. Pro isto verbo quidam interpretati sunt exercitationem, quidam garrulitatem, quasi verbositatem, quæ in bono, quantum ad latinum eloquium pertinet, vix aut nunquam invenitur; sed, ut dixi, in Scripturis plerumque in bono dicitur: et videtur mihi significare animi affectum studiosissime aliquid cogitantis cum delectatione cogitationis; nisi aliud sentiunt qui

<sup>1</sup> Editi, non exigitur. Abest negatio a Mss. quæ hic propter subsequente[m] particulam nisi, inserta fuit; sed perperam, cum detracta illa perelegans sit iste dicendi modus, si ad rem pertinere judicaret, nisi ut rerum sententiarumque sit certus, quæ in narratione exigitur.

hæc verba græca melius intelligunt.

LXX. [In xxv, 1.] *Adjiciens autem Abraham suscipit uxorem nomine Cethuram.* Quæstio hæc esset, si peccatum esset, maxime in antiquis dantibus operam propagandæ proli. Quodlibet enim hic quam ineonvenientia suspicanda est tanti viri, in illa præsertim jam ætate. Cur autem de hac filios fecerit, qui cum miraculo de Sara fecerat, supra dictum est (Quæst. 35): quanquam nonnulli donum quod accepit Abraham velut reviviscentis corporis ad filios procreandos, diu permansisse asserant, ita ut posset et alios procreare. Sed multo est absolutius de adolescentula potuisse seniore[m], quod senior de seniore non posset, nisi Deus illic miraculum præstitisset, maxime propter Saræ non solum ætatem, verum etiam sterilitatem. Sane etiam grandioris ætatis, et sicut Scriptura loquitur, plenum dierum posse dici seniore[m], hoc est presbyterum, hinc intelligi potest, quia hoc Abraham appellatus est quando mortuus est. Proinde omnis senex etiam presbyter, non omnis presbyter etiam senex; quia plerumque est hoc nomen ætatis quæ infra senectutem senectuti vicina est, et ex hoc etiam ipsa a senectute nomen accepit in latina lingua, ut presbyter senior appelletur. Apud Græcos autem, maxime sicut Scriptura loquitur, πρεσβύτεροι et νεώτεροι dicuntur, etiamsi ætates juvenum comparentur; quod dicimus nos majorem atque juniorem. Verumtamen hoc factum Abrahæ, quod post mortem Saræ de Cethura filios procreavit, non sic accipiendum est, quasi humana consuetudine et cogitatione tantummodo substituendæ numerosioris prolis hoc factum sit. Sic enim possent accipere homines etiam quod de Agar factum est, nisi Apostolus admoneret illa fuisse facta propheticæ, ut in utrisque personis mulierum earumque filiorum duo Testamenta ad futurorum prænuntiationem allegorica significatio figuraret (Galat. iv, 22-24). Unde in isto quoque Abrahæ facto aliquid tale quærendum est; etsi non facile occurrat, ego interim quod occurrat: munera quæ acceperunt filii concubinarum, videntur mihi significare quædam Dei dona, vel in sacramentis vel in quibusque signis, etiam carnali populo Judæorum et hæreticis data, velut filiis concubinarum; cum hæreditatis munus, quod est charitas et vita æterna, non nisi ad Isaac pertineat, hoc est, ad filios promissionis.

LXXI. [Ib. xxv, 13.] Quid sibi vult quod scriptum est, *Hæc sunt nomina filiorum Ismael secundum nomina generationum eorum?* Non enim satis elucet cur additum sit, *secundum nomina generationum eorum*; cum ii soli nominentur quos ille genuit, non etiam qui ab ipsis geniti sunt. Nisi forte quia nationes ex illis propagatæ eorum nominibus appellantur, hoc significatum sit, cum dictum est, *secundum nomina generationum eorum*: quamvis hoc modo illæ nationes sint potius secundum nomina istorum, non ista nomina secundum illas nationes; quia illæ posterius exstiterunt. Ualde notanda locutio est, quia et postea de illis dicitur, *duodecim principes secundum gentes eorum.*

LXXII. [Ib. xxv, 22.] Quod de Rebecca scriptum

est, quia venit interrogare Dominum cum gestirent puerperia in utero ejus, quaeritur quo ierit. Non enim erant tunc prophetae, aut sacerdotes secundum ordinem tabernaculi vel templi Domini. Quo ergo ierit, merito movet, nisi forte ad locum ubi aram constituerat Abraham. Sed illic quomodo responsa audierit<sup>1</sup>, omnino tacet Scriptura; utrum per aliquem sacerdotem, quod incredibile est, si erat, non fuisse nominatum, et nullam ibi omnino sacerdotum aliquorum factam esse mentionem. An forte ibi cum orando alle-gassent desideria sua, dormiebant in loco, ut per somnium monerentur? An adhuc vivebat Melchisedech, cujus tanta fuit excellentia; ut a nonnullis dubitetur, utrum homo, an angelus fuerit? An erant aliqui tales etiam illo tempore homines Dei, in quibus posset Deus interrogari? Quidquid horum est, et si quid aliud quod me forte, ne commemorarem, praeterierit, mentiri tamen Scriptura non potest, quae dixit Rebeccam fuisse ad interrogandum Dominum, eique Dominum respondisse.

LXXIII. [Ib. xxv, 23.] In eo quod Dominus respondit Rebeccae, *Duae gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo separabuntur, et populus populum superabit, et major serviet minori*, spiritali intelligentia carnales in populo Dei significantur per majorem filium, et spirituales per minorem: quia sicut dicit Apostolus, *Non prius quod spirituale, sed quod animale; postea, spirituale* (I Cor. xv, 46). Solet et sic intelligi hoc quod dictum est, ut in Esau figuratus sit major populus Dei, hoc est Israeliticus secundum carnem: per Jacob autem figuratus sit ipse Jacob secundum spiritualem progeniem. Sed etiam historica proprietate hoc responsum invenitur esse completum, ubi populus Israel, hoc est Jacob minor filius, superavit Idumaeos, hoc est gentem quam propagavit Esau, cosque fecit tributarios per David: quod diu fuerunt, usque ad regem [scilicet Joram<sup>2</sup>] sub quo Idumaei rebellaverunt, et jugum Israelitarum Idumaei a cervice sua deposuerunt, secundum prophetiam ipsius Isaac quando minorem pro majore benedixit; hoc enim dixit eidem majori, cum et ipsum postea benediceret (*Gen. xxvii, 40*).

LXXIV. [Ib. xxv, 27.] *Jacob autem erat homo simplex habitans domum*. Quod graece dicitur *ἀπλοῦς*, hoc latini simplicem interpretati sunt. Proprie autem *ἀπλοῦς*, non fictus; unde aliqui latini interpretes, sine dolo, interpretati sunt, dicentes, *Erat Jacob sine dolo habitans in domo*: ut magna sit quaestio, quomodo per dolum acceperit benedictionem qui erat sine dolo. Sed ad significandum magnum aliquid hoc Scriptura praemisit<sup>3</sup>. Hinc enim maxime cogimur ad intelligenda illo loco spiritualia, quia sine dolo erat qui dolum fecit. Unde quid sentiremus, in sermone quodam ad populum habito satis diximus (*Serm. 4, n. 16-24*).

<sup>1</sup> Sic in Mss. Boccensi et Michaelino. In caeteris, *responsa dantur*.

<sup>2</sup> Id abest a Mss.

<sup>3</sup> Am. Er. et Loy., *aliquid quod scriptura praetermisit. Rat., aliquid quod scriptura praemisit. Longe melius Mss. quos hoc loco sequimur.*

LXXV. [Ib. xxvi, 1.] In eo quod scriptum est, *Facta est autem fames super terram, praeter famem quae ante facta est in tempore Abraham: abiit autem Isaac ad Abimelech regem Philistinorum in Gerara*; quaeritur hoc quando sit factum: utrum posteaquam Esau vendidit primo genita sua cibo lenticulae; post illam quippe narrationem hoc narrari incipit: an, ut fieri solet, per recapitulationem narrator ad ea reversus sit, cum progressus de filiis ejus ad eum locum pervenisset, qui de lenticula commemoratus est. Movet autem, quia ipse invenitur Abimelech, qui etiam Saram concupiverat: ipsius enim paranympus et princeps militiae, qui ibi commemorati sunt, etiam hic commemorantur, utrum vel vivere potuerint. Quando enim factus est amicus Abrahae, nondum natus erat Isaac, sed jam promissus. Ponamus ante annum quam nasceretur<sup>1</sup> Isaac, illud fuisse factum: deinde Isaac suscepit filios, cum esset annorum sexaginta; illi autem juvenes erant quando vendidit Esau primogenita sua: ponamus etiam ipso circa viginti annos fuisse; sunt anni aetatis Isaac usque ad illud factum filiorum ejus, circiter octoginta: adolescentem accipiamus fuisse Abimelech, quando matrem ipsius concupivit, et Abrahae amicus est factus; potuit ergo jam esse quasi centenarius, si post illud factum filiorum suorum perrexit in illam terram famis necessitate Isaac. Non ergo ex hoc cogit ulla necessitas, per recapitulationem putare narratam projectionem Isaac in Gerara. Sed quia ibi diuturno tempore fuisse Isaac scribitur, et puteos fodisse, et de his contendisse, et ditatum fuisse pecunia; mirum nisi recapitulando ista commemorantur, quae ideo fuerant praetermissa, ut primum de filiis ejus usque ad illum locum de lenticula narratio perveniret.

LXXVI. [Ib. xxvi, 12, 13.] Ideo quod scriptum est de Isaac, *Benedixit autem cum Dominus, et exaltatus est homo, et procedens major fiebat, quoadusque magnus factus est valde, secundum terrenam felicitatem dictum sequentia docent. Exsequitur enim narrator eandem ejus divitias, quibus magnus factus est; et hinc motus Abimelech, timuit illum ibi esse, ne potentia ejus sibi esset infesta. Quanquam ergo aliquid spirituale ista significant, tamen secundum id quod contigerunt, ideo praemissum est, *Benedixit eum Dominus*, ut sana fide intelligamus etiam ista temporalia dona, nec dari posse, nec sperari debere, etiam cum ab inferioribus appetuntur, nisi ab uno Deo: ut qui in minimis fidelis est, etiam in magnis fidelis sit; et qui in mammona iniquo fidelis inventus est, etiam verum accipere mereatur, sicut Dominus in Evangelio loquitur (*Luc. xvi, 10*). Talia etiam de Abraham dicta sunt, quod ei munere Dei provenerint. Unde non parum aedificat sanam fidem pie intelligentibus ista narratio, etiamsi de his rebus allegorica significatio nulla posset exculpi<sup>2</sup>.*

LXXVII. [Ib. xxvi, 28.] *Fiat execratio inter nos et inter te*; id est, juratio quae maledictis obstringit, quae accidant ei qui pejeraverit: secundum quam conside-

<sup>1</sup> Sic Mss. et editi, *antequam nasceretur*.

<sup>2</sup> Mss. tres probae notae, *excludit*.

rantiam est quod et servus Abraham commemoravit, narrans eis a quibus accepit uxorem domino suo Isaac.

LXXVIII. [Ib. xxvi, 32.] Quid est quod scriptum est, quod cum venissent pueri Isaac et dixissent, *Fodimus puteum, et non invenimus aquam*; appellavit eundem puteum Isaac juramentum? An quamvis factum sit, in aliquam significationem sine dubio duendum est spiritualem; quoniam nihil habet convenientiæ secundum litteram, ut ideo juramentum appellaverit puteum, quod ibi aqua non sit inventa? Quanquam alii interpretes pueros Isaac inventam potius aquam nuntiasse dixerunt: sed etiam sic quare juramentum appellatum est, ubi nulla fuerat facta juratio?

LXXIX. [Ib. xxvii, 1-17.] Quoniam tantus patriarcha Isaac, antequam moriatur, quærit a filio suæ venerationem et escam, qualem amat, pro magno beneficio, et promittit benedictionem, nullo modo vacare arbitramur a significatione prophetica: maxime quoniam festinat uxor ejus ut illam benedictionem minor accipiat, quem ipsa diligebat, et cætera in eadem narratione multum movent ad majora intelligenda vel requirenda.

LXXX. [Ib. xxvii, 33.] Quod habent latini codices, *Exparit autem Isaac pavore magno valde*, græci habent, *ἔβηθη δὲ Ἰσαὰκ ἐκστασιν μεγάλην σφόδρα*, ubi tanta commotio intelligitur, ut quædam mentis alienatio sequeretur. Ipsa enim proprie dicitur ecstasis. Et quia solet in magnarum rerum revelationibus fieri, in hac intelligendum est factam esse spirituales admonitionem, ut confirmaret benedictionem suam filio minori, cui potius irascendum fuit quod fefellerit patrem. Sic et de Adam cum prophetatur hoc sacramentum magnum, quod dicit Apostolus in Christo et in Ecclesia; *Erant duo in carne una*, dicitur quod ecstasis præcesserit (*Gen. ii, 21-24, et Ephes. v, 31, 32*).

LXXXI. [Ib. xxvii, 42.] Quomodo annuntiata vel renuntiata sunt verba Esau Rebecæ, quibus comminatus est occidere fratrem suum, cum Scriptura dicat hoc eum in sua cogitatione dixisse; nisi quia hinc nobis datur intelligere, quod divinitus eis revelantur omnia? Unde ad magnum mysterium pertinet, quod filium suum minorem pro majore voluit benedici.

LXXXII [Ib. 28, 2.] Quod habent latini codices, Isaac dicente filio suo, *Vade in Mesopotamiam, in domum Bathuel patris matris tuæ, et sume inde tibi uxorem*; græci codices non habent *Vade*, sed *fuge*: hoc est, *ἀπέφυγε*. Unde intelligitur etiam Isaac cognovisse quod filius ejus Esau de fratre suo in cogitatione sua dixerit.

LXXXIII. [Ib. xxviii, 16, 17.] *Et surrexit Jacob de somno suo, et dixit, Quia est Dominus in loco hoc, ego autem nesciebam: et timuit, et dixit, Quam terribilis locus hic! hoc non est nisi domus Dei; et hæc porta est cæli.* Hæc verba ad prophetiam pertinent, quia ibi futurum erat tabernaculum, quod constituit Dominus

<sup>1</sup> Plurimi: *Hic non est nisi domus Dei.* Mas. vero, *hoc*, quod in græco est *ταῦτο*.

in hominibus in primo populo suo. Portam cæli autem sic intelligere debemus, tanquam inde fiat aditus credentibus ad capessendum regnum cælorum.

LXXXIV. [In xxviii, 18.] Quod statuit lapidem Jacob, quem sibi ad caput posuerat, et constituit eum titulum, et perfudit illum oleo, non aliquid idololatriæ simile fecit; non enim vel tunc vel postea frequentavit lapidem adorando, vel ei sacrificando: sed signum fuit in prophetia evidentissima constitutum, quæ pertinet ad unctionem, unde Christi nomen a chrismate est.

LXXXV. [Ib. xxviii, 19.] *Et vocavit Jacob nomen loci illius Domus Dei, et Ulammaus erat nomen civitati ante.* Juxta civitatem dormisse si intelligatur, nulla quæstio est; si autem in civitate, mirum videtur quomodo potuerit illum titulum constituere. Quod autem votum si prosperaretur eundo et redeundo, decimasque promisit domui Dei futuræ in loco illo, prophetia est domus Dei, ubi et ipse rediens Deo sacrificavit; non illum lapidem Deum appellans, sed domum Dei, id est, quia in illo loco futura erat domus Dei.

LXXXVI. [Ib. xxix, 10.] Quod venit Rachel cum ovibus patris sui, et dicit Scriptura quod cum vidisset Jacob Rachel filiam Laban fratris matris suæ, accessit et revolvit lapidem ab ore putei; magis notandum est, aliquid Scripturam prætermittere quod intelligere debemus, quam ulla quæstio commovenda. Intelligitur enim quod illi, cum quibus primo loquebatur Jacob, interrogati quæ esset quæ veniebat cum ovibus, ipsi dixerunt filiam esse Laban, quam utique Jacob non noverat; sed illius interrogationem responsionemque illorum, Scriptura præmittens, intelligi voluit.

LXXXVII. [Ib. xxix, 11, 12.] Quod scriptum est, *Osculatus est Jacob Rachel, et exclamans voce sua flevit; et indicavit ei quia frater est ejus, et quia filius Rebecca est.* Consuetudinis quidem fuit, maxime in illa simplicitate antiquorum, ut propinqui propinquas oscularentur, et hoc hodie fit in multis locis: sed quæri potest quomodo ab incognito illa osculum acceperit, si postea indicavit Jacob propinquitatem suam. Ergo intelligendum est, aut illum qui jam audierat quæ illa esset, fidenter in ejus osculum irruisse; aut postea Scripturam narrasse per recapitulationem quod primo factum erat, id est, quod indicaverit Jacob quis esset. Sicut de paradiso postea dicitur, quomodo Deus eum instituerit, cum jam dictum esset quod plantavit Deus paradysum, et posuerit illic hominem quem slexerat: et multa alia per recapitulationem dicta intelliguntur.

LXXXVIII. [Ib. xxix, 20.] Quod scriptum est, *Et servivit Jacob pro Rachel annis septem; et erant in conspectu ejus velut pauci dies, eo quod diligebat illam,* quærendum quomodo dictum sit, cum magis etiam breve tempus longum esse solcat amantibus. Dictum est ergo propter laborem servitutis, quem facilem et levem amor faciebat.

LXXXIX. [Ib. xxix, 27-31.] Si parum advertatur rei hujus narratio, putabitur quod posteaquam Liam Jacob duxit uxorem, deinde servivit alios septem annos

pro Rachel; et tunc eam duxit. Verum autem non ita est, sed Laban ei dixit, *Consumma itaque septimanam<sup>1</sup> istius, et dabo tibi et hanc pro opere quod operaberis apud me adhuc septem annos alios.* Quod itaque ait, *Consumma septimanam istius*, ad nuptiarum celebrationem pertinet, quæ septem diebus celebrari solent. Hoc itaque ait, *Imple dies nuptiarum septem pertinentes ad istam quam duxisti, et dabo tibi et hanc pro eo quod operaberis apud me adhuc septem annos alios.* Deinde sequitur, *Fecit autem Jacob sic, et implevit septimanam ejus*, id est, septem dies nuptiarum Liæ, et *dedit illi Laban Rachel filiam suam ipsi uxorem. Dedit autem Laban Rachel filiæ suæ Ballam<sup>2</sup> ancillam suam ei ancillam, et intravit ad Rachel. Dilexit autem Rachel magis quam Liam, et servivit illi septem annos alios.* Utique apparet quia posteaquam duxit Rachel, tunc servivit pro ea septem annos alios. Nimis enim durum et valde iniquum fuit, ut deceptum adhuc differret alios annos septem, et tunc eam traderet quam primo debuit. Septem autem diebus solere nuptias celebrari, etiam liber Judicum ostendit in Samson, quando fecit potum<sup>3</sup> septem diebus. (*Jud. xiv, 10*). Et addidit Scriptura, quod sic solerent facere juvenes: fecit autem hoc propter nuptias suas.

XC. [lb. xxx, 3, 9.] Non facile dignoscitur, quas concubinas appellet Scriptura, quas uxores; quandoquidem et Agar dicta est uxor, quæ postea dicitur concubina, et Cethura (*Gen. xvi, 3, et xxv, 1, 6*), et ancillæ quas dederunt Rachel et Lia viro suo (*Id. xxx, 3, 4, 9*). Nisi forte omnis concubina uxor, non autem omnis uxor concubina more loquendi Scripturarum appellatur: id est, ut Sara et Rebecca et Lia et Rachel concubinæ dici non possint; Agar vero et Cethura et Balla et Zelfa, et uxores et concubinæ.

XCI. [lb. xxx, 11.] Quod latini habent, nato filio Liæ de Zelfa, quod dixerit, *Beata vel Felix facta sum*, græci habent, εὐτυχία, quod magis bonam fortunam significat. Unde videtur occasio non bene intelligentibus dari, tanquam illi homines fortunam coluerint, aut hoc verbum divinarum Scripturarum auctoritas in usu receperit. Sed aut fortuna intelligenda est pro his rebus quæ fortuito videntur accidere, non quia numen aliquod sit, cum hæc ipsa tamen quæ fortuito videntur, causis occultis divinitus dentur; unde etiam verba, quæ nemo potest auferre a consuetudine loquendi, parata sunt; id est, forte, et fortasse, et forsitan, et fortuito; unde videtur et in græca lingua resonare, quod dicunt εὐχρη, velut ab eo quod est εὐχρη: aut certe Lia propterea sic locuta est, quod adhuc gentilitatis consuetudinem retinebat. Non enim hoc Jacob dixit, ut ex hoc data huic verbo putetur auctoritas.

XCI. [lb. xxx, 30.] Quod Jacob dicit, *Et benedixit te Dominus in pede meo*; satis advertendus est et notandum Scripturarum sensus, ne cum ita quisque locu-

<sup>1</sup> Mss. Novem constantiter habent, *septima*. sic etiam Am. et Rat.

<sup>2</sup> In editis, *Balam*. At in Mss. cum gemina *ll* scribitur *Balam*, ut in græco.

<sup>3</sup> I. O. V., *convitium*, pro quo Rat. Am. Fr. et Mss., *potum*: quæ vox usurpata est ex libro Judic., cap. 14, v. 10, ubi LXX verterunt, *ἐποίησε ποτόν*.

tus fuerit, quasi-augurari videatur. Multum enim interest quod adjecit, *Benedixit te Dominus in pede meo*: in ingressu enim meo voluit intelligi, gratias hinc agens Deo

XCIII. [lb. xxx, 37, 42.] In facto Jacob cum virgas excorticavit, detrahens viride, ut album varie appareret, et sic in conceptu fetus pecorum variarentur, cum matres in alveis aquarum biberent, et visis virgis illam varietatem conspicerent; multa dicuntur similiter fieri in animalium fetibus: sed et mulieri accidisse traditur, et scriptum reperitur in libris antiquissimi et pertissimi medici Hippocratis, quod suspicione adulterii fuerat puniendâ, cum puerum pulcherrimum peperisset utrique parenti generique dissimilem, nisi memoratus medicus solvisset quæstionem, illis admonitis quærere ne forte aliqua talis pictura esset in cubiculo; qua inventa mulier a suspicione liberata est. Sed ad hanc rem quam fecit Jacob, virgarum ex diversis arboribus trium copulatio quid contulerit utilitatis, quod attinet ad varias pecudes multiplicandas, non apparet omnino; nec aliquid ad hoc commodum interest, utrum ex unius generis ligno varientur virgæ, an plura sint lignorum genera, cum sola quæratur lignorum varietas: ac per hoc cogit inquiri prophetiam, et aliquam figuratam significationem res ista, quam sine dubio ut propheta fecit Jacob; et ideo nec fraudis arguendus est. Non enim tale aliquid, nisi revelatione spirituali, eum fecisse credendum est. Quod autem ad justitiam pertinebat, sicut alii interpretes apertius hoc narrant, non ponebat virgas in secundo conceptu ovium: quod tanto obscurius, quanto brevius a Septuaginta dictum est, *Quia cum peperissent, non ponebat*; quod intelligitur cum primum peperissent: ut jam non solere ponere intelligatur, cum secundo parituræ essent, ne ipse auferret omnes fetus, quod iniquum fuit (a).

XCIV. [lb. xxxi, 30.] Quod Laban dicit, *Quare furatus es deos meos?* hiuc est illud fortasse, quod et augurari se dixerat, et ejus filia bonam fortunam nominaverat. Et notandum est, quod a principio libri nunc primum invenimus deos gentium: superioribus quippe Scripturæ locis Deum nominabant.

XCIV. [lb. xxxi, 41, 7.] Quid est quod dicit Jacob socero suo, *Et decepisti mercedem meam decem agnabus?* Hoc enim quando et quomodo factum sit, Scriptura non narrat: sed utique factum est quod iste commemorat; nam dixit hoc et uxoribus suis, quando eas vocavit in campum. Conquerens enim de patre illarum, ait inter cætera, *Et mutavit mercedem meam decem agnorum*. Intelligitur ergo per singula tempora partus ovium, cum videret Laban tales fetus esse natos, quales placuerat ut ad Jacob pertinerent, pactum fraude mutasse, et dixisse ut futuro fetu alios pecudum colores haberet in mercede Jacob. Tunc autem ille virgas varias non supposebat, et non nascebantur varii, sed unius coloris, quæ Jacob ex novo pacto auferebat. Quod cum vidisset Laban, rursus pactum fraude mutabat, ut ad Jacob varia pertinerent: tunc

(a) II Retract. cap. 33, n. 1.

Illarum suppositione virgarum varia nascebantur. Ergo quod ait Jacob uxoris suis, *Mutavit mercedem meam decem agnorum*, et postea ipsi Laban, *Decopiasti mercedem meam decem agnabus*, non ita dixit quasi proveniret socio e jus ipsa fraus; ut enim non ei proveniret, Deum sibi dixit adversus illum adfuisse: decem vero agnos vel decem agnas, pro decem temporibus posuit, quibus oves quas pascebat per sexennium pepererant. Bis quippe pariebant in anno: contigerat autem ut primo anno, quo inter se pacti sunt, et ad eas pasceñas placito hujus mercedis accessit, semel parerent in fine anni, quia cum accessit, jam semel pepererant; rursumque sexto anno, id est ultimo, cum semel peperissent, exorta necessitate profectio nis, prius recederet, quam iterum parerent: ac per hoc cum primus annus atque ultimus duos ovium partus sub illo haberent, hoc est, singulos, medii vero quatuor anni binos; sunt omnes decem. Nec mirum quod hæc decem temporum nomine agnorum appellavit, qui eisdem temporibus nascebantur; velut si quisquam dicat, Per tot vindemias, aut, Per tot messes, quibus numerus intelligatur annorum: unde ait quidam, *Post aliquot aristas* (*Virgil. in Bucol. Eclog. 1, v. 70*); per aristas videlicet messes, et per messes annos significans. Pecundum autem illius regionis fecunditas, sicut Italarum, tanta fertur, ut bis in anno pariant (a).

XCVI. [Ib. xxxi, 45.] *Sumpsit autem Jacob lapidem, et constituit eum titulum.* Diligenter animadvertendum est, quomodo istos titulos de rei cuiusque testimonio constituebant; non ut eos pro diis colerent, sed ut eis aliquid significarent.

XCVII. [Ib. xxxi, 47, 48.] Quod acervum lapidum, quem inter se constituerant Laban et Jacob, cum aliqua diversitate appellaverunt, ut eum vocaret Laban Acervum testimonii, Jacob Acervum testem; traditur ab eis qui et syram et hebræam linguam noverunt, propter proprietatem suæ cuiusque linguæ factum. Fieri enim solet, ut alia lingua non dicatur uno verbo, quod alia dicitur, et vicinitate significationis quidque appelletur. Nam postea dicitur, *Propter hoc appellatum est nomen, Acervus testatur.* Hoc enim medie positum est, quod utriusque conveniret, et ei qui dixerat, *Acervus testimonii*, et ei qui dixerat, *Acervus testis.*

XCVIII. [Ib. xxxi, 48, 49.] Quid est quod loquendo Laban ad Jacob dicit, *Testatur acervus hic, et testatur titulus hic. Propter hoc appellatur nomen, Acervus testatur. Et visio quam dixit, Respiciat Deus inter me et te?* Nisi forte ordo est, *Et visio quam dixit Deus, Respiciat inter me et te*, Deus quippe illi dixerat in visione, ne læderet Jacob.

XCIX. [Ib. xxxi, 50.] Quid est quod dicit in consequentibus Laban, *Vide, nemo nobiscum est?* nisi forte nemo extraneorum, aut propter testificationem Dei, quem ita habere deberent, tanquam nemo cum eis esset, quem testimonio ejus adjungerent.

C. [Ib. xxxi, 53, 42.] *Et juravit Jacob per timorem* (a) et retract. cap. 53, n. 1.

*patris sui Isaac. Per timorem* utique quo timebat Deum, quem timorem etiam superius commendavit, cum diceret, *Deus patris mei Abraham, et timor patris mei Isaac.*

CI. [Ib. xxxii, 2.] Castra Dei quæ vidit Jacob in itinere, nulla dubitatio est quod Angelorum fuerit multitudo: ea quippe in Scripturis militia cœli nominatur.

CII. [Ib. xxxii, 6-12.] Nuntiato sibi fratre suo Jacob veniente obviam ei cum quadringentis viris, turbatus est quidem et mente confusus, quoniam timuit valde; et ut visum est homini perturbato, divisam multitudinem suam in duo castra disposuit. Ubi quæri potest, quomodo habuerit fidem promissis Dei, quandoquidem dixit, *Si venerit ad castra prima frater meus, et exciderit ea, erunt secunda in salutem.* Sed etiam hoc fieri potuit, ut everteret castra ejus Esau, et tamen Deus post illam afflictionem adesset, et liberaret eum, et quæ promisit impleteret. Et admonendi fuimus hoc exemplo, ut quamvis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda sunt ab hominibus in presidium salutis, ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur. Denique post hæc, quæ verba dicat idem Jacob, considerandum est: *Deus, inquit, patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac, Domine, qui dixisti mihi, Recurre in terram generationis tuæ, et bene tibi faciam, idoneus es mihi ab omni justitia et ab omni veritate, quæ fecisti puero tuo. In virga enim mea ista transii Jordanem nunc, nunc autem factus sum in duo castra: erue me de manu fratris mei, de manu Esau; quia ego timeo illum, ne cum venerit seriat me et matres super filios. Tu autem dixisti, Benefaciam tibi, et ponam semen tuum tanquam arenam maris, quæ non dinumerabitur præ multitudine.* Satis in his verbis et humana infirmitas, et fides pietatis apparet.

CIII. [Ib. xxxii, 20.] Quod latini codices habent de Jacob, *Dixit enim, Placabo vultum ejus, in muneribus præcedentibus eum;* scriptor libri qui narrans ait de Jacob, *Dixit enim, Placabo vultum ejus,* huc usque verba Jacob dixisse intelligitur, cætera vero sua intulisse quod ait, *in muneribus præcedentibus eum:* tanquam diceret, In muneribus quæ præcedebant Jacob, placabo vultum fratris mei. Ordo est ergo verborum Jacob, *Placabo vultum ejus, et post hoc video faciem ejus; forsitan enim suscipiet faciem meam.* Interposita autem sunt verba scriptoris, *in muneribus præcedentibus eum.*

CIV. [Ib. xxxii, 26.] Quod ab illo ange.º desiderat Jacob benedici, cui luctando prævaluit, magna est de Christo prophetia. Nam eo ipso adinonet mysticum aliquid sapere, quia omnis homo a majore vult benedici. Quomodo ergo ab eo benedici iste voluit, quem luctando superavit? Prævaluit enim Jacob Christo, vel potius prævalere visus est, per eos Israelitas a quibus crucifixus est Christus; et ab eo tamen benedicitur in eis Israelitis qui crediderunt in Christum, ex quibus erat qui dicebat, *Nam et ego Israelita sum ex semine: Abraham, de tribu Benjamin* (*Rom. xi, 1*).

<sup>a</sup> Mss. et editiones Rat. Am. et Er., ex genera.

Uras ergo atque idem Jacob et claudus et benedictus : claudus in latitudine femoris, tanquam in multitudine generis, de quibus dictum est, *Et claudicaerunt a semitis suis* (Psal. xvii, 46); benedictus autem in eis de quibus dictum est, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (Rom. xi, 5).

CV. [Ib. xxxiii, 10.] Quid sibi vult quod Jacob ait fratri suo, *Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum cum videt aliquis faciem Dei?* utrum parentis et perturbati animi verba usque in hanc adulationem proruperunt? an secundum aliquem intellectum sine peccato dicta accipi possunt? Fortassis enim quia dicti sunt et Gentium dii, quæ sunt demonia, non præjudicetur ex his verbis homini Dei. Non enim dixit, *Quemadmodum si viderem faciem Dei, sed, Cum videt aliquis*; ipse autem aliquis, quem significare possit, incertum est: atque ita fortasse temperata sunt verba, ut et ipse Esau sibi delatum tantum honorem grate acciperet, et qui hæc etiam aliter<sup>1</sup> intelligere possunt, eum a quo dicta sunt nullò crimine impietatis arguerent. Quod dicti benigno animo dicta hæc verba fraterna sunt, quoniam et post bonam susceptionem metus ipse transierat; potuit sic dici, quemadmodum et Moyses Pharaonis deus dictus est (Exod. vii, 1), secundum quod dicit Apostolus, *Etsi sunt qui dicuntur dii, sive in celo, sive in terra, quemadmodum sunt dii multi, et domini nulli* (I Cor. viii, 5): maxime quia sine articulo, in græco dictum est; quo articulo evidentissime solet veri Dei unius fieri significatio. Non enim dixit, *πρόσωπον τοῦ Θεοῦ*, sed dixit, *πρόσωπον θεοῦ*: facile autem hoc intelligunt qua distantia dicatur, qui Græcorum eloquium audire atque intelligere solent.

CVI. [Ib. xxxiii, 14.] Quæritur utrum mendaciter promiserit Jacob fratri suo, quod sequens pedes suorum, in itinere propter quos si<sup>2</sup> moraretur, venturus esset ad eum in Seir: hoc enim, sicut Scriptura deinde narrat, non fecit, sed eo perrexit itinere quod dirigebat ad suos. An forte veraci animo promiserat, sed aliud postea cogitando deligit?

CVII. [Ib. xxxiv, 2, 5.] Quomodo Scriptura dicit quod *ridit Sichem filius Emmor Evæ<sup>3</sup>, princeps terræ, Dinam filiam Jacob, et accepit eam, et dormivit cum ea, et humiliavit eam: et intendit animo Dinæ filiæ Jacob, et adamavit virginem, et locutus est secundum sensum virginis ipsi<sup>4</sup>*? Quomodo virgo appellatur, si jam cum illa dormierat, eamque humiliaverat? Nisi forte virgo nomen ætatis est secundum hebræum eloquium: an potius per recapitulationem postea commemoratur quod primo factum est? Prius enim potuit intendere animæ ipsius et amare virginem, et loqui secundum sensum virginis, et deinde cum illa dormire, eamque humiliare.

CVIII. [Ib. xxxiii, 5, et xxxiv, 25.] Cum paulo ante

<sup>1</sup> Duo Mss., etiam rite intelligere.

<sup>2</sup> In Lov., propter quos sic moraretur. M.

<sup>3</sup> Mss. octo, Emmor Choriæus princeps terræ.

<sup>4</sup> Ad. Er. et Lov., ipsius. At lat. et melioris notæ Mss., ipsi: juxta interpretationem LXX, autē.

loquens Jacob cum fratre suo Esau infantes filios suos esse significet, qui græce dicuntur *παιδιά*, quæri potest quomodo potuerunt facere tantam stragem direptionemque civitatis, interfectis quamvis in dolore circumcisionis constitutis pro sorore sua Dina. Sed intelligendum est, diu illic habitasse Jacob, donec et filia ejus virgo fieret, et filii juvenes. Nam ita scriptum est: *Et venit Jacob in Salem in civitatem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, cum advenit de Mesopotamia Syriæ, et applicuit ad faciem civitatis; et cuius partem agri, in quo statuit illic tabernaculum suum, ab Emmor patre Sichem<sup>1</sup> centum agnis; et statuit ibi aram, et invocavit Deum Israel. Exiit autem Dina filia Liæ, quam peperit ipsi Jacob, ut condisceret filias regionis ejus* (Gen. xxxiii, 18-20, et xxxiv, 1), et cætera. Apparet ergo his verbis non transeunter, sicut viator solet, illic mansisse Jacob, sed agrum emisse, tabernaculum constituisse, aram instruxisse, ac per hoc diutius habitasse: filiam vero ejus cum ad eam venisset ætatis, ut amicas habere jam posset, condiscere voluisse filias civium loci; atque ita factam esse pro illa cruentissimam eandem et depraedationem, quæ jam, ut puto, quæstionem non habet. Multitudo enim non parva erat cum Jacob, qui plurimum ditatus fuit; sed filii ejus in hoc facto nominantur, quia ejusdem facti principes atque auctores fuerunt.

CIX. [Ib. xxxiv, 30.] Quod ait Jacob, timens bella finitimorum apud civitatem Salem, quam expugnaverunt filii ejus, *Ego autem exiguus sum numero, et convenientes super me occident me*; propter bella plurimum, quæ consurgere poterant, se dixit numero exiguum, non quod minus multos haberet, quam possent sufficere expugnationi illius civitatis, cum suos in itinere in bina castra dividerit.

CX. [Ib. xxxv, 1.] *Dixit autem Deus ad Jacob, Surge, et ascende in locum Bethel, et habita ibi; et fac ibi aram Deo, qui apparuit tibi, cum fugeres a facie Esau fratris tui.* Quid est quod non dixit, *Et fac ibi aram mihi, qui apparui tibi*; sed Deus dicit, *Fac ibi aram Deo qui apparuit tibi*? utrum Filius ibi apparuit, et Deus Pater hoc dicit? an in aliquo genere locutionis annumerandum?

CXI. [Ib. xxxv, 2.] Quod Jacob ascensus Bethel, ubi jussus est aram facere, dicit domui suæ et omnibus qui cum illo erant, *Tollite deos alienos, qui vobiscum sunt, de medio vestrum, etc.*; deinde dicitur, *Et dederunt Jacob deos alienos, qui erant in manibus eorum, et inaures quæ erant in auribus eorum*: quæritur quare et inaures, quæ si ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant, nisi quia intelligendum est phylacteria fuisse deorum alienorum. Nam Rebeccam a servo Abraham inaures accepisse Scriptura testatur; quod non fieret, si eis inaures habere ornamenta gratia non liceret. Ergo illæ inaures quæ cum idolis datæ sunt, ut dictum est, idolorum phylacteria fuerunt.

CXII. [Ib. xxxv, 5.] *Et factus est timor Dei in ciottatibus quæ circa illos erant, et non sunt consecuti post filios*

<sup>1</sup> Quinque melioris notæ Mss., tabernaculum suum ~1 Emmor patrem Sichem. Et sic latina editio versionis græcæ LXX.



*Israel.* Incipiamus animadvertere quemadmodum Deus operetur in hominum mentibus. A quo enim timor Dei factus est in illis civitatibus, nisi ab illo qui sua promissa in Jacob filiisque tuebatur?

CXIII. [Ib. xxxv, 6.] *Venit autem Jacob in Luza, quæ est in terra Chanaan, quæ est Bethel.* Animadvertendum est tria jam nomina hujus civitatis commemorata; Ulammaus, quod dictum est eam prius vocatam, cum illuc prius pergeus in Mesopotamiam venisset Jacob (*Gen. xviii, 19*); et Bethel, quod nomen ipse imposuit (*Id. xxxv, 15*), et interpretatur Domus Dei; et Luza, quod modo commemoratum est. Nec mirum debet videri: multis enim locis hoc accidit, et in civitatibus, et in fluminibus, et in quibusque terrarum, ut ex aliis atque aliis causis vel adderentur, vel mutarentur vocabula, sicut etiam ipsi hominibus.

CXIV. [Ib. xxxv, 9, 10.] Iterum in Luza apparuit Deus Jacob, et dixit ei: *Nomen tuum jam non vocabitur Jacob, sed Israel erit nomen tuum.* Hoc ei dicit ecce iterum Deus in benedictione, quæ repetitio confirmat magnum promissum in hoc nomine. Nam hoc mirum est, quibus etiam semel dictum est, amplius eos non vocari quod vocabantur, sed quod eis novum nomen imponebatur, omnino amplius aliquid non vocatos nisi quod eis impositum sit: istum autem per totam vitam suam et deinceps post vitam suam appellatum esse Jacob, cui non semel Deus dixerat, *Non jam vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum* (*Id. xxxii, 28*). Nimirum ergo nomen hoc ad illam recte intelligitur pertinere promissionem, ubi sic videbitur Deus, quomodo non est antea Patribus visus. Ibi non erit nomen vetus, quia nihil remanebit vel in ipso corpore vetustatis, et Dei visio summum erit primum.

CXV. [Ib. xxxv, 11.] In promissis Jacob dicitur, *Gentes et congregationes gentium erunt ex te*: queritur utrum gentes secundum carnem, congregationes autem gentium secundum fidem, an utrumque propter fidem gentium dictum est, si gentes appellari non possunt una gens Israel secundum carnem.

CXVI. [Ib. xxxv, 13-15.] *Ascendit autem Deus ab eo loco, ubi locutus est cum eo; et statuit Jacob titulum in loco in quo locutus est cum eo, titulum lapideum; et libavit super eum libamen, et infudit super eum oleum; et vocavit Jacob nomen loci, in quo locutus est cum eo illic Deus, Bethel.* Iterum factum est hoc loco, quod factum fuerat? an iterum commemoratum est? Sed quodlibet horum sit, super lapidem libavit Jacob, non lapidi libavit. Non ergo sicut idololatæ solent aras ante lapides constituere, et tanquam diis libare lapidibus.

CXVII. [Ib. xxxv, 26.] 1. Quod duodecim filii computantur Israel, qui nati sunt ei, et dicitur, *III sunt filii Israel, qui nati sunt ei in Mesopotamia*, cum Benjamin longe postea natus sit, cum jam transisset Bethel, et appropinquaret Bethlehem: frustra quidam conantes istam solvere quæstionem, dixerunt non legendum, *nati sunt*, sicut latini plerique codices habent; sed, *facti sunt*; græce enim scriptum est *ἐγένοντο*: ita

<sup>1</sup> sic habet Er., et melius, ut probat contextus series. In B., cui *semel*, adjuncta hac nota in margine: « Fortasse, non semel. » M

volentes intelligi etiam Benjamin, quamvis ibi natus non fuerit, ibi factum tamen; quia jam fuerat in utero seminatus, ut prægnans inde Rachel exiisse credatur. Hoc autem modo etiam si, *nati sunt*, legeretur, possent dicere, jam in utero natus erat, quia conceptus erat; sicut de sancta Maria dictum est: ad Joseph, *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Matth. i, 20*).

2. Sed aliud est quod impedit hanc solutionem quæstionis hujus; quia si jam ibi Benjamin conceptus erat, qui filii Jacob grandes inde exierunt, vix annorum duodecim esse potuerunt. Viginti namque annos illic explevit, quorum primis septem sive conjugio fuit, donec serviendo id adipisceretur <sup>1</sup>. Ut ergo primo anno, quo duxit uxorem, ei filius nasceretur, duodecim annorum esse potuit primitivus, cum inde profectus est. Proinde si jam conceptus fuerat Benjamin, intra decem menses illa omnis via præacta est, et quidquid in itinere scriptum est de Jacob. Unde sequitur ut filii ejus tam parvuli pro sorore sua Dina tantam stragem fecerint, tot homines trucidaverint, ita expugnaverint civitatem: in quibus Simeon et Levi, qui primi gladiis accincti intraverunt ad illos homines eosque peremerunt, undecim unus, alter autem decem annorum fuisse reperitur etiam si per singulos annos sine intermissione illa pepererat: quod utique incredibile est, ab illius ætatis pueris illa omnia fieri potuisse; quando et ipsa Dina vix adhuc sex annorum fuit.

3. Proinde aliter solvenda quæstio est, ut ideo intelligatur dictum, commemoratis duodecim filiis, *Hi sunt filii Jacob, qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriae*, quia inter omnes qui tam multi erant, unus tantum erat non ibi natus, qui tamen inde habuit nascendi causam, quod ibi mater ejus patri copulata est. Sed solutio ista quæstionis aliquo exemplo similis locutionis firmanda est <sup>2</sup>.

4. Nulla tamen est facilior solutio quæstionis hujus, quam ut per synecdochem dictum accipiatur. Ubi enim pars major est, aut potior, solet ejus nomine etiam illud comprehendi quod ad ipsum nomen non pertinet. Sicut ad duodecim Apostolos jam non pertinebat Judas, qui etiam mortuus fuit cum Dominus resurrexit a mortuis, et tamen ipsius duodenarii numeri nomen Apostolus in Epistola sua tenuit, ubi ait, eum apparuisse illis duodecim (*I Cor. xv, 5*). Cum articulo enim hæc græci codices habent (*α*), ut non possint intelligi quicumque duodecim; sed illi in eo numero insignes. Eo modo locutionis puto et illud a Domino dictum, *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis*

<sup>1</sup> Am. Fr. et Lov., *donec serviendo ita ea dispensaretur*. At Nss. lavente Rat. *serviendo, id adipisceretur*: scilicet, conjugium.

<sup>2</sup> Post, *firmanda est*, habet vetustissimus codex Curbeliensis in medio contextu, *Ab hinc scribendum*. Ex quo intelligere est istum codicem forte descriptum fuisse ad exemplar illud, in quo Eugypius, qui hunc locum excerptit, id sua manu annotaverat: et conjecturam auget quod solet cum Eugypii excerptis in variantibus lectionibus convenire.

(*α*) Græc., *τοὺς δώδεκα*. At Vulgata, *duodecim*.

Urus ergo atque idem Jacob et claudus et benedictus : claudus in latitudine femoris, tanquam in multitudine generis, de quibus dictum est, *Et claudicaerunt a semitis suis (Psal. xvii, 46)*; benedictus autem in eis de quibus dictum est, *Reliquiae per electionem gratiae salvae factae sunt (Rom. xi, 5)*.

**CV.** [Ib. xxxiii, 10.] Quid sibi vult quod Jacob ait fratri suo, *Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum cum videt aliquis faciem Dei?* utrum parentis et perturbati animi verba usque in hanc adulationem proruperunt? an secundum aliquem intellectum sine peccato dicta accipi possunt? Fortassis enim quia dicti sunt et Gentium dñi, quae sunt daemonia, non praerudicetur ex his verbis homini Dei. Non enim dixit, *Quemadmodum si viderem faciem Dei, sed, Cum videt aliquis*; ipse autem aliquis, quem significare possit, incertum est: atque ita fortasse temperata sunt verba, ut et ipse Esau sibi delatum tantum norem grate acciperet, et qui haec etiam aliter intelligere possunt, cum a quo dicta sunt nulli impietatis arguerent. Quod etsi benigno haec verba fraterna sunt, quoniam et receptionem metus ipse transierat quemadmodum et Moyses Pharaonem (Exod. vii, 1), secundum quosdam sunt qui dicuntur dñi, sive in quodam modo sunt dñi multi, et maxime quia sine articulo evidentissimè significatio. Non enim constantia dicat intelligere

**CVI.**

promissum fuerit d

**CXX.** [Ib. xxxvi, 6, 7.] Quæstio est, quomodo *Jacob se benedictione fraudatum, sive aliqua causa vel uxorum suarum, quas odiosas videbat esse parentibus, vel qualibet alia: et coepit habitare in monte Seir.* Deinde post reditum Jacob fratris sui, facta inter eos concordia, reversus est et ipse ad parentes, et cum mortuum patrem simul sepelissent, quia eos in plurimum ditatos terra illa, sicut scriptum est, minime capiebat, abscessit rursus in Seir, et ibi propagavit gentem Idumæorum.

**CXXI.** [Ib. xxxvi, 21.] Quod scriptum est, *Hi principes Chorraei filii Seir in terra Edom; secundum tempus quo vivebat, scriptor commemorat. Cum autem Seir habitaret qui istos genuit, nondum veniente in*

loquens **Jacob** cum fratre suo Esau infirmitate esse significet, qui graece dicuntur quomodo potuerunt facere tantamque civitatis, interfecit circumcisionis constitutis pro intelligendum est, diu illi filia ejus virgo seret. *ptum est: Et venit? rum, quæ est in? tania Syriae, partem agrum Emmor et inv qnr* *ptum est, Et equam regeres, tanquam omnes tempora, quibus cœmus fuit Saül. Multa tempora Saül, tempus unum tempus fuerunt ante quos solos potuit commemorant antequam ipse moreretur. numerantibus ab Abraham per Edom, atque per Ragucl filium Raguel, et Jobab filium Zara, cecidit in regno Balac, qui primus in terra fuisse commemoratur, usque ad ultimum quem potuit nominare Moyses, plures generationes inveniuntur quam numerantur ab Abraham per Jacob usque ad Moysen. Nam illic inveniuntur fere duodecim, hic autem usque ad Moysen ferme septem. Fieri enim potuit ut ideo ibi plures nominarentur, quia citius moriendo plures aliter alteri successerunt. Sic etiam contigit ut alium ordinem sequens Matthæus, ab Abraham usque ad Joseph quadraginta duas generationes numeraret (Matth. i, 4-17): Lucas autem in ordine alio numerans generationes non per Salomonem, sicut ille, sed per Nathan, ab Abraham usque ad Joseph quinquaginta quinque commemoret (Luc. iii, 23-38). In illo quippe ordine ubi plures numerantur, citius mortui sunt, quam hic ubi pauciores. Ne forte autem moveat aliquem, quod inter reges Edom commemoratur Balac filius Beor, et de similitudine nominis existimet illum esse Balac, qui restituit Moysi ducenti populum Israel: sciat illum Balac Moabitam fuisse, non Idumæum, eumque fuisse filium Sefhor, non filium Beor; sed fuisse etiam ibi tunc filium Beor Balaam, non Balac, quem Balaam conduxerat idem Balac ad maledicendum populum Israel (Num. xxii, 2-6).*

**CXXII.** [Ib. xxxv, 29, et xxxvii, 2.] Quomodo potuerit mors Isaac, decem et septem annorum invenire Joseph ejus nepotem, sicut videtur tanquam ex ordine Scriptura narrare, quocumque se quisque convertat, invenire difficile est. Nolo enim dicere, non posse inveniri, ne forte me fugiat quod alium non fugit. Si enim post mortem avi sui Isaac, decem et septem annorum fuit Joseph quando eum fratres in Ægyptum vendiderunt, procul dubio et pater ejus Jacob septimo decimo anno filii sui Joseph centum viginti annorum fuit. Genuit enim eos Isaac, cum esset annorum sexaginta, sicut scriptum est (Gen. xxv, 26): vixit ergo Isaac postea centum viginti, quia centesimo octogesimo mortuus est; idcirco dimisit filios centum viginti annos habentes, et Joseph decem et septem. Joseph autem quoniam triginta annorum fuit, quando apparuit in conspectu Pharaonis, secuti sunt autem

anni ubertatis et duo famis, donec ad eum fratribus venit; triginta novem profecto Joseph quando Jacob intravit in Ægyptum idem Jacob, quod ore suo Pharaoni et trigesimum annum agebat aetate autem et viginti Jacob, septem Joseph: quod verum enim septimo decimo anno viginti ageret, procul duobus Joseph, non centum tri- et duos annos agere etis Isaac, nondum h, sed aliquan- ptimum deci- testante in um etiam debuit onsecutus. vit annum vitæ octogesimum, et ejus (Id. xxxv, 28, 29), deinde quadmodum digressus esset Esau a terra Chanaan in montem Seir, et commemorationem regum et principum gentis ipsius, in qua se constituit, vel quam propagavit Esau; post hæc, narrationem de Joseph sic intulit (Id. xxxvi, 6-45): *Habitabat autem Jacob in terra Chanaan. Hæc autem procreatura Jacob. Joseph autem decem et septem annorum erat pascens cum fratribus ves.* Deinde narratur causa somniorum quemadmodum odiosus fratribus sit factus, et venditus (Id. xxxvii, 1-28). Aut ergo eodem anno septimo decimo, aut etiam aliquanto major venit in Ægyptum: ac per hoc utrolibet modo permanet quæstio. Si enim decem et septem annorum fuit post mortem avi sui, quando pater ejus centum viginti fuit; profecto anno ejus trigesimo et nono, quando Jacob venit in Ægyptum, centum quadraginta duos annos idem Jacob agere debuit: fuit autem tunc Jacob centum triginta; ac per hoc si decem et septem annorum Joseph in Ægyptum est venditus, ante duodecim annos quam moreretur avus ejus, venditus invenitur. Decem enim et septem annorum esse non potuit, nisi ante duodecim annos mortis Isaac, centesimo et octavo anno vitæ patris sui Jacob. His enim cum adjecerimus viginti duos annos quibus Joseph usque ad adventum patris sui fuit in Ægypto, sicut ætatis anni Joseph triginta novem, et Jacob centum triginta, et nulla erit quæstio. Sed quoniam Scriptura post mortem Isaac ista narravit, putatur Joseph post ejusdem avi sui mortem decem et septem annorum fuisse. Quapropter intelligamus de vita Isaac, tanquam multum decrepiti senis, tacuisse Scripturam, cum jam de Jacob et ejus filiis loqueretur: vivo tamen Isaac, decem et septem annorum esse cœpit Joseph.

CXXIII. [Ib. xxxvii, 10.] Quod dicit Jacob ad Joseph, *Quod est somnium hoc quod somnias? Numquid venientes veniemus ego et mater tua et fratres tui adorare te super terram?* nisi in aliquo mysterio dictum accipiatur,

quomodo intelligitur de matre Joseph, quæ jam erat mortua? Unde non in Ægypto, cum sublimaretur, putandum est hoc esse completum; quia nec pater eam adoravit, quando ad eum venit in Ægyptum, nec mater olim defuncta potuit. In Christi ergo persona facile intelligi potest etiam de mortuis, secundum illud quod dicit Apostolus, *quia donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum* (Philipp. ii, 9, 10).

CXXIV. [Ib. xxxvii, 28.] Quæritur quare Ismaelitis Scriptura, quibus a fratribus venditus est Joseph, etiam Madianitas vocet, cum Ismael sit de Agar filius Abrahamæ, Madianitæ vero de Cethura? An quia Scriptura dixerat de Abraham, quod munera dederit filiis concubinarum suarum, Agar scilicet et Cethuræ, et dimiserit eos ab Isaac filio suo in terram Orientis (Gen. xxv, 6), unam gentem fecisse intelligendi sunt?

CXXV. [Ib. xxxvii, 35.] De Jacob scriptum est, cum lugeret Joseph, *Congregati sunt autem omnes filii ejus et filia, et venerunt consolari eum.* Quæ filia præter Dinam? An filios et filias dicit connumeratis nepotibus et neptibus? jam enim majores filii ejus filios habere potuerunt.

CXXVI. [Ib. xxxvii, 35.] *Et noluit consolari, dicens. Quoniam descendam ad filium meum lugens in infernum.* Solet esse magna quæstio, quomodo intelligatur infernus; utrum illuc mali tantum, an etiam boni mortui descendere soleant. Si ergo tantum mali, quomodo iste ad filium suum se dicit lugentem velle descendere? Non enim in pœnis inferni eum esse credit. An perturbati et dolentis verba sunt, mala sua etiam hinc exaggerantis?

CXXVII. [Ib. xxxvii, 36.] *Et vendiderunt Joseph in Ægyptum Ptelephæ spadoni, præposito coquorum.* Nolunt quidam præpositum coquorum interpretari, qui græce ἐπιφύλακτος dicitur; sed præpositum militiæ, cui esset potestas occidendi. Nam sic appellatus est etiam ille quem Nabuchodonosor misit, penes quem potius invenitur primatus fuisse militiæ.

CXXVIII. [Ib. xxxviii, 1-3.] *Factum est autem in tempore illo descendit Judas a fratribus suis ad hominem quendam Odollamitam, cui nomen Iras: et vidit illic Judas filiam hominis Chananæi nomine Savam, et accepit eam, et introivit ad eam, et concepit, et peperit filium, et cætera.* Quæritur quando ista fieri potuerunt. Si enim posteaquam Joseph devenit in Ægyptum, quomodo intra viginti ferme et duos annos (nam post tantum temporis colligitur eos venisse ad eundem Joseph fratrem suum in Ægyptum cum patre suo) fieri potuerit ut Judæ filii ejus ætatis omnes possent ducere uxores? Nam Thamar nurum suam, mortuo primogenito suo, alteri filio dedit: quo etiam mortuo, exspectavit ut cresceret tertius; et cum crevisset, nec illi eam dedit, timens ne et ipse moreretur: unde factum est ut eidem socero suo se illa

<sup>1</sup> Tres Mas., *dimiserit*. Alii codices, *dimiserit*: hoc nomen acceptum est ex LXX, *exapestellen*, illud concordat cum vulgata, *separavit*.

<sup>2</sup> sic Mas. juxta LXX. At editi, ut in vulgata, *Sue*.

Unus ergo atque idem Jacob et claudus et benedictus : claudus in latitudine femoris, tanquam in multitudine generis, de quibus dictum est, *Et claudicaverunt a semitis suis* (Psal. xvii, 46); benedictus autem in eis de quibus dictum est, *Reliquiae per electionem gratiae salvae factae sunt* (Rom. xi, 5).

CV. [Ib. xxxiii, 10.] Quid sibi vult quod Jacob ait fratri suo, *Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum cum videt aliquis faciem Dei?* utrum parentis et perturbati animi verba usque in hanc adulationem proruperunt? an secundum aliquem intellectum sine peccato dicta accipi possunt? Fortassis enim quid dicitur et Gentium dñi, quae sunt demonia praedicitur ex his verbis homini Dei. Non xit, Quemadmodum si viderem faciem Dei videt aliquis; ipse autem aliquis, non possit, incertum est: atque ita sunt verba, ut et ipse Esau norem grate acciperet, et intelligere possunt, cum impietatis arguerent haec verba fraterceptionem quemadmodum (Exod. vii. sunt qui dmodum maxin articfiscat xpé st: li

loquens Jacob cum fratre suo Esau esse significet, qui graece dicitur Esau, id est latitudo. Esau et Edom vocemque civitatis, in eumcissionis consti

telligendum est filia ejus vir ptum est rum.

[Ib. xxi, 2, 3.] Quod scriptum est, *Esau sepelivit in Edom, antequam regnaret* interpretandum est, tanquam omnes reges ad ea tempora, quibus coetum. *quorum primus fuit Saül. Multi reges in Edom usque ad tempora Saül, tempore quo regnavit Saül, quorum tempora fuerunt antequam regnaret Saül: sed ex his multis eos solos potuit commemorare Moyses, qui fuerunt antequam ipse moreretur.* *Et non est quod commemoratibus ab Abraham per Esau patrem gentis Edom, usque per Raguel filium Esau, et Zara filiam Raguel, et Jobab filiam Zara, et Jobab uxorem in regno Babae, qui primus in terra Edom rex fuit commemoratur, usque ad ultimum regem quem potuit nominare Moyses, plures generatim invenimus quam commemorat ab Abraham per Jacob usque ad Moysen. Nam illic inveniantur sero ducenti, ut minus usque ad Moysen ferunt septem. Nam cum potuit ut inter illi plures nominarentur, qui ante nominando prius alter alteri successerunt. Et ita ut usque ad Moysen octiduum sequens Matthaeus, ab Isaac usque ad Joseph quadraginta duas generationes nominat. Matth. i, 2-17. Lucas autem in ordine suo nominat generationes non per Salomonem, sed per David, et per Nathan, ab Abraham usque ad Joseph quadraginta quinque commemorat (Luc. iii, 29-34). In illa prope ordine ubi plures nominantur, minus nominat sunt, quam hic ubi pauciores. Et cum minus nominat aliquos, quod inter reges Edom commemoratur David filius Boaz, et de similitudine nominat quatuordecim filios eius Babae, qui restitit David dicitur sequens Tamar, scilicet filium Babae Moysen dicitur, non nominat, cuiusque filius filium Esau, non filium Boaz, sed filius etiam ibi tunc filius Boaz dicitur, non Boaz, quoniam Boaz non commemorat filium Esau et israelitum populum Israel*

[Ib. xxi, 2, 3.] Quomodo potest esse Esau et septem numerum invenire Joseph et septem, sicut videtur tanquam ex ordine septem numerum, quocumque se quisque con-venit, invenit difficile est. Nihil enim dicere, non potest inveniri, ut dicitur in scriptis quod alium non regem. Sed ubi sunt numerus qui in Isaac, decem et septem numerum fuit Joseph quando cum fratre in Egyptum venerunt, postquam dicitur et poterat ejus 70, ab Isaac dicitur ante illi cum Joseph centum viginti numerum fuit. Cuius enim est haec, cum esset numerum septuaginta, sicut scriptum est (Gen. xiv, 26): *Et dicitur Isaac octiduum viginti, qui centesimo octogesimo mortuus est: Isaac dicitur filius centum viginti numerum habentis, et Joseph decem et septem Joseph octiduum quinquaginta numerum fuit, quando apparuit in conspectu Pharaonis, secuti sunt autem*

bertatis et duo famis, donec ad eum  
 us venit; triginta novem profecto  
 quando Jacob intravit in Ægypto  
 Jacob, quod ore suo Pharaoni  
 num annum agebat æta-  
 tem et viginti Jacob,  
 ph : quod verum  
 o decimo anno  
 et, procul du-  
 ph), non centum tri-  
 ata et duos annos agere  
 in die mortis Isaac, nondum  
 et septem Joseph, sed aliquan-  
 st mortem avi sui ad septimum decim-  
 um annum, quo anno Scriptura testante in-  
 est a fratribus venditus, plurium etiam  
 centum quadraginta duum annorum esse debuit  
 pater ejus, quando est filium in Ægyptum consecutus.  
 Scriptura quippe posteaquam narravit annum vitæ  
 ultimum Isaac centesimum et octogesimum, et ejus  
 mortem ac sepulturam (*Id.* xxxv, 28, 29), deinde  
 commemoravit quemadmodum digressus esset Esau a  
 fratre suo de terra Chanaan in montem Seir, et con-  
 texuit commemorationem regum et principum gentis  
 ipsius, in qua se constituit, vel quam propagavit  
 Esau; post hæc, narrationem de Joseph sic intulit  
 (*Id.* xxxvi, 6-43) : *Habitabat autem Jacob in terra  
 Chanaan. Hæc autem procreaturæ Jacob. Joseph autem  
 decem et septem annorum erat pascens cùm fratribus  
 ves.* Deinde narratur causa somniorum quemadmo-  
 dum odiosus fratribus sit factus, et venditus (*Id.*  
 xxxvii, 1-28). Aut ergo eodem anno septimo decimo,  
 aut etiam aliquanto major venit in Ægyptum : ac per  
 hoc utrolibet modo permanet quæstio. Si enim decem  
 et septem annorum fuit post mortem avi sui, quando  
 pater ejus centum viginti fuit; profecto anno ejus tri-  
 gesimo et nono, quando Jacob venit in Ægyptum,  
 centum quadraginta duos annos idem Jacob agere de-  
 buit : fuit autem tunc Jacob centum triginta; ac per  
 hoc si decem et septem annorum Joseph in Ægyptum  
 est venditus, ante duodecim annos quam moreretur  
 avus ejus, venditus invenitur. Decem enim et septem  
 annorum esse non potuit, nisi ante duodecim annos  
 mortis Isaac, centesimo et octavo anno vitæ patris sui  
 Jacob. Illis enim cum adjecerimus viginti duos annos  
 quibus Joseph usque ad adventum patris sui fuit in  
 Ægypto, sicut ætatis anni Joseph triginta novem, et  
 Jacob centum triginta, et nulla erit quæstio. Sed quoniam  
 Scriptura post mortem Isaac ista narravit, pu-  
 tatur Joseph post ejusdem avi sui mortem decem et  
 septem annorum fuisse. Quapropter intelligamus de  
 vita Isaac, tanquam multum decrepiti senis, tacuisse  
 Scripturam, cum jam de Jacob et ejus filiis loque-  
 retur : vivo tamen Isaac, decem et septem annorum  
 esse cœpit Joseph.

CXXIII. [lb. xxxvii, 10.] Quod dicit Jacob ad Joseph,  
*Quod est somnium hoc quod somnasti? Numquid venien-  
 tes veniemus ego et mater tua et fratres tui adorare te su-  
 per terram? nisi in aliquo mysterio dictum accipiatur,*

quomodo intelligitur de matre Joseph, quæ jam erat  
 mortua? Unde non in Ægypto, cum sublimaretur, pu-  
 tandum est hoc esse completum; quia nec pater eam  
 adoravit, quando ad eum venit in Ægyptum, nec  
 mater olim defuncta potuit. In Christi ergo persona  
 facile intelligi potest etiam de mortuis, secundum il-  
 lud quod dicit Apostolus, quia *donavit ei nomen quod  
 est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genus  
 flectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum* (*Phi-  
 lipp.* ii, 9, 10).

CXXIV. [lb. xxxvii, 28.] Quæritur quare Ismaelitas  
 Scriptura, quibus a fratribus venditus est Joseph,  
 etiam Madianitis vocet, cum Ismael sit de Agar filius  
 Abrahæ, Madianitæ vero de Cethura? An quia Scri-  
 ptura dixerat de Abraham, quod munera dederit filiis  
 concubinarum suarum, Agar scilicet et Cethuræ, et  
 dimiserit eos ab Isaac filio suo in terram Orientis  
 (*Gen.* xxv, 6), unam gentem fecisse intelligendi sunt?

CXXV. [In xxxvii, 35.] De Jacob scriptum est, cum  
 lugeret Joseph, *Congregati sunt autem omnes filii ejus  
 et filiar, et venerunt consolari eum.* Quæ filiar præter  
 Dinam? An filios et filias dicit connumeratis nepoti-  
 bus et neptibus? jam enim majores filii ejus filios  
 habere potuerunt.

CXXVI. [lb. xxxvii, 35.] *Et noluit consolari, dicens,  
 Quoniam descendam ad filium meum lugens in infernum.*  
 Solet esse magna quæstio, quomodo intelligatur in-  
 fernus; utrum illuc mali tantum, an etiam boni mortui  
 descendere soleant. Si ergo tantum mali, quomodo  
 iste ad filium suum se dicit lugentem velle descen-  
 dere? Non enim in pœnis inferni eum esse credit. An  
 perturbati et dolentis verba sunt, mala sua etiam hinc  
 exaggerantis?

CXXVII. [lb. xxxvii, 36.] *Et vendiderunt Joseph in  
 Ægyptum Petephreæ spadoni, præposito coquorum.* No-  
 lunt quidam præpositum coquorum interpretari, qui  
 græce ἀρχιμικτρος dicitur; sed præpositum militiæ,  
 cui esset potestas occidendi. Nam sic appellatus est  
 etiam ille quem Nabuchodonosor misit, penes quem  
 potius invenitur primatus fuisse militiæ.

CXXVIII. [lb. xxxviii, 1-3.] *Factum est autem in  
 tempore illo descendit Judas a fratribus suis ad honi-  
 nem quemdam Odollamitam, cui nomen Iras : et vidit  
 illic Judas filiam hominis Chananæi nomine Savam<sup>2</sup>, et  
 accepit eam, et introivit ad eam, et concepit, et peperit  
 filium, et cætera.* Quæritur quando ista fieri potue-  
 runt. Si enim posteaquam Joseph devenit in Ægy-  
 ptum, quomodo intra viginti ferme et duos annos  
 (nam post tantum temporis colligitur eos venisse ad  
 eundem Joseph fratrem suum in Ægyptum cum patre  
 suo) fieri potuerit ut Judæ filii ejus ætatis omnes  
 possent ducere uxores? Nam Thamar nurum suam,  
 mortuo primogenito suo, alteri filio dedit : quo etiam  
 mortuo, exspectavit ut cresceret tertius; et cum cre-  
 visset, nec illi eam dedit, timens ne et ipse morere-  
 tur : unde factum est ut eidem socero suo se illa

<sup>1</sup> Tres Mss., *dimiserit*. Alii codices, *dimiserit* : hoc nomen  
 acceptum est ex LXX, *exapestilen*, illud concordat cum  
 vulgata, *separavit*.

<sup>2</sup> sic Mss. juxta LXX. At editi, ut in vulgata, *Sue*.

*diabolus est (Joan. vi, 71)?* ut non ad electionem etiam ipse pertinere videatur. Non enim facile invenitur electorum nomen in malo, nisi quando mali elinguntur a malis. Quod si putaverimus et illum electum, ut per ejus traditionem Domini passio completeretur, id est malitiam ejus ad aliquid electam, bene utente Deo etiam malis; aliud attendamus ubi ait, *Non de omnibus vobis dico; ego scio quos elegeri (Id. xiii, 18)*: ubi declarat ad electionem non pertinere nisi bonos. Ac per hoc illud quod dictum est, *Ego vos duodecim elegeri*, per synecdochen dictum est, ut nomine majoris meliorisque partis, etiam illud complecteretur, quod ad ipsum nomen non pertinet.

5. Hic modus est in hoc eodem libro, ubi Emmor pro filio suo Sichem, ut acciperet Dinam filiam Jacob, exiit loqui cum eodem Jacob, et venerunt etiam filii ejus qui absentes erant, et ad omnes dicit Emmor: *Sichem filius meus elegit animo filiam vestram; date ergo illi eam uxorem (Gen. xxxiv, 6-8)*. Quia enim potior erat patris persona, per synecdochen filiam vestram dicens, etiam fratres tenuit hoc nomine, quorum non erat filia. Hinc est et illud, *Curre ad oves, et accipe inde mihi duos hædos (Id. xxvii, 9)*: simul enim pascebantur oves et hædi; et quia potiores sunt oves, earum nomine etiam caprinum pecus complexus est. Sic quia potior erat numerus undecim filiorum Jacob, qui nati fuerant in Mesopotamia, ipsorum commemoratione Scriptura complexa est etiam Benjamin, qui non erat ibi natus, et dictum est, *Hi sunt filii Jacob, qui facti sunt et in Mesopotamia Syria.*

CXVIII. [Ib. xxxvi, 1.] Quod post narrationem mortis Isaac narratur quas uxores Esau acceperit, et quos creaverit, recapitulatio intelligenda est. Neque enim post mortem Isaac fieri cœpit, cum jam essent Esau et Jacob centum viginti annorum. Nam eos sexagenarius suscepit, et vixit omnes annos vite suæ centum octoginta.

CXIX. [Ib. xxxvi, 6, 7.] Quæstio est, quomodo Scriptura dicat, post mortem Isaac patris sui Esau abcessisse de terra Chanaan, et habitasse in monte Seir; cum veniente de Mesopotamia Jacob fratre ejus, legatur quod jam illic habitabat. Proinde quid fieri potuerit ut Scriptura falli vel fallere non credatur, in promptu est cogitare; quod scilicet Esau posteaquam in Mesopotamiam frater ejus abcessit, noluit habitare cum parentibus suis, sive ex illa commotione qua dolebat se benedictione fraudatum, sive aliqua causa vel uxorum suarum, quas odiosas videbat esse parentibus, vel qualibet alia: et cœpit habitare in monte Seir. Deinde post reditum Jacob fratris sui, facta inter eos concordia, reversus est et ipse ad parentes, et cum mortuum patrem simul sepelissent, quia eos in plurimum ditatos terra illa, sicut scriptum est, minime capiebat, abcessit rursus in Seir, et ibi propagavit gentem Idumæorum.

CXX. [Ib. xxxvi, 21.] Quod scriptum est, *Hi principes Chorrei filii Seir in terra Edom; secundum tempus quo vivebat, scriptor commemorat. Cum autem Seir habitaret qui istos genuit, nondum veniente in*

istam terram Esau, nondum utique appellabatur terra Edom. Non enim nomen nisi ab ipso Esau inditum est terræ, quoniam idem ipse et Esau et Edom vocabatur, de quo propagati sunt Idumæi, hoc est gens Edom.

CXXI. [Ib. xxxvi, 31, 32.] Quod scriptum est, *Et hi reges qui regnaverunt in Edom, antequam regnaret rex in Israel*, non sic accipiendum est, tanquam omnes reges nominati sint usque ad ea tempora, quibus cœperunt reges Israel, quorum primus fuit Saül. Multi enim fuerunt in Edom usque ad tempora Saül, temporibus etiam Judicum, quorum tempora fuerunt ante reges: sed ex his multis eos solos potuit commemorare Moyses, qui fuerunt antequam ipse moreretur. Nec mirum est quod numerantibus ab Abraham per Esau patrem gentis Edom, atque per Raguel filium Esau, et Zara filium Raguel, et Jobab filium Zara, cui Jobab successit in regno Balac, qui primus in terra Edom rex fuisse commemoratur, usque ad ultimum regem quem potuit nominare Moyses, plures generationes inveniuntur quam numerantur ab Abraham per Jacob usque ad Moysen. Nam illic inveniuntur fere duodecim, hic autem usque ad Moysen ferme septem. Fieri enim potuit ut ideo ibi plures nominarentur, quia citius moriendo plures alter alteri successerunt. Sic etiam contigit ut alium ordinem sequens Matthæus, ab Abraham usque ad Joseph quadraginta duas generationes numeraret (*Math. i, 1-17*): Lucas autem in ordine alio numerans generationes non per Salomonem, sicut ille, sed per Nathan, ab Abraham usque ad Joseph quinquaginta quinque commemoraret (*Luc. iii, 23-38*). In illo quippe ordine ubi plures numerantur, citius mortui sunt, quam hic ubi pauciores. Ne forte autem moveat aliquem, quod inter reges Edom commemoratur Balac filius Beor, et de similitudine nominis existimet illum esse Balac, qui restitit Moysi ducenti populum Israel: sciat illum Balac Moabitam fuisse, non Idumæum, eumque fuisse filium Sephor, non filium Beor; sed fuisse etiam ibi tunc filium Beor Balaam, non Balac, quem Balaam conduxerat idem Balac ad maledicendum populum Israel (*Num. xxii, 2-6*).

CXXII. [Ib. xxxv, 29, et xxxvii, 2.] Quomodo potuerit mors Isaac, decem et septem annorum invenire Joseph ejus nepotem, sicut videtur tanquam ex ordine Scriptura narrare, quocumque se quisque convertat, invenire difficile est. Nolo enim dicere, non posse inveniri, ne forte me fugiat quod alium non fugit. Si enim post mortem avi sui Isaac, decem et septem annorum fuit Joseph quando eum fratres in Ægyptum vendiderunt, procul dubio et pater ejus Jacob septimo decimo anno filii sui Joseph centum viginti annorum fuit. Genuit enim eos Isaac, cum esset annorum sexaginta, sicut scriptum est (*Gen. xxv, 26*): vixit ergo Isaac postea centum viginti, quia centesimo octogesimo mortuus est; idcirco dimisit filios centum viginti annos habentes, et Joseph decem et septem. Joseph autem quoniam triginta annorum fuit, quando apparuit in conspectu Pharaonis, secuti sunt autem

septem anni ubertatis et duo famis, donec ad eum pater cum fratribus venit; triginta novem profecto annos agebat Joseph quando Jacob intravit in Ægyptum. Tunc autem idem Jacob, quod ore suo Pharaoni dicit, centesimum et trigesimum annum agebat ætatis (*Gen. XLVII, 9*); centum autem et viginti Jacob, quando erat decem et septem Joseph: quod verum esse nullo modo potest. Si enim septimo decimo anno vitæ Joseph, Jacob centum viginti ageret, procul dubio trigesimo et nono anno Joseph, non centum triginta, sed centum quadraginta et duos annos agere ieveniretur Jacob. Si autem die mortis Isaac, nondum erat annorum decem et septem Joseph, sed aliquantulo tempore post mortem avi sui ad septimum decimum pervenit annum, quo anno Scriptura testante in Ægyptum est a fratribus venditus, plurimum etiam quam centum quadraginta duum annorum esse debuit pater ejus, quando est filium in Ægyptum consecutus. Scriptura quippe posteaquam narravit annum vitæ ultimum Isaac centesimum et octogesimum, et ejus mortem ac sepulturam (*Id. xxxv, 28, 29*), deinde commemoravit quemadmodum digressus esset Esau a fratre suo de terra Chanaan in montem Seir, et contextit commemorationem regum et principum gentis ipsius, in qua se constituit, vel quam propagavit Esau; post hæc, narrationem de Joseph sic intulit (*Id. xxxvi, 6-43*): *Habitabat autem Jacob in terra Chanaan. Hæc autem procreaturæ Jacob. Joseph autem decem et septem annorum erat pascens cæm fratribus vœs.* Deinde narratur causa somniorum quemadmodum odiosus fratribus sit factus, et venditus (*Id. xxxvii, 1-28*). Aut ergo eodem anno septimo decimo, aut etiam aliquanto major venit in Ægyptum: ac per hoc utrolibet modo permanet quæstio. Si enim decem et septem annorum fuit post mortem avi sui, quando pater ejus centum viginti fuit; profecto anno ejus trigesimo et nono, quando Jacob venit in Ægyptum, centum quadraginta duos annos idem Jacob agere debuit: fuit autem tunc Jacob centum triginta; ac per hoc si decem et septem annorum Joseph in Ægyptum est venditus, ante duodecim annos quam moreretur avus ejus, venditus invenitur. Decem enim et septem annorum esse non potuit, nisi ante duodecim annos mortis Isaac, centesimo et octavo anno vitæ patris sui Jacob. His enim cum adjecerimus viginti duos annos quibus Joseph usque ad adventum patris sui fuit in Ægypto, sicut ætatis anni Joseph triginta novem, et Jacob centum triginta, et nulla erit quæstio. Sed quoniam Scriptura post mortem Isaac ista narravit, putatur Joseph post ejusdem avi sui mortem decem et septem annorum fuisse. Quapropter intelligamus de vita Isaac, tanquam multum decrepiti senis, tacuisse Scripturam, cum jam de Jacob et ejus filiis loqueretur: vivo tamen Isaac, decem et septem annorum esse cœpit Joseph.

CXXIII. [*Ib. xxxvii, 10.*] Quod dicit Jacob ad Joseph, *Quod est somnium hoc quod somnias? Numquid venientes veniemus ego et mater tua et fratres tui adorare te super terram? nisi in aliquo mysterio dictum accipiatur,*

quomodo intelligitur de matre Joseph, quæ jam erat mortua? Unde non in Ægypto, cum sublimaretur, putandum est hoc esse completum; quia nec pater eum adoravit, quando ad eum venit in Ægyptum, nec mater olim defuncta potuit. In Christi ergo persona facile intelligi potest etiam de mortuis, secundum illud quod dicit Apostolus, quia *donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genua flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum* (*Philipp. ii, 9, 10*).

CXXIV. [*Ib. xxxvii, 28.*] Quæritur quare Ismaelitas Scriptura, quibus a fratribus venditus est Joseph, etiam Madianitas vocet, cum Ismael sit de Agar filius Abraham, Madianitæ vero de Cethura? An quia Scriptura dixerat de Abraham, quod munera dederit filiis concubinarum suarum, Agar scilicet et Cethura, et dimiserit<sup>1</sup> eos ab Isaac filio suo in terram Orientis (*Gen. xxv, 6*), unam gentem fecisse intelligendi sunt?

CXXV. [*Ib. xxxvii, 35.*] De Jacob scriptum est, cum lugeret Joseph, *Congregati sunt autem omnes filii ejus et filia, et venerunt consolari eum.* Quæ filia præter Dinam? An filios et filias dicit connumeratis nepotibus et neptibus? jam enim majores filii ejus filios habere potuerunt.

CXXVI. [*Ib. xxxvii, 35.*] *Et noluit consolari, dicens, Quoniam descendam ad filium meum lugens in infernum.* Solet esse magna quæstio, quomodo intelligatur infernus; utrum illuc mali tantum, an etiam boni mortui descendere soleant. Si ergo tantum mali, quomodo iste ad filium suum se dicit lugentem velle descendere? Non enim in pœnis inferni eum esse credit. An perturbati et dolentis verba sunt, mala sua etiam hinc exaggerantis?

CXXVII. [*Ib. xxxvii, 36.*] *Et vendiderunt Joseph in Ægyptum Petephraæ spadoii, præposito coquorum.* Nolunt quidam præpositum coquorum interpretari, qui græce ἀρχιμάγειρος dicitur; sed præpositum militiæ, cui esset potestas occidendi. Nam sic appellatus est etiam ille quem Nabuchodonosor misit, penes quem potius invenitur primatus fuisse militiæ.

CXXVIII. [*Ib. xxxviii, 1-3.*] *Factum est autem in tempore illo descendit Judas a fratribus suis ad hominem quemdam Odollamitam, cui nomen Iras: et vidit illic Judas filiam hominis Chananæi nomine Savam<sup>2</sup>, et accepit eam, et introivit ad eam, et concepit, et peperit filium, et cætera.* Quæritur quando ista fieri potuerunt. Si enim posteaquam Joseph devenit in Ægyptum, quomodo intra viginti ferme et duos annos (nam post tantum temporis colligitur eos venisse ad eundem Joseph fratrem suum in Ægyptum cum patre suo) fieri potuerit ut Judæ filii ejus ætatis omnes possent ducere uxores? Nam Thamar nurum suam, mortuo primogenito suo, alteri filio dedit: quo etiam mortuo, exspectavit ut cresceret tertius; et cum crevisset, nec illi eam dedit, timens ne et ipse moreretur: unde factum est ut eidem socero suo se illa

<sup>1</sup> Tres MSS., *diviserit*. Alii codices, *dimiserit*: hoc nempè acceptum est ex LXX, *εξασπετεilen*, illud concordat cum vulgata, *separavit*.

<sup>2</sup> Sic MSS. juxta LXX. At editi, ut in vulgata, *Sue*.

supponeret. Quomodo ergo hæc omnia intra tam paucos annos fieri potuerint, merito movet, nisi, ut forte solet, Scriptura per recapitulationem aliquot annos ante venditum Joseph hoc fieri cœpisse intelligi velit; quoniam sic positum est, ut diceretur, *Factum est autem in illo tempore*: ubi tamen quæritur, si decem et septem annorum erat Joseph quando venditus est, quot annorum esse Judas potuerit quartus filius Jacob, quandoquidem ipse primogenitus Ruben ut plurimum fratrem suum Joseph quinque aut sex annos potuerit ætate præcedere. Evidenter autem Scriptura dicit triginta annorum fuisse Joseph, quando innouit Pharaoni (*Gen. xli, 46*). Cum ergo ipse anno septimo decimo ætatis suæ venditus fuisse credatur, tredecim annos peregerat in Ægypto ignotus Pharaoni; ad hos autem tredecim annos accesserunt septem anni ubertatis, et facti sunt anni viginti; his adduntur duo, quia secundo anno famis intravit Jacob in Ægyptum cum filiis suis, et inveniuntur viginti duo anni, quibus absuit Joseph a patre et a fratribus suis: quo medio tempore, quomodo fieri potuerint de uxore et filiis et nuru Judæ omnia quæ narrantur, indagare difficile est: nisi forte ut credamus (et hoc enim fieri potuit), mox ut adolescere Judas cœpit, cum incidisse in amorem ejus quam duxit uxorem, nondum vendito Joseph in Ægyptum.

CXXXIX. [Ib. xxxviii, 14.] *Et depositis vestimentis viduitatis suæ a se.* Hinc insinuatur et temporibus Patriarcharum certa et sua fuisse vestimenta viduarum, non utique talia qualia conjugatarum.

CXXX. [Ib. xxxix, 1.] Quod iterum dicitur, *Joseph autem depositus est in Ægyptum, et possedit eum Petephres spado Pharaonis*, ad ordinem redit Scriptura unde recesserat, ut illa narraret quæ supra digesta sunt.

CXXXI. [Ib. xl, 16.] Quod aliqui codices latini habent, *tria canistra alicæ*, cum græci habeant *χοδρίτων*, quod interpretantur qui usum ejusdem linguæ habent, panes esse cibarios. Sed illud movet, quomodo panem cibarium potuerit Pharao habere in excis. Dicit enim in superiore canistro fuisse omnia ex quibus edebat Pharao, opus pistorum<sup>1</sup>. Sed intelligendum est etiam ipsum canistrum habuisse panes cibarios, quia dictum est, *tria canistra χοδρίτων*, et desuper fuisse illa ex omni genere operis pistoris in eodem canistro superiore.

CXXXII. [Ib. xli, 1.] Quod putabat se stare Pharao super flumen, quemadmodum servus Abrahæ dixit, *Ecce ego sto super fontem aquæ* (*Id. xxiv, 13*) (nam et ibi græcus *ἐπὶ τῆς πηγῆς* dixit quemadmodum hic *ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ*): hæc locutio si intelligatur in Psalmo ubi scriptum est, *Qui fundavit terram super aquam* (*Psal. xliii, 2*); non coguntur homines putare sicut navem natare terram super aquam. Secundum hanc enim locutionem recte intelligitur quod altior sit terra quam aqua; altius quippe ab aquis sustollitur, ubi habitent terrena animalia.

CXXXIII. [Ib. xli, 30.] Quod scriptum est, *Oblivi-*

<sup>1</sup> Ms. Cxb. *opus pistorian*; et paulo infra, *operis pistorii*.

*escantur ubertatis futuræ in tota terra Ægypti, non futuræ illis qui famem patientur, tanquam postea veniat illis ubertas; sed futura erat tunc quando loquebatur, tanquam diceret, Ubertatis hujus, quam futuram significaverunt boves bonæ et spicæ bonæ, obliviscuntur homines in ea fame, quam significaverunt boves et spicæ malæ.*

CXXXIV. [Ib. xli, 38.] *Numquid inveniemus hominem talem, qui habeat Spiritum Dei in se?* Ecco jam, nisi fallor, tertio insinuatur nobis in hoc libro Spiritus sanctus, id est, Spiritus Dei. Primo ubi dictum est, *Et Spiritus Dei ferebatur super aquam* (*Gen. 1, 2*): secundo ubi dicit Deus, *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, propter quod carnes sunt*<sup>1</sup> (*Id. vi, 3*): et tertio nunc, quod Pharao dicit de Joseph, esse in illo Spiritum Dei; nondum tamen legimus Spiritum sanctum.

CXXXV. [Ib. xli, 45.] *Et imposuit Pharao nomen Joseph Psonthomphanecch*: hoc nomen interpretari dicitur, *Occulta revelavit*; ex illo utique quod somnia regi aperuit: Ægyptia vero lingua Salvatorem mundi perhibent appellatum isto nomine.

CXXXVI. [Ib. xli, 45.] *Et dedit ei Aseneth, filiam Petephre sacerdotis Solis civitatis, ipsi uxorem.* Quæri solet cujus Petephre, utrum illius cujus servus fuit, an alterius: sed credibilius æstimatur alterius. Nam de illo cur non credatur, multa sunt quæ moveant. Primum, quia Scriptura non commemoravit, cum videatur hoc non potuisse præterire, quod ad illius juvenis non parvam gloriam pertinebat, ut ejus filiam duceret, cujus famulus fuit. Deinde quomodo spado filiam habere potuerit? Sed respondetur, Quomodo uxorem: postea quippe creditur abscissus, vel casu vulneris, vel propria voluntate. Et quod honor ejus, non ipse commemoratur qui solet, id est, quod *ἀρχιμαγιστρος* fuerit, quem principem coquorum latini interpretes posuerunt, principem autem militiæ quidam intelligi volunt. Sed etiam hic respondetur, duos illum honores habuisse; et sacerdotium Solis, et militiæ principatum: congruenter autem alibi ille honor ejus commemoratus est, qui talibus actibus congruebat; hic vero, posteaquam in Joseph apparuit non parva divinitas, ipse honor debuit nominari soceri ejus, qui pertineret ad divinitatem non parvam, secundum opinionem Ægyptiorum in sacerdotio<sup>2</sup> Solis. Verum in his omnibus, quia et præpositus fuit custodiarum carceris, nimis incredibile est huic præpositum officio sacerdotem<sup>3</sup>. Deinde non simpliciter dictum est, quod sacerdos Solis esset; sed civitatis Solis, quæ vocatur Heliopolis: abesse autem dicitur amplius ille honor quam viginti millibus a civitate Memphi, ubi Pharaones, id est, reges maxime commanebant. Quomodo ergo deserto officio sacerdotii sui potuit strenue regi servire in militiæ principatu? Accedit etiam quod Ægyptii sacerdotes perhibentur non servisse semper, nisi templo

<sup>1</sup> In excusis, *caro sunt*. At in melioris notæ Mss. hic et infra in lib. 2, quæst. 53, *carnes sunt*, sic apud LXX.

<sup>2</sup> Editi, *in sacerdote*: pro quo Mss., *in sacerdotio*.

<sup>3</sup> Sic Mss. et Pat. At Am. Er. et Lov., *huic fuisse præpositum officio sacerdotum*.



doorum suorum, nec aliud aliquid officii gessisse : sed si forte tunc, aliter fuit, credat quisque quod placet ; non est tamen questio cuius exitus clausus sit, sive unus fuerit Petephres, sive duo : quodlibet enim horum quisque existimet, non est fidei periculosum, nec contrarium veritati Scripturarum Dei.

CXXXVII. [Ib. xlii, 49.] *Et congregavit Joseph triticum, sicut arenam maris multum valde, quoadusque non potuit numerari; non enim erat numerus: pro eo dictam est, non enim erat numerus, quod nomen numeri omnis usitati excederet illa copia, et quomodo appellaretur non inveniebatur.* Nam unde fieri potest ut quantumlibet magnæ, finitæ tamen multitudinis, numerus non sit? Quamvis hoc potuerit etiam secundum hyperboleam dici.

CXXXVIII. [Ib. xlii, 9.] *Et commemoratus est Joseph somniorum suorum, quæ vidit ipse: adoraverant enim eum fratres sui.* Sed aliquid in illis somniis excelsius inquirendum est. Non enim potest eo modo de patre ejus ac matre compleri, quæ jam mortua fuerat, quod de sole et luna cum vidisset, a patre increpato audierat (*Gen. xxxvii, 10*), qui vivebat <sup>1</sup>.

CXXXIX. [Ib. xlii, 15, 16.] *Quid est quod Joseph vir tam sapiens, atque ita non solum hominum inter quos vivebat testimonio, sed ipsa etiam Scriptura teste laudatus, ita jurat per salutem Pharaonis, non exituros de Ægypto fratres suos, nisi frater eorum junior veniret? An etiam bono et fideli viro viliis fuerat salus Pharaonis, cui fidem sicut primitus domino suo servabat in omnibus? quanto enim magis ipsi, qui eum in tanto honore locaverat, si illi servavit, qui cum servum emptitium possidebat? Quod si non curabat Pharaonis salutem, numquid et perjurium pro cujuslibet hominis salute vitare non debuit? An non est perjurium? Tenuit enim unum eorum donec veperet Benjamin, et verum factum est quod dixerat: *Non exhibitis hinc, nisi venerit frater vester.* Ad omnes enim non potuit pertinere quod dictum est; nam quomodo et ille venturus esset, nisi ad eum adducendum aliqui rediissent? Sed quod sequitur magis urget questionem, ubi iterum juravit dicens, *Mittite ex vobis unum, et adducite fratrem vestrum; vos autem ducemini* <sup>2</sup>, *quoadusque manifesta sint verba vestra, si vera dicitis an non: sin autem, per salutem Pharaonis, exploratores estis;* id est, si non vera dicitis, exploratores estis. Huic sententiæ interposuit jurationem, quia si vera non dixissent, exploratores essent, id est, exploratorum poena digni essent; quos tamen vera dicere sciebat. Neque enim perjurus est quisque, si ei quem castissimum novit, dicat, Si hoc adulterium de quo argueris commisisti, damnat te Deus, et his verbis adhibeat jurationem; verum omnino jurat: ibi est enim conditio qua dixit, Si fecisti, quem tamen non fecisse certum habet. Sed ait aliquis, Verum est quia si fecit adulterium, damnat illum Deus: hoc autem quomodo*

verum est, Si non verum dicitis, exploratores estis cum etiamsi mentiantur, non sint exploratores? Sed hoc est quod dixi, ita dictum esse, *exploratores estis*, tanquam si dictum esset, exploratorum poena digni estis, hoc est exploratores deputabimini merito mendacii vestri. *Estis autem potuisse dici, pro habebimini et deputabimini, innumerae similes locutiones docent.* Unde est illa Eliæ, *Quicumque exardierit in igne, ipse erit Deus* (*III Reg. xvii, 24*). Non enim tunc erit, sed tunc habebitur.

CXL. [Ib. xlii, 25.] *Quid est quod cum inter se poenitentes filii Israel loquerentur de fratre suo Joseph, quod cum illo male egerint, et hoc eis divino judicio redderetur, quod se periclitari videbant, adjungit Scriptura et dicit, Ipsi ignorabant quia audiebat Joseph: interpret enim inter illos erat.* Hoc scilicet intelligendum est, ideo eos putasse quia ille non audiret, quod videbant interpretem qui inter illos erat, nihil ei dicere eorum quæ loquebantur; nec ob aliud adhibitum putabant interpretem, nisi quod eorum linguam ille nesciret; nec cura erat interpretis ea dicere illi, a quo positus fuerat, quæ non ad illum, sed inter se loquebantur.

CXLI. [Ib. xlii, 24.] *Et iterum accessit ad eos, et dixit illis: nec adjungit quid illis dixerit.* Unde intelligitur hæc eadem dixisse quæ dixerat.

CXLII. [Ib. xlii, 38.] *Et deducetis senectam meam cum tristitia ad infernum.* Utrum ideo ad infernum, quia cum tristitia? an etiamsi abesset tristitia, tanquam ad infernum moriendo descensus hanc loquitur? De inferno enim magna questio est, et quid inde Scriptura sentiat, locis omnibus, ubi forte hoc commemoratum fuerit, observandum est.

CXLIII. [Ib. xlii, 28.] *Quod a proposito domus audiunt, Deus vester et Deus patrum vestrorum dedit vobis thesauros in saccis vestris; argentum autem vestrum probatum habeo, mendacium videtur, sed aliquid significare credendum est.* Argentum enim quod et datur, et non minuitur, quia et probatum <sup>1</sup> appellatum est, nimirum illud intelligitur de quo alibi legimus, *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum, septuplum* (*Psal. xi, 7*), id est perfecte.

CXLIV. [Ib. xlii, 34.] *Biberunt autem, et inebriati sunt cum eo.* Solent hinc ebriosi adhibere testimonio in atrocium; non propter illos filios Israel, sed propter Joseph, qui valde sapiens commendatur: sed hoc verbum et pro satietate solere poni in Scripturis, qui diligenter adverterit, multis in locis inveniet. Unde est illud, *Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti ditare eam* (*Psal. lxxv, 10*): eo quod in laude benedictionis hoc positum est, et donum Dei commemoratur, apparet hæc ebrietate saturitatem significari. Nam ita inebriari ut inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ utile est, quoniam majore quam satietati sufficit, humore corrumpitur; sicut vita ebriosorum, qui non satietate se replent, sed mergunt diluvio.

CXLV. [Ib. xlii, 15.] *Quod ait fratribus suis Joseph,*

<sup>1</sup> Hic Mss. omnes, *probrum*. Græc. *LXX, endokimoum.*

(Dix-neuf.)

<sup>1</sup> Mss. duo, *qua viderat.*

<sup>2</sup> Editi, *non educemini*. At Mss. absque negatione habent, *ducemini*; supple, in carcerem: quod in Vulgata sic euntur, *eritis in vinculis*. Adj. *LXX, humete de apuchibete.*

*Nesciebatis quia augurio auguratur homo qualis ego ; de hoc augurio etiam mandavit eis dicendum per hominem suum ; quid sibi velit, quæri solet ; an quia non serio, sed joco dictum est, ut exitus docuit, non est habendam mendaciam? Mendacia enim a mendacibus serio aguntur, non joco : cum autem quæ non sunt, tanquam joco dicuntur, non deputantur mendacia. Sed magis movet quid sibi velit ista actio Joseph, qua fratres suos, donec eis aperiret quis esset, toties ludificavit, et tanta exspectatione suspendit : quod licet tanto sit suavius cum legitur, quanto illis fit inopinatus cum quibus agitur, tamen sapientiæ illius gravitate, nisi magnum aliquid isto quasi ludo significaretur, nec ab illo fieret, nec ea Scriptura contineretur, in qua est tanta, sanctitatis auctoritas et prophetandorum tanta intentio futurorum; quam modo exsequi exponendo non suscepimus, sed admonere tantum volumus, quid hic oporteat inquiri. Nam nec illud vacare arbitror, quod non ait, auguror ego, sed auguratur homo qualis ego. Quod si locutionis genus est, in Scripturæ corpore simile aliquid reperendum est.*

CXLVI. [Ib. XLIV.] Non negligentem considerandum puto, tantam miseriam in hac perturbatione fratrum suorum quomodo Joseph quamdiu voluit tenuit, et quanta voluit mora produxit : non eos utique faciens calamitosos, quando tantæ etiam ipsorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat; et totum hoc quod agebat, ut eorum gaudium differretur, ad hoc agebat, ut eadem dilatione cumaretur : tanquam non essent condignæ passiones eorum in toto illo tempore quo turbabantur, ad futuram gloriam exultationis, quæ in eis fuerat revelanda, fratre cognito, quem a se perditum esse arbitrabantur.

CXLVII. [Ib. XLIV, 19.] Multa in narratione Judæ aliter dicta sunt, quam cum illis egerat Joseph, quamvis apud eum loqueretur, ut omnino de illa insimulatione quod exploratores essent, nihil diceretur. Quod utrum consulto tacitum sit, an et id fecerit perturbationis oblivio, non apparet. Nam et illud quod dixerunt, se ab ipso Joseph interrogatos de patre et fratre suo, se autem illa interroganti indicasse, mirum si vel ad sententiam potest ista pervenire narratio, ut cam constet esse veracem. Quanquam etsi aliqua falsa in ea sunt, falli potius per oblivionem potuit, quam audere mentiri ; apud eum præsertim, cui non sicut nescienti, sed etiam illa quæ noverat eum scire, ad delectandam ejus misericordiam narrationi suæ insemebat.

CXLVIII. [Ib. XLV, 7.] Quid est quod dicit Joseph, *Misit enim me Deus ante vos, remanere vestrum reliquias super terram, et enutrire vestrum reliquiarum magnam* ? Hoc enim non usquequaque consonat, ut reliquias vel reliquiarum accipiamus Jacob et filios ejus,

<sup>1</sup> Mss. septem, tantæ.

<sup>2</sup> Editiones Er. et Lov., et *enutrire vestrum reliquias. Misit enim est : hoc enim, etc. Rat. et Am., vestrum reliquiarum mirum est. Hoc enim, etc. Vaticani Mss., enutrire vestrarum reliquiarum magnam semen. Hoc enim, etc. Thuaucius, Benignus, alique veteres cod. optimæ notæ ferunt, vestrum reliquiarum magnam ; juxta I. XX, humon kataleipsin megalên.*

cum omnes sint incolomes. An forte illud significat alto secretoque mysterio, quod ait Apostolus, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (Rom. xi, 5) ; quia propheta prædixerat, *Etsi fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ sicut* (Isai. x, 22). Ad hoc enim occisus est Christus a Judæis, et traditus Gentibus tanquam Joseph Ægyptiis a fratribus, ut et reliquiæ Israel salvæ fierent. Unde dicit Apostolus, *Nam et ego Israelita sum* : et, *Ut plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (Rom. xi, 1 et 25) ; id est, ex reliquiis Israel secundum carnem, et plenitudine gentium quæ in fide Christi secundum spiritum sunt Israel. Aut si et genti illi Israeliticæ restat fidei plenitudo, ex qua erant reliquiæ, in quibus reliquiis tunc et Apostoli salvi facti sunt, hoc significatur ea plenitudine liberationis Israel, qua per Moysen ex Ægypto liberati sunt.

CXLIX. [Ib. XLVI, 6, 7.] *Intrarunt in Ægyptum Jacob et omne semen ejus, filii et filii filiorum ejus, filia et filia filiarum ejus cum eo.* Quærendum quomodo dicat *filias et filias filiarum ejus cum eo*, cum filiam unam legatur habuisse. Superius autem filias ejus dixeramus accipi posse nepotes ejus, sicut filii Israel omnes dicuntur etiam universus populus ab illo propagatus. Sed nunc cum dicit, *filias filiarum*, propter unam Dinam, pluralis numerus pro singulari positus est, sicut etiam pro plurali singularis solet : nisi nurus ejus quisque asserat filias ejus potuisse appellari.

CL. [In XLVI, 15.] Quod dicit Scriptura tot animas peperisse Liam, vel tot aut tot animas exiisse de femoribus Jacob ; videndum est quid hinc respondeatur eis qui hoc testimonio confirmare nituntur, a parentibus simul animas cum corporibus propagari. Animas enim dictas pro hominibus, a parte totum significante locutione, nullus ambigit. Sed quomodo ipsam partem, ex qua totum commemoratum est, hoc est animam, cujus nomine totus homo significatus est, alienemus ab eo quod dictum est, *exierunt de femoribus ejus*, ut carnes tantum ex illo natas, quamvis solæ animæ nominentur, accipiamus ; quærendi sunt locutionum modi secundum Scripturas.

CLI. [Ib. XLVI, 15.] *Hi filii Liæ, quos peperit ipse Jacob in Mesopotamia Syriæ, et Dinam filiam ejus, omnes animæ filii et filia ejus triginta tres.* Numquid istæ omnes triginta tres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ nate sunt ? Sex <sup>1</sup> utique filii et una filia, ex quibus nepotes commemorati sunt. Si ergo de uno Benjamin quæstio nata fuerat, quando numeratis duodecim filiis Jacob et nominatim commemoratis dictum est, *Hi filii Jacob qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ* (Supra, quæst. 117) : quanto major nunc quæstio est, quomodo triginta tres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ nate sunt ; nisi quia illa locutio confirmatur, tanquam ibi omnes orti sunt, quorum parentes ibi orti sunt ? Deinde et illud jam non dubium est, in Errandi occasio librariis fuit vox, *reliquiarum* : qua, licet barbara voce, haud illibenter post Scripturam sacram usus fuit Augustinus in lib. 5 Concess., cap. 8, n. 15.

<sup>2</sup> Libri omnes, *sed utique filii* ; excepto uno e Vatic. Mss. qui habet *sex*. Melius, Scriptura suffragante [sed utique filii].

una filia filias nominari, plurali numero pro singulari posito.

CLII. [Ib. XLVI, 26, 27.] Quod legitur sexaginta sex animas intrasse cum Jacob in Ægyptum, exceptis videlicet filiis Joseph, et deinde illis annumeratis inferitur, *Septuaginta quinque animæ erant, cum quibus Jacob intravit in Ægyptum*; sic accipiendum est, qui erant in domo Jacob, quando intravit in Ægyptum. Nam utique quos ibi invenit, non cum eis intravit. Sed quoniam diligentius discussa veritate reperiuntur duo nati jam fuisse cum intravit, Ephraem et Manasses, quod non solum hoc loco hebraei codices habere dicuntur, verum etiam ipsa secundum Septuaginta interpretatio in Exodo declarat; nec Septuaginta interpretes mihi in hoc videntur errasse, qui propter aliquam mysticam significationem quadam vel prophetica libertate hunc numerum complere voluerunt, si adhuc vivente Jacob illi ex duobus filiis Manasse et Ephraem propagati sunt, quos eidem numero domus Jacob aggregandos judicaverunt. Sed quia invenitur Jacob decem et septem annos vixisse in Ægypto (Gen. XLVII, 28), quomodo potuerunt filii Joseph illo vivo etiam nepotes habere, non invenitur. Ingressus est enim Ægyptum Jacob secundo anno famis (Id. XLV, 6); nati sunt autem filii Joseph in annis abundantiae (Id. XLI, 50): quibuslibet annis ubertatis nati existimantur, a primo anno ubertatis usque ad secundum annum famis, quo ingressus est Jacob in Ægyptum, novem anni sunt; huc additis decem et septem quibus ibi vixit Jacob, viginti sex anni reperiuntur. Quomodo ergo minus quam viginti et sex annorum juvenes etiam nepotes habere potuerunt? Sed neque ulla hebraica veritate ista solvitur questio. Quemadmodum enim impleri potuit, ut tot nepotes susciperet Jacob antequam intraret in Ægyptum, etiam de Benjamin qui illa ætate venit ad fratrem? Non solum autem Scriptura eum filios habuisse commemorat, sed et nepotes et pronepotes, qui omnes annumerantur sexaginta sex hominibus, cum quibus Jacob in Ægyptum, etiam secundum hebraicam veritatem perhibetur intrasse. Videndum est etiam, quid sibi velit, quod cum Joseph et filii ejus non amplius quam octo commemorantur, Benjamin vero et ejus filii simul undecim reperiuntur, non decem et novem omnes sicut sunt octo et undecim, sed decem et octo referantur in summam; et postea Joseph cum filiis suis, non animæ octo, sed novem fuisse dicantur, cum octo inveniantur (Id. XLVI, 21, 22, 27). Hæc omnia, quæ indissolubilia videntur, magnam continent sine dubitatione rationem; sed nescio utrum possint cuncta ad litteram convenire, præcipue in numeris, quos in Scripturis esse sacratissimos et mysteriorum plenissimos, ex quibusdam quos inde nosse potuimus, dignissime credimus.

CLIII. [Ib. XLVI, 32.] Commendatur in Patriarchis, quod pecorum nutritores erant a pueritia sua et a parentibus suis. Et merito, nam hæc est sine ulla dubitatione justa servitus et justa dominatio, cum pecora homini serviunt, et homo pecoribus dominatur. Sic

enim dictum est, cum crearetur: *Factamur hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et habeat potestatem piscium maris et volatilium cæli, et omnium pecorum quæ sunt super terram* (Gen. I, 26). Ubi insinatur rationem debere dominari irrationabili vitæ. Servum autem hominem homini, vel iniquitas vel adversitas fecit<sup>1</sup>: iniquitas quidem, sicut dictum est, *Maledictus Chanaan, erit servus fratribus suis* (Id. IX, 25); adversitas vero, sicut accidit ipsi Joseph, ut venditus a fratribus servus alienigenæ fieret (Id. XXXVII, 28, 56). Itaque primos servos, quibus hoc nomen in latina lingua inditum est, bella fecerunt. Qui enim homo ab homine superatus jure belli posset occidi, quia servatus est, servus est appellatus: inde et mancipia, quia manu capta sunt. Est etiam ordo naturalis in hominibus, ut serviant feminae viris, et filii parentibus: quia et illic hæc justitia est ut infirmior ratio serviat fortiori. Hæc igitur in dominationibus et servitutibus clara justitia est, ut qui excellunt ratione, excellent dominatione: quod cum in hoc sæculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diversitatem, ferunt justis temporalem perversitatem, in sine habituri ordinatissimam et sempiternam felicitatem.

CLIV. [Ib. XLVI, 34.] *Abominatio est enim Ægyptiis omnis pastor ovium.* Merito Ægyptiis, in quibus figura est præsentis sæculi, in quo abundat iniquitas, abominatio est omnis pastor pecorum: abominatio est enim iniquo vir justus.

CLV. [Ib. XLVII, 5, 6.] *Venerunt autem in Ægyptum ad Joseph Jacob et filii ejus: et audivit Pharao rex Ægypti, et ait Pharao ad Joseph dicens, Pater tuus et fratres tui venerunt ad te: ecce terra Ægypti ante te est, in terra optima colloca patrem tuum et fratres tuos.* Hæc repetitio non prætermisæ rei, ad quam sæpe obscure per recapitulationem reditur, sed omnino aperta est. Jam enim dixerat Scriptura quomodo venerint ad Pharaonem fratres Joseph, et quid eis dixerit, vel ab eis audierit (Id. XLV, 16-20); sed hoc nunc velut ab initio repetivit, ut inde contexeret narrationem ab his verbis, quæ soli Joseph Pharao dixit: quorum omnium in codicibus græcis, qui a diligentioribus conscripti sunt, quædam obeliscos habent, et significant ea quæ in hebræo non inveniuntur, et in Septuaginta inveniuntur; quædam asteriscos, quibus ea significantur quæ habent hebræi, nec habent Septuaginta.

CLVI. [Ib. XLVII, 9.] *Quid est quod dixit Jacob Pharaoni, Dies annorum vitæ meæ, quos incolo?* Sic enim habent græci, quod latini habent, *ago*, vel *habeo*, vel si quid aliud. Utrum ergo ideo dixit, *quos incolo*, quia in terra natus est, quam nondum populus divina promissione hæreditatis acceperat; et ibi vitam ducens, utique in aliena terra erat, non solum quando peregrinabatur, sicut in Mesopotamia, verum etiam quando ibi erat ubi natus est? An potius secundum id accipiendum est, quod ait Apostolus, *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (II Cor. V, 6)?

<sup>1</sup> Am. Er. eLLov., *dominari fecit*. Abest *dominari* ab omnibus MSS. et ab editione Rat.

Secundum hoc et illud in Psalmo dictum intelligitur, *Inquilinus ego sum in terra, et peregrinus sicut omnes patres mei* (Psal. xxxviii, 15). Nam iterum dicit de ipsis diebus vitæ suæ, *Non pervenerunt in dies annorum vitæ patrum meorum, quos dies incoluerunt*. Non enim hic aliud voluit intelligi, quam id quod latini codices habent, *vixerunt*; ac per hoc significavit hanc vitam incolatum esse super terram, id est peregrinationis habitationem. Sed credo sanctis hoc convenire, quibus aliam patriam æternam Dominus pollicetur. Unde videndum est quemadmodum dictum est de impiis, *Incolent et abscondent, ipsi calcaneum meum observabunt* (Psal. lv, 7). De his enim convenientius accipitur, qui ut abscondant incolunt; id est, ut insidentur filiis, non manent in domo in æternum.

CLVII. [Ib. xlvii, 11.] *Et dedit eis possessionem in terra optima, in terra Ramessem, sicut præcepit Pharaos*. Quærendum est utrum terra Ramessem ipsa sit Gessen. Ipsam enim petierant, et ipsam eis Pharaos dari præceperat.

CLVIII. [Ib. xlvii, 12.] *Et metiebatur triticum patri suo Joseph*; et tamen eum pater nec quando vidit adoravit, nec quando ab illo triticum accipiebat: quomodo ergo somnium Joseph modo impletum putabimus (Gen. xxxvii, 9), et non potius majoris rei continere prophetiam?

CLIX. [Ib. xlvii, 14.] *Et intulit Joseph omnem pecuniam in domum Pharaonis*. Pertinuit ad Scripturam in hac etiam re commendare fidem famuli Dei<sup>1</sup>.

CLX. [Ib. xlvii, 16, 4.] *Dixit autem illis Joseph, Adducite pecora vestra, et dabo vobis panes pro pecoribus vestris, si deficit<sup>2</sup> argentum*. Quæri potest, cum Joseph frumenta collegerit unde homines viverent, pecora unde vivebant, cum tanta fames invalesceret: maxime quia fratres Joseph Pharaoni dixerant, *Non sunt enim pascua pecoribus puerorum tuorum; invaluit enim fames in terra Chanaan*; et propter hanc etiam inopiam pascuorum se venisse commemoraverant. Proinde si ea fame pascua defecerant in terra Chanaan, cur in Ægypto non defecerant, eadem tunc fame ubique invalescente? An sicut perhibetur ab eis qui loca sciunt, in multis Ægypti paludibus poterant pascua non deesse, etiam cum fames esset frumentorum, quæ solent Nili fluminis inundatione provenire? Magis enim dicuntur paludes illæ feracia<sup>3</sup> pascua gignere, quando aqua Nili minus exerescit.

CLXI. [Ib. xlvii, 29.] Moriturus Jacob filio suo Joseph dicit: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, subijce manum tuam sub femore meo, et facies in me misericordiam et veritatem*. Ea filium iuratione constringit, qua servum constrinxit Abraham (Gen. xxiv, 2); ille mandans unde uxor ducatur filio suo, iste sepulcrum commendans corporis sui. In utraque tamen causa nominata sunt duo illa, quæ magni habenda atque pendenda sunt in Scripturis omnibus, quacumque di-

persim leguntur, misericordia et justitia, vel misericordia et iudicium, vel misericordia et veritas, quandoquidem in quodam loco scriptum est, *Universa via Domini misericordia et veritas* (Psal. xxiv, 10). Ita hæc duo multum commendata paulum consideranda sunt. Servus autem Abraham dixerat, *Si facitis in dominum meum misericordiam et justitiam* (Gen. xxiv, 49); sicut et iste filio suo dicit, *Ut facias in me misericordiam et veritatem*. Quid sibi autem velit a tanto viro tam sollicita corporis commendatio, ut non in Ægypto sepeliatur, sed in terra Chanaan juxta patres suos, mirum videtur, et quasi absurdum, nec conveniens tantæ excellentiæ mentis prophetiæ, si hoc ex hominum consuetudine metiamur. Si autem in his omnibus sacramenta quærantur, majoris admirationis gaudium ipsi qui invenerit orietur. Cadaveribus quippe mortuorum peccata significari in Lege, non dubium est, cum jubentur homines post eorum contrectationem, sive qualemcumque contactum, tanquam ab immunditia purificari. Et hinc illa sententia ducta est, *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus?* Sic et qui jejunit super peccata sua, et iterum ambulans hæc eadem facit (Eccli. xxxiv, 30, 31). Sepultura ergo mortuorum remissionem significat peccatorum, eo pertinens quod dictum est, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum lecta sunt peccata* (Psal. xxxi, 1). Ubi ergo sepelienda erant hoc significantia cadavera Patriarcharum, nisi in ea terra ubi ille crucifixus est, cujus sanguine facta est remissio peccatorum? Mortibus enim Patriarcharum peccata hominum figurata sunt. Dicitur autem ab eo loco, quod Abrahamium vocatur, ubi sunt ista corpora, abesse locum ubi crucifixus est Dominus fere triginta millibus, ut etiam ipse numerus eum significare intelligatur, qui in baptismo apparuit fere triginta annorum: et si quid aliud de re tanta, vel hoc modo vel sublimius intelligi potest, dum tamen non frustra arbitremur tales ac tantos homines Dei tantam gessisse curam pro sepeliendis corporibus suis; cum sit atque esse debeat fidelium ista securitas, quod ubicumque corpora eorum sepeliantur vel insepulta etiam per inimicorum rabiem relinquuntur, aut pro eorum libidine dilacerata absumantur, non ideo vel minus integram, vel minus gloriosam eorum resurrectionem futuram.

CLXII. [Ib. xlvii, 31.] Quod habent latini codices, *Et adoravit super caput virgæ ejus*; nonnulli codices emendatius habent, *Adoravit super caput virgæ suæ, vel in capite virgæ suæ, sive in cacumine<sup>1</sup>, vel super cacumen*. Fallit eos enim verbum græcum, quod eisdem litteris scribitur, sive *ejus*, sive *suæ*: sed accentus dispares sunt, et ab eis qui ista noverunt, in codicibus non contemnuntur; valent enim ad magnam discretionem. Quamvis et unam plus litteram habere posset, si esset *suæ*, ut non esset *αὐτοῦ*, sed *αὐτῆς*. Ac per hoc merito quæritur quid sit quod dictum est. Nam facile intelligeretur senem, qui virgam ferebat eo more, quo illa ætas baculum solet, ut se inclinavit ad Deum adorandum, id utique fecisse super cacumen

<sup>1</sup> Vetus codex Corbeiensis, *famulis Dei*.

<sup>2</sup> Editi, *deficit*. Mss. vero, juxta græcum, *defecit*.

<sup>3</sup> Mss. quindæcim, *feracitas*.

<sup>1</sup> Pleraque Mss., *sive in cacumine*; pro, *in cacumine*.

virgæ suæ, quam sic ferebat, ut super eam caput inclinando adoraret Deum. Quid est ergo, *Adoravit super cacumen virgæ ejus*, id est filii sui Joseph? An forte tulerat ab eo virgam, quando ei jurabat idem filius, et dum eam tenet, post verba jurantis, nondum illa reddita mox adoravit Deum? Non enim pudebat eum ferre tantisper insigne potestatis filii sui, ubi figura magnæ rei futuræ præsignabatur: quamvis in hebræo facilissima hujus questionis absolutio esse dicatur, ubi scriptum perhibent, *Et adoravit Israel ad caput lecti, in quo utique senex jacebat, et sic positum habebat, ut in eo sine labore, quando vellet, oraret; nec ideo tamen quod Septuaginta interpretati sunt, nullum vel levem sensum habere putandum est.*

CLXIII. [Ib. XLVIII, 4.] Etiam hic commemorans Jacob promissiones Dei erga se factas, dicit sibi dictum, *Faciám te in congregationes gentium*: quibus verbis magis fidelium vocationem significat, quam carnalis generis propagationem.

CLXIV. [Ib. XLVIII, 5, 6.] Quod scriptum est, dicente Jacob de Ephraem et Manasse, *Nunc ergo filii tui duo, qui facti sunt tibi in terra Ægypti priusquam ad te venire in Ægyptum, mei sunt, Ephraem et Manasse, tanquam Ruben et Simeon erunt mihi (natos autem si genueris postea, tibi erunt); in nomine fratrum suorum appellabuntur in sortibus eorum*: fallit legentes aliquando, ut existiment ita dictum, tanquam si alios genuisset Joseph, istorum nominibus eos Jacob appellari præciperet; quod non ita est. Verborum quippe ordo contexitur, *Nunc ergo filii tui duo, qui facti sunt tibi in terra Ægypti priusquam ad te venire in Ægyptum, mei sunt Ephraem, et Manasse, tanquam Ruben et Simeon erunt mihi; in nomine fratrum suorum appellabuntur in sortibus eorum*; hoc est, simul hæreditatem capient cum fratribus suis, ut simul vocentur filii Israel. Duæ quippe ipsæ tribus adjunctæ sunt, ut excepta tribu Levi, quæ sacerdotalis fuit, duodecim essent quæ terram dividerent, et decimas præberent. Hæc autem interpositum est, quod de aliis filiis Joseph si nascerentur dixit.

CLXV. [Ib. XLVIII, 7.] Quod Jacob filio suo Joseph tanquam nescienti voluit indicare, ubi et quando sepelierit matrem ejus, cum et ipse simul fuerit cum fratribus suis; sed etsi erat tam parvus ætate, ut illud vel curare vel animo retinere non posset, quæ res compulsi modo dici? nisi forte ad rem pertinuit commemorare ibi sepultam matrem Joseph, ubi Christus fuerat nasciturus.

CLXVI. [Ib. XLVIII, 14, 19.] Quod ita benedicit nepotes suos Israel, ut dexteram manum minori imponat, majori autem sinistram, et hoc filio suo Joseph volenti corrigere quasi errantem atque nescientem, ita respondet, *Scio, filii, scio, et hic erit in populum, et hic exaltabitur; sed frater ejus junior major illo erit, et semen ejus erit in multitudinem gentium*: hæc enim de Christo accipiendum est, quatenus etiam de ipso Jacob et fratre ejus dictum est, *Quia major serviet minori* (Gen. xxv, 23). Secundum hoc enim significavit aliquid propheticæ hoc faciendo Israel, quod populus posterior

per Christum futurus generatione spirituali, superatus erat populum priorem de carnali patrum generatione gloriantem.

CLXVII. [Ib. XLVIII, 22.] Quod dicit Jacob Sichimam se præcipuam dare filio suo Joseph, et addit quod eam possederit in gladio suo et arcu. quæri potest quemadmodum valeat ad litteram convenire. Emit enim centum agnis possessionem illam (Gen. xxxiii, 19), non cepit jure victoriæ bellicæ. An quia Salem civitatem Sichimorum filii ejus expugnaverunt (Id. xxxiv, 25), et jure belli potuit ejus fieri, ut justum bellum cum eis gestum videatur, qui tantam priores injuriam fecerunt in ejus filia contaminanda? Cur non ergo illis illam terram dedit, qui hoc perpetraverunt, hoc est, majoribus filiis suis? Deinde si modo ex illa victoria glorians, dat eam terram filio suo Joseph, cur ei displicuerunt tunc filii qui hoc commiserunt? Cur denique etiam nunc, cum eos benediceret, exprobrando id commemoravit in factis eorum (Id. xlix, 5)? Procul dubio ergo aliquid hic latet propheticum sacramentum: quia et Joseph quadam præcipua significatione Christum præfiguravit, et ei datur illa terra, ubi disperdiderat obruendo deos alienos Jacob; ut Christus intelligatur possessurus gentes diis patrum suorum renuntiantes, et credentes in eum.

CLXVIII. [Ib. XLIX, 32.] Videndum quomodo dicant Scripturæ, quod assidue dicunt de mortuis, *Et appositus est ad patres suos*: vel, *Appositus est ad populum suum*. Ecce enim de Jacob dicitur, jam quidem mortuo, sed nondum sepulto; et ad quem populum apponatur, non in promptu est videre. Ex illo enim populus prior nascitur, qui dictus est populus Israel: qui vero eum præcesserunt, tam pauci justi nominantur, ut eos populum appellare cunctemur. Nam si dictum esset, *Appositus est ad patres suos*, nulla quæstio fieret. An forte populus est, non solum hominum sanctorum, verum et Angelorum, populus civitatis illius, unde dicitur ad Hebræos, *Sed accessistis ad montem Sion, et ad civitatem Dei Jerusalem, et ad millia Angelorum exultantium* (Heb. xii, 22)? Illic populo apponuntur qui hanc vitam placentes Deo finiunt<sup>1</sup>. Tunc enim dicuntur apponi, quando nulla jam remanet sollicitudo tentationum, et periculum peccatorum. Quod intuens ait Scriptura: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam* (Eccli. xi, 30).

CLXIX. [Ib. L, 3.] Quadraginta dies sepulturæ, quos commemorat Scriptura, forte significant aliquid penitentia, qua peccata sepeliuntur. Non enim frustra etiam quadraginta dies jejuniorum sunt constituti, quibus Moyses (Exod. xxxiv, 28) et Elias (III Reg. xix, 8), et ipse Dominus jejunavit (Matth. iv, 2): et Ecclesia præcipuam observationem jejuniorum Quadragesimam vocat. Unde et in hebræo de Ninivitis apud Jonam prophetam scriptum perhibent, *Quadraginta dies et Ninive evertetur* (Jonæ iii, 4): ut per tot dies, accommodatos videlicet humiliationi penitentium, intelli-

<sup>1</sup> Editi, qui post hanc vitam placentes Deo fiunt. Hunc locum emendamus auctoritate Mss. quibus Eugypii abbatis collectio cum in excusis, tum in duobus Corbeiensibus Mss. suffragatur.

gautur in jejuniis sua dellesisse peccata, et impetrasse misericordiam Dei. Nec tamen putandum est istum numerum luctui poenitentium tantummodo convenire: alioquin non quadraginta dies fecisset Dominus cum discipulis suis post resurrectionem, intrans cum eis et exiens, manducans et bibens; qui dies utique magnæ lætitiæ fuerunt. Nec Septuaginta interpretes, quos legere consuevit Ecclesia, errasse credendi sunt, ut non dicerent, *Quadraginta dies*, sed, *Triduum et Nive evertetur*. Majore quippe auctoritate præditi quam interpretum officium est, prophetico spiritu, quo etiam ore uno in suis interpretationibus, quod magnum miraculum fuit, consonuisse firmanur, *Triduum* posuerunt, quamvis non ignorarent quod dies quadraginta in hebræis codicibus legerentur; ut in Domini Jesu Christi clarificatione intelligerentur dissolvi abolerique peccata; de quo dictum est, *Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (Rom. iv, 25). Clarificatio autem Domini in resurrectione et in cœlum ascensione cognoscitur. Unde et his numero, quamvis unum et eundem, Spiritum sanctum dedit: primo, posteaquam resurrexit (Joan. xx, 22); iterum, posteaquam ascendit in cœlum (Act. ii, 2-4). Et quoniam post triduum resurrexit, post quadraginta autem dies ascendit; unum horum, quod posterius factum est, per numerum dierum codices hebræi significant: alterum autem de triduo, quod ad eandem etiam rem pertineret, Septuaginta commemorare, non interpretationis servitute, sed prophetiæ auctoritate voluerunt. Non ergo dicamus unum horum falsum esse, et pro aliis interpretibus adversus alios litigemus, cum et illi qui ex hebræo interpretantur; probent nobis hoc scriptum esse quod interpretantur; et Septuaginta interpretum auctoritas, quæ tanto etiam divinitus facto miraculo commendatur, tanta in Ecclesiis vetustate firmetur.

CLXX. [Ib. l. 5.] Quod mandavit Joseph ad potentes Ægypti, ut dicerent Pharaoni nomine ejus, *Pater meus adjuravit me, dicens, In monumento quod ego fodi mihi in terra Chanaan, ibi me sepelias*, quæri potest quomodo verum sit; cum hæc verba patris ejus, quando de sua sepultura mandavit, non legantur. Sed ad sententiam verba referre debemus, sicut in aliis supra similiter iteratis verbis vel narrationibus admonimus. Voluntati enim enuntiandæ, et in notitiam perferendæ, oportet verba servire. Fodisse autem sibi Jacob sepulcrum, nusquam superius in Scripturis legitur. Sed nisi fieret, cum in eisdem terris esset, modo non diceretur.

CLXXI. [Ib. l. 10.] Quid sibi vult quod cum pergerent ad sepeliendum Jacob, Scriptura dicit, *Et advenerunt ad aream Atad, quæ est trans Jordanem?* Prætergressi sunt enim locum in quo erat mortuus sepeliendus, millia (sicut perhibent qui noverunt) plusquam quinquaginta: tantum quippe spatii est, plus minus, ab eo loco ubi sepulti sunt Patriarchæ, in quibus et Jacob, usque ad hunc locum, quo eos advenisse narratur. Nam post factum ibi luctum et planctum magnum redierunt ad locum quem præterierant, rursus

Jordane transjecto. Nisi forte quis dicat, aliquorum hostium vitandorum causa per erenum eos venisse cum corpore, qua etiam populus Israel ductus est per Moysen ab Ægypto liberatus. Illo quippe itinere et plurimum circuitur, et per Jordanem venit ad Abrahamium<sup>1</sup>, ubi sunt corpora Patriarcharum, id est, ad terram Chanaan. Sed quoquo modo factum sit, ut trans illa loca ad orientem versus tantum iretur, et inde ad ea per Jordanem veniretur, significationis causa factum esse credendum est, quod per Jordanem venturus erat ad eas terras postea Israel in filiis suis.

CLXXII. [Ib. l. 10, 5.] *Et fecit luctum patri suo septem dies*. Nescio utrum inveniantur alicui sanctorum in Scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos Novemdial<sup>2</sup> appellatur. Unde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui Christianorum istum in mortuis suis numerum servant, qui magis est in Gentilium consuetudine. Septimus vero dies auctoritatem in Scripturis habet: unde alio loco scriptum est, *Luctus mortui septem dierum; salvi autem omnes dies vitæ ejus* (Eccli. xxii, 13). Septenarius autem numerus propter sabbati sacramentum præcipue quietis indicium est; unde merito mortuis tanquam quiescentibus exhibetur. Quem tamen numerum in luctu Jacob decuplaverunt Ægyptii, qui eum septuaginta diebus laxerunt.

CLXXIII [Ib. l. 22.] *Et vixit Joseph annos centum decem, et vidit Joseph Ephraem filios usque ad tertiam generationem, et filii Machir filii Manasse nati sunt super femora Joseph*. Cum hos filios filiorum, vel nepotes filiorum dicat Scriptura Joseph vivendo vidisse, quomodo eos jungit illis septuaginta quinque hominibus, cum quibus Jacob Ægyptum dicit intrasse (Gen. xlvi, 27): quandoquidem Joseph senescendo pervenit ut eos natos videret; Jacob autem cum ingressus est in Ægyptum, juvenis erat Joseph, et eum pater moriens quinquagesimum et sextum fere ætatis annum agentem reliquit? Unde constat certi mysterii causa illum numerum, id est, septuagenarium et quinarium Scripturam commendare voluisse. Si autem quisquam exigit, quomodo etiam secundum historiæ fidem verum sit, Jacob cum septuaginta quinque animabus in Ægyptum intrasse; non illo uno die quo venit, ejus ingressum oportet intelligi: sed quia in filiis suis plerumque appellatur Jacob, hoc est in posteris suis, et per Joseph eum conlat in Ægyptum intrasse; introitus ejus accipiendus est quamdiu vixit Joseph, per quem factum est ut intraret. Toto quippe illo tempore nasci et vivere potuerunt omnes qui commemorantur, ut septuaginta quinque animæ compleantur usque ad nepotes Benjamin. Sicut enim dicit, *Hi filii Liæ, quos peperit ipsi Jacob in Mesopotamia Syriæ* (Ibid. 15), loquens etiam de iis qui non erant nati; quia illic parentes eorum ex quibus nati sunt, pepererat, ibi eos perhibens natos, quoniam causa qua nascerentur ibi nata

<sup>1</sup> Nat., ad Abrahamum. Am. Fr. et Lov., ad Mambraam. Legendum cum Ass., ad Abrahamium, uti supra, in quæst. 161.

<sup>2</sup> Ægyptii collectio Ass., Novemdialia.

est, id est parentes eorum, quos ibi Lia peperit: ita quoniam causam intrandi in Ægyptum Jacob in Joseph habuit, totum tempus quo in Ægypto vixit Jo-

seph, ingressio erat Jacob in Ægyptum per suam progeniem, quæ illo vivo propagabatur, per quem factum est ut ingrederetur.

## LIBER SECUNDUS.

Questiones in Exodum, et in fine descriptio Tabernaculi.



QUEST. I. [EXOD. cap. 1, v. 19. 20.] De obstetricum mendacio, quo scellerunt Pharaonem, ne occiderent masculos Israelitas quando nascebantur, dicentes non ite parere mulieres Hebræas sicut pariebant Ægyptiæ; quæri solet utrum talia mendacia approbata sint auctoritate divina, quandoquidem scriptum est Deum bene fecisse obstetricibus: sed utrum pro misericordia ignoscebat mendacio; an et ipsum mendacium dignum præmio iudicabat, incertum est. Aliud enim faciebant obstetrices vivificando infantes parvulos, aliud Pharaoni mentiendo: nam in illis vivificandis opus misericordiæ fuit; mendacio vero illo pro se utebantur, ne noceret illis Pharaon, quod potuit non ad laudem, sed ad veniam pertinere. Neque hinc auctoritatem ad mentiendum esse propositam mihi videtur eis de quibus dictum est, *Et non est inventum in ore eorum mendacium* (Apoc. xiv, 5.) Quorundam enim vita longe inferior a professione sanctorum, si habeat ista mendaciorum peccata, procect ipso et indole feruntur, præsertim si beneficia divina nondum norunt exspectare cœlestia, sed circa terrena occupantur. Qui autem ita vivunt, ut eorum conversatio, sicut dicit Apostolus, in cœlis sit (Philipp. iii, 20), non eos existimo linguæ suæ modum, quantum ad veritatem promendam atinet falsitatemque vitandam, exemplo illo obstetricum debere formare. Sed diligentius de hac quæstione disserendum est, propter alia exempla quæ in Scripturis reperiuntur.

II. [Ib. ii, 12.] De facto Moysi, cum occidit Ægyptium ad defendendos fratres suos, satis disputavimus in illo opere quod de vita Patriarcharum adversus Faustum scripsimus: utrum indoles in eo laudabilis fuerit, qua hoc peccatum admiserit, sicut solet uber terræ, etiam ante utilia semina, quadam herborum quamvis inutilium feracitate laudari; an omnino ipsum factum justificandum sit (Contra Faustum lib. 22, cc. 60, sqq.). Quod ideo non videtur, quia nullam adhuc legitimam potestatem gerebat, nec acceptam divinitus, nec humana societate ordinatam. Tamen, sicut Stephanus dicit in Actibus Apostolorum, putabat intelligere fratres suos, quod per eum Deus daret illis salutem (Act. vii, 25): ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitus admonitus (quod Scriptura eo loco tacet) hoc audere potuisse.

III. [Ib. iii, 4.] *Clamavit illum Dominus de rubo.* Dominus in angelo? an Dominus, angelus ille qui dicitur est, *Magni consilii angelus* (Isai. ix, 6), et intelligitur Christus? Supra etiam dixi, *Apparuit illi angelus Domini in flamma ignis de rubo.*

<sup>1</sup> *Ubi, clamavit ad illum.* MSS., *Clamavit illum*: id est, vocavit, uti habetur in Vulgata. Apud LXX, *ekalecen auton.*

IV. [Ib. iii, 8.] *Educere illos de terra illa in terram bonam et multam, in terram fluentem lac et mel*: utrum terram fluentem lac et mel spiritualiter accipere debemus; quia secundum proprietatem non hoc erat illa quæ data est populo Israel? an locutionis est, quæ id ad laudem ubertatis et suavitatis referatur?

V. [Ib. iii, 9.] *Ei nunc ecce clamor filiorum Israel venit ad me*: non sicut clamor Sodomorum (Gen. xviii, 20), quo iniquitas sine timore et sine verecundia significatur.

VI. [Ib. iii, 22.] Quod mandavit Dominus Hebræis per Moysen, ut acciperent ab Ægyptiis vasa aurea et argentea et vestem, atque addidit, *Et prædabimini eos*: mandati hujus non potest injustum esse iudicium. Mandatum enim Dei est, de quo non iudicandum, sed ei obtemperandum fuit. Ille enim novit quam juste mandaverit: ad servum autem pertinet obediente facere quod mandavit.

VII. [Ib. iv, 10.] Quod ait Moyses ad Dominum, *Precor, Domine, non sum eloquens ante hesternum, neque ante nudiustertium diem, neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo*, intelligitur credere posse se fieri Dei voluntate subito eloquentem, cum dicit, *neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo*: tanquam ostendens fieri potuisse ut ante hesternum et nudiustertium diem qui eloquens non fuisset, repente fieret, ex quo cum illo Dominus loqui cœpit.

VIII. [Ib. iv, 11.] *Quis fecit mutum et audientem, videntem et cæcum*: nonne ego Dominus Deus? Sunt qui Deo calumniantur, vel Scripturæ potius Veteris Testamenti, quia dixerit Deus quod ipse fecerit cæcum et mutum. Quid ergo dicunt de Domino Christo aperte in Evangelio dicente, *Ego veni ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (Joan. ix, 39)? Quis autem nisi insipiens crediderit aliquid homini secundum vitia corporalia posse accidere, quod Deus nolit? Scilicet eum juste totum velle nemo ambigit.

IX. [Ib. iv, 12.] Quod Dominus dicit ad Moysen, *Sed nunc tade, et ego aperiam os tuum, et instruam te quæ locuturus es*; satis hic apparet non tantam instructionem oris, sed ipsam etiam apertionem ad Dei voluntatem et gratiam pertinere. Non enim ait, *Tu aperi os tuum, et ego instruam te*; sed utrumque ipse promisit, *Aperiam, et instruam*. Alibi autem dicit in Psalmo, *Dilata os tuum, et adimplebo illud* (Psal. lxxx, 41). Ubi significat in homine voluntatem accipiendam quod Deus donat volenti: ut ad voluntatis exordium pertinet, *Dilata os tuum*; ad Dei autem gratiam, *Et adimplebo illud*. Illic vero, *Et aperiam os tuum, et instruam te*.

X. [Ib. iv, 14-16.] *Et iratus iracundia Dominus dixit*

Quemadmodum possit intelligi irascens Deus, quia non sicut homo per irrationabilem perturbationem, per omnia tenendum est, ubi tale aliquid Scriptura dicit, ne de hoc eadem serpe dicenda sint. Sed merito quaeritur cur hic iratus de fratre Moysi dixerit, quod ipse illi loqueretur ad populum: videtur enim tanquam diffidenti non dedisse plenissimam facultatem, quam daturus erat; et per duos agi voluisse, quod et per unum posset, si credidisset. Verumtamen eadem verba omnia diligentius considerata, non significant iratum Dominum pro vindicta dedisse Aaron. Sic enim dicit, *Nonne ecce Aaron frater tuus Levites? scio quia loquens loquetur ipse*<sup>1</sup>. Quibus verbis ostenditur Deus increpasse potius eum, qui timeret ire quod ipse esset minus idoneus, cum haberet fratrem per quem posset ad populum loqui quod vellet; quoniam erat ipse gracilis vocis, et linguae tardioris: quanquam de Deo totum sperare deberet. Deinde eadem ipsa quae paulo ante promiserat, et posteaquam iratus est, dicit. Dixerat enim, *Aperiam os tuum, et instruam te*; nunc autem dicit, *Aperiam os tuum et os ejus, et instruam vos quae faciat*: sed quoniam addidit, *Et loquetur ipse tibi ad populum*, videtur oris apertio praestita, propter quod dicit Moyses linguae se tardioris. De vocis autem gracilitate nihil ei praestare Dominus voluit, sed propter hoc adiutorium fratris adiunxit, qui posset ea uti voce, quae populo docendo sufficeret. Quod ergo ait, *Et dabis verba mea in os ejus*, ostendit quod ea loquenda esset daturus: nam si tantimmodo audienda, sicut populo, in aures diceret. Deinde quod paulo post ait, *Et loquetur ipse tibi ad populum, et ipse erit tuum os, et hic subauditur, ad populum*. Et cum dicit, *Tibi loquetur ad populum*; satis indicat in Moyse principatum, in Aaron ministerium. Deinde quod ait, *Tu autem illi eris quae ad Deum*<sup>2</sup>, magnum hic fortassis perscrutandum est sacramentum, cuius figuram gerat, veluti medius Moyses inter Deum et Aaron, et medius Aaron inter Moysen et populum.

XI. [Ib. iv, 24-25.] In eo quod scriptum est, *Et factum est, in via ad refectionem obviavit ei angelus, et quarebat eum occidere: et assumpto Sephora calculo, circumcidit praepitium filii sui; et procidit ad pedes ejus, et dixit, Stetit sanguis circumcisionis infantis mei. Et recessit ab eo; propter quod dixit, Desiit sanguis circumcisionis*; primum quaeritur, quem volebat angelus occidere, utrum Moysen, quia dictum est, *occurrit ei angelus, et quarebat eum occidere*. Nam cui putabitur occurrisse, nisi illi qui universo suorum comitatu praefuit, et a quo ceteri ducebantur? An puerum quarebat occidere, cui mater circumcidendo subvenit; ut ob hoc intelligatur occidere voluisse infantem, quia non erat circumciscus, atque ita sancire praecceptum circumcisionis, severitate vindictae? Quod si ita est, incertum est prius de quo dixerit, *quarebat eum occidere*; quia ignoratur quem, nisi ex consequentibus

<sup>1</sup> Sic Mss. juxta LXX, *hoti lalën lalësei autos*. At editi, *quia eloquens est, loquetur ipse*.

<sup>2</sup> Sic Mss. locutione graeca, *esë ta pros ton Theon*: quam locutionem alias retinuerunt in excusis, alias mutaverunt hinc illi modum, *eris in iis quae ad Deum*.

reperiatur: mira sane locutione et inusitata, ut prius diceret, *occurrit ei, et quarebat eum occidere, de quo nihil antea dixerat*. Sed talis est in Psalmo: *Fundamenta ejus in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion* (Psal. LXXXVI, 1, 2). Inde enim Psalmus incipit, nec aliquid de illo vel de illa dixerat, cujus fundamenta intelligi voluit, dicens, *Fundamenta ejus in montibus sanctis*. Sed quia sequitur, *diligit Dominus portas Sion*; ergo fundamenta vel Domini vel Sion, et ad faciliorem sensum magis Sion, ut fundamenta civitatis accipiantur. Sed quia in hoc pronomine, quod est, *ejus*, genus ambiguum est (omnis enim generis est hoc pronomem, id est et masculini, et feminini, et neutri), in graeco autem in feminino genere dicitur *αὐτῆς*, masculinum et neutro *αὐτοῦ*, et habet codex graecus, *αὐτοῦ*; cogit intelligere non fundamenta Sion, sed fundamenta Domini, id est, quae constituit Dominus, de quo dictum est, *Aedificans Jerusalem Dominus* (Psal. CXLVI, 2). Nec Sion tamen, nec Dominum antea nominaverat, cum diceret, *Fundamenta ejus in montibus sanctis*: sic et hic nondum nominato infante dictum est, *occurrit ei, et quarebat eum occidere*; ut de quo dixerit, in consequentibus agnoscamus. Quanquam etsi de Moyse accipere quisquam voluerit, non est magnopere resistendum. Illud potius quod sequitur, si fieri potest, intelligatur, quid sibi velit ideo recessisse angelum ab interfectione cujuslibet eorum, quia dixit mulier, *Stetit sanguis circumcisionis infantis*. Non enim ait, *Recessit ab eo*, propter quod circumcidit infantem: sed quia stetit sanguis circumcisionis; non quia cucurrit, sed quia stetit: magno, nisi fallor, sacramento.

XII. [Ib. iv, 20.] Quod superius dictum est, quod Moyses uxorem et infantes suos imposuit vehiculis, ut cum eis in Aegyptum pergeret, postea vero Jothor<sup>1</sup> socer ejus illi cum eis occurrit, posteaquam oduxit populum ex Aegypto (Exod. XVIII, 1-5); quaeri potest quomodo utrumque sit verum. Sed intelligendum est, post illam, quae ab angelo futura erat, interfectionem Moysi vel infantis, reversam fuisse cum parvulis. Nam quidam putaverunt propter hoc angelum terruisse, ne ad impedimentum ministerii, quod divinitus impositum Moyses gerebat, femineus sexus comitaretur.

XIII. [Ib. v, 1-3.] Quaeritur quomodo populo dicatur, quod mandavit Deus ejecturum se eos de Aegypto in terram Chanaan; Pharaoni autem dicatur, quod trium dierum iter exire vellent in desertum immolare Deo suo ex mandato ejus. Sed intelligendum est, quantumvis Deus sciret quid esset facturum, quoniam praesciebat non consensurum Pharaonem ad populum dimittendum, illud primo dictum esse, quod etiam primitus fieret, si ille dimitteret. Ut enim sic fierent omnia quemadmodum consequens Scriptura testatur, Pharaonis contumacia meruit et suorum. Neque enim mendaciter Deus jubet quod scit non facturum cui jubetur, ut justum iudicium consequatur.

XIV. [Ib. v, 22, 23.] Verba quae dicit Moyses ad Dominum, *Quare afflixisti populum hunc? et utquid me*

<sup>1</sup> In editis, *Jethro*. At in Mss. uti apud LXX, *Jethro*.



missi? *Ex quo enim intravi ad Pharaonem loqui in tuo nomine, in Aene populum; et non liberasti populum tuum; non contumacia: verba sunt vel indignationis, sed inquisitionis et orationis: quod ex his apparet, quæ illi Dominus respondit. Non enim arguit infidelitatem ejus, sed quid sit facturum aperuit.*

XV. [Ib. vi, 14-28.] Sacramenti locum esse dubium non est, quod Scriptura volens originem Moysi demonstrare, quoniam ejus actio jam expetebat, a primogenito Jacob, id est Ruben, progenies cepit, inde ad Simeon, inde ad Levi; ultra progressa non est, quoniam ex Levi Moyses. Hi autem commemorantur, qui jam commemorati fuerant in illis septuaginta quinque, in quibus Israel intravit in Ægyptum: non enim primam neque secundam, sed tertiam tribum, id est Leviticam Deus esse voluit sacerdotalem.

XVI. [Ib. vi, 30.] Quod Moyses dicit, *Eccæ ego gracili voce sum, et quomodo exaudiet me Pharaon?* non videtur tantum propter magnitudinem populi excusare de vocis fragilitate, verum etiam propter unum hominem. Mirum si tam gracilis vocis fuit, ut nec ab uno homine posset audiri: an forte regius fastus non eos permittebat de proximo loqui? Dicitur autem illi: *Eccæ dedi te deum Pharaoni, et Aaron frater tuus erit tuus propheta (Exod. vii, 1).*

XVII. [Ib. iv, 16.] Notandum quod cum ad populum mitteretur, non ei dictum est, *Eccæ dedi te deum populo, et frater tuus erit tuus propheta; sed frater tuus, inquit, loquetur tibi ad populum.* Dictum etiam est, *Erit os tuum, et tu illi quæ ad Deum:* non dictum est, *Tu illi deus.* Pharaoni autem dicitur Moyses datus deus, et secundum analogiam propheta Moysi Aaron, sed ad Pharaonem. Illic insinuat nobis, ea loqui prophetas Dei quæ audiunt ab eo, nihilque aliud esse prophetam Dei, nisi enuntiatorem verborum Dei hominibus, qui Deum vel non possunt vel non merentur audire.

XVIII. [Ib. vii, 5.] Assidue Deus dicit, *Indurabo cor Pharaonis:* et velut causam infert cur hoc faciat, *Indurabo, inquit, cor Pharaonis, et implebo signa mea et portenta mea in Ægypto;* tanquam necessaria fuerit obduratio cordis Pharaonis, ut signa Dei multiplicarentur vel implerentur in Ægypto. Utiliter ergo Deus bene cordibus malis, ad id quod vult ostendere bonis, vel quod facturum est bonis<sup>1</sup>. Et quamvis uniuscujusque cordis in malitia qualitas, id est, quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio, quod inolevit ex arbitrio voluntatis; ea tamen qualitate mala ut huc vel illuc moveatur, cum sive huc sive illuc male moveatur, causis sit quibus animus propellitur: quæ causæ ut existant vel non existant, non est in hominis potestate; sed veniunt ex occulta providentia, justissima plane et sapientissima, universum quod creavit disponentis et administrantis Dei. Ut ergo tale cor haberet Pharaon, quod patientia Dei non moveretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitii proprii fuit: quod vero ea facta sunt, quibus cor suo vitio tam

malignum resisteret jussionibus Dei (hoc est enim quod dicitur induratum, quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat), dispensationis fuit divinæ, qua tali cordi non solum justa, sed evidenter justa poena parabatur, qua timentes Deum corrigerentur. Proposito quippe lucro, verbi gratia, propter quod homicidium committatur, aliter avarus, aliter pecuniæ contemptor movetur; ille scilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cavendum: ipsius tamen lucri propositio in alicujus illorum non fuit potestate. Ita causæ veniunt hominibus malis, quæ non sunt quidem in eorum potestate, sed hoc de illis faciunt, quales eos invenerint jam factos propriis vitiis ex præterita voluntate. Videndum sane est, utrum etiam sic accipi possit, *Ego indurabo*, tanquam diceret, *Quam durum sit demonstrabo.*

XIX. [Ib. vii, 9.] *Si loquetur vobis Pharaon dicens, Date nobis signum aut portentum: et dices Aaron fratri tuo, Sume virgam, et projice illam palam Pharaone et palam servis ejus; et erit draco.* Illic certe non ministerio vocis opus erat, cui videbatur velut ex necessitate datus Aaron propter fragilitatem vocis Moysi; sed virga erat projicienda ut draco fieret: cur hoc ergo Moyses ipse non fecit, nisi quia ista mediatio ipsius Aaron inter Moysen et Pharaonem alicujus magnæ rei figuram gerit?

XX. [Ib. vii, 10.] Etiam hoc notandum, quod cum signum palam Pharaone fieret, scriptum est, *Et projecit Aaron virgam suam:* cum forte si dixisset, *Projecit virgam,* nulla esset quæstio; quod vero addidit, *suam,* cum eam Moyses dederit, non frustra forsitan dictum est. An erat utriusque illa virga communis, ut cujuslibet eorum diceretur, verum diceretur?

XXI. [Ib. vii, 12.] *Et absorbuït virga Aaron virgas illorum.* Si dictum esset, *Absorbuit draco Aaron virgas illorum,* intelligeretur verus draco Aaron phantastica illa signa non absoruisse, sed virgas. Hoc enim potuit absorbere quod erant, non quod esse videbantur et non erant. Sed quoniam dixit, *Absorbuit virga Aaron virgas illorum;* draco utique potuit virgas absorbere, non virga. Sed eo nomine appellata res est unde versa est, non in quod versa est, quia in id etiam reversa est: et ideo hoc vocari debebat quod principaliter erat. Quid ergo dicendum est de virgis magorum? utrum et ipsæ veri dracones factæ fuerant, sed ea ratione virgæ appellatæ sunt, qua et virga Aaron? an potius videbantur esse quod non erant, ludificatione venefica? Cur ergo ex utraque parte et virgæ dicuntur et dracones, ut de signatis illis nihil differat loquendi modus? Sed demonstrare difficile est quomodo etiam si veri dracones facti sunt ex virgis magorum, non fuerint tamen creatores draconum, nec magi, nec angeli mali quibus ministris illa operabantur. insunt enim corporis rebus per omnia elementa mundi quædam occultæ seminarix rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis atque causalis, prorumpunt in species debitas suis modis et finibus. Et sic non dicuntur angeli, qui ista faciunt, animalium creatores; sicut nec agricolæ segetum vel

<sup>1</sup> Vetus codex Corbelensis, et Egypti collectio in duobus vers., vel quos: *facturus est bonos.*

arborum vel quorumque in terra gignentium creatores dicendi sunt, quamvis noverint præbere quasdam visibiles opportunitates et causas, ut illa nascantur. Quod autem isti faciunt visibiliter, hoc angeli invisibiliter; Deus vero solus<sup>1</sup> verus creator est, qui causas ipsas et rationes seminarias rebus inseruit. Res breviter dicta est, quæ si exemplis et copiosa disputatione explicetur, ut facilius intelligatur, longo sermone opus est, a quo se ratio nostræ festinationis excusat.

XXII. [Ib. vii, 22.] *Fecerunt autem similiter et incantatores Ægyptiorum veneficiis suis: et induratum est cor Pharaonis, et non exaudivit eos, sicut dicit Dominus.* Cum hæc dicuntur, videtur propterea cor Pharaonis induratum fuisse, quia et incantatores Ægyptiorum similia fecerunt: sed consequentia docebunt quanta fuerit illa obduratio, etiam cum incantatores defecerunt.

XXIII. [Ib. viii, 7.] *Fecerunt autem similiter et incantatores Ægyptiorum veneficiis suis; et eduxerunt ranas super terram Ægypti.* Quæritur unde, si jam ubique factum erat. Sed similis quæstio est, unde et aquam in sanguinem verterint, si tota aqua Ægypti in sanguinem conversa jam fuerat. Proinde intelligendum est regionem, ubi filii Israel habitabant, plagis talibus non fuisse percussam: et inde potuerunt incantatores vel aquam haurire, quam in sanguinem verterent, vel aliquas ranas educere ad solam demonstrationem magicæ potentix. Quanquam potuerunt etiam, posteaquam illa compressa sunt, facere: sed Scriptura cito narrando conjunxit quod etiam postea fieri potuit.

XXIV. [Ib. viii, 15.] *Et vidit Pharaon quoniam facta est refrigeratio, et ingravatum est cor ejus, et non exaudivit eos, sicut dixerat Dominus.* Hic apparet non illas tantum fuisse causas obdurationis cordis Pharaonis, quod incantatores ejus similia faciebant; verum etiam ipsam Dei patientiam, qua parcebat. Patientia Dei secundum corda hominum, quibusdam utilis ad poenitendum, quibusdam inutilis, ad resistendum Deo et in malo perseverandum: non tamen per se ipsa inutilis est, sed secundum cor malum, sicut jam diximus. Hoc et Apostolus dicit: *Ignoras quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam cordis tui et impoentens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* (Rom. ii, 4-6). Nam et alibi cum diceret, *Christi bonus odor sumus in omni loco; etiam illud adjunxit, Et in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt* (II Cor. ii, 15). Non dixit Christi bonum se odorem esse iis qui salvi fiunt, malum autem iis qui pereunt; sed tantum bonum odorem se dixit. Illi vero tales sunt, ut et bono odore pereant secundum sui cordis, ut sæpe dictum est, qualitatem, quæ mutanda est bona voluntate in Dei gratia, ut incipiant ei prodesse judicia Dei, quæ malis cordibus nocent. Unde ille mutato in melius corde cantabat, *Vivet anima mea, et laudabit te; et judicia tua adjuvabunt me* (Psal. cxviii, 175). Non dixit, Munera tua, vel, præmia tua; sed, *judicia tua.* Multum est autem<sup>2</sup> sincera fiducia

<sup>1</sup> Mss. quindecim, unus.

dici possit, *Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum.* Et ne sibi aliquid ex suis viribus tribuisse videretur, continuo addidit: *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua* (Psal. xxv, 2, 3). Factam erga se commemorat misericordiam, ut complacere posset in veritate: quoniam universæ viæ Domini misericordia et veritas (Psal. xxiv, 10).

XXV. [Ib. viii, 19.] Quod dixerunt magi ad Pharaonem, *Digitus Dei est hoc*<sup>1</sup>, quoniam non potuerunt educere scyniphes; senserunt profecto, cum artium suarum nefariarum scirent potentiam, non talibus artibus, velut potentior in eis esset Moyses, suos conatus fuisse frustratos, ut non possent educere scyniphes, sed digito Dei, qui utique operabatur per Moysen. Digitus autem Dei, sicut Evangelium manifestissime loquitur, Spiritus sanctus intelligitur. Namque uno evangelista ita narrante verba Domini, ut diceret, *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia* (Luc. xi, 20); alius evangelista idipsum narrans exponere voluit quid sit digitus Dei, et ait, *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia* (Matth. xii, 28). Cum itaque magi faterentur, quorum Pharaon potentia præsidebat, digitum Dei esse in Moysæ, in quo superabantur, et eorum veneficia frustrabantur; tamen induratum est cor Pharaonis nunc mirabili omnino duritia. Cur autem in tertia ista plaga magi defecerint (nam plagæ cœperunt ex quo aqua in sanguinem versa est), et sentire et explicare difficile est. Poterant enim et in primo signo deficere, ubi in serpentem virga conversa est; et in prima plaga, ubi aqua in sanguinem commutata est; et in secunda de ranis, si hoc voluisset digitus Dei, id est Spiritus Dei. Quis enim dementissimus dixerit digitum Dei in hoc signo potuisse conatus magorum impedire, et in superioribus nequissime? Omnino ergo certa causa est quare illa facere huc usque permissi sunt. Commendatur enim fortasse Trinitas, et quod verum est, summi philosophi gentium, quantum in eorum litteris indagatur, sine Spiritu sancto philosophati sunt, quamvis de Patre et Filio non tacuerint, quod etiam Didymus in libro suo meminit, quem scripsit de Spiritu sancto (*Didymus in lib. I de Spiritu sancto*).

XXVI. [Ib. viii, 21-23.] *Ecce ego mitto in te, et in servos tuos, et in populum tuum, et in domos tuas cynomyiam, et implebuntur domus Ægyptiorum cynomyia; ut scias quoniam ego sum Dominus Deus omnis terræ: et dabo intervallum inter populum meum et inter populum tuum.* Quod hic Scriptura aperuit, ne ubique diceret, intelligere debemus et in posterioribus et in prioribus signis factum esse, ut terra in qua habitabat populus Dei, nullis plagis talibus vexaretur. Opportunum autem fuit ut ibi hoc aperte poneretur, unde jam incipiunt signa quibus magi similia nec conati sunt facere: procul dubio enim quia ubique fuerant scyniphes in regno Pharaonis, non autem fuerant in terra Gessen, ibi conati sunt magi similiter facere. et minime potuerunt. Quousque ergo deficerent, nihil

<sup>1</sup> Sic Mss. juxta græcam interpretationem LXX. At editi, est hic.

de illius terræ segregatione dictum est; sed ex quo cœperunt ea fieri, ubi jam illi similia facere nec conari auderent.

XXVII. [Ib. viii, 25.] Quod latini habent, *Euntes immolate Domino Deo vestro in terra*<sup>1</sup>, græcus habet, *Venientes (a) immolate Domino Deo vestro in terra*. Nolebat enim eos ire quo dicebant, sed ut illic in Ægypto immolarent, volebat. Hoc ostendunt verba Moysi quæ sequuntur, ubi dicit non posse fieri propter abominaciones Ægyptiorum.

XXVIII. [Ib. viii, 26.] Quod ait Moyses, *Non potest fieri sic: abominaciones enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro*: id est, hæc immolaturi sumus quæ abominantur Ægyptii, et propterea in Ægypto non possumus: hoc manifestant verba quæ adjungit et dicit, *Si enim immolaverimus abominaciones Ægyptiorum palam ipsis, lapidabimur*. Hoc non intelligentes quidam interpretes nostri, sic interpretati sunt, ut dicerent, Non potest fieri sic: numquid abominaciones Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro? Cum magis hoc Scriptura dixerit, quia Ægyptiorum abominaciones immolaturi sunt. Alii vero latini sic habent, *Non potest fieri sic*, quoniam abominaciones Ægyptiorum non immolabimus Domino Deo nostro. Contrarium sensum facit addita particula negativa, cum Moyses dixerit, *Non potest fieri sic: abominaciones enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro*: et ideo in eremum dicebant se ire velle, ubi Ægyptii non viderent abominaciones suas. Hoc autem intelligendum est mystice significari, quod etiam de pastoribus dicimus, qui erant Ægyptiis abominabiles (*Gen. xlvi, 34*); et ideo separatam terram Israelitæ acceperunt, cum venerunt in Ægyptum. Sic enim et sacrificia Israelitarum abominaciones sunt Ægyptiis, sicut iniquis vita justorum.

XXIX. [Ib. viii, 32.] Cum ablata esset locusta, dictum est de Pharaone, *Et ingravit Phara cor suum etiam in hoc tempore, et noluit dimittere populum*. Certe nunc non dictum est, *Ingravatum est cor Pharaonis*; sed, *ingravavit Phara cor suum*. Sic utique in omnibus plagis. A voluntate quippe hominis est origo vitiorum: moventur autem causis corda hominum, talia sic, talia vero sic, etiam non diversis causis sæpe diverso modo, secundum proprias qualitates, quæ ex voluntatibus veniunt.

XXX. [Ib. ix, 7.] *Videns autem Phara quia non est mortuum de pecoribus filiorum Israel ullum, ingravitum est cor Pharaonis*. Quomodo ex contrariis causis facta est hæc ingravitio cordis Pharaonis? Si enim et pecora Israelitarum morerentur, tunc videretur causa competens qua cor ejus ingravaretur ad contemnendum Deum, tanquam si et magi ejus pecora Israelitarum fecissent mori: nunc vero unde debuit ad timendum vel credendum moveri, videns nullum pecus mortuum ex pecoribus Hebræorum, hinc ingravitum est.

<sup>1</sup> Editi, *in terra hac*. Abest demonstrativa particula a Mess., abest quoque ab interpretatione IXX, quo fit ut Augustinum non pigeat illustrare hunc locum.

(a) *Ellyptes*.

tum est; id est, illa ingravitio etiam hæc usque progressa est.

XXXI. [Ib. ix, 8.] *Quid est quod dicit Deus ad Aaron et Moysen, Sumite vobis plenas manus favillæ de fornace, et aspergat Moyses in cælum coram Pharaone et coram servis ejus, et fiat pulvis in universa terra Ægypti*? Signa enim superiora, virga flebant, quam non Moyses, sed Aaron vel extendebat super aquam, vel ea terram percutiebat: nunc vero interpositis duobus signis de cynomyia et pecorum mortibus, ubi nec Aaron nec Moyses aliquid manu operati sunt, dicitur ut Moyses favillam spargat in cælum de fornace, et hanc ambo sumere jubentur, sed ille spargere non in terram, sed in cælum: tanquam Aaron qui datus erat ad populum, terram percutere deberet, vel in terram sive in aquam manum extendere; Moyses vero, de quo dictum est, *Erit tibi (a) quæ ad Deum (Exod. iv, 16)*, in cælum jubetur favillam spargere. Quid duo illa superiora signa, ubi nec Moyses nec Aaron manu aliquid operantur? Quid sibi vult ista diversitas? neque enim nihil.

XXXII. [Ib. ix, 16.] *Et propter hoc ipsum conservatus es, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra*. Hæc Scripturæ verba et Apostolus posuit, cum in eodem loco perdifficili versaretur. Ibi autem et hoc ait: *Si autem volens Deus ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ: parcendo utique iis quos malos futuros esse præscierat; quæ vasa dicit perfecta in perditionem. Et ut notas, inquit, faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ (Rom. ix, 22, 23)*. Unde vasorum misericordiæ vox est in Psalmis: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me; Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis (Psal. lvm, 11, 12)*. Novit ergo Deus bene uti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed perferit eos patienter quousque scit oportere; non inaniter, sed utens eis ad admonitionem vel exercitationem honorum. Ecce enim ut annuntiaretur nomen Dei in universa terra, vasis misericordiæ utique prodest. Ad eorum itaque utilitatem Phara servatus est, sicut et Scriptura testatur, et exitus docet.

XXXIII. [Ib. ix, 19, 6, 20.] *Quid est quod mandavit Deus Pharaoni, cum se facturum magnam grandinem minaretur, ut festinet congregare pecora sua, et quæcumque illi essent in campo, ne grandine intereant? hoc enim non tam indignanter quam misericorditer videtur admonere. Sed hoc non facit quæstionem, quando Deus etiam irascens temperat pœnam. Illud est quod merito movet, quibus nunc pecoribus consulatur, si omnia mortua fuerant plaga superiore, ubi scriptum est quod discrevit Deus inter pecora Hebræorum et Ægyptiorum, ita ut illinc nullum moreretur, omnia vero Ægyptiorum pecora morerentur. An eo solvitur quæstio, quod prædixerat ea moritura quæ in campo fuissent, ut hæc accipiantur omnia; intelligantur autem evasisse quæ in domibus erant, quæ potuerunt etiam a dubitantibus colligi, et in domo teneri, ne forte verum esset quod Moyses Dominum facturum*

(a) vulgata: *Eris ei in his*.

esse prædixerat: et ex his esse in campis iterum poterant, quæ modo admonet congregari in domos, ne grandine pereant; maxime, quia sequitur Scriptura et dicit, *Qui timuit verbum Domini servorum Pharaonis, congregavit pecora sua in domos: qui autem non intendit mente in verbum Domini, dimisit pecora sua in campo?* Hoc ergo fieri potuit, quando etiam mortem pecorum minatus est Deus, quamvis id Scriptura tacuerit.

XXXIV. [Ib. ix, 22.] *Et dixit Dominus ad Moysen, Extende manum tuam in cælum, et erit grando in omni terra Ægypti.* Ecce iterum Moyses non in terram, sed in cælum manum jubetur extendere, sicut superius de favilla.

XXXV. [Ib. ix, 27, 30.] Cum fragore cæli, qui vehemens erat in grandine, Pharaon territus rogaret Moysen ut oraret pro illo, confitens iniquitatem suam et populi sui, Moyses ei dixit: *Et tu, et servi tui scio quod nondum timetis Dominum.* Qualem timorem quærebat, cui timor iste nondum erat Domini timor? Facile est enim pœnam timere, sed non hoc est Deum timere, illo scilicet timore pietatis, quem commemorat Jacob, ubi dicit: *Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac adesset mihi, nunc me inanem dimisisses* (Gen. xxxi, 42).

XXXVI. [Ib. x, 1.] *Dixit Dominus ad Moysen, Intra ad Pharaonem: ego enim gravavi cor ejus et servorum ejus, ut ordine superveniant signa mea hæc super eos;* tanquam opus habeat Deus cujusquam malitia. Sed sic intelligendum est, ac si diceret, Ego enim patiens fui super eum et servos ejus, ut non eos auferrem, ut ordine superveniant signa mea super eos. Quia enim patientia Dei obstinatio fiebat malus animus, ideo pro eo quod est, Patiens in eum fui, dicitur, gravavi cor ejus.

XXXVII. [Ib. x, 19.] *Et non est relicta locusta una in omni terra Ægypti: et induravit Dominus cor Pharaonis.* Beneficium certe Dei commemoravit Scriptura, quo abstulit locustas; et secuta, dixit indurasse Dominum cor Pharaonis, beneficio utique suo, et patientia sua, qua ille fiebat obstinatio, dum ei parceretur: sicut omnia mala corda hominum, patientia Dei male utendo durescunt.

XXXVIII. [Ib. x, 21, 12.] Tertio dicitur ad Moysen, *Extende manum tuam in cælum, ut fieret etiam plaga tenebrarum.* Nunquam autem dictum est ad fratrem ejus Aaron, ut extenderet manum in cælum. Quod ergo dictum est ad Moysen, *Extende manum tuam super terram Ægypti, et ascendant locusta super terram,* credo id significatum, etiam minus posse qui plus potest; non autem continuo cui minora conceduntur, posse majora.

XXXIX. [Ib. xi, 2.] Deus ad Moysen: *Loquere ergo secreto in aures populi, et petat unusquisque a proximo, et mulier a proxima, vasa aurea et argentea et vestem.* Non hinc quisque sumendum exemplum putare debet ad exspoliandum isto modo proximum. Hoc enim Deus jussit, qui noverat quid quemque pati oporteret: nec

<sup>1</sup> Septem melioris notæ Mss., *esset*; juxta græcum, *en mot.*

<sup>2</sup> Post, *super eos*, in Ms. Corbeiensi additur. *Itu dicit, Ego enim gravavi cor ejus ut ordine superveniant signa mea hæc super eos.*

Israelitæ furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministeria præbuerunt. Quemadmodum cum minister judicis occidit eum quem judex jussit occidi, profecto si id sponte faciat, homicida est, etiamsi eum occidat, quem scit occidi a judice debuisse. Est etiam ista nonnulla quaestio, si seorsum habitabant Hebræi in terra Gessen, ubi nec plagæ fiebant quibus regnum Pharaonis affligebatur, quomodo petit quisque a proximo vel a proxima, aurum, argentum, et vestem; præsertim quia ubi primum hoc mandatur per Moysen, sic positum est, *et mulier a vicina sua et concellaria, vel concellanea* (si ita dicendum est), vel *cohabitatrix sua* (a). Unde intelligendum est, etiam in terra Gessen non solos Hebræos habitasse, sed eis aliquos Ægyptios in illa terra cohabitatores fuisse, ad quos potuerunt merito Hebræorum etiam illa divina beneficia pervenire, ut hinc eos et diligenter iidem Ægyptii cohabitatores, et quod petebant facile commodarent: nec tamen Deus judicavit ita illos alienos fuisse ab injuriis et contritionibus quas populus Dei pertulit, ut nec isto damno ferirentur, qui plagis illis propterea quod terræ illi parcebatur, percussi non erant.

XL. [Ib. xi, 9.] *Dixit autem Dominus ad Moysen, Non exaudiet vos Pharaon, ut multiplicem signa mea et portenta mea in terra Ægypti:* tanquam opus fuerit ejus inobedientia, ut signa illa multiplicarentur, quæ utiliter fiebant ad terrendum populum Dei, atque ipsa discretionem ad pietatem informandum. Sed hoc Dei fuit, malitia cordis illius bene utentis; non Pharaonis, Dei patientia male abutentis.

XLI. [Ib. xii, 10, 46.] *Quæ autem superaverint ab eo in mane, igne concrenabitis.* Quæri potest, quomodo aliquid superabit, cum hoc præmoniti fuerint, ut si domus non habuerit consumendo pecori idoneam multitudinem, vicini assumantur. Sed intelligitur quoniam dictum est, *Os non conteretis ab eo*, remansura utique fuisse ossa, quæ igne cremarentur.

XLII. [Ib. xii, 5.] *Agnus perfectus, masculus, anniculus erit vobis.* Movere potest ista locutio, quasi agnus possit esse non masculus, nescientem qua necessitate ita sit translatum. Ovis enim transferri debuit, quia græcus *πρῆβατον* habet; sed *πρῆβατον* in græca lingua generis neutri est, et potuerunt quæ sequuntur omnia convenire, tanquam si diceret, Pecus perfectum, masculum, anniculus erit vobis. Potuit enim latine dici, masculum pecus, quomodo dicuntur mascula thura, genere neutro: ovis autem masculus dici non posset, quia femini generis est ovis. Item ovis mascula si diceretur, esset absurdus. Pecus vero si poneretur, etiam aliud intelligeretur; nec servaretur sacramentum, quod cum Scriptura de ove loquatur, post dicit, *ab agnis et hædis accipietis illud.* Qua in re Christus significari merito accipitur. Quid enim opus erat ove vel agnum ab agnis et hædis accipiendum moneri, nisi ille figuraretur, cujus caro non solum ex justis, verum etiam ex peccatoribus propagata est? Quamquam conentur Judæi etiam hædum intelligere accipiendum ad celebrandum Pascha, et hoc esse dictum putant, ab

(a) in græco, *para geitonos kai suskênou autês.*

agnis et hædis accipere, tanquam diceret, vel ab agnis agnum, vel ab hædis hædum, si illud desit, sumi oportere: apparet tamen in Christo rebus impletis quid illo præcepto fuerit figuratum.

XLIII. [Ib. XII, 14.] Quod scriptum est, *Et facietis diem hunc in progenies vestras legitimam æternam vel æternalem*, quod græce dicitur *αἰώνιον*, non sic accipiendum est, tanquam possit istorum prætereuntium dies esse ullus æternus; sed illud æternum est, quod iste significat dies: velut cum dicimus ipsum Deum æternum, non utique istas duas syllabas æternas dicimus, sed quod significant. Quanquam diligenter scrutandum sit quomodo appellare Scriptura soleat æternum, ne forte ita dixerit solemniter æternum, quem nefas habeant prætermittere, aut sua sponte mutare. Aliud est enim quod præcipitur quousque fiat, sicut præceptum est ut septies muros Jericho circumiret arca (Josue VI, 3, 4): aliud, cum præcipitur sic observari aliquid, ut nullus terminus præfiniatur observationis, sive quotidie, sive per menses, sive per annos solemniter, sive per multorum vel aliquorum annorum certa intervalla. Aut ergo sic appellavit æternum, quod non sua sponte audeant desinere celebrare; aut, sicut dixi, ut non ipsa signa rerum, sed res quæ his significantur æternæ intelligantur.

XLIV. [Ib. XII, 30.] *Et factus est clamor magnus in terra Ægypti. Non enim erat domus in qua non erat in ea mortuus.* Nonne potuit esse aliqua domus quæ primogenitum non haberet? Cum ergo primogeniti tantummodo morerentur, quomodo nulla erat quæ non haberet mortuum? An et hoc divinitus præscientia Dei fuerat procuratum, ut in omnibus omnino essent domibus primogeniti, in quibus percuterentur Ægyptii? Ab hac sane plaga non putandi sunt immunes fuisse Ægyptii qui habitabant in terra Gessen; hominum quippe erat, vel animalium, non terræ: id est, homines et animalia primogenita moriebantur occulto et angelico percussu, non aliquid in terra vel in cælo factum erat, sicut rana, vel locusta, vel tenebræ, unde qui habitabant, affligerentur. A talibus enim plagis cum terra Gessen fuisset aliena, procul dubio perveniebat beneficium ad eos Ægyptios qui in eadem terra cum Hebræis morabantur: hac vèro primogeniti eorum omnes percussi sunt.

XLV. [Ib. XII, 35, 36.] *Filii autem Israel fecerunt sicuti præceperat illis Moyses, et petierunt ab Ægyptiis vasa aurea et argentea et vestem; et Dominus dedit gratiam populo suo coram Ægyptiis, et commodaverunt illis, et prædatis sunt Ægyptios.* Jam hoc factum fuerat ante mortes primogenitorum Ægyptiorum; sed nunc per recapitulationem repetitur. Nam narratum est quando factum est. Modo enim fieri quomodo posset, ut in tanto luctu ex mortibus suorum accommodarent ista filiis Israel? Nisi forte quis dicat etiam ista plaga non fuisse percussos Ægyptios qui cum Hebræis inhabitabant terram Gessen.

XLVI. [Ib. XII, 22.] *Quid est quod ait, Accipietis autem fasciculum hyssopi, et tingentes ex sanguine qui est juxta ostium, liniatis super limen et super ambos*

*postes?* Quæritur enim quem sanguinem dicat juxta ostium, cum illius agni utique velit intelligi sanguinem, cujus immolatione fit Pascha. An eo modo consequenter præcipit, quamvis hoc tacuerit, ut idem agnus juxta ostium occidatur? An, quod est credibilis, ideo dixit *ex sanguine qui est juxta ostium*, quia utique ille qui liniturus est super limen et postes, vas ipsum in quo sanguinem exceperit, juxta ostium positurus est, ut ad manum habeat quando tingit?

XLVII. [Ib. XII, 37, 40.] *Sustulerunt autem filii Israel de Ramesse in Socchoth, in sexcenta millia peditum viri, præter instructum, vel censum;* si isto modo potest recte interpretari quod græcus habet *ἀποσκευῆς*, quo verbo non solum mobilia, verum etiam moventia significari indicat Scriptura, ubi Judas loquens ad patrem suum dicit: *Mitte puerum mecum, et surgentes ibimus ut vivamus, et non moriamur et nos, et tu, et substantia nostra* (Gen. XLIII, 8). Ibi enim græcus *ἀποσκευῆς* habet, ubi *substantiam* latinus interpretatus est; quod aliquando *censum* interpretantur nostri: sicut nunc *instructum* dicere voluimus, dum tamen eo nomine et homines et jumenta vel omnia pecora intelligantur. Ubi etiam utrum et uxores possint intelligi, nescio. Sexcenta tamen millia peditum cum Scriptura commemoret, addens et dicens, *Excepto instructis, vel censu, vel substantia, vel si quo alio verbo melius interpretatur ἀποσκευῆς*, manifestum est et homines significatos; sive in scrtis, sive in mulieribus, sive in his ætatibus quæ militiæ non essent idoneæ, ut sexcenta millia peditum in eis solis intelligamus, qui possent militari agmine armari.

Quæri autem solet utrum ad tantum numerum Hebræi pervenire potuerint per eos annos in Ægypto, quos ostendere consideratus in Scripturis numerus potest: qui primum anni quot fuerint non parva quæstio est. Dicit enim Deus ad Abraham cum factum esset illud sacrificium de vacca trima, et capra, et arietem, et turturam, et columbam, antequam non solum Isaac, sed nec Ismael quidem natus esset: *Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria; et in servitutem redigent eos, et nocebunt illis quadringentos annos* (Gen. xv, 15). Si ergo quadringentos annos sic acceperimus, ut in servitute sub Ægyptiis intelligantur, non parvum spatium temporis fuit, quo ita populus multiplicaretur. Sed tot annos non fuisse, apertissime indicio Scriptura testatur.

Quidam enim putant quadringentos triginta annos accipi debere, ex quo Jacob intravit in Ægyptum, donec inde populus per Moysen liberatus est, quoniam in Exodo scriptum est: *Incolatus autem filiorum Israel, quem incoluerunt in terra Ægypti et in terra Chanaan, ipsi et patres eorum, anni quadringenti triginta. Servitutis autem eorum volent esse annos quadringentos; propterea quod scriptum est in Genesi: Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua; et in servitutem redigent eos, et noce-*

<sup>1</sup> Sic Mas. hoc loco: et inferius constanter habent, *censu do scies.*

bunt illis quadringentos annos. Sed quoniam servitutis anni post mortem Joseph computantur (illo enim vivo, non solum ibi non servierunt, verum etiam regnaverunt), non est quemadmodum computentur quadringenti triginta in Ægypto. Ingressus est enim Jacob anno filii sui trigesimo et nono: quoniam triginta annorum erat Joseph, cum apparuit in conspectu Pharaonis (*Gen. xli, 46*), et regnare cœpit sub illo; transactis autem septem annis ubertatis, secundo anno famis ingressus est Jacob in Ægyptum cum aliis filiis suis (*Id. xlv, 6*); ac per hoc tunc agebat Joseph triginta et novem annos, qui impletis vitæ suæ annis centum et decem, mortuus est (*Id. l, 22, 25*): vixit ergo in Ægypto post ingressum ad se patris sui, septuaginta et unum annos; quos si detraxerimus a quadringentis triginta annis, remanebunt servitutis anni, id est post mortem Joseph, non quadringenti, sed trecenti et quinquaginta novem anni. Quod si ex illo putabimus nos computare debere, ex quo Joseph sub Pharaone regnare cœpit, ut tunc quodammodo intelligatur intrasse Israel in Ægyptum, quando ibi filius ejus tanta potestate sublimatus est, etiam sic trecenti quinquaginta erunt, quos Tychonius vult accipi quadringentos, ut a toto pars intelligatur, id est a toto centenariio pars quinquagenaria, et probat hac loquendi regula solere uti Scripturam (*Tychonius, in Regular. lib. 5*). Si autem, quod aliquanto probabilius dici potest, tunc habeamus intrasse Israel in Ægyptum, quando illic Joseph esse venditus cœpit, detracturi sumus adhuc annos tredecim, ut trecentos triginta septem annos pro quadringentis accipiamus. Sed cum Scriptura commemoret Caath filium Levi avum Moysi cum avo suo Jacob intrasse in Ægyptum (*Gen. xlvi, 11*); dicat autem eum vixisse annos centum triginta (*Exod. vi, 18, 20*) (a); filium vero ejus patrem Moysi Ambram<sup>1</sup> centum triginta septem; Moysen vero dicat octoginta annorum fuisse cum de Ægypto populum liberavit (*Id. vii, 7*): etiam si tunc genuisset Caath patrem Moysi, quo anno mortuus est, ille quoque Ambram ultimo vitæ suæ anno genuisset Moysen; computati anni centum triginta et centum triginta septem et octoginta, trecentos et quadraginta septem annos faciunt, non quadringentos triginta. Quod si quis dicat extremo anno vitæ Joseph<sup>2</sup> natum esse Caath filium Levi; septuaginta ferme anni possunt accedere illi summæ, quia septuaginta unum annos vixit in Ægypto Joseph post ingressum patris sui. Quapropter etiam sic septuaginta anni vitæ Joseph ab ingressu Jacob in Ægyptum usque ad nativitatem Caath, si tunc natus asseratur, et centum triginta anni ipsius Caath, et centum triginta septem filii ejus Ambram patris Moysi, et octoginta ipsius Moysi,

<sup>1</sup> In editis, *Caath, Amram*. At in Mss. constanter scriptum est *Caath, Amram*. Græc. LXX habent, *Amram*, non *Caath*, quod quidem sic exstat *Gen. 46*; sed *Exod. 6*, cum gemino aa legitur, *Caath*.

<sup>2</sup> In editis, *vitæ Jacob*. Legendum cum optimis Mss., *vitæ Joseph*.

(a) Nunc tamen *Exod. vi, 18*, Caath centum triginta tres annos vixisse refertur, tum in vulgata, tum apud LXX.

quadringentos decem et septem annos faciunt, non quadringentos triginta.

Proinde illa nimirum computatio, quam secutus est Eusebius in historia sua Chronica, perspicua veritate subnixta est. Ab illa enim promissione computat quadringentos triginta annos, qua vocavit Deus Abraham, ut exiret de terra sua in terram Chanaan (*Eusebius in Chron. ad mundi an. 3260*): quia et Apostolus cum Abraham laudaret et commendaret fidem, in ea promissione qua Christum vult intelligi prophetatum, id est qua promisit Deus Abraham quod benedicerentur in eo omnes tribus terræ, *Hoc autem dico, inquit, quia testamentum confirmatum a Deo, post quadringentos et triginta annos facta Lex non infirmat ad evacuandas promissiones* (*Galat. iii, 17*). Ex illa ergo promissione qua vocatus est Abraham et credidit Deo, post quadringentos et triginta annos factam Legem dicit Apostolus, non ex tempore quo Jacob intravit in Ægyptum. Deinde etiam ipsa Scriptura Exodi satis hoc significavit: non enim dixit, *Incolatus filiorum Israel*, quem incoluerunt in terra Ægypto, anni quadringenti triginta; sed aperte dixit, *quem incoluerunt in terra Ægypto et in terra Chanaan, ipsi et patres eorum*. Ac per hoc manifestum est computandum esse tempus etiam Patriarcharum Abraham, Isaac, et Jacob, ex quo peregrinari cœpit Abraham in terra Chanaan; id est ex illa promissione in qua ejus fidem laudat Apostolus, usque ad illud tempus quo ingressus est Israel in Ægyptum. Toto quippe isto tempore peregrinati sunt patres in terra Chanaan, et deinde semen Israel in Ægypto; ac sic completi sunt quadringenti triginta anni a promissione usque ad exitum Israel ex Ægypto, quando facta est Lex in monte Sina, quæ non infirmat testamentum ad evacuandas promissiones.

Septuagesimo ergo et quinto anno vitæ suæ Abraham, sicut Scriptura dicit, egressus est in terram Chanaan (*Gen. xii, 4*), et genuit Isaac cum esset annorum centum (*Id. xxi, 5*). Fiunt itaque anni viginti quinque ex promissione usque ad natum Isaac. His adduntur omnes anni vitæ Isaac, id est centum octoginta (*Id. xxxv, 28*), fiunt ducenti quinque: tunc erat Jacob annorum centum viginti; nati sunt enim sexagenario patre gemini, ipse et Esau (*Id. xxv, 26*): post decem autem annos intravit Jacob in Ægyptum, cum esset annorum centum triginta (*Id. xlvii, 9*). Joseph autem esset triginta novem. Fiunt proinde anni a promissione usque ad ingressum Jacob in Ægyptum, ducenti quindecim. Joseph autem ab illo trigesimo et nono anno ætatis suæ, in quo cum pater in Ægypto invenit, vixit septuaginta et unum annos; quia omnes ætatis ejus anni centum decem fuerunt (*Id. l, 22*). Cum itaque ad ducentos quindecim annos accesserint septuaginta unus, fiunt anni ducenti octoginta sex. Restant centum quadraginta quatuor vel quinque, quibus intelligitur servisse in Ægypto populus Israel post mortem Joseph. His annis quantum multiplicari potuerint, si fecunditas hominis consideretur, adjuvante illo qui eos voluit valde multiplicari, reperitur non esse mirum quod in sexcentis millibus peditum egressus es.

populus ex Ægypto, excepto cetero apparatus, ubi et servilia erant, et sexus muliebris et imbellis ætas.

Quod ergo dixit Deus ad Abraham, *Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria; et in servitute redigent eos, et nocebunt illis quadringentos annos*, non sic accipiendum est, tanquam in illa durissima servitute quadringentos annos Dei populus fuerit: sed quia scriptum est, *In Isaac vocabitur tibi semen* (Id. xxi, 12); ex anno nativitatis Isaac usque ad annum egressionis ex Ægypto computantur anni quadringenti quinque. Cum ergo de quadringentis triginta detraxeris viginti quinque qui sunt a promissione usque ad natum Isaac, non mirum est si quadringentos et quinque annos summa solida quadringentos voluit appellare Scriptura, quæ solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa perfectioris numeri paululum excrevit aut infra est, non computetur. Non itaque quod ait, *In servitute redigent eos, et nocebunt illis*, ad quadringentos annos referendum est, tanquam per tot annos eos habuerint in servitute; sed referendi sunt quadringenti anni ad id quod dictum est, *Peregrinum erit semen tuum in terra non propria*: quia sive in terra Chanaan, sive in Ægypto, peregrinum erat illud semen, antequam hæreditatem sumerent terram ex promissione Dei; quod factum est posteaquam ex Ægypto liberati sunt: ut hyperbaton hic intelligatur, et ordo verborum sit, *Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria quadringentis annis*; illud autem interpositum intelligatur, *Et in servitute redigent eos, et nocebunt illis*; ita ut ad quadringentos annos ista interpositio non pertineat. In extrema enim parte annorum summæ hujus, hoc est, post mortem Joseph, factum est ut in Ægypto populus Dei duram perageret servitute.

XLVIII. [Ib. xiii, 9.] Quid est quod ait, cum de Pascha præciperet, *Erit tibi in signum super manum tuam?* an intelligitur super opera tua, id est, quod præferre debeas operibus tuis? Pertinet enim Pascha propter occisionem ovis ad fidem Christi, et sanguinem quo redempti sumus. Hæc autem fides operibus præponenda est, ut sit quodammodo super manum, adversus illos qui in operibus Legis gloriabantur: de qua re Apostolus loquitur, et multum agit<sup>1</sup>; qui fidem operibus sic vult atponi, ut ex illa pendeant opera bona, atque ab ea præveniantur, non ut ipsa velut meritis bonorum operum retribui videatur (*Galat. iii, et Hebr. xi*). Illa enim ad gratiam pertinet: *si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia* (Rom. xi, 6).

XLIX. [Ib. xiii, 17.] *Cum autem dimisit Pharao populum, non deduxit eos Deus viam<sup>2</sup> terræ Philistiim, quia prope erat. Dixit enim Deus, Nequando peniteat populum cum viderit prælium, et revertatur in Ægy-*

ptum. Hic ostenditur omnia fieri debere<sup>1</sup>, quæ consilio recte fieri possunt, ad devitanda quæ adversa sunt, etiam cum Deus apertissime adiutor est.

L. [Ib. xiii, 18.] *Quinta autem progenie ascenderunt filii Israel de terra Ægypti.* Utrum progeniem in centum annis vult computari, et ideo quinta progenie, quia post quadringentos triginta annos? an per hominum generationes hoc potius intelligendum est, ab ipso Jacob qui intravit in Ægyptum, usque ad Moysen qui cum populo egressus est? Jacob enim primus, secundus Levi, tertius Caath, quartus Amram, quintus Moyses invenitur. Has autem dicit progenies latinus interpres, quas γενεαὶ Græci vocant, quæ in Evangelio *generationes* appellantur, nec numerantur nisi per successiones hominum, non per numerum annorum.

LI. [Ib. xiv, 13.] Dixit autem Moyses: *Confidite, et state<sup>2</sup>, et videte salutem quæ est a Domino, quam faciet vobis hodie. Sicut enim vidistis Ægyptios hodie, non apponetis amplius videre eos in æternum tempus.* Quomodo accipienda sunt hæc verba, cum viderint postea Israelitæ Ægyptios? An quia isti qui tunc videbant, non eos ulterius viderunt; quia et illi sunt mortui qui consequebantur, et isti omnes quiescunt die mortis suæ? nam posteri eorum viderunt posteros illorum. An, Non eos videbitis sicut hodie, intelligendum est, non sicut hodie persequentes et inimicos, et tanto post vos agmine venientes; ut omnino nulla sit questio, nec de æterno tempore quod hic posuit; quia etsi videbunt se utriusque tempore resurrectionis, non sic utique videbunt ut hodie?

LII. [Ib. xiv, 15.] Quid est quod dixit Dominus ad Moysen, *Quid tu clamas ad me?* cum Scriptura non dixerit aliquid de Moysi vocibus, nec eum orantem commemoraverit; nisi quia intelligi voluit, hoc eum egisse vocis silentio, ut corde clamaret.

LIII. [Ib. xiv, 16.] *Et tu eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare.* Hæc est illa virga, in qua fiebant mirabilia, quæ modo dicitur esse Moysi: tunc autem fratris ejus fuisse dicebatur, quando per illam ipse operabatur.

LIV. [In xv, 12.] *Extendisti dexteram tuam<sup>3</sup>, transvoravit eos terra.* Terram pro aqua non mirum est positam. Tota quippe pars ista extrema vel infima mundi, terræ nomine censetur; secundum id quod sæpe dicitur, Deus qui fecit cælum et terram: et illius psalmi distributione commemoratis cælestibus, *Laudate, inquit, Dominum de terra*; et ea exsequitur in laude, quæ etiam ad aquas pertineant (*Psal. cxlviii, 7*).

LV. [Ib. xv, 10, 8.] *Misisti Spiritum tuum, et cooperuit eos mare.* Ecce jam quinto commemoratur Spiritus Dei, ut in hoc numero accipiamus et quod dictum est.

<sup>1</sup> S: Mss. At prius excusi, et nullum aut posse Deo placere sine fide, qui, etc. Pauloque post Am. Er. et Lov. posuerant, pertinent, pro pertinet, quod profecto fidem spectat, debuitque per nos restitui auctoritate Mss. quibus consentit editio Ratisbonensis.

<sup>2</sup> Editi, per viam. Abest, per, a Mss. et a græc. LXX. Mox Am. Er. et Lov., quæ prope erat. At Mss. et Rat., qui; juxta LXX, hoi eggus en.

<sup>1</sup> Lov., fieri debere consilio, quæ consilio, etc. Aliæ editiones et melioris notæ Mss. non habent, consilio, nisi in posteriori loco.

<sup>2</sup> Vaticani Mss., Confidite, state: omisso, et, quod etiam a græco abest.

<sup>3</sup> Editi, manum tuam. Mss., dexteram tuam; juxta LXX, tèn dexin sou: neque ante transvoravit, habetur particula, et, quæ addita fuit in excusis.

*Digitus Dei est hoc* (Exod. viii, 19). Primo, ubi Scriptum est, *Spiritus Dei superferobatur super aquas* (Gen. i, 2) : secundo, ubi dicitur, *Non permanebit in istis hominibus Spiritus meus, quoniam carnes sunt*<sup>1</sup> (Id. vi, 3) : tertio, ubi Pharao dicit ad Joseph, *Quoniam Spiritus Dei est in te* (Id. xli, 38) : quarto, ubi incantatores Ægyptiorum dicunt, *Digitus Dei est hoc* : quinto, in hoc cantico, *Misisti Spiritum tuum, et cooperuit eos mare*. Meminerimus autem Spiritum Dei non solum ad beneficia, verum etiam ad vindictam commemorari. Nam quid aliud etiam supra dixit, *Per Spiritum iræ tuæ divisa est aqua*? Iste itaque Spiritus Dei in Ægyptios, Spiritus iræ ejus fuit<sup>2</sup>, quibus nocuit aquarum divisio, ut intrantes possent aquis redeuntibus obrui: filiis vero Israel quibus profuit quod aqua divisa est, non fuit ille Spiritus iræ Dei. Unde significatur propter diversas operationes et effectus Spiritum Dei dissimiliter appellari, cum sit unus atque idem ille duntaxat, qui etiam Spiritus sanctus in unitate Trinitatis accipitur. Proinde non arbitror aliam quam omnidem significari, ubi dicit Apostolus, *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore*<sup>3</sup>; *sed accepistis Spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba, Pater* (Rom. viii, 15) : quia eodem Spiritu Dei, id est, digito Dei, quo Lex in tabulis lapideis conscripta est (Exod. xxxi, 18), timor incussus est eis qui gratiam nondum intelligebant, ut de sua infirmitate atque peccatis per Legem convincerentur, et Lex illis fieret pædagogus, a quo perducerentur ad gratiam quæ est in fide Jesu Christi (Galat. iii, 22-26): De hoc autem Spiritu adoptionis et gratiæ, id est de hoc opere Spiritus Dei, quo impertitur gratia et regeneratio in vitam æternam, dicitur, *Spiritus autem vivificat*; cum supra diceretur *Littera occidit* (II Cor. iii, 6), id est; Lex conscripta, tantummodo jubens, sine adjutorio gratiæ<sup>4</sup>.

LVI. [Ib. xv, 23, 24.] *Venerunt autem in Merra, et non poterant bibere de Merra*<sup>5</sup>; *amara enim erat*. Si propter hoc appellatum est nomen loci ejus amaritudo, quia non potuerunt ibi aquam bibere, quod amara esset (Merra enim interpretatur Amaritudo); quomodo venerunt in Merra, nisi quia eo nomine locum Scriptura appellavit, in quem venerunt, quo jam appellabatur cum hæc scriberentur? Posterius enim utique scripta sunt, quam illa contigerunt.

LVII. [Ib. xv, 25.] *Et ostendit ei Dominus lignum, et misit illud in aquam, et facta est aqua dulcis*. Genus ligni erat istam habens vim, an quolibet ligno id facere poterat Deus, qui tanta mirabilia faciebat? Hoc tamen videtur significare quod dictum est, *ostendit ei,*

<sup>1</sup> Am. Er. et Lov., *quoniam caro sunt*. At editio Parisponensis, suffragantibus nostris Mss., *carnes*; plurali numero, ut est in græco LXX.

<sup>2</sup> Plerique Mss., *Iste itaque Spiritus Dei in Ægyptios: nam Spiritus iræ ejus quibus nocuit*. Ubi additur, *nam*; et omittitur, *fuit*.

<sup>3</sup> Mss. optime notæ, *in timorem*; juxta græc., *eis phobon*: quæ etiam lectio erat vulgatæ versionis in antiquis Corbeiensibus Bibliis.

<sup>4</sup> Mss. aliquot, *Lex conscripta tantummodo, sine adjutorio gratiæ*.

<sup>5</sup> Editi, *bibere aquam de Merra*. At Mss., *bibere de Merra*. Sic etiam LXX.

tanquam tale jam lignum esset, quo posset hoc fieri: nisi forte locus erat ubi ligna omnino non inveniebantur, ut hoc ipsum esset divini adjutorij, quod ei lignum Dominus ostendit, ubi nullum erat, et per lignum aquas dulces fecit, præfigurans gloriam et gratiam crucis: sed in tali etiam natura liqui, quis nisi creator et demonstrator laudandus est?

LVIII. [Ib. xvi, 4.] *Dixit autem Dominus ad Moysen, Ecce ego ptinam vobis panes de celo*: *et exiet populus et colliget unusquisque in diem, ut tentem illos si ambulabunt in lege mea, an non*. Tentatio ista probatio est, non ad peccatum seductio: nec ideo probatio ut Deus noverit, sed ut ipsos<sup>6</sup> ipsis hominibus ostendat, quo humiliores fiant ad petendum adjutorium et agnoscedam Dei gratiam.

LIX. [Ib. xvi, 8.] Moyses et Aaron dicunt ad populum inter cætera: *Propter quod exaudivit Dominus murmuracionem vestram, quam vos murmuratis adversum nos. Nos autem quid sumus? Non enim adversum nos murmur vestrum est, sed adversum Deum*. Non ex hoc tantum se valere voluerunt quantum Deus: dixerunt enim, *Quid sumus nos?* ut illi adversus illum se scirent murmurasse, qui istos miserat, et qui per istos operabatur. Nec talis illa est sententia, ubi Petrus dicit Ananiæ: *Ausus es mentiri Spiritui sancto? non hominibus mentitus es, sed Deo* (Act v, 3, 4). Non enim ait, *Ausus es mentiri mihi?* non mihi mentitus es, sed Deo: quod si dixisset, simile fuisset. Neque ita dixit; *Ausus es mentiri Spiritui sancto? non Spiritui sancto mentitus es, sed Deo*: ita enim loquens, negaret Deum esse Spiritum sanctum. Nunc vero cum dixisset, *Ausus es mentiri Spiritui sancto?* cum ille se putaret hominibus fuisse mentitum, ipse Spiritum sanctum Deum esse monstravit subjungens, *Non hominibus mentitus es, sed Deo*.

LX. [Ib. xvi, 12.] Deus mandat per Moysen populo, *Ad vesperam edetis carnes, et mane replebitur panibus*. Ecce non pro omni alimento panes nominantur. Nam isto nomine et carnes complecterentur, quia et ipse alimenta sunt: nec tamen panes eos modo dicit, qui fiunt ex frumentis; ipsos enim proprie panes appellare consuevimus: manna autem panum nomine appellat. Non autem vacat quod dicit ad vesperam carnes et mane panes se daturum. Tale quippe aliquid etiam in Elia significatum est, cum ei alimenta corvus afferret (III Reg. xvii, 6). An forte carnis ad vesperam et mane panibus ille significatur, qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (Rom. iv, 25)? Ad vesperam quippe mortuus ex infirmitate sepultus est, mane autem apparuit discipulis, qui resurrexerat in virtute.

LXI. [Ib. xvi, 33.] *Et dixit Moyses ad Aaron, Accipe vas aureum unum, et mitte illud plenum gomor manna, et repones illud ante Deum, ut servetur in progenies, quemadmodum præcepit Dominus*. Quæri potest, ubi Aaron poneret ante Deum, quando nec ullam simula-

<sup>6</sup> In editis, *si ambulent*. In Mss., *si ambulabunt*. Apud LXX, *ei poreusorlat*.

<sup>7</sup> Editi, *sed ut ipse ipsis*. Melius Mss., *ipsos ipsæ*



crum fuit, nec arca testamenti jam fuerat instituta. An forte ideo de futuro dixit, *repones*, ut intelligeretur tunc ante Deum posse reponi, quando futura erat arca? *in potius, ante Deum*, dictum est quod sit ipsa devotione offerendi, in quocumque loco poneretur? ubi enim non est Deus? Sed illud quod adjungit, *Et reposuit Aaron ante testimonium ad reservandum*, priorem magis sensum asserit. Hoc enim modo Scriptura dixit per prolepsin, quod postea factum est, eum esse coepit tabernaculum testimonii.

LXII. [Ib. xvi, 35.] *Filiis autem Israel ederunt manna annis quadraginta, quoadusque venirent in terram quam inhabitatur. Manna ederunt quoadusque venirent in partem Phœnicis.* Significavit Scriptura per prolepsin, id est, hoc loco commemorando quod etiam postea factum est, non edisse filios Israel in eremo nisi manna. Hoc est enim quod ait, *usque ad terram quam inhabitatur*, id est, quæ jam non est eremus: non quia continuo ut venerunt ad terram habitabilem destiterunt vesci manna, sed quia non ante: Trajecto enim Jordane significatur manna cessasse, ubi panes terræ manducaverunt: quando ergo ingressi sunt habitabilem terram, antequam transiret Jordanem, vel tantum manna vesci, vel utroque elbo potuerunt; hoc quippe intelligi potest, quando cessasse manna non dicitur nisi Jordane trajecto. Cur autem in illa eremi inopia etiam carnes desideraverint, quando de Ægypto cum suis valde multis pecoribus exierunt, magna quæstio est. Nisi forte dicatur, cum per eremum pascua tanta non essent, et ex eo minor futura videretur fecunditas pecorum, pepercisse illos pecoribus, ne omnibus deficiantibus, etiam sacrificiis necessaria defuissent, vel si quid aliud dici potest, unde quæstio ista solvatur. Congruentius tamen creditur non eos carnes desiderasse, quas de pecoribus habere poterant; sed eas quæ deerant, ex aquis videlicet. Ipsas quippe in illa eremo non inveniebant: unde et illis ortyometra data est, id est, aves, quas coturnices multi latine interpretati sunt, cum sit aliud genus avium ortyometra, quamvis coturnicibus non usquequaque dissimile. Noverat enim Deus quid desiderarent, et desiderium eorum quo carnis genere satiaret. Sed quia Scriptura concupivisse illos carnes dixerat, nec expresserat ejusmodi carnes, ideo quæstio facta est.

LXIII. [Ib. xvi, 35.] *Manna ederunt quoadusque venirent in partem Phœnicis.* Jam dixerat, *quoadusque venirent ad terram quam inhabitatur*; sed quia non expresserat proprie quam diceret, repetitione videtur quamdam proprietatem expressisse, dicendo, *in partem Phœnicis*. Sed tunc illam terram sic credendam est appellatam; modo enim hoc non vocatur nomine. Alia quippe est quæ Phœnice appellatur regio Tyri et Sidonis, qua illos transisse non legitur. Quanquam Scriptura fortasse potuerit terram Phœnicis appellare, ubi palmarum arbores jam esse coeperant post eremi vastitatem; quoniam palma græce sic appellatur. Initio enim profectionis suæ invenerunt locum, ubi septuaginta palmarum arbores fuerant, et duodecim fontes: sed postea eos excepit eremi prolixitas, ubi

SANCT. AUGUST. III.

tale aliquid; non fuit, quousque venissent ad loca quæ colebantur. Verum ille sensus est probabilior, ut credamus sic appellatam tunc fuisse terram. Multarum enim terrarum et locorum, sicut fluminum et urbium, nomina certis existentibus causis antiquitate mutata sunt.

LXIV. [Ib. xvii, 5.] *Et dixit Dominus ad Moysen, Antecede populum; sume autem tecum de senioribus populi; et virgam in qua percussisti flumen, accipe in manu tua.* Flumen Aaron legitur, non Moyses, virga percussisse. Nam Moyses eadem virga mare divisit, non flumen: quid sibi ergo vult, *Accipe virgam in qua percussisti flumen*? An forte mare appellavit flumen? quærendum exemplum locutionis hujus, si ita est. An quod Aaron fecit, Moysi potius tributum est, quia per Moysen Deus jubebat, quæ faceret Aaron; et in Moysen auctoritas, in illo autem ministerium fuit: quandoquidem et primis suis verbis Deus hoc illi ait de fratre suo, *Erit tibi ad populum, tu illi quæ ad Deum* (Exod. iv, 16)?

LXV. [Ib. xvii, 9.] *Et ecce ego sto super cacumen collis, et virga Dei in manu mea, dicit Moyses ad Josum Nave, cum præciperet pugnari adversus Amalech.* Nunc ergo virga Dei dicitur, quæ primum dicta est virga Aaron, postea vero virga Moysi: sicut dicitur spiritus Eliæ qui est Spiritus Dei (Luc. i, 17), cujus particeps factus est Elias; sic illa potuit dici. Dicitur etiam Dei justitia, quæ nostræ est, sed donata a Deo: de qua loquens Apostolus, Judæos arguit dicens, *Ignorantes Dei justitiam, et suam justitiam volentes constituere* (Rom. x, 3), id est, tanquam a se sibi paratam; contra quales dicit, *Quid enim habes quod non accepisti* (I Cor. iv, 7)?

LXVI. [Ib. xviii, 12.] *Venit autem et Aaron et omnes seniores Israel manducare panem cum socero Moysi ante Deum, vel, sicut alii codices habent, coram Deo; quod græce scriptum est ἐναντίον τοῦ Θεοῦ.* Quæritur ubi ante Deum, quando nec tabernaculum fuit, nec arca testamenti, quæ postea sunt instituta. Neque enim et hic de futuro dictum accipere possumus, sicut dictum est de manna quod positum est in vase aureo (Supra, quæst. 61). Ergo ante Deum id accipere debemus factam, quod in honorem Dei factum est: ubi enim non Deus?

LXVII. [Ib. xviii, 15.] *Moyses socero dixit: Quia venit ad me populus inquirere judicium a Deo; cum eis contigerit disceptatio, et venerint ad me, judico unumquemque, et moneo eos præcepta Dei et legem ejus.* Quæri potest quomodo ista Moyses dixit, cum lex Dei adhuc nulla conscripta esset: nisi quia lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes pie mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundum quod illa incommutabili veritate præceperit<sup>1</sup>. Numquid enim Moyses, quamvis cum illo Deus loqueretur, per singula credendum est quod consulere solet Deum, si quid

<sup>1</sup> Editi, secundum quod illa incommutabili veritate perceptum: excepta editione Ratisponensi, quæ cum nostris Mss. habet, illa.... præceperit.

(Vingt.)

esset in disceptationibus tantæ multitudinis, quæ illum in hoc judicandi negotio a mane usque ad vesperam detinebat? Et tamen nisi suæ menti præsidem Dominum consuleret, legenque ejus æternam sapienter attenderet, quid justissimum judicare inter disceptantes posset, non inveniret.

LXVIII. [Ib. xviii, 18, 19.] In eo quod Jothor consilium dat genero suo Moysi, ne occupatus iudicii populi et ipse et populus consumeretur consumptione intolerabili; prima quæstio est, cur hoc Deus famulum suum, cum quo ipse tanta et talia loquebatur, ab alienigena passus est admoneri. In quo Scriptura nos admonet, per quemlibet hominem detur consilium veritatis, non debere contemni. Videndum etiam ne forte ibi voluerit Deus ab alienigena admoneri Moysen, ubi et ipsum posset tentare superbia: sedebat enim iudiciaria sublimitate solus, universo populo stante. Nam hunc sensum indicat, cum ipse Jothor eos eligi jussit ad iudicandas causas populi, qui odissent superbiam. Deinde quam sit observandum quod alibi Scriptura dicit, *Fili, ne in multis sint actus tui.* (Eccli. xi, 10); satis et hic apparet. Deinde verba Jothor dantis consilium Moysi consideranda sunt: dicit enim, *Nunc itaque audi me, et consilium dabo tibi, et erit Deus tecum.* Ubi mihi videtur significari, nimis intentum humanis actionibus animum, Deo quodammodo vacuari, quo fit tanto plenior, quanto in superna atque æterna liberius extenditur.

LXIX. [Ib. xviii, 19, 20.] Quod vero adjungit et dicit, *Esto tu populo quæ ad Deum, et referes verba eorum ad Deum: et testaberis illis præcepta Dei et tegem ejus; et demonstrabis illis vias in quibus ambulabunt in eis, et opera quæ facient;* cum populo universo hæc agenda esse demonstrat. Non enim ait, *Uniuscujusque verba referes ad Deum, sed verba eorum,* cum supra dixisset, *Esto tu populo quæ ad Deum sunt.* Post hæc admonet ne singulorum negotia, quæ inter se habent, deserantur, electis videlicet potentibus viris Deum colentibus, justis, et qui oderint superbiam, quos constituat super millenos, alios super centenos, alios super quinquagenos, alios super denos. Sic et ab ipso Moysese movit graves et periculosas occupationes, nec istos gravavit. Quandoquidem ipsi mille haberent unum super se, et sub illo haberent alios decem, et sub eis alios viginti, et sub his alios centum, ut vix aliquid ad singulos quosque præpositos perveniret, quod judicare necesse haberent. Insinuat hic etiam humilitatis exemplum, quod Moyses, cum quo loquebatur Deus, non fastidivit, neque contempsit alienigenæ socii sui consilium. Quanquam et ipse Jothor, cum Israelita non fuisset, utrum inter viros Deum verum colentes religioseque sapientes habendus sit, quemadmodum et Job, cum ex ipso populo non fuisset, merito quaeritur: imo credibilis habetur. Ambigue quippe posita sunt verba, vel utrum sacrificaverit Deo vero in populo ejus, quando vidit generum suum, vel utrum eum adoraverit ipse Moyses: quanquam de adoratione etiam si expresse positum esset, honor vide-

retur socio redditus, eo modo quo solet hominibus honorificentie causa exhiberi a Patribus; sicut de Abraham scriptum est, quod adoraverit filios Chet (Gen. xxiii, 7). Quos autem dicat *γερματῶν ἰσραήλ*: post decuriones, non facile sciri potest; quoniam hoc nomen in nullo usu habemus, vel officiorum, vel magisteriorum. Nam quidam *doctores* interpretati sunt, ut intelligantur utique litterarum, qui introducant in litteras, sicut resonat græcum vocabulum. Hic sane significatur quod ante Legem datam habuerint Hebraei litteras: quæ quando cœperint esse, nescio utrum valeat indagari. Nonnullis enim videtur a primis hominibus eas cœpisse, et perductas esse ad Noe, atque inde ad parentes Abraham, et inde ad populum Israel: sed unde hoc probari possit, ignoro.

LXX. [Ib. xix, 1-11.] *Mensis autem tertii exitus filiorum Israel de terra Ægypti hac die venerunt in eremum Sina, et profecti sunt ex Raphidin, et venerunt in eremum Sina, et applicuit Israel ibi contra montem, et Moyses ascendit in montem Dei, et vocavit eum Dominus de monte dicens, Hæc dices domui Jacob, et nuntiabis filiis Israel, et cætera.* Deinde paulo post: *Descende, et testare populo, et purifica illos hodie et cras, et lavent vestimenta, et sint parati in diem tertium. Tertia enim die descendet Dominus in montem Sina coram omni populo.* Hoc die reperitur data Lex, quæ in tabulis lapideis scripta est digito Dei, sicut consequentia docent (Exod. xxxi, 18). Dies autem iste tertius apparet tertii mensis ab exitu Israel ex Ægypto. Ex die ergo quo Pascha fecerunt, id est, agnum immolaverunt et edercunt, qui fuit quartus decimus primi mensis (Id. xii, 6.), usque ad istum quo Lex datur, dies quinquaginta numerantur: decem et septem scilicet primi mensis, reliqui ab ipso quarto decimo; deinde omnes triginta secundi mensis, qui sunt quadraginta septem; et tertius tertii mensis, qui est a solemnitate occisi agni quinquagesimus. Ac per hoc in ista umbra futuri, secundum agni immolati diem festum, sicut quinquagesimo die Lex data est, quæ conscripta est digito Dei: ita in ipsa veritate Novi Testamenti a festivitate agni immaculati Christi Jesu quinquaginta dies numerantur, ut Spiritus sanctus<sup>1</sup> de altissimis datus est (Act. ii, 24). Digitum Dei autem esse Spiritum sanctum, et supra jam diximus teste Evangelio (Supra, quæst. 25).

LXXI. [Ib. xx, 1-17.] Quaeritur, decem præcepta Legis quemadmodum dividenda sint: utrum quatuor sint usque ad præceptum de sabbato, quæ ad ipsam Deum pertinent; sex autem reliqua, quorum primum est, *Honora patrem et matrem,* quæ ad hominem pertinent: an potius illa tria sint, et ista septem. Qui enim dicunt illa quatuor esse, separant quod dictum est, *Non erunt tibi dii alii præter me;* ut aliud præceptum sit, *Non facies tibi idolum,* etc. ubi signenta colenda prohibentur. Unum autem volent esse, *Non concupisces uxorem proximi tui, Non concupisces ac-*

<sup>1</sup> Apud Er. Lov. habetur, *quando Spiritus sanctus.* Nonne melius legeretur, *et?* Fulcitur hæc nostra conjectura altero S. Augustini loco, nempe serm. 8, n. 13, 14, in quo hæc ita repetuntur. M.

num proximi tui, et omnia usque in finem. Qui vero illa tria esse dicunt, et ista septem, unum volunt esse, quidquid de uno colendo Deo præcipitur, ne aliquid aliud præter illum pro Deo colatur: hæc autem extrema in duo dividunt; ut aliud sit, *Non concupisces uxorem proximi tui*, aliud, *Non concupisces domum proximi tui*. Decem tamen esse præcepta neutri ambigunt, quoniam hoc Scriptura testatur.

Mihi tamen videtur congruentius accipi tria illa, et ista septem, quia et Trinitatem videntur illa quæ ad Decem pertinent insinuare diligentius intuentibus. Et revera quod dictum est, *Non erunt tibi dii alii præter me*, hoc ipsum perfectius explicatur cum prohibentur colenda figmenta. Concupiscentia porro uxoris alienæ, et concupiscentia domus alienæ, tantum in peccando differunt, ut illi quod dictum est, *Non concupisces domum proximi tui*, adjuncta sint et alia dicente Scriptura, *neque agrum ejus, neque servum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neque subjugale ejus, neque omnem pecus ejus, neque quæcumque proximi tui sunt*. Discrevisse autem videtur concupiscentiam uxoris alienæ a concupiscentia cujuslibet rei alienæ, quando utrumque sic cœpit, *Non concupisces uxorem proximi tui, Non concupisces domum proximi tui*, et huic cœpit cætera adjungere. Non autem cum dixisset, *Non concupisces uxorem proximi tui*, huic connexuit alia dicens, neque domum ejus, neque agrum ejus, neque servum ejus, et cætera: sed omnino apparent hæc esse conjuncta quæ uno præcepto videntur contineri, et discreta ab illo ubi uxor nominata est. Illud autem ubi dictum est, *Non erunt tibi dii alii præter me*, apparet hujus rei diligentiosem executionem esse in iis quæ subjecta sunt. Quo enim pertinet, *Non facies tibi idolum, neque ullum simulacrum, quæcumque in cælo sunt sursum, et quæcumque in terra deorsum, et quæcumque in aqua sub terra; non adorabis ea, neque servies illis*, nisi ad id quod dictum est, *Non erunt tibi dii alii præter me?*

Sed rursim quæritur quo differat, *Non furtum facies*, ab eo quod paulo post de non concupiscentis proximi rebus præcipitur. Non quidem omnis qui rem proximi sui concupiscit, furatur: sed si omnis qui furatur, rem proximi concupiscit, poterat in illa generalitate, ubi de non concupiscentia re proximi præcipitur, etiam illud quod ad furtum pertinet contineri. Similiter etiam quæritur, quo differat quod dictum est, *Non mæchaberis*, ab eo quod paulo post dicitur, *Non concupisces uxorem proximi tui*. In eo quippe quod dictum est, *Non mæchaberis*, poterat et illud intelligi. Nisi forte in illis duobus præceptis, non mæchandi et non furandi, ipsa opera notata sunt; in his vero extremis ipsa concupiscentia: quæ tantum differunt, ut aliquando mæchetur, qui non concupiscit uxorem proximi, cum alia aliqua causa illi miscetur; aliquando autem concupiscat, nec ei misceatur, poenam timens: et hoc fortasse Lex ostendere voluit, quod utraque peccata sint.

Item quæri solet utrum mæchiæ nomine etiam fornicatio teneatur. Hoc enim græcum verbum est, quo

jam Scriptura utitur pro latino. Mæchos tamen Græci non nisi adulteros dicunt. Sed utique ista Lex non solum viris in populo, verum etiam feminis data est. Neque enim quia dictum est, *Non concupisces uxorem proximi tui*, nihil hic sibi præceptum debet putare femina, et tanquam licite concupiscere virum proximæ suæ. Si ergo hic ex illo quod viro dictum est, intelligitur, quamvis non dictum sit, quod etiam ad feminam pertineat; quanto magis eo quod dictum est, *Non mæchaberis*, uterque sexus astringitur, cum et ipsum præceptum potest referri ad utrumque, sicut, *Non occides, Non furaberis*, et quæ alia similiter non expresso uno sexu utrique videntur sonare communiter? Tamen ubi unus exprimitur, honoratior utique exprimitur, id est masculinus, ut ex hoc intelligat etiam femina quid sibi præceptum sit. Ac per hoc si femina mæcha est, habens virum, concumbendo cum eo qui vir ejus non est, etiamsi ille non habeat uxorem; profecto mæchus est et vir habens uxorem, concumbendo cum ea quæ uxor ejus non est, etiamsi illa non habeat virum. Sed utrum, si faciat qui uxorem non habet, cum femina quæ virum non habet, ambo præcepti hujus transgressione teneantur, merito quæritur. Si enim non tenentur, non est prohibita in Decalogo fornicatio, sed sola mæchia, id est, adulterium: quamvis omnis mæchia etiam fornicatio esse intelligitur, sicut loquuntur Scripturæ. Dominus enim dicit in Evangelio: *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mæchuri* (Matth. v. 52). Hic utique fornicationem appellavit, si cum alio peccet quæ virum habet, quod est mæchia, id est, adulterium. Omnis ergo mæchia etiam fornicatio in Scripturis dicitur. Sed utrum etiam omnis fornicatio mæchia dici possit, in eisdem Scripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed si non omnis fornicatio etiam mæchia dici potest, ubi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri qui uxores non habent, cum feminis quæ maritos non habent, utrum inveniri possit, ignoro. Sed si furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit; sed utique a parte totum intelligi voluit, quidquid illicite rerum proximi auferitur); profecto et nomine mæchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.

Et quod dictum est, *Non occides*, non putandum est fieri contra hoc præceptum, quando lex occidit, vel occidi aliquem Deus jubet. Ille enim facit qui jubet, quando ministerium negare non licet.

In eo etiam quod dictum est, *Falsum testimonium non dices adversus proximum tuum*, quæri solet utrum prohibitum sit omne mendacium: ne forte non sit hoc præceptum adversus eos qui dicunt tunc esse mentiendum quando id mendacium prodest alicui, et nihil obest ei cui mentiris. Tale quippe non est *adversus proximum tuum*, ut ideo videatur hoc addidisse Scriptura, quæ posset breviter dicere, *Falsum testimonium non dices*, sicut dixit, *Non occides, Non mæ-*

*chaberis, Non furaberis.* Sed hinc magna quæstio est, nec a festinantibus commode explicari potest, quomodo accipiendum sit, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal. v. 7*); et, *Noli velle mentiri omne mendacium* (*Eccli. vii. 14*); et cætera hujusmodi.

LXXII. [Ib. xx, 18.] *Et omnis populus videbat vocem, et lampadas, et vocem tubæ, et montem fumantem.* Solet quæri quomodo populus videbat vocem, cum vox non ad visum, sed potius ad auditum pertinere videatur. Sed sicut modo dixi, Videatur, de omnibus quæ a me dicta sunt; sic, videre solet pro generali sensu poni, non solum corporis, verum etiam animi: unde et illud est, *Cum vidisset Jacob quia sunt esca in Ægypto* (*Gen. xlii. 4, sec. LXX*); unde utique absens erat. Quanquam nonnulli videre vocem nihil aliud esse arbitrati sunt quam intelligere, qui visus mentis est. Cum vero hic breviter dicendum esset quod populus videbat vocem et lampadas, et vocem tubæ ac montem fumantem, quæstio major oriretur quomodo audiebat lampadas et montem fumantem, quod pertinet ad sensum videndi. Nisi quis dicat, nec tam breviter dicendum fuisse; sed, ut totum diceretur, audiebat vocem, et videbat lampadas, et audiebat vocem tubæ, et videbat montem fumantem. Duo quippe genera vocis erant, et de nubibus, sicut tonitrua, et de tuba; si tamen ipsam dixit vocem quæ de nubibus edebatur. Ac per hoc melius in iis quæ ad sensum audiendi pertinebant, generalis sensus est positus, hoc est, videndi, cum breviter totum vellet Scriptura complecti, quam ut in iis quæ pertinent ad videndi sensum, subintelligeretur auditus: quo more loqui non solemus. Nam, Vide quid sonet, solemus dicere; Audi quid luceat, non solemus.

LXXIII. [Ib. xx, 19.] *Loquere tu nobis, et non loquatur ad nos Deus, ne quando moriamur.* Multum et solide significatur, ad Vetus Testamentum timorem potius pertinere, sicut ad Novum dilectionem: quamquam et in Vetere Novum lateat, et in Novo Vetus pateat. Quomodo autem tali populo tribuatur videre vocem Dei, si hoc accipiendum est intelligere, cum sibi loqui Deum timeant ne moriantur, non satis elucet.

LXXIV. [Ib. xx, 20.] *Et dixit eis Moyses, Constantes estote: propterea enim venit Deus ad vos, tentare vos ut sit timor ejus in vobis, ne peccetis.* Sic illi exhibendi fuerant a peccatis, utique timendo ne poenas sensibiles paterentur; quia nondum poterant amare justitiam: et in hoc erat illis tentatio a Domino, qua probabantur, ut appareret cujusmodi essent; non ut Deo noti fierent, quem non latebant qualescumque essent, sed ut inter se ac sibimet. Multum tamen istis terroribus Testamenti Veteris differentia commendatur, quod etiam in Epistola ad Hebræos aperissime dictum est (*Hebr. xii. 24-28*).

LXXV. [Ib. xx, 21.] *Moses autem intravit in nebulam, ubi erat Deus: id est, ubi expressiora fiebant signa, quibus cognosceretur Deus.* Nam quomodo in nebula erat, cui cæli cælorum non sufficiunt; nisi quemadmodum nusquam non est, qui in loco nullo est? <sup>1</sup>

<sup>1</sup> Editi, *deest*: pro quo omnes Mss., *est*.

LXXVI. [Ib. xx, 23.] *Non facietis vobis deos argenteos, et deos aureos non facietis vobis ipsis.* Repetitur quod in primo præcepto inculcatum est; et ex diis argenteis et aureis utique omnia simulacra intelliguntur, sicut in illo etiam psalmo, *Idola gentium argentum et aurum* (*Psal. cxiii. 4, et cxxxiv. 15*).

LXXVII. [Ib. xxi, 2.] Quæ de servo Hebræo præcipiuntur, ut sex annos serviat, et dimittatur liber gratis, ne servi Christiani hoc flagitent a dominis suis, apostolica auctoritas jubet servos dominis suis esse subditos, ne nomen Dei et doctrina blasphemetur (*Ephes. vi. 5, et I Tim. vi. 1*). Illud enim ex hoc satis constat in mysterio præceptum, quia et pertundi subula ejus aurem ad postem præcepit Deus, qui libertatem illam recusasset.

LXXVIII. [Ib. xxi, 7-11.] *Si quis autem vendiderit filiam suam famulam<sup>1</sup>, non abibit ita ut recedunt ancillæ. Quod si non placuerit domino suo, quam non annominavit eam, remunerabit eam. Genti autem exteræ non est dominus vendere illam, quoniam sprevit in ea. Quod si filio annominaverit eam, secundum justificationem filiarum faciet ei. Quod si aliam accipiet ei, quæ opus sunt, et vestem, et conversationem ejus non fraudabit. Si autem tria hæc non fecerit ei, exhibit gratis sine pretio.* Obscurissimum istum locum inusitata verba locutionesque fecerunt, ita ut interpretes nostri quemadmodum eum explicarent, pene non invenirent. In ipso quoque græco eloquio multum obscurum est quod hic dicitur. Tamen quid videatur, ut potero, aperiam.

*Si quis autem, inquit, vendiderit filiam suam famulam*, id est ut sit famula, quam οὐράνη Græci vocant: non abibit ita ut recedunt ancillæ, intelligendum est, non sic recedet, quomodo recedunt ancillæ Hebrææ post sex annos. Eam quippe oportet etiam in senectute Hebrææ legem datam intelligi, quæ servatur in mariibus. Cur ergo ista non ita recedet, nisi quia in illo famulatu intelligitur humiliata, quod ei se dominus miscuerit? Hoc quippe in consequentibus utcumque elarescit. Sequitur enim et dicit, *Quod si non placuerit domino suo, quam non annominavit eam*, id est non eam fecit uxorem: *remunerabit eam*, hoc est, quod supra dixit, *non abibit ita ut recedunt ancillæ*. Justum est<sup>2</sup> quippe aliquid accipere pro eo quod humiliata est; quia non ei se ita miscuit, ut faceret uxorem, id est, ut annominaret eam sibi. Hoc autem quod diximus, *remunerabit eam*, quidam interpretes dixerunt, *redimet eam*. Quod si in græco dictum esset ἀπολυτρώσει, scriptum esset sicut scriptum est, *Et ipse redimet Israel* (*Psal. cxxxix. 8*); nam et ἀπολυτρώσει scriptum est. In hoc autem loco ἀπολυτρώσει legitur, ubi intelligitur quod accipit magis aliquid, quam pro ea datur ut redimatur. Cui enim dabit dominus ejus, ut redimat quam ipse famulam possidet? *Genti autem exteræ non est dominus vendere illam, quia sprevit in ea*: id est, non quia sprevit in ea, ideo dominus est vendere illam, id est in tantum ei dominabitur, ut

<sup>1</sup> Sic Mss. constanter, juxta LXX. At editi, in *famulam*.

<sup>2</sup> Mss., *iusa est*.

eam extoræ genti eam licite vendat. Hoc est autem sprevit in ea, quod est sprevit in eam : sprevit eam autem, hoc est humiliavit eam, id est concubendo nec uxorem faciendo. Dixit autem græce *ἔστρεψεν*, quod nos diximus sprevit, quo verbo Scriptura nitur apud Jeremiam, *Sicut spernit mulier eum cui commiserat* (Jerem. iii, 20).

Deinde sequitur et dicit, *Quod si filio annominaverit eam, secundum justificationem filiarum faciet ei*. Hic jam apparere incipit quemadmodum supra dixerit, quam non annominavit. Nam quid est aliud, si filio annominaverit eam, nisi filio conjunxerit eam uxorem? quandoquidem dicit, *secundum justificationem filiarum faciet ei*, id est, ut sic tradat tanquam filiam, dotem scilicet apponens ei. Deinde adjungit, *Quod si aliam accipiet ei*, id est non istam deputaverit uxorem filio suo, sed ei aliam accipiat : quæ opus sunt, et vestem et conversationem ejus non fraudabit; dabit ei simili lege, quæ competunt, quoniam non mansit uxor filio ejus, quemadmodum ei daret, si eam sibi non annominasset, et tamen concubendo humiliasset. Quod autem nos diximus, *conversationem non fraudabit*, græcus habet *ἐκδύσει*, id est, locutionem, quo nomine intelligitur Scriptura honestius appellare concubitum. Quid est autem, Concubitum non fraudabit, nisi pro concubitu mercedem dabit? Namque apud Danielelem contra Susannam falsum testimonium dicentes seniores, *Venit, inquit, ad eam adolescens, qui erat in latenti absconditus, et concubuit cum ea*. Daniel autem de hoc ipso interrogans, ait, *Sub qua arbore vidisti eos colloquentes* : quod illi dixerant, *concubuit cum ea*. Deinde alterum arguens atque convincens dixit, *Semen Chanæan, et non Juda, species delectavit te, et illa concupiscentia evertit cor tuum : sic enim faciebatis filiabus Israel, sed illæ timentes acquiescebant vobis* (Dan. xiii, 57, 54-58). Græcus autem habet *ἐπιθυμῶν ἕως*, quod posset latine verbum e verbo dici, *Loquebantur vobis* : quo significaretur concubitus. Nam ubi dicitur, *Sub qua arbore comprehendistis eos*, græcus habet, *Comprehendistis eos colloquentes invicem* : et illic significatur concubitus.

Quod ergo de hac de qua agitur adjungit Scriptura, et dicit, *Si autem tria hæc non fecerit ei, exhibit gratis*, hoc intelligitur, Si eam ipse concubitu non humiliaverit, neque filio suo conjunxerit, neque alia a filio suo ducta istam ejecerit, *abibit gratis*, id est sufficet ei non teneri in servitute. Abibit enim nihil accipiens, ut servus Hebræus. Non enim licet domino ejus copulare illam viro non Hebræo, quam non licet extoræ genti tradi. Si autem servo Hebræo eam copulaverit, hoc atque intelligitur, quod cum eo gratis exhibit, nequaquam a marito separata.

LXXIX. [Ib. xxi, 12, 15.] *Si quis percusserit aliquem, et mortuus fuerit, morte moriatur. Qui autem nolens, sed Deus tradidit in manus ejus, dabo tibi locum in quem fugiat*. Quæritur hoc quomodo dictum sit, *Si autem nolens, sed Deus tradidit in manus ejus*; quasi etsi volens occiderit, posset occidere, nisi Deus traderet in manus ejus. Intelligitur ergo, tantummodo Deum fe-

cisse, cum quisque occiditur a nolente : et pro hoc quod tantummodo Deus id fecit, dictum est, *sed Deus tradidit in manus ejus*. Cum vero volens occidit, et ipso occidit, et Deus tradidit in manus ejus. Hoc ergo interest, quod illic tantum Deus fecit : hic autem et Deus et homo, propter voluntatem facientis; sed non sicut Deus homo. Deus enim non nisi juste, homo autem pœna dignus : non quia illum occidit quem Deus nollet occidi, sed quia per iniquitatem. Non enim ministerium Deo jubenti præbuit, sed suæ malignæ cupiditati servivit. In uno igitur eodemque facto et facta de occulta æquitate laudatur, et homo de propria iniquitate punitur. Non enim quia Deus proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (Rom. viii, 32), ideo Judas excusatus est, qui eundem ad mortem tradidit Christum. (Matth. xxvi, 48).

LXXX. [Ib. xxi, 22 25.] *Si autem litigabunt duo viri, et percusserint mulierem in utero habentem<sup>1</sup>, et exierit infans ejus nondum formatus; detrimentum patietur, quantum indixerit vir mulieris; et dabit cum postulatione*. Mihi videtur significationis alicujus causa dici hæc, magis quam Scripturam circa hujusmodi facta occupatam. Nam si illud attenderet, ne prægnans mulier percussa in abortum compelleretur, non poneret duos litigantes viros, cum possit et ab uno hoc admitti, qui cum ipsa muliere litigaverit, vel etiam non litigaverit, sed alienæ posteritati nocere volendo id fecerit. Quod vero non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profecto nec hominem deputavit quod tale in utero geritur. Hic de anima questio solet agitari, utrum quod formatum non est, ne animatum quidem possit intelligi, et ideo non sit homicidium, quia nec examinatum dici potest, si adhuc animam non habebat. Sequitur enim et dicit, *Si autem formatum fuerit, dabit animam pro anima*. Ubi quid aliud intelligitur, nisi, et ipse morietur? Nam hoc et in cæteris ex hac occasione jam præcipit, *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, combustionem pro combustionem, vulnus pro vulnere, livorem pro livore* : talionis videlicet æquitate. Quæ Lex ideo constituit, ut demonstraret quæ vindicta debeatur. Nisi enim per Legem sciretur quid vindictæ deberetur, unde sciretur quid venia relaxaret, ut dici posset, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*? (Id. vi, 12.) Debitoribus igitur Lege monstrantur, ut quando ignoscitur apparcat quid dimittatur. Neque enim debita dimitteremus, nisi quid nobis deberetur Lege indice discerneremus. Si ergo illud informe puerperium jam quidem fuerit, sed adhuc quodammodo informiter animatum (quoniam magna de anima questio non est præcipienda indiscussæ temeritate sententiæ), ideo Lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima viva in eo corpore quod sensu caret, si talis est in carne nondum formata, et ideo nondum sensibus prædita. Quod autem dicit, *Et dabit cum postulatione quod maritus mulieris, informi ex-*

<sup>1</sup> Ita melioris notæ vss. juxta LXX, et syriacam, chaldaicam, samaritanam atque arabicam versionem. At editi ferunt, et percusserit quis mulierem factam in utero habentem.

cluso, dandum constituerit, non est in promptu intelligere: *ἀτάρα* quippe, quod græcus habet, pluribus modis intelligitur, et tolerabilius cum *postulatione* dictam est, quam si aliud diceretur. Fortassis enim postulabit ut det, ut eo modo<sup>1</sup> satis Deo faciat, etiamsi maritus mulierve non expetat.

LXXXI. [lb. XXI, 28.] *Si autem cornu percusserit taurus virum aut mulierem, et mortuus fuerit, lapidibus lapidabitur taurus, et non manducabuntur carnes ejus; dominus autem tauri innocens erit.* Ad justitiam pertinet ut animal hominibus noxium perimatur, et quod de tauro positum est, a parte totum intelligendum est, quidquid in pecoribus usui humano subditis infestum est hominibus. Sed si necesse est occidi, numquid lapidari? Quid interest enim animal, quod auferendum est, quæ morte auferatur? Deinde quod addidit, carnibus ejus non esse vescendum, quo pertinet, nisi omnia ista significant aliquid, quod Scriptura maxime solet intueri?

LXXXII. [lb. XXI, 55.] *Si autem cornu percusserit alicujus taurus lauram proximi, et mortuus fuerit, venient taurum vivum, et partientur pretium ejus, et taurum qui mortuus fuerit dispersentur.* Numquid in solo tauro hæc justificatio servanda est, et non de omni pecori in tali caso? Poinde a parte totum et hoc intelligendum est: sed hoc de carnibus occisi pecoris fieri non potest, quæ non vescuntur.

LXXXIII. [lb. XXI, 1.] *Quæ justificatio est ut pro vitulo uno quinque reddantur, pro ove autem quatuor, nisi aliquid significare intelligatur?*

LXXXIV. [lb. XXI, 2.] *Si autem perfodiens inventus fuerit fur, et percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium. Si autem oriatur sol super eum, reus est; pro morte morietur.*<sup>2</sup> Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur: si autem diurnus, pertinere. Hoc est enim quod ait, *si oriatur sol super eum*. Poterat quippe discerni quod ad furandum, non ad occidendum venisset, et ideo non deberet occidi. Hoc et in legibus antiquis (a) sæcularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur, impune occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderit: jam enim plus est quam fur.

LXXXV. [lb. XXI, 9.] *Quid est, qui convictus fuerit per Deum, restituet duplo; nisi quia vult Deus aliquando signo dato prodere pejerantem?*

LXXXVI. [lb. XXI, 28.] *Deos non maledices.* Quæritur quos dixerit deos; utrum principes qui judicant populum, sicut dictum est de Moyse, quod datus fuerat deus Pharaoni (*Exod. VII, 1*): ut per expositionem sit dictum quod sequitur, velut ostendendo quos dixerit deos, ubi ait, *Et principem populi tui non maledices*: quod græcus habet, *non dices male*. An secundum illud

<sup>1</sup> Editiones Am. Er. et Lov., *postulabit ut de eo modo*. Rat. et septem Mss., *postulavit ut det eo modo*. Alii quinque Mss. probæ notæ, *postulabit ut det, ut eo modo*. Forte legendum, *postulabit iudex ut eo modo*. An potius negatione præfixa, *non postulabit ut det, ut eo modo*, etc.?

<sup>2</sup> In excusis, *et morte morietur*. In Mss., *pro morte morietur*: id est vicissim juxta græc. LXX, *ἀνταποθνήσκει*.

(a) Scilicet in XII Tabulis, e quibus hæc ipsa lex profertur in *Dei* in Orat. pro Milvae.

accipiendum est, quod Apostolus ait, *Nam etiam sunt qui dicuntur dii, sive in celo, sive in terra, sicuti sunt dii multi et domini multi* (I Cor. VIII, 5); addendo enim, *sicuti sunt*, deos intelligi voluit, qui digne etiam dicuntur: ita sane ut *λατρεία* quæ dicitur græce, et interpretatur latine servitus, sed ea quæ ad religionem pertinere intelligitur, non debeatur nisi uni Deo vero, qui nobis est Deus? Illi autem qui dicuntur dii, etiam si qui sunt qui merito dicuntur, prohibiti sunt maledici, non jussi sunt sacrificiis vel ullis latriæ obsequiis honorari.

LXXXVII. [lb. XXIII, 2.] *Non eris cum pluribus in malitia.* Ne se inde quisquam defendat, quia cum pluribus fecit, aut ideo putet non esse peccatum.

LXXXVIII. [lb. XXIII, 3.] *Et pauperis non misereberis in judicio.* Nisi addidisset, *in judicio*, magna esset quæstio. Sed intelligendum esset, etiam si scriptum non esset. Supra enim dixerat, *Non apponeris cum multitudine, declinare cum pluribus, ut declines iudicium*: ac per hoc, *Et pauperis non misereberis*, posset intelligi, *in judicio*. Sed cum additum est, nulla quæstio est hoc esse præceptum, ne forte cum iudicamus, videamus justitiam esse pro divite contra pauperem, et nobis recte facere videamur si contra justitiam pauperi faveamus causa misericordiae. Bona est ergo misericordia, sed non debet esse contra iudicium. Iudicium sane illud appellat Scriptura, quod justum est. Ne quis autem propter istam septentiam Deum putaret misericordiam prohibere, quod requirit, opportunissime sequitur: *Si autem obviaveris bovi inimici tui, aut subjugali ejus, errantibus, reducens redes ei: ut scias non te prohibitum facere misericordiam, fac etiam erga inimicos tuos, cum potestas est a iudicando libera; non enim cum reducis errantem bovem inimici tui et reddis, inter aliquos iudex resides.*

LXXXIX. [lb. XXIII, 10, 11.] *Sex annis seminabis terram tuam, et colliges fructum ejus; septimo autem anno remissionem facies, et requiem dabis illi: et edent pauperes gentis tuæ; quæ autem superabunt edent feræ bestiarum. Sic facies vineam tuam et olivetum tuum.* Quæri potest quid colligant pauperes, si septimo anno ita parcat terræ, ut nec seminetur quidem. Non enim ad vineam et olivetum pertinet quod dictum est, *Edent pauperes gentis tuæ*; quia de terra non seminata nihil possunt sumere, ubi segetes nasci non possunt: de vinea enim et oliveto postea dicit similiter esse faciendum; ac per hoc illud de arvis intelligitur, quæ frumentis serviunt. An sic accipiendum, *Sex annis seminabis terram tuam, et colliges fructus ejus*, hoc est, *Sex annis seminabis, et colliges*; septimo vero non colliges, ut intelligatur seminabis, etiamsi dictum non est: ut ad sex annos seminare et colligere pertineat, ad septimum vero dimittere quod fuerit seminatum? Nam quid inde habebunt pauperes, quorum residuum etiam feris bestiis dedit, eis videlicet quæ illis frugibus vesci possint, sicut sunt apri, et cervi, et si quid hujusmodi? Quod tamen non diceretur, nisi alicujus significationis gratia. Nam si quod attinet ad præcepta quæ hominibus data sunt, de bobus cura non est Deo (*Id. IX, 9*); quod non sic intelligitur, tanquam non

ipse pascit ea quæ nec seminant, nec metunt, neque congregant in horreum, sed quia ei curæ non est præcepto monere hominem, quomodo bovi suo consulat: quanto minus ei cura est de feris bestiis præcipere, quomodo illis ab hominibus consulatur, cum eas ipse pascit divitiis nature usquequaque fructifera, qui eas etiam per alios sex annos pascit, cum colliguntur quæ seminantur?

XC. [Ib. xxiii, 19.] *Non coques agnum in lacte matris suæ.* Quomodo intelligatur ad verborum proprietatem nescio utrum possit reperiri. Si enim alicujus significationis causa prohibitum acceperimus agnum in lacte coqui, nullus usus est ita coquendi. Si autem in diebus quibus lactatur, quis hoc habuit unquam Judæorum in observatione, ut agnum non coqueret, nisi cum desisteret sugere? Quid est autem in lacte matris suæ; quasi posset, etiamsi hoc intelligeretur, sine hujus præcepti transgressione coqui, si eo nato mortua matre ejus, ab ovis alia lactaretur? cum alicujus profecto rei significandæ causa esse præceptum nemo ambigat. Sed etiam illa quæ possunt observantia factitari, non sine causa ita præcepta sunt; significant enim aliquid. Hoc vero quomodo observetur ad proprietatem verborum aut non est, aut non elucet. Intellectum tamen de Christo approbo, quod hac prophetia prædictus est non occidendus a Judæis infans, quando Herodes quærens eum ut occideret, non invenit (*Math. ii, 13-16*); ut *coques* quod dictum est, pertineat ad ignem passionis, hoc est, tribulationem. Unde dicitur: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli. xvii, 6*). Quia ergo non est tunc infans passus, cum quærente Herode hujusmodi periculum imminere videretur, prædictum est his verbis, *Non coques agnum in lacte matris suæ.* Nihil quoque forsitan non absurdum est, quod alii dicunt, id esse præceptum per Prophetam, ne se boni Israelitæ sociarent malis Judæis, a quibus Christus passus est tanquam agnus in lacte matris suæ, id est, eo tempore quo conceptus est. Dicuntur enim feminæ ex quo conceperint, lac colligere: illo autem mense conceptum et passum esse Christum, et Paschæ observatio, et dies Ecclesiis notissimus nativitatis ejus ostendit. Qui enim mense nono natus est octavo calendæ januarias, profecto mense primo conceptus est circa octavum calendæ aprilis, quod tempus etiam passionis ejus fuit in lacte matris suæ, hoc est, in diebus matris suæ.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Accedit alia expositio in Questionum codice Corbeiensis ante annos circiter octingentos scripto reperta his verbis: *Est alius sensus facilior, Non coques agnum in lacte matris suæ; parvulus adhuc et lactentes, qualibus dicit Apostolus, Lac vobis potum dedi non escam, non mittes in præproperam passionem, tanquam Christo sit dictum, qui talibus adhuc discipulis peperit, pro quibus se offerens ait, Si ergo me queritis, sinite hos abire. Atque ut intelligeretur adhuc eos invalidos et minus idoneos fuisse passionem tanquam agnos in lacte matris, secutus ait Evangelista: Ut impleretur sermo quem dixerat, Quos dedisti mihi non perdidisti ex eis quemquam. Unde apparet eos, si tunc paterentur, fuisse perituros. Hoc enim tunc non passi sunt, quod postea passi sunt, non adhuc agni in lacte, sed jam arietes in grege. Sunt et alia quædam ad hanc expositionem præmissa in eodem codice, sed omnia profecto e margine in contextum per Stananensem translata. Nam absunt prorsus a cæteris quæ-*

XCI. [Ib. xxiii, 20, 21.] *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, ut servet te in via, ut inducat te in terram quam paravi tibi. Attende tibi, et exaudi eum, ne non credas illi: nihil enim subtrahet tibi; nomen enim meum est super eum. Hoc de illo nimirum intelligitur, cui nomen mutatum est, ut Jesus<sup>1</sup> vocaretur: ipse quippe introduxit populum in terrarum promissionis.*

XCH. [Ib. xxiii, 23-27.] *Et servies Domino Deo tuo; et benedicam panem tuum, et vinum tuum, et aquam tuam, et avertam infirmitatem a vobis. Non erit qui non generet, neque sterilis super terram tuam. Numerum dierum tuorum replebo. Et timorem mittam qui te antecedit; et amentes faciam omnes gentes in quas tu intrabis, etc.* Quamvis istæ promissiones possint et spiritualiter intelligi, tamen cum secundum temporalem hominum felicitatem intelligantur, ad Vetus Testamentum pertinent: ubi quanquam præcepta, exceptis his quæ in sacramento aliquid significant, eadem ad mores bonos pertinentia reperiantur, promissiones tamen carnales atque terrenæ sunt. Unde in psalmo septuagesimo secundo pene lapsos et effusos gressus suos homo Dei dicit, cum zelaret in peccatoribus pacem peccatorum intuens. Ea quippe cernebat abnoscere impiis, quæ ipse secundum Testamentum Vetus exspectabat a Domino Deo, cui hac mercede serviebat. Et cum hinc ei subrepere cœpisset sensus impius, quod Deum non curare existimaret humana, correptum se dicit, dum auctoritatem sanctorum non est ausus improbare, et incœpit cognoscere, et ait, *Hoc labor est ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, et intelligam in notissima* (*Psal. lxxii, 2-17*). Ibi enim præmia dabantur ad Novum pertinentia Testamentum, quæ impii non accipient: et pœnæ tunc futuræ sunt impiorum, quas nullus piorum sensurus est.

XCH. [Ib. xxiii, 28.] *Et mittam vespas ante te, et ejiciet<sup>2</sup> Amorrhæos, Evæos, Chananeos, et Chettæos a te.* Quæritur de his vespis quid intelligendum sit. Nam et promittit hoc Deus, et liber Sapientiæ dicit impletum, ubi ait: *Et misit antecessores exercitus sui vespas* (*Sap. xii, 8*). Non autem legitur factum, neque Moyse temporibus, neque sub Jesu Nave, neque sub iudicibus, neque sub regibus. Ac per hoc vespæ istæ aculei timoris intelligendi sunt fortasse, quibus agitabantur memoratæ gentes, ut cederent filiis Israel. Deus enim loquitur, in cujus sermone si figurate aliquid dicatur,

tionum codicibus: exstant vero in duobus nostris Mss. collectionis Egyptii, in uno quidem continua serie, at in altero cum ejusmodi præmonitione, *hinc jam ex alto opere S. Augustini quæ sequuntur adjecta sunt.* Itaque suspicatur Questionum exemplar illud, quo usus est scriptor codicis Corbeiensis primo laudati, habuisse ea quæ Eugjijus abbas, ætate Augustino prope æqualis, sua manu annotaverat sic enim in lib. 1, super Genes., quæst. 117, n. 3, ante illa verba, *Nulla tamen est facilior*, etc. descripsit ille in medio contextu, *Ab hinc scribendum*; quæ fuerat, uti opinor, annotatio Eugjij præcipientis exscribi sequentia, quæ hodieque in ipsius collectione repeririuntur.

<sup>1</sup> Am. Er. et Lov., *Israel* sed verius Mss. et Rat., *Jesus*: is est Josue.

<sup>2</sup> Er. et Lov., *ejiciam*; pro quo Mss. necnon Rat. et Am., *ejiciet*, scilicet, *vespa*: ubi a plurali numero fit transitus ad singularem, quænamadmodum explicatur in Locutionum lib. 2, locut. 107.

quod ad proprietatem non sit impletum, non impedit historię fidem, in qua perspicitur veritas narrationis. Sicut nec Evangelistarum narratio secundum proprietatem impeditur, si aliquid a Christo dicitur figurate.

XCIV. [Ib. xxiii, 33.] *Si servieris diis eorum, erunt tibi offendiculum.* Hic græcus δουλεύουσας habet, non λατρεύουσας. Unde intelligitur, quia et δουλεύει debetur Deo tanquam Domino, λατρεύει vero non nisi Deo tanquam Deo.

XCv. [Ib. xxiv, 1-3.] *Et Moysi dixit, Ascende ad Dominum tu, et Aaron, et Nadab, et Abiud, et septuaginta seniorum Israel: et adorabunt a longe Dominum; et accedet Moyses solus ad Dominum, ipsi autem non accedent: populus autem non ascendet cum illis. Introiit autem Moyses, et narravit populo omnia verba Dei et justificationes. Respondit autem omnis populus voce una dicentes, Omnia verba quę locutus est Dominus, faciemus, et audiemus.* Usque ad hunc locum Scripturę justificationes intelliguntur quę datę sunt populo ad observandum. Incipiunt autem quantum ipsa verba Scripturę indicant, unde hoc nomen justificationum exorsum est ab illo servo Hebręo cui auris ad postem pertunditur. In quibus omnibus justificationibus considerandum est, quę inde ad agendam vitam et morum bonorum conservationem duci possint. Multa quippe in eis sunt sacramenta significantia potius aliquid, quam vitam nostram instruentia. Justificationes sane latini interpretes eas esse dixerunt, quę gręci δικαιώματα appellant.

XCvi. [Ib. xxiv, 3.] Notandum est quod iterum populus ita respondet, *Omnia verba quę locutus est Dominus faciemus, et audiemus;* cum videatur ordo postulare ut diceretur, *audiemus, et faciemus.* Sed mirum nisi aliquis sensus hic latet. Nam si *audiemus*, pro eo positum est quod est intelligemus, prius oportet verbis Dei reddere faciendi servitatem, ut ad intelligentiam earum rerum quę ipso præcipiente sunt, merito devotionis, qua non contemptę, sed factę sunt, ipse perducatur. Sed videndum est, utrum iste populus illi filio similis inveniat qui patri iubenti dixit, *Ibo in vineam, et non iit* (Matth. xxi, 30). Genes enim quę Dominum penitus contempserunt, postea per unius obedientiam justificatę, quę non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam (Rom. ix, 30).

XCvii. [Ib. xxiv, 4.] Notandum quod *Moses edificavit altare sub monte, et duodecim lapides in duodecim tribus Israel.* Intelligitur enim ex duodecim lapidibus altare ædificatum, significasse ipsum populum esse altare Dei, sicut est templum Dei (II Cor. vi, 16.)

XCviii. [Ib. xxiv, 5.] *Et immolaverunt hostiam salutaris Deo.* Non dixit, hostiam salutarem, sed, *hostiam salutaris;* quod græcus habet σωτηριου. Unde in Psalmo, *Calicem, inquit, salutaris accipiam* (Psal. cxv, 13): non dixit, calicem salutarem. Ubi videndum est, ne forte ille significetur, de quo dixit Simeon, *Quoniam viderunt oculi mei salutarem tuum* (Luc. ii, 30). Hunc enim et Psalmus commendat ubi legitur, *Bene nuntiavit dñm ex die salutare ejus* (Psal. xcv, 2). Quid est

enim aliud, si diligentius attendamus, quod ait *dñm ex die*, nisi lumen ex lumine, hoc est Deum ex Deo, quod est unigenitus Filius?

XCix. [Ib. xxiv, 6, 7.] *Sumens autem Moyses dimidiam partem sanguinis, infudit in craterem, et partem reliquam sanguinis affudit ad altare: et accipiens librum Testamenti recitavit in aures populi.* Notandum est, nunc primum sacrificasse Moysen evidenter Scripturam dicere, ex quo ex Ægypto educto est populus. Primo enim de Jothor dictum erat socero ejus, quamvis cum aliqua ambiguitate, quod immolaverit Deo (Exod. xviii, 12). Et advertendum librum Testamenti cum sanguine hostię recitari, in quo libro illas justificationes conscriptas debemus accipere. Nam decalogum Legis in tabulis lapideis fuisse conscriptam postea manifestum est.

C. [Ib. xxiv, 7.] *Et dixerunt, Omnia quęcumque locutus est Dominus, faciemus, et audiemus.* Non aliter respondent ecce jam tertio.

CI. [Ib. xxiv, 9.] *Et ascendit Moyses, et Aera, et Nadab, et Abiud, et septuaginta seniorum Israel: et viderunt locum ubi steterat ibi Deus Israel.* Constat inter eos qui recte intelligunt, nullo Deum contineri loco, nec aliquo velut situ corporis membra ponere, sicuti est nostri corporis, sedere, jacere, stare, et si quid hujusmodi est. Hęc enim non sunt nisi corporum, Deus autem spiritus est (Joan. iv, 24). Quod ergo se ostendit specie corporali vel signis corporaliter expressis, non substantia ejus apparet, qua est ipse quod est, sed assumptio formarum visibilibus ejus omnipotentię subjacet.

Cii. [Ib. xxiv, 11, 10.] *Et de electis Israel non dissonuit nec unus: et apparuerunt in loco Dei, et manducaverunt, et biberunt.* Quis dubitet illos quos nominatim expressit, et septuaginta seniores, nunc appellatos electos Israel? qui procul dubio personam gerebant eorum qui electi sunt in populo Dei. Non enim omnium est fides (II Thess. iii, 2): et novit Dominus qui sunt ejus. In magna autem domo sunt alia vasa in honorem, alia in contumeliam (II Tim. ii, 19, 20). Quoniam ergo quos ante præscivit, et prædestinavit; quos autem prædestinavit, illos et vocavit; quos autem vocavit, ipsos et justificavit; quos autem justificavit, ipsos et glorificavit (Rom. viii, 30): profecto de electis Israel non dissonuit nec unus. Significantur autem quaternario numero in Moysen et Aaron et Nadab et Abiud, propter quatuor Evangelia, et totius orbis, qui in quatuor partes dividitur, promissionem: et septuaginta de senioribus Israel, numero scilicet septenario decuplato, qui pertinet ad significandum Spiritum sanctum. Sapphiro autem significatur vita cęlestis, maxime quia dictum est, *sicut aspectus firmamenti.* Firmamentum autem cęlum appellari quis nesciat? Et forma lateris in eodem sapphiro quadraturam ipsam, vel stabilitatem, vel ejusdem quaternarii numeri sacramentum figurat. Quod autem manducant et bibunt in loco Dei, suavitatem saturitatemque significat in illo regno æternitatis. Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur (Matth



v. 6) Unde et Dominus dicit venturos multos (quos utique, nihil electos, præscitos, prædestinatos, vocatos, justificados, glorificados?), et recubituros cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cælorum (*Matth. viii, 11*). Nam et alio loco ipse hoc promittit fidelibus suis, quod faciat eos recumbere, et transeat, et ministret eis (*Luc. xii, 57*).

CIII. [Ib. xxiv, 43.] Quid sibi vult quod Jesus Nave, non commemoratus in illis quatuor, subito cum Moyse apparet, et cum illo ascendit in montem ad accipiendas tabulas Legis; et subito rursus idem Jesus absconditur, id est tacetur; et Moyse accepit Legem in duabus tabulis, et cum eo iterum apparet? An forte significat Novum Testamentum nomine Jesu, et absconditum esse in Lege, et aliquando apparere intelligentibus? Quod vero Jesus jam vocatur, cum in libro Numerorum quando id nomen acceperit Scriptura testetur, cum jam prope esset ut terram promissionis intrarent (*Num. xiii, 17*), per prolepsim, hoc est per præoccupationem anticipat Scriptura quod postea factum est. Omnia quippe ista posteaquam facta sunt, scripta sunt; ac per hoc quando factum est quod modo commemoratur, nondum vocabatur Jesus, sed quando scriptum est jam hoc vocabatur.

CIV. [Ib. xxv, 11, 12.] *Et facies in ea cymatia aurea versatilia in circuitu.* Cymatia dixit, quæ in quadratura existant per quatuor partes, sicut mensæ quadræ fieri solent. Nec quod ait *versatilia*, mobilia debemus accipere. Fixa sunt enim, sicut dixi mensas habere solitas: sed *versatilia* dixit, tortilia, quæ græcè vocantur *στρεπτά*; vel canalibus, sicut sunt columnæ tortiles; sicut implicatis duabus virgulis in modum restis, sicut etiam torques fieri solent. Quod autem ait, *Et fabricabis illi quatuor annulos aureos, et impones super quatuor latera; duos annulos in latus unum, et duos annulos in latus secundum*; ad quatuor angulos occurrunt quatuor annuli singuli in singulis, et per angulorum numerum sit ut quod in duobus lateribus ponitur, in omnibus quatuor ponatur. Unus enim angulus duobus lateribus communis est: alioquin non occurrit ut bini annuli ponantur per quatuor latera, cum sint quatuor annuli; octo quippe esse debuerunt, si aliter intelligimus, quam quod dixi fieri numero angulorum. Ad hoc enim annuli in angulis ponuntur, quo inducantur subportatoria vel gestatoria, quibus arca a quatuor hominibus hinc atque inde portetur.

CV. [Ib. xxv, 17.] Propitiatorium quid dicat superimponendum super arcam, quæri solet: sed cum aureum fieri jubeat, ejusque longitudinem et latitudinem tantam exprimat, quanta et ipsius arcæ dicta est, procul dubio velut tabulam auream tantæ formæ fieri præcipit, qua tegetur arca; ita ut in ipso propitiatorio essent duo Cherubim, hinc atque inde alterutrum attendentes, ita ut vultus eorum in propitiatorium essent, et pennis suis obumbrarent propitiatorium: quod magnum est sacramentum. Aurum quippe significat sapientiam, arca significat secretum Dei. In arca jussa sunt poni Lex, et manna, et virga Aaron: in Lege præcepta sunt, virga potestas significatur,

manna gratia; quia nisi cum gratia non est potestas præcepta faciendi. Verumtamen quia Lex a quovis proficiente non ex omni parte completur, propitiatorium est desuper. Ad hoc enim opus est ut propitius sit Deus, et ideo desuper ponitur, quia superexultat misericordia judicio (*Jacobi ii, 13*). Duo vero Cherubim pennis suis obumbrant propitiatorium, id est, honorant velando; quoniam mysteria ista ibi sunt: et invicem se attendunt, quia consonant; duo quippe ibi Testamenta figurantur: et vultus eorum sunt in propitiatorium, quia misericordiam Dei, in qua una spes est, valde commendant. Denique hinc se promisit locuturum Deus ad Moysen de medio Cherubim desursum propitiatorii. Porro si creatura rationalis in multitudine scientiæ, quoniam hanc interpretationem habent Cherubim, duobus ipsis animalibus significatur; ideo duo sunt, ut societatem charitatis commendent; ideo pennis suis propitiatorium obumbrant, quia Deo non sibi tribuunt pennas suas, id est, Deum honorant virtutibus, quibus præstant: et vultus eorum non sunt nisi in propitiatorium, quia cuicumque profectui ad multitudinem scientiæ spes non est, nisi in Dei misericordia.

CVI. [Ib. xxv, 27.] Quod ait, *Erunt annuli in thecis subportatoriis ad tollendam mensam*, hoc intelligendum est, quod annuli essent velut thecæ subportatoriolorum; id est, quo subportatoria tanquam in thecas inducantur. *Erunt quippe in thecis*, ita dictum est, tanquam diceretur, *Erunt pro thecis*.

CVII. [Ib. xxvi, 1.] Decem aulæorum jubet fieri tabernaculum, cum sit decalogus Legis. Aulæa vero significant latitudinem, propter facilitatem. Caritas quippe plenitudo Legis est (*Rom. xiii, 10*): et non nisi charitati sunt præcepta facilia: unde ipsa dilatatio commendatur, cum dicitur, *Dilatasti gressus meos subtilis me, et non sunt infirmata vestigia mea* (*Psal. xvii, 37*). Sed quoniam ista dilatatio per gratiam fit Dei; caritas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, non per nosipsos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom. v, 5*); ideo hic mystice ipse numerus etiam commendatur, qui pertinet etiam ad Spiritum sanctum, per quem Lex possit impleri. Dicitur enim aulæum longitudinem habere debere in cubitis viginti octo. Iste autem numerus, quia per septenarium dividendus est, significavit, cum dicit latitudinem aulæi in cubitis quatuor. Quater enim septem sunt viginti octo. Et est etiam iste numerus perfectus; quia sicut senarius, suis partibus constat. Quod vero tam sæpe dicit, *Cherubim facies ea opere textoris, quid aliud quam in his omnibus multitudinem scientiæ commendat, quod interpretatur Cherubim?*

CVIII. [Ib. xxvi, 7.] *Et facies vela capillacia operire super tabernaculum; undecim vela facies ea.* Quæ capillacia vela sunt, id est cilicina, undecim dicuntur

<sup>1</sup> Apud LXX, *eis thêkas tois anaphorêuzai*. Legendum ergo, *in thecas*, licet codices omnes habeant, *in thecis subportatoriis*: nempe familiari vitio librariorum, qui rursus infra easdem voces casu et genere conciliandas invicem putarunt; nam legebatur in hactenus editis, *velut thecæ subportatoriæ* ubi ex Mss. aliquot reposuimus, *subportatoriolorum*.

esse. In peccatis quippe transgressio est. Transgressio vero undenario numero significatur, quoniam transgreditur denarium, hoc est Legem: ideo ipsa undecim per septenarium multiplicata, faciunt septuaginta septem; ubi significavit Dominus universam remissionem peccatorum, dicens, *Non solum septies, verum etiam septuagies septies* (Matth. xviii, 22): quot generationes reperiantur, cum Lucas a baptismo Domini enumerans sursum versus ascendit, et pervenit per Adam usque ad Deum (Luc. iii, 25-38). Ad hoc enim sit significatio peccatorum in lris velis, ut per confessionem exprimentur, et per gratiam quæ data est Ecclesie aboleantur, hoc est tegantur: unde dicitur, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (Psal. xxxi, 4). Deinde jubet ea vela cooperiri pellibus arietinis rubricatis. Aries autem rubricatus, cui non occurrat Christus passione cruentatus? Significantur his etiam martyros sancti, quorum orationibus propitiatur Deus peccatis populi sui. Ipsis denique superjaciuntur pelles hyacinthinæ, ut significetur vita æterna viriditate, tanquam vigore perpetuo.

CIX. [Ib. xxvi, 17.] *Facies duos anconiscos columnæ unæ consistentes ex adverso*: hoc est, unum hinc, et unum inde, de lateribus columnæ. Anconiscos autem dicit, quos vulgo vocamus ancones, sicut sunt in columnis cellarum vinariarum, quibus incumbunt ligna quæ cupas ferunt. Ducta est autem similitudo verbi a cubitis, ubi flectuntur manus, quibus incumbunt recumbentes, qui græce ἀγκύνας vocantur.

CX. [Ib. xxvi, 21.] *Bases columnarum duas uni*. Bases non eas tantum videtur dicere Scriptura, quibus columnæ ab imo fulciuntur; sed etiam superiores, quæ capitella nos dicimus. Ideo dicit, *duas bases columnæ uni in ambobus partes ejus*. Nam quæ sunt ambæ partes, nisi inferior et superior?

CXI. [Ib. xxvi, 25.] Quod octo columnas et bases earum sexdecim secundum supradictam rationem a posterioribus tabernaculi Scriptura dicit, cum superius sex dixerit, intelligitur annumeratis duabus angularibus octo fieri.

CXII. [Ib. xxvi, 33.] *Et dividet vobis velamen inter medium sanctum, et inter medium sanctum sanctorum*: id est, ut inter sanctum et sanctum sanctorum sit hoc velamen, de quo nunc loquitur, in quatuor columnis extantum. De hac differentia inter sanctum et sanctum sanctorum ad Hebræos Epistola loquitur (Hebr. ix, 1-12): quia ubi Arca testimonii, ibi sanctum sanctorum, hoc est, intus ultra velum: foris autem mensa et candelabrum, et cætera quæ paulo ante dixit quemadmodum fierent, sancta dicta sunt, et non sancta sanctorum. Et significatur foris Vetus Testamentum, intus autem Novum, cum sit utrumque in lectione Veteris Testamenti, et expressum operibus, et significatione figuratum. Ac per hoc in sanctis figura est figuræ, quia figura est Veteris Testamenti: in sanctis autem sanctorum figura est ipsius veritatis, quia figura est Novi Testamenti. Totum quippe Vetus Testamentum in his rebus et celebrationibus, quæ ita observanda præcipiuntur, figura est.

CXIII. [Ib. xxvii, 1, 2.] De altari quaeritur quomodo tribus cubitis altum esse voluerit, cum tanta fere sit staturæ hominis altitudo. Quomodo ergo ministrabatur altari, cum gradus habere altare alio loco prohibeat? *Ne pudenda, inquit, tua reveles super illud* (Ezoq. xx, 26). Sed illic dicebat de altari quod terra vel lapidibus construendum esset, ubi gradus ipsi coaditicati ad corpus altaris utique pertinerent: nunc vero de tabulis fieri altare præcipit, quo si appoveretur ad horam ministratio aliquid ubi staret minister altaris, et peracto ministerio tolleretur, ad corpus altaris non utique pertineret. Item quaeritur quomodo super altare ligneum sacrificium quod inferelatur, possit incoudi: præsertim quia concavum fieri jubet, et craticulam deponi usque ad medium ejus, id est medium concavitate ejus, opere factum reticulato. An quoniam dixit, *Et facies cornua in quatuor angulos, ex seipso erunt cornua, et teges illa æramento*, non ad sola cornua referendum est quod ait, *teges illa æramento*, sed ad omnia de quibus loquebatur, de altari fabricando præcipiens?

CXIV. [Ib. xxviii, 5.] *Et tu loquere omnibus sapientibus mente, quos replevi spiritu intellectus: et ceteris*; quidem græcus habet, quem latine sensum, non intellectum dicere solemus; sed Scriptura de sensu interiore, quem intellectum vocamus, sic loqui solet, sicut est ad Hebræos, *Perfectorum est autem solidus cibus, eorum qui per habitum exercitatos habent sensus ad discernendum bonum et malum* (Hebr. v, 14). Ibi enim quod posuit sensus, græcus habet αἰσθησις. Quem ergo istum spiritum, nisi Spiritum sanctum debemus accipere?

[Ib. xxviii, 4.] *Et stolæ quas facient, pectoralem, humeralem, et tunicam tularem, et tunicam cum corymbis*. Has appellatas stolæ esse et cætera, cum superius unam stolam faciendam proposuisset, notandum est. Tunicam vero cum corymbis honestius putarunt latini interpretes dici, quam si dicerent cum cirris, qui bene dispositi ornamento esse vestibus solent.

CXV. [Ib. xxviii, 4, 16, 9, 10.] *Aspidiscas in veste sacerdotali quas dicat? utrum scutulas, quæ a scuto latine appellantur, quia et Græci scutum ἀσπίδα appellant? an vero aspidiscas propter diligenter colligandum dicit ab aspidē serpente, sicut etiam muræ nule<sup>1</sup> appellantur? Spithamis<sup>2</sup> autem longitudo, et spithamis latitudo: Latini quidam interpretati sunt, mensuram extentæ palmæ a fine pollicis usque ad finem digiti minimi. Item quod dicitur, *Sumes duos lapides ony-**

<sup>1</sup> Edidi, *tunicam cum cornibus*: Item infra, *cum cornibus honestius putarunt*, etc. Mirum sicut visum est illi honestius dici. Porro mss. constanter habent, *cum corymbis*: quo proprie vocabulo significantur hederarum racem, ex Plinio, lib. 16, cap. 34; et ex Servio, ad illud Virgil. Eclog. 3, v. 30:

Diffusus hedera vestit pallente corymbus.  
Græca versio LXX habet hic, *chlōna corambōton*, id est vestem fimbriatam, seu potius cirtatam, aut cum cirris, ut insinuat Augustinus.

<sup>2</sup> Apud Rat. et antiquiores mss., *muræne*.

<sup>3</sup> Ita in mss. At in excusis, *spithamis*: licet apud LXX sit in genitive casu, *spithamês*. Eadem voce utuntur in Isai., cap. 40, v. 12, quam Hieronymus in eum locum sic interpretatur: *c. spithamês*, inquit, id est palmæ, extentam significat manum a pollice usque ad extremum digitum.

rhinas, et sculpsit in eis nomina filiorum Israel; sex nomina in lapide uno, et sex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum, an intelligendum, ut lapides sint de nominibus filiorum Israel secundum natiuitates eorum, id est secundum ordinem quo nati sunt?

CXVI. [Ib. xxviii, 22.] *Et facies super rationale fimbrias complectentes opus catenatum de auro purro.* Quod Latini rationale interpretati sunt, inopia linguæ fecit. Græcus enim habet λογιον, non λογισόν. Rationale autem illud solemus appellare, quod Græci dicunt λογισόν. Sed quoniam λογος in græca lingua ambiguum est, utrum verbum significet, an rationem, quia utriusque rei nomen est; ubi putatum est a verbo dictum λογιον, eloquium nostri interpretati sunt: nam quod habemus, *Eloquia Domini, eloquia casta* (Psal. xi, 7), Græci habent λογία: hic vero in veste sacerdotali, quod ex auro et hyacintho et purpara et cocco duplici torto et bysso duplici torta fieri præceptum est quadratum duplex, quod esset in pectore sacerdotis, et λογιον vocaretur, incertum utrum a ratione an a verbo ductum fuerit, interpretes nostri magis a ratione dictum putantes rationale appellaverunt.

CXVII. [Ib. xxviii, 30.] *Et impones super rationale iudicii demonstrationem et veritatem.* Quid sibi hoc velit, vel in quali re vel metallo poneretur super rationale demonstratio et veritas, quoniam talia dicit fieri in veste sacerdotis, quæ corporaliter sunt, inuenire difficile est. Fabulantur tamen quidam lapidem fuisse, cuius color, sive ad aduersa, sive ad prospera mutaretur quando sacerdos intrabat in sancta: et hoc esse quod ait, *Et auferet Aaron iudicia filiorum Israel super pectus*; ostendens videlicet in illa demonstratione et veritate, quid de illis iudicaverit Dominus. Quanquam possit intelligi demonstrationem et veritatem litteris impositam super λογιον.

CXVIII. [Ib. xxviii, 31.] *Et facies tunicam talarem hyacinthinam; id est, usque ad talos dependentem. Et erit peristomium ex ea medium, id est, quæ caput eiciatur: hoc est enim quod Græci dicunt περιστόμιον. Oram habens in circuitu peristomii, opus textoris, communisquam contextam; id est, ne ipsa ora extrinsecus assuatur: hoc videtur dicere, commissuram contextam. Unde etiam addidit, ex ipsa, ut ne rumpatur; id est, ut ex se ipsa sit ipsa ora contexta cum veste.*

CXIX. [Ib. xxviii, 35.] *Et erit Aaron cum aperit fangi sacerdotio, audietur vox ejus intranti in sanctum in conspectu Domini et exeunti, ut non moriatur: intrantis et exeuntis vocem de tintinnabulis dixit audiri, tantumque ibi pondus observationis posuit, ut diceret, ne moriatur. Testimonia ergo quædam significari voluit in veste sacerdotali, qua utique significatur Ecclesia, per hæc tintinnabula, ut nota sit conversatio sacerdotis: sicut Apostolus dicit, Circa omnes te ipsum bonorum operum præbens exemplum* (Tit. ii, 7); aut illud, *Quæ audisti a me per multos testes,*

<sup>1</sup> In Mss. post vocem, *minimè*, proxime subsequitur: *Et lapides sint de nominibus filiorum Israel secundum natiuitates eorum.* Qui est Exod., cap. 36, v. 21: nisi quod LXX habent kata onomata, ubi Augustinus videtur legisse kata genèmata.

<sup>2</sup> Causæ et Vatic. Mss., ut sunt.

hæc eadem commenda fidelibus, et iis qui idonei sunt et alios docere (II Tim. ii, 2.) An quid aliud magnum tamen est, quidquid illud est, *Intrantis autem et exeuntis*, pro intrantis et exeuntis; locutio est. Vox pro sonitu; nam tintinnabulorum magis sonus vox est.

CXX. [Ib. xxviii, 36-38.] *Et facies laminam auream puram, et formabis in eadem formationem signi, sanctitatem Domini; et impones illud super hyacinthum auplicem tortam; et erit super mitram: secundum inspectum mitræ erit; et erit supra frontem Aaron. Et auferet Aaron peccata sanctorum quæcumque sanctificabunt filii Israel, omnis dati sanctorum eorum.* Quomodo formetur in lamina sanctitas Domini, non video, nisi aliquibus litteris, quas quidam quatuor esse dicunt hebræas, quod, ut Græci appellant, τετραγράμματος nomen Dei ineffabile credunt fuisse, vel esse adhuc usque. Sed quælibet sint, vel quomodolibet se habeant illæ litteræ, ut dixi, sanctitatem Domini, vel sanctificationem, si hoc magis dicendum est, quod græcus habet ἀγλασμα, non nisi litteris in auro formari potuisse crediderim. Ibi autem dicit sacerdotem sanctorum auferre peccata, *Quæcumque sanctificabunt*, inquit, *filii Israel omnis dati sanctorum eorum*: quod arbitrator dictum in eis sacrificiis quæ offerunt pro peccatis suis; ut non sanctorum hominum intelligamus, sed sanctorum ab eo quod sunt sancta quæ offeruntur pro peccatis. Cum ergo de lamina dixisset, adiunxit atque ait, *Et auferet Aaron peccata sanctorum, quæcumque sanctificabunt filii Israel omnis dati sanctorum eorum*: id est, sacerdos auferet quæcumque offerunt pro peccatis suis, quæ dicuntur et sancta, quia sanctificantur, et peccata, quia pro peccatis offeruntur; sicut multis locis hoc ipsum evidenter Scriptura commemorat. Quod autem adiungit et dicit, *Et erit super frontem Aaron semper acceptum illis in conspectu Domini*, ad laminam illam revertitur; in qua intelligitur frontis ornamentum, fiducia bonæ vitæ, quam qui vere perfecteque, non significatione, sed veritate sacerdos habet, solus potest auferre peccata, nec habet necessitatem offerre pro suis.

CXXI. [Ib. xxviii, 41.] De Aaron et filiis Aaron cum præciperet, loquens ad Moysen, quomodo vestirentur, et ungerentur, quid est quod ait, *Et implebis manus eorum, ut sacerdotio fungantur mihi?* An forte muneribus, quæ offerenda sunt Deo?

CXXII. [Ib. xxviii, 42.] *Et facies eis femoralia linea tegere turpitudinem corporis eorum; a lumbis usque*

<sup>1</sup> Am. Fr. et Lov.: *Et formabis in eadem formatione sanctitatem Domini.* Mss. quinque, *in ea deformationem signi, sanctitatem* etc. Alii duo et Vat., *in ea deformationem signis, sanctitatem*, etc. Nonnulli, *in eadem formationem signi*, etc. Porro legitur apud LXX: καὶ ἐκτεπέδεις ἐναυθ ἐκτεπέδαις ἁγίασμα κυρίου.

<sup>2</sup> Editi, *et auferat*: pauloque post, *omnis datus sanctorum eorum.* Reposuimus ad Mss. hædem, *et auferet*; tamquam, *omnis datus*: quæ etiam lectio est LXX.

<sup>3</sup> Removimus hinc verba quædam in melioris notæ Mss. non reperta. Nempe sic in editis habebatur: *Ad laminam hanc revertitur. in quo advertendum si inveniri potest, qui non habeat necessitatem pro suis offerre peccatis præter Christum, qui solus potest omnium auferre peccata: intelligitur frontis ornamentum.*

<sup>4</sup> Mss. nostri constant. coloris. Græcaversio LXX, χρῶμα.

ad femora erunt. Cum vestis tanta cooperiat totum corpus, quid est quod ait, *Femoralia facies linea tegere turpitudinem corporis eorum*, quasi apparere possent tanta desuper veste adhibita? Nisi quia signum esse voluit in hoc castitatis vel continentix: quæ ideo per indumentum significatur, ut non a scipso habita, sed data intelligatur.

CXXIII. [Ib. xxix, 8, 9.] Cum de filiis Aaron loqueretur: *Et indues eos*, inquit, *tunicas, et cinges eos zonis, et circumdabis eis cidaras*. Quam dicat cidarim vel cidaras, quoniam non est interpretatum, nec in usu modo est, ignoratur: puto tamen non esse capitis tegumen, ut nonnulli putaverunt. Neque enim diceret, *circumdabis eis*, nisi tale aliquid esset, quod non capiti, sed corpori usui esset.

CXXIV. [Ib. xxix, 9.] *Et erit illis sacerdotium mihi in sempiternum*. Quomodo dicat *in sempiternum*, de his significativis rebus, superius sæpe diximus. Nam utique mutatum est hoc sacerdotium, ut illud esset in æternum secundum ordinem Melchisedec, non secundum ordinem Aaron. Ibi enim et juratio, et nulla Dei pœnitudo, qua significetur mutatio. *Juravit enim Dominus, et non pœnitebit eum, Tu es*, inquit, *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec* (Ps. cix, 4). De ordine autem Aaron dictum est quidem *in sempiternum*, vel propter tempus non præceptum quousque observaretur, vel quod res significaret æternas: nusquam est tamen dictum de sacerdotio Aaron, quia juravit Dominus et non pœnitebit eum. Et ideo dictum est in illo sacerdotio secundum ordinem Melchisedec, *Non pœnitebit eum*, ut significaretur, quia de sacerdotio Aaron pœnituit eum, id est, mutavit illud.

CXXV. [Ib. xxix, 9.] Quid est, *Et consummabis manus Aaron, et munus filiorum ejus*? An per manus potestatem significavit, ut aliquid etiam ipsi consecrare possent: potestas antem ipsa sanctificatione consummabatur, qua præcepti sunt sanctificari a Moysse?

CXXVI. [Ib. xxix, 10.] *Et adduces vitulum ad osium tabernaculi testimonii, et superimponent Aaron et filii ejus manus suas super caput vituli in conspectu Domini*. Ecce unde supra dictum est, consummandas esse manus eorum, id est, perficiendam potestatem, ut etiam ipsi sanctificarent, quod modo fit, cum ponunt manus suas super vitulum immolandum.

CXXVII. [Ib. xxix, 18.] Quod odor suavitatis Domino sæpe dicitur sacrificium de victimis pecorum in Scripturis sanctis, non utique Deus odore fumi illius delectatur; sed tantum illud quod his significatur spiritualiter Deum delectat cum spiritaliter exhibetur, quoniam ipse odor Dei spiritaliter intelligitur. Non enim sicut nos odorem corporeis naribus ducit. Sicut ergo ille olefacit, sic ista significant.

CXXVIII. [Ib. xxix, 26.] *Et sumes pectusculum de ariete consummationis, quod est Aaron*; id est, hujus Aaron. Hoc enim pertinere voluit ad summum sacerdotem.

<sup>1</sup> Editi, id est, ipsius Aaron. At Mss., hujus: quo articulo significat Augustinus nomen Aaron hoc Exodi loco poni in genuendi casu.

CXXIX. [Ib. xxix, 28-30.] *Et erit Aaron et filiis ejus legitimum æternum a filiis Israel: cum diceret de pectusculo et brachio victimarum. Mox illo ergo æternum dixit, quem sæpe supra commemoravimus.*

*Et stola sancti, quæ est Aaron, erit filiis ejus post eum, ungere eos in ipsis, et consummare manus eorum. Septem diebus vestiet se ea sacerdos qui successerit ei de filiis ejus, qui intrabit in tabernaculum testimonii deservire in sanctis.* Hæc verba multas quæstiones habent. Nam primum hic notandum est, quomodo cum *stolam dixerit sancti*, postea pluraliter dicit *ungere eos in ipsis*, tanquam in stolis. Nam et supra multas stolas eas dixerat, quibus una constaret. Quanquam ambiguum sit utrum *in ipsis* ab eo quod sunt ipsa genere neutro, quæcumque sunt quibus illa stola completeret, id est vestis sacerdotalis: quod magis putandum est, ex eo quod in consequentibus dicit, *Septem diebus vestiet se ea sacerdos qui successerit ei*; ea scilicet omnia quæ commemoravit, cum vestem sacerdotalem describeret. Repetivit sane quod supra dixerat, *consummare manus eorum*: unde quid mihi videretur exposui (Supra, quæst. 125). Quod vero ait, *Septem diebus vestiet se ea sacerdos*, nunquid aliis diebus se non vestiet? Sed illis septem continuis intelligi voluit, quibus ejus sacerdotium quodammodo dedicatur, atque hebdomadis est in ejus inchoatione festività. Successorem autem Aaron eum dicit, *qui intrat in tabernaculum testimonii, deservire in sanctis*: eum scilicet significans, qui non poterat esse nisi unus, non quales erant et filii Aaron cum vivo patre suo, sed qualis successor ipsius Aaron. Quomodo ergo propriam dicit hujus unius esse, *intrare in tabernaculum testimonii, deservire in sanctis*, cum et ista quæ sunt extra velum, quo velantur sancta sanctorum, sancta appellentur, et tabernaculum testimonii etiam illud vocetur, ubi sunt sancta, id est mensa et candelabrum: ubi cum deserviant et sequentes sacerdotes ad mensam et candelabrum et ipsum altare, quomodo unum dicit successorem Aaron, qui *intret in tabernaculum testimonii deservire in sanctis*? Si enim dixisset, *Deservire in sanctis sanctorum*, nulla esset quæstio. Ad hæc enim, ubi est arca testimonii, solus unus intrabat summus sacerdos: quod etiam in Epistola ad Hebræos diligentissime commendatur. Nisi forte eo ipso quod unum dicit *intrare in tabernaculum testimonii, deservire in sanctis*, non vult utique intelligi, nisi in sanctis sanctorum; quia et ipsa utique sancta appellantur. Non enim omnia quæ sancta sunt, etiam sancta sanctorum dici possunt: illa vero quæ sunt sancta sanctorum, procul dubio utique sancta sunt. Unus autem iste qui semel in anno intrabat in sancta sanctorum, quoniam Dominum Christum significabat, apertissime supradicta ad Hebræos Epistola commendatur (Hebr. ix, 7-11). Quod autem præfiguratum est in sancto sanctorum, ut super arcam quæ Legem habebat, esset propitiatorium, ubi Dei misericordia significari intelligenda est, qua propitius sit eorum peccatis<sup>1</sup> qui Legem non implent; hoc nulli videtur

<sup>1</sup> Am. Er. et Lov.: *Misericordia significatur, intelligendum*

etiam in ipsa veste sacerdotis significari : nam et ipsa quid aliud quam Ecclesiæ Sacramenta significat? Quod in *scylap*, id est rationali in pectore sacerdotisposito judicium constituit, in lamina vero sanctificationem et ablationem<sup>1</sup> peccatorum : tanquam rationale sit in pectore simile arcæ in qua Lex erat, et lamina illa in fronte, similis propitiatorio quod super arcam erat, et ut utrobique servaretur quod scriptum est, *Superexsultat misericordia judicio (Jacobi, II, 13)*.

CXXX. [Ib. xxix, 37.] Quid est quod purificatum et sanctificatum altare septem diebus dicit quod *sanctum sancti erit*? Altare non quidem dicit sanctum sanctorum, sicut est illud quod velo separatur, ubi est arca testimonii : verumtamen et hoc altare extra velum positum, per sanctificationem septem dierum dicit potius, quam<sup>2</sup> per unctionem fieri sanctum sancti. Et addit, *Omnia qui tetigerit altare, sanctificabitur*.

CXXXI. [Ib. xxx, 3, 4.] Cum de annulis loqueretur altaris incensi, quod altare non inærari, sed inaurari jussit, *Et duos annulos aureos puros facies*, inquit, *sub tortili corona ejus, in duo latera facies in duobus lateribus* : quoniam græcus habet, *εἰς τὰ δύο κλίτη ποσὶστος ἐν τοῖς δύο κίονοις*. Nam κλίτη latera sunt, et κίονοι latera sunt. Unde quidam Latini sic interpretati sunt, *In duas partes facies in duobus lateribus*. Non autem ait Græcus *μέρη*, quod est partes, sed κλίτη, quod latera. Nam hoc verbum est in illo psalmo, ubi scriptum est : *Uxor tua sicut vinea fertilis in lateribus domus tuæ (Psal. cxxvii, 3)*. Ac per hoc tantum casus interest, quia prius accusativum, post vero ablativum posuit, *In duo latera facies, in duobus lateribus*. Quis autem sit sensus difficile est assequi; nisi forte, ut solet Scriptura amare ellipsim, ut aliquid desit et subaudiatur, etiam hic subaudiatur, *Erunt* : ut iste sit sensus, *In duo latera facies, in duobus lateribus erunt*; id est, ad duo latera facies annulos, quoniam in duobus lateribus erunt.

CXXXII. [Ib. xxx, 4.] *Et erunt arcus amittibus (a) ita ut tollatur illud in eis*. Quos annulos dixerat, arcus dicit. Annulos quippe pro rotundis ansis posuit. Et quid est aliud annulus vel circulus, nisi undique arcus? Ideo quidam nolentes arcu dicere, thecas interpretati sunt, quibus amites inducerentur, dicentes, *Et erunt thecæ amittibus*; quasi græcus hoc non posset dicere, cum etiam thecæ græcum verbum sit : dixit autem *ἄμμιτες*, quod arcus interpretatur.

CXXXIII. [Ib. xxx, 8, 10.] *Incendet super illud incensum continuationis in conspectu Domini in progenies eorum. Continuationis incensum dicit, quod continuatum fieret, id est, nullo die prætermitteretur. Cum de altari præciperet incensi, id est, in quo incensum tantum poneretur, non holocaustum, non sacrificium, non libatio; prædixerat id ipsum incensum quotidie poni debere : nunc autem dicit, *Et depropitiabit Aaron est quam propitiis sit peccatis eorum*. Nos hic sequimur. Nat et Mss.*

<sup>1</sup> Editi, *oblationem*. Mss. aliquot, *abolitionem* : alii, *ablationem*.

<sup>2</sup> Mss. plerique omittunt, *quam*. Nonnulli habent sic, *dicit potuisset per unctionem*.

(a) id est vectibus, uti ex Vulgata versione intelligitur.

vel *exorabit, super cornua eius semel in anno de sanguine purificationis delictorum. Depropitiabit, ab eo quod est depropitiatio, quæ græce dicitur ἐξιλιασμός*. Unde et intelligendum est, hoc quod semel in anno jubet fieri ad propitiandum Deum super cornua altaris incensi, id est ut de sanguine purificationis delictorum, victimarum scilicet quæ offeruntur pro delictis, semel in anno tangantur cornua altaris incensi, non pertinere ad illam appositionem incensi, quam quotidie fieri jusserat. Illa enim fiebat aromatibus, non sanguine; et quotidie, non semel in anno. Non ergo sumus intellecturi, semel in anno intrare sacerdotem solere in sanctum sanctorum, sed semel in anno cum sanguine : et quotidie quidem solere intrare sine sanguine, causa incensi imponendi; cum sanguine autem semel in anno : maxime quia sequitur et dicit, *Semel in anno purificabit illud; sanctum sanctorum est Domino*. Non ergo semel in anno ponet illic incensum, quod quotidie fieri jussum est; sed semel in anno purificabit illud, quod cum sanguine fieri præceptum est. Et post hoc adjungit, *Sanctum sanctorum est Domino* : ac per hoc si sanctum sanctorum non extra, sed intra velum erat; etiam illud profecto altare de quo nunc agitur, quod poni jussit contra velum, intrinsecus jussit.

CXXXIV. [Ib. xxx, 12.] Quid est quod ait, *Si acciperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum; nisi quia jubet eos aliquando visitari et computari, id est numerari? Quod in David propterea vindicatum intelligendum est, quia Deus non jusserat (II Reg. xxiv)*.

CXXXV. [Ib. xxx, 26-33.] Advertendum est etiam et notandum quemadmodum unguento chrisomatis omnia jussit ungi, tabernaculum scilicet et ea quæ in illo erant, et deinde erunt sancta sanctorum. Omnia scilicet cum fuerint uncta, erunt sancta sanctorum. Quid igitur distabit jam inter illa interiora, quæ velo teguntur, et cætera, si omnia cum uncta fuerint erunt sancta sanctorum, diligentius requirendum : hæc tamen notanda credidimus. Ubi etiam meminimus, quod sicut de illo altari sacrificiorum, quod post unctionem appellari voluit sanctum sancti, continuo dictum est, *Omnia qui tangit illud, sanctificabitur* : ita de omnibus postea, quæ de illo unguento uncta, dicta sunt sancta sanctorum, eadem sententia subsequuta est, ut diceretur, *Omnia qui tangit ea, sanctificabitur*. Quod duobus modis intelligi potest; sive tangendo sanctificabitur, sive sanctificabitur ut ei liceat tangere : si tamen non licebat tangere populo tabernaculum, quando afferbant hostias, vel quæcumque ab eis allata offerbantur Deo. Nam consequenter non solis sacerdotibus neque solis Levitis dicendum admonet, quod ait ad Moysen, *Et filiis Israel loqueris dicens* : utique filii Israel totus ille populus erat; jubet autem illis dici, *Oleum linitio unctionis, sanctum erit hoc vobis in progenies vestras : super carnem hominis non linitur, et secundum compositionem hanc non facietis vobis ipsi similiter. Sanctum est, et sanctificatio erit vobis. Qui cumque fecerit similiter, et quicumque dabit de eo exteris*

nationi, interibit de populo suo. Jubet igitur non solis sacerdotibus, sed universo populo Israel, ut non faciant tale unguentum in usus humanos. Hoc est enim quod ait, *super carnem hominis non linietur*. Prohibet ergo simile fieri in usus suos, et interitum minatur si quisquam similiter fecerit, id est, unguentum ad usus suos simile confecerit, vel cuiquam hinc dederit extere nationi. Ac per hoc quod ait, *Sanctificatio erit vobis*, cum hoc populo Israel universo dici jubeat, non video quid intelligam, nisi quia licebat eis, quando veniebat cum suis quisque muneribus, tangere tabernaculum; et tangendo sanctificabantur propter illud oleum, quo cuncta peruncta sunt; et hinc dictum, *Omnis qui tangit sanctificabitur*: non tamen sic quemadmodum sacerdotes, qui etiam ut sacerdotio fungentur, ungebantur ex illo.

CXXXVI. [Ib. xxx, 34.] Quod præcepit quibus aromatibus fiat thymiana, id est incensum, et dicit unguentario more coctum opus unguentarii: non ideo putare debemus unguentum fieri, id est unde aliquid ungatur, sed ut dictum est thymiana, vel incensum quod imponatur illi altari incensi, ubi non licebat sacrificari, et erat intus in sancto sanctorum<sup>1</sup>.

CXXXVII. [Ib. xxx, 36.] *Et concides de illis minutum, et pones contra testimonia in tabernaculo testimonii, unde innotescam tibi inde. Sanctum sanctorum erit vobis incensum.* Ecce iterum hoc incensum, quia intus ponebatur in altari incensi quod intus erat, sanctum sanctorum dicitur: et tabernaculum testimonii proprie dicitur illud ipsum interius ubi arca erat, adhibita sane differentia cum ait, *Unde innotescam tibi inde*. Sic enim dixerat primum de propitiatorio, quod utique intus est, id est, intra velum super arcam.

CXXXVIII. [Ib. xxxi, 2-5.] Quid est quod Beseleel cum juberet adhiberi operibus tabernaculi faciendis, dixit cum se *replevisse spiritu divino sapientiæ, et intellectus, et scientiæ in omni opere, excogitare, et architectonari, etc.*? Utrum Spiritus sancti muneri etiam ista opera tribuenda sunt, quæ pertinere ad opificium videntur? an et hoc significative dictum est, ut ea pertineant ad divinum spiritum sapientiæ, et intellectus, et scientiæ, quæ his rebus significantur? Tamen etiam hic cum spiritu repletus dicatur iste divino sapientiæ, et intellectus, et scientiæ, nondum legitur Spiritus sanctus.

CXXXIX. [Ib. xxxi, 13.] Quid sibi vult, quod cum de sabbato observando præciperet, ait, *Testamentum æternum in me et filiis Israel*; non ait, inter me et filios Israel? An quia sabbatum requiem significat, et requies nobis non est nisi in illo? Nam profecto filios Israel universum populum suum dicit, id est, semen Abraham: et est Israel secundum carnem, et secundum spiritum. Nam si Israel non esset dicendus, nisi ex genere carnis, non diceret Apostolus, *Videte Israel secundum carnem* (I Cor. x, 18): ubi profecto significat esse Israel secundum spiritum qui in abscondito Judæus est et circumcissione cordis (Rom. ii, 29.) Sic

<sup>1</sup> Sic melioris notæ Mss. At editi, *erat intra sancta sanctorum*.

ergo melius fortasse distinguitur, *Testamentum æternum in me*; ut deinde altus sensus sit, et *filiis Israel signum est æternum*, id est, æternæ rei signum: quomodo petra erat Christus, quia petra significabat Christum (I Cor. x, 4). Non ergo ita jungendum est, *Testamentum æternum in me et filiis Israel*, tanquam in Deo et filiis Israel sit hoc testamentum; sed *Testamentum æternum in me*, quia in illo promissa est requies æterna; et *filiis Israel signum est æternum*, quia filii Israel acceperunt observandum signum, quo requies significatur æterna veris Israelitis, hoc est filiis promissionis et visuris Deum facie ad faciem sicuti est.

CXL. [Ib. xxxi, 18.] *Et dedit Moysi statim ut cessavit loqui ad eum, in monte Sina, duas tabulas testimonii, tabulas lapideas scriptas digito Dei.* Cum tam multa locutus sit Deus, duæ tantum tabulæ dantur Moysi lapideæ, quæ dicuntur tabulæ testimonii futuræ in arca. Nimirum omnia cætera quæ præcepit Deus ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quaerantur et bene intelligantur: quomodo hæc ipsa rursus decem præcepta ex duobus illis, dilectione scilicet Dei et proximi, in quibus tota Lex pendet et Prophetæ (Math. xxii, 37-40).

CXLI. [Ib. xxxii, 2.] Quod jubet Aaron in aures demi ab auribus uxorum atque filiarum, unde illis faceret deos, non absurde intelligitur difficilia præcipere voluisse, ut hoc modo eos ab illa intentione revocaret: factum tamen illud ipsum difficile ut esset aurum ad faciendum idolum, propter eos notandum putavi, qui contristantur, si quid tale propter vitam æternam divinitus fieri, vel æquo animo tolerari jubeatur.

CXLII. [Ib. xxxii, 8.] Dominus indicans Moysi quid fecerit de vitulo populus, hoc est de idolo quod ex auro suo fecerant, dicit eos dixisse, *Illi dii tui Israel qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Quod eos dixisse non legitur, sed animum eorum hunc fuisse Deus ostendit. Horum quippe verborum gerebant in corde sententiam, quæ Deum latere non poterat.

CXLIII. [Ib. xxxiii, 14.] *Et propitiatus est Dominus de malitia quam dixit facere populo suo.* Malitiam hic penam intelligi voluit, sicuti est, *Æstimata est malitia exitus illorum* (Sap. iii, 2). Secundum hanc dicitur bonum et malum a Deo (Eccli. xi, 14), non secundum malitiam qua homines mali sunt. Malus enim Deus non est; sed malis ingerit mala, quia justus est.

CXLIV. [Ib. xxxiii, 19.] Iratus quidem Moyses videtur tabulas testimonii digito Dei scriptas collisisse atque fregisse; magno tamen mysterio figurata est iteratio Testamenti, quoniam Vetus fuerat abolendum, et constituendum Novum. Notandum sane quanta pro populo ad Deum supplicatione laboraverit, qui tam severus in eos vindicando exstitit. Quod autem in ignem missum vitulum fusilem contrivit, et in aquam sparsit, quam populo potum dedit, quid nobis videatur

<sup>1</sup> Legendum ut Mss. et castigatiores editi habent, *tabulas testimonii, tabulas lapideas*. [Testimonii, lapideas.]

significare, jam alibi scripsimus in opere contra Faustum Manichæum (*Lib. 22, cap. 93*).

CXLV. [Ib. xxxii, 24.] *Et dederunt mihi, et misi in ignem, et exiit vitulus hic.* Compendio locutus est, non dicens quod ipse formaverit, ut exiret vitulus fusilis? an excusationis causa timendo mentitus est, tanquam ipse in ignem periturum aurum projecerit, atque ipso non id agente forma vituli exierit? Quod ideo non est credendum hoc eum animo dixisse, quia nec latere Moysen posset quid esset in viro<sup>1</sup>, cum quo Deus loquebatur, et fratrem de mendacio non redarguit.

CXLVI. [Ib. xxxii, 25.] *Et cum vidisset Moyses populum, quia dissipatus est, dissipavit enim eos Aaron, ut in gaudium venirent adversariis suis.* Notandum est quemadmodum illud totum mali quod populus fecit, ipsi Aaron tribuatur, quod eis consenserit ad faciendum quod male petierant. Magis enim dictum est, *dissipavit eos Aaron*, quoniam cessit eis, quam dissipaverunt se ipsi qui tantum malum flagitaverunt.

CXLVII. [Ib. xxxii, 31, 32.] Cum Moyses dicit ad Deum, *Precor, peccavit populus iste peccatum magnum, et fecerunt sibi deos aureos, et nunc siquidem remitte illis peccatum illorum, remitte; sin autem, dele me de libro tuo quem scripsisti*: securus quidem hoc dixit, ut a consequentibus ratiocinatio concludatur; id est, ut quia Deus Moysen non deleat de libro suo, populo peccatum illud remitteret. Verumtamen advertendum est quantum malum in illo peccato perspexerit Moyses, quod tanta cæde crediderit expiandum, qui eos sic diligebat, ut pro eis illa verba Deo funderet.

CXLVIII. [Ib. xxxii, 35.] Merito quaeritur, cum superius populum dissipasse dictus sit Aaron, cur in ipsum vindicta nulla processerit, neque cum Moyses interfici jussit omnem qui Levitis euntibus ad portam et redeuntibus occurrisset armatis, neque cum postea factum est quod Scriptura dicit, *Et percussit Dominus populum propter facturam vituli, quem fecit Aaron*: maxime quia et hic hoc idem repetendo inculcatum est. Non enim dictum est, *Et percussit Dominus populum propter facturam vituli, quem fecerunt*, sed, *quem fecit Aaron*: et tamen non est percussus Aaron; quin etiam illud quod de sacerdotio ejus ante peccatum ejus Deus præcipiebat, impletum est. Sed jussit et ipsum et filios abluï; et sic ordinati sunt in sacerdotio. Ita novit ille cui parcat usque ad commutationem in melius; et cui parcat ad tempus, quamvis eum præscierit in melius non mutari; et cui non parcat ut mutetur in melius, et cui non parcat, ita ut nec mutationem<sup>2</sup> ejus exspectet: et totum hoc ad id redit, quod Apostolus dicit exclamans, *Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom. xi, 33*).

CXLIX. [Ib. xxxiii, 1.] *Vade ascende hinc, tu et populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti.* Deus iratus dicere videtur, *tu et populus tuus, quem eduxisti*; alioquin dixisset, *tu et populus meus, quem eduxi de terra Ægypti*: sed illi quando idolum poposcerunt,

ita locuti sunt, *Moyses enim hic homo qui eduxit nos de terra Ægypti, non scimus quid factum sit ei; liberationem suam in homine constituendo delecterant.* Hoc eis modo replicatur cum dicitur, *tu et populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti*: quod illis est crimini, non Moysi. Non enim aliud volebat Moyses, nisi ut non in illo, sed in Domino spem ponerent, et Domini misericordia se cum gratiarum actione crederent ab illa servitute liberatos: cujus tamen apud Deum tanquam fidelissimi famuli tantum erat meritum per illius gratiam, ut ei diceret Deus, *Sine me, et iratus ira conteram eos* (*Exod. xxxii, 1, 23, 10*). Quod utrum jubentis sit cum ait, *Sine me*, an quasi petentis, utrumque videtur absurdum. Nam et si jubebat Deus, inobedienter famulus non parebat; et Deum hoc a servo velut pro beneficio petere non decebat, cum præsertim posset eos etiam illo nolente conterere. Ille itaque ibi sensus in promptu est, quod his verbis significavit Deus plurimum apud se prodesse illi populo, quia sic ab illo viro diligebantur, quem sic Dominus diligebat; ut eo modo admoneremur, cum merita nostra nos gravant ne diligamur a Deo, relevari nos apud eum illorum meritis posse quos diligit. Nam cum ab Omnipotente dicitur homini, *Sine me, et conteram eos*, quid aliud dicitur quam, *Contererem eos*, nisi diligerentur abs te? Ita ergo dictum est, *Sine me*, ac si diceretur, *Noli eos diligere, et conteram eos*; quia ne id faciam dilectio tua in illos intercedit mihi. Obtemperandum autem esset Domino dicenti, *Noli eos diligere*, si hoc jubendo dixisset, et non potius admonendo et exprimendo quid illum ab eorum supplicio revocaret: nec tamen etiam illo intercedente sine flagello disciplinæ populum dereliquit. Nescio quo enim modo, ut sic eos diligeret ipse Moyses, Deus illos occultius diligebat, qui manifeste voce terrebatur.

CL. [Ib. xxxiii, 1-3.] Ubi dicit Deus ad Moysen, *Vade, ascende hinc, tu et populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens, Semini vestro dabo eam*; continuo tanquam ad ipsum Moysen adhuc loquitur, occulta conversione, quæ græce ἀποστρεφὴ dicitur, jam ad ipsum populum loquitur dicens: *Et simul mittam angelum meum ante te, et ejiciet Chananæum, et Amorrhæum, et Chethæum, et Pheresæum, et Gergesæum, et Evæum, et Jebusæum; et introducet te in terram fluentem lac et mel.* Non enim ascendam tecum, quia populus dura cervice es, ut non deleam te in via. Magna sacramenti et mira profunditas, tanquam misericordiam majorem posset angelus habere quam Deus, qui populo duræ cervicis parceret; cui Deus, si cum illis esset, ipse non parceret: et tamen etiam per angelum suum, se quodammodo ab eis absente, qui nunquam esse absens potest, implere se dicit quod patribus eorum juravit; tanquam et hic ostendens hoc se ideo facere, quia illis patribus justis promisit, non quod isti digni essent. Quid ergo significat, nisi forte ideo se non esse cum eis, quia dura cervice sunt; quia non eum propitium et salubrem, nisi humilitas et

<sup>1</sup> Vss., in vero.

<sup>2</sup> Sic Vss. Al ceteri omnia negatione habent, ut *vix mutationem*, etc.

pietas capit? Esse autem Deum cum duræ cervicis hominibus, nihil est aliud quam vindicando adesse atque puniendo : unde cum eo modo malis non adest, parcendo facit; quo pertinet illud quod dicitur, *Averte faciem tuam a peccatis meis (Psal. 1, 11)* : quia si advertit, evertit<sup>1</sup>. Sicut enim fluit cera a facie ignis, sic pereunt peccatores a facie Dei (*Psal. LXVII, 5*).

CLI. [Ib. XXXIII, 12, 13.] *Et dixit Moyses ad Dominum, Ecce tu mihi dicis : Deduc populum hunc. Tu autem non demonstrasti mihi quem simul mittas necum. Tu autem dixisti mihi, Scio te præ omnibus, et gratiam habes apud me. Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum, manifeste ut videam te, ut sim inveniens gratiam ante te, et ut sciam quia populus tuus est gens hæc.* Quod habet græcus *γνώσθης*, hoc quidam latini interpretati sunt, *manifeste*, cum Scriptura non dixerit *πεφωτισθης*. Potuit ergo fortasse apertius dici, *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum, scienter ut videam te* : quibus verbis satis ostendit Moyses, quod non ita videbat Deum in illa tanta familiaritate conspectus, ut desiderabat videre; quoniam illæ omnes visiones Dei, quæ mortalium præbebantur aspectibus, et ex quibus fiebat sonus, quo mortalis attingeretur auditus, sic exhibebantur, assumpta sicut Deus volebat, specie qua volebat, ut non in eis ipsa ullo sensu corporis sentiretur divina natura, quæ invisibilis ubique tota est, et nullo continetur loco. Et quia in duobus præceptis, hoc est dilectionis Dei et proximi, tota Lex pendet (*Matth. XXII, 37-40*), ideo Moyses in utroque suum desiderium demonstrabat : in dilectione scilicet Dei, ubi ait, *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum, manifeste ut videam te, ut sim inveniens gratiam in conspectu tuo*; in dilectione autem proximi, ubi ait, *Et ut sciam quia populus tuus est gens hæc.*

CLII. [Ib. XXXIII, 17.] Quid est quod dicit Deus ad Moysen, *Quoniam scio te præ omnibus?* numquid Deus plus aliqua scit, et aliqua minus? An secundum quod dicitur quibusdam in Evangelio, *Non novi vos (Id. XXV, 12)*? Secundum hanc enim scientiam, qua Deus dicitur scire quæ illi placent, nescire quæ displicent, non quia ignorat ea, sed quia non approbat, sicut ars recte dicitur nescire vitia, cum improbat vitia; præ omnibus Deus Moysen sciebat, quia Deo præ omnibus Moyses placebat.

CLIII. [Ib. XXXIII, 12, 17.] Notandum estne, quod prius ipse Moyses dixerat Deo, *Dixisti mihi, Scio te præ omnibus*; quod illi Deus posteaquam hoc ipse Deo dixit, legitur dixisse, ante autem non legitur : ut intelligamus non omnia esse scripta quæ cum illo Deus locutus est? Sed diligentius requirendum est in prioribus Scripturæ partibus, an vere ita sit<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Editiones Nat. Am. et Er., *quæ nisi avertit, advertit*. Lov. et septem Mss., *quia nisi avertit, evertit*. Sed prætulimus lectionem Mss. optimæ notæ Corbeiensis, Michaelini, etc.

<sup>2</sup> Hæc ibi annotant edit. Er. Lugd. Ven. et Lov. : *Notandum est quod prius ipse Moyses dixerat Deo, Dixisti mihi, Scio te præ omnibus : quod illi Deus posteaquam hoc ipse dixit legitur dixisse, ante autem non legitur, ut intelligamus non omnia esse scripta quæ cum illo Deus locutus est :*

CLIV. [Ib. XXXIII, 14-23.] Cum dixisset Moyses ad Dominum, *Ostende mihi gloriam tuam*; respondit ei Dominus, *Ego transibo ante te gloria mea<sup>1</sup> : et vocabo nomine Domini in conspectu tuo ; et miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero* : cum paulo ante dixisset, *Ipse antecedam te, et requiem tibi dabo*; quod Moyses sic videtur accepisse, *Antecedam te*, tanquam non ei populo qui præsens in itinere futurus esset : et ideo ait, *Si non tu ipse simul veneris nobiscum, ne me educaas hinc, etc.* Deus autem neque ei hoc negavit dicens, *Et hoc tibi verbum quod dixisti faciam*. Quomodo ergo cum dixisset ei Moyses, *Ostende mihi gloriam tuam*, rursus, tanquam præcessurus et non cum eis simul futurus, videtur dicere, *Ego transibo ante te*, nisi quia hoc aliud est? Ille quippe intelligitur loqui et dicere, *Transibo ante te*, de quo dicit Evangelium, *Cum venisset hora ut transiret Jesus de hoc mundo ad Patrem (Joan. XIII, 1)* : qui transitus etiam Pascha interpretari perlibetur. Hæc itaque magna omnino propheta est. Ipse enim ante omnes sanctos transit ad Patrem de hoc sæculo, parare illis mansiones regni cælorum, quas dabit eis in resurrectione mortuorum; quoniam transiturus ante omnes primogenitus a mortuis factus est (*Ccloss. 1, 18*).

Gratiam vero suam in eo ipso valde commendat cum dicit, *Et vocabo nomine Domini in conspectu tuo* : tanquam in conspectu populi Israel, cujus Moyses cum hæc audiret typum gerebat. In conspectu enim gentis ipsius ubique dispersæ vocatur Dominus Christus in omnibus gentibus. *Vocabo* autem dixit, non *Vocabor*, activum verbum pro passivo ponens, genere locutionis inusitato; in quo nimirum magnus sensus latet. Sic enim fortasse significare voluit seipsum hoc facere, id est gratia sua fieri, ut vocetur Dominus in omnibus gentibus.

Quod vero addidit, *Et miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero*; ibi plane expressius ostendit vocationem qua nos vocavit in suum regnum et gloriam : non pro meritis nostris, sed pro misericordia sua. Quoniam enim se gentes introducturum pollicebatur, dicens, *Vocabo nomine Domini in conspectu tuo*; commendavit hoc se misericorditer facere, sicut Apostolus dicit : *Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum; Gentes autem super misericordia glorificare Deum (Rom. XV, 8, 9)*. Illoc ergo prædictum est, *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero*. Quibus verbis prohibuit hominem velut de propriarum virtutum meritis gloriari, ut qui gloriatur in Domino gloriatur (*II Cor. X, 17*). Non enim ait, *Miserebor talibus vel talibus*, sed, *cui misericors fuero*; ut neminem præcedentibus bonis operibus suis misericordiam tantæ vocationis meruisse

*sed diligentius inquirendum est in prioribus Scripturæ partibus, an vero ita sit. M.*

<sup>1</sup> Editi, *ante te in gloria mea*. Abt. et in a Mss. et a LXX :



demonstret. Etenim Christus pro impiis mortuus est (Rom. v, 6).

Sed utrum hoc idem repetere voluerit, cum addidit, *Misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero*, vel sicut alii interpretati sunt, *cui misereor fuero*; an aliquid intersit, nescio. Quod enim græca lingua duobus verbis dictum est, *ἐλεῖν*, et *ἐλεῖσθαι*, quod unum atque idem videtur significare, non potuit latinus diversis verbis dicere, et diversis modis eandem misericordiam repetivit. Si autem diceretur, *Miserebor cui misereor*, et *miserebor cui misertus ero*; non satis commode dici videretur. Et tamen fortius ille ipse ibi sensus est, quod aut ipsius misericordiae suae firmitatem Deus ista repetitione monstravit: sicut Amen, Amen; sicut Fiat, Fiat; sicut repetitio somnii Pharaonis, pluraque similia. Aut in utrisque populis, id est Gentibus et Hebræis, hoc modo Deus prænuuntiavit misericordiam se esse facturum. Quod Apostolus ita dicit: *Sicut enim vos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis illorum incredulitate; sic et ipsi nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur. Concluserunt enim Deus omnes in incredulitate, ut omnium misereatur* (Id. xi, 30-32).

Deinde post hanc suae misericordiae commendationem respondet ad illud quod ei dictum fuerat, *Ostende mihi gloriam tuam*, vel quod supra petiverat Moyses, dicens, *Ostende mihi temetipsum manifeste ut videam te. Non poteris, inquit, videre faciem meam. Non enim videbit homo faciem meam, et vivet: ostendens huic vitæ, quæ agit in sensibus mortalibus corruptibilis carnis, Deum sicuti est apparere non posse; id est, sicuti est videri in illa vita potest, ubi ut vivatur, huic vitæ moriendum est.*

Item interposito articulo dicente Scriptura, *Et ait Dominus*, sequitur et loquitur, *Ecce locus penes me*. Quis enim locus non penes Deum est, qui nusquam est absens? Sed Ecclesiam significat dicendo, *Ecce locus penes me*, tanquam templum suum commendans, *Et stabis, inquit, super petram* (quia *super hanc petram, ait Dominus, ædificabo Ecclesiam meam* [Matth. xvi, 18]), *statim ut transiet gloria mea*: id est, Statim ut transiet gloria mea, stabis supra petram; quia post transitum Christi, id est post passionem et resurrectionem Christi stetit populus fidelis supra petram. *Et ponam te, inquit, in caverna petrae*: munimen firmissimum significat. Alii autem interpretati sunt, *in specula petrae*; sed græcus habet *ἐπιπέδον*: hoc autem foramen vel cavernam rectius interpretamur.

*Et legam manu mea super te, donec transeam; et auferam manum, et tunc videbis posteriora mea; facies autem mea non videbitur tibi*. Cum jam dixisset, *Stabis super petram, statim ut transiet gloria mea*, ubi intelligitur post transitum suum promississe super petram stabilitatem; quomodo accipiendum est quod ait,

<sup>1</sup> Editi, *speculata* At Mss. Vatic. et Gallic. cum Engylo in duobus Mss., *specula*.

<sup>2</sup> Editi, *Et legam manum meam super te*. At Mss., juxta græcum, *manu mea*.

*Ponam te in caverna petrae, et legam manu mea super te, donec transeam: et auferam manum, et tunc videbis posteriora mea*: quasi jam illo in petra constituto. legat manu sua super eam, et deinde ejus transitum? Sed recapitulatio intelligenda est rei prætermittæ. quali solet uti Scriptura in multis locis. Postea quippe dixit quod ordine temporis prius est. Qui ordo ita se habet: *Tegam manu mea super te, donec transeam, et tunc videbis posteriora mea; nam facies mea non videbitur tibi: et stabis super petram statim ut transiet gloria mea, et ponam te in caverna petrae*. Hoc enim factum est in eis quos tunc significabat persona Moysi, id est Israëlitis, qui in Dominum Jesum, sicut Actus Apostolorum indicant, postea crediderunt, id est, statim ut transiit ejus gloria. Non posteaquam resurrexit a mortuis, et ascendit in cælum, misso desuper Spiritu sancto, cum linguis omnium gentium Apostoli loquerentur, compuncti sunt corde multi ex eis qui crucifixerant Christum: quem ut non cognovissent, et Dominum gloriæ crucifixissent, cecitas ex parte in Israel facta est (Rom. xi, 25), sicut dictum fuerat, *Tegam manu mea super te, donec transeam*. Unde Psalmus dicit, *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua*: diem appellans, quando Christus divina miracula faciebat; noctem, quando sicut homo moriebatur, quando et illi ikubaverunt qui in die crederant. Hoc est ergo, *Cum transiero, tunc videbis posteriora mea*, Cum transiero de hoc mundo ad Patrem, posterius in me credituri sunt quorum typum geris. Tunc enim compuncti corde dixerunt: *Quid faciemus?* Et jussi sunt ab Apostolis agere poenitentiam, et baptizari in nomine Jesu Christi, ut dimitterentur illis peccata eorum (Act. ii, 37, 38). Quod in psalmo illo sequitur, cum dictum esset, *Die ac nocte gravata est super me manus tua*; id est, ut non cognoscerem<sup>1</sup> (Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent [I Cor. ii, 8]): sequitur et jungit, *Conversus sum in ærumna mea, dum confingeretur spina*; id est, cum essem corde compunctus. Deinde addidit, *Peccatum meum cognovi, et facinus meum non operui*: posteaquam viderunt quanto scelere Christum crucifixerint. Et quia receperant consilium ut agerent poenitentiam, et in Baptismo remissionem acciperent peccatorum; *Dixi, inquit, pronuntiabo adversum me delictum meum Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei* (Psal. xxxi, 4, 5).

Hanc autem prophetiam potius fuisse, quam locutus est Dominus ad Moysen satis res ipsa indicat; quandoquidem de petra vel caverna ejus, et de manus ejus superpositione, de visione posteriorum ejus, nihil postea visibili opere subsequutum legitur. Mox enim adjungit interposito articulo Scriptura, *Et dixit Dominus ad Moysen*; cum ipse Dominus utique etiam illa quæ supra dicta sunt loqueretur, atque inde con-

<sup>1</sup> Am. Er. et Lov., *quem si cognovissent, nunquam Dominum, etc.* Rat. et quatuor Mss., *quem non ut cognovissent et Dominum, etc.* Alii Mss., *quem ut non cognovissent et Dominum, etc.*

<sup>2</sup> Am. Er. et Lov. omittunt particulam negativam, quam huc revocavimus ex Mss. et editione Ratisponensi.

(Vingt-une.)

SANCT. AUGUST. III.

textit quid deinceps Dominus dicat, *Excide tibi duas tabulas lapideas, sicut et primas, etc.*

CLV. [Ib. xxxiv, 7.] Quid est quod dictum est de Domino, *Et reum non purificabit*; nisi, non cum dicet innocentem?

CLVI. [Ib. xxxiv, 10.] Deus in monte duas rursus lapideas tabulas conscripturo dicit Moysi inter cætera, *Coram omni populo tuo faciam gloriosa*. Nondum dignatur dicere, Coram omni populo meo. An ita dixit, *populo tuo*, quomodo cuilibet homini ejusdem populi diceretur, id est, Ex quo populo es: quomodo. Civitati tuæ dicimus, non cui dominaris, vel quam constituisti, sed unde civis es? Sic enim et paulo post dicit, *Omnis populus, in quibus es*: alio modo quid dictum est, nisi, populus tuus? Quod autem non dixit, In quo es, consuetudo locutionis est.

CLVII. [Ib. xxxiv, 12.] Quid est quod dicitur ad Moysen, *Attende tibi, nequando ponat<sup>1</sup> testamentum his qui sedent super terram*. Non enim habet græcus, nequando ponas; sed, *ne quando ponat*. An forte de populo ei dicere voluit, cuius ipse ductor fuit? Sed non ipse introduxit populum in eam terram, ubi prohibet poni testamentum cum eis qui in illa habitant. Mirum itaque locutionis genus est, et adhuc inexpertum vel non animadversum: si tamen locutio est, ac non sensus aliquis.

CLVIII. [Ib. xxxiv, 13, 15.] Cum præciperet Deus ad Moysen loquens, ut data terra in potestate, omnis idololatria everteretur, nec adorarentur dii alieni, ait, *Dominus enim Deus, zelans nomen, Deus zelator est*: id est, ipsum nomen quod Dominus Deus dicitur, zelans est, quia Deus zelator est. Quod non humanæ perturbationis vitio facit Deus, semper atque omni modo incommutabilis atque tranquillus; sed hoc verbo indicat, non impune plebem suam per alienos deos fornicaturam. Ductum est enim verbum tropo metaphora a zelo maritali, quod castitatem custodit uxoris. Quod nobis prodest, non Deo. Quis enim tali genere fornicationis Deo nocuerit? sed sibi plurimum, ut peccat. Quod Deus prohibet terrore gravissimo, zelantem se appellans: cui dicitur in Psalmo, *Perdidisti omnem qui fornicatur abs te; mihi autem adhærere Deo bonum est* (Psal. LXXII, 27, 28). Donique sequitur: *Ne forte ponas testamentum his qui sedent super terram, et fornicentur post deos eorum*.

CLIX. [Ib. xxxiv, 20.] Quod ait, *Non videberis in conspectu meo inanis*; sicut indicant circumstantia de quibus loquitur, *in conspectu suo*: dicit Deus in tabernaculo suo: hoc est autem, *Non ibi videberis inanis*, nunquam intrabis sine aliquo munere. Quod spiritualiter intellectum, magnum sacramentum est. Verum hæc dicebantur de umbris significationum.

CLX. [Ib. xxxiv, 21.] Cum de sabbato præcepisset, quid est quod adduxit, *Satione et<sup>2</sup> messe requiesces?*

<sup>1</sup> Editi, ponas. MSS. omnes, ponat: ut etiam habent codices plerique in Locut. lib. 2, loc. 153. Porro in græco LXX, libri alii *thés*, alii teste Nobilio ferunt, *thé*.

<sup>2</sup> In editis, *De satione*. Abest de a nostris MSS., quorum unus aut alior pro *requiesces*, habet *requies*, sicuti LXX.

Videtur enim dicere, Tempore sationis et messis. An forte ita observandam requiem sabbati præcepit, ut nec illa tempora habeant excusationem, quæ agricolis valde sunt necessaria propter victum atque vitam? Jussum est ergo ut etiam tempore sationis et messis, quando multum urget operatio, requiescat in sabbato: ac sic per hæc tempora, quæ opus plurimum flagitant, significatum est, omni tempore sabbato debere cessari.

CLXI. [Ib. xxxiv, 24.] Quod dicit, *Non concupisces quisquam de terra tua, cum ascendes videri in conspectu Dei tui, tria tempora anni<sup>1</sup>*, hoc vult intelligi, ut securus quisque ascenderet, nec de terra sua sollicitus esset, Deo promittente custodiam, quod nemo inde aliquid concupisceret, propter illum qui ascendit, ne suam inde timeret absentiam. Et hic satis ostendit quid supra dixerit, *Non apparebis in conspectu Domini Dei tui inanis*, quia in illo loco dixit ubi tabernaculum vel templum Deus fuerat habiturus.

CLXII. [Ib. xxxiv, 25.] Quid est quod ait, *Non occides super fermentum sanguinem immolatorum meorum?* An illa hoc loco dicit immolata sua, quæ per Pascha occiduntur, et præcipit ne tunc sit in domo fermentum, quoniam dies sunt azymorum?

CLXIII. [Ib. xxxiv, 25.] Quid est quod ait, *Et non dormiet in mane immolatio solemnitatis Paschæ; nisi quod superius aperte præcepit, ne aliquid ex peccore quod immolatur, carniū relinquatur in mane?* Sed locutio fecit obscuritatem: *Dormiet enim dixit, pro Manebit*.

CLXIV. [Ib. xxxiv, 26.] *Non coques agnum in lacte matris suæ*. Ecce dicit iterum quod quemadmodum intelligi possit ignoro. Magna tamen est de Christo prophetia, etiam si fieri ad litteram possit; quanto magis si non potest? In sermonibus enim Dei non sunt ad proprietatem operum omnia revocanda, sicut nec illud de petra, et caverna ejus, et manus superpositione (Exod. xxxiii, 22). Sed plane de fide narratoris hoc exigendum est, ut quæ dicit facta esse, vere facta sint, et quæ dicit dicta esse, vere dicta sint. Quod exigitur etiam a narratoribus Evangelii: cum enim Christum narrent quædam dixisse quæ in parabolis dixit; tamen hæc eum dixisse non parabole, sed historica narratio est.

CLXV. [Ib. xxxiv, 28.] *Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus et quadraginta noctibus; panem non manducavit, et aquam non bibit*. Quod et ante dixerat, quando tabulas accepit, quas fregit, hoc etiam modo repetit; non recapitulando quod factum est, sed iterum factum esse commendans. Repetitio quippe Legis jam quid significet diximus. Quod autem ait, *Panem non manducavit, et aquam non bibit*, intelligitur jejunavit, a partetotum; id est, nomine panis omnem cibum, et nomine aquæ omnem potum significante Scriptura.

CLXVI. [Ib. xxxiv, 28, 27, 1.] *Et scripsit in tabulis verba<sup>2</sup> Testamenti, decem verba*. De Moyse dictum est quod ipse scripsit, cui etiam Deus paulo ante di-

<sup>1</sup> Sic MSS. et græc. LXX. At editi, *per tria tempora anni*.

<sup>2</sup> In editis omittitur hic, *verba*. Habetur in MSS. et apud LXX.

xerat, *Scribe tibi verba hæc*. Cum vero primum Legem accepit, cujus tabulas abjecit et fregit, nec ipse excidisse dictus est tabulas lapideas, et modo dictum est, *Excide tibi duas tabulas lapideas*; nec ei dictum est ut scriberet, sicut ei modo dicitur; nec eas ipse scripsisse narratur, sicut modo narrat Scriptura, et dicit, *Scriptis in tabulis verba Testamenti, decem verba*: sed tunc dictum est, *Et dedit Moysi, statim ut cessavit loqui ad eum in monte Sina, duas tabulas testimonii, tabulas lapideas scriptas digito Dei* (Exod. xxxi, 18); deinde paulo post, *Et conversus, inquit, Moyses descendit de monte, et duæ tabulæ testimonii in manibus ejus, tabulæ lapideæ scriptæ ex utraque parte earum, hinc atque hinc erant scriptæ, et tabulæ opus Dei erant, et scriptura scriptura Dei insculpta in tabulis* (Id. xxxii, 15, 16). Proinde magna oritur quæstio, quomodo illæ tabulæ, quas erat Moyses Deo utique præsciente fracturas, non hominis opus esse dicantur, sed Dei; nec ab homine scriptæ, sed scriptæ digito Dei: posteriores vero tabulæ tamdiu mansuræ, ac in tabernaculo ac templo Dei futuræ, jubente quidem Deo, tamen ab homine excisæ sint, ab homine scriptæ. An forte in illis prioribus gratia Dei significabatur, non hominis opus, qua gratia indigni facti sunt revertentes corde in Ægyptum, et facientes idolum; unde illo beneficio privati sunt, et propterea Moyses tabulas fregit: istis vero tabulis posterioribus significati sunt qui de suis operibus gloriantur; unde dicit Apostolus, *Ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (Rom. x, 5); et ideo tabulæ humano opere exsculptæ, et humano opere conscriptæ datæ sunt, quæ cum ipsis manerent, ad eos significandos de suis operibus gloriaturus, non de digito Dei, hoc est de Spiritu Dei?

Certe ergo repetitio Legis Novum Testamentum significat; illud autem Vetus significabat, unde confractum et abolitum est: maxime quoniam cum secundo Lex datur, nullo terrore datur, sicut illa in tanto strepitu ignium, nubium et tubarum; unde tremefactus populus dixit, *Non loquatur Deus ad nos, ne moriamur* (Exod. xx, 19): unde significatur timor esse in Veteri Testamento, in Novo dilectio. Quomodo igitur hæc solvitur quæstio, quare illæ opus Dei, istæ opus hominis; et illæ conscriptæ digito Dei, istæ scriptæ ab homine? An forte ideo magis in illis prioribus Vetus significatum est Testamentum, quia Deus ibi præcepit, sed homo non fecit? Lex enim posita est in Veteri Testamento, quæ convinceret transgressores, quæ subintravit ut abundaret delictum (Rom. v, 20). Non enim implebatur timore, quæ non impletur nisi charitate. Et ideo dicitur opus Dei, quia Deus Legem constituit, Deus conscripsit: nullum opus hominis, quia homo Deo non obtemperavit, et eum potius reum Lex fecit. In secundis autem tabulis homo per adiutorium Dei tabulas facit, atque conscribit; quia Novi Testamenti charitas Legem facit. Unde dicit Dominus, *Non vni Legem solvere, sed implere* (Math. v, 17): dicit autem Apostolus, *Plenitudo Legis charitas* (Rom. xiii, 10); et, *Fides quæ per dilectionem operatur* (Gal.

lat. v, 6). Factum est itaque homini facile in Novo Testamento, quod in Vetere difficile fuit, habenti fidem quæ per dilectionem operatur; atque illo digito Dei, hoc est, Spiritu Dei intus eam in corde scribente, non foris in lapide. Unde dicit Apostolus, *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II Cor. iii, 5); *quoniam charitas Dei, qua veraciter impletur præceptum, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. v, 5). Hoc est ergo primo data Lex (ubi significatur Vetus Testamentum, quod est opus tantummodo Dei, et conscriptio digiti Dei), quod Apostolus dicit, *Itaque Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum*. Lex ergo sancta et bona, Dei opus est: ubi homo nihil agit, quia non obtemperat; sed reatu potius premitur, Lege minante atque damnanante. *Peccatum enim inquit, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem* (Id. vii, 12, 13). Beatus autem homo est, cum hoc mandatum sanctum, et justum, et bonum, est etiam opus ejus<sup>1</sup>, sed per gratiam Dei.

CLXVII. [Ib. xxxv, 1.] Moyses ad filios Israel, postquam de monte descendit, habens alias tabulas. Legis, circumposito sibi velamine propter gloriam vultus ejus, quam filii Israel non poterant intueri, *Hæc, inquit, verba, quæ dixit Dominus facere ea*: ambiguum positum est, utrum *ea facere* sit Dominus, an illi: sed utique manifestum est quod illi; jussit quippe ille quæ fierent. Sed forte ideo sic positum est, ut ex utroque accipiatur; quia et Dominus facit, cum facientes adjuvat, secundum illud Apostoli, *In timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini; Deus enim est qui operatur in vobis et velle, et operari, pro bona voluntate* (Philipp. ii, 12, 13).

CLXVIII. [Ib. xxxv, 24.] *Omnis afferens demptionem, argentum et æs attulerunt demptionem Domino*: tanquam diceret, Omnis qui attulit, attulit illud atque illud, inter cætera quæ dicitur, et argentum et æs commemorans. *Demptionem* sane interpretati sunt latini, quod græcus habet ἀπαρρημα. Appellata est autem demptio, eo quod sibi demeret qui Domino afferret.

CLXIX. [Ib. xxxv, 29.] Narrante Moyse commoratum est quod ei dixit Deus de Beseleel eisdem verbis ac totidem, quod eum impleverit Spiritu divino sapientiæ, et intellectus, et scientiæ ad tabernaculi opera faciendæ, quæ pertinent ad artes opificum<sup>2</sup>: unde quid nobis videretur jam diximus (Supra, quæst. 158). Sed ideo nunc hoc idem commemorandum putavi, quia non frustra eisdem omnino verbis repetitum est, quibus antea Moysi a Domino fuerat intimatum. Sane novo more hic ars architectonica perhibetur, opificum ex auro et argento et quocumque metallo, cum illa dici soleat architectonica, quæ pertinet ad fabricas ædificiorum.

CLXX. [Ib. xxxvi, 2 et 3.] *Et omnes qui sponte vellent ire ad opera, ut consummarent ea, et acceperunt a*

<sup>1</sup> Ita Mss. Editi vero, *et bonum facit, hoc etiam opus ejus*.

<sup>2</sup> Corbelensis vetus codex: *quæ pertinent ad artis opificum*. Forte le<sup>o</sup>. opificum

*Moyses omnes demptiones*<sup>1</sup>. In notitiam tantum Moyses periurii quæ Dominus opera fieri præceperit, tabernaculum scilicet cum omnibus quæ in eo essent, et vestes sacerdotales<sup>2</sup>. Commemoravit autem quosdam, quibus dixit Spiritum divinitus datum, quo illa effecere possent: et tamen multi intelliguntur sponte ad eadem opera venisse quibus neque imperatum est, nec eorum nomina commemorata sunt a Domino dicta Moysi. Non ergo illi soli hoc munus divinitus habuerunt, qui nominatim commemorantur, sed fortasse præcipue atque excellentius. Laudandus est autem in his omnibus non attractus ad opus serviliter animus, sed liberaliter et sponte devotus.

CLXXI. [Ib. xxxvi, 4, et 5] Notandum quod illi qui sapientes appellantur, effectores operum sancti, etiam moribus tales erant, ut cum ipsi susciperent omnia quæ populus offerebat, existimans necessaria ex quibus illa omnia complerentur, viderunt plus offerri quam erat necesse, et dixerunt Moysi; atque ille per præconem ultra populum offerre prohibuit. Poterant autem, si volent, multa auferre, sed modestia prohibuit, vel religio terruit.

CLXXII. [Ib. xxxv, 2.] Postquam descendit Moyses de monte, opera commendantur tabernaculi construendi, et vestis sacerdotalis; de quibus faciendis antequam aliquid præceperet, locutus est ad populum de sabbati observatione. Ubi non immerito movet, cum decem verba Legis acceperit in tabulis lapideis iterum, quas ipse excidit, ipse conscripsit; quare de sabbato solo, posteaquam descendit, populum adinonuit. Si enim propterea decem præcepta Legis superfluum fuit ut populus iterum audiret; cur non fuit superfluum ut de sabbato audiret, cum et hoc in eisdem præceptis decem legatur? An et hoc simile est velamento, quo faciem obtexit, quia splendorem vultus ejus filii Israel non poterant intueri? Nam ex decem præceptis hoc solum populo præcepit, quod figurate ibi dictum est: alia quippe ibi novem sicut præcepta sunt, etiam in Novo Testamento observanda minime dubitamus. Illud autem unum de sabbato usque adeo figurata dici septimi observatione apud Israelitas velatum fuit, et in mysterio præceptum fuit, et quodam sacramento figurabatur, ut hodie a nobis non observetur, sed solum quod significabat intueamur. In illa autem requie ubi opera servilia jubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei. Tunc enim sunt cum requie opera bona, cum fides per dilectionem operatur (*Galat. v, 6*): timor autem tormentum habet, et in tormento quæ requies? Unde timor non est in charitate (*I Joan. iv, 18*): charitas autem diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom. v, 5*). Ideo *sabbatum requiæ sanctæ Domino*: Dei scilicet gratiæ tribuenda, non nobis velut ex nobis. Alioquin nostra opera sic erunt, ut sint humana, aut peccata<sup>3</sup>: aut cum timore, non cum di-

lectione; et ideo servilia sine requie. Plenitudo autem sabbati erit in requie sempiterna. Non enim frustra institutum est et sabbatum sabbatorum (*Levit. xxv*).

CLXXIII. [Ib. xl, 9, 10.]<sup>1</sup> Superius quando prius locutus est Deus de tabernaculo unguendo, dixit eadem unctione sanctificari illa omnia, et fieri sancta sanctorum. Altare autem holocaustatum eadem unctione sanctificatum, dixerat fieri sanctum sancti: et hoc interesse videbatur, quod nihil eorum dixisset sanctum sanctorum, nisi quod tantum velo separabatur a sancto, id est, ubi erat arca testamenti et altare incensi (*Exod. xxx, 26-38*). Nunc autem cum eadem repeteret, dixit de tabernaculo uncto et his quæ in illo essent, quod eadem unctione sanctificarentur, et fierent sancta: illud autem altare holocaustatum, de quo prius dixerat quod fieret sanctum sancti, eadem unctione nunc dixit fieri sanctum sanctorum. Unde datur intelligi tantumdem valere quod dictum fuerat sanctum sancti, quantum valet quod dictum est sanctum sanctorum: ac per hoc et illa omnia uncta, id est totum tabernaculum, et quæcumque in eo essent, quæ prius appellaverat sancta sanctorum, tantumdem valere quod nunc ait sancta: nec unumquodque eorum dici tantummodo post istam unctionem sanctum sancti, verum etiam sanctum sanctorum, sicut altare holocaustatum; ut jam nihil intersit, quantum ad hanc appellationem attinet, inter illa quæ interius intra velum fuerant, id est ubi erat arca testimonii, et cætera foris, nisi quod illa interius ita dicebantur sancta sanctorum vel sanctum sanctorum<sup>2</sup>, ut etiam ante unctionem sic appellarentur; cætera vero unctione sanctificata sunt, ut hoc nomen acciperent. Quod otio discutiendum est quid ista si gnificent.

CLXXIV. [Ib. xl, 19.] Cum Scriptura narraret quomodo Moyses constituerit tabernaculum, *Extendit*, inquit, *aulæ super tabernaculum*: non utique desuper tectum, sed cingens columnas; quia de columnis dixerat, quod statuerit tabernaculum.

CLXXV. [Ib. xl, 29.] Cum dixit, *Et super atrium in circuitu tabernaculi et altaris*, manifestat altare holocaustatum ad ostium tabernaculi forinsecus fuisse, ut atrio totum ambiretur, et altare esset infra atrium inter portam atrii et ostium tabernaculi.

CLXXVI. [Ib. xl, 34, 35.] Notanda est res multum mirabilis, quod nube descendente et implente tabernaculum, quæ tamen gloria Domini dicitur, non poterat Moyses intrare tabernaculum, qui in monte Sina, quando Legem primitus accepit, intravit in nubem ubi erat Deus (*Id. xix, 20*). Procul dubio ergo aliam personam tunc figurabat, aliam nunc: et tunc eorum qui participes sunt intimæ veritatis Dei; nunc autem Judæorum, quibus gloria Domini, quæ in tabernaculo est, quod est gratia Christi, tanquam nube opponitur, non eam intelligentibus, et ideo non

<sup>1</sup> Codices editi et Mss., *demptum ars*. Locum hunc vitiatum esse notat Nobilius, cum legi debeat, *omnes demptiones*; secundum LXX, *panta ta aphivremata*; et juxta Vulgatam, *universas donaria*.

<sup>2</sup> Mellioris notæ Mss., *et vestis sacerdotalis*.

<sup>3</sup> Editi, *aut cum peccato*. Mss., *aut peccata*.

<sup>1</sup> Hic ab excisis in quæstionum distinctione incipimus discedere ut sequamur Mss.

<sup>2</sup> Sic Mss. et editio Ratisponensis. Aliæ vero editiones, *vel sanctum sancti*.

intrant<sup>1</sup> in tabernaculum testimonii. Et hoc credendum est semel factum, mox ut constitutum est tabernaculum, significationis hujus causa, vel alicujus alterius. Neque enim semper sic erat nubes super tabernaculum, ut illuc Moyses intrare non posset; quandoquidem non removebatur nubes, nisi cum eis hoc signum dabatur disjungendi, hoc est castra movendi ex eo loco ubi erant; et accedendi quo nubes ducebat per diem, flamma per noctem (Exod., xiii, 21). Quæ duo vicissim etiam super tabernaculum manebant, ubi castra posuissent, nubes per diem, flamma per noctem.

QUÆST. CLXXVII. De Tabernaculo.

1. Quoniam liber qui Exodus dicitur, in constitutione tabernaculi sumit terminum, de quo tabernaculo etiam per superiora ejusdem libri multa dicuntur, quæ faciant difficultatem intelligendi, sicut solet omnis *τοποςγραφα*, id est loci alicujus descriptio in omni historia facere; visum est mihi de toto ipso tabernaculo separatim dicere, quo intelligatur, si fieri potest, quale illud, et quid fuerit, interim proprietate narrationis inspecta<sup>2</sup>, et in aliud tempus dilata figurata significatione: neque enim aliquid ibi fuisse putandum est, quod jubente Deo constitueretur sine alicujus magnæ rei sacramento, cujus cognitio fidem formamque pietatis ædificet.

2. [lb. xxvi, 1, 6.] Jubet ergo Deus Moysi facere tabernaculum decem aulæorum de bysso torta, et hyacintho, et purpura, et cocco torto, Cherubini opere textoris: *ἀβάλας* quas Græci appellant, Latini aulæa perhibent, quas cortinas vulgo vocant. Non ergo decem atria fieri jussit, sicut quidam negligenter interpretati sunt: non enim *ἀβάλας*, sed *ἀβάλας* dixit. Opere ergo textili Cherubini jussit in aulæis fieri, quorum aulæorum longitudinem esse præcepit cubitorum viginti octo, et latitudinem cubitorum quatuor. Cohærere autem invicem aulæa, et conjugungi inter se quinque hinc, et quinque inde, ut spatium quod eis cingeretur, hoc esset tabernaculi spatium. Quomodo autem inter se connecterentur eadem quina aulæa, ita præcepit, *Facies illis*, inquit, *ansas hyacinthinas in ora summa aulæi unius ex una parte in commissuram; et sic facies superiora summa<sup>3</sup> ad commissuram secundam*: id est, ubi committitur aulæum aulæo, tertium scilicet secundo, quod secundum jam cum primo commissum est, id est conjunctum atque connexum, faciem contra faciem consistentia ex adverso singula; quoniam inter se jussit quina<sup>4</sup> conjugungi, ut ex adverso constituerentur. Utrum autem quadrum spatium his concluderetur, an rotundum, nondum apparet; sed apparebit cum de columnis cœperit dicere, quibus protenduntur aulæa. Non ergo amplius quam de trium connexionem dicere voluit, quæ sit in

duabus commissuris, secundi ad primum, et tertii ad secundum, ut ex hac veluti regula cætera jungerentur. Ansas ergo præcepit fieri primo aulæo quinquaginta, ex una parte qua illi fuerat committendum secundum; et ansas quinquaginta tertio aulæo, ex ea parte qua secundo conjungebatur: ipsum autem secundum, id est inter utrasque ansas quinquagenas medium, circulos habere voluit quinquaginta aureos, utique ex una parte, per quos conjungeretur quinquaginta ansis aulæi primi; ac per hoc consequens erat ut ex alia quoque parte circulos totidem haberet, per quos conjungeretur ansis aulæi tertii. Quod breviter Scriptura ita dixit: *Et facies circulos quinquaginta aureos, et conjunges aulæum ad aulæum circulis, et erit tabernaculum unum*. Circuli ergo quinquaginta aurei secundi aulæi, inserebantur quinquaginta ansis<sup>1</sup> hyacinthinis primi aulæi; quinquaginta circuli inserebantur et quinquaginta ansis tertii aulæi; et deinceps ita cæteri connectebantur, ut quinque complecterentur, atque ex adversa parte alia similiter quinque.

3. [lb. 7-11.] Deinde dicit, *Et facies vela capillacia operire super tabernaculum*: id est, quæ venirent super, non a parte tecti, sed supercingendo. Dicimus enim et sic aliquid superponi, non quemadmodum tectum domus, sed quemadmodum tectorium parietis, tanquam super lineam fasciam. *Undecim*, inquit, *vela facies ea: Longitudo veli unius erit triginta cubitorum, et quatuor cubitorum latitudo veli unius: mensura eadem erit undecim velorum. Et conjunges quinque vela in se, et sex vela in se*. Quomodo illa aulæa voluit quina conjugungi, sic ista vela quinque et sex, quæ undecim erant, non decem. *Et duplicabis*, inquit, *velum sextum secundum faciem tabernaculi*: ne moveret<sup>2</sup> quia impariliter alterutrum incurrebant sex et quinque. Deinde dicit etiam ista vela capillacia, quemadmodum sibiinet jungerentur. Et idem dicit, sed fortasse planius, *Et facies*, inquit, *ansas quinquaginta in ora veli unius, quod contra medium est*, id est, contra secundum, quia ipsum erit medium inter primum et tertium: *secundum commissuram*, id est, juncturam. *Et quinquaginta ansas facies super oram veli, quod conjunctum est ad secundum velum*, id est super oram tertii veli, qua conjungitur secundo. *Et facies circulos æreos quinquaginta, et conjunges circulos de ansis; et conjunges vela, et erit unum*. Circulos ergo medio velo voluit apponi, id est secundo, quibus quinquagenis ansis jungeretur primo et tertio. Nihil hic aliud est, nisi quod circulos non aureos, sed æreos fieri nunc præcepit. Ansas autem in aulæis hyacinthinas dixerat: in velis autem capillaciis quoniam tacuit cujusmodi essent ansæ, quid nisi capillacias eas credibiliter accipimus?

4. [lb. 12-14.] Quod deinde sequitur ita est ad intelligendum difficile, ut verear ne exponendo fiat obscurus. Dicit enim, *Et suppones in velis tabernaculi*

<sup>1</sup> In editis, *intravit*. In Mss., *intrant*.

<sup>2</sup> Plures Mss., *interim ad proprietatem narrationis, excepta (vel expectata)*, et in aliud, etc. Vaticani duo: *Interim quantum ad proprietatem narrationis spectat, et in aliud*.

<sup>3</sup> Sic in Mss. et apud LXX. At in editis, *facies summam*. — In B., *facies super ora summa*. M.

<sup>4</sup> Editi, *ea*. Mss., *quina*.

<sup>1</sup> In excusis docerant hic decem verba, nunc restituta ex Mss. qui paulo post habent, *completerentur*; pro, *complecterentur*.

<sup>2</sup> Excusi, *ne moveret*. Mss., *ne moveret*, id est, ne faceretur difficultatem.

dimidium veli quod superaverit, subteges quod abundat de velis tabernaculi, subteges post tabernaculum. Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi, hinc atque hinc ut operiat. Cum sextum velum jussit duplicari secundum faciem tabernaculi, quid dicat superare in velis dimidium veli; et quid dicat, Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc, cum dimidium veli quindecim cubita sint, quoniam triginta cubitorum jussit esse unum velum, quis facile intelligit? Aut si propterea superat de longitudine velorum, quia prima aulaea de hyssopis et cocco et purpura et hyacintho viginti octo cubitis longa esse præcepit, ista vero capillacia triginta cubitorum esse voluit, duobus cubitis superantur singula aulaea a singulis velis capillaciis: quæ in summam ducta, excepto undecimo quod duplicari jussit, viginti cubita exrescunt, quibus superatur ambitus aulaeorum ambitu capillaciorum. Decem quippe velorum cubita bina, quibus longiora erant, viginti faciunt: quorum ex utroque latere decem hinc et decem inde poterant superare, non cubitum ex hoc et cubitum ex hoc, sicut Scriptura loquitur. Quapropter differenda mihi videtur hujus loci expositio, donec tabernaculum columnis omnibus, cum atrio, quod circumponitur, omni ex parte consistat. Fortassis enim per anticipationem aliquid dicit de his velis capillaciis, quod ad illa proficiat, de quibus nondum locutus est. Quod enim dicit, *Et facies vela capillacia operire super tabernaculum*, utrum universum tabernaculum his velis cooperiri velit cum atrio scilicet, de quo circumponendo postea loquitur; an hoc interius tabernaculum, quod decem aulaeis fieri jussit, incertum est. Sequitur ergo et dicit, *Et facies operimentum tabernaculo, pelles arietum rubricatas*. Etiam hoc operimentum utrum universo tabernaculo fieri jussit in circuito, an interiori tantum, similiter habetur incertum. Quod vero adjungit, *Et operimenta pelles hyacinthinas desuper*, hoc non in circuito, sed a tecto velut camera accipiendum est.

5. [lb. 15-21.] *Et facies, inquit, columnas tabernaculo de lignis imputribilibus: decem cubitorum columnam unam, et cubiti unius et dimidii latitudinem columnæ unius; duos anconiscos columnæ uni consistentes ex adverso: sic facies omnibus columnis tabernaculi.* Quare jussit fieri hos anconiscos, de quibus antea dixi quid essent (*Supra, quæst. 109*), non satis mihi apparet. Si enim ad columnas portandas fierent, quatuor ut minimum plerent<sup>1</sup>: si autem ubi seræ incumbere, etiam plures fierent; nam quinas seras singulis columnis distribuit. Nisi forte in his anconiscis non aliquis usus, sed sola significatio sit, sicut in velo undecimo capillacio. Nam columna duos anconiscos velut brachia hinc atque hinc extendens, figuram crucis reddit. Nunc jam videamus numerum columnarum, in quibus et forma tabernaculi possit adverti, utrum quadra, an rotunda sit, an oblongam habeat quadratu-

<sup>1</sup> Editi, omnes columnas. Mss. et LXX, omnibus columnis.

<sup>2</sup> Sic. Mss. At editi excepto Rat. sic habent: si enim ad columnas portandas, fierent quatuor, ut in unum fierent.

ram, lateribus longioribus brevioribus frontibus sicut pleraque basilicæ construuntur: hoc enim potius hic evidenter exprimitur. Nam ita dicit: *Et facies columnas tabernaculo, viginti columnas ab latere isto, quod respicit ad aquilonem. Et quadraginta bases argenteas facies viginti columnis, duas bases columnæ uni in ambas partes ejus. Et latus secundum contra austrum viginti columnas, et quadraginta earum bases argenteas; duas bases columnæ uni in ambas partes ejus, et duas bases columnæ uni in ambas partes ejus.* Repetitio non moveat; quia locutionis est, ut omnes ita intelligantur de quibus non dicit. De basibus autem jam antea diximus, cur una columna duas habeat, quia et capita hoc loco bases vocat (*supra, quæst. 110*).

6. [lb. 22-25.] Videmus igitur vicenis columnis porrecta duo latera tabernaculi aquilonis et austri: duo sunt reliqua, orientale et occidentale, quæ si totidem columnas habuissent, procul dubio quadrum esset. Quot autem habeat, de occidentali non tacetur, de orientali tacetur: utrum quia non habuit, et sola illic sine columnis extendebantur aulaea ab extrema columna unius lateris usque ad alterius alteram extremam; an aliqua causa taceantur, ut etiam tacite intelligantur, nescio. Postea quippe ex ipsa parte orientis decem columnæ commemorantur, sed atrii de quo post loquitur, quod huic tabernaculo circumponi jubet. Commemoratis ergo lateribus tabernaculi aquilonis et australi in vicenis columnis, deinde sequitur et adjungit, dicens: *Et retro tabernaculum per partem quæ est contra mare, facies sex columnas: et duas columnas facies in angulis tabernaculi a posterioribus, et æquales deorsum versus; et in se convenientes erunt, æquales de capitibus in commissuram unam. Sic facies ambobus duobus angulis; æquales sint. Et erunt octo columnæ, et bases earum argenteæ sexdecim: duæ bases columnæ uni, et duæ bases columnæ uni in ambas partes ejus.* De basibus similis ratio et similis locutio est. Latus itaque occidentis, nam hoc est ad mare, columnis octo extenditur; sex mediis, et duabus angularibus quas æquales ad unam commissuram dicit esse debere; credo quod angulus duo in se latera committat, et sit columna angularis lateri utriusque communis, ista occidentali et aquiloniæ, illa occidentali et australi. Quod autem dicit etiam æquales deorsum versus hoc utique dicit, ut ad perpendicularum libarentur, ne robustiores essent infra quam supra, sicut pleraque columnæ sunt.

7. [lb. 26-29.] Deinde dicit: *Et facies seras de lignis imputribilibus, quinque uni columnæ ex una parte tabernaculi; et quinque seras columnæ lateri tabernaculi secundo; et quinque seras columnæ posteriori lateri tabernaculi, quod est ad mare.* Mirum si dubitari potest, latus orientale columnas non habuisse in hoc interiore tabernaculo, cui postea circumponitur atrium. Singulas quasque igitur columnas omnium trium laterum habere seras quinas jubet. *Et sera, inquit, media inter medias columnas pertranscat ab uno latere in alium latus.* Hoc videtur dicere, ut de columna in columnam sera perveniret, et per intervallum columnarum por-

<sup>1</sup> Editi, sic facies angulos duobus angulis. Mss., ambobus duobus; secundum LXX, ambobus; sic latus dicitur ambobus.

rigeretur a latere unius usque in latus alterius : ac per hoc una ex his omnibus columna non erat habitura proprias quinque seras; ad quam extremam quinque perveniebant a columna sibi proxima venientes. *Et columnas, inquit, inaurabis auro, et annulos facies æreos, in quos induces seras, et inaurabis auro seras.* Ne columnæ foraminibus cavernarentur, quo intrarent seræ, annulos fieri jussit, quibus ex utraque parte continerentur fines serarum. Proinde intelliguntur hi annuli fixis in ligno ansulis pependisse, ut extremas partes serarum possent capere et continere.

8. [Ib. 30-37.] *Et eriges, inquit, tabernaculum secundum speciem quæ monstrata est tibi in monte. Et facies velamen de hyacintho et purpura et cocco torto et bysso neta; opus textile facies illud Cherubim<sup>1</sup>. Et superimpones illud super quatuor columnas imputribiles inauratas auro, et capita earum aurea, et bases earum quatuor argenteæ. Et pones velamen super columnas, et induces illuc, interius quam velamen est<sup>2</sup>, arcam testimonii: et dividet vobis velamen inter medium sancti et inter medium sancti sanctorum. Et cooperies de velamine arcam testimonii in sancto sanctorum<sup>3</sup>.* Hæc omnia manifesta sunt, interius intra velamen hoc quatuor columnis impositum fuisse arcam testimonii: quam non sic operiri jussit velamine, ut super arcæ coopericulum jaceret velamen, sed ut contra statucretur<sup>4</sup>. Deinde dicit: *Et pones mensam foris extra velamen; et candelabrum contra mensam in parte tabernaculi, quæ respicit ad austrum: et mensam pones in parte tabernaculi, quæ respicit ad aquilonem.* Etiam hoc planum est. Quod autem sequitur, *Et facies adductorium de hyacintho et purpura et cocco torto et bysso torta, opus variatoris. Et facies velamini quinque columnas, et inaurabis illas auro, et capita earum aurea: et conflabis eis quinque bases æreas:* cui usui velamen hoc fiat quinque columnis extentum, post apparebit, nam hic non apparet. Vult enim illud esse velamen ostii tabernaculi, hujus videlicet interioris, cui circumponitur atrium. Deinde jubet altare fieri sacrificiorum et holocaustomatium: et dicit quemadmodum fiat: nondum autem dicit ubi ponatur; sed hoc quoque post apparebit.

9. [Ib. xxvii, 9-13.] Hinc jam de atrio loquitur usque in finem, quod circumponendum est tabernaculo illi, de quo prius constituendo locutus est. *Et facies, inquit, atrium;* quod dicitur græcè ἀδύα, non ἀδύατα: quod quidam interpretes nostri non discernentes, et hoc et illa aulæa, quas ἀδύατα non ἀδύατα Græci dicunt, atria interpretati sunt dicentes, *Et facies tabernaculum decem atriorum,* ubi decem aulæarum dicere debuerunt. Nonnulli autem multo imperitiores, januas interpretati sunt et ἀδύα; et ἀδύατας. Sicut au-

<sup>1</sup> In editis, *super Cherubim.* At in Vss. et apud LXX, absque articulo, *super,* legitur *facies illud i herubim.* Hebraismus est, quo præcipitur velamen artificis industria; argentum imaginibus alatis, sive potius, uti habet versio vulgata, *pulchra varietate contexendum.*

<sup>2</sup> Sic Mss. juxta græc. LXX: *kai eisōtseis ekei esēteron ton katapetasmatos.* Adeoque perperam in antea excusis, et induces illud interius ubi velamen est.

<sup>3</sup> Editi, *in sanctis sanctorum.* Vaticanæ Mss. juxta græc., *in sancto sanctorum.*

<sup>4</sup> In editis, *contra mensam statucretur.* Absc. *mensam,* a Mas

tem in lingua latina invenimus aulæa, quas Græci ἀδύατα vocant; ita quam Hii appellant ἀδύα, nostri aulam vocaverunt. Sed jam non atrium isto nomine, sed domus regia significatur in latina lingua; apud Græcos autem, atrium. Ergo, *Et facies, inquit, atrium tabernaculo in latere quod respicit ad austrum; et tentoria atrii ex bysso torta; longitudo sit centum cubitorum uni lateri: columnæ eorum viginti, et bases earum æreas viginti; et circuli earum, et arcus earum argentei.* Sic et lateri quod est ad aquilonem, tentoria centum cubitorum longitudinis; et columnæ eorum viginti, et bases earum æræ viginti, et circuli earum, et arcus columnarum, et bases inargentatæ argento. Latitudo autem atrii quæ est ad mare, tentoria ejus quinquaginta cubitorum; columnæ eorum decem, et bases earum decem. Et latitudo atrii quod est ad orientem, quinquaginta cubitorum; columnæ ejus decem, et bases earum decem.

10. Hic jam videmus commemorari columnas ab oriente, cum loquitur de atrio, et eas decem dicens cum basibus æreis, sicut dixit etiam de occidentilibus: ubi difficillima oritur quæstio. Nam facile est quidem ut accipiamus ab oriente unum ordinem columnarum ad atrium pertinentium, quo tabernaculum interius per omnes quatuor partes cingitur; quia non habebat ex ea parte columnas tabernaculum interius: ab occidente autem ubi jam erant interioris tabernaculi columnæ octo, quomodo etiam istas decem, quas exterioris atrii commemorat, accepturi sumus, tanquam ab occidente duo sint ordines columnarum, interiorum octo, et exteriorum decem? Quod si ita est, longiora erunt etiam latera atrii exterioris, quam tabernaculi interioris, ut sit unde ab extremo in extremum alius columnarum ordo dirigatur, et non incurrat in ordinem priorem ad interius tabernaculum pertinentem. Et si hoc est, consequens erit ut vicinæ illæ columnæ duorum laterum tabernaculi interioris, austri et aquilonis, intervallis brevioribus dirimantur, quam illæ vicinæ quas habet atrium exteriorius ex eisdem lateribus. Et quia illi exteriores ordines vicinarum columnarum, sicut Scriptura loquitur, centena cubita tenent; isti interiores totidem columnarum quotlibet minus cubita teneant, quoniam hoc Scriptura non expressit, consequens erit ut octo columnæ illæ tabernaculi interioris in latere occidentali rariores sint quam vicinæ illæ ejusdem tabernaculi australes et aquiloniæ, ut possit comprehendi spatium quantum sufficit decem illis aulæis circumtendendis, quibus primitus dixit hoc tabernaculum fieri. Habent enim cubita vicena et octona, quæ sunt simul ducenta octoginta: quorum si centena essent in lateribus duobus austri et aquilonis, ubi vicinarum columnarum ordines sunt, quadragesima utique cubita tenderentur per alia duo latera orientis et occidentis, et proportionem occurrerent in octo columnis cubita quadragesima, sicut in viginti columnis cubita centum; sed non essent longiora latera exterioris atrii, quoniam centenis cubitis definita sunt; et idem non esset quemadmodum ille ordo decem columnarum ab az-

<sup>1</sup> Editi, *earum.* At Vss., *earum:* refertur ad tentoria.

gulo australi in angulum aquilonium includeret ordinem interiorum octo columnarum. Proinde ut atrio undique circumdatur interior tabernaculum, oportet illud esse etiam longitudinis brevioris: atque ita necesse sit vicenas ejus columnas in duobus lateribus, quibus in longum porrigitur, densius constitui, quam sunt atrii exterioris etiam ipsæ vicenæ; et rariis octo columnas tabernaculi interioris a parte occidentis, quam decem ex eadem parte atrii exterioris: quoniam quidquid minus cubitorum ex illis aulæis extenditur in columnis vicenis duorum laterum ad austrum et ad aquilonem, compensandum est latitudine orientalis et occidentalis lateris, ut ducenta octoginta cubita consummentur aulæorum. Non enim sicut de velis capillaciis, ubi unum plus est, ita et de his aulæis jussit aliquid duplicari. Quapropter si tantum breviatur longitudo tabernaculi interioris, quod ab atrio exteriori posset includi, ut in vicenis ejus columnis non centena cubita tendantur aulæorum; sed verbi gratia, ut minimum nonagena et sena, ut quaternis cubitis breviora sint: hæc ipsa quaterna cubita, id est octo cubita in duos alios lateribus utique tendenda sunt, orientali et occidentali; ac sic in illis octo columnis occidentalibus tabernaculi interioris non extendantur cubita quadraginta, sed quadraginta quatuor, et alia quadraginta quatuor ab oriente. Cum ergo in decem columnis exterioris atrii tenduntur cubita quinquaginta, in octo autem interioris tabernaculi tenduntur cubita quadraginta quatuor, rariora inveniuntur intervalla interiorum octo columnarum quam exteriorum decem: quia si paria essent, ita in columnis octo quadraginta cubita tenderentur, sicut quinquaginta tendebantur in decem; quoniam quod sunt proportione octo ad decem, hoc sunt quadraginta ad quinquaginta. Quinarium quippe numerum quadraginta octies habent, quinquaginta decies.

11. [Ib. 14-16.] Nec nos moverent columnarum intervalla disparia, quod densiores in lateribus longitudinis ponerentur, ubi vicenæ sunt, rariiores autem in latero latitudinis, ubi octo sunt, nisi aliud existeret quod urgeret mutare sententiam. Cum enim commemorasset longitudinem atrii ad mare habere tentoria quinquaginta cubitorum, et columnas decem, et bases earum decem; et latitudinem atrii ad orientem item quinquaginta cubitorum, et columnas decem et bases decem; atque his dictis perfecta videretur forma tabernaculi cum atrio suo undique ambiente, injecti aliud, quod ubi et quomodo intelligendum sit, difficillime reperitur: *Et quindecim*, inquit, *cubitorum tentorium altitudo lateri uni: columnæ eorum tres, et bases earum tres. Et latus secundum, quindecim cubitorum tentorium altitudo: columnæ eorum tres, et bases earum tres. Et portæ atrii tegumen viginti cubitorum altitudo de hyacintho et purpura et cocco neto et bysso torta, varietate acn picta: columnæ earum quatuor et bases earum quatuor.* Hæc ubi constituentur, perfecta illa forma tabernaculi, non video: sed plane video eundem esse numerum columnarum decem, in tribus et tribus et quatuor, ternis scilicet a la-

tribus et quatuor in medio. Ac per hoc tentoria illa quinquaginta cubitorum non contexta erant, ne aditus in atrio nullus sit: sed quindecim cubitis media viginti cubita separabuntur, ut faciant portæ tabernaculi tegumen, hoc est velum, quod ornamento velamentoque dependeat, et teneat spatium quatuor columnarum, quod portæ atrii deputatum atque separatam est. Ideo velamen ipsum a lateribus quindecim cubitorum divisum atque separatum, etiam specie distingui voluit, ut opere acn picto quatuor illis coloribus variaretur. Sed latera ista quindecim cubitorum hinc atque hinc ternas columnas habentium, si ad eandem lineæ rectitudinem portæ atrii conjungantur, non erit spatium inter decem columnas exterioris atrii et octo interioris tabernaculi, ubi sit altare quinque cubitorum, quadrum occupans spatium; et ante ipsum altare, ubi servietur altari; et inter ipsam et ostium tabernaculi interioris, ubi sit labrum æneum. Sic enim poni jussum est, unde manus et pedes sacerdotes lavent, quando intrant tabernaculum, vel quando accedunt ut altari deserviant: quod nisi foris a tabernaculo in atrio intellexerimus, quomodo possunt prius lavare manus et pedes, et sic tabernaculum introire? Foris autem ab atrio non possumus altare statuere; quia et tabernaculum et altare circumdari atrio præcepit. Restat igitur ut illa latera quindecim cubitorum hinc atque hinc, et columnarum ternarum, sic accipiamus a lateribus, ut ipsa faciant intervallum totidem cubitorum<sup>1</sup> inter portam atrii et ostium tabernaculi interioris: portam quidem patentem viginti cubitis in quatuor columnis, et habentem velum acn picto opere variatum viginti cubitorum; ostium vero tabernaculi interioris, ubi ponatur velamen illud in quinque columnis extantum: quod utique non intra illum ordinem octe columnarum, sed extra foris ad atrium positum intelligere debemus. Tunc enim erit velum ostii tabernaculi, quod ostium tanquam valvis aperiebatur, ubi aulæa inter se circulis et ansis non conjungebantur. Aut si forte intra illum ordinem octe columnarum tabernaculi interioris, opponeretur hoc velamen in quinque columnis ostio tabernaculi, ut quando aperiebatur, interiora non nudarentur, ne a prospicientibus viderentur; quod tamen velamen sive interioris ab illo ordine columnarum, sive exterioris poneretur, quod non satis clucet: procul dubio distabat moderato intervallo ab eodem ordine columnarum, ne quinque columnæ ad quatuor columnas densius constipatæ, intercluderent potius aditum, quam velarent.

12. Secundum istum itaque modum, et secundum hanc formam tabernaculi nihil jam opus est vicenas illas columnas laterum interioris tabernaculi ad austrum et aquilonem constituere densiores, et rariiores illas octo facere quæ ab occidente fuerant. Decem quippe illæ atrii exterioris ab eadem parte occidentis non longum ordinem faciunt columnarum, quo includantur octo interiores, sed ternis ab utro-

<sup>1</sup> Sic Mas. At editi, *aliquot cubitorum*.



que latere constitutis, et quatuor in porta<sup>1</sup>, spatium concludunt, ubi et altare sit holocaustatum intra portam atrii ante ostium tabernaculi; et labrum inter ostium tabernaculi et altare; et intervallum necessarium ministerio inter altare et portam atrii: et sic illud totum spatium atrii concluditur columnis decem, tribus ab aquilone, et tribus ab austro, et quatuor ab occidente, tanquam si  $\Pi$  græcam litteram facias. Et sic adijungebatur idem spatium longiori ordini columnarum tabernaculi interioris, tanquam si ad litteram memoratam, ex ea parte qua non habet, adjungas litteræ productionem quæ iota dicitur; ut ejus parte quæ in medio est, ab eo latere concludatur, et restent hinc atque inde ex ipso iota reliquæ partes. Poterant ergo numerari decem columnæ in illo longo ordine partis occidentalis tabernaculi interioris, sed cum illis octo adderentur duæ, quæ fuerant ultimæ in ordinibus laterum atrii aquilonis et austri. Nam et illæ decem quæ proprie ad atrium pertinerent a parte occidentis, unde et intrabatur ad tabernaculum, ternas habebant in lateribus, et quatuor in fronte, ubi porta erat, atque ita spatium usui sacrificiorum necessarium intra atrium ante tabernaculum amplectebantur. In ternis autem columnis quæ fuerant a lateribus, tentoria erant de bysso quindenarium cubitorum: in quatuor autem ubi porta erat, velum erat viginti cubitorum acupicto opere variatum.

13. [Ib. xxxviii, 9-18.] Nec moveat quod ait Scriptura, *Quindecim cubitorum tentorium altitudo lateri uni: columnæ eorum tres, et bases earum tres. Et latus secundum quindecim cubitorum tentorium altitudo: columnæ eorum tres, et bases earum tres. Et portæ atrii tegumen viginti cubitorum altitudo.* Altitudinem quippe eandem dicit, quæ fuerat longitudo tentorium. Eadem quippe altitudo est cum textuntur, quæ longitudo est cum tenduntur. Quod ne suspicari videamur, alio loco idipsam Scriptura commemorans ait, *Et fecerunt atrium quod est ad austrum, tentoria atrii de bysso torta, centum per centum: id est, centum cubita tentorium per centum cubita spatii quod tenebant viginti columnæ. Deinde sequitur: Et columnæ eorum viginti, et bases earum viginti æreæ. Et latus quod ad aquilonem centum per centum, et columnæ eorum viginti<sup>2</sup>, et bases earum viginti æreæ: et latus quod est ad mare, aulæa quinquaginta cubitorum: columnæ eorum decem, et bases earum decem.* Eadem dicit aulæa quæ tentoria. *Et latus quod est ad orientem, quinquaginta cubitorum tentoria.* Post hæc redit ad posteriora tabernaculi, ut ostendat quemadmodum illæ decem columnæ spatium de quo loquebatur, atrii complectebantur. *Quindecim cubitorum, inquit, quod est a dorso.* Dorsum appellat, quia posteriora tabernaculi erant, id est a parte occidentis. *Et columnæ, inquit, eorum tres, et bases earum tres. Et a dorso secundo hinc et hinc secundum portam<sup>3</sup> atrii aulæa quindecim*

<sup>1</sup> Rat. et Lov., *impar*. Am. Er. et quinque Mss., *in portam*. Alii Mss., *in porta*.

<sup>2</sup> Editi, excepto Rat., *viginti æreæ*. Abest *æreæ* a Mss. et a LXX.

<sup>3</sup> Editi, *partem*; pro quo Mss., *portam*. Sic etiam LXX.

*cubitorum: columnæ eorum tres, et bases earum tres.* Manifestum est certe eadem duo dorsa dici hoc loco, cum commemorantur omnia quemadmodum facta sint, quæ latera dicebantur, quando præcipiebatur ut fierent: latera scilicet quia hinc atque inde conjuncta portæ occidentalis<sup>1</sup> atrii spatium concludebant; dorsa vero, quod a tergo tabernaculi erat hæc pars atrii, id est a parte occidentali. Sequitur autem et dicit: *Omnia aulæa atrii de bysso torta, et bases columnarum æreæ, et ansæ earum argenteæ, et capita earum inargentata argento; et columnæ inargentatæ argento, omnes columnæ atrii.* Deinde adjungit quod nondum isto loco commemoraverat: *Et vela memorati atrii<sup>2</sup> opus variatoris, de hyacintho et purpura et cocco noto et bysso torta; viginti cubitorum longitudinem et latitudinem.* Ecce ubi apparet eandem dictam superius altitudinem, quæ aulæarum extensorum fuerat longitudo. Denique addit: *Et latitudinem quinque cubitorum.* Tot enim cubitis latitudinis erigebantur tentoria exterioris atrii, sicut interioris cubitis quatuor. Sic autem et, superius dixerat: *Longitudo autem atrii centum per centum, et latitudo quinquaginta per quinquaginta, et altitudo quinque cubitorum ex bysso torta.* Hanc latitudinem dicens quam postea altitudinem dixit; quoniam quæ jacentium latitudo est, eadem erectorum altitudo. Sicut quod paulo ante commemoravi, quæ cum textuntur altitudo est, eadem cum tenduntur longitudo est.

14. [Ib. xxvi, 12, 9, 13.] Nunc jam quod distuleram, videamus; quomodo ex hac forma universi tabernaculi, quam sicut portui ante oculos collocavi, difficultas illa solvatur de capillaciis velis. Quæ fortasse ideo erat abstrusior, quia per anticipationem ibi aliquid dictum est, quod proficeret operi, de quo postea fuerat locuturus, cum atrium tabernaculo circumponendum describeret. Nunc itaque verba ipsa videamus. *Et suppones, inquit, quod superabis in velis tabernaculi, dimidium veli quod superabit subleges; quod abundat in velis tabernaculi, subleges post tabernaculum.* Hoc totum quod dictum est unum sensum habet, quia dimidium veli quod superaverit, hoc est, id quod abundaverit de velis tabernaculi, sublegendum est post tabernaculum. Quomodo ergo superet, id est, abundet et restet dimidium veli, ex illa serie connexorum velorum oportet inquirere: quoniam quinque in se, et sex in se connecti voluit, sicut superius loquens dixerat, sextum velum a facie tabernaculi duplicandum, id est ab oriente. Toties enim posteriora tabernaculi a parte occidentis esse significavit, id est ad mare. Quid igitur facies tabernaculi, nisi pars illa intelligenda est quæ est ad orientem? Pars ergo illa qua vela quinque connexa sunt, habet cubita centum quinquaginta, hoc est quinquies tricena (tricenorum enim cubitorum erant singula, sicut ea Deus fieri jusserat): illa vero pars in qua erant non quinque, sed sex vela sibimet similiter connexa, cubita habebat centum octoginta, id est sexies tricena.

<sup>1</sup> Cisterciensis Ms., *conjuncta a parte occidentali*.

<sup>2</sup> Legitur apud LXX, Exodi cap. 37, *Et retamen portæ atrii confer vulgat. Exodi cap. 38, v. 18.*

ac per hoc duplicato ex eis uno velo, sicut iussum est, secundum faciem tabernaculi, minuebantur in ea duplicatione cubita quindecim; quibus detractis, centum sexaginta quinque remanebant. Et ideo post centum quinquaginta cubita, quibus illi parti quinque velorum etiam ista pars sex velorum æquabatur, superabant atque abundabant cubita quindecim. Illinc enim erant a parte quinque velorum, cubita centum quinquaginta: hinc autem a parte sex velorum, duplicato uno velo secundum faciem tabernaculi, erant cubita centum sexaginta quinque. Plus ergo habebat pars ista cubita quindecim. Hoc dicit dimidium veli, quod iubet subtegi post tabernaculum, ut quia illud a facie duplicatum est, hoc dimidium redundans a posteriore parte tabernaculi non duplicaretur, sed subtegeretur, id est, omnia ipsa quindecim cubita subtermissa tegerentur: ac sic et ipsa illi longitudini detraherentur, sicut illa itidem quindecim a facio tabernaculi unius veli duplicatione detracta sunt: eoque modo centum quinquaginta cubitis quinque velorum occurrerent ex alia parte centum quinquaginta cubita sex velorum; triginta scilicet cubitis de centum octoginta detractis, a facie tabernaculi velo duplicato, et a posterioribus tabernaculi dimidio velo subtecto.

15. Jam illud quod sequitur aliud est, et aliam questionem infert, propter quam maxime hujus loci expositionem differendam putavi, ut prius et formam constituendi tabernaculi, et de alio circumponendo quod scriptum est videremus. Sequitur ergo: *Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi hinc atque hinc, ut operiat.* Aliud est quod superabit una pars sex velorum aliam partem quinque velorum, propter ampliorem velorum numerum, unde jam diximus: aliud quod superabit de longitudine velorum, unde nunc dictum est. Ita enim non pars parti comparatur, et altera alteram superare invenitur; illa scilicet, quæ vela sex habet, illam quæ vela quinque habet; quæ ambæ ut sibimet æquarentur, a facio tabernaculi facta est unius veli duplicatio, a tergo dimidii subtectio: sed ipsa vela capillacia comparata aulæis, ex quibus decem iussit fieri interius tabernaculum quatuor coloribus textis, longiora reperiuntur cubitis binis. Ea enim erant aulæa singula cubitorum viginti octo, ista triginta: ideo hic non ait, Ex eo quod superat de velis; sed, *Ex eo quod superat velis de longitudine velorum.* Quid est ergo, *Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc, erit contegens super latera tabernaculi,* nisi quia illa longitudo in qua binis cubitis vela capillacia longiora sunt aulæis, singulis singula, non tota in unam partem cogenda est, id est, ut quidquid superat, ad posteriora tabernaculi colligatur; sed distribatur ex æquo, tantumque ejus ad priora tabernaculi, quantum ad posteriora tribuatur: id est, quoniam duo cubita in singulis velis eandem quæ superat longitudinem faciunt, ut cubitum inde auferat pars ista, et cubitum illa; ita de singulis cubitis suis habebit pars ista cubita decem, et illa de suis singulis

decem; quoniam decem vela binis cubitis longiora, viginti cubitorum longitudinem faciunt, qua videntur superare serie sua seriem aulæorum?

16. Deinceps videndum est hæc viginti cubita, quæ superant de longitudine velorum, cui spatio cingendo proficiant. Si enim velis capillaciis interius tabernaculum circumtegitur, ita superant, ut quid ex eis cooperiatur non sit omnino. Unde restat etiam ipsa subtegi, et subtegendo detrahi, quod Scriptura non dicit. Aulæa quippe decem, quæ habent cubita vicena et octona, quibus interius tenditur tabernaculum, circumplectuntur spatium quantum possunt circumplecti cubita ducenta octoginta: unde latera illa longiora australe et aquilonium, habentia vicenas columnas, auferunt ex his cubitis centena<sup>1</sup> cubita; restant octoginta, quæ duobus reliquis lateribus brevioribus, orientali quod non habet ordinem columnarum, et occidentali ubi erant columnæ octo, quadragesima distribuuntur. Proinde in capillaciis velis, quoniam detractis triginta cubitis trecenta restabant, si trecentis cubitis capillaciorum velorum, ducenta octoginta cooperiantur aulæorum, ita supererunt viginti, ut non sit quod ex eis tegatur. Proinde duo illa cubita, quæ singula capillacia plus habent, ex quibus summa viginti cubitorum collecta est, sic distribuenda sunt. *Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc;* id est, ne omnia in unam partem cogantur, ut proficiant operiendis lateribus tabernaculi, sed exterioris atrii, id est, omnia illa trecenta cubita velorum capillaciorum extrinsecus tabernaculum cingant. Adjunctis quippe lateribus atrii exterioris centenum cubitorum, id est<sup>2</sup>, austri et aquilonis, quinquagesima cubita supersunt orientis et occidentis, quæ omnia sunt trecenta, quibus cooperiendis capillaciorum trecentena sufficiunt. Hoc est quod ait, *Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc;* id est, distributio duorum cubitorum, quibus unumquodque velum capillacium longius est, hoc est *ex eo quod superat velis de longitudine velorum, erit contegens super latera tabernaculi;* illa scilicet exteriora quæ ad atrium pertinent, *hinc atque hinc ut operiat:* nec illa ipsius atrii, quæ centenis cubitis et vicenis columnis tenduntur; ipsa enim non sunt facta longiora, quam illa interioris tabernaculi quæ decem aulæis tenduntur, et vicenas etiam ipsa columnas habent. Nam sicut interioris tabernaculi duo latera ab aquilone et austro centenis cubitis porriguntur, ita et exterioris atrii. Non ergo ad ipsa exteriora totidem columnarum latera tegenda capillaciorum velorum proficit longitudo, qua longitudinem superant aulæorum. Tantum enim dant exterioribus lateribus, quantum et interioribus darent, id est cubita centena, quæ sunt ducenta: sed quia lateribus orientis et occidentis sufficerent latera quadragesima, si tantummodo interius tabernaculum velis capillaciis cingeretur; additis autem lateribus atrii crevit tabernaculi latitudo, ut tegendis lateribus

<sup>1</sup> Editi, *ducenta.* Mss. vero, *centena:* id est, duo latera auferunt sua quodque centum cubita.

<sup>2</sup> Lov., *centum cubitorum, id est.* Et paulo post, *quinguenti cubita,* pro *quinquagesima,* ex graviore certe ty.ographorum lapsu.

orientali et occidentali jam non quadragena, sed quinquagena cubita sint necessaria : ad ea tegenda proficere potuit capillaciorum velorum longitudo amplior quam aulaeorum ; ut non ambo cubita, quibus binis longiora sunt, ex una parte impenderentur, sed *cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc*; ac sic haberet ex ipsa superabundantia latus orientale cubita decem, et occidentale alia decem. Viginti enim sunt binia decem : quia veli undecimi<sup>1</sup> cubita triginta duplicatione et subtectione ab hoc ambitu detrahuntur.

17. Sed quoniam id quod Latine interpretatum est, *Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi*, graecus habet *πλάγια*, quæ latini nonnulli non *latera*, sed *obliqua* interpretati sunt, merito movet, quia etsi nihil hic videatur obliquum, ubi omnes anguli quatuor laterum recti sunt; *πλάγια* tamen dici latera illa non possunt, quorum unum est in facie, alterum retro, id est, orientale et occidentale, sed *πλάγια* dici possunt a dextro et a sinistro, id est, æquilonium et australe : cum ergo non sint ea *πλάγια* quæ habent cubita quinquagena, quibus lateribus tegendis proficere potuisset diximus superantem longitudinem capillaciorum velorum ; quomodo erit verum, *Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi*? Sed nimirum de illis lateribus tegendis loquitur, quæ etiam dorsa appellat quindenorum cubitorum columnarumque ternarum, quæ cum porta atrii habente cubita viginti et columnas quatuor, quinquaginta complent cubita et columnas decem. Hæc latera ex istis suis finibus in medio posuerunt atrii portam, ex illis autem ostium tabernaculi : inter portam atrii et ostium tabernaculi spatium jacet, quantum cubita illa concludunt viginti a porta, et dextra lævaque quindena. In eo spatio est altare holocaustorum intra portam atrii ante ostium tabernaculi ; et inter altare et ostium tabernaculi labrum arcum<sup>2</sup>, ubi sacerdotes manus et pedes lavabant. Diligenter autem mensuris examinatis, fortasse in istis lateribus ternarum columnarum, quæ *πλάγια* græce dicta sunt, nonnulla etiam obliquitas invenitur ; ut non frustra quidam interpretes nostri *obliqua* interpretarentur, quæ in græco *πλάγια* repererunt. Non enim vela capillacia quindenis cubitis suis possunt tegere quindena cubita tentorium in illis lateribus, nisi posterioribus partibus tabernaculi, antequam ad illa latera deflectantur, non amplius quam dena cubita impenderint. Ac sic ex linea recta posterioris tabernaculi, id est a parte occidentis ; quæ linea cum habuisset octo columnas pertinentes ad interius tabernaculum, decem habere cœpit additis lateribus atrii exterioris ; et cum habuisset cubita quadraginta ad

<sup>1</sup> Editi, *undecim*. Verius aliquot Mss., *undecimi*.

<sup>2</sup> Illic locus in integrum restituitur ope Mss. Vaticanus, Corbeiensis et Thuanei. Nam in editis Am. Er. et Lov. sic exhibebatur : *In eo spatio est altare tabernaculi, et inter altare tabernaculi labrum*, etc. Apud Nat. et aliquot Mss. : *In eo spatio est altare tabernaculi, et inter altare atque ostium tabernaculi l:b: un.*

octo columnas pertinentia, quinquaginta habere cœpit in columnis decem : ex hac ergo linea cum tecta fuerint velis capillaciis dena cubita ab utroque angulo venientia, restabunt in medio triginta non tecta velis capillaciis, sed illis tantummodo aulais ; in quorum triginta cubitorum medio, per quotlibet cubita tenderentur, erat ostium tabernaculi. Proinde illa latera ternarum columnarum et quindenorum cubitorum, si ex illis finibus suis quibus jungebantur portæ atrii, patebant inter se cubitis viginti, quia tantum habebat porta quæ illa latera dirimebat ; ex aliis autem finibus quibus hærebant posteriori illi lineæ tabernaculi, de qua locuti sumus, habebant inter se cubita triginta ; procul dubio erant obliqua : quoniam plus inter se patebant ex hac parte ubi habebant media cubita triginta, quam ex illa parte ubi habebant media cubita viginti. Ita illa decem cubita capillaciorum velorum, quod erat dimidium abundantis longitudinis, quæ proficiebant posteriori parti tabernaculi, hoc est occidentali, sicut alia decem proficiebant priori parti, id est orientali, quinque cubitis complebant tecturam laterum illosum, quæ græce *πλάγια* dicta sunt, inde quinque et hinc quinque. Quæ si defuissent, dena cubita tegerentur in eisdem lateribus, et quina nuda essent. Itaque, quantum mihi videtur, melius intelligitur hinc esse dictum, *Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi*, non quia erant, cum hinc et inde quina essent ; sed quia ex illa longitudine redundabant, in qua binis cubitis erant aulais capillacia longiora, ex quibus duobus cubitis uniuscujusque veli cubitum profecerat parti orientali : restabat utique alterum cubitum parti occidentali, ut cubitum ex hoc esset contegens super *πλάγια* tabernaculi. Unde dictum est, *hinc atque hinc ut operiatur*, quia non operiebat totum, si eadem quina cubita defuissent.

18. Nunc jam quoniam satis disputatum est, quomodo illa omnia intelligenda sint, quæ in tabernaculi constitutione videbantur obscura, breviter si possumus enitmur ostendere quid sit eadem disputatione confectum. Ab occidente igitur intrabatur, et prima erat ingrediendi porta atrii, quæ patebat viginti cubitis, et habebat quatuor columnas, quibus dependebat velum viginti cubitis extentum, erectum autem cubitis quinque, quatuor illis sæpe commemoratis coloribus ac picto opere variato. Hæc porta ingrediens excipiebatur atrio, ejus latera dextera lævaque quindenis cubitis et ternis columnis porrigebantur introrsus ; ut in medio ponerent ostium tabernaculi interioris, in ea parte quo perveniebant, sicut in medio ponebant portam atrii, ab ea parte unde incipiebant. Ille itaque atrium latus erat quam longius. Nam longitudo ejus erat a porta ipsius usque ad ostium tabernaculi interioris, in cubitis ferme quindecim : latitudo autem circa portam in cubitis viginti, circa ostium vero in cubitis triginta. Unde obliqua illa latera fuisse intelliguntur, quæ dextera lævaque in columnis ternis et quindenis cubitis erant. In hoc atrio erat altare sacrificiorum quadratum, quinque scilicet cubitis lou-

gum, et totidem latum. Inter portam et altare spatium erat, ubi versabantur qui sacrificia imponebant altari: introrsus vero inter altare et ostium tabernaculi, locus erat cineris ante altare<sup>1</sup>, et deinde labrum æneum ubi manus et pedes sacerdotes lavabant, vel altari in atrio servituri, vel tabernaculum interius ingressuri. Tentoria porro hujus atrii in lateribus ternarum columnarum byssina erant, extenta cubitis quindenis, erecta cubitis quinque.

19. Ab hoc ergo atrio intrabatur ostium tabernaculi cum transisset altare, et labrum æneum. Intrabatur autem apertis aulæis, quibus decem, quinque hinc et quinque inde ex adverso sibi met constitutis, totum ipsum interius tabernaculum cingebatur. Quod ostium ingresso occurrebat velum, quod ad ostium fuerat oppositum, in quinque columnis extentum, variatum illis quatuor coloribus: quod velum cum faciendum præciperet, *adductorium* vocavit, credo quod curreret, ducendo et reducendo, cum operiret atque aperiret ingressum. Transito isto velo, excipiebat pars tabernaculi media inter hoc velum et illud alterum interius, quod columnis quatuor fuerat impositum, ex illis quatuor coloribus factum, et separabat inter sancta quæ forinsecus erant, et sancta sanctorum interius posita. In hoc itaque medio spatio inter ista duo vela, mensa erat aurea, quæ habebat panes propositionis in parte aquilonis; et contra eam candelabrum aureum septem lucernarum in parte austri. Huc usque secundis sacerdotibus licebat intrare.

20. Interius autem, id est, in sancto sanctorum ultra velum quatuor columnarum, arca erat testimonii deaurata, in qua erant tabule lapideæ Legis, et virga Aaron, et urna aurea cum manna, et propitiatorium deaureum, ubi stabant duo cherubim, alis obumbrantes propitiatorium et intuentes invicem et ipsum. Ante arcam vero, id est inter arcam et velum, positum erat altare incensi, quod aliquando aureum dicit Scriptura, aliquando deauratum, aureum utique appellans quia erat inauratum. Ad hæc sancta sanctorum nisi summo sacerdoti non licebat intrare quotidie propter inferendum incensum; semel autem in anno cum sanguine ad purificandum altare, et si quando forte exigeret necessitas pro peccato sacerdotis, aut universæ synagoge, sicut in Levitico scriptum est (*Levit. xvi*). Sic intrabatur tabernaculum ab occidente, id est a porta atrii<sup>2</sup> usque ad latus orientale introrsus ubi erat arca testimonii.

21. Hoc autem interius tabernaculum, quod incipiebat non a porta atrii, sed ab ostio quod appellabatur ostium tabernaculi, et fiebat in longum latere orientis ubi erat arca testimonii, decem aulæis concludebatur, quorum erant singula viginti octo cubitorum, quinque hinc et quinque inde, sibi met connexa ansulis et circularis, et ex adverso sibi met constituta; et columnis vicenis in lateribus longioribus aquilonis atque austri, et columnis octo a latere occidentis, a la-

tere autem orientis nullis columnis, sed solis aulæis. Quæ aulæ decem erigebantur in cubitis quatuor, et per totum circuitum tendebantur in cubitis ducentis octoginta: quorum centena in lateribus erant longioribus austri et aquilonis per vicinas columnas; quadragesima vero cubita in reliquis duobus lateribus brevioribus; uno occidentis per columnas octo; altero orientis, ubi columnæ non erant, sed sola tendebantur aulæ de solis duabus angularibus columnis, mediis autem nullis: et erant hæc aulæ decem de quatuor coloribus texta. Hoc ergo interius tabernaculum circumdabatur atrio ab austro viginti columnis, et ab aquilone viginti. Quæ duo atrii latera æqualem habebant longitudinem cum lateribus interioris tabernaculi; quia et ipsa vicenis columnis porrigebantur in cubitis totidem, id est centenis. A latere autem orientis atrium concludebatur columnis decem, cubitis quinquaginta: qui ordo columnarum rectus erat, et incurrebat in illas duas angulares interioris tabernaculi, quas solas orientis pars habebat; proinde cum ipsis complebantur decem. A latere autem occidentis habebat quidem atrium decem columnas, non tamen recto ordine, sed sicut jam ostendimus, tanquam tripartitum, quatuor a porta, et ternas a lateribus.

22. Universum autem atrium in circuitu tabernaculi tentorii byssinis cingebatur, quæ erigebantur cubitis quinque: his superveniebant vela capillacia undecim, ex una parte quinque sibi met connexa, ex alia sex. In connexione ergo quinque velorum, cubita erant centum quinquaginta; ex alia vero parte in connexione sex velorum, cubita erant centum octoginta: quoniam vela singula tricenorum fuerunt cubitorum. Sed ut alia pars alteri cœquaretur, duplicatum est unum velum a facie tabernaculi, id est ab oriente; et subiectum est dimidium velum a parte posteriore, id est ab occidente: atque ita subtracta sunt cubita triginta, quanta erat veli unius longitudo; et remanserunt centum quinquaginta, quot etiam ex parte altera fuerunt. Circuitus itaque velorum capillaciorum, quo cingebatur atrium tabernaculi, trecentis cubitis tendebatur, sicut circuitus decem aulæorum interioris tabernaculi cubitis ducentis octoginta. Aulæ quippe singula habebant cubita vicena et octona in longitudine; capillacia vero vela tricenis cubitis longa erant. Quapropter ex ambitu aulæorum interioris tabernaculi, qui erat in cubitis ducentis octoginta centena cubita in lateribus longioribus erant austri et aquilonis, et quadragesima in duobus brevioribus orientis et occidentis: ex ambitu autem capillaciorum velorum, quo atrium exterius tegebatur, quia ambitus erat in cubitis trecentis, centena erant in lateribus longioribus austri et aquilonis, quoniam æqualia erant lateribus tabernaculi interioris, quinquagesima autem in duabus reliquis partibus orientis et occidentis. Ac per hoc duo illa cubita, quibus longius erat aulæo velum capillacium; non lateribus austri et aquilonis, quæ paria erant atrii exterioris et tabernaculi interioris, sed lateribus orientis et occidentis proficiebant. In eis enim lateribus creverat tabernaculi latitudo.

<sup>1</sup> Editio Rat. et Mas. quatuor omittunt, *ante altare*.

<sup>2</sup> Sic vetus codex Corbeiensis. At editi et plures Mss., a porta austri. Vaticanus Ms., a porta atrii austri.

circumposito extrinsecus atrio : sed quinquaginta cubita velorum capillaciorum a parte orientis per decem columnarum rectum ordinem tendebantur, eisque proficiebat unum cubitum ex duobus illis, quibus eorundem velorum major fuerat longitudo; alia vero cubita quinquaginta, quæ occidentali latere debebantur, quibus alterum ex duobus illis cubitum proficiebat, non tendebantur per columnarum ordinem rectum. Ibi enim erat illa tanquam triporticus, quæ concluderat spatium atrii, ubi esset altare sacrificiorum, quatuor columnis a porta, et ternis a lateribus : ac per hoc non poterant etiam portam <sup>1</sup> cingere illa

<sup>1</sup> Editi omittunt, *portam*; habent omnes Mss.

cubita quinquaginta, sed usque ad cooperienda oblita illa latera tendebantur, quæ in columnis ternis et quindenis cubitis erant. Erigebantur autem capillacia vela cubitis quatuor, eisque tegebantur atrii tentoria byssina, quorum erat erectio in cubitis quinque.

23. Pelles vero rubricatæ super capillacia vela veniebant. Desuper autem, id est, a parte tecti, vice cameræ tabernaculum pellibus hyacinthinis tegebatur : utrum cum atrio et spatium illud interius, non apparet; sed credibilius est atrii spatia quæ inter exteriores et interiores columnas erant, cælum <sup>1</sup> apertum habuisse, maxime illud occidentis, ubi erat altare sacrificiorum.

<sup>1</sup> Am. Er. et Lov., *velum*. Al. Rat. et Mss., *cælum*.

## LIBER TERTIUS.

Questiones in Leviticum.



QUEST. I. [LEVIT. cap. v, § 1.] *Si autem anima peccaverit, aut audierit vocem jurationis, et ipse testis fuerit aut viderit, aut conscius fuerit, si non nuntiaverit, et accipiet peccatum* : hoc est, *Si non utique nuntiaverit* <sup>1</sup>, *accipiet peccatum*. Quod enim additum est, *et, locutionis est veritate in Scripturis*. Verum iste sensus quia obscurus est, exponendus videtur. Hoc enim videtur dicere, peccare hominem, quo audiente jurat aliquis falsum, et sciteum falsum jurare, et tacet. Tunc autem scit, si ei rei de qua juratur, testis fuerit, aut vidit, aut conscius fuit; id est, aliquo modo cognovit, aut oculis suis conspexit, aut ipse qui jurat illi indicavit : ita enim potuit esse conscius. Sed inter timorem hujus peccati, et timorem proditiōnis hominum, non parva existit plerumque tentatio. Possumus enim paratum ad perjuriū admonendo vel prohibendo a tam gravi peccato revocare : sed si non audierit, et coram nobis de re quam novimus, falsum juraverit, utrum prodendus sit, si proditus etiam in periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est. Sed quia non expressit cui hoc indicandum est, utrum illi cui juratur, an sacerdoti, vel cuiquam qui non solum eum persequi non potest irrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest; videtur mihi quod se homo solvat etiam a peccati vinculo, si indicet talibus, qui magis possunt prodesse quam obesse perjurō, sive ad corrigendum eum, sive ad Deum pro illo placandum : si et ipse confessionis adhibeat medicinam.

II. [Ib. v, 2-6.] Post hoc autem peccati genus, quod de perjurio alicujus non indicato commemoravit nullum pro eo sacrificium jussit offerri; sed deinde subjunxit : *Anima quæcumque tetigerit omnem rem immundam, aut morticinum, aut a fera capti immundi, aut eorum quæ sunt morticina abominacionum immundarum, morticinum jumentorum immundorum; aut tetigerit ab immunditiis hominis, ab omni immunditia ejus, quam si tetigerit, inquinabitur : et latuerit eum, post hoc autem cognoverit, et deliquerit*. Neque hic sacrificium pro

<sup>1</sup> Juxta Er. et Lev., *quid hoc est, si non nuntiaverit*. M.

isto genere peccati quod offerretur commemoravit, sed adhuc adjecit, et ait : *Anima quæcumque juraverit distinguens labiis malefacere, aut benefacere, secundum omnia quæcumque distinxerit homo cum jurejurando, et latuerit eum, et id cognoverit, et peccaverit unum ex his, et confessus fuerit peccatum, pro quo peccavit adversus ipsum*. His omnibus sine aliqua interpositione sacrificii connexis et explicatis, adjungit, et dicit : *Et offeret* <sup>2</sup> *pro iis quæ deliquit Domino, pro peccato quo peccavit, seminam ab oribus agnam, aut capram de ecriis pro peccato, et exorabit pro eo sacerdos pro peccato, et remittetur illi peccatum*. Quid est ergo quod pro tacito cujusquam perjurio, et pro eo quod tangitur morticinum vel aliquid immundum, nullum sacrificium commemoravit; pro eo vero peccato ubi falsum quisquam nesciens juravit, dixit offerri agnam vel capram? An pro omnibus supra dictis hoc sacrificium oportet intelligi? Voluit enim prius omnia enumerare, et sic inferre quo sacrificio possint expiari. Sed in eis omnibus supra dictis generibus peccatorum, sunt quædam propter locutionum modos subobscurè posita, sicuti est quod ait, *morticinum jumentorum*. Ea enim quæ græcè κτήνη appellantur, plerique nostrorum *jumenta* interpretati sunt; quod nomen in latina consuetudine eorum animalium est, quorum laboribus adjuvamus, maxime in portandis oneribus, sicuti sunt equi, asini, muli, cameli, et si quid hujusmodi : quæ vero Græci κτήνη vocant, tam late intelliguntur, ut omnia aut prope omnia pecora isto nomine concludantur. Et ideo novo genere locutionis, velut κλειρομαθῆ, additum est in græco, *immundorum*, cum diceretur, *jumentorum* : quoniam sunt etiam munda pecora, quæ κτήνη appellantur. Quæ autem jumenta usus latinus appellat, secundum Legis distinctionem non nisi immunda sunt.

III. [Ib. v, 2-6.] Item quod ait, *Anima quæcumque juraverit, distinguens labiis malefacere aut benefacere,*

<sup>2</sup> Mss., *offeret*. Sic etiam infra constanter, ubi in græco, LXX est, *offeret*.

queritur quid dixerit, *distinguens*. Assidue quippe hoc verbum ponit Scriptura. Unde est et illud, *Reddam vota mea, quæ distinxerunt labia mea* (Psal. lxxv, 13-14) : item dicitur ad Ezechielem, *Cum dicam iniquo, Morte morieris, et tu non distinxisti neque locutus es* (Ezech. iii, 18) : item scriptum est, *Si qua in domo patris sui constituta voverit votum, distinguens labiis suis adversus animam suam* (Num. xxx, 4). Videtur ergo ista distinctio quasi definitio esse, qua secernitur aliquid a cæteris, quæ solo dicto non tenentur. Sic ergo accipitur tanquam dictum sit, *Anima quæ juraverit, definiens labiis malefacere aut benefacere, secundum omnia quæ definiert homo cum iurejurando, et latuerit eum*, id est, nesciens faciendum esse vel non faciendum, juraverit facere : *et id cognoverit, et peccaverit unum ex his*, sive quia juravit antequam cognosceret, sive quia fecit quod juravit, et cognovit postea quia non fuit faciendum neque jurandum : *et confessus fuerit peccatum pro quo peccavit*, id est, peccatum quod peccavit : locutio est enim. Quod autem addidit, *adversus ipsum*, quid intelligitur, nisi adversus ipsum peccatum confessus fuerit, id est, confitendo peccatum accusaverit? *Et offeret pro iis quæ deliquit Domino, pro peccato quo peccavit, feminam ab ovibus agnam*. Usitata locutione agnam feminam dicit, quasi possit esse non femina : *aut capram de capris*, sicut agnam de ovibus, quasi possit esse aut agna nisi de ovibus, aut capra nisi de capris. Nonnulla autem quæstio est, imo non parva, quid sit quod assidue dicit, *Post hoc autem cognoverit, et deliquerit* : quasi tunc fiat delictum, cum fuerit cognitum. An potius quia nisi pro cognito satisfieri non potest? Sed non ait, *Post hoc autem cognoverit et penituerit eum* : quid ergo est, *Post hoc cognoverit et deliquerit*, nisi post cognitionem deliquerit ; ut si sciens fecerit quod faciendum non esset, tunc delicto purgatio debeatur? Sed non ita prælocutus est. Ea quippe videtur exsequi peccata quæ ab ignorantibus, et per hoc a nolentibus committuntur. Fortassis ergo aliquo genere locutionis *deliquerit* dictum est, delictum esse didicerit. An potius converso ordine dictum est (quia et talia genera locutionis habet Scriptura) quod per alia loca similia recto ordine dicebatur? Nam cum alibi toties scriptum sit, *Et deliquerit et cognitum fuerit ei* ; hic tanquam converso, ut dixi, ordine, prius dictum est *cognoverit*, deinde *et deliquerit*. Ordine autem suo, ita dici posset : *Anima quæcumque tetigerit omnem rem immundam aut morticinam, aut a fera capti immundi, aut eorum quæ sunt morticina abominationum immundarum, morticinum jumentorum immundorum, aut tetigerit ab immunditia hominis, ab omni immunditia ejus quam si tetigerit inquinetur, et si latuerit eum, et deliquerit, post hoc autem cognoverit*.

IV. [Ib. v, 7.] *Si autem non valet manus ejus quod satis est in ovem, offeret pro peccato suo quod peccavit, duos turtures aut duos pullos columbinos Domino; unum pro peccato, et unum in holocaustoma*. Certe hic aperit quæstionem, de qua superius cum loqueretur ambigebamus. Ideo quippe videtur dicere, *unum pro pec-*

*cato, alterum in holocaustoma*, quoniam non offeretur sacrificium pro peccato nisi cum holocausto. Benigne cum prius seorsum de holocaustis loqueretur, commemoravit turturam, et non dixit duos (Levit. i, 14) : nunc vero ideo duos dicit, quia sacrificium pro peccato sine holocaustomate non offerebatur. Quod ergo superius dicebat, *Et imponet super holocaustoma* (Id. iv, 35), non est dubium quod prius holocaustoma, deinde illud superimponeretur : nunc vero de avibus aliter dicit, ut prius offeratur pro peccato una avis, deinde altera in holocaustoma.

V. [Ib. v, 15.] Quod autem ait, *Anima, si latuerit eum oblivione* ; id est, si oblivione factum fuerit ut lateat eum, vel eam si ad animam refert, quoniam eam dicendo, ad hominem retulit. Animam quippe hic hominem dicit.

VI. [Ib. v, 15, 16.] *Et peccaverit nolens a sanctis Domini*<sup>1</sup>. Videtur obscure positum hoc peccati genus, sed in consequentibus aperitur, ubi dicit post oblatum<sup>2</sup> de arietis sacrificium, *Restituet illud, et quintas adjiciet*. Ibi enim intelligitur hoc esse a sanctis oblivione peccare, aliquid per oblivionem usurpare quod debetur sanctis, sive sacerdotibus, sive oblationibus, vel primitiarum, vel quidquid hujusmodi.

VII. [Ib. 17-19.] *Et anima quæcumque peccaverit, et fecerit unum ab omnibus præceptis Domini, quæ non oportet fieri, et non cognoverit, et deliquerit, et non cognoverit peccatum suum*<sup>3</sup>, *et offeret arietem sine macula de ovibus pretio argenti in delictum ad sacerdotem : et exorabit pro eo sacerdos propter ignorantiam ejus, quam ignoravit, et ipse non scivit, et remittetur illi. Deliquit enim delictum ante Dominum*. Excepta locutionum inusitata densitate, quæ jam propter assiduum repetitionem debent esse notissimæ, totus iste sensus obscurus est ; quoniam queritur quomodo discernatur hoc genus delicti ab eis quæ superius quadam generalitate complexus est. Videtur enim hoc ratio poscere, ut certis generibus peccatorum certa genera, quibus expientur, sacrificiorum adhibenda sint. Hoc autem quod modo commemoravi, non specialiter exprimit peccatum, sed in ea videtur generalitate versari, de qua ante cum diceret, constituit sacrificium sacerdoti vitulum, et universæ synagogæ similiter vitulum, principi caprum, et cuicumque animæ, hoc est cuicumque homini capram, vel si voluerit ovem, tamen femininum pecus (Levit. iv). Deinde cæpit excepta facere quædam genera peccatorum, et nominatim exprimere pro quibus quid offerendum sit : velut de audito et tacito cuiusquam perjurio, et de tacto morticino et immundo, et juratione falsa per ignorantiam, de ovibus agnam, aut capram de capris, aut par turturam, aut duos pullos columbinos, aut decimam partem æpli similaginis ; pro eo autem pec-

<sup>1</sup> Editi : *Et si peccaverit nolens a sanctis Dominum*. At Mss. consentiente græco carent, si, et habent, *Domini*. Quorum demum auctoritate passim lectionem græcam LXX interpretam restitimus tam frequentibus locis, ut nos ea omnia prægeat annotare.

<sup>2</sup> Editi, *quod post oblatum*. Abest quod a Mss.

<sup>3</sup> Sic omnes codices hoc loco : licet postea in quæst. 30, n. 5, ferant, *et acceperit peccatum suum* ; quæ lectio verior est, ut liquet ex græc. LXX.

cante qui per oblivionem aliquid sanctorum usurpavit, arietem et ejusdem rei restitutionem, quintis adjectis. Nunc vero non expressa specie peccati, generaliter addens, *Anima quaecumque deliquerit, et fecerit unum ab omnibus praeceptis Domini, quae non oportet fieri* (sic in illa generalitate dicebat, *Unum ex praeceptis Domini quod non fiet*), et non cognoverit, et deliquerit, id est, per ignorantiam nolens peccaverit; arietem jubet offerri, non capram aut feminam ex ovibus, sicut superius in tali peccatorum generalitate constituerat. Quid sibi ergo vult ista permixtio? Nisi forte quod hic dicit, *Deliquit enim delicto delictum ante Dominum*, hoc quod ait, *ante Dominum*, in his voluit delictum intelligi, quae sunt ante Dominum, id est, quibus Domino in tabernaculo deservitur: unde aliquid paulo ante dixerat, cum ait, *Peccavit a sanctis*; et intelleximus, usurpavit aliquid sanctorum, quia etiam restitui praeceperat. Ac per hoc non sic tantum peccari potest in his rebus, si aliquid inde per oblivionem usurpetur; sed etiam multis aliis modis potest quisque per ignorantiam delinquere in iis quae servituti Domini exhibentur: hoc voluit postea genus delictorum generaliter commemorare, et ideo et illic et hic arietem jussit offerri. Plena sunt autem Scripturae cum dicitur, *ante Dominum*, et non intelligitur nisi illud quod Domino exhibetur, sicut sacrificium, vel primitiae, vel aliqua in sacris servitus.

VIII. [Ib. v, 7.] Queritur etiam utrum ubique sit accipiendum quod dictum est, si non valet manus ejus quod satis est ad ovem, offerre eum debere par turturum, aut duos pullos columbinos; et si hoc quoque non valet, certam similaginis quantitatem. Quoniam si ubique ita licere intelligitur, non potest quidem dici, sacerdotem non habere vitulum, aut universam synagogam, aut principem non habere caprum<sup>1</sup> vel ovem: et si ita est, quid opus erat postea dicere, *tactum cujusquam perjurium, aut tactum immundum*, et perjurium per ignorantiam factum purgari sacrificio agnae et caprae, cum eadem sacrificia praecepta sint etiam in illa generalitate peccati, ad quam generalitatem etiam ista potuerunt pertinere? Si autem hinc ista discernuntur, quod licebat pro eis<sup>2</sup> turtures et columbos, vel etiam, si hoc non esset, similagineam offerri, ibi autem ubi non dictum est non licebat; non videtur subventum esse pauperibus; quoniam multa possent esse delicta non specialiter expressa, quae ad illam generalitatem referrentur, ubi gravarentur inopes, si tantummodo capram feminam, et agnam ex ovibus, et illas aviculas<sup>3</sup>, et similagineam licebat offerri. Nisi forte quis dicat, hoc discerni ista excepta et nominatim expressa peccata ab illis quae generaliter commemorata sunt, quia hic agnam dixit, ibi ovem, ut aetas pecorum aliquam differentiam faciat: dum tamen intelligatur pauperibus perque subventum, ut si non haberent ulla animalia quadrupedia, aut memoratas aves aut similagineam offerrent

pro peccatis ignorantiae suae. Si autem movet quare cum generaliter omnia ignorantiae peccata concluderit, et sacrificia non pro distantia peccatorum quam non fecerat, sed pro distantia personarum distinxerit; postea voluerit etiam peccata distinguere, et pro eorum diversitate sacrificia diversa praecipere, quasi non ad illam generalitatem omnia pertinerent: sic factam posterius exceptionem oportet intelligi, ut quaecumque remanserint, his exceptis quae nominatim et specialiter commemoravit, dicta in illa generalitate intelligamus. Quem modum locutionis non est alibi reperire: sed in Scripturis sanctis tale est illud ubi Apostolus ait, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est*. Hic enim nihil videtur praetermisisse peccati, quandoquidem ait, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo*: postea tamen excepit fornicationem, cum intulit, *Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat* (I Cor. vi, 18). Quod secundum consuetudinem nostrae locutionis ita diceretur: Omne peccatum quodcumque fecerit homo excepta fornicatione, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat. Ita et hic, cum prius generaliter omnia ignorantiae peccata diceret illis, quae commemoravit, sacrificiis explanda; postea tamen excepit illa quibus expresse et distincte positus certam sacrificiorum purgationem adhiberet, ut his exceptis quaecumque reliqua essent, ad illam generalitatem pertinerent.

IX. [Ib. vi, 6, 10.] *Offeret arietem ab ovibus sine macula, pretio, in quod deliquit*. Non ita distinguendum est, quasi pretio in quod deliquerit, id est in quod pretium deliquit; sed si offeret arietem, pretio offerat, id est emptum. Etiam hoc enim videtur ad sacramentum alicujus significationis pertinere voluisse, quoniam pretium ipsum non definiit. Nam si definiisset, posset videri hoc praecipuisse, ne vile pecus offerretur, ut etiamsi non emeret qui offerret, tale tamen offerret quod tanti valeret. Addito autem, non solum pretio, ut emptus aries offerretur, verum etiam *siclorum sanctorum*, ita enim dicit, *Pretio argenti siclorum siclo sancto*<sup>1</sup> (Levit. v, 15), aliquot siclis ut ematur aries, non uno siclo voluit. Quid sibi autem velit, siclum sanctum, jam ubi visum est disseruimus. Quod vero cum dixisset, *Et delecti sui offeret Domino arietem ab ovibus sine macula pretio*; deinde addidit, *in quod deliquit*: intelligendum est in id offerret in quod deliquit; id est, in eam rem, propter eam rem. *Et auferet holocarpoma quod consumpserit ignis, illam holocaustosim ab altari*. Quid auferet, si consumptum est? Jussit enim sacerdotem auferre post totius noctis ignem holocarpoma, id est, holocaustum quod ignis consumpserit. Vel quid sibi vult etiam illud quod addidit, *illam holocaustosim*; cum hoc intelligatur holocarpoma quod holocaustosis? Nisi forte illud est verum quod in quodam graeco invenimus; non enim ait, auferet holocarposim, sed auferet catacarposim,

<sup>1</sup> In excusis, *argenti siclorum sanctorum*. In Mss., *argenti siclorum, siclo sancto*. Porro apud LXX legitur, *argurum suclon, to suclon ton hagio*: in codicibus tamen aliquot, *so bilio teste, to suclon ton hagio*.

<sup>1</sup> Ex et Lev., *capram*. Alii codices, *capram*.

<sup>2</sup> Editi, *pro eo*. Mss. vero, *pro eis*.

<sup>3</sup> Forte leg., et non illas *aviculas*.

hoc est, reliquias holocausti quod ignis consumpsit. Has autem reliquias, veluti est cinis et carbo, appellavit illam holocausto-im, ejus rei nomine quæ consumpta est, reliquias ipsius consumptionis appellans.

X. [Ib. vi, 9.] Quod autem supra dixit, *Ista lex holocausti*, et deinde exponens quæ sit eadem lex, dicit, *Ista holocaustosis, super incensionem ejus super altare totam noctem usque in mane, et ignis altaris ardebit super illud, non exstinguetur*; planius esset secundum nostre consuetudinis locutionem, si non haberet, et: nam ista conjunctione detracta ita sensus contextitur, *Ista holocaustosis, super incensionem ejus super altare totam noctem usque in mane ignis altaris ardebit super illud*, id est, super altare. Deinde ad cumulum exprimendæ sententiæ intulit, *non exstinguetur*: nam hoc erat jam dictum, *tota nocte*.

XI. [Ib. vi, 11.] *Et induet stolam aliam, et abjiciet holocarpoma extra castra in locum mundum*: hoc appellat holocarpoma quod jam concrematum est; hoc autem in illo græco *κατακάρπωσις* legitur. Quidam vero latini addiderunt, *quod concrematum est*<sup>1</sup>, et ita interpretati sunt, *Et abjiciet holocarpoma, quod concrematum est, extra castra in locum mundum*.

XII. [Ib. vi, 12.] *Et ignis super altare semper ardebit ab eo, et non exstinguetur*; id est, ab illo igne in quo arsit holocaustum usque in mane. Non vult enim ignem prorsus exstingui, sed cum usque in mane arserit holocaustum, ablatis inde reliquiis consumptionis nec sic exstingui ignem, sed inde iterum renovari, quo ardeant alia quæ imponuntur.

XIII. [Ib. vi, 12 et 13.] Quod autem sequitur et dicit, *Et exuret super illud sacerdos ligna mane mane*<sup>2</sup>, *et stipabit super illud holocaustum, et superponet super illud adipem salutaris; et ignis semper ardebit super altare, non exstinguetur*: videndum est utrum *mane mane* quotidie voluerit intelligi, ut nullus dies prætermittetur, quo non inveniretur holocaustum, et adeps salutaris; an *mane mane*, ut quocumque die imponeretur, nonnisi mane imponeretur. Si enim quotidie intellexerimus, quid, si nullus afferret? Si autem tanquam de publico vel de suo sacerdotes quotidiana holocausta procurabant; super ipsa imponebantur ea quæ jussit a populo oblata pro peccatis super holocausta imponi; et non erat necesse offerenti sacrificia pro peccato, etiam holocaustum offerre super quod illud imponeretur, nisi quando par turturum offerebatur, aut duo pulli columbini: nam ibi omnino definitum est, unum pro peccato, alterum in holocaustum offerri oportere; et prius pro peccato, deinde in holocaustum (*Levit. v, 7*). Deinde queri potest utrum holocaustum quod mane mane jussit imponi, hsum etiam per totam noctem arderet usque ad alterum mane; an illud quod ait, *tota nocte ardero debere*, holocaustam fuerit vespertinum, et deinde cœperit de lege holocausti dicere, ut a vespertino

holocausto inciperet: quod mirum est si taceret, nec admoneret talia vespere offerri oportere.

XIV. [Ib. vi, 20.] *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Istud donum Aaron et filiorum ejus, quod offerunt Domino in die quacumque unxeris eum*. Alia sunt sacrificia, quæ commemoravit in Exodo, quibus per septem dies sanctificarentur sacerdotes, ut sacerdotio suo fungi incipient (*Exod. xxix, 1*); et aliud est quod modo commemorat, quid offerat summus sacerdos, quando constituitur, id est quando ungitur. Hoc enim sequitur et dicit, *In die quacumque unxeris eum*. Non dixit, unxeris eos; cum etiam secundos sacerdotes ungi præcipiat. Deinde dicit ipsum sacrificium, *decimam partem æphi similagenis, in sacrificium sempiternum*. Queritur quomodo sempiternum, si illud eo die offertur, quo ungitur summus sacerdos, ab illo qui unctus est, nisi ut semper hoc offeratur in die quo ungitur summus sacerdos, hoc est per successiones sacerdotum? quamvis et illo modo sempiternum possit intelligi, non hoc, sed quod significat.

XV. [Ib. vi, 20, 21.] *Dimidium ejus, inquit, mane, et dimidium ejus post meridiem*; quod græcus habet *διδυμοί*. *In sartagine*, inquit, *in oleo fiet, conspersam offeret eam, fresa*, id est eam similaginem. Deinde dicit *fresa*, si tamen hoc recte interpretatum est ex illo quod græcus habet *ἑρσά*<sup>3</sup>, et pluraliter hoc posuit genere neutro. Non enim ait *fresam*, tanquam eandem similaginem, quam dixerat conspersam. Illic autem *fresa sacrificium de fragmentis esse dicitur*. Utrum ergo *fresa* dicat ipsa fragmenta, id est comminuta; an ipsa minutissima similaginis *fresa* dixerit, non est evidens.

XVI. [Ib. vi, 21, 22.] Sequitur autem et dicit: *Sacrificium in odorem suavitatis Domino. Sacerdos unctus qui pro eo ex filiis ejus, faciet illud*. Propter hoc fortassis dixerat *sempiternum*, ut hoc faciat omnis summus sacerdos, quando succedit mortuo, eo die quo unctus fuerit; adjunxit enim et ait, *Lex æterna*: cum possit etiam æternum secundum id intelligi quod significat.

XVII. [Ib. vi, 23.] Sequitur autem, *Omne consummabitur*; quod habet græcus *ἐπιτελεσθήσεται*, et aliqui interpretes dixerunt, *Omne imponetur*: ubi vult intelligi esse holocaustum, quia nihil exinde remanet. Denique adjungit, *Et omne sacrificium sacerdotis, holocaustum erit, et non edetur*. Hoc ergo dixerat, *Omne consummabitur*.

XVIII. [Ib. vi, 26, 26.] De sacrificio pro peccato cum diceret, *Sacerdos, inquit, qui imponet illud, manducabit illud*. Non hoc quod imponet manducabit, nam illud igni consumetur; sed quod inde remanserit: non enim holocaustum est, ut totum ardeat in altari. Dicit autem postea: *Omnia quæ pro peccato sunt, ex quibus illatum fuerit a sanguine eorum in tabernaculum testimonii exorari in sancto, non edetur, sed igni concremabitur*. Quomodo ergo ad sacerdotes pertinent

<sup>1</sup> Sic Mss. At editi, *consecratum*.

<sup>2</sup> Editi, *Et ignis altaris*. Mss. juxta LXX, *super altare*.

<sup>3</sup> Editi, *mane*, hic et infra nonnisi semel: at Mss. et LXX iterato habeat; pro quo vulgata versio, *mane per singulos dies*.

<sup>4</sup> In editis et apud LXX, *elicta, convoluta*. Sed melius Mss. Corbelensis, *ericla*, id est *fresa*, ut interpretatur Augustinus. Existat enim vox *Levit. cap 2, v. 11, chidra erick*, latine *argetes* seu *furra comminuta*.



manducanda, quæ remanent de sacrificiis pro peccatis? Propter quod intelligendum est hæc excepta esse, de quorum sanguine tangitur illud altare in-  
ceasi in tabernaculo testimonii. Hoc enim fassit fieri superioris de vitulo, quem pro peccato suæ sacerdos offerret, et de vitulo quem pro peccato universæ synagogæ, ut carnes quæ remanserint, foris extra castra comburantur (*Levit. iv, 12 et 21*): hoc et modo breviter commemoravit.

XIX. [Ib. vii, 1.] *Et ista est lex arietis qui pro delicto est, sancta sanctorum sunt*: id est ad sacerdotes pertinet manducanda.

XX. [Ib. vii, 7.] Quid est quod de ariete pro delicto cum dixisset, legemque sacrificii exposuisset, ait, *Quomodo quod pro peccato, ita et id quod pro delicto: lex una est eorum?* Queritur inter peccatum et delictum quæ sit differentia; quoniam si nulla esset, nullo modo diceretur, *Quomodo quod pro peccato, ita et quod pro delicto*. Quamvis enim lex ejusque sacrificium nihil distet, quia lex una est eorum; tamen ipsa duo, quorum unum est sacrificium, id est peccatum et delictum, si inter se nihil differrent, et si unius rei duo nomina essent, non curaret Scriptura tam diligenter commendare unum esse utriusque sacrificium.

Fortassis ergo peccatum est perpetratio mali, delictum autem desertio boni: ut quemadmodum in laudabili vita, aliud est declinare a malo, aliud facere bonum, quod admonemur dicente Scriptura, *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal. xxxvi, 27*); ita in damnabili, aliud sit declinare a bono, aliud facere malum; et illud delictum, hoc peccatum sit. Nam et ipsum vocabulum si discutiatur, quid aliud sonat delictum, nisi derelictum? et quid derelinquit qui delinquit, nisi bonum? Græci etiam duo nomina usitata huic pesti imposuerunt. Nam delictum apud eos et *κατάπτωμα* dicitur et *πλημείλια*. Isto ipso quippe loco Levitici *πλημείλια* est. Apostolus autem ubi dicit, *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* (*Galat. vi, 1*), *καταπτώσει* græcus habet: quorum nominum si origo discutiatur in *καταπτώσει*, tanquam decidere intelligitur qui delinquit. Unde cadaver quod Latini a cadendo dixerunt, græce *πτῶμα* dicitur, *ἄπὸ τοῦ πίπτειν*, id est ab eo quod est cadere. Qui ergo peccando malum facit, prius delinquendo a bono cadit. Et *πλημείλια* simile nomen est negligentia: nam græce negligentia *ἀμέλεια* dicitur, quia curæ non est quod negligitur. Sic enim græcus dicit, Non euro, *οὐ μέλει μοι*. Particula ergo quæ additur *πλην*, ut dicatur *πλημείλια*, præter significat, ut *ἀμέλεια* quod vocatur negligentia, videatur sonare sine cura; *πλημείλια* præter curam, quod pene tantumdem est. Hinc et quidam nostri *πλημείλια* non delictam, sed negligentiam interpretari maluerunt. In latina autem lingua quid aliud negligitur, nisi quod non legitur, id est non eligitur? Unde etiam legem a legendo, id est ab eligendo latini auctores appellatam esse delictum. His quodammodo vestigiis colligitur quod ille delinquit, qui bonum derelinquit, et relinquendo a bono cadit, quia negligit, id est, non legit.

SANCT. AUGUST. III.

Peccatum vero unde sit dictum, quod græce *ἀμαρτία* dicitur, in neutra lingua mihi interim occurrit.

Potest etiam videri illud esse delictum quod imprudenter, id est ignoranter; illud peccatum, quod ab sciente committitur. Huic differentia videntur ista testimonia consonare divina: *Delicta quis intelligit* (*Psal. xviii, 13*)? Et illud, *Quoniam tu scisti imprudentiam meam*: continuo quippe secutus adjunxit, *Et delicta mea a te non sunt abscondita* (*Psal. lxxviii, 6*); velut alio modo repetens eandem sententiam. Nec ab eadem ratione discordat quod paulo ante commemoravi Apostoli dictum, *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*: hinc enim quod præoccupatum dicit, imprudenter lapsus esse significat. Peccatum vero ad scientem pertinere apostolus Jacobus tanquam definiens ait: *Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi* (*Jacobi iv, 17*). Sed sive illa, sive ista, sive aliqua alia differentia sit peccati et delicti, nisi aliqua esset, non Scriptura ita loqueretur ut diceret, *Quomodo quod pro peccato, ita et quod pro delicto: lex una est eorum*.

Indifferenter autem plerumque dicuntur, ut et peccatum nomine delicti, et delictum nomine peccati appelletur. Neque enim cum dicitur in Baptismo fieri remissio peccatorum, non sit etiam delictorum: nec tamen utrumque dicitur, quia in illo nomine utrumque intelligitur. Sic et Dominus ait, pro multis effundit sanguinem suum in remissionem peccatorum (*Math. xxvi, 28*): numquid quoniam non ait, et delictorum, ideo quisquam dicere audebit in sanguine ipsius delictorum non fieri remissionem? Item quod scriptum est apud Apostolum, *Nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia vero ex multis delictis in justificationem* (*Rom. v, 16*); quid aliud quam nomine delictorum etiam peccata comprehensa sunt?

In hac quoque ipsa Scriptura Levitici, qua cogimur aliquam inter delictum peccatumque distantiam vel invenire vel credere, ita legitur, cum de his ipsis quæ pro peccatis offerenda jubeantur sacrificiis Deus loqueretur: *Si autem omnis, inquit, synagoga filiorum Israel ignoraverit, et latuerit verbum ab oculis synagogæ, et fecerit unum ab omnibus mandatis Domini quod non fiet, et deliquerint, et cognitum illis fuerit peccatum quod peccaverunt in eo. Ecce ubi dixit, Et deliquerint, ibi continuo peccatum quod peccaverunt addidit, hoc ipsum utique quod deliquerunt. Et paulo post: Si autem princeps, inquit, peccaverit et fecerit unum ab omnibus præceptis Domini Dei sui, quod non fiet nolens<sup>1</sup>, et deliquerit. Item in consequentibus: Si autem anima, inquit, una peccaverit nolens, de populo terræ, in eo quod facit ab omnibus præceptis Domini quod non fiet, et deliquerit, et cognitum fuerit ei peccatum quod peccavit in ipso* (*Levit. iv, 13, 14, 22, 27 et 28*). Item alibi: *Anima quæcumque juraverit distinguens labiis malefacere aut benefacere, secundum omnia quæcumque distinxerit homo cum jurejurando, et latuerit eum, et hic cognoverit, et peccaverit unum ex his; et confessus fuerit peccatum pro quo peccavit adversus ipsum, et offeret pro eis quæ deliquit Domino, pro eo peccato quod peccavit. Et paulo*

<sup>1</sup> Ita in Mss. et apud LXX At in editis, non fecit volens.

(Vingt-deux.)

post: *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Anima, si laterit eum oblivione, et peccaverit notans a sanctis Domini, offeret delicti sui Domino arietem sine macula de ovis, pretio argenti siclorum siclo sancto, pro quo deliquit; et pro quo peccavit a sanctis, restituet, et quintas adjiciet super illud, et dabit illud sacerdoti: et sacerdos exorabit pro eo in ariete delicti, et remittetur illi. Sequitur adhuc et dicit: Anima quæcumque peccaverit, et fecerit unum ab omnibus præceptis Domini, quæ non oportet fieri, et non cognoverit<sup>1</sup>, et deliquerit, et acceperit peccatum suum; et offeret arietem de ovis pretio argenti in delictum ad sacerdotem: exorabitque pro eo sacerdos, pro ignorantia ejus quam ignoravit, et ipse non scivit, et remittetur illi. Deliquit enim delicto delictum ante Dominum (Levit. v, 4-6, 14-19). Et adhuc ita dicit: *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Anima quæcumque peccaverit et despiciens despexerit præcepta Domini, et mentitus fuerit quem sunt ad proximum de commendatione aut de societate, aut de rapina, aut injuriam fecerit aliquam proximo, aut invenerit perditionem, et mentitus fuerit de eo, et juraverit injuste de uno ab omnibus quæcumque fecerit homo, ita ut peccet in his: et erit cum peccaverit, et deliquerit, et reddet rapinum quam rapuit, aut injuriam quam nocuit, aut commendatum quod depositum est apud eum, aut perditionem, quam invenit, ab omni re quam juravit pro ea injuste; et restituet ipsum, et quintas ejus adjiciet ad illud, cujus est ipsi reddet; et qua die convictus fuerit delicti sui<sup>2</sup>, offeret Domino arietem ab ovis sine macula, pretio in quod deliquit: et exorabit pro eo sacerdos ante Dominum, et remittetur illi de uno ab omnibus quæ fecit, et deliquit in eo (Id. vi, 1-7). Pene ergo in omnibus factis quæ dicit esse peccata, eadem etiam delicta dicit. Quapropter et indifferentia dici manifestum est multis Scripturarum locis; et habere aliquid differentie Scriptura testatur, quæ dicit, *Sicut quod pro peccato, ita et quod pro delicto.***

XXI. [Ib. vii, 23-25.] *Omnam adipem boum et ovium et caprarum non edetis, et adeps morticinorum et a fera captorum fiet in omne opus, et cibo non edatur. Omnis qui ederit adipem a pecoribus quæ offeretis ab eis hostiam Domino, peribit anima illa de populo suo. Dixerat superius, de adipe, Omnis adeps Domino (Id. iii, 16); et quesieramus utrum omnis omnino pecoris mundi iustaxat (nam de immundis nulla questio est); et quid de adipe fieret, quem vetuit in escam venire: nunc autem dixit quid fieret de adipe morticinorum et a fera capti, ut sit in omne opus; omne opus, utique illud opus cui tale aliquid necessarium est. Unde remansit questio, quid fiat de adipe cæterorum animalium, quæ munda<sup>3</sup> sunt ad vescendum. Sed cum dicit omnem animam perire de populo suo, qui ederit adipem eorum pecorum, ex quibus Domino offertur, videtur definisse istam tantum adipem de pecoribus mundis prohibitum manducari, ex quibus fit sacrificium: quamvis Judæos audierimus nullum omnino adipem in escam sumere.*

<sup>1</sup> Deerat non in excusis; at in Mss. et apud LXX reperitur.

<sup>2</sup> B. habent, *qua die convictus fuerit: et delicti sui.* Lectio in Fr. et Lov. ad hæc tenens. M.

<sup>3</sup> Editi, *innocua*. Mss. melioris notæ, *munda*.

Sed quid Scriptura voluerit, non quid illi opinati fuerint, requirendum. Denique non invenimus quid recte de adipe faciant, unde se abinent, et quomodo eum projiciant, cum dictum sit, *Omnia adeps Domino*; si non adipem sacrificiorum tantum, sed etiam eorum animalium de quibus non sacrificatur, quamvis immundorum, hic voluit intelligi.

XXII. [Ib. vii, 29-34.] Quid sibi vult quod de sacrificiis salutaris iterum admonet, et dicit, cum qui offert donum sacrificii salutaris sui, pectusculum et brachium sacerdotibus dare debere, ita tamen, ut adeps pectusculi offeratur Domino cum pinna jecinoris<sup>4</sup>; cum superius loquens de sacrificiis salutaris pinnam jecinoris cum adipe ventris et ream et lumborum offerri Domino præceperit (Levit. iv, 9), tacuerit autem de adipe pectusculi? An quod ibi prætermisit, hic commemorat? Quare ergo de pinna jecinoris et ibi et hic? An forte aliquid interest quod superius de sacrificio salutaris præcepit, hic autem addidit sui, tanquam aliud sit salutaris, aliud salutaris sui?

XXIII. [Ib. iv, 3-7, et viii, 2, 14, 15, 28.] Cum sacrificia pro peccatis prius commemoraret, vitulum dixit offerendum pro peccato sacerdotis, qui fecisset populum peccare; postea etiam quando narravit Scriptura, quemadmodum ea quæ præcepit Dominus, gesta sunt erga Aaron et filios ejus, dicitur oblatum vitulum pro peccato; sed superius de sanguine vituli cornua tangi præcepit altaris incensi, aspergendum etiam ex ipso sanguine contra velum sanctum, reliquum vero sanguinem fundendum ad basim altaris holocaustatum: postea vero quando sanctificatur Aaron, de aspersione sanguinis contra velum nihil dictum est; de cornibus autem altaris dictum est; sed non additum est *incensi*; additum est autem, *effundendum sanguinem ad basem altaris*; non dixit, ad basem ejus, tanquam necesse fuisset illud altari accipere, cujus cornua sanguine telegisset: proinde quamvis ambigere sit positum, liberum est tamen ita intelligere factum, ut fuerat ante præceptum de vitulo pro peccato; ut non ejus altaris cornua tacta intelligamus, ad cujus basem fusus est sanguis; sed tacta cornua altaris incensi, fusus autem sanguinem ad basem altaris sacrificiorum.

Superius, quia generaliter præcipiebat, si sacerdos peccasset, ipsum sacerdotem unctum et consummatum, quem vult intelligi summum sacerdotem, sacrificia ista jussit offerre: nunc vero cum sanctificatur Aaron, Moyses offert et ipse accipit pectusculum impositionis, quod antea prælocutus est sacerdoti esse dandum. Inde autem puto pectusculum impositionis dictum, quia imponebatur inde adeps, sicut commemoravit superius de sacrificio salutaris. Cum ergo videatur ab Aaron coxisse summum sacerdotium, quid putamus fuisse Moysen? Si ergo sacerdos non fuit, quomodo per illum omnia illa gerebantur? si autem fuit quomodo summum sacerdotium ab ejus fratre coxisse definimus? Quanquam etiam psalmus ille, ubi dictum est, *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus (Psal.*

<sup>4</sup> Er. et Lov. legunt, *penna jecoris*; et paulo post, *penna jecoris*. B., *pinna jecinoris*, corrupte. M.

xviii, 6), auferat dubitationem quod sacerdos fuerit et Moyses. Vestem tamen illam sacerdotalem, quam magnum continet sacramentum, Aaron jubetur accipere et successores ejus summi sacerdotes (*Exod. xxviii*). In Exodo antequam omnino aliquid de sanctificandis et quodammodo ordinandis sacerdotibus precipiatur, quando Moysse ascendente in montem, jubentur non ascendere sacerdotes (*Id. xix, 24*), quos intelligere alios non possumus nisi filios Aaron; non quia jam erant, sed quia futuri erant, hoc eos jam tunc Scriptura appellavit per anticipationem, sicut sunt plerumque talium locutionum: nam et filius Nave, Jesus appellatus est (*Id. xxxiii, 11*), cum longo postea hoc nomen ei Scriptura narret impositum (*Num. xiii, 17*). Ambo ergo tunc summi sacerdotes erant, Moyses et Aaron; an potius Moyses, Aaron vero sub illo? an et ipse summus propter vestem pontificalem, ille vero propter excellentius ministerium? Nam a principio ei dicitur, *Ipse tibi quæ ad populum, tu illi quæ ad Deum* (*Exod. iv, 16*).

Quæri etiam potest, post mortem Moysi quis ungebat successorem summi sacerdotis, qui succedere nisi defuncto non utique poterat. An quia jam unctus erat inter secundos sacerdotes (idem quippe fuit oleum, quo et summus et secundi ungebantur), vestem tantum sumebat ille pontifex, qua ejus summitas appareret? Et si ita est, utrum ipse sumebat, an eum alius induebat, sicut et post ejus mortem Moyses filium fratris sui? Si ergo ab alio vestiebatur, numquid non poterat a secundo summus; præsertim quia talis erat vestis, ut eum ab alio indui necesse fuerit? an sic induebatur prius, ut etiam postea? Non enim semel indutus non eam ponebat, aut cum posuisset, non eam resumebat. Fieri ergo fortasse poterat, ut secundi vestirent primum, obsequendo, non excelendo. Unde autem apparebat quisnam filiorum summo sacerdoti succedere deberet? non enim primogenitum, aut majorem Scriptura definit: nisi intelligamus aliquo divino indicio fieri solere, sive per prophetam, sive quolibet alio modo quo consulit Deus solet: quanquam ex contentione res provenisse videatur, ut postea propterea fuerint plures summi sacerdotes, quia contententibus excellentioribus, litis finiendæ causa pluribus honor ipse tribuebatur.

XXIV. [lb. viii, 35.] Quid est quod dicit Moyses ad Aaron et filios ejus, cum sanctificantur ad ineundum sacerdotium, *Ad ostium tabernaculi testimonii sedebitis septem dies, die et nocte, ne moriamini*? Numquidnam incredibile est, situ corporis uno loco sedere præceptos per dies septem die et nocte, unde se omnino non commoverent? Nec tamen hinc tanquam allegorico aliquid significatum, quod non fieret, sed intelligeretur<sup>1</sup>, cogendi sumus accipere; sed potius agnoscere locutionem Scripturarum, ubi sessionem pro habitatione et commoratione ponit. Non enim quia dictum est de Semei quod sederit in Jerusalem annos tres (*III Reg. ii, 38*), ideo putandum est per totum illud tempus in sella sedisse, et non surrexisse. Hinc et

sedes dicuntur, ubi habent commorationem quorum sedes sunt: habitatio quippe hoc nomen accepit.

XXV. [lb. ix, 1.] *Et factum est, die octavo vocavit Moyses Aaron, et filios ejus, et senatum Israel.* Quem quidam nostri *senatum* interpretati sunt, *ἡγεμονίας* græcus habet: hoc est ergo secutus interpres, quia et senatus a senio videtur dictus. Non autem apte in latino diceretur, Vocavit senectutem Israel, pro senibus vel senioribus: quamvis eadem locutio esset si diceretur, Vocavit juventutem Israel, pro juvenibus. Sed hoc usitatum est in latina lingua, illud autem non est. Nam hoc proprie diceretur, si diceretur, Vocavit senectutem Israel. Unde quidam insolenter putantes etiam *senatum* dici, interpretati sunt *ordinem seniorum*, Compendio tamen forsitan melius diceretur, Vocavit seniores Israel.

XXVI. [lb. ix, 2-4.] Moyses dicit ad Aaron: *Et senatus Israel loquens dicens, accipite hircum ex capris unum pro peccato, et arietem et vitulum et agnum anniculum in holocaustum sine macula, et vitulum a bobus, et arietem in sacrificium salutaris ante Dominum, et similitam conspersam in oleo; quoniam hodie videbitur Dominus in vobis.* Quatuor genera sacrificiorum de animalibus superius commendavit; holocausti, pro peccato, salutaris, et consummationis: sed consummationis ad sacerdotis sanctificationem pertinet. Tria ergo genera reliqua hic præcipiuntur offerri, et dicitur hoc senioribus Israel ut pertineat ad universum populum. Sed hoc loco sacrificium pro peccato habet tria pecora; hircum, et arietem, et vitulum: ad holocaustum vero agnus pertinet; et ad sacrificium salutaris, vitulus et aries. Quapropter non est sic distinguendum, ut pro peccato non intelligatur nisi hircus, tria vero reliqua in holocaustum, id est, aries, et vitulus, et agnus: sed potius tria prima pro peccato, id est, quod dictum est, *Accipite hircum ex capris unum pro peccato, et arietem et vitulum*, subaudiatur pro peccato; et reliquis sit agnus in holocaustum, id est in holocaustum. Quod ideo commendandum a nobis fuit, quoniam posset etiam ita distingui, ut cum dictum esset, *Accipite hircum ex capris unum pro peccato*, reliqua jam ad holocaustum pertinere dicerentur. Quod vero adjungit, *sine macula*, ad omnia referri potest. Cum ergo ambiguum sit quomodo aptius distinguatur, illa res adducit ut tria superiora pro peccato intelligantur, quoniam superius pro peccato principis hircum jussit offerri (*Levit. iv, 23*); et pro peccato cujusque proprio, cum peccat ante Dominum, faciendo unum ex his quæ non oportet, præcepit arietem (*Id. v, 18*); pro peccato vero universæ synagogæ vitulum (*Id. iv, 14*). Oportet ergo ut cum senatui loqueretur quid universus populus offerre debeat, et hircus jubeatur propter principes, et aries propter proprium uniuscujusque peccatum, et vitulus propter peccatum universæ synagogæ. Aliud est enim quod in populo habet quisque peccatum suum proprium, et possunt habere omnes propria, aliud quando commune peccatum est, quod uno animo fit, et una voluntate ad aliquid multitudinis comparata committitur.

<sup>1</sup> In *Er. Lugd. Ven. Loy.* deunt verba, *sed intelligeretur. n.*

Quod vero sacrificia salutaris vitulum et arietem jubet, hæc jubet quæ præcipua sunt: universi enim populi causa est. Præcipiens autem antea de sacrificiis salutaris, undelibet jussit offerri, sive masculum, sive feminam: dum tamen non nisi de bobus et de ovibus et capris offerrentur (*Levit. iii*). Si autem quaeritur quare duo præcepit, vitulum et arietem, difficile est invenire: nisi forte vitulum voluit sacrificium salutaris universi populi; arietem autem pro unoquoque tanquam pro singulis quibusque: quia videtur etiam superius quædam duo genera salutaris sacrificii præcepisse; unum quod velut universorum esset, appellavit sacrificium salutaris; alterum autem ubi dixit, *Si quisque obtulerit sacrificium salutaris sui*. Ubi etiam differentiam reperiebamus, quia in illo quod appellavit salutaris, non commemoravit adipem pectusculi offerendum Domino, atque ipsum pectusculum et brachium dextrum danda sacerdoti: sed in illo hoc fieri jussit quod postea dicit sacrificium salutaris sui (*Supra, quæst. 22*); quod forte intelligitur singulorum quorumque privatum, non publicum universorum. Nam et Moyses obtulit sacrificia salutaris, nec dictum est ibi, salutaris sui; credo, quoniam pro populo universo obtulit. Ubi autem universi, ibi et singuli; non autem ubi singuli, continuo ibi universi. Singula enim possunt esse sine universo; universi autem non possunt nisi ex singulis quibuscumque constare. Nam singuli quique congregati vel in summam reputati, faciunt universos.

Notandum est sane, cum pro populo offeruntur sacrificia, et pro peccato sacrificia jussa esse offerri, et holocaustum, et sacrificia salutaris; pro sacerdote autem oblatum fuisse pro peccato, et holocaustum, et consummationis, non autem salutaris: sed consummationis tunc oblatum est, quando sacerdotes sanctificati sunt ut sacerdotio fungerentur, et hæc obtulit Moyses pro Aaron et filiis ejus (*Levit. vii*); postea vero Aaron ipse jam sanctificatus et sacerdotio fungens, offerre pro se jussus est vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum. Non autem jussus est pro se offerre consummationis, quia tunc ideo oblatum est, ut consummaretur sanctificatione, et sacerdotio fungi posset, quo jam quoniamungebatur, non opus erat eum iterum consummari.

XXVII. [*ib. ix, 7-21.*] *Et ait Moyses ad Aaron, Accede ad altare, et fac quod pro peccato tuo, et holocaustum tuum: et exora pro te et domo tua.* Mirum est quomodo prius dicat faciendum quod pro peccato, deinde holocaustum, cum sacrificia pro peccatis super holocausta superius jubeat imponi (*Id. iv, 35*), excepto quod de avibus præcepit (*Id. v, 8-10*). An forte hic quod prius fiebat, id est holocaustum, posterius commemoravit? Non enim, quemadmodum de avibus, dixit, *Fac prius illud et postea illud*; sed, *fac illud atque illud*: quid autem prius faciendum sit, indicat superius exposita instructio, ubi dicit super holocaustum imponi sacrificium pro peccatis. Quamquam valde moveat quod etiam ita narrat Scriptura fecisse Aaron quod audivit; ut prius commemoret

eum facere pro peccato, deinde holocaustum. Quod utrum et ipse prius fecerit, an prius hoc Scriptura narraverit quod postea factum est, sicut in multis facere solet, haberetur incertum, nisi quod dixi superius legeretur, cum ageret de sacrificio pro peccato. Ita enim legitur: *Et superponet illud sacerdos super altare super holocaustoma Domini, et exorabit pro eo sacerdos pro peccato quod peccavit, et dimittetur illi (*Levit. iv, 35*)*. Quomodo ergo posset hoc super holocaustoma imponi, nisi holocaustoma prius imponeretur? Præcepit autem hoc et de sacrificio salutaris, ut super holocaustoma imponeretur: sed quia hoc non ubique dicit, non per omnia sacrificia salutaris, nec per omnia sacrificia pro peccato, potest forsitan dici non hoc regulariter fuisse præceptum: sed illic tantammodo ut fieret dictum est, id est in sacrificio salutaris, cum sit de bobus, ibi enim il præcepit; et in sacrificio pro peccato, cum sit de femina ex ovibus: cætera vero sive sint salutaris, sive pro peccato, non esse necesse ut super holocausta imponantur.

Movet etiam quod cum faceret Aaron dona populi, quæ supra commemoravit, non omnia commemorata sunt immolata, quæ fuerant prædicta; sed tantum hircus pro peccato et holocaustum, ubi tamen illum agnum non expressit: duo vero alia, quæ ad sacrificia pro peccato potius quam ad holocaustum pertinere diximus, tacuit, id est arietem et vitulum; nisi forte a parte totum intelligi voluit, ut solo capro commemorato etiam illa subsecuta acciperemus.

Cum de sacrificiis salutaris populi narraret, quemadmodum ea fecerit Aaron, de vitulo et ariete ait: *Et occidit vitulum et arietem sacrificii salutaris populi, et obtulerunt filii Aaron sanguinem ad eum, et affudit ad altare in circuitu, et adipem qui a vitulo, et ab ariete lumbum, et adipem tegentem super ventrem, et duos renes, et adipem qui super ipsos est, et pinnam quæ est in jecinore; et posuit adipem super pectuscula, et imposuit adipem ad altare: et pectusculum et brachium dextrum abstulit Aaron, ablationem ante Dominum, quomodo præcepit Dominus Moyse*. Nunc singulariter, nunc pluraliter loquitur, cum de duobus animalibus loquatur, vitulo et ariete. Quod ergo dicit *duos renes*, ab utroque animante intelligendum est, atque ita quatuor sunt; ita et cætera. Quod vero ait, *Et posuit adipem super pectuscula*, cum ipsa pectuscula non imposuerit altari, sacerdoti enim debebantur cum brachiis dextris; quid sibi vult? An intelligendum est; Et posuit adipem qui sunt super pectuscula? ipsos enim posuit, quos imponeret altari a pectusculis demptos. Nam ita et superius præceperat. Denique sequitur, *Et imposuit adipem super altare, et pectusculum et brachium dextrum abstulit Aaron ablationem ante Dominum*: modo singulariter inferens, et pectusculum dicens, utique utrumque ex utroque animante, quæ pectuscula dixerat.

<sup>1</sup> In Er. Lugd. Ven. Lov., cum sit. M.

<sup>2</sup> Huc tres Scripturæ versiculos in ante excusis rejectos, scilicet, *Et adipem qui a vitulo, etc.*, revocavimus ex M.

XXVIII. [lb. ix, 22.] Quid est quod ait, *Cum exuisset Aaron manus super populum, benedixit eos, et descendit, cum fecisset quod pro peccato, et holocaustomata, et quæ salutaris?* Ubi autem ista fecit, nisi super altare, id est, ad altare stans eique deserviens? unde ergo descendit ubi stabat. Nimirum illius solutio questionis adjuvari hoc testimonio videtur, ubi quæsieramus in Exodo quomodo serviri potuerit ad altare, quod erat altum cubitis tribus? Gradum quippe illic intelligere prohibebamur, quia id Deus vetuerat, ne super altare pudenda virilia ministrantis revelarentur, quod utique fieret, si pars altaris gradus esset, id est, si compactus adhæreret (*In Exod. quæst. 113*). Denique ibi hoc vetuit, ubi de altari structili loquebatur, unum enim esset altare cum, gradu cuius pars esset gradus, et ideo vetitum est; hic vero ubi altaris tanta fuerat altitudo, ut nisi sacerdos super aliquid staret, apte ministrare non posset, intelligendum est, quidquid illud erat, quod ad horam ministrationis ponebatur et auferebatur, non fuisse altaris partem, et ideo non fuisse contra præceptum, quo gradum habere prohibitum est: hoc autem qualecumque fuerit, tacuit Scriptura, et ideo quæstio facta est. Sed nunc cum dicit Scriptura sacerdotem, cum fecisset sacrificia, descendisse, hoc est cum immolata imposuisset altari, utique manifestat alicubi cum stetisse unde descenderet: et quia ibi steterat, ideo trium cubitorum altari ministrando deservire potuisse.

XXIX. [lb. ix, 24.] *Et vidit omnis populus, et amens factus est.* Quod alii interpretes dixerunt, *expavit*, conantes transferre de græco quod dictum est, *ἐκπῆν*, unde *ἐκπῆσις* dicitur, qui sæpe in Scripturis latinis legitur mentis excessus.

XXX. [lb. ix, 24.] *Et exiit ignis a Domino, et devoravit quæ erant super altare, holocaustomata, et adipēs.* Quid dixerit, *a Domino*, quæri potest utrum quia vultu et voluntate Domini factum est, an ab eo loco ignis exiit ubi erat arca testimonii. Non enim in loco aliquo ita est Dominus, quasi alibi non sit.

XXXI. [lb. x, 1 3.] Posteaquam exeunte igne a Domino, incensū et mortui sunt filii Aaron, qui ausi sunt in batillis suis adhibito igne alieno incensum imponere Domino; quod ideo non licebat, quia ex illo igne qui divinitus in altare venerat deinceps custodito, omnia erant accendenda quæ in tabernaculo accendi oportebat: mortuis ergo illis ait Moyses, *Hoc est quod dixit Dominus dicens, In eis qui mihi appropinquant sanctificabor, et in omni synagoga glorificabor: eos appropinquare Domino volens intelligi, qui in tabernaculo sacerdotio fungebantur; sanctificari autem in eis etiam vindicando, sicut factum est. Utrum ut hinc sciretur quam minus aliis parcat, si illis non parcat: quo sensu dictum est, Si justus vix salvus erit, peccator et impius ubi parebunt (1 Petr. iv, 18)? An potius secundum illud, Cui plus datur, plus exigitur ab eo? et illud, Servus qui non cognovit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit pauca: servus autem qui cognovit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit multa (Luc. xii,*

48. 47)? et illud, *Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potentiora tormenta patientur (Sap. vi, 7)?* Sed ubi hoc dixerit Dominus, quod cum dixisse Moyses commemoravit, in Scriptura quæ retro est non invenitur. Tale ergo est hoc, quale in Exodo, ubi dicit Domino, *Tu dixisti, Scio te præ omnibus (Exod. xxxiii, 12)*; quod invenitur quidem Dominus ei dixisse, sed postea: sed quoniam mendaciter nunquam hoc Moyses diceret, intelligitur et ei etiam ante dixisse, quamvis scriptum non fuerit; ita et hoc. Unde apparet non omnia scripta esse quæ Deus locutus est eis, per quos nobis sancta Scriptura ejus ministrata est.

XXXII. [lb. x, 6, 7.] Quid est quod Aaron et reliquos filios ejus mortem illorum duorum lugere prohibens dicit, *Caput vestrum cidara non demudabitis*, ubi certe ostendit cidaras tegmina capitum fuisse; nisi quia illa faciebant lugentes, quæ consuetudini ornatus essent contraria? Sicut enim in nostra consuetudine, quia caput apertum magis habetur, operitur in luctu; sic quia illi operimento capitis ornabantur, nudandum erat lugentibus. Quod ideo prohibet, ne lugerent eos in quorum poena sanctificatus est Dominus, id est commendatus est timor ejus. Nec ideo quia lugendi non erant, nam permittit alios lugere illos: sed quia illi lugere tunc non debebant, cum dies sanctificationis eorum agerentur, nondum completis septem, quibus eos præcepit de tabernaculo non abscedere. Quanquam possit videri, quia illo oleo fuerant sanctificati, hoc dictum esse quod nunquam quemquam lugere deberent. Ita enim dicit: *Fratres autem vestri, omnis domus Israel, plorabunt incendium, quo incensi sunt a Domino. Et ab ostio tabernaculi testimonii non exhibitis, ne moriamini: oleum enim unctionis, quod est a Domino, super vos est.*

XXXIII. [lb. x, 9-11.] *Et locutus est Dominus ad Aaron dicens: Vinum et siceram non bibetis tu et filii tui tecum, cum intrabitis in tabernaculum testimonii, aut cum acceditis ad altare, et non moriemini.* Quando ergo eis bibere licebat, quandoquidem in tabernaculum eis quotidie necesse erat introire et accedere ad altare, propter continuam servitutem? Quod si quisquam dicit, non omni die sacrificia imponi solere, quid dicit de ingressu in tabernaculum, qui quotidianus erat propter candelabrum et panes propositionis super mensam ponendos? Si autem respondetur, in tabernaculum testimonii nunc quod ait, illud esse intelligendum ubi erat arca testimonii; etiam illuc necesse erat intrare summum sacerdotem propter incensum continuationis. Non enim semel in anno intrabat; sed cum sanguine purificationis semel in anno, propter incensum autem quotidie. An intelligendum est Deum præcepisse ut vinum omnino non liberent? Car ergo non ita præcepit potius ut breviter diceret, *Vinum non bibetis*; sed addidit, *cum intrabitis in tabernaculum, aut cum acceditis ad altare?* An quia causa non bibendi tacenda non erat, maxime quia Deus præscius erat futuros postea tam multos etiam summos sacerdotes uno tempore, id est non

per successionem, qui tabernaculo et sacrificiis et incenso et universo illi ministerio vicibus deservirent; quando utique illi non bibebant, quorum locus erat deserviendi, alii autem bibebant? An quid aliud hoc loco intelligendum est? Quoniam cum vinum et siceram sacerdotes bibere prohiberet, secutus a. l. *Legitimum æternum in progenies vestras*: ambiguum est utrum superiori sensui connectatur, id est, ad vinum non bibendum pertineat; an inferiori ubi sequitur, *Distinguere inter medium sanctorum et contaminatorum, et inter medium mundorum et immundorum; et instruere filios Israel omnia legitima quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi*: ut hoc sit officio sacerdotum legitimum æternum in progenies eorum. Quomodo autem dicat æternum, jam sæpe diximus. Hoc quoque ambiguo positum est quod ait, *Distinguere inter medium sanctorum et contaminatorum, et inter medium mundorum et immundorum*; utrum ab eo quod sunt sancta et munda, vel inquinata et immunda; an ab eo quod sunt sancti et mundi, vel inquinati et immundi: id est utrum inter illa ipsa sacra, quæ rite vel non rite fierent, distinguere voluit sacerdotes; an inter ipsos homines probandos vel improbandos; an potius ad utrumque referendum est, sive homines, sive sacra.

XXXIV. [Ib. x, 14.] *Pectusculum segregationis et brachium ablationis manducabitis in loco sancto*. Quavis singula singulis data sint, nimirum tamen utrumque posset dici segregationis, quia utrumque sacerdoti separatur; et utrumque ablationis sive demptionis, quod græce dicitur ἀπολαΐμα, quia utrumque demitur et auferitur eis pro quibus offertur, ut detur sacerdoti. Pectusculum sane impositionis superius legimus, et brachium ablationis; quia de brachio nihil imponebatur altari, adeps autem de pectusculo imponebatur.

XXXV. [Ib. x, 14.] Quid est quod dicit, *De sacrificiis salutarium*, cum ea dicat quæ a tibi dixit *sacrificia salutaris*; et cum singulari numero id dixit *sacrificium salutaris*, cum de eadem re diceretur? An forte hoc loco ubi ait, *A sacrificiis salutarium*, sanitatum dici debuit? Nam in isto psalmo ubi dictum est, *Exaudite nos, Deus sanitatum nostrarum* (Psal. lxxv, 6), hoc verbum habet græcus quod etiam hoc loco, id est *συντηριών* qui genitivus pluralis in græca lingua ambiguus est, utrum a salute, an a salutari nomen declinatum sit: quoniam *συντηριών* dicitur salus vel sanitas, unde fit genitivus pluralis τῶν συντηριῶν salutare autem *συντηριών* dicitur, et inde genitivus pluralis idem ipse est. Si ergo recte potest intelligi etiam sacrificium salutis quod est sacrificium salutaris, quoniam a salutari salus datur, et illud est salutare unde salus accipitur: non est necesse ut tanquam multorum salutarium sacrificia hic intelligamus, ubi dictum est *sacrificiis salutarium*, sed multarum forsitan sanitatum, quæ tamen ab uno salutari accipiuntur. Quod

<sup>1</sup> *Utrumque phrasim, mutata interpunctione, hocce modo legunt Er. Lugd. Ven. Lov.: Quid est quod dicit de sacrificiis salutarium: cum ea dicat quæ a tibi dixit sacrificia salutaris singulari numero, id dixerit sacrificium salutaris, cum de eadem re diceretur? M.*

sit autem salutare Dei, de quo dictum est, *Calicem salutaris accipiam* (Psal. cxv, 13), et de quo Simon dicit in Evangelio, *Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (Luc. ii, 30); fides christiana novit. Possunt sane non absurde intelligi vel dici etiam sacrificia salutaris, quæ sunt salutaris.

XXXVI. [Ib. x, 15-20.] *Et erit tibi et filiis tuis et filiabus tuis legitimum sempiternum*. Non frustra est additum, *filiabus*; quoniam quedam ad escas pertinentia sacerdotum prohibet a feminis accipi, sed a masculis jubet.

Cum quæsisset Moyses caprum oblatum pro populi peccatis, et non invenisset, quoniam fuerat incensus, et iratus esset, quod ea quæ pro peccato a populo offerrentur, constituit Dominus sacerdotibus edenda, oblati inde adipibus et renibus; iratus autem esset non fratri suo, sed filiis ejus, credo quod ad eos suggerendi ministerium pertineret: respondit illi Aaron et ait, *Si hodie obtulerunt ea quæ pro peccato illorum sunt, et holocausta sua ante Dominum, et contigerunt mihi tulia, et comedam quod est pro peccato hodie, numquid placitum erit Domino? Et audivit Moyses, et placuit illi*. Hoc videtur dixisse Aaron, quod ipso die quo primum obtulerant filii Israel pro peccato suo, non debuit a sacerdotibus manducari, sed totum incendi, non inde regulam faciens ad cætera; nam deinceps sacrificia pro peccatis ipsi edebant: sed quia hoc primum fuit ipso primo die primitus oblatum, credendum est Aaron sacerdotem hoc divina inspiratione dixisse<sup>1</sup>, ut et illud circa sacerdotes deinceps servaretur quod præceperat Dominus Moysi, et hoc quod Aaron dixit tanquam divinitus dictum Moyses approbaret. Quid ergo de cæteris ejusdem diei sacrificiis, id est de ariete et vitulo, quæ diximus etiam ipsa pro peccato oblata debere intelligi? An de vitulo nulla quæstio est, quoniam oportebat sic fieri, ut de ejus sanguine quemadmodum præceptum fuerat intronitteretur, unde et tangerentur cornua altaris incensi, et consequens erat ut totus arderet? Quid ergo de ariete? An quoniam primum caprum quæsitum Moyses, quod de capro illi responsum est, hoc et de ariete intelligendum est, quem ex ordine fuerat quæsiturus, nisi illud responsum sacerdotis ei placuisset? De vitulo autem quid quæreret, cum ea lege fieri potuerit, quam de vitulo pro peccato universæ synagoge præceperat Deus, sicut de vitulo pro peccato sacerdotis, id est ut totus arderet extra castra (Levit. iv, 12 et 21)? Hæc enim sunt verba irascentis Moysi ad filios fratris sui, cum hircum pro peccato quæsitum non invenisset, quia fuerat totus incensus: *Quare non comedistis illud quod fuit pro peccato in loco sancto? Quoniam enim sancta sanctorum sunt, hoc vobis dedit edere, et auferatis peccatum synagoge, et exoretis pro eo ante Dominum. Non enim illatum est a sanguine ejus in sanctum ante faciem intus. Edetis illud in loco sancto, quomodo mihi constituit Dominus. Utique cum dicit, Non enim illatum est a sanguine ejus in sanctum ante faciem intus, procul dubio discernit illud quod ita fit*

<sup>1</sup> *Nostri omnes Mss., hoc divina aspiratione dixisse.*

pro peccato sacerdotis, sive pro peccato universæ synagoga, non de hircu, de quo sanguis quoniam non erat jussus inferri ad tangenda cornua intus altaris incensi, non debuit totus incendi, sed a sacerdotibus manducari. Hoc autem quare sit factum, id est ut etiam ipse totus incenderetur, respondit Aaron, et placuit Moysi.

Sane quoniam sex pecora præcepta fuerunt senioribus populi ut offerrentur pro populo, quorum prius quatuor commemoravit, hircum et arietem, et vitulum, et agnum anniculum; quorum manifestum est hircum pro peccato, manifestum est etiam agnum anniculum in holocaustum; duo vero media, arietem et vitulum, ambigue posita videramus, utrum ad sacrificium pro peccato pertinerent, et hircu adjungerentur, an potius agno ut in holocaustum offerrentur, unde quid nobis videretur, suo loco exposuimus: postea vero ut sex animalia complerentur, vitulum et arietem commemoravit in sacrificio salutaris; nec tamen in consequentibus cum immolata sunt, et identidem commemorata, sit mentio pecorum ipsorum arietis et vituli, quæ inter caprum et agnum posuerat, sed tantum ille vitulus et ille aries commemorantur, quos in sacrificium salutaris offerri jusserat, ut jam non sex pecora, sed potius quatuor fuisse credantur: potest fortassis intelligi quod duo illa, quæ prius inter hircum et agnum posuerat, iterum nominavit, et non est alius vitulus et alius aries in sacrificio salutaris: ut cum dixisset hircum pro peccato, et arietem et vitulum non dicens in quid, id est in quam rem, agnum vero anniculum in holocaustum; postea dicere voluerit quid de vitulo et ariete faciendum esset, id est, quia neque pro peccato sicut hircus, neque in holocaustum sicut agnus, sed in sacrificio salutaris jubebantur inferri. Sed si hoc intellexerimus, manebit quæstio quare pro peccato synagoga hircus oblatus sit, cum de sacrificiis quæ pro peccatis offerenda essent ab initio Dominus loquens, vitulum offerri jusserit pro peccato synagoga; sicut pro peccato sacerdotis, non caprum, sed vitulum; de quo vitulo etiam sanguinem, similiter ut pro peccato sacerdotis, ad tangenda cornua altaris incensi præcepit inferri (*Levit. iv, 3-18*): et quæ causa fuerit, ut pro peccato Aaron, et Moyses vitulum offerret (*Id. vii, 14*), et ipse Aaron alterum vitulum (*Id. ix, 8*), sicut pro peccato sacerdotis secundum Dei præceptum offerri oportebat; pro peccato autem populi non vitulus, sicut præceptum fuerat, sed hircus potius offerretur. Quod cum moveret, visum est nobis, ut supra diximus, quod non solus hircus pro peccato populi, sed et aries et vitulus offerri jussus est, ut ad ista tria subaudiatur, pro peccato: quia et principes erant in populo, pro quibus hircus fuerat offerendus: et singuli quique habere propria peccata potuerunt, pro quibus aries; et unum aliquod peccatum omnes, pro quo vitulus, sicut ab initio præceptum fuerat, pro peccato universæ synagoga vitulum offerri oportebat. Ideo autem cum immolata sunt, hircus tantummodo nominatur, ut alia etiam tacita intelligerentur, locu-

tionem a parte totum, quia omnia fuerant pro peccatis.

XXXVII. [Ib. xi, 33, 34.] Cum ageret de morticinis immundorum animalium, *Et omne vas fictile, inquit, in quo ceciderit ex eis intus<sup>1</sup>, quæcumque sunt intus immunda erunt; et illud conteretur*, id est, ipsum vas. *Et omnis cibus qui manducatur, in quemcumque venerit super illum aqua, immundus erit vobis.* Non quæcumque aqua intelligenda est, quæ supervenerit cibo, facit eum immundum; sed ex illo vase quod factum est immundum de morticinis immundis, si forte ipsum vas habuit aquam.

XXXVIII. [Ib. xi, 47.] *Instruere<sup>2</sup> filios Israel inter vivificantia quæ manducantur, et inter vivificantia quæ non manducantur: quæ græcus habet ζωογονεῖται*, nostri quidam *vivificantia* interpretari maluerunt, quia utcumque hoc verbum noster usus recepit, quam facere novum insolitum, si dici posset vivigignentia. Non enim quæ vivificant, id est vivere faciunt, sed quæ vivos fetus gignunt, id est non ova, sed pullos, dicuntur ζωογονεῖται.

XXXIX. [Ib. xii, 4.] Quid est quod ait de muliere quæ peperit, *Omne sanctum non tanget, et in sanctuarium non introibit?* Quod sanctuarium vult intelligi; cum legatur in tabernaculum nonnisi sacerdotes solere ingredi, et usque ad velum interius secundum, ultra velum autem ipsum ubi erat arca, nonnisi unum summum sacerdotem? An et ante tabernaculum, ubi erat altare sacrificiorum, sanctuarium dici potuit? Nam sæpe appellatur locus sanctus etiam ipsum atrium, cum dicitur, *In loco sancto edent ea* (*Levit. vi, 26*). Illuc fortassis solebant intrare mulieres, quando offerrebant dona sua, quæ imponerentur altari.

XL. [Ib. xii, 2-8.] Quid est quod dicit, *Si masculinum pepererit mulier, immunda erit septem dies; secundum dies secessionis purgationis ejus immunda erit: et in die octavo circumcidet carnem præputii ejus; et triginta et tres dies sedebit in sanguine suo mundo. Omne quod sanctum est non continget, et in sanctuarium non introibit?* Quæ differentia est inter septem dies illos quibus dicit eam immundam, et triginta tres quibus in sanguine suo mundo sedebit? Si enim jam immunda non est per triginta tres dies, quare non tangit quod sanctum est? An hoc adhuc interest, quia in sanguine est, licet mundo: ut hoc distet, quia cum immunda est, ubicumque etiam se lerit, immundum facit; cum vero jam in sanguine mundo sedet, tantum quod sanctum est non ei licet tangere, et in sanctuarium intrare? Hoc est enim quod ait, *secundum dies secessionis purgationis suæ*, quod dicit alio loco, immunditiam feminæ quæ menstruis purgatur; septem dierum esse, quando omne super quod sederit immundum erit (*Id. xv, 19-23*). *Secessionis* autem dicit, quoniam secedebat aliquantum, ne omnia coinqui-

<sup>1</sup> Hic in editis deest, *intus*: quod in Mss. et apud LXX habetur.

<sup>2</sup> Editi, *Instrue*. At Mss., *Instruere*: sicut legendum conjiciebat Nobilius in annotationibus ad *Levit. 2*, ubi insuper movet verba isthæc: *Kai sumbibazetei ton huiou Israel*, quæ quidem hodie LXX in versibus non habent, reperiri in aliquot canticibus inserta versiculo 47, proxime ad illud, *anaweson ton zboanontion*.

naret, cum perageret illos dies. Hos dies immunditiæ ejus, si feminam pareret, Lex duplicabat, et quatuordecim faciebat: reliquos autem quibus sedebat in sanguine mundo suo; etiam ipsos duplices jussert observari, id est sexaginta sex, ut omnes essent in partu masculi quadraginta, in feminæ octoginta. Aliqui autem codices græci non habent, *in sanguine mundo suo*; sed, *in sanguine immundo suo*.

Et cum adimpleti fuerint dies purgationis ejus, super filio aut super filia offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum, et pullum columbinum aut turturem<sup>1</sup>, pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii ad sacerdotem: et offeret eum ante Dominum, et exorabit pro ea sacerdos, et purgabit eam a fonte sanguinis ejus. *Ista lex ejus quæ peperit masculum aut feminam. Si autem non invenerit manus ejus quod satis est in agnum, et accipiet duos turtures, aut duos pullos columbinos; unum in holocaustum, et unum pro peccato: et exorabit pro ea sacerdos, et purgabitur.* Recte ergo superius non legendum est, *Offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum, aut pullum columbinum aut turturem pro peccato*, sicut nonnulli codices habent; sed sicut dictum est, *et pullum columbinum aut turturem pro peccato*: quandoquidem postea dicit, *Si non invenerit manus ejus quod satis est ad agnum, et accipiet duos turtures*: ubi plus videtur habere et; nam ea conjunctione detracta, integre sequitur, *accipiet duos turtures aut duos pullos columbinos, unam avem scilicet in holocaustum, alteram pro peccato.*

Sed quo peccato? Numquid peperisse peccatum est? An hic ostenditur illa propago ex Adam, unde Apostolus dicit, *Ex uno in condemnationem*; et quia *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit* (Rom. v, 16, 12)? Et hic satis apparet quemadmodum dictum sit, *Ego enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis mater mea in utero me aluit* (Psal. l, 7). Cur ergo non illud quod natum est purgari dicit Scriptura per hoc sacrificium, sed ipsam quæ peperit? An ad ipsam quidem, unde illa origo trahebatur, relata purgatio est propter sanguinis fontem; non poterat tamen sine ipsius fetus purgatione fieri, qui ex ipso sanguine exortus est? Nam quæ pertinet quod superius ait, *Super filio aut super filia offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum, et pullum columbinum aut turturem pro peccato*, si nihil per hoc sacrificium fiebat pro eis qui nascebantur?

Quod si quisquam ita distinguere conabitur, ut dicat non esse jungendum, *Super filio aut super filia offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum, et pullum columbinum pro peccato*; sed ita potius legendum, *Et cum adimpleti fuerint dies purgationis ejus super filio aut super filia, id est dies purgationis impleti fuerint super illo aut super illa, filio scilicet*

<sup>1</sup> Editi iuresque Mss. hic et infra tertio loco, et turturem. Corbeiensis codex et unus e Vaticanis, aut turturem. Cui lectio suffragantur LXX et versio Vulgata: neque porro adversatur Augustinus, ut Nobilio perperam videbatur. Postea quippe codices nonnullos reprehendit S. Doctor, non quia, qui turturem, sed quia, aut pullum columbinum, pro, et pulum, etc., exhiberent.

vel filia; ut deinde ab alio sensu sequatur, *Offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum, et pullum columbinum pro peccato*, id est, pro peccato suo, cum completi fuerint dies purgationis ejus super filio aut super filia: quisquis ergo ita distinguendum putaverit, ex Evangelio convincetur, ubi cum tale aliquid nato ex virgine Domino facerent, magis propter consuetudinem Legis, quam propter necessitatem alicujus in eo expiandi purgandique peccati, sic legitur, *Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo* (Luc. ii, 27): nondictum est, pro matre ejus, sed, pro eo; quamvis ea fierent quæ hoc loco præcepta sunt de duobus turturibus aut duobus pullis columbinis. Sic enim baptizari ipso etiam dignatus est baptismo Joannis, qui erat baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum (Matth. iii, 13, 14), quamvis nullum haberet ille peccatum. Merito ergo quidam nostri ita interpretati sunt etiam istum in Levitico locum, ut non dicerent, *super filio aut super filia*; sed, *pro filio aut pro filia*. Hanc enim vim hujus præpositionis esse intellexerunt hoc loco, ubi græcus ait, ἐπ' υἱῶ ἢ ἐπὶ θυγατρὶ. Sane advertendum est quam pauper Dominus nasci voluerit, ut non pro illo offerretur agnus et pullus columbinus aut turtur, sed par turturum aut duo pulli columbini, sicut in Evangelio legitur (Luc. ii, 21); quod Scriptura Levitici tunc jussit offerri, si non habuerit manus offerentis quod satis est in agnum.

XLl. [Ib. xiii, 20]. *Homini si cui facta fuerit in cute corporis ejus cicatrix signi lucida, et fuerit in cute coloris ejus tactus lepræ.* Velut exponendo dixit posterius, unde quod primum dixerat intelligeretur, quoniam dixerat, *Homini si cui facta fuerit in cute corporis ejus cicatrix signi lucida*, ne cicatricem sic intelligeremus, quomodo solet esse vestigium sanati vulneris, aperuit hoc se de colore dicere, cum adjunxit, *Et fuerit in cute coloris ejus tactus lepræ.* Quidquid ergo illud est, coloris vitium est, quod nomine cicatricis appellat. Quod vero ait, *tactus lepræ*, non quod tactu color sentiat; sed ita dicit tactum lepræ, tanquam ipse homo vel corpus ejus lepra sit tactum, hoc est maculatum atque vitiatum: sicut dici solet, *Tetigit eum, vel non tetigit febris.* Denique ipsam maculam, tactum vocat, et eam semper isto nomine appellat. Unde nonnulli nostri non *tactum*, sed *maculam* interpretati sunt: quo nomine quidem planius videretur sonare quod legitur; sed potuit et græcus non dicere ἀρῶν, id est *tactum*, sed μῶρον, id est *maculam*, unde ἑμῶρον dicit immaculatum: quamquam non ab illo solo quod in colore contingit, sed ab omni vitio purum solet Scriptura ἑμῶρον dicere; unde non maculam coloris, sed omnis vitii notam vult intelligi, quod μῶρον appellat. Posset ergo quod ad solum colorem atinet σπιλον dicere; quo verbo usus est Apostolus, ubi ait de Ecclesia, *Non habentem maculam aut rugam* (Ephes. v, 27) Nec μῶρον autem, nec σπιλον dixit, sed ἀρῶν, id est *tactum*: quod et in græca lingua inusitate dicitur in coloribus,



et tamen hoc Septuaginta interpretes non piguit græce dicere; cur ergo latinos piguerit? Quod autem dicitur *cicatrix signi*, vel ideo dicitur, quod significet aliquid; vel ideo potius, quod ipsum hominem signo quodam discernit a cæteris, hoc est, notabilem reddit.

XLII. [Ib. XIII, 3.] Quid est quod ait, *Et videbit sacerdos, et inquinabit eum?* ad quem veniet ut mundeatur. Sed *inquinabit* dictum est, inquinatum pronuntiabit, si hæc in eo viderit, quæ Scriptura dicit de macula lepræ.

XLIII. [Ib. XIII, 4, 7, 2.] *Si autem lucidus albus erit in cute coloris ejus<sup>1</sup>, et humilis non fuerit aspectus ejus a cute. Lucidus albus* subauditur tactus, id est, illa macula coloris, non pilus. Quod postea dicit, *Si autem conversa mutata fuerit significatio in cute*; hanc dicit significationem, quod superius *signum* in latino legitur. Nam græcus et supra et hic uno eodemque verbo usus est, *ἢ, πῶς λατῶ* dicens.

XLIV. [Ib. XIII, 5 et 6.] *Et segregabit illum sacerdos septem diebus in secundo; et videbit illum sacerdos die septimo in secundo: et ecce obscurus tactus non est conversus tactus in cute; et purgavit eum sacerdos: signum enim est: hoc est, purgatum eum, pronuntiabit; non enim est lepra, sed signum.*

XLV. [Ib. XIII, 4-7.] *Si autem conversa mutata fuerit significatio in cute, posteaquam vidit illum sacerdos ut purget: et visus fuerit denuo sacerdoti, et viderit eum sacerdos, et ecce commutata significatio in cute; et inquinabit eum sacerdos: lepra est.* Etiam hic *inquinabit* dixit, inquinatum pronuntiabit: et autem plus habet, ex more locutionis Scripturæ. Hoc itaque videtur admonuisse, ut cum visus fuerit solus color albus et lucidus, discolor sano colori, adhuc probetur a sacerdote, ut si viderit etiam pilum mutatum in album colorem, et humiliorem factum cutis locum, in quo est albus color, tunc pronuntiet lepram, id est, inquinet hominem pronuntiando leprosum. *Si autem, inquit, lucidus albus fuerit in cute coloris ejus*, id est, lucidus albus fuerit ille tactus; quo nomine eandem maculam appellat: *et humilis non fuerit aspectus ejus a cute; et pilus, non erit conversus in album, ipse autem est obscurus*, id est ipse pilus, quia non est albus: *et segregabit sacerdos tactum septem dies; et videbit sacerdos tactum die septimo*, id est illam maculam: *et ecce tactus manet ante eum; non commutatus est tactus in cute*, id est, non est discolor et dissimilis inventus a cute. Ergo sanatum est quod vitiosum erat: sed adhuc jubet probari eandem sanitatem per alios septem dies, atque ideo sequitur et dicit, *Et segregabit illum sacerdos septem dies in secundo*, id est septem alios dies; *et videbit illum sacerdos die septimo in secundo: et ecce obscurus tactus*, id est, quia non albus et lucidus, ne per hoc concolor sano colori; *non est mutatus tactus, in cute*, sicut et paulo ante dixit, hoc est non est dissimilis a cætera cute: *et purgabit eum sacerdos*, id est, purgatum pronuntiabit a suspitione lepræ; non quod habuerit lepram, quam jam non habet, sed quo-

niam lepra non fuit, quod in illo lucido et albo colore tactus, id est macula illius quæ apparuerat, cum expectaretur utrum humilior fieret locus, et pilus illic in album converteretur, non contigit, sed potius ille tactus qui fuit ante lucidus et albus, obscurus inventus est, id est similis cætero colori, non lucidus: non erat ergo lepra, *signum est enim*, non lepra, quod sic apparuerit: tamen etiam propter hoc purgatus a suspitione lepræ, *lavabit vestimenta sua*; quia et in illo signo aliquid fuit, propter quod lavanda fuerant vestimenta; *et mundus erit.*

XLVI. [Ib. XIII, 7, 8.] Deinde sequitur, *Si autem conversa mutata fuerit significatio in cute, posteaquam vidit illum sacerdos ut purgaret illum*; id est, posteaquam vidit eum sacerdos septimo die prius sanum, ut purgaret illum, mutata est illa significatio, id est illud signum in cute: *et visus fuerit in secundo sacerdoti*, id est post alios septem dies: *et viderit eum sacerdos, et ecce commutata est significatio in cute*, id est, non stetit in illa sanitate, in qua eum viderat post primos septem dies. *Et inquinabit illum sacerdos: lepra est.* Jam hic quoniam illud quod visum fuerat post primos septem dies sanum, non stetit in suo, sed mutatum est in pristinum vitium, lepra pronuntiatur; ita ut non illic expectetur vel locus humilior, vel pilus in album conversus. Cum enim lepra non sit notabilis atque vitiosa, nisi varietas; hoc ipsum de vitioso colore redire ad sanum, et de sano redire ad vitiosum, ita notabile est, ut non ibi fuerit expectandum, quod in primo expectari præceperat, de humiliori loco et pili candore, sed jam etiam ista varietate sine dubitatione sit lepra.

XLVII. [Ib. XIII, 9-17.] Deinde sequitur: *Et tacta lepræ si fuerit in homine, veniet ad sacerdotem: et videbit sacerdos; et ecce cicatrix alba in cute; et hæc mutavit capillum album, et a sano carnis vivæ in cicatrice.* Hinc si subtrahamus *et*, more enim locutionis Scripturarum positum est, isto erit sensus: *Et videbit sacerdos; et ecce cicatrix alba in cute; et hæc mutavit capillum album a sano carnis vivæ in cicatrice.* Ordo est: *Mutavit capillum album in cicatrice a sano carnis vivæ*; id est, cum caro viva et sana habeat capillum obscurum, vel nigrum, hæc cicatrix album habet. *Lepra veterascens est in cute coloris ejus: et inquinabit eum sacerdos*, id est, inquinatum pronuntiabit. *Non segregabit eum, quia immundus est*: hoc videtur dicere, quia ubi inventus fuerit pilus in album mutatus concolor albo vitio cutis, jam non segregatur, ut probeatur; nec expectatur utrum etiam humilior fiat locus; sed ex hoc tantum quod alba est cutis discolor cæteræ, et album habet pilum discolorum cæteris qui sunt in carne viva et sana, lepra veterascens pronuntiatur: ideo veterascens, quia jam non est profunda illis bis septem diebus. *Si autem restitutus fuerit color sanus, et conversus fuerit albus*: quoniam dixerat totum album factum per totam cutem, eo ipso jam mundum esse; quia varietas ibi jam non esset. Deinde ait, *Et quacumque die visus fuerit in eo color vivus, inquinabitur*: ubi satis ostendit varietatem improbari. Ac per

<sup>1</sup> Am. Er. et Lov., in cute color ejus. RaL. vero et Mss., coloris. In græco est, *ton chrotos autou.*

hoc quod modo dixit, *Si autem restitutus fuerit color sanus, et conversus fuerit albus, et veniet ad sacerdotem; et videbit sacerdos: et ecce conversus tactus in album; et purgabit sacerdos tactum; mundus est.* Restitutum colorem sanum non debemus accipere, ut color sanus esset; etenim ipse erat per quem tamen fiebat immundus propter varietatem. Restitutum ergo dixit colorem sanum, ut illud esset quod fuerat, id est albus sano pereunte. Tunc enim rursus mundus erit, cum totus albus fuerit, quia nulla ibi varietas erit. Sed restitutum pro pereunte accipere, nimis inusitata locutio est. Magis enim videtur dicere debuisse, *Si autem restitutus fuerit color albus: nunc vero ait, restitutus sanus, et conversus fuerit albus;* tanquam diceret, *Sanus color si restitutus fuerit in album.*

XLVIII. [Ib. xiii, 30.] Quid est, quod cum de lepra capitis loqueretur, eam etiam quassationem (a) appellavit, cum in solo colore fiat, vel cutis vel capillum, et quod humilior aspectus ejus a cætera cute appareat, sine dolore tamen et sine ulla vexatione? An hoc quod immundum est quassationem voluit appellare pro plaga, velut hac immunditia homo percussus sit?

XLIX. [Ib. xiii, 47 et 48.] Quid sibi vult, quod cum diceret de lepra vestimentorum aliarumque rerum ad usus hominum pertinentium, ait, *Aut in vestimento laneo, aut in vestimento stuppeo, aut in standne, aut in lana, aut in lincis, aut in laneis;* cum jam supra dixisset, *in vestimento laneo, aut in vestimento stuppeo?* Nam stuppeum est utique lincum. An illic vestimenta intelligi voluit; hic autem quodlibet laneum et quodlibet lincum? Non enim vestimenta sunt stramina junctorum, cum sint lanea; aut vestimenta sunt retia, cum sint linea. Prius ergo specialiter de vestimentis, deinde generaliter de omnibus rebus lincis et lincis dicere voluit.

L. [Ib. xiii, 48.] Quæritur quid dixerit, *In omni operaria pelle;* quod nonnulli interpretati sunt, *In omni confecta pelle.* Sed non ait græcus ἐργασίαν δερματι ait autem ἐργασίαν, quod verbum etiam in Regnorum libro positum est, ubi Jonathan loquitur ad David, *Esto in agro in die operaria* (I Reg. xx, 19), id est, in die qua fit opus. Ac per hoc etiam hic pellem operariam in qua fit opus debemus accipere, id est alicui operi accommodatam. Sunt enim pelles quæ tantummodo ad ornamentum habentur, non ad opus.

LI. [Ib. xiii, 18.] Quid est quod ait, *In omni vase operario pellis;* nisi quod est ex pelle factum, hoc est in omni vase pelliceo? Hoc autem isto loco vas dicit, quod Græci appellant κεύθος: hoc enim nomen generale est omnium utensilium. Aliud est autem quod appellatur ἀγγιστον: nam et hoc latina lingua vas dicitur: sed ἀγγιστον, illud magis intelligitur vas quod liquorem capit.

LII. [Ib. xv, 11.] Quid est quod ait, *Et quemcumque tetigerit<sup>1</sup> qui fluorem seminis patitur, et manus suas non lavit aqua, lavabit vestimenta, et lavabit corpus suum*

<sup>1</sup> in editis, *quicumque tetigerit*: et infra, *quicumque non lotis.* In Mss. constanter, *quemcumque.* Porro ἀπὸ I. XX le (a) *Thrausna.*

*aqua, et immundus erit usque in vesperam?* Ambiguo quippe positum est quod ait, *manus suas non lavit aqua,* velut posteaquam tetigerit. Sed intelligendum est, quemcumque non lotis manibus tetigerit, ipse quem tetigerit, lavabit vestimenta, etc.

LIII. [Ib. xvi, 16, 19.] Quid est, quod cum præciperet quomodo intrare deberet sacerdos summus in sanctum, quod est intra volum, ait inter cætera, *Et exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israel, et ab injustitiis eorum, et de omnibus peccatis eorum?* Quomodo ergo pro sanctis, si ab immunditiis filiorum Israel et ab injustitiis eorum de omnibus peccatis eorum? An quia non ait, pro immunditiis filiorum Israel, sed ab immunditiis, hoc intelligendum est, *Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israel,* id est pro eis qui sancti sunt ab immunditiis filiorum Israel, non consentientes immunditiis eorum: non quia pro ipsis tantum exorandum erat, sed quia etiam pro ipsis, ne quisquam putaret ita fuisse sanctos, ut nihil esset unde pro eis exoraretur, quamvis essent ab immunditiis filiorum Israel et ab injustitiis eorum alieni? *De omnibus peccatis eorum,* id est, quæ injustitiæ veniebant de omnibus peccatis eorum.

Potest et iste esse sensus, *Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israel;* id est, ut hoc pro illis exorari intelligatur, ut ab immunditiis filiorum Israel tuti essent. Sed *exorabit* non potest accipi, nisi quod alio verbo dicitur, propitiabit. Unde et propitiatorum vocatur, quod alii exoratorum interpretati sunt: græce autem dicitur ἱεραπόστολος. Et quod hoc loco latinus ait, *Exorabit pro sanctis,* græcus habet ἐξομαρτυρεῖ, quod non intelligitur nisi pro peccatis. Unde scriptum est in Psalmo, *Qui propitiatus sit omnibus iniquitatibus tuis* (Psal. cii, 3). Ille ergo aptior sensus est, ut intelligatur sacerdos etiam pro his propitiare Deum, qui sancti sunt ab immunditiis filiorum Israel et injustitiis non consentiant, habent tamen aliquid propter quod eis necessaria sit propitiatio Dei.

Sane in quodam græco invenimus, *Et exorabit sanctum;* non, *pro sanctis:* et illud quidem *sanctum,* genere neutro, id est τὸ ἅγιον. Nam posset intelligi, exorabit sanctum Deum, et nulla esset questio: quomodo autem possit intelligi, *exorabit hoc sanctum,* difficile est dicere, nisi forte illud *sanctum* quidquid est quod Deus est; quia et Spiritus sanctus, qui utique Deus est, neutro genere græce dicitur τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Et forte hoc est, si tamen ille codex verior est, qui emendatior videbatur, ἐξομαρτυρεῖ τὸ ἅγιον, hoc est, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, quod latine genere neutro dici non potest. Quamvis et in tribus aliis codicibus, uno græco et duobus latinis, non invenerimus, nisi quod supra diximus, *Exorabit pro sanctis.* Quod potest et sic accipi, ut non pro sanctis hominibus, sed pro iis quæ sancta sunt intelligatur, id est tabernaculo ipso, et quæcumque in eis essent sanctificata Domino: ut hoc sit, *Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israel, hos enim eam hapsētai, quæcumque tetigerit:* forte per librarios *hoson* mutatum est in *hosōn.* Quippe vulgata verba habet. *Omnia autem tetigerit.*

*Israel*, propitiabit Deum pro iis quæ sanctificata sunt Domino, ab immunditiis filiorum *Israel*; quia in medio eorum erat tabernaculum. Sic enim sequitur: nam cum dixisset, *Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israel, et ab iniustitiis eorum, de omnibus peccatis eorum*; continuo subiicit, *Et ita faciet tabernaculo testimonii quod creatum est in eis, in medio immunditiarum eorum*: ut ad hoc necessaria videatur illa propitiatio pro sanctis, id est pro tabernaculo et omnibus quæ in eo sancta dicuntur. Nam et paulo post hoc dicit de altari, quod aspersione sanguinis mandaret illud sacerdos, et sanctificaret ab immunditiis filiorum *Israel*.

LIV. [lb. xvi, 20.] *Et perficiet exorans sanctum.* Utrum perficiet sanctum? an exorans sanctum, secundum id quod supra diximus? nam et hic neutro genere græcè dictum est τὸ ἅγιον. Utrum ergo exorans Dominum perficiet sanctum, id est perfecte sanctificat quod sanctificat? an *perficiet*, quod ait, *exorans sanctum*, id est, illud sanctum quod est τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον;

LV. [lb. xvi, 20, 27, 29, 35.] De duobus hircis, uno immolando, et alio in desertum dimittendo, quem ἀποπομπάτος vocant (a), solet esse disceptatio: et a quibusdam ille immolandus in bono accipitur, ille autem dimittendus in malo. Non tamen iste sensus ideo confirmandus est, quia homo in cuius manu in cremum hircus dimittitur, cum redierit, lavare iussus est vestimenta sua et corpus suum aqua, et sic ingredi in castra; tanquam et hoc sit indicium cur in malo sit ille hircus accipiendus, a cuius contagione homo abluendus est. Sic enim dicit abluendum et qui alterius hirci vitulique acceperit carnes, et extra castra combusserit; quia ita de illo et de vitulo fieri jubet, de quorum immolatorum sanguine sit aspersione, et sunt pro peccatis: ac per hoc non negligenter istorum duorum hircorum distinctio in allegorica significatione tractanda est. Item cum constitueret diem decimum septimi mensis<sup>1</sup> sabbato sabbatorum, quo fieret supradicta purgatio a sacerdote illo uno qui patri succedit, loquens de eodem sacerdote ait, *Exorabit sanctum sancti*: quod jam nescio utrum aliter accipiendum sit, quam, *Exorabit in sancto sancti*, quodam genere locutionis; in illo scilicet sancto quo solus ipse summus sacerdos intrabat, quod est intra velum, ubi arca erat testimonii et altare incensi. Non enim eundem locum tanquam Deum exorabit, sed quia ibi exorabit Deum, ita positum est, *Exorabit sanctum sancti*. Nam et hoc genere neutro in græco positum est, τὸ ἅγιον τοῦ ἁγίου. An forte Spiritum sanctum sancti Dei, hoc est, τὸ ἅγιον Πνεῦμα τοῦ ἁγίου Θεοῦ; An potius *Exorabit* dictum est, *Exorando purgabit*? Nam sic verba contextit: *Et exorabit sanctum sancti, et tabernaculum testimonii<sup>2</sup>, et altare exorabit, et pro sacerdotibus et pro*

<sup>1</sup> Editi, diem decimum septimum mensis. Al. Mss., septimi mensis: verius, ut patet ex LXX et ex Vulg.

<sup>2</sup> Editi, tabernaculum testimoniorum. Mss. cum græco, testimonii.

(a) Hircus emissarius græcè *apopompaios*, dicitur apud LXX, Levit. cap. 16, vv. 8 et 10; scilicet juxta Theodoretum observationem in Levit., quæst. 22, *ὅς αποπομπένος εἰς τὴν ἐρήμον*, ut qui emittatur in desertum: hinc enim appellatum esse colligitur iis ex verbis Levit., cap. 16, v. 10, *ἀποστείλαι αὐτὸν εἰς τὴν ἀποπομπήν*.

*omni synagoga exorabit.* Quomodo ergo exorabit tabernaculum et altare, nisi, ut dictum est, intelligamus, *exorando purgabit*?

LVI. [lb. xvii, 3, 4.] Illud quod dicit, *Quicumque occiderit vitulum, aut ovem, aut capram in castris, et quicumque occiderit extra castra, et ad ostium tabernaculi testimonii non attulerit*, et in hoc constituit peccatum, et comminatur facienti; non de iis dicit quæ occiduntur ad usum vescendi, vel si quid aliud, sed de sacrificiis. Prohibuit enim privata sacrificia, ne sibi quisque quodammodo sacerdos esse audeat; sed illuc afferat, ubi per sacerdotem offerantur Deo. Ita enim nec vanis sacrificabunt: nam et hoc in ea consuetudine cavendum præmonuit. Cum ergo non liceret offerri sacrificia nisi in tabernaculo, cui templum postea successit; unde et rex *Israel* *Jeroboam* vacas facere ausus est, quibus populus sacrificaret, ne hujus legis necessitate seducerentur ab eo qui sub regno ejus erant, dum pergerent *Jerusalem* ut in templo Dei offerrent sacrificia sua, in quo facto a Domino condemnatus est (III Reg. xii, 28-30): merito quaeritur quomodo licite sacrificaverit *Elías* extra templum Dei, quando et ignem de cælo impetravit, et prophetas *damoniorum* convicit (Id. xviii, 36-39). Quod mihi non videtur alia ratione defendi, quam illa qua defenditur et *Abrahæ* factum, quod filium Deo iussus voluit immolare (Gen. xxii, 3-10). Cum enim jubet ille qui legem constituit, aliquid fieri quod in lege prohibuit, jussio ipsa pro lege habetur, quoniam auctor est legis. Non enim deesse possent miracula alia præter sacrificium, quibus superarentur et convincerentur prophetæ lucorum: sed Spiritus Dei qui fuerat in *Elia*, quidquid in hac re fecit, contra legem esse non potest, quia dator est legis.

LVII. [lb. xvii, 10-12.] Quid est quod prohibens edendum sanguinem dicit, *Anima omnis carnis, sanguis ejus est? Quem totum locum sic explicat: Et homo, homo filiorum Israel, aut de proselytis qui appositi sunt in vobis, quicumque ederit omnem sanguinem; et statuam faciem meam super animam quæ manducat sanguinem, et perdam illam de populo suo.* Anima enim omnis carnis, sanguis ejus est. Et ego dedi illud vobis exorare pro animabus vestris: sanguis enim ejus pro anima exorabit. Propterea dixi filiis *Israel*, *Omnia anima ex vobis non edet sanguinem; et proselytus qui appositus est in vobis, non edet sanguinem.* Numquidnam si animam pecoris sanguinem dicimus, etiam anima hominis sanguis putanda est? Absit. Quomodo ergo non ait, *Anima omnis carnis pecoris sanguis ejus est; sed, Anima, inquit, omnis carnis sanguis ejus est?* In omni utique carne, etiam hominis caro deputatur. An quia vitale aliquid<sup>1</sup> est in sanguine, quia per ipsum maxime in hac carne vivitur, qui in omnibus venis per corporis cuncta diffunditur, ipsam vitam corporis vocavit animam, non vitam quæ migrat ex corpore, sed quæ morte finitur? Qua locutione dici-

<sup>1</sup> Editi, *in quia et tale aliquid*. Et paulum infra, *quod in omnibus venis et corporis junctura*. Reponimus ex novem Mss.: *in quia vitale, etc.... per corporis cuncta*.

mus istam vitam temporalem esse, non æternam; mortalem, non immortalem: cum sit immortalis animæ natura, quæ ablata est ab Angelis in sinu Abrahæ (Luc. xvi, 22); et cui dicitur, *Hodie mecum eris in paradiso* (Id. xxiii, 43); et quæ in tormentis ardebat inferni (Id. xvi, 23). Secundum istam ergo significationem, qua perhibetur anima etiam hæc temporalis vita, dixit apostolus Paulus, *Non enim facio animam meam pretiosorem quam me*<sup>1</sup> (Act. xx, 24); ubi se ostendere voluit et mori paratum pro Evangelio. Nam secundum significationem qua anima dicitur illa quæ migrat ex corpore, magis eam pretiosam faciebat, cui tantum meritum conquirebat. Sunt et aliæ hujusmodi locutiones. Vita itaque ista temporalis maxime sanguine continetur in corpore. Sed quid est quod ait, *Dedi vobis eum ad altare Dei, exorare pro anima vestra*; tanquam anima pro anima exoret? Numquid sanguis pro sanguine, quasi de nostro sanguine solliciti simus, cum pro anima nostra volumus exorari? Absurdum est hoc.

Sed multo est absurdus ut sanguis pecoris exoret pro anima hominis, quæ mori non potest: cum manifeste Scriptura testetur in Epistola ad Hebræos, illum sanguinem victimarum nihil profuisse ad exorandum Deum pro peccatis hominum; sed significasse aliquid quod prodesset. *Impossibile est enim, inquit, sanguinem hircorum et taurorum auferre peccata* (Hebr. x, 4). Restat itaque ut quoniam pro anima nostra exorat Mediator ille, qui omnibus illis sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur præfigurabatur, illud appelletur anima quod significat animam.

Solet autem res quæ significat ejus rei nomine quam significat nuncupari; sicut scriptum est, *Septem spicæ, septem anni sunt*; non enim dixit, septem annos significant; et, *Septem boves, septem anni sunt* (Gen. xli, 26); et multa hujusmodi. Hinc est quod dictum est, *Petra erat Christus* (I Cor. x, 4): non enim dixit, Petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod utique per substantiam non hoc erat, sed per significationem. Sic et sanguis quoniam propter virtutem quandam corpori entiam animam significat, in sacramentis anima dicitur esse. Verum si quisquam putat animam pecoris esse sanguinem, non est in ista questione laborandum. Tantum ut anima hominis, quæ carnem humanam vivificat, et est rationalis, sanguis putetur, valde cavendum est, et hic error modis omnibus refutandus. Quærunde etiam locutiones, quibus per id quod continet, significetur id quod continetur, ut quoniam anima sanguine tenetur in corpore (nam si fuerit effusus abscedit), per ipsum aptius significata sit anima, et ejus nomen sanguis acceperit. Sicut ecclesia dicitur locus quo Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam* (Ephes. v, 27). Hoc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem apostolus testis est, ubi ait: *Numquid do-*

<sup>1</sup> Editio Rat., *pretiosam mihi*. Sic etiam Mss melioris notæ, imo omnes, excepto uno qui habet, *pretiosorem mihi*. In greco textu Actuum, cap. 20, v. 24, legitur *τιμιαν ἐμαυτοῦ*: quod Mss. illis suffragatur.

*mos non habetis ad manducandum et bibendum? an ecclesiam Dei contemnitis* (I Cor. xi, 22)? Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut in ecclesiam prodire, aut ad ecclesiam confugere non dicitur, nisi qui ad locum ipsum parietesque prodierit vel confugerit, quibus Ecclesie congregatio continetur. Scriptum est etiam, *Et effundens sanguinem, qui fraudat mercedem mercenarii* (Eccli. xxxiv, 27). Mercedem sanguinem dixit, quoniam ea sustentatur vita, quæ nomine sanguinis appellatur.

Sed cum Dominus dicat, *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis in vobis vitam* (Joan. vi, 54); quid sibi vult quod a sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum: a cujus tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam? Quærendum igitur quid significet, quod homo prohibetur in Lege sanguinem manducare, eumque Deo fundere jubetur. Nam de animæ natura, cur per sanguinem significata sit, quantum in præsentia satis visum est, diximus.

LVIII. [lb. xviii, 7, 8.] *Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuæ non revelabis; turpitudinem enim eorum est*<sup>1</sup>. Prohibet cum matre concumbere: ibi est enim turpitudinis patris et matris. Nam postea prohibet et novercæ, ubi dicit, *Turpitudinem uxoris patris tui non revelabis; turpitudinem enim patris tui est*: ubi exposuit quomodo in matre utriusque sit turpitudinis, id est patris et matris; in noverca enim tantum patris.

LIX. [lb. xviii, 9, 11.] *Turpitudinem sororis tuæ ex patre tuo, aut ex matre tua, quæ domi est nata, vel quæ foris nata est, non revelabis turpitudinem eorum*<sup>2</sup>. *Quæ domi nata est*, intelligitur ex patre: *quæ foris nata est*, intelligitur ex matre, si forte de priore viro eam mater susceperat, et cum illa in domum venerat, quando patri ejus nupsit, quem monet Scriptura ut revelet turpitudinem sororis suæ. Hic videtur non prohibuisse, et quasi prætermisisse concubitum cum sorore de utroque parente nata: non enim dicit, *Turpitudinem non revelabis sororis tuæ ex patre et matre, sed, ex patre aut ex matre*. Verum quis non videat etiam illud esse prohibitum multo maxime? Si enim non licet sororis turpitudinem revelare ex quolibet parente matre, quanto magis ex utroque? Quid est autem quod interposita prohibitione concubitum, etiam cum suis nephibus, sive de filio, sive de filia, sequitur et dicit, *Turpitudinem filia uxoris patris tui non revelabis*? Si enim huc usque dixisset, intelligeremus etiam cum filia novercæ prohibitum fuisse concubitum, quam ex priore viro noverca peperisset, nec hujus qui prohibetur soror esset, vel ex patre, vel ex

<sup>1</sup> Mss., *turpitudinem eorum*. Editi, *turpitudinem enim eorum est*. Neutri lectio convenit cum Scripturæ textu, in quo *non revelabis*, proxime subsequitur, *mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus*.

<sup>2</sup> Editi, *turpitudinem enim eorum est*. Mss., *turpitudinem eorum*: hanc lectionem confirmat græc. LXX.

matre : cum vero addidit, *Ex eodem patre soror tua est, non revelabis turpitudinem ejus*, manifestat de sorore factam esse istam prohibitionem, cum fuerit ex patre et ex noverca, de qua jam superius dixerat. An ideo iterum hoc apertius voluit prohibere, quia superius subobscuram fuit? sæpe enim hoc facit Scriptura.

LX. [Ib. xviii, 14.] *Turpitudinem fratris patris tui non revelabis, et ad uxorem ejus non introibis* Exposuit quid dixerit, *Turpitudinem fratris patris tui*, id est, patri tui, *non revelabis*: hoc est enim, *ad uxorem ejus non introibis*. In uxore quippe patri, voluit intelligi turpitudinem patri; sicut in uxore patris, turpitudinem patris.

LXI. [Ib. xviii, 16.] *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis; turpitude fratris tui est*. Queritur utrum hoc vivo fratre, an mortuo sit prohibitum: et non parva questio est. Si enim dixerimus de vivi fratris uxore locutam Scripturam, uno generali præcepto, quo prohibetur homo ad uxorem accedere alienam (Exod. xx, 14), etiam hoc utique continetur. Quid est ergo quod tam diligenter has personas, quas appellat domesticas, propriis prohibitionibus distinguit a cæteris? Non enim et quod prohibet de uxore patris, hoc est de noverca, vivo patre accipiendum est, et non potius mortuo. Nam vivo patre quis non videat multo maxime prohibitum, si cujuslibet hominis uxor aliena prohibita est maculari adulterio? De his ergo personis videtur loqui, quæ possent non habentes viros in matrimonium convenire, nisi Lege prohiberentur, sicut fertur esse consuetudo Persarum. Sed rursus, si fratre mortuo intellexerimus prohibitum esse ducere fratris uxorem, occurrit illud, quod excitandi seminis causa, si ille sine filiis defunctus esset, jubet Scriptura esse faciendum (Deut. xv, 5): ac per hoc collata ista prohibitionem cum illa jussione, ne invicem adversentur, intelligenda est exceptio, id est, non licere cuiquam defuncti fratris ducere uxorem, si defunctus posteros dereliquit; aut etiam illud esse prohibitum, ne liceret ducere fratris uxorem, etiam quæ a fratre vivo per repudium recessisset. Tunc enim, sicut Dominus dicit, ad duritiam Judæorum Moyses permisit dare libellum repudii (Matth. xix, 8), et per hanc dimissionem potuit putari quod licite quisquam sibi uxorem copularet fratris, ubi adulterium non timeret, quoniam repudio discessisset.

LXII. [Ib. xviii, 17.] *Turpitudinem mulieris et filia ejus non revelabis*: id est, ne patet quisquam licere sibi ducere filiam uxoris suæ. Simul enim mulieris et filia ejus non licet revelare turpitudinem, id est ambabus misceri, et matri et filia.

LXIII. [Ib. xviii, 17, 18.] *Filiam filii ejus et filiam filia ejus non accipies*. Etiam nepiem uxoris de filio vel de filia duci prohibuit. *Uxorem super sororem ejus non accipies in zelum*. Hic non prohibuit superducere, quod licebat antiquis propter abundantiam propagationis: sed sororem sorori noluit superduci;

<sup>1</sup> Sic Mss. et LXX. At editi, *Super uxorem sororem, etc.*

quod videtur fecisse Jacob (Gen. xxx, 23-28), sive quia nondum fuerat lege prohibitum, sive quia suppositæ alterius fraude deceptus est, et illa magis de placito veniebat, quam posterius accepit; sed injustum erat priorem dimittere, ne faceret eam macchari. Hoc autem quod ait *in zelum*, utrum ideo positum est, ne sit zelus inter sorores, qui inter illas quæ sorores non essent contemnendus fuit? <sup>1</sup> an ideo potius, ne propter hoc fiat, id est ne hoc animo fiat, ut in zelum sororis soror superducatur?

LXIV. [Ib. xviii, 19.] *Et ad mulierem in segregatione immunditatis ejus non accedes revelare turpitudinem ejus*: id est, ad menstruatam mulierem non accedes. Segregabatur enim secundum Legem, propter immunditiam. Hoc eam superius satis sufficienter prohibuisset (Levit. xv, 19-27), quid sibi vult quod etiam hic hoc eisdem præceptis voluit adjungere? An forte in superioribus quod jam dictum est, ne figurate accipiendum putaretur, etiam hic positum est, ubi talia prohibita sunt, quæ etiam tempore Novi Testamenti remota umbrarum veterum observatione, sine dubio custodienda sunt? Quod videtur etiam per prophetam Ezechielem significasse, qui inter illa peccata quæ non figuratæ, sed manifestæ iniquitatis sunt, etiam hoc commemorat, ad mulierem menstruatam si quis accedat; et inter justitiæ merita, si non accedat (Ezech. xviii, 6, et xxii, 10). Quæ in re non natura damnatur, sed concipiendæ proli noxium perhibetur <sup>2</sup>.

LXV. [Ib. xviii, 20.] *Et ad uxorem proximi tui non dabis concubitum seminis tui, inquinari ad eam*. Ecce ubi rursus prohibet adulterium, quod cum aliena uxore committitur, quod etiam in Decalogo prohibetur (Exod. xx, 14). Unde apparet illa ita prohibita, ut etiam mortuis viris suis non ducantur uxores, quarum prohibet turpitudinem revelari.

LXVI. [Ib. xviii, 21.] *Et a semine tuo non dabis servire principi*. Hic non video quid intelligatur, nisi principi qui pro Deo colitur. Non enim ait δουλεύειν, sed λατρεύειν, in græco, quod latinus non solet interpretari, nisi ut dicat *servire*; plurimum autem distat. Nam servire hominibus sicut servi serviunt, quod non est λατρεύειν, sed δουλεύειν, Scriptura non prohibet: servire autem secundum id quod est λατρεύειν, non jubetur hominibus, nisi uni vero Deo, sicut scriptum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Deut. vi, 15). Non solum autem hoc verbo, quod ait λατρεύειν, satis significat quem principem dicat, id est, cui cultus tanquam Deo exhibetur; verum etiam eo quod adjungit, *Et non profanabis nomen sanctum*, sive Dei, de ejus populo <sup>3</sup> datur illo modo servire principi; sive nomen sanctum ipsius populi Israel, propter quod dicitur, *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (Levit. xi, 44; xix, 2; et I Petr. i, 16). Opportunissime etiam hic adjungit, *Ego Dominus*; hoc utique

<sup>1</sup> In omnibus prope Mss. neutro genere, *zelum....., quod ..... contemnendum fuit.*

<sup>2</sup> Editi, *proli noxium prohibetur*. Mss., *proli noxium*; et ex his plerique, *perhibetur*.

<sup>3</sup> Sic Mss. At editi, *sive Dei, cui populo.*

admonens, quia illi soli debetur *laxpoin*, id est ea servitus qua servitur Deo.

LXVII. [lb. xviii, 25.] Quod dicit, *Et exhorruit terra eos qui insident super eam*, propter mala facta eorum, quæ superius commemoravit, non ideo dictum putandum est, quod habeat terra sensum quo ista sentiat et exhorreat; sed nomine terræ homines significat, qui sunt super terram. Proinde cum hæc mala faciunt homines, inquinant terram, quia inquinantur homines qui hæc imitantur; et exhorret terra, quia exhorrent homines qui nec faciunt nec imitantur.

LXVIII. [lb. xix, 11.] *Non furtum facietis neque mentiemini, neque calumniam faciet unusquisque proximo.* Illud de furto positum est in Decalogo. Quod autem dicit, *Neque mentiemini, neque calumniam faciet unusquisque proximo*, mirum si non eo præcepto continetur, quod ibi positum est, *Neque falsum testimonium dicet adversum proximum tuum* (Exod. xx, 15, 16); quoniam neque calumnia sine mendacio fieri potest, quod falsi testimonii generalitate concluditur. Sed utrum hæc aliqua compensatione admittenda sint, magna quæstio est: sicut de mendacio pene omnibus videtur, quod ubi nemo læditur, pro salute mentiendum est. Utrum ergo ita et de furto? an furtum fieri non potest, ubi nullus læditur? Quinimo fieri potest, etiam quando ei cui fit consulitur, tanquam si quisquam homini volenti se occidere, gladium furetur. Nam calumnia nescio utrum cuiquam ad ejus utilitatem fieri possit: nisi forte quod ad majus gaudium fiebat, quo postea fruerentur, quod Joseph de scypho calumniabatur fratribus suis, quibus etiam explorationis falsum crimen intenderat (Gen. xlv, 5, et xlii, 9, 14). Quanquam si definitionibus ista determinare tentemus, fortasse furtum non est, nisi quando alieno occulte ablato proximus læditur; et calumnia non est, nisi quando falsi criminis objectione proximus læditur: mendacium autem non possumus dicere tunc tantummodo esse, quando proximus læditur; cum enim falsum ab sciente dicitur, procul dubio mendacium est, sive illo quisquam, sive nemo lædatur. Proinde magna quæstio de mendacio, utrum possit aliquando justum esse mendacium, facile solveretur fortasse, si sola præcepta intueremur, non et exempla. Nam quid isto præcepto absolutius, *Non mentiemini*? Sic enim dictum est, quomodo, *Non facies tibi idolum*; quod factum non potest aliquando justum esse; et quomodo dictum est, *Non mœchaberis*: quis autem dicat aliquando mœchiam justam esse posse? Et, *Non furaberis*: secundum enim definitionem illam furti, justum esse furtum nunquam potest. Et, *Non occides* (Exod. xx, 4, 14, 15, 13); quoniam cum homo juste occiditur, lex eum occidit, non tu: numquid ita dici potest, Cum homo juste mentitur, lex mentitur? Sed exempla faciunt difficillimam quæstionem. Mentitæ sunt obstetrices Ægyptiæ, et bona illis Deus retribuit (Id. i, 19, 20): mentita est Raab pro exploratoribus terræ, et ideo liberata est (Josue ii, 4, et vi, 23). An ex quo dictum est in Lege, *Non mentiemini*, ea illo intelligendam est nec in tali causa licere men-

dacium, in quali causa legitur Raab esse mentita? Sed magis credibile est, quia injustum erat mendacium, ideo prohibuitur; non quia prohibitum, ideo factum injustum. Fortassis ergo, sicut de obstetricibus diximus, non hoc in eis remuneratum quod mentitæ sunt, sed quod infantes Hebræos liberaverunt, et propter hanc misericordiam illud peccatum veniale sit factum, non tamen existimetur non fuisse peccatum: sic etiam de Raab intelligendum est, remuneratam in illa liberationem exploratorum, ut propter eandem liberationem venia sit data mendacio. Ubi autem venia datur, manifestum est esse peccatum. Sed illud cavendum est, ne ita quisque existimet etiam cæteris peccatis, si propter liberationes hominum fiant, ita veniam posse concedi. Multa enim mala intolerabilia et nimium detestanda istum sequuntur errorem.

LXIX. [lb. xix, 15.] *Non nocebis proximo.* Si quid sit nocere et non nocere, pateret hominibus, hoc generale præceptum ad innocentiam retinendam fortasse sufficeret. Omnia enim quæ prohibentur committi in proximum, ad hoc unum referenda sunt, quod dictum est, *Non nocebis proximo*. Nam quod sequitur, *Non rapies*, nisi ad hoc referatur, ne rapiendo noceatur, aliquando evenit, ut non rapiendo quisque noceat. Nam gladius insanienti rapiendus est, et si non fecerit quis ut oportuerit<sup>1</sup>, magis nocerit.

LXX. [lb. xix, 17 et 18.] Quid est quod cum supra dixisset, *Non odio habebis fratrem tuum in animo tuo: arguendo argues proximum tuum, et non accipies propter ipsum peccatum*, consequenter adjunxit, *Et non vindicatur manus tua? utrum pro eo quod est, non punitur? Animo enim bono facis, cum disciplinam peccanti proximo imponis, ne accipias peccatum ejus negligendo.* Ad hoc enim pertinet quod ante posuit, *Non odio habebis proximum tuum in animo tuo.* Videri enim potest ei qui arguitur, quod oderis eum, cum non sit in animo tuo. An, *non vindicatur manus tua*, hoc potius admonet, ne quaras vindicari manum tuam, nec ulciscendi libidine rapiaris? Nam quid est aliud, vindicari velle, nisi lætari vel consolari de alieno malo? Et ideo dictum est, *Non irasceris filiis populi tui.* Sic enim recte ira definita est, quod sit ulciscendi libido. Quidam vero codices habent, *Et non vindicabitur manus tua*: id est, ne arguendo vindicare te velis, sed potius consulere illi quem arguis.

LXXI. [lb. xix, 28.] *Et incisiones super animam non facietis in corpore vestro. Super animam dixit, super funus mortui: de anima quippe dolor est quæ recessit.* Ad hunc autem dolorem pertinet luctus, in quo luctu nonnullæ gentes habent consuetudinem secare corpora sua. Hoc fieri<sup>2</sup> Deus prohibet.

LXXII. [lb. xx, 5.] *Ita ut fornicentur in principes*<sup>3</sup>

<sup>1</sup> Mss. Michaelinus et Beccensis, *uti potuerit*.

<sup>2</sup> Editi, *fieri a Judæis*. Mss. non habent, *a Judæis*.

<sup>3</sup> In editis exciderat particula, *in*, quæ restituitur ex Mss. et ex textu LXX, qui in excusis quidem habet, *hæste ekpornein auton, ut fornicetur*; sive, *ut fornicaretur ipse*: in aliis tamen libris (quos hic sequitur Augustinus), *pro auton, legitur autous*, teste Nobilio in Not. ad Levit., cap. 20 sic

de populo suo. Non de populo suo principes, sed de populo suo fornicentur. Eos quippe principes vult hic intelligi, qui pro diis colebantur: sicut Apostolus dicit, *Secundum principem potestatis aeris* (Ephes. ii, 2); et in Evangelio Dominus, *Nunc princeps hujus mundi missus est foras* (Joan. xii, 31); et, *Ecce venit princeps mundi, et in me nihil inveniet* (Id. xiv, 30).

LXXIII. [Ib. xx, 10.] *Homo, homo quicumque adulteraverit uxorem viri, aut quicumque adulteraverit uxorem proximi sui, morte moriantur*: pluraliter dixit, *morte moriantur*, hoc est qui adulteravit, et quæ adulterata est. Illic aliquid distare voluit inter quemlibet virum et proximum, quamvis multis locis proximum pro omni homine ponat. Sed quæ est ista locutio, ut cum jam dixisset de viro, hoc idem repetierit de proximo, cum sit consequens, ut multo magis ab uxore proximi abstinendum sit, si ab uxore cujuslibet viri abstinendum est? Nam si prius de proximo dixisset, ne putaretur uxorem licere adulterare non proximi, addendum fuisset de quolibet viro: nunc vero, si quod minus est non licet; quanto minus licet quod majus malum est? Nam si non licet adulterare uxorem cujuslibet viri, quanto magis proximi? An forte ista repetitio tanquam exponit quid prius dictum sit; ut ideo intelligat homo quantum malum sit adulterare uxorem viri, quia si hoc fecerit, uxorem proximi adulterat? Proximus est enim omnis homo homini.

LXXIV. [Ib. xx, 16.] *Et mulier quæ accesserit ad omne pecus, ascendi ab eo, interficietis mulierem et pecus: morte moriantur; rei sunt*. Quæritur quomodo sit reum pecus, cum sit irrationale, nec ullo modo legis capax. An quemadmodum transferuntur verba modo locutionis, quæ græco appellatur *metapopè*, ab animal. ad inanimale, sicut dicitur improbus ventus, vel iratum mare; ita et hic translatum est a rationali ad irrationale? Nam pecora iude credendum est jussa interfici, quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam.

LXXV. [Ib. xx, 17.] *Quicumque acceperit sororem suam ex patre suo, aut ex matre sua, et viderit turpitudinem ejus; improprium est: exterminabuntur in conspectu generis sui. Turpitudinem sororis suæ revelavit, peccatum suum accipient*. Quid ait in hoc loco, *viderit*, nisi concumbendo cognoverit? sicut in Lege dicitur, *Cognovit uxorem suam* (Gen. iv, 1, 17 et 25), pro eo quod est, mixtus est ei. Et quid ait, *peccatum suum accipient*, cum de pœna eorum loqueretur, nisi quia et ipsam pœnam peccati, peccatum voluit appellare?

LXXVI. [Ib. xx, 20, 25.] *Quicumque dormierit cum cognata sua, turpitudinem cognationis suæ revelavit: sine filiis morientur*. Quæritur quousque sit intelligenda ista cognatio, cum ex longo gradu liceat utique accipere uxorem, semperque licuerit. Sed intelligendum est ex his gradibus quos prohibuit, non licere, et

secundum ipsos dictum, *Quicumque dormierit cum cognata sua*: ubi et aliquas non commemoratas intelligendas dimisit, sicut sororem de utroque parente, sicut uxorem fratris matris, id est avunculi. Nam de uxore patris primum prohibuit, quamvis hæc nos cognatio, sed affinitas perhibetur. Sed quid est, *sine filiis morientur*; cum filii ex hujusmodi conjunctionibus et ante nati sint, et hodieque nascentur? An hoc intelligendum est Lege Dei constitutum, ut quicumque ex eis nati fuerint, non deputentur filii, id est nullo parentibus jure succedant?

*Et non execrabiles facietis animas et in pecoribus, et in volucris, et in omnibus serpentibus terræ, quæ ego segregavi vobis in immunditiam*. Videtur hic significare non hæc natura immunda esse, sed aliquo sacramenti signo; quandoquidem dicit, *quæ ego segregavi vobis in immunditiam*, tanquam immunda eis non essent, si eis segregata non essent.

LXXVII. [Ib. xx, 27.] *Et vir aut mulier, si forte fuerit illi ventriloquus, aut incantator, morte moriantur ambo: lapidibus lapidabit eos; rei sunt*. Utrum vir et mulier, an vir et ventriloquus, aut mulier et ventriloquus sive incantator. Sed hoc magis, et qui habet, et quem habet?

LXXVIII. [Ib. xxi, 7, 8.] *Mulierem fornicariam et profanam non accipient, et mulierem ejectam a viro suo; quoniam sanctus est Domino Deo suo*. Superius, *non accipient* dixerat; nunc autem, *quoniam sanctus est*, non, quoniam sancti sunt: de pluribus qui uno sunt tempore sacerdotibus loquebatur, et de unoquoque eorum dixit, *quoniam sanctus est*; locutione qua solet uti Scriptura. Nam unum illum summum postea commemorat, qui intrabat ad sancta sanctorum. Nam et pluraliter conclusit, dicens, *Et sanctificabis eum: dona Domini Dei vestri iste offeret; sanctus est, quoniam sanctus ego Dominus, qui sanctifico eos*. Quantum autem pertinet ad dona, quoniam dixit, *dona Domini Dei vestri ipse offeret*, non solum summus ille offerebat, sed etiam secundi sacerdotes. Ac per hoc quod ait, *Mulierem fornicariam et profanam et ejectam a viro suo non accipient*, hoc et secundi sacerdotes prohibiti sunt: nam de summo postea dicit, qui etiam non nisi virginem accipere jussus est.

LXXIX. [Ib. xxi, 10.] *Et sacerdos magnus a fratribus suis*: id est, qui inter fratres suos magnus est, ille scilicet unus magnus sacerdos. *Cui fusum est super caput ex oleo christo*: ipsum oleum appellat Scriptura christum.

LXXX. [Ib. xxi, 10.] *Et consummatus manus induere vestimenta*: illa utique, quæ in veste sacerdotali operosissime describuntur.

LXXXI. [Ib. xxi, 10 et 11.] *Caput non reteget cidari, et vestimenta sua non scindet, et super omnem animam mortuam non introbit*. Intelligitur ea quæ supra dixit, in lectu facere eum prohibitum, id est, caput nudare

Vulgatam observamus in Mss. Biblii Germanensibus, et Corb. habere, ut fornicarentur: licet in editis ferat, ut fornicaretur.

<sup>1</sup> Na editi. At Mss. hoc loco, *eum*, juxta LXX omittunt.

<sup>1</sup> Er. Lugd. Ven. Lov. omittunt, et. M.

<sup>2</sup> Mss. prope omnes, et quæ habet.

<sup>3</sup> Editi, *coram fratribus*. Mss., *a fratribus*: hoc consentiunt LXX.

cidari, et vestimenta scindere. Vestimenta enim scindere lugentium erat antiquorum : sicut de Job scriptum est, cum ei filii ejus ruina nuntiarentur oppressi (*Job. 1, 20*). Nudare autem caput cidari propterea lugentis esse potuit, quia detractio est ornamenti. Quod vero ait, *Super omnem animam mortuam non introibit*; quomodo dicat animam mortuam corpus mortuum, difficile est intelligere : ea tamen Scripturarum est usitata locutio, quæ nobis inusitatissima est. Nomen ergo rectricis suæ etiam corpus accipit anima destitutum, quoniam reddendum illi est in resurrectione; sicut ædificium quod appellatur ecclesia, etiam cum inde Ecclesia exierit, qui homines sunt, nihilominus ecclesia dicitur. Sed cum corpus non accipiat animæ nomen in homine vivente, quomodo tunc vocetur anima, cum caruerit anima, mirum est. Porro si animam mortuam intellexerimus a corpore separatam, ut ipsam separationem mortem dixisse videatur, id est ut anima mortua sit dirempta a corpore, non natura sua perdita (non enim et cum dicimur mortui peccato [*Rom. vi, 2*], natura dicitur interisse, sed quod jam peccato non utimur : ut sic intelligatur anima mortua, id est corpori mortua, quod uti eo desierit, cum in sua natura vivat); quomodo potest quisquam intrare super animam mortuam, quod sacerdos iste prohibetur, cum quisquis intrat, super mortuum corpus intret, non super animam quæ discessit a corpore? An ipsam vitam temporalem animæ vocabulo appellavit, quæ utique mortua est in defuncto corpore, anima illa emigrante, quæ mori non potest? Non quod ipsa vita anima fuerit; sed quod per animæ præsentiam, qua subsistebat, nomen ejus acceperit : sicut distinximus, cum de sanguine loqueremur, quid dictum sit, *Anima omnis carnis, sanguis ejus est* (*Supra, quæst. 57*). Est enim et ipse sanguis mortuus in corpore mortui : non enim cum abscedente anima abscessit. Vetus ergo Scriptura summum sacerdotem etiam super patris vel matris funus intrare; quod secundum non prohibuit. Sequitur enim, *Super patrem suum et super matrem suam non inquinabitur*. Ordo est autem verborum, *Super patrem suam non inquinabitur, nec super matrem suam*.

LXXXII. [In *xxi, 12.*] *Et de sanctis non exibat* : eo procul dubio tempore quod suorum funera celebrabantur, sicut et septem diebus quibus sanctificabatur, de sanctis est exire prohibitus (*Levit. viii, 33*); non autem semper. Sine si uxores ducere, vel filios genere non vetabantur summi tunc sacerdotes, magna oritur quæstio. Cum Lex etiam conjugali concubitu immundum hominem dicat usque ad vesperam, etiam cum abluerit corpus suum aqua (*Id. xv, 16*); et jubeatur summus sacerdos propter incensum continuationis bis in die quotidie intrare intra velum (*Exod. xxx, 7, 8*), ubi erat altare incensi, nec quemquam immundum ad sancta fas esset accedere : quomodo id quotidie summus sacerdos implebat, si filios procreabat? Nam si ægritudo illi accidisset, quis loco ut fungeretur, si quis inquirat; responderi potest

quod gratia Dei non ægrotabat : numquid sic etiam de filiorum procreatione responderi potest? Unde fit consequens ut aut continens esset, aut diebus aliquibus intermitteretur incensum (a); aut si illud intermitteri non posset, quod nonnisi per summum sacerdotem necesse esset imponi, non fieret immundus coitu conjugali, merito præcipuæ sanctificationis suæ. Aut si etiam ad ipsum pertinet, quod de omnibus filiis Aaron in consequentibus dicit, ut nullus eorum accedat ad sancta, si cui aliquid acciderit immunditiæ; illud profecto restat accipere<sup>1</sup>, quod nonnullis diebus non imponebatur incensum.

LXXXIII. [In *xxi, 11.*] Quod autem super funus patris sui summus sacerdos prohibetur intrare, quæritur potest quomodo jam esse poterat summus sacerdos, nondum mortuo patre suo, cum eos patribus succedere jubeat. Ideo necesse erat nondum sepulto summo sacerdote, continuo substitui sacerdotem propter continuationis incensum, quod per summum sacerdotem quotidie oportebat imponi (b). Quanquam et illa quæstio de ægritudine summi sacerdotis manet, si vel moriturum necesse erat diebus aliquibus ægrotare : nisi forte et hoc ita solvatur, ut dicatur non solere summos sacerdotes, nisi subito mori, non præcedente ægritudine; sicut de ipso Aaron Scriptura testatur (*Num. xx, 26-29*).

LXXXIV. [In *xxi, 15.*] Advertendum est quoties dicit, *Ego Dominus, qui sanctifico eum*, loquens de sacerdote; cum hoc etiam Moysi dixerit, *Et sanctificabis eum* (*Exod. xxix, 24*). Quomodo ergo et Moyses sanctificat et Dominus? Non enim Moyses pro Domino : sed Moyses visibilibus Sacramentis per ministerium suum; Dominus autem invisibili gratia per Spiritum sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium Sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiæ, visibilia Sacramenta quid prosunt? Merito autem quæritur, utrum etiam ista invisibilis sanctificatio sine visibilibus Sacramentis, quibus visibiliter homo sanctificatur, pariter nihil prosit : quod utique absurdum est. Tolerabilis enim quisque dixerit, sine illis istam non esse, quam si fuerit non prodesse; cum in ista sit omnis utilitas illorum. Sed etiam hoc, quod sine illis ista esse non possit, quomodo recte dicatur, intuendum est. Nihil quippe profuit Simoni mago visibilis Baptismus, cui sanctificatio invisibilis deficit : sed quibus ista invisibilis, quoniam affuit profuit, etiam visibilia Sacramenta perceperant<sup>2</sup> similiter baptizati. Nec tamen Moyses, qui visibiliter sacerdotes sanctificabat, ubi fuerit ipse ipsis sacrificiis vel oleo sanctificatus, ostenditur : invisibiliter vero sanctificatus negare quis audeat, cujus tanta gratia præminet. Hoc et de Joanne Baptista dici potest : prius enim baptizator, quam baptizatus apparuit (*Matth. iii, 11, 14*). Unde eum sanctificatum nequaquam negare possumus : id tamen in eo factum visibiliter non in-

<sup>1</sup> Sic Mss. At Editi, *immunditiæ pro peccato, illud restat accipere*.

<sup>2</sup> Mss. Beccensis et Michaelinus, *percepere*.

(a) II Retract. 2, cap. 53, n. 9.

(b) Ibid.



venimus antequam ad ministerium baptizandi veniret. hoc et de latrone illo, cui secum crucifixo Dominus ait (a), *Hodie mecum eris in paradiso* (Luc. XIII, 43). Neque enim sine sanctificatione invisibili tanta felicitate donatus est. Proinde colligitur invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse atque profuisse non visibilibus Sacramentis, quæ pro temporum diversitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint, et alia modo sint: visibilem vero sanctificationem, quæ fieret per visibilia Sacramenta, sine ista invisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo Sacramentum visibile contemendum est: nam contemptor ejus invisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est quod Cornelius et qui cum eo erant, cum jam invisibiliter infuso sancto Spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen (Act. x, 44-48): nec superflua judicata est visibilis sanctificatio, quam invisibilis jam processerat.

LXXXV. [Ib. xxii, 1, 2.] *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens, Dic Aaron et filiis ejus, et attendunt a sanctis filiorum Israel, et non profanabunt nomen sanctum meum, quanta<sup>1</sup> ipsi sanctificant mihi. Ego Dominus. Et dices illis, In progenies vestras omnis homo quicumque accesserit ab omni semine vestro ad sancta, quæcumque sanctificaverint filii Israel Domino, et erit immunditia ejus in illo, exterminabitur anima illa a me. Ego Dominus Deus vester.* Ablata est omnis dubitatio, unumquemque sacerdotum vel sanctorum vel secundorum debuisse accedere ad sancta, si immunditia ejus in ipso esset. Erat ergo consequens continentia sacerdotis, ne propter filiorum procreationem aliquibus diebus non imponeretur continuationis incensum, quod a solis summis sacerdotibus bis in die solebat imponi, mane et vespere (Exod. xxx, 7, 8): quandoquidem post coitum conjugalem etiam loto corpore immundus erat usque ad vesperam (Levit. xv, 16), a quo id necesse erat imponi. Quod autem ait, *quæ sanctificant filii Israel*, intelligendum est, offerendo sacerdotibus offerendum per eos Domino. Et notandum sanctificationis genus, quod sit voto et devotione offerentis. Sed utrum sicut isto modo sanctificantur ea quæ offeruntur ab hominibus, ita et ipsi homines eodem modo seipsos sanctificare dicantur, cum in aliqua re seipsos vovent, observandum est in Scripturis.

LXXXVI. [Ib. xxii, 4.] *Et qui tetigerit omnem immunditiam animæ: id est, aliquid morticinum, cuius secundum Legem tactus inquinat.*

LXXXVII. [Ib. xxiv, 15, 16.] *Homo, homo si maledixerit Deum suum, peccatum accipiet: nominans autem nomen Domini, morte moriatur: quasi aliud sit maledicere Deum suum, aliud nominare nomen Domini; atque illud sit peccatum, hoc autem tantum nefas, ut etiam morte sit dignum. Quamvis hoc loco ita intelligendum sit, quod dictum est, *nomen Domini*, ut cum maledicto inter illud peccatum et hoc tanti sceleris crimen? An forte hoc ipsum repetendo monstravit non leve illud*

esse peccatum, sed tantum scelus quod morte puniendum sit? sed quia per distinctionem hoc intulit, non dicens, nominans enim, sed, *nominans autem*; subobscurum factum est. Et ideo si hoc recte intelligitur, notandum est etiam locutionis genus.

LXXXVIII. [Ib. xxiv, 17.] *Et homo qui percusserit omnem animam hominis, et mortuus fuerit, morte moriatur.* Non ait, Quicumque percusserit hominem, et mortuus fuerit, sed, *animam hominis*; cum potius corpus hominis a percussore feriat, sicut et Dominus dicit, *Nolite timere eos qui corpus occidunt* (Math. x, 28). Eo more ergo quo solet Scriptura, appellat animam vitam ipsam corporis, quæ sit per animam, et hinc voluit ostendere homicidam, quod hominis animam percussit, id est percutiendo vitam hominem privet. Cur ergo addidit, *Et mortuus fuerit*, si jam hoc ipso ostendit homicidium, quod animam hominis percusserit, id est vita homo a percussore privatus sit? An exponere voluit quomodo accipiendum sit, quod dixerat, hominis animam percussam, et sic ait, *et mortuus fuerit*, tanquam diceret, id est mortuus fuerit? hoc est enim, animam hominis fuisse percussam.

LXXXIX. [Ib. xxv, 2-7.] *Cum introieritis in terram quam ego do vobis, et requieverit terra quam ego do vobis, sabbata Domini. Sex annis seminabis agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, et congregabis fructum ejus: anno autem septimo sabbata, requies erit terræ, sabbata Domini.* Quomodo intelligendum est, *Cum introieritis in terram quam do vobis, et requieverit terra; sex annis seminabis agrum tuum, etc.*, quasi tunc fieri præceptum sit, quando terra requieverit; cum propterea terra requiescat, quoniam hoc sit. Requies enim terræ septimo utique anno vult intelligi, quo jussit nihil in ea quemquam operari per agriculturam. Sed nimirum longum hyperbaton facit obscuritatem huic sensui. Videtur ergo hic esse ordo verborum: *Cum introieritis in terram quam ego do vobis, et requieverit terra quam ego do vobis, sabbata Domini: quæ ab se surgunt agrum tuum non metes, et vineam sanctificationis tuæ non vindemiabis: annus requiescendi erit terræ. Et erunt sabbata terræ esca tibi, et pueri tui, et puellæ tuæ, et mercenario tuo, et inquitino qui applicitus est ad te, et pecoribus tuis, et bestiis quæ sunt in terra tua omne quod nascetur ex eo in escam.* Interposuit autem exponendo quomodo terra requiescat, et ait: *Sex annis seminabis agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, et congregabis fructum ejus: anno autem septimo sabbata, requies erit terræ, sabbata Domini. Agrum tuum non seminabis, et vineam tuam non putabis.* Et per hoc quod ait, *non putabis*, omnem culturam eo anno prohibitam debemus accipere. Neque enim si putanda non est, aranda est, aut ad viculis suspendenda, vel quodlibet aliud, quod ad culturam ejus pertineat, adhibendum: sed quomodo solet a parte totum intelligi, ita per putationem omnis cultura significata est. Et per agrum atque vineam, cum et illum seminari, et hanc putari prohibuit, omne agrigenus intelligendum est. Neque enim in oliveto, vel

<sup>1</sup> Editi, *quando*. Al. Mss., *quanta*; juxta LXX, *hosa*.

(a) Vile retract. lib. 2, c. 53.

quolibet alterius generis agro aliquid operandum est, de quibus tacuit. Quod vero ait, *Et erunt sabbata terræ esca tibi, et puero tuo, et puellæ tuæ*, etc., satis aperuit nec dominum agri prohibitum vesci eis, quæ non adhibita cultura illo anno sponte nascantur, sed fructus redigere prohibitum. Sic ergo permissus est aliquid inde in escam sumere, quomodo transiens, ut hoc solum caperet quod statim vescendo consumeret, non quod in usus reponeret.

XC. [Ib. xxv, 23.] *Et terra non venundabitur in profanationem*: alii codices habent, *in confirmationem*; quam mendositatem in alterutris prius in græco accidisse arbitror, propter verbi similem sonum: *βεβαιωσις* enim profanatio dicitur; *βεβαιωσις* autem, confirmatio. Sed ille sensus apertus est, *Et terra non venundabitur in profanationem*: id est, ne quis auderet terram, quam accepit a Deo, vendere profanis, qui ea utantur ad impietatem cultumque deorum alienorum atque falsorum. Illud autem subobscurum est, *Non venundabitur terra in confirmationem*: quod potius non intelligendum, nisi ne ita venditio confirmetur, ut eam non recipiat venditor tempore remissionis, sicut præceptum est. Quod vero sequitur, utrique sensui potest congruere, sive legatur, *Et terra non venundabitur in profanationem*; sive, *in confirmationem*. Secutus quippe adiunxit, *Mea enim est terra, propter quod proselyti et incolæ vos estis ante me*.

XCI. [Ib. xxv, 24.] *Et per omnem terram possessionis vestræ mercedem dabitis terræ*: alii autem codices habent, *redemptionem dabitis terræ*. Sensus ergo hic est: *Non venundabitur terra in profanationem*, id est, illis qui ea utantur in injuriâ Creatoris; aut *in confirmationem*, id est, ut eam emptor perpetuo possideat, hoc certo secundum Dei præceptum intervallo annorum restituat venditori. *Mea est enim*, inquit, *terra*: unde secundum meum præceptum ea uti debetis. Atque ut ostenderet suam esse, non ipsorum, quid ipsi in ea essent, consequenter adiunxit, dicens, *Propter quod proselyti et incolæ vos estis ante me*: hoc est, Quamvis proselyti, id est advenæ sint vobis, qui ex alienigenis adiunguntur genti vestræ; et incole, id est non in terra propria manentes: tamen etiam vos omnes ante me advenæ estis et incolæ. Ille Deus dicit, sive Israelitis, quod aliarum gentium terram, quas expulit, eis dederit: sive omni homini, quoniam ante Deum qui semper manet<sup>1</sup>, et sicut scriptum est, cælum et terram implet (*Jerem. xxiii, 24*), utique præsentia sua, omnis homo advena est nascendo, et incola vivendo; quoniam compellitur migrare moriendo.

XCII. [Ib. xxv, 24.] Deinde adiungit et dicit, *Per omnem terram possessionis vestræ mercedem dabitis terræ*, tanquam inquilini, vel *redemptionem*. Illud, nisi

fallor, vult intelligi quod inde reddebant quodam modo, per cessationes septimorum quorumque annorum, et quinquagesimi anni, quem vocat remissionis; ut ipsa vacatio terræ velut merces habitationis aut redemptionis esset ab illo cuius est; hoc est ab ejus creatore Deo.

XCIII. [Ib. xxvi, 11.] *Et ponam tabernaculum meum in vobis, et non abominabitur anima mea vos*. Animam suam Deus voluntatem suam dicit. Non enim est animal habens corpus et animam; neque substantia ejus ejusmodi est, cujusmodi creatura ejus, quæ anima dicitur, quam fecit, sicut per Isaiam ipse testatur, dicens, *Et omnem statum ego feci* (*Isai. lvii, 16*): quod cum de anima hominis dicere consequentia manifestant. Sicut ergo cum dicit oculos suos, et labia sua, et cætera vocabula membrorum corporalium, non utique accipimus eam forma corporis esse definitum; sed illa omnia membrorum nomina non intelligimus, nisi effectus operationum atque virtutum<sup>1</sup>: ita et cum dicit, *Animam meam*, voluntatem ejus debemus accipere. Perfecte quippe simplex illa natura quæ Deus dicitur, non constat ex corpore et spiritu; nec ipso spiritu mutabilis est, sicut anima: sed et spiritus est Deus, et semper idem ipse, apud quem non est commutatio (*Jacobi 1, 17*). Hinc autem acceperunt Apollinaristæ occasionem, qui dicunt animam non habuisse mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum (*1 Tim. ii, 5*), sed tantum Verbum et carnem fuisse, eum diceret, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth. xxvi, 38*): sed ipso ejus actu, qui nobis per evangelicam declaratur historiam, sic apparent humanæ animæ officia; ut hinc dubitare de mentis sit.

XCIV. [Ib. xxvi, 33, 36.] Quid est, quod inobedienciæ pœnas cum minaretur Deus, dixit inter cætera, *Et consumet vos perambulans gladius*; deinde ait, *Et erit terra vestra deserta, et civitates vestræ erunt desertæ: tunc bene sentiet terra sabbata sua, omnes dies desolationis suæ; et vos eritis in terra inimicorum vestrorum*? Quomodo ergo consumet eos gladius, si erunt in terra inimicorum suorum? An in ipsa terra consumet, quoniam strage mortuorum facta non erunt ibi? An consumet eos, sic ait, ac si diceret, interficiet vos, ut ad istam consumptionem illi pertineant, qui gladio cadent, non omnes: quandoquidem paulo post dicit, *Et eis qui residui sunt ex vobis, superducam formidinem in cor eorum*? An secundum hyperbolen dictum est, *consumet vos*: secundum quem loquendi modum et abundantia eorum dicta est sicut arena maris (*Gen. xxi, 17, et xxxii, 12*)? Secundum istum modum etiam dicitur, quod deinde sequitur, *Et persequetur eos sonus folii volantis*: id est, quia nimius in eis timor erit, ut et levissima quæque formideant.

<sup>1</sup> Ms. Corbeiensis, *atque virtutem*.

Sic Mss. At editi, *homini qui ante Deum semper manet*.



## LIBER QUARTUS.

Questiones in Numeros.



QUEST. I. [NUM. cap. 1, § 1-44.] Quid est quod singulos de singulis tribubus eligi jubet principes, eosque appellat *χιλιάρχους*? quos quidam latini interpretes tribunos appellaverunt: *χιλιάρχους* autem videntur a mille cognominati. Sed cum consilium Jothor socer Moysi genero suo daret, quod etiam Deus approbavit, de ordinando populo sub principibus, ut non omnes omnium causæ Moysen ultra vires onerarent, *χιλιάρχους* appellavit constituendos super millenos homines, *εκατοάρχους* super centenos, et *πεντακοτάρχους* super quinquagenos, et *δεκατάρχους* super decenos; ab ipsis numeris, quibus præcessent, cognominatos (Exid. xviii, 14-25). Numquidam et hic sic accipiendi sunt *χιλιάρχοι*, quod singuli essent super millenos? Non utique: neque enim univrsus omnium populus Israel duodecim hominum millia tunc fuerunt. Singulos enim elegit de singulis tribubus, quæ duodecim tribus procul dubio non millenos homines, sed multa millia continebant. Nomen ergo commune est cum illis, qui in Exodo appellantur *χιλιάρχοι*, quod unusquisque illorum esset mille hominum princeps: istorum autem unusquisque millium princeps, quoniam sive a mille, sive a nullibus, eadem compositio nominis resonat, ut appellantur *χιλιάρχοι*.

II. [Ib. 1, 20-46.] Merito quarritur quid sibi velit quod per omnes tribus, ubi computantur per singulas quasque filii Israel in ætate militari, dicitur, *secundum propinquitates eorum, secundum populum eorum, secundum domos familiarum eorum, secundum numerum nominum eorum, secundum caput eorum*; et hæc quinque similiter omnino repetuntur, donec tribus omnes compleantur: quasi aliud sit, *secundum propinquitates eorum*, aliud *secundum populos*, aliud *secundum domos familiarum*, aliud *secundum numerum nominum*, aliud *secundum caput*; cum potius videantur aliis verbis eadem significare ista omnia. Intentionem autem movet, quia tam diligenter per omnes tribus eadem repetuntur, ut non frustra fieri quis iudicet, etiamsi non intelligat. Nimirum ergo numerus ipse aliquid insinuat sacramenti, ut hoc idem quinquies varie repetatur. Nam iste numerus sicut in ipsis quinque libris Moysi, id est quinariis, in Vetere Testamento maxime commendatur. Illa vero quæ deinceps quatuor connectuntur, id est *masculina, a viginti annis et supra, omnis qui procedit in virtute, cognitio eorum*; quamvis et ipsa per omnes tribus eodem prorsus modo repetantur, habent necessariam differentiam. Cum enim ageretur de numero universæ multitudinis ad unam tribum pertinentis, discernendus erat sexus, ideo positum est, *Omnia masculina*. Et ne parvuli etiam computarentur, adjunctum est, *a viginti annis et supra*. Rursus ne imbecillis ætas senectutis annumeraretur. additum est,

*omnis qui procedit in virtute*. Et omnia concluduntur verbo ejus operis quod fiebat, ut dicatur, *recognitio eorum*. Recognitio enim hæc fiebat, ut hominum millia computarentur. Quinque igitur illa, propinquitates, populi, domus familiarum, numerus nominum, et caput; et ista deinde quatuor, sexus, ætas, virtus, recognitio, fortasse in ipso numero aliquid insinuant. Si enim horum duorum numerorum, id est quinarij et quaternarij, alter multiplicetur ex altero, id est ut quinquies quaterni, aut quater quini ducantur, viginti sunt. Quo numero etiam adolescentium ætas illa significatur. Qui numerus commemoratur et quando iuratur in terram promissionis: et dicitur illa ætas viginti annorum, quæ non declinaverit in dextram aut sinistram. Ubi mihi videntur significari sancti fideles ex utroque Testamento fidem veram tenentes. Nam Vetus Testamentum quinque libris Moysi maxime excellit, et Novum quatuor Evangelij.

III. [Ib. 1, 51.] Quod ait de tabernaculo distendendo<sup>1</sup>, levando, erigendo, *Et alienigena qui accesserit morietur*; hic alienigena intelligendus est etiam ex illis filiis Israel, qui non de illa tribu fuerunt<sup>2</sup>, quam tabernaculo servire præcepit, id est qui non fuerit de tribu Levi. Mirum est autem quomodo abusive alienigena dicitur, quod magis alterius generis hominem significat, id est *ἀλλογενής*, et non magis *ἀλλόφυλος*, quod significat alterius tribus hominem: quo nomine magis utitur Scriptura in aliarum gentium hominibus, ut allophyli appellantur, quasi aliarum tribuum homines.

IV. [Ib. iii, 5 7.] *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens, Accipe tribum Levi; et statues eos in conspectu Aaron sacerdotis, et ministrabunt ei: et custodient custodias ejus, et custodias filiorum Israel, quæ tabernaculum testimonij. Quas *φυλακὰς* græcus dixit, has nostri interpretes alij *custodias*, alij *excubias* interpretati sunt. Sed mirum nisi vigiliæ melius dicuntur quæ solent in castris ternarum horarum observationem habere. Unde scriptum est, *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos, ambulans super mare* (Matth. xiv, 25): hoc est, post nonam horarum noctis, post tres videlicet vigiliis. Et multis locis Scripturarum nostri vigiliis interpretati sunt, quas Græci *φυλακὰς* vocant. Ubi nulla dubitatio est, spatia nocturni temporis significari: quod puto et hic accipiendum. Quomodo enim Levitæ jubentur observare custodias Aaron, et custodias filiorum Israel, id est *φυλακὰς*, nisi fortasæ dictum est, ne putarent ab observandis vigiliis, quæ proprie in castris observari solent, propter honorem quo serviebant tabernaculo, immunes se esse debere, cum et ipsos oporteret propter opera tabernaculi non*

<sup>1</sup> Excusi, *distinguendo*. Mss. Beccensis et Michaelionis, *distendendo*. Alii melioris notæ, *distringendo*.

<sup>2</sup> Juxta Ex. Lugd. Ven. Lov., *fuerant*. M.

minus vicissim observare vigiliis, quæ observarentur in aliis circumquaque castris filiorum Israel?

V. [In III, 10.] *Alienigena qui tetigerit morietur*. Quærendum quomodo dixerit in Levitico, *Qui tetigerit tabernaculum sanctificabitur* (Levit. VI, 18) : cum hic dicat, *Alienigena qui tetigerit, morietur*; volens intelligi eos qui non essent de tribu Levi. An forte hic, *tetigerit*, ad obsequium dixerit servitutis, quod a solis Levitis deberi tabernaculo præcepit? hinc enim loquebatur.

VI. [Ib. III, 12-31.] Quid est quod Levitas pro primogenitis filiorum Israel sibi Deus deputat, ita ut numeratis primogenitis populi, qui plures inventi sunt quam erat numerus Levitarum, argento redimerentur, quinque siclis pro uno datis? Quod pro pecoribus non est factum, cum et pecora Levitarum pro primogenitis pecorum Israel sibi esse voluerit. Quomodo deinceps primogenita eorum vel pecorum eorum pertinebant ad Deum, ubi jussit immunda primogenita vel humana mutari ovibus? Quomodo non et pro istis deinceps primogenitis computabantur filii Levitarum (manebat enim in posteris eadem tribus, quæ posset pro primogenitis posterioribus computari); nisi quia illud justum fuit, ut qui nascerentur de illis qui jam ad portionem Domini pertinebant, datam pro primogenitis qui de Ægypto exierunt, jam Deus proprios haberet, tanquam suos de suis, nec possent pro illis juste computari, qui deinceps primogeniti Deo debebantur? De universo quippe populo, et de universis pecoribus populi data est portio Deo pro primogenitis: et hæc portio erat Levitæ et pecora eorum. Jam si quid genuissent, Dei erat; non poterat hoc tanquam a populo dari, quod jam alienum erat: ac per hoc debita deinceps primogenita Deo reddi oportebat; nec pro his computari posteros Levitarum vel pecorum eorum.

VII. [Ib. IV, 7.] Cum præciperet de tollenda mensa, jussit cum illa et panes tolli sic dicens: *Et panes qui semper super eam erunt*. Non utique isti semper super eam erunt, sed similes eorum: quia illi auferebantur, et recentes quotidie ponebantur; dum tamen sine panibus mensa non relinqueretur. Ideo dixit, *qui semper super eam erunt*: hoc est, quia semper panes, non quia illi semper.

VIII. [Ib. IV, 11.] *Et super altare aureum adoperient vestimentum hyacinthinum, et adoperient illud operimento pelluceo hyacinthino*. Posset ista locutio videri, quam velat absurdam et non integram latini interpretes transferre noluerant; id est, *super altare aureum adoperient vestimentum hyacinthinum*: tanquam deberit dici, *Et altare aureum adoperient vestimento hyacinthino*. Nam *adoperient vestimentum hyacinthinum*, hoc videtur significare, quod ipsum vestimentum aliunde adoperiretur, non quod ipso vestimento adoperiretur altare<sup>1</sup>. Sed mihi videtur non tam genus locutionis esse, quam subobscurus sensus. Hoc quippe intelligi potest, *Et super altare aureum adoperient*

<sup>1</sup> Editi, *aliunde operiretur altare*; omissis verbis, *non quod ipso vestimento adoperiretur*, quæ ex MSS. restituntur.

*vestimentum hyacinthinum*, ut ipsum vestimentum hyacinthinum alia re operiendum præciperet, quod vestimentum jam super altare esset; ac sic breviter utrumque complecteretur, et vestimento hyacinthino altare operiendum, et vestimentum hyacinthinum alio tegmine operiendum. Subjunxit denique unde coepit vellet vestimentum hyacinthinum, cum adjecit, *Et adoperient illud operimento pelliceo hyacinthino*.

IX. [Ib. V, 6-8.] *Vir, aut mulier, quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis, et despiciens despexerit, et deliquerit, anima illa annuntiabit peccatum quod peccaverit, et restituet delictum: caput<sup>1</sup> et quintas ejus adjiciet super illud, et reddet cui deliquit ei*. Si autem non fuerit homini proximus, ita ut reddat illi delictum ad ipsum; delictum quod redditur Domino, sacerdoti erit, excepto ariete propitiationis per quem exorabit in illo pro eo. Hic ea peccata intelligenda sunt, quorum in his rebus perpetratio est, quæ pecunia restitui possunt. Non enim aliter diceret quomodo restituenda sint, nisi damna pecuniaria fuissent. Jubet enim restitui caput et quintas, id est, totum illud quidquid est, et quintam ejus partem, excepto ariete qui fuerat offerendus in sacrificium ad expiandum delictum. Jubet autem illud quod restituitur sacerdoti esse, id est, ipsum caput et quintam, si non est proximus ei in quem commissum est. Ubi utique intelligitur tunc Domino reddendum quod sit sacerdoti, si homo ipse non supersit qui damnum passus est, nec proximus ejus, quem puto hæredem intelligi voluisse. Sed de ipso homine nihil dixit Scriptura: verumtamen cum dicit, *Si non ei fuerit proximus*, sub hac brevitate insinuat, tunc quæri proximum ejus, si ipse non fuerit. Si autem nec proximus erit, Domino restituetur, ne impunitum remaneat quod admissum est: quod tamen non cedat in sacrificium, sed sit sacerdotis. Sic sane verba Scripturæ distinguenda sunt, *Si autem non fuerit homini proximus, ita ut reddat illi delictum ad ipsum*: locutionis est enim quod addidit, *ad ipsum*; aut forte *ad ipsum* dixit, quod ad ipsum pertineat, id est ipse possideat. Deinde sequitur, *Delictum quod redditur Domino, sacerdoti erit*: delictum autem dicit, cum redditur ea res quæ per delictum ablata est.

X. [Ib. V, 6, 7.] Quæri autem potest, quomodo in Exodo dicitur, si quis furatus fuerit vitulum aut ovem, restituere debere quinque vitulos vel quatuor oves, si occiderit, aut vendiderit; si autem quod abstulerit, salvum apud eum reperitur, duplum esse restituendum (Exod. XXII, 1, 4): cum hic restitui jubeat caput et quintam, quod longe est etiam a duplo; quanto magis a quadruplo vel quinquies tanto? Nisi forte quia hic ait, *Vir, aut mulier, quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis*, peccata ignorantia voluit intelligi humana peccata. Fieri enim potest ut parum attendendo, per negligentiam trajiciat homo

<sup>1</sup> Editi, *restituet delictum et quintas*; omissis, *caput*. Pseudo-logue post, *ita ut reddat illi delictum ipsum*; omissis, *ad*. Redintegravimus utrumque locum ad MSS. qui concordant cum græco.

rem alienam in rem suam : quod ideo peccatum est , quia si diligenter attenderetur , non admitteretur . Et hæc voluit capite et quinta restitui , non sicut furta mulctari . Nam si furta et fraudes hic intellexerimus , quæ non per ignorantiam negligentiam , sed furandi et fraudandi animo committuntur , et ideo dicta humana , quia in homines fiunt ; ille , nisi fallor , erit exitus quaestionis hujus , ut ideo qui fecit non reddat vel duplum , quia non deprehenditur vel vincitur , sed ignorantibus a quo factum sit , vel utrum factum sit , ipse annuntiat delictum suum . Cum enim dixisset Scriptura , *Vir , aut mulier , quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis , et despiciens despexerit , et deliquerit* , id est contemnendo ista commiserit ; adjunxit , et ait , *Anima illa annuntiabit peccatum quod peccarit , et restituet delictum , caput et quintas ejus* : forte ergo propterea tantum , quia ipse annuntiavit ; et ideo non eo damno plectendus fuit , quo furem comprehensum vel convictum plecti oporteret .

XI. [Ib. v. 21.] Verba quæ Scriptura dicit mulieri a sacerdote dicenda , quando a su picione adulterii eam maritus adducit , *Det eam Dominus in maledictum et in execrumentum* , græcus habet *ἐσφραγιστο* . Quo verbo videtur significari juramentum per execrationem ; velut si quisquam dicat , Sic non mihi illud et illud contingat : vel certe ita juret , Illud et illud mihi contingat , si fecero , vel non fecero . Ita hoc dictum est , *Det te Dominus in maledictum et in execrumentum* , tanquam diceretur , ut de te jurent quæ per execrationem jurabunt ; sic non eis contingat , aut , hoc eis contingat , nisi hoc aut illud fecerint <sup>1</sup> .

XII. [Ib. vi. 14-17.] *Et offeret munus suum Domino , agnum anniculum sine vitio in holocaustoma , et agnam anniculum sine vitio unam in peccatum* . Hoc quidam nostri interpretes transferre noluerunt , veluti locutionem inusitatam vitantes , et dixerunt , *pro peccato* , non , *in peccatum* , cum sit sensus in ea locutione , qui non fuerat perturbandus . In peccatum quippe dictum est , quia hoc ipsum quod pro peccato offerebatur , peccatum vocabatur . Unde illud est apud Apostolum de Domino Christo , *Eum qui non noverat peccatum , peccatum pro nobis fecit* (II Cor. v. 21) : Deus Pater scilicet , Deum Filium pro nobis fecit peccatum , id est sacrificium pro peccato . Sicut ergo agnus in holocaustoma , ut ipsum pecus esset holocaustoma ; sic et agna in peccatum , ut ipsum pecus esset peccatum , id est sacrificium fieret pro peccato , sicut de ariete , quod sequitur , *in salutare* dicit , tanquam ipsum sit salutare , cum sit sacrificium salutaris . Quod postea repetendo manifestat : nam et illud *pro peccato* dicit , quod prius dixerat *in peccatum* ; et hoc *sacrificium salutaris* , quod prius dixerat , *in salutare* .

XIII. [Ib. viii. 24.] *Locutus est Dominus ad Moysen , dicens , Hoc est de Levitis* . Hoc alii interpretati sunt , *Hæc est lex de Levitis* : sed quod scriptum est , *Hoc est de Levitis* , intelligitur dictum , *Hoc constituo de Levitis* .

<sup>1</sup> Mss. quinquæ et Nat. , nisi illud fecerint . Alii duo Mss. nisi illud de te fecerint . Au. et Fr. , nisi hoc illud de te fecerint .

XV. [Ib. viii. 24-25.] Deinde sequitur : *A quinto et viceimo anno et supra , introibunt ministrare in ministerium in operibus in tabernaculo testimonii ; et a quinquagenario recedet ab administratione , et non operabitur ultra (et ministrabit frater ejus) : in tabernaculo testimonii custodire custodias ; opera autem non operabitur* . Hunc sensum obscurum facit *ἐντέτακτο* , quod ita confusum est , tanquam de ipso fratre sit dictum , *custodire custodias* ; cum dictum sit de illo , qui recedit ab operibus , et remanebit illic , *in tabernaculo testimonii custodire custodias ; opera autem non operabitur* ; sed operabitur frater ejus , id est , qui nondum pervenit ad ætatem quinquagenariam , a viginti-quinque annis incipiens operari . Ergo ita distinguendum est : *Et a quinquagenario recedet ab administratione , et non operabitur ultra , et ministrabit frater ejus* . Deinde redit ad illum quinquagenarium , de quo loquebatur , et de illo explicat cætera , dicens , *In tabernaculo testimonii custodire custodias ; opera autem non operabitur* . Quod enim ait , *custodire* , subauditur , incipiet , tanquam id uno verbo diceret , custodiet custodias . Solet enim usitate etiam in latinis locutionibus infinitum verbum poni pro finito .

XV. [Ib. ix. 6-12.] Cum Paschæ tempore quidam , qui immundi facti erant super animam hominis , id est super mortuum , quærenter quomodo Pascha facerent ; quoniam oportebat eos ab immunditiis septem diebus purificari secundum Legem : consuluit Dominum Moyses , et responsum accepit , cuicumque tale aliquid accidisset , vel tam in longinquo itinere constitutus esset , ut non posset occurrere , alio mense cum facere debere Pascha , propter diem mensis quartum decimum , ubi lunæ numerus observabatur . Sed si quæratur quid facerent , si forte talis immunditia etiam ad secundum mensem occurreret ; arbitrator id quod dictum est de secundo mense , tanquam regulariter fuisse retinendum , ut tertio mense observarent , aut certe Pascha non egisse tali necessitate , ad culpam non pertineret .

XVI. [Ib. ix. 15-23.] *Et die qua statutum est tabernaculum , texit nubes tabernaculum , domum testimonii : et vespere erat super tabernaculum velut species ignis usque mane . Ita fiebat semper ; nubes tegebat illud die , et species ignis nocte . Et cum ascendisset nubes a tabernaculo , et postea promovebant filii Israel : et in loco ubicumque steterat nubes , ibi castra collocabant filii Israel . Per præceptum Domini castra collocabant filii Israel , et per præceptum Domini promovebant . Omnes dies in quibus obumbrat nubes super tabernaculum , in castris erunt filii Israel : et quando protraxerit nubes super tabernaculum dies plures ; et custodient filii Israel castrorum Dei , et non promovebunt . Et eris , cum texerit nubes dies numero super tabernaculum ; per vocem Domini in castris erunt , et per præceptum Domini promovebunt . Et erit cum fuerit nubes a vespere usque mane , et ascenderit nubes mane , et promovebunt die ; vel*

<sup>1</sup> Editi , protulerit . At Mss. , protraxerit : juxta LXX , *ephelkêtd* .

nocte et si ascenderit nubes<sup>1</sup>, promovebunt: die vel mense die abundante nube obumbrante super illud, in castris erunt filii Israel, et non promovebunt. Quoniam per praeceptum Domini promovebunt. Custodiam Domini custodierunt per praeceptum Domini in manu Moysi.

Totus hic locus diligenter exponendus est, quoniam inusitatis generibus locutionum obscuratus est. *Et die*, inquit, *qua statuitur est tabernaculum, texit nubes tabernaculum, domum testimonii*: idem tabernaculum appellavit domum testimonii. *Et vespere erat super tabernaculum vel species ignis usque mane. Ita fiebat semper.* Deinde diligenter exprimit, quid fiebat semper, *Nubes*, inquit, *tegebat illud die, et species ignis nocte. Et cum ascendisset nubes a tabernaculo, et postea promovebant filii Israel.* Ista sententia obscura non est, nisi propter illam locutionem ubi additur, *et*. Ordo enim verborum integer sequitur, etiamsi desit ipsa conjunctio, ut sic dicatur, *Et cum ascendisset nubes a tabernaculo, postea promovebant filii Israel*: quamvis et ipsum quod dictum est, *postea*, si desisset, plena posset esse sententia. Deinde sequitur, dicens, *Et in loco ubicumque steterit nubes, ibi castra collocabant filii Israel.*

Hoc autem totum quod faciebant, ad praeceptum Domini referens, ita complectitur: *Per praeceptum*, inquit, *Domini castra collocabant filii Israel, et per praeceptum Domini promovebant.* Praeceptum Domini appellat signum ipsum quod fiebat in nube, sive cum siaret obumbrans tabernaculum, ut castra consistere; sive cum ascendisset, atque ultra moveretur, ut eam elevatis castris sequerentur. Mutavit sane in hac sententia narrantis modum, et tanquam praedicens atque praenuntians verba futuri temporis habere coepit. Neque enim ait, *Per praeceptum Domini castra collocabant filii Israel*; sed, *collocabant*: nec ait, *per praeceptum Domini promovebant*; sed, *promovebunt*. Et hunc modum etiam in consequentibus servat, qui modus in Scripturis est inusitatissimus. Nam verbis praeteriti temporis saepe futura praedicta esse novimus; sicut est, *Foderunt manus meas et pedes* (*Psal. xxi, 47*); et, *Sicut ovis ad immolandum ductus est* (*Isai. lxxvii, 7*); et innumerabilia talia: ut autem narrator rerum gestarum verbis utatur temporis futuri, sicut hoc loco, difficillime in Scripturis inveniri potest.

Ergo posteaquam dixit, de die et nocte, quo signo promoveret populus, vel maneret; ne putarentur per noctem ambulare et per diem solere considerare, atque hoc diebus omnibus facere, secutus adjunxit, et ait, *Omnes dies in quibus obumbrat nubes super tabernaculum, in castris erunt filii Israel; et quando protraxerit nubes super tabernaculum dies plures.* Deinde admonens non hoc ex illorum necessitate fieri, sed ex Dei voluntate, *Et custodient*, inquit, *filii Israel custodiam Dei*, id est, custodiam quam praecipit Deus; *et non promovebunt.* Et tanquam diceretur, Quando ergo pro-

<sup>1</sup> Ita constanter Mss., cumque iis inferius concordant editi, qui hoc tantum loco habeant, et cum sic ascenderit nubes.

movebunt? *Et erit*, inquit, *cum texit nubes dies numero super tabernaculum*, id est, dies certo numero, qui numerus utique Deo placeret: *per vocem Domini in castris erunt, et per praeceptum Domini promovebunt.* Hanc videtur dicere vocem Domini signum quod dat de statione, et motu nubis; quia et vox loquentis, procul dubio signum est voluntatis. Quod ergo ait, *et per praeceptum*, hoc idem signum puto intelligendum. Quamquam posset vox et praeceptum Domini illud etiam accipi quod locutus est, ut solet, ad Moysen, et praecipit hoc fieri. Neque enim scirent illi promovendum esse nube promovente, et standum esse nube stante, nisi hoc eis ante praeciperetur.

In his autem quae dicta sunt nondum apparuit, utrum per diem tantum ambularetur, an etiam per noctem, secundum signum quod nubes motu suo dabit. Fortassis enim quamvis plures dies in castris manerent nube non promovente, potuit tamen putari nubem non solere ascendere de castris, et signum itineris dare, nisi per diem. Sequitur ergo et dicit: *Et erit, cum fuerit nubes a vespere usque mane, et ascenderit nubes mane, et promovebunt die.* Illic illa copulativa conjunctio more Scripturae posita est. Nam ea detracta plenius est sensus hoc modo: *Et erit, cum fuerit nubes a vespere usque mane, et ascenderit nubes mane, promovebunt die.* Deinde quia et nocte si nubes ascenderet promovebant, atque iter nocturnum si illud signum acciperent agebant, adjunxit et ait: *Vel nocte et si ascenderit nubes, promovebant.* Sed locutio est inusitatio: non enim tantum positum est, *et*; sed eo more positum est, quo non solet. Unde mihi videtur praeposteratus ordo verborum, sicut saepe et in latinis locutionibus fieri solet: quod genus antistrophae dicitur. Proinde si ita dicatur, *vel et nocte si ascenderit nubes, promovebunt*; aut certe *ita, si et nocte ascenderit nubes, promovebunt*, planissimus sensus est.

Adhuc autem occurrebat cogitanti, ut scire vellet utrum quomodo cognitum est solere illos ad nubis signum diebus et noctibus ambulare, vel diebus et noctibus in castris esse, ita etiam solerent per dies tantum manere, etiam quorum noctibus ambularent: quod arbitror Scripturam in consequentibus intimasse cum dicit, *Die vel mense diei, abundante nube obumbrante super illud, in castris erunt filii Israel, et non promovebunt.* Quia enim dixerat, *vel nocte et si ascenderit nubes, promovebunt*; tanquam restabat ut diceret, die autem si non ascenderit, non promovebunt, quando quasi promovere debere videbantur: sed quia hoc etiam diebus pluribus fieri poterat, ut noctibus ambularent, promovente nube, et ea manente diebus non ambularent, ideo posuit, *die vel mense diei.* Non dixit, *mense diei*, id est mense ex ea parte qua dies illi fuit, non ex ea qua nox. *Die ergo vel mense diei, abundante nube obumbrante*, id est, abundante in obumbrando, vel abundantius obumbrante, *super illud*, illud scilicet tabernaculum, *in castris erunt filii Israel, et non promovebunt.* Postremo repetiit, divina auctoritate factum, cui resisti utique non debebat, adjungens:

Quoniam per præceptum Domini promovébunt. Custodiam Domini custodierunt; per præceptum Domini, in manu Moysi Rediit ad verbum præteriti temporis, ut diceret, *custodierunt*. Quod vero in fine posuit, *in manu Moysi*, usitatissima in Scripturis locutio est, quia per Moysen hæc Deus præcipiebat.

XVII. [Ib. x, 7.] *Ei cum congregaveritis synagogam, tubam canetis, et non in signo.* Non ergo ad hoc canendum præcipit, ut congregetur synagoga; nam si hoc fit, signum est: sed jam congregata synagoga, præcipit tubam canere, tanquam ad cantum jam pertineat; non ad dandum signum, quo dato fieri aliquid admoncat. Proinde cum hoc quod jam congregata synagoga tubis canebant, quisquam homo Novi Testamenti ad aliquod spirituale interpretatur, illi signum est, qui intelligit quare fiat; non illis qui non intelligebant, nisi quando ad hoc fiebat, ut aliquid opus indiceretur.

XVIII. [Ib. xi, 17.] *Et auferam de spiritu qui est in te, et superponam super eos; et sustinebunt tecum impetum populi, et non portabis illos tu solus.* Plerique latini interpretes non ut in græco est, transtulerunt; sed dixerunt, *Auferam de spiritu tuo qui est in te, et ponam super eos, aut ponam in eis*; et fecerunt sensum laboriosum ad intelligendum. Putari enim potest de spiritu ipsius hominis dictum, quo humana natura completur corpore adjuncto, quæ constat ex corpore et spiritu, quem etiam animam dicunt: de quo et Apostolus dicit, *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sic et quæ Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei.* Et quod adjungit ac dicit, *Nos autem non spiritum hujus mundi accipimus, sed Spiritum qui ex Deo est* (1 Cor. ii, 11, 12); ostendit utique alium esse Spiritum Dei, cujus particeps fit spiritus hominis per gratiam Dei. Quamvis posset etiam, sicut alii interpretati sunt, intelligi Spiritum Dei in eo quod dicitur, *de spiritu tuo qui est in te*; ut dictum sit, *tuo*, quia fit etiam noster qui Dei est, cum accipimus eum: sicut de Joanne dictum est, *In spiritu et virtute Eliæ* (Luc. i, 17). Non enim anima Eliæ in eum fuerat revoluta. Quod si quidam hæretica perversitate opinantur, quid dicturi sunt in eo quod scriptum est, *Spiritus Eliæ requievit super Elisæum* (IV Reg. ii, 15); cum jam ille utique haberet animam suam (a): nisi quia dictum est de Spiritu Dei, ut etiam per illum operaretur qualia per Eliam operabatur; non ab illo recedens, ut istum posset implere; aut dispersit minus esset in illo, ut posset ex aliqua parte et in isto esse? Deus est enim qui possit esse in omnibus tantus, in quibus per illam gratiam esse voluerit. Nunc autem cum ita scriptum sit, *Et auferam de spiritu qui est super te, nec dictum sit, de spiritu tuo*, facilius est absolutio questionis: quia intelligimus nihil aliud Deum significare voluisse, nisi ex eodem Spiritu gratiæ illos quoque habituros adiutorium, ex quo habebat Moyses; ut et isti haberent quantum Deus vellet, non ut ideo Moyses minus haberet.

XIX. [Ib. xi, 21-23.] *Et dixit Moyses, Sexcenta milia pedum, in quibus sum in ipsis, et tu dixisti, Carnes*

(a) Confer Tertull., lib. de Anima, cap. 33.

*dabo eis, et edent mense dierum. Numquid oves et boves occidentur illis, et sufficient illis? aut omnis piscis congregabitur eis, et sufficient eis? Quæri solet utrum hoc Moyses dissidendo dixerit, an quærendo. Sed si putaverimus eum dissidendo dixisse, nascetur quæstio cur hoc ei non exprobraverit Dominus, sicut exprobravit quod ad petram unde aqua profluxit, videtur de potestate Domini dubitasse. Si autem dixerimus hoc eum dixisse quærendo modum fieret, ipsa Domini responsio, ubi ad eum dixit, *Numquid manus Domini non sufficient, quasi redarguentis videtur quod iste ista non credidisset. Sed melius arbitror intelligi Dominum ita respondisse, tanquam modum futuri facti, quem ille requirebat, dicere noluerit, sed potius opere ipso suam potentiam demonstrare. Poterat enim et Mariæ dicenti, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, a calumniantibus objici quod minus crederet, cum illa modum quæsierit, non de virtute Dei dubitaverit. Quod autem responsum est illi, *Spiritus sanctus superveniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit te*, poterat et sic responderi quomodo hic, *Numquid Spiritui sancto impossibile est, qui superveniet in te? ac sic idem ipse sensus conservaretur. Porro autem talia quædam dicens Zacharias, incredulitatis arguitur, et vocis oppressæ pœna preteritur* (Luc. i, 34, 35, 18, 19, 20). Quare, nisi quia Deus non de verbis, sed de cordibus judicat? Alioquin et ad illam petram unde aqua profluxit, poterant excusari verba Moysi, nisi in eam clara esset divina sententia quod dissidendo talia dixerit. Nam ita se ea verba habent: *Audite me, increduli; numquid de petra ista educemus vobis aquam? Deinde sequitur: Et elevata Moyses manus sua percussit petram virga bis, et exiit aqua multa, et bibit synagoga et pecora eorum.* Utique ad hoc congregavit populum, ad hoc illam virgam in qua tanta miracula fecerat sumpsit, eaque petram percussit, atque inde solitæ virtutis est consecutus effectus. Verba ergo illa quibus ait, *Numquid ex hac petra educemus vobis aquam?* possent sic accipi, tanquam diceretur, Nemo ex hac petra secundum vestram incredulitatem aqua educi non potest: ut denique percutiendo ostenderetur, fieri divinitus potuisse quod illi infidelitate non crederent, maxime quia dixerat, *Audite me, increduli.* Ita quidem intelligi possent hæc verba, nisi Deus qui cordis inspector est, quo animo dicta fuerint indicaret. Sequitur enim Scriptura et dicit: *Et dixit Dominus ad Moysen et Aaron, Quoniam non credidistis sanctificari me in conspectu filiorum Israel, propter hoc non inducetur vos synagogam hanc in terram quam dedi eis* (Num. xx, 10-12). Ac per hoc intelligitur illa verba ita dixisse Moysen, tanquam ad incertum percusserit, ut si non sequeretur effectus, hoc prædixisse putaretur, cum ait, *Numquid ex hac petra educemus vobis aquam?* quod in animo ejus lateret omnino, nisi Dei sententia prederetur. E contrario itaque isto loco debemus intelligere verba Moysi de promissis carnibus, quærentis potius quomodo fieret, quam dissidentis fuisse; quando sententia Domini non secuta est, quæ vindicaret, sed potius quæ doceret.**

XX. [Ib. xii, 1.] De uxore Moysi Æthiopiſſa quæri solet, utrum ipsa sit filia Jothor, an alteram duxerit, vel superduxerit: sed ipsam fuisse credibile est: de Madianitis quippe erat, qui reperiuntur in Paralipomenon Æthiopes dicti, quando contra eos pugnauit Jasaphat. Nam in his locis dicitur eos persecutus populûs Israel, ubi Madianitæ habitant (II Paral. xv, 9-14), qui nunc Saraceni appellantur. Sed nunc eos Æthiopes nemo fere appellat, sicut solent locorum et gentium nomina plerumque vetustate mutari.

XXI. [Ib. xiii, 18-26.] *Et dixit ad eos, Ascendite ista eremo, et ascendetis in montem, et videbitis terram quæ sit, et populum qui insidet super eam, si fortis est, aut infirmus, si pauci sunt aut multi.* Exposuisse intelligitur, secundum quid dixerit, *si potens est aut infirmus; hoc est, si pauci sunt aut multi.* Nam quomodo possent de monte prospicientes sentire humanarum virium fortitudinem? Potest et alius sensus esse multo congruentior veritati. Quod ait, *Ascendetis in montem*, in ipsam terram dixit, quam explorare volebant. Non enim possent facile exploratores intelligi, ubi tanquam peregrinantes omnia perquirebant. Nam si de montis vertice eos putauerimus conspexisse terram, et explorasse; quomodo possent exquirere omnia quæ Moyses exquirenda præcepit? quomodo intrare civitates, quas eos Scriptura dixit intrasse? quomodo de illa valle botrum tollere, propter quem et loco nomen est inditum, ut vallis Botri<sup>1</sup> diceretur? In ipso ergo monte explorabatur terra, quia ipsa erat quæ exploraretur: et ibi erat quidam depressior locus, de qua valle botrus ablatuſ est.

XXII. [Ib. xiii, 33.] *Et protulerunt pavorem terræ quam exploraverunt. Pavorem terræ dixit, non quo pavebat eadem terra, sed quem ex ea terra conceperant.*

XXIII. [Ib. xiv, 9.] Caleb et Jesus Nave loquentes ad populum Israel ne timerent ingredi terram promissionis, dixerunt inter cætera: *Vos autem ne timueritis populum terræ, quoniam cibus nobis sunt. Abscessit enim tempus ab eis, Dominus autem in nobis; ne timueritis eos.* Quod dictum est, *Cibus nobis sunt*, intelligi voluerunt, consumemus eos. Quod vero adjunxerunt, *Abscessit enim tempus ab eis, Dominus autem in nobis*: satis diligenter non dixerunt, Abscessit Dominus ab eis; impii quippe antiquitus fuerunt: sed quoniam et impiis occulta dispensatione divinæ providentiæ datur tempus florendi atque regnandi, *Abscessit*, inquit, *tempus ab eis, Dominus autem in nobis.* Non dixerunt, Abscessit tempus ab eis, et nostrum successit: sed, *Dominus autem in nobis*, non tempus. Illi enim tempus habuerunt, isti Dominum Deum temporum creatorem et ordinatorem, et quibusque, ut ei placet, distributorem.

XXIV. [Ib. xv, 24-29.] Quod præcipitur quomodo expiuntur peccata quæ non sponte committuntur, merito quarritur quæ sint ipsa peccata nolentium: utrum quæ a nescientibus committuntur; an etiam possit recte dici peccatum esse nolentis, quod facere com-

pellitur: nam et hoc contra voluntatem facere dici solet. Sed utique vult propter quod facit, tanquam si pejerare nolit, et facit<sup>1</sup> cum vult vivere, si quisquam, nisi fecerit, mortem minetur. Vult ergo facere, quia vult vivere: et ideo non per seipsum appetendo ut falsum juret, sed ut falsum jurando vivat. Quod si ita est, nescio utrum possint dici ista peccata nolentium, qualia hic dicuntur expianda. Nam si diligenter consideretur, forte ipsum peccare nemo velit, sed propter aliud sit, quod vult qui peccat. Omnes quippe homines qui scientes faciunt quod non licet, vellent licere: usque adeo ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud quod ex eo consequitur. Hæc si ita se habent, non sunt peccata nolentium, nisi nescientium; quæ discernantur a peccatis volentium.

XXV. [Ib. xv, 30, 31.] *Et anima quæcumque peccaverit in manu superbiæ ex indigemis, aut ex proselytis, Deum hic exacerbat, et exterminabitur anima illa de populo suo; quoniam verbum Domini contempsit, et mandata ejus disperdidit: contritione conteretur anima illa, peccatum ejus in illa.* Quæ sint peccata quæ fiunt in manu superbiæ, id est superbia committuntur, Scriptura ipsa in consequentibus satis exposuit, ubi ait, *Quoniam verbum Domini contempsit.* Aliud est ergo præcepta contemnere, aliud magni quidem pendere, sed aut ignarum contra facere, aut victum. Quæ deo fortasse pertineant ad illa peccata quæ a nolentibus fiunt, de quibus superius quemadmodum Deo propitiati expiantur admonuit; ac inde subjecit peccata superbiæ, cum quisque superbiendo, id est præceptum contemnendo perperam facit. Quod genus peccati non dixit ullo genere sacrificii purgari oportere, tanquam insanabile judicans, illa dumtaxat curatione quæ per sacrificia gerebatur, qualia facienda in hac Scriptura præcipiuntur: quæ si per se ipsa attendantur, nulli peccato<sup>2</sup> possunt mederi; si autem res ipsæ quarum hæc sacramenta sunt inquirentur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum. Quod ergo scriptum est, *Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit* (Prov. xviii, 3), iste significatus est, quem Scriptura hoc loco dicit, *in manu superbiæ delinquere.* Hoc igitur sine pœna ejus qui committit, non potest aboleri; atque ideo non potest esse impunitum, et cum pœnitendo sanatur: ipsa enim afflictio pœnitentis pœna peccati est, quamvis medicinalis et salubris. Merito quippe magnum judicatur peccatum, cum superbia præceptum contemnit: sed e contrario, ut sanari possit, cor contritum et humillatum Deus non spernit (Psal. l, 19). Veruntamen quia sine pœna non fit, ideo hinc talia dicta sunt: *Deum, inquit, hic exacerbat*; quia Deus superbis resistit (Jacobi iv, 6). *Et exterminabitur anima illa de populo suo*; quoniam talis omnino in numero eorum qui ad Deum pertinent, non est. *Quoniam verbum Domini contempsit, et mandata ejus disperdidit: contritione conteretur anima*

<sup>1</sup> In Mss. constanter, *Fotru*. Apud LXX. Num. cap. 13, *Fot. uos.*

<sup>1</sup> Editt, et Mss. uno excepto Corbelensi codice carent his verbis, *tanquam si pejerare nolit, et facit.*

<sup>2</sup> Editt nullo pacto. Mss. vero, *nulli peccato.*



*illa*. Quare autem contritione conteretur, consequenter adjungit, dicens, *Peccatum ejus in illa* : ac per hoc si tali peccato debitam contritionem ipse sibi adhibeat pœnitendo, cor contritum, ut dictum est, Deus non spernet. Quamvis in græco non dictum sit hoc loco, *contritione conteretur* ; sed, *extritione exteretur anima illa* : quod ita accipi potest, quasi omni modo terendo exstinguatur, ac non sit. Sed prius natura immortalitatis animæ hunc intellectum recensat. Deinde si quod exteritur, omni modo efficeretur ut non sit, non diceret de sapiente, *Et gradus ostiorum ejus exterat petrus* (Eccl. vi, 36). Verum illa discretio magis magisque consideranda est, ntrum nemo peccet nisi aut ignarus, aut victus, aut contemnens ; unde nunc longum est disputare.

XXVI. [Ib. xvi, 13, 14.] Quid est quod Dathan et Abiron, cum in seditionem consurrexissent, vocati a Moyse, ac superbe et injuriose respondentes, *Numquid pusillum hoc, quoniam eduxisti nos in terram fluentem lac et mel, interficere nos in eremo? quoniam præes nobis, princeps es*<sup>1</sup> : *et tu in terram fluentem lac et mel induxisti nos, et dedisti nobis sortem agri et vineas* ; post hæc addiderunt, *Oculos hominum illorum abscidisses : non ascendimus?* Quorum oculos hominum dixerunt? Utrum populi Israel, tanquam dicentes, Si ista præstitisses, oculos hominum illorum abscidisses ; id est, ita te diligenter, ut oculos suos eruerent, et darent tibi? Quod indicium magnum dilectionis et Apostolus dicit, *Quoniam si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi* (Galat. iv, 15). Et deinde plenam contumaciam addiderunt, *Non ascendimus*, id est, Non venimus ; quia vocaverat eos. An potius *oculos hominum illorum*, dicit hostium, qui nimis acres et terribiles fuerant nuntiati : tanquam dicerent, Etsi hoc fecisses, non tibi obtemperarem ; nisi quod modus verbi alius pro alio positus est, ut non dicerent, Non ascenderemus ; sed, *Non ascendimus*, quodam genere locutionis?

XXVII. [Ib. xvi, 20, 21.] *Et locutus est Dominus ad Moysem et Aaron, dicens : Abscedite vos de medio synagogæ istius*. Notandum est tunc jubere Dominum separatione fieri corporalem, cum jam vindicta imminet malis : sic Noe cum domo sua separatur a cæteris diluvio perituris (Gen. vii, 15) ; sic Lot cum suis separatur a Sodomis igne cœlitis consumendis (Id. xix, 12) ; sic ipse populus ab Ægyptiis marinis fluctibus obruentis (Exod. xix, 20) ; sic isti nunc a synagoga Chore, Abiron et Dathan, qui se primitus per seditionem abrumpere voluerunt : cum quibus tamen sancti antea viventes et conversantes, et cum cæteris quos reprobat Deus, secundum verba quæ in eos increpans dicit, contaminari tamen ab eis minime potuerunt : nec separare se jussi sunt, quando vindictam Dominus sive differebat, sive talem adhibebat, qua innocentes periclitari lædive non possent, sicut serpentum moribus, sicut strage mortuum, qua Deus, quem volebat, sicut volebat, alio percutebat intacto ; non sicut aqua

diluvii, aut ignea pluvia, aut aqua maris, aut hiatus terre, que permixtos poterat pariter absumere : non quia et ibi Deus suos conservare non posset ; sed quid opus erat tentatione miraculi ubi separatio fieri poterat, ut vel aqua, vel ignis, vel hiatus terræ, quos invenisset, auferret? Sic et in fine a zizaniis separabuntur frumenta, ut malos cremantibus flammis, justi fulgeant sicut sol in regno Patris sui (Math. xxi, 30, 40-43).

XXVIII. [Ib. xvi, 30.] Quod ait Moyses de Chore et Abiron et Dathan, *In visione ostendet Deus, et aperiet terra os suum absorbebit eos*, quidam interpretati sunt, *In hiatus ostendet Dominus* : credo, putantes dictum *χάσματι*, quod græce positum est *πάρματι*, quod pro eo dictum est, ac si diceretur, In manifestatione, quod aperte oculis apparebit. Non enim sic dictum est, *In visione*, quemadmodum solent dici visiones, sive somniorum, sive quarumque in ecstasi figurarum ; sed ut dixi, in manifestatione. Nonnulli autem alii opinantes, *In phantasmate* interpretari voluerunt ; quod omnino sic abhorret a consuetudine locutionis nostræ, ut nusquam fere dicatur phantasma, nisi ubi falsitate visorum sensus noster illuditur : quamvis et hoc a videndo sit dictum ; sed, ut dixi, aliud loquendi consuetudo præjudicavit.

XXIX. [Ib. xvi, 32, 33.] *Et descenderunt ipsi, et omnia quæcumque sunt eis, viventes ad inferos*. Notandum de eundem locum terræ dictos esse inferos, hoc est in inferioribus terræ partibus. Varie quippe in Scripturis et sub intellectu multiplici, sicut rerum de quibus agitur sensus exigit, nomen ponitur inferorum, et maxime in mortuis hoc accipi solet. Sed quoniam istos viventes dictum est ad inferos descendisse, et ipsa narratione quid factum fuerit satis apparet ; manifestum est, ut dixi, inferiores partes terræ inferorum vocabulo nuncupatas, in comparatione hujus superioris terræ in cujus facie vivitur : sicut in comparatione cœli superioris, ubi sanctorum demoratio est Angelorum, peccantes angelos in hujus aeris detrusos caliginem Scriptura dicit tanquam carceribus inferi puniendos reservari. *Si enim Deus*, inquit, *angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in judicio puniendos reservari* (II Petr. ii, 4) : cum apostolus Paulus *principem potestatis aeris* diabolium dicat, *qui operatur in filiis diffidentiae* (Ephes. ii, 2).

XXX. [Ib. xvi, 36-40.] *Et dixit Dominus ad Moysen et ad Eleazarum filium Aaron sacerdotem : Tollite thuribula ærea e medio exustorum, et ignem alienum hunc seminina ibi ; quia sanctificaverunt thuribula peccatorum horum in animabus suis : et facta ea laminas ductilis circumpositionem altari ; quoniam oblata sunt ante Dominum et sanctificata sunt, et facta sunt in signum filiis Israel*. Hoc loco cur non ad Moysen et Aaron, sicut in superioribus, Dominus locutus sit, sed ad Moysen et ad Eleazarum filium Aaron, hæc mihi causa interim occurrit : quoniam quæstio erat de progenie sacerdotum, id est de quo genere esse deberent (unde illi ex alio genere, quia sibi usurpare sacerdotium ausi

<sup>1</sup> Sic in vss. et apud LXX. At in antea editis, *præes nobis p̄ sic ps : et tu*.

sunt, tam horrendo et mirabili supplicio perierunt); tunc ad Aaron, qui jam summus sacerdos erat, sed ad Eleazarum voluit loqui Deus, qui ei succedere debebat, et secundo jam sacerdotio fungebatur, ut eo modo seriem generis commendaret, quæ in successione sacerdotum esse deberet. Unde etiam in consequentibus dicit: *Et accepit Eleazar filius Aaron sacerdotis thuribula ærea, quanta<sup>1</sup> obtulerunt qui exusti sunt, et addidit ea circumpositionem altaris, memoriæ filii Israel, ut non accedat quisquam alienigena, qui non est de semine Aaron, imponere incensum ante Dominum: et non erit sicut Chore et sicut conspiratio ejus, sicut locutus est Dominus in manu Moysi.* Hoc ergo modo voluit per Eleazarum Deus non sacerdotium, quod jam erat in Aaron, sed successionis sacerdotalis progeniem commendare. Quod vero ait, *Et ignem alienum hunc semina ibi*, sparge intelligendum est. Et quod addidit, *Quia sanctificaverunt thuribula peccatorum horum in animabus suis*, locutione quidem inusitata expressa sententia est: sed notandum novo modo dicta sanctificata pœna eorum, a quibus hoc peccatum fuerat perpetratum; quia per eos exemplum datum est cæteris, quo timerent. Circumpositionem autem altari cur ex eis fieri voluit, addidit dicens, *Quoniam oblata sunt ante Dominum, et sanctificata facta sunt in signum filiis Israel*: non ergo in eis reprobari voluit, quod a talibus oblata sunt; sed hoc potius cogitari et attendi, ante quem oblata sint, id est quia ante Dominum, ut plus in eis valeret nomen Domini ante quem oblata sunt, quam pessimum meritum eorum a quibus oblata sunt. Hoc autem jam et in Exodo commemoraverat Scriptura, quando altare fabricatum dicit (*Exod. xxvii, 2*): unde intelligitur genera rerum gestarum distributa esse per libros, non temporum ordo contextus. Nam et de virga Aaron, quomodo res gesta sit; ut et florens et germinans electionem sacerdotii ejus divinitus indicaret, in hoc libro Scriptura narravit (*Num. xvii, 8*); et tamen de ipsa virga in Exodo dicitur, ut in sanctis sanctorum cum manna in arca poneretur, quando præcipitur de tabernaculo fabricando (*Exod. xxvi*); quod utique longe ante præceptum est, quam ipsum tabernaculum fabricatum perfectumque consisteret: stetit autem primo mense secundi anni, ex quo de Ægypto egressi sunt (*Id. xl, 15*), et liber iste incipit a secundo mense ejusdem anni secundi, primo die mensis: unde clarum est ista, si librorum ordinem consideremus, per recapitulationem, id est præteritorum recordationem commemorari, quæ putant, qui minus diligenter intendunt, eodem facta ordine quo narrantur.

XXXI. [lb. xviii, 1.] *Et ait Dominus ad Aaron, dicens: Tu et filii tui, et domus patris tui tecum, accipietis peccata sanctorum; et tu et filii tui accipietis peccata sacerdotii vestri.* Hæc sunt peccata quæ appellantur sacrificia pro peccatis. Proinde *peccata sanctorum* dictum est, non quæ sancti committant; sed ab eo

<sup>1</sup> Am. Fr. et Lov., quæ antea. It. et Mss., quanta: juxta 1.2X, læsa.

quod sunt sancta, dictum est *sanctorum*, quia in sanctis offeruntur: et peccata dicuntur sacrificia pro peccatis; ideo appellata sunt *peccata sanctorum*. Et *peccata sacerdotii vestri*, id est, eadem ipsa quæ offeruntur pro peccatis: sicut etiam in Levitico declarat, et pertinere debere dicit ad sacerdotem (*Levit. vi, 25, 26*).

XXVII. [lb. xviii, 12.] *Primogenita omnia, quæcumque fuerint in terra eorum, quantacumque attulerint Domino, tibi erunt.* Hic primogenita, non fetus primitivos pecorum dicit: nam ipsa græce πρώτοτοχα nominatur, hæc autem πρωτογενήματα. Sed latine duabus his rebus, duo nomina reperta non sunt. Et ideo ista πρωτογενήματα quidam primitias interpretati sunt: sed primitiæ ἀπαρχα dicuntur, et aliud sunt. Hæc igitur tria ita discernuntur, quia πρώτοτοχα sunt primitivi animalium fetus, etiam hominum: πρωτογενήματα vero, primi fructus de terra sumpti, vel de arbore, vel de vite: primitiæ autem de fructibus quidem, sed jam redactis ab agro; sicut de massa, de lacu, de dolio, de cupa, quæ primitus sumebantur.

XXXIII. [lb. xix.] De juvenca rufa, cujus cinerem ad aquam aspersionis, eorumque mundationem qui mortuum tetigerint, proficere Lex mandavit, nec tacere<sup>1</sup> permittitur; evidentissimum enim signum in ea Novi Testamenti præfiguratur; nec satis digne festinantes dicere de tanto sacramento valemus. Primo enim quod ita cœpit de hac re loqui Scriptura, quem non moveat, et intentissimum faciat in altitudine sacramenti? *Et locutus est, inquit, Dominus ad Moysen et Aaron, dicens: Ista distinctio Legis, quæcumque constituit Dominus.* Procul dubio non est distinctio, nisi inter aliqua duo, vel plura: nam distinctionem singularitas non requirit. Nec distinctionem cujuslibet rei commemoravit, sed addidit, *Legis*: nec cujuscumque legis: assiduo quippe in Scriptura dicitur de unaquaque re, de qua legitime præcipitur, hæc est lex illius vel illius rei; non universalis Lex, quæ continet omnia quæ legitime præcipiuntur: hic vero cum dixisset, *Hæc est distinctio Legis*; secutus adjunxit *quæcumque constituit Dominus*, præcipiendo utique, non creando. Nam etiam nonnulli interpretes, *quæcumque præcepit Dominus*, transtulerunt. Si ergo hæc est distinctio Legis, quæcumque præcepit Dominus; procul dubio magna est ista distinctio: et recte intelligitur duo Testamenta distinguere. Eadem quippe sunt in Vetere et Novo: ibi obumbrata, hic revelata; ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solum Sacramenta diversa sunt, verum etiam promissa. Ibi videntur temporalia proponi, quibus spirituale præmium occulte significetur. hic autem manifestissime spiritualia promittuntur, et æterna. Temporalium autem bonorum atque carnalium, et spiritualium atque æternorum, quæ clarior certiorque distinctio est, quam passio Domini nostri Jesu Christi? in cujus morte satis constitit, non istam terrenam transitoriamque felicitatem a Domino Deo pro magno munere sperandam et optandam: quandoquidem in unigenito Filio suo, quem tanta illa perpeti

<sup>1</sup> Sic in Mss. At in excusis, tangere.

voluit, longe aliud a se peti expectarique oportere r. pertissima distinctione declaravit. Hanc igitur passionem Domini nostri Jesu Christi, velut distinctionem duorum Testamentorum, hoc quod de juvene rufa maculatione narratur, satis congrue praefiguratur.

*Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens, Ista distinctio Legis quaecumque constituit Dominus: ac deinde mandare incipit haec adjuvens et dicens, Loquere filiis Israel.* Potest etiam ita distingui, *Et locutus est Dominus ad Moysen et Aaron dicens; Ista distinctio Legis, quaecumque constituit Dominus, dicens:* non quaecumque constituit Dominus creans, sicut caelo et terram et omnia quae in eis sunt; sed quaecumque constituit Dominus dicens, in duobus videlicet Testamentis; ut deinde sequatur, *Loquere filiis Israel, et accipiant ad te<sup>1</sup> juveneam rufam sine vitio.* Juvenca rufa carnem Christi significat. Sexus feminus est, propter infirmitatem carnalem; rufa est, propter ipsam cruciatam passionem. Quod autem ait, *Accipiant ad te*, in ipso Moyse figuram Legis ostendit: quoniam secundum Legem sibi visi sunt occidere Christum, quia solvebat secundum ipsos sabbatum, et sicut putabant, observationes legitimas profanabat. Quod ergo sine vitio dicitur haec juvenca, mirum non est: hanc enim carnem etiam caeterae hostiae figurabant, ubi similiter sine vitio pecora immolari jubentur. Erat quippe illa caro in similitudine carnis peccati (Rom. viii, 3), sed non caro peccati. Verumtamen hic ubi evidentius Legis distinctionem Deus voluit commendare, parum fuit dicere, *sine vitio*, nisi diceretur, *quae non habet in se vitium*: quod si repetendi causa dictum est, fortasse non frustra est, quod eam rem ipsa repetitio firmiter commendavit. Quanquam et illud non abhorret a vero, ut ideo additum intelligatur, *quae non habet in se vitium*, cum jam dictum esset, *juveneam sine vitio*, quia in se non habuit vitium caro Christi, in aliis autem habuit, qui mactata sunt ejus. Quae enim caro in hac vita sine peccato, nisi illa sola quae non habet in se vitium? *Et non est superpositum super eam jugum.* Non enim subjungata est iniquitati, cui subjugatos inveniens liberavit, et eorum vincula dirupit, ut ei dicatur, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (Psal. cxv, 16, 17). Super illius quippe carnem non est positum jugum, qui potestatem habuit ponendi animam suam et iterum sumendi eam (Joan. x, 18).

*Et dabis eam, inquit, ad Eleazarum sacerdotem.* Cur non ad Aaron, nisi forte ita praefiguratum est, non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros hujus sacerdotii passionem Domini perventuram? *Et ejicient eam extra castra*: sic et ejectus est Dominus passurus extra civitatem. Quod autem ait, *in locum mundum*; ita significatum est, quia non habuit causam malam. *Et occident eam in conspectu ejus*: sicut occisa est caro Christi in conspectu eorum qui jam futuri erant in novo Testamento Domini sacerdotes.

<sup>1</sup> *Et accipiet Eleazar sanguinem ejus, et asperget contra faciem tabernaculi testimonii a sanguine ejus septies.*

<sup>1</sup> Editi, a te. At Mss. juxta LXX, ad te.

Haec testificatio est, Christum secundum Scripturas fudisse sanguinem in remissionem peccatorum (Rom. iii, 25; et Ephes. i, 7). Ideo *contra faciem tabernaculi tesimonii*, quia non aliter declaratum est, quam fuerat divino testimonio praeannuntiatum: et ideo *septies*, quia ipse numerus ad mundationem pertinet spiritualem.

*Et cremabunt eam in conspectu ejus.* Puto quia crematio ad signum pertinet resurrectionis. Natura est quippe ignis ut in superna moveatur, et in eum convertitur quod crematur. Nam et ipsum cremare de graeco in latinum ductum verbum est a suspensione (a). Quod vero additum est, *in conspectu ejus*, id est in conspectu sacerdotis, hoc mihi insinuat videretur, quia illis apparuit resurrectio Christi, qui futuri erant regale sacerdotium. Jam quod sequitur, *Et pellis ejus et carnes et sanguis ejus cum stercore ejus comburentur*, id ipsum expositum est quomodo concremabitur: et significatum est quod non solum substantia mortalis corporis Christi, quae commemoratione pellis et carnis et sanguinis intimata est; verum etiam contumelia et abjectio plebis, quam nomine stercorei significatam puto, converteretur in gloriam, quam combustionis flamma significat.

*Et accipiet sacerdos lignum cedrinum et hyssopum et coccinum, et immittet in medium combustionis juveneae.* Lignum cedrinum spes est, quae debet in supernis firmiter habitare: Hyssopus fides, quae cum sit herba humilis, radicibus haeret in petra. Coccinum charitas, quod fervorem spiritus igneo colore testatur. Haec tria debemus mittere in resurrectionem Christi, tanquam in medium combustionis illius, ut cum illo sit abscondita vita nostra, sicut dicit Apostolus: *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (Coloss. iii, 3).

*Et lavabit vestimenta sua sacerdos, et lavabit corpus suum aqua, et postea introibit in castra, et immundus erit sacerdos usque ad vesperam.* Lavatio vestimentorum et corporis quid est, nisi mandato exteriorum et interiorum? hoc sacerdos. Deinde sequitur: *Et qui comburet eam, lavabit vestimenta sua, et lavabit corpus suum aqua, et immundus erit usque ad vesperam.* In eo qui comburit, eos figuratos arbitror, qui Christi carnem sepeliverunt, resurrectioni eam veluti conflagrationi mandantes.

*Et congregabit homo mundus cinerem juveneae, et ponet extra castra in locum mundum.* Quid dicimus cinerem juveneae, reliquias videlicet illius interfectionis et combustionis, nisi famam quae consecuta est passionem resurrectionemque Christi? Quoniam sunt reliquiae homini pacifico (Psal. xxxvi, 37). Nam et cinis erat, quia velut mortuus ab infidelibus contemnebatur; et tamen mundabat, quia et resurrexisse a fidelibus credebatur. Et quia haec fama apud eos maxime claruit, qui in caeteris gentibus erant, et non erant de consortio Judaeorum, ideo dictum esse existimo, *Et congregabit homo mundus cinerem juveneae*: mundus utique ab interfectione Christi, quae Judaeos fecerat reos. *Et reponet in locum mundum*, id est, honorabiliter tractabit: tamen *extra castra*, quia extra

(a) Kremò, suspensio.

celebrationem Judaicæ consuetudinis honor evangelicus claruit. *Et erit synagogæ filiorum Israel in conservationem. Aqua aspersionis, purificatio est.* Postea declarat plenius quemadmodum ex isto cinere sicut aqua aspersionis, unde mundabantur a contactu mortuorum; quod utique significat ab iniquitate hujus moribundæ vel morticinæ vitæ.

Sed mirum est quod sequitur: *Et qui congregat, inquit, cinerem jurencæ, lavabit vestimenta sua; et immundus erit usque ad vesperam.* Quomodo erit ex hoc immundus, qui mundus accesserat; nisi quia et ii qui sibi videntur mundi, in fide Christiana se agnoscunt quia omnes peccaverunt et egent gloria Dei, justificati gratis per sanguinem ipsius (Rom. iii, 23, 24)? Hunc tamen vestimenta sua lavare dixit, non etiam corpus suum; credo, quod illius cineris congregatione et repositione in loco mundo, si hæc spiritualiter intelligantur, jam intrinsecus vult intelligi fuisse mundatum: sicut Cornelius audiens et credens quod predicaverat Petrus, ita mundatus est, ut ante visibilem Baptismum, cum suis qui aderant, acciperet donum Spiritus sancti; verumtamen nec visibile Sacramentum contemni potuit (Act. x, 44-48), ut ablutus etiam extrinsecus lavaret quodammodo vestimenta sua. *Et erit, inquit, filiis Israel, et proselytis qui apponuntur, legitimum æternum.* Quid aliud ostendit, nisi baptismum Christi, quem significabat aqua aspersionis, et Judæis et Gentibus profuturum; id est filiis Israel et proselytis, tanquam naturalibus ramis et inserto pinguedini radicis oleastro (Rom. xi, 16-24)? Quem autem non faciat intentum, quod post abluionem de singulis quibusque dicitur, *Et immundus erit usque ad vesperam?* Neque hic tantum, sed in omnibus, aut pene in omnibus talibus mundationibus hoc dicitur. Ubi nescio utrum aliquid aliud possit intelligi, nisi quod omnis homo post remissionem plenissimam peccatorum permanendo in hac vita contrahit aliquid, unde sit immundus usque ad ejusdem vitæ finem, ubi ei dies iste quodammodo clauditur, quod significat vespera.

Deinde incipit Scriptura dicere, et exsequitur quemadmodum immundi facti homines, aqua illa aspersionis purificentur: *Qui tetigerit, inquit, mortuum, omnis anima hominis immunda erit septem diebus: hic purificabitur die tertio et die septimo, et mundus erit.* Et hic nihil aliud intelligendum video, nisi contactum mortui, esse hominis iniquitatem. Septem vero dierum immunditiam propter animam et corpus dictam puto; animam in ternario, corpus in quaternario. Quod quare ita sit, longum est disputare. Secundum hoc arbitror dictum per prophetam, *In tribus et quatuor impietatibus non adversabor* (Amos i, 3). Adjungit autem, et dicit, *Si autem non purificatus fuerit die tertio et die septimo, non erit mundus. Omnis qui tetigerit mortuum ab omni anima hominis, et mortuus fuerit, et non fuerit purificatus; id est ante mortuus fuerit tacto*

<sup>1</sup> Mss. Michaelinus et Beccensis, nec visibile sacramentum contemni potuit oblatum, quin etiam extrinsecus, etc.

<sup>2</sup> Filii, adversabor. At Mss., adversabor: juxta LXX, apostrophatum. i.

mortuo, quam fuerit purificatus; *tabernaculum Domini polluit: exteretur* <sup>1</sup> *anima illa ex Israel.* Notandum est quod difficillime reperitur in his libris aliquid evidentius de vita animæ post mortem fuisse conscriptum. Illic ergo cum dicit, si fuerit mortuus ante purificationem, manere in illo immunditiam, et exteri animam illam ex Israel, id est a consortio populi Dei; quid aliud vult intelligi, nisi manere animæ pœnam, etiam post mortem, si cum vivit, mundata non fuerit sacramento isto, quo Christi baptismus figuratur? *Quoniam aqua aspersionis, inquit, non est circumaspersa super eum, immundus est; adhuc immunditia ejus in ipso est. Adhuc, scilicet etiam post mortem.* Quod vero supra dixit, *Tabernaculum Domini polluit*, quantum in ipso est utique, dixit: sicut Apostolus, *Spiritum nolite extinguere* (1 Thess. v, 19): eam extinguere ille non possit. Nam si ex hoc tabernaculum immundum factam vellet intelligi, mundari utique juberet.

Postea vero immundos a mortuis factos, hoc est a mortuis operibus, quæ sunt omnes iniquitates, ita mundari jubet: *Et accipient illi immundo, inquit, a cinere illius exstante purificationis, et effundent super illum, id est super eundem cinerem, aquam vivam in vase: et accipiens hyssopum, intingens in aqua vir mundus, et circumaspergens super domum, et super vasa, et super animas, quotquot fuerint illic, et super eum qui tetigerit os humanum, aut vulneratum, aut mortuum, aut monumentum; et asperget mundus super immundum in* <sup>2</sup> *die tertio et in die septimo: et purificabitur die septimo, et lavabit vestimenta sua, et lavabitur aqua, et immundus erit usque ad vesperam.* Alia est aqua aspersionis, et alia utique illa qua lavabit vestimenta sua. *Et lavabitur aqua, quam puto spirituales intelligendam, per significationem, non per proprietatem.* Nam sine dubio visibilis erat, sicut illæ omnes umbræ futurorum. Proinde qui sacramento Baptismi recte abluatur, quod illa aspersionis aqua figurabatur, mundatur et spiritualiter, id est invisibiliter, et in carne et in anima, ut sit mundus et corpore et spiritu. Quod vero hyssopo dixit aquam aspersionis aspergi, qua herba supra diximus fidem significari; quid aliud occurrit, nisi quod scriptum est, *Fide mundans corda eorum* (Act. xv, 9)? Non enim prodest Baptismus, si desit fides. A viro autem mundo dixit hoc fieri, ubi significantur ministri portantes personam Domini sui, qui vere vir mundus est <sup>3</sup>. Nam et de his ministris in consequentibus dicit, *Et qui circumasperget aquam aspersionis, lavabit vestimenta sua; id est, observabit et corpore* <sup>4</sup>. *Et qui tetigerit aquam*

<sup>1</sup> Editi, exterminabitur; excoi to lat. qui cum Mss. habet, exteretur.

<sup>2</sup> Editi et aliquot Mss. post *frisse conscriptum*, subjiciunt proximo, *die tertio et in die septimo: et purificabitur*, etc., detractis videlicet intermediis quinq; et viginti versibus, quos reserimus ope veterum codicum Corbeiensis, Thuanæ, et Cisterciensis, necnon auctoritate Flori seu Bedæ vulgati in Comment. super Esaiam lam ad Hebræos, cap. 9.

<sup>3</sup> In excusis: *Pro latentes personas Domini sui, qui vere mundus est.* At in Mss., *portantes personam Domini sui, qui vere vir mundus est.*

<sup>4</sup> Sic Mss. At editi, et corpus.

*asperationis, immundus erit usque ad vesperam. Et omnes quodcumque tetigerit illud immundus, immundum erit : et anima que tetigerit, immunda erit usque ad vesperam. Jam dixi superius quid mihi significare videatur, usque ad vesperam.*

XXXIV. [Ib. xix, 16.] *Omnia qui tetigerit super, faciem campi vulneratum, aut mortuum, aut os hominis, aut monumentum. Quæri potest quid dictum sit vulneratum, aut mortuum. Si enim alius voluit intelligi vulneratum, aliud mortuum; cavendum est ne putetur immundus esse etiam qui tetigerit vulneratum vivum, quod utique absurdum est. Sed quia possunt et mortui esse vulnerati, ipsos mortuos intelligitur discrevisse, ut et vulneratum mortuum intelligamus, id est, vulnere peremptum aut mortuum sine vulnere.*

XXXV. [Ib. xx, 11.] Quod de petra aquaeducta est, apostolus Paulus quid esset exposuit, ubi ait, *Et omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant enim de spirituali sequenti petra : petra autem erat Christus* (I Cor. x, 4). Significata est ergo de Christo produens gratia spiritualis, qua interior sitis irrigaretur. Sed quod virga petra percussit, crux Christi figuratur. Ligno enim accedente ad petram, gratia manavit : et quod bis percussit, evidentius significat crucem. Duo quippe ligna sunt crux.

XXXVI. [Ib. xx, 13.] Quod de aqua illa que de petra profudit dictum est, *Hæc aqua contradictionis, quia maledixerunt filii Israel ante Dominum, et sanctificatus est in ipsis* : prius maledixerunt, quando locuti sunt contra beneficium Domini, quo educti erant de Ægypto; et postea sanctificatus est in ipsis, cum illo miraculo profluentis aquæ ejus sanctitas declarata est. An forte duo genera hominum demonstravit, et contradicentium gratiæ Christi, et percipientium gratiam Christi; ut illis sit aqua contradictionis, istis sanctificationis? Nam et de ipso Domino in Evangelio legitur, *Et in signum cui contradicetur* (Luc. ii, 34).

XXXVII. [Ib. xx, 17, 19.] Quod inter mandata Moyses ad regem Edom dicit inter cætera, *Neque bibemus aquam de lacu tuo*, intelligendum est gratis, id est, quia non gratis bibemus. quod postea manifestat, dicens, *Si autem de aqua tua bibemus, ego et pecora mea, dabo pretium tibi.*

XXXVIII. [Ib. xx, 17.] *Non declinabimus in dextera que in sinistra* : pluraliter dictum est, in ea que dextera sunt, vel que sinistra sunt.

XXXIX. [Ib. xx, 21.] *Non introibitis in terram quam dedit filiis Israel in possessionem; quoniam exacerbasti me super aquam maledictionis.* Quam dixit superius aquam contradictionis, ipsam dicit hic maledictionis : non enim ait *απειροπλας*, sed *λοιδοπλας*.

XL. [Ib. xxi, 2.] *Et vocit Israel votum Domino, et dixit, Si mihi tradideris populum istum subjectum, id est, si mihi eum tradendo subjeceris, anathemabo illum et civitates ejus.* Illic videndum est, quomodo dicatur anathemabo, quod vovetur, et tamen pro maledicto ponitur, sicut et de isto populo dicitur : unde illud est,

*Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (Galat. i, 9). Hinc vulgo ductum est, ut devotio dicatur : nam devotare se quemquam, nemo fere dicit, nisi maledicens.

XLI. [Ib. xxi, 5.] *Et anathemavit eum et civitatem ejus : et vocatum est nomen loci illius Anathema.* Hinc ductum est ut anathema, detestabile aliquid et abominabile videatur. Ut enim nihil inde victor in usus suos auferret, sed totum in pœnam luendam voveret, hoc erat anathemare, quod vulgo dicitur devotare. Origo autem hujus verbi est in græca lingua ab his rebus, quæ votæ et persolutæ, hoc est, promissæ et redditæ, sursum ponebantur in templis, ἀπὸ τοῦ ἀνω θέου : hoc est, sursum ponere, vel figendo, vel suspendendo.

XLII. [Ib. xxi, 13, 14.] In itinere filiorum Israel, quæ castra pronovebant, atque ponebant, inter cætera scriptum est, *Et inde castra collocaverunt trans Arnon in cremo<sup>1</sup>, quod exstat a limitibus Amorrhæorum. Est enim Arnon limes Moab<sup>2</sup> inter Moab et inter Amorrhæum. Propterea dicitur in libro, Bellum Domini Zoob inflammavit, et torrentes Arnon, et torrentes constituit inhabitare Er.* In quo libro hoc scriptum sit, non commemoravit, neque ullus est in his quos divinæ Scripturæ canonicos appellamus. De talibus occasiones reperiunt, qui libros apocryphos incantorum auribus et curiosorum conantur inserere, ad persuadendas fabulosas impietates. Sed hic dictum est scriptum in libro, non dictum est in cujus prophætæ vel patriarchæ sancto libro. Neque negandum est fuisse jam libros sive Chaldæorum, unde egressus est Abraham; sive Ægyptiorum, ubi didicerat Moyses omnem illorum sapientiam; sive cæjusque gentis alterius, in quorum librorum aliquo potuit hoc esse scriptum : qui tamen non ideo sit assumendus in eas Scripturas quibus divina commendatur auctoritas; sicut nec propheta ille Cretensis, cujus mentionem facit Apostolus (Tit. i, 12); nec Græcorum scriptores vel philosophi vel poætæ, quos idem ipse apostolus magnum sane aliquid et veraciter promptum ad Athenienses loquens, dixisse confirmat : *In illo enim vivimus, et movemur, et sumus* (Act. xvii, 28). Licet enim divinæ auctoritati unde voluerit, quod verum invenerit, testimonium sonare; sed non ideo omnia quæ ibi scripta sunt, accipienda confirmat. Cur autem hoc isto commemoratum sit loco, non evidenter apparet; nisi forte, ut fines illic inter duas gentes constituerentur, bello actum est, quod bellum ejusdem loci homines propter magnitudinem, bellum Domini esse dixerunt, ut scriberetur in aliquo eorum libro, *Bellum Domini Zoob inflammavit* : quod vel arserit eodem bello ista civitas, aut ad pugnandum inflammata sit, hoc est, excitata, vel si quid aliud in obscuritate loci hujus latet.

XLIII. [Ib. xxi, 16.] *Hic est puteus quem dixit Dominus ad Moysen, Congrega populum, et dabo eis aquam*

<sup>1</sup> Codices omnes hic ferebant, in *Herman* : corrupte pro, in *cremo*; uti ex LXX et ex Vulgata liquet.

<sup>2</sup> Editi omittunt hic, *Moab*; atque infra pro *Zoob*, constanter habent, *Moab* : quæ errata emendantur ex Mss. et ex LXX.

<sup>1</sup> Editi, autem. Mss. vero, enim, juxta græcum.

libere. Ita hoc commemoratum est, quasi alicubi superius hoc ad Moysen dixisse Dominus legatur: sed quia nusquam reperitur, hic intelligendum est et illic bibisse populum, qui de siccitate conquirebatur.

XLIV. [lb. xxi, 24, 25.] *Et percussit eum Israel nece gladii: et dominati sunt terrae ejus ab Arnon usque Jabboc, et usque ad filios Ammon: quoniam Jazer terminum filiorum Ammon sunt. Et accepit Israel omnes civitates istas. Et habitavit Israel in omnibus civitatibus Amorrhæorum in Esebon.* Illic certe Israel possedit civitates Amorrhæorum, quas bello superavit; quia non eas anathemavit: nam si eas anathemasset, possidere illi non liceret, nec inde ad usus suos aliquid prædæ usurparet. Notandum est sane quemadmodum justa bella gerebantur. Innoxius enim transitus uegabatur, qui juro humanæ societatis æquissimo patere debebat. Sed jam ut Deus sua promissa compleret, adjuvit hic Israelitas, quibus Amorrhæorum terram dari oportebat. Nam Edom cum similiter eis transitum denegaret, non pugnauerunt cum ipsa gente Israelitæ, id est filii Jacob cum filiis Esau, duorum germanorum atque geminorum, quia terram illam Israelitis non promiserat; sed declinaverunt ab eis.

XLV. [lb. xxi, 27.] *Propterea dicent ænigmatisæ, Venite in Esebon, et cætera.* Qui sint ænigmatisæ ideo non apparet, quia non sunt in consuetudine litteraturæ nostræ, neque in ipsis divinis Scripturis fere alio loco reperitur hoc nomen: sed quia videntur quasi canticum dicere, quo cecinerunt bellum inter Amorrhæos et Moabitas gestum, in quo Seon rex Amorrhæorum Moabitas superavit, non incredibiliter putantur isti ænigmatisæ sic tunc appellati, quos poetas nos appellamus; eo quod poetarum sit consuetudo atque licentia miscere carminibus suis ænigmata fabularum, quibus aliquid significare intelligantur. Non enim aliter essent ænigmata, nisi illic esset tropica locutio, qua discussa perveniretur ad intellectum qui in ænigmate latitaret.

XLVI. [lb. xxii, 4-6.] Quod dicit Scriptura, postquam Israel vicit Amorrhæos, et possedit omnes civitates eorum, misisse legatos Balac regem Moabitarum ad conducendum Balaam, a quo malediceretur Israel, satis ostenditur non omnes Moabitas venisse in conditionem Seon regis Amorrhæorum, quando eos bello superavit: si quidem remansit gens Moabitarum usque ad illud tempus, ubi regnaret Balac rex Moab. Quod vero Moab dixit senioribus Madian, id est, Moabitæ senioribus Madianitarum, *Nunc ablinget synagoga hæc omnes qui in circuitu nostro sunt*; non una gens erat, sed vicini ad vicinos dixerunt quod pariter cavendum esset. Nam Moab filius fuit Lot ex una filiarum (Gen. xix, 37), Madian vero filius Abrahæ de Cethura (Id. xxv, 2). Non itaque una gens erat, sed duæ vicinæ atque contemineæ.

XLVII. [lb. xxii, 7-13.] Quid est quod scriptum est, *Et divinationes in manibus eorum, cum de iis diceretur quos miserat Balac ad conducendum Balaam,*

<sup>1</sup> In editis, *adlinget synagoga hæc omnes*. In Mas., *ablinget synagoga hæc*: quæ est lectio LXX.

ut malediceret Israel? Numquidnam ipsi divinabant? an aliqua ferebant unde faceret Balaam, quo posset divinare, tanquam aliqua quæ in sacrificiis incenderentur, aut quoquo modo impenderentur; et ideo dictæ sunt divinationes, quia per hæc ille poterat divinare? an quid aliud? obscure eniam dictum est. Notandum sane, quod venit Deus ad Balaam et dixit ei, *Quid homines hi peñes te?* etc. Nec dictum est utrum in somnis hoc factum sit, quamvis per noctem factum satis cluceat, cum post hæc dicit Scriptura, *Et exurgens Balaam mane*. Potest enim movere quomodo cum homine pessimo Deus locutus sit, quod etiamsi in somnis factum esse constaret, non ideo nulla questio remaneret, propter ipsam indignitatem. Sic et Dominus Jesus Christus ait de divite illo, qui destruere veteres apothecas et ampliores novas disponebat implere: *Dixit ad illum Deus, Stulte, hæc nocte anima tua auferetur a te; hæc quæ præparasti cujus erunt* (Luc. xii, 20)? Ne qui-quam glorietur quod ei loquitur Deus eo modo, quo talibus loquendum esse novit; quando potest hoc et reprobis fieri: quia et cum per angelum loquitur, ipse loquitur.

XLVIII. [lb. xxii, 12-38.] Quod ait Balaam iterum ad se missis honoratioribus nuntiis, *Si dederis mihi Balac plenam domum suam argento et auro, non potero prævaricare verbum Domini, facere illud pusillum vel magnum in mente mea*, nullum habet omnino peccatum: sed quod sequitur non est sine gravi peccato. Jam enim constans esse debuit semel audito, quod ei dixerat Dominus, *Non ibis cum eis, neque maledices populum: est enim benedictus*; nec eis ullam spon dare, quod posset Dominus, tanquam ipse Balaam muneribus et honoribus flexus, adversus populum suum, quem benedictum esse dixerat, suam mutare sententiam. Sed ibi se victum cupiditate monstravit, ubi loqui sibi Dominum de hac re iterum voluit, de qua ejus jam cognoverat voluntatem. Quid enim opus erat quæ sequuntur adungere: *Et nunc sustinete ibi et vos nocte hæc, et sciam quid adjiciet Dominus loqui ad me?* Proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam devictamque muneribus, permisit eum ire, ut per jumentum quo volebatur ejus avaritiam coerceret: hoc ipso confundens illam dementia, quod prohibitionem Domini per angelum factam transgredi asina non audebat, quam ille cupiditate transgredi conaretur, quamvis eandem cupiditatem timore supprimeret. *Venit enim Deus ad Balaam nocte, et ait illi: Si vocare te venerunt homines, exurgens sequere eos, sed verbum quodcumque locutus fuero ad te, hoc facies. Et exurgens Balaam mane stravit asinam suam, et abiit cum principibus Moab.* Cur post istam permissionem Deum iterum non consuluit, et post illam prohibitionem iterum consulendum putavit, nisi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur? Denique Scriptura sequitur, *Et iratus est animatione Deus, quia ibat ipse; et insurrexit angelus Dei, ut non permitteret eum in via, et cætera quæ sequuntur, donec asina loqueretur.* Nihil hic sane mirabilis videtur, quam quod loquente asina territus non

est, sed insuper ei, velut talibus monstris assuetus, ira perseverante respondit. Postea illi et angelus loquitur, arguens et improbens ejus viam: quo viso tamen exterritus adoravit. Deinde ire permissus est, ut jam per ipsum prophetia clarissima proferretur. Nam omnino permissus non est dicere quod volebat, sed quod virtute Spiritus cogebatur. Et ipse quidem reprobus mansit: nam posterior de illo sancta Scriptura ita locuta est, ut quidam reprehensibiles et reprobi viam ejus secuti dicerentur: *Secuti*, inquit, *viam Balaam filii Beor, qui mercedem iniquitatis dilexit* (II Petr. II, 15.)

XLIX. [Ib. xxii, 22, 32.] De angelo qui locutus est Balaam in via, quo viso asina ejus progredi non ausa est, Scriptura ita loquitur: *Et iratus est animatione Deus, quia ibat ipse; et insurrexit angelus Dei differre eum in via.* Ubi primo notandum est quemadmodum dixerit, *iratus est Deus, et insurrexit angelus Dei*: nec interposuit iratum Deum, nisi se angelum, sed tanquam in angelo iratum Deum significavit; quoniam veritas et justitia Dei irasci angelum fecit. Nam *insurrexit* quod dictum est, utique commotione intelligendum est. Deinde quod ait, *differre eum in via*, quod græce positum est διαβαλεῖν, hoc et in consequentibus dicit ipse angelus, *Et ecce ego exii in dilationem tuam*, ubi græcus habet διαβολήν. Ubi fortassis accusatio congruentius intelligitur, ut hic quod dictum est *differre eum in via*, accusare accipiatur. Unde creditur etiam diabolus appellatus, tanquam accusator latine dicitur sit: non quia nemo possit etiam bene recteque accusare; sed quoniam diabolus amat accusare, utique invidiosæ stimulis agitur, quale illi in Apocypsi testimonium perhibetur (Apoc. xii, 9, 10). Positum est autem hoc verbum et in comœdia, unde latinum esse non dubium est, sub eadem significatione, vel certe vicina, ubi de patre irato dicitur filio:

Orationem sperat invenisse se,  
Qua differat te.

(Terentius in Andr., act. 2, scen. 4.)

Solet autem hic intelligi, differat, velut hac atque illac ferat tempestate verborum, quasi discerpat et dissipet; quod atque ille accusando videbatur esse facturus. Sed etsi *differre eum in via* sic intellexerimus, quia distulit angelus ejus festinationem remorando, ut ei quod opus erat et demonstraret, et diceret, non absurda est hujus verbi etiam sub ista significatione positio.

L. [Ib. xxii, 23-29.] *Et cum vidisset asina angelum Dei resistentem in via, et evaginatum gladium in manu ejus, et declinavit asina de via, et ibat in campum. Campus iste adhuc extra macerias vinearum fuit. Et percussit asinam in virga, ut corrigeret eam in via. Et stetit angelus Dei in sulcis vinearum, maceria hinc, et maceria hinc.* Merito quaeritur, si hinc atque inde maceriae in medio ponebant viam, sicut fieri solet; quomodo ibi stans angelus dicitur stetisse in sulcis vinearum: neque enim in via inter macerias potuerunt sulci esse vinearum. Sed ordo verborum est, ut *corrigeret eam in via, maceria hinc, et maceria hinc*: In hac ergo

via corrigere voluit asinam Balaam, ut inter macerias ambularet. Interpositum est autem, *Et stetit angelus Dei in sulcis vinearum*, in una scilicet vinearum, quæ in medio ponebant viam. *Et cum vidisset asina angelum Dei, compressit se ad parietem*, id est ad maceriam illius utique vineæ, in qua non erat angelus, quoniam ab alia parte erat in sulcis vinearum. *Et compressit pedem Balaam ad parietem, et adjecit adhuc cedere eam.* *Et apposuit angelus Dei, et adjiciens<sup>1</sup> substitit in loco angusto*; jam non in sulcis vinearum, sed inter ipsas macerias, id est in via: in quo non fuit declinare dextram<sup>2</sup> neque sinistram. *Et cum vidisset asina angelum Dei, consedit<sup>3</sup> sub Balaam.* Cæsa enim, retro non ibat; in parietem non se premebat, quoniam non ab altera parte terrebatur, sed in media via in angusto angelus erat: restabat ergo ut subsideret. *Et iratus est Balaam, et percutiebat asinam virga. Et aperuit Deus os asinæ, et ait ad Balaam: Quid feci tibi, quia percussisti me tertio hoc? Et ait Balaam asinæ: Quia illusisti mihi; et si haberem gladium in manu mea, jam transfixissem te.* Nimirum iste tanta cupiditate ferebatur, ut nec tanti monstri miraculo terreteret, et responderet quasi ad hominem loquens, cum Deus utique non asinæ animam in naturam rationalem vertisset, sed quod illi placuerat, ex illa sonare fecisset, ad illius vesaniam exhibendam: illud fortasse præfigurans, quia stulta mundi electurus erat Deus, ut confunderet sapientes (I Cor. I, 27), pro illo spirituali et vero Israel, hoc est promissionis filius.

LI. [Ib. xxiii, 5.] *Et factus est Spiritus Dei super illum*; id est, super Balaam. Non factus est Spiritus Dei, tanquam factura sit Spiritus Dei; sed *factus est super illum*, id est, factum est ut super illum esset: quomodo, *Qui post me venit, ante me factus est*, id est, factum est ut ante me esset, ut præponeretur mihi; quia prior me, inquit, erat (Joan. I, 30): et sicut, *Dominus factus est adjutor meus* (Psal. xxxix, 11); non enim Dominus factura est, sed factum est ut me adjuvaret: et, *Factus est Dominus refugium pauperum* (Psal. ix, 10), id est, factum est ut ad eum refugerent pauperes: et, *Facta est super me manus Domini* (Ezech. I, 3, et III, 22), id est, factum est ut super me esset; et multa talia in Scripturis reperuntur.

LII. [Ib. xxv, 4, 7, 8.] *Et dixit Dominus ad Moysen: Accipe duces populi, et ostenta eos Domino contra solem; et auferetur ira animationis Domini ubi Israel.* Iratus est Deus de fornicationibus Israel, et carnalibus et spiritualibus; nam et filii Moab se impudice miscuerant, et idolis fuerant consecrati: hoc ad Moysen dixit, ut ostentaret Domino duces populi contra solem. In quo verbo intelligitur eos jussos esse crucifigi, ut hoc sit, *Ostenta eos Domino contra solem*, id est palam in conspicuo lucis hujus. Nam græcus ait παράδειγμα, quod dici posset, Exemplum; quia παράδειγμα exemplum dicitur. Nam præter Septuaginta

<sup>1</sup> Apud LXX, καὶ ἀπέλιον, et alienus.

<sup>2</sup> Sic Mss. Juxta LXX. At edili, in qua non fuit declinare in dexteram.

<sup>3</sup> Edili, συνέλιον. Mss. vero, consedit: apud LXX, συνεκλήθησαν.

interpretes, Aquila perhibetur dixisse, *confige*, vel potius *sursum confige*, quod est ἀναστρέφω; Symmachus autem verbo evidentiore, *suspende*. Mirum est sane, quod Scriptura narrare destiterit utrum hoc fuerit ex præcepto Domini impletum: quod contemni potuisse non video, aut si contemptum est, impune contemni. Si autem factum est et tacitum, cur ex eo quod Phinees filius Elkazar transfixit adulteros, placatum fuisse Dominum Scriptura testatur, plaganque cessasse; quasi crucifixis ducibus, sicut præceperat Dominus, adhuc indignatio perseverans alio modo placanda videretur: cum procul dubio falsum esse non posset, quod prænuñtiaverat et promiserat Dominus, dicens, *Accipe duces populi, et ostenta eos Domino contra solem; et avertetur ira animationis Domini ab Israel?* Si ergo factum erat, quis dubitet iram Domini avertam fuisse ab Israel? Quid itaque opus erat ut adhuc Phinees ad placandum Deum sic in adulteros vindicaret, eique testimonium Scriptura perhiberet quod eo modo placaverit Dominum? Nisi forte intelligamus, cum illud de ducibus populi Moyses, quod præceperat Dominus, implere diserneret, eum voluisse etiam secundum Legem talia punire flagitia et sacrilegam audaciam, ut juberet quemque interficere proximum suum diis alienis nefarie consecratum, atque interea etiam illud Phinees faceret, ac sic ira Domini jam placata, non opus fuisse duces populi crucifigi. Hæc sane severitas illi tempori congrua, quantum malum sit fornicationis et idololatriæ, prudentium fidei satis evidenter ostendit.

LIII. [lb. xxvii, 13, 14.] Eam causam mortis Moysi dicit Dominus, quam etiam fratris ejus. Ambobus enim etiam hoc ante prædixerat, quod ideo non intrarent cum populo Dei in terram promissionis, quia non cum sanctificaverunt coram populo ad aquam contradictionis (Num. xx, 12); id est quia dubitaverunt de dono ejus, quod possit aqua de petra profluere, sicut exposuimus in eo ipso Scripturæ loco (Supra, quæst. 49). Hujus autem rei mysterium datur intelligi, quia nec sacerdotium quod prius institutum est, cujus personam gerebat Aaron, nec ipsa Lex cujus personam gerebat Moyses, introducunt populum Dei in terram hæreditatis æternæ; sed Jesus, in quo typus erat Domini Jesu Christi, id est gratia per fidem. Et Aaron quidem ante defunctus est, quam Israel in aliquam partem terræ promissionis intraret; Moysen autem adhuc vivente capta est terra Amorrhæorum atque possessa, sed Jordanem cum eis non est transire permisus. Ex aliqua enim parte Lex observatur in fide christiana. Ibi enim sunt etiam præcepta, quæ hodieque observare Christiani jubemur. Sacerdotium vero illud et sacrificia nullam partem tenent hodie fidei christianæ, nisi quod in umbris futurorum acta atque transacta sunt. Cum vero ambobus fratribus, id est Aaron et Moysi, dicitur ut apponantur ad populum suum, manifestum est non esse in illos iram Dei, quæ separat a pace sancte societatis æternæ. Unde manifestatur, non solum officia, sed etiam mortes eorum signa fuisse futurorum, non supplicia indignationis Dei.

LIV. [lb. xxvii, 18, 19.] *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Accipe ad teipsum Jesum filium Nave, hominem qui habet Spiritum in seipso; et impones manus tuas super eum, et statues eum in conspectu Eleazari sacerdotis, et mandabis ei in conspectu omnis synagoge, etc.* Notandum est, quod cum jam haberet Spiritum in seipso Jesu Nave, sicut Scriptura testatur (ubi quid aliud quam Spiritum sanctum debemus accipere? non enim de spiritu hominis hoc diceret, quem nullus erat qui non habebat), jussus est tamen Moyses ei manus imponere; ne quisquam homo, qualibet præpollens gratia, sacramenta<sup>1</sup> consecrationis audeat recusare.

LV. [lb. xxvii, 20.] Quid est quod cum Deus præciperet Moysi de Jesu Nave, ait inter cætera, *Et dabis de gloria tua super eum?* Nam græca locutione τῆς δόξης habet, quod tantumdem valet ac si diceret *de gloria*, id est ἀπὸ τῆς δόξης. Latini autem nonnulli interpretati sunt, *dabis gloriam tuam*; non, *de gloria tua*. Sed sive illud esset, ut *gloriam tuam* diceret, non ideo eam non habiturus erat Moyses; nec quia dixit, *de gloria*, ideo minutum est quod habebat. Sic enim accipiendum est, ac si diceret, *Facies eum socium gloriæ tuæ*: non autem hujusmodi res, quasi partiliter divisæ, minuuntur; sed totæ sunt omnibus, totæ singulis qui earum habent societatem.

LVI. [lb. xxx, 5.] *Homo, homo quicumque roverit rotum Domino, aut juraverit juramentum, aut definiit definitionem de anima sua, non profanabit verbum suum: omnia quæcumque exierint ex ore ejus faciet.* Non hoc ad omnem jurationem pertinet, sed ad eam uli quisque de anima sua roverit alicujus utique rei abstinentiam, qua ei licebat uti per Legem, sed per votum sibi ipse efficit non licere.

LVII. [lb. xxx, 4-6.] *Si autem mulier roverit votum Domino, aut definiit definitionem in domo patris sui in juventute sua, et audierit pater ejus vota ejus, et definitiones ejus, quas definiit adversus animam suam, et tacuerit pater ejus; et stabunt omnia vota ejus, et omnes definitiones ejus, quas definiit adversus animam suam, manebunt ei. Si autem abnuens abnuerit pater ejus, quæcumque die audierit omnia vota ejus, et definitiones ejus, quas definiit adversus animam suam, non stabunt: et Dominus emundabit eam, quia abnuerit pater ejus.* Quoniam quidem de muliere, quæ adhuc in juventute sua in domo patris est, loquitur, merito hic quæritur etiam de voto virginitatis; mulieres quippe etiam virgines in Scriptura appellari solere notissimum est: et videtur etiam Apostolus de patre loqui, cum dicit, *Servet virginem suam*; et, *Det nuptum virginem suam* (I Cor. vii, 37, 38), et cætera hoc modo: ubi nonnulli intellexerunt, *virginem suam*, virginitatem suam; nulla tamen hoc simili Scripturarum locutione demonstrant, cum sit inusitatissima. Quod autem ait, *adversus animam suam*, non sic accipiendum est, quasi animæ noceat talibus votis; sed *adversus animam* dicitur, adversus animalem delectationem, sicut etiam de jejunio præcipiens superius ait, *Et affligetis animas vestras* (Num. xxxix, 7).

<sup>1</sup> Editi, sacramentum. Mss., sacramenta.



LVIII. [lb. xxx, 6.] Quod autem ait, *Et Dominus emundabit eam, quia abnuvit pater ejus; emundabit dixit, a voti non impleti crimine absolvet: sicut in multis locis dicitur, Et mundabit eum sacerdos; id est mundum habebit, mundum judicabit; sicut est et illud, Mandatione non mundabis reum, id est, Non dicendum eum qui immundus est.*

LIX. [lb. xxx, 7-16.] *Si autem facta fuerit viro, et vota ejus super eam secundum distinctionem lubiorum ejus, quanta definiuit adversus animam suam; et audierit vir ejus, et tacuerit ei quacumque die audierit: et ita stabunt omnia vota ejus, et definitiones ejus, quas definiuit adversus animam suam, stubypt. Si autem abnuens abnuerit vir ejus in quacumque die audierit omnia vota ejus, et definitiones ejus, quas definiuit adversus animam suam, non manebunt: quoniam vir abnuvit ab ea et Dominus mundabit eam.* Feminam sub patre antequam nubat, et sub viro nuptam, noluit Lex ita votum aliquid Deo adversus animam suam, id est in aliquam rerum licitaram atque concessarum abstinentiam, ut in ei. dom votis feminea valeat<sup>1</sup> auctoritas, sed virilis; ita ut si adhuc inuupta jam concesserat pater vota persolvere, si antequam persolverit impserit, et viro ejus hoc cognitum non placuerit, non persolvat, et sit omnino sine peccato, quia *Dominus mundabit eam*, sicut dicit, id est mundam judicabit: neque hoc contra Deum fieri putandum est, cum ipse Deus hoc preceperit, hoc voluerit.

Sequitur autem de viduis, vel a viro abjectis, id est, non sub potestate viri constitutis, aut patris; et eorum vota ad persolvendum libera esse dicit hoc modo: *Et potum, inquit, viduas et expulsas, quæcumque voverit adversus animam suam, manebunt ei.* Deinde dicit de nupta, si in domo viri sui jam constituta aliquid tale voverit. De illa enim prius dixerat, quæ in domo patris voverat, et antequam redderet nupsorat. De hac ergo quæ in domo mariti votit, ita loquitur: *Si autem in domo viri ejus votum ejus, aut definitio, quæ adversus animam ejus cum jurejurando; et audierit vir ejus, et tacuerit ei, et non abnuerit ei; et stabunt omnia vota ejus, et omnes definitiones, quas definiuit adversus animam suam, stabunt adversus eam. Si autem circumanserens circumanserat vir ejus, quacumque die audierit omnia, quæcumque exierint ex labiis ejus, secundum vota ejus et secundum definitiones, quæ adversus animam ejus, non manent ei: vir ejus circumabstulit, et Dominus mundabit eam. Omne votum et omne jusjurandum vinculi affligere animam, vir ejus statuet ei, et vir ejus circumanseret. Si autem tacens tacuerit ei diem ex die, et statuet ei omnia vota ejus, et definitiones, quæ super ipsam, statuet ei; quoniam tacuit ei, die quo audivit. Si autem circumanserens circumanserat vir ejus post diem quem audivit; et accipiet peccatum suum.*

Manifestum est ita voluisse Legem feminam esse sub viro, ut nulla vota ejus, quæ abstinentiæ causa voverit, reddantur ab ea, nisi auctor vir fuerit pernit-

<sup>1</sup> Am. Er. et Lov., non prevalent. Cat., non valeat. Abest non a Hss., e quibus plerique habent, valent.

SANCT. AUGUST. III.

tendo. Nam cum ad peccatum ejusdem viri pertinere voluerit, si prius permissit, et postea prohibuerit; etiam hic tamen non dixit ut faciat mulier quod voverat, quia permissa prius a viro fuerat. Viri dixit esse peccatum, quia abnuvit quod prius concesserat: non tamen mulieri vel ex hoc permissum dedit, ut cum prius ei vir concesserat, postea si prohibuerit, contemnatur.

Utrum autem ista etiam ad vota continentiæ et a concubitu abstinentiæ pertineant, merito quaeritur, ne forte ea tantum intelligenda sint adversus agnam voveri, quæ sunt in cibis et potionibus. Quod videtur et illud significare, ubi Dominus ait, *Nonne anima plus est quam esca* (Matth. vi, 25)? et cum de jejuniis præcipitur, ita præcipitur, *Affligetis animas vestras* (Num. xxix, 7). Nescio autem utrum alicubi legi possit, adversus animam dici votum quod de abstinentia concubitus fuerit: maxime quia cum hic Lex auctoritatem viro tribuat, non mulieri quæ viro subdita est, ut tunc persolvenda sint vota mulieris, si vir approbaverit; si autem renuerit, non debeantur: Apostolus tamen, cum de concubitu conjugatarum loqueretur, non ibi majorem auctoritatem viro quam feminæ dedit; sed, *Uxori, inquit, vir debitum reddat, similiter et uxor viro: uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir; similiter autem et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier* (I Cor. vii, 3, 4). Quando ergo in hac re parum utriusque esse voluit potestatem, puto quod nobis intelligendum insinuet, istam de concumbendo vel non concumbendo regulam non pertinere ad ea vota, ubi non habent parem vir et mulier potestatem, sed viri major est, ac prope ejus solus est. Non cuius ait Lex virum non debere reddere vota sua, si uxor prohibuerit; sed uxorem, si vir prohibuerit. Unde non mihi videtur in hujusmodi votis et definitionibus atque obligationibus, quæ adversus animam sunt, etiam ista debere accipi, quæ inter de vir et uxor de concumbendo, vel de abstinentia concumbendi placita habuerint.

Deinde quia et istæ justificationes dicuntur, et meminimus in illis justificationibus, quæ in Exodo sub hoc nomine aliæ commemorantur, multa præcipi, quæ accipi ad proprietatem non possint, nec in Novo Testamento observentur; sicut de aure servi pertunden- da (Exod. xxi, 6), et si quid ejusmodi est: non absurde etiam hic aliquid figurate dictum intelligitur, ut quoniam sunt multæ abstinentiæ ceremoniarum irrationabiles, et aliquando etiam inimicæ veritati, hoc fortasse hic intelligi voluerit, tunc ratas esse, cum rationabiles fuerint; hoc est, cum eas approbaverit ratio, quæ ad vicem viri debet regere omnem animalem motionem, quæ sit non tantum in appetendo, verum etiam in abstinendo: ut si mente et ratione decernitur, tunc fiat; si autem improbatur consilio rationis, non fiat. Quod si ratio quod prius recte faciendum esse decreverit, post improbet, sit peccatum consilii: etiam sic tamen non nisi rationi motio illa consentiat.

LX. [lb. xxxi, 5, 6.] *Quid est, Et misit eum Moyses. (Vingt-quatre.)*

*mille ex tribu et mille ex tribu cum virtute eorum?* Utrum virtutem eorum vult intelligi, principes eorum? an virtutem a Domino eis datam, vel per ipsum Moysen impetratam? an potius virtutem eorum dicit<sup>1</sup>, ea quibus virtus eorum sustentaretur?

LXI. [Ib. xxxi, 8.] Potest videri quæstio, quomodo quando Israelitæ Madianitas debellaverunt, interfectum dicat Scriptura Balaam, qui fuerat conductus ad maledicendum populum Israel: cum superius quando benedicere coactus est, ita eamdem actionem Scriptura concluderit, cum ait, *Et surgens Balaam abiit reversus in locum suum, et Balac abiit ad semetipsum* (Num. xxiv, 25). Si ergo redierat ad locum suum Balaam, quomodo hic interfectus est, cum de tam longinquo, id est de Mesopotamia venerit? An forte reversus est ad Balac, et hoc Scriptura non dixit? Quamquam etiam possit in locum suum rediisse intelligi, quod ab ipso loco ubi sacrificia faciebat, in eum locum reversus est unde illuc exierat, id est, ubi tantam peregrinum habebat hospitium. Non enim dictum est in domum suam, aut, in patriam suam; sed, *in locum suum*. Habet autem et quisque peregrinus locum suum, ubi ad tempus habitat. De ipso autem Balac qui cum conduxerat, non dictum est, ad locum suum, sed, *ad semetipsum*; id est, ubi dominans habitabat. Posset ergo dici *ad locum suum*, et dominans, et peregrinus: *ad semetipsum* autem, non video quomodo posset dici peregrinus, cum ad hospitium suum venisset.

LXII. [Ib. xxxi, 9.] *Et prædam egerunt mulieres Madian, et suppellectilem eorum, et pecora eorum, et omnia quæ possederant, et virtutem eorum deprædati sunt.* Cum jam dixisset mulieres, suppellectilem, et pecora, et omnia quæ possidebant; quid deinde addit, *et virtutem eorum deprædati sunt*? Nimirum enim hæc intelligenda est virtus, de qua et supra dictum est, misisse millenos de singulis tribubus cum virtute eorum. An forte cibus quo sustentabantur, virtus eorum appellata est, quo subministrato vires suppetunt, et quo subtracto vires deficiunt? Unde per prophetam Deus cum minaretur, ait: *Auferam virtutem panis, et virtutem aquæ* (Isai. iii, 1). Et Moyses ergo cum annona miserat illos millenos, quod dictum est, *cum virtu-*

*te eorum*; et isti Madianitis victis etiam hoc eorum inter cætera fuerant deprædati.

LXIII. [Ib. xxxi, 15, 16.] *Ut quid vivificastis omne femininum? Hæc enim fuerunt filii Israel<sup>1</sup>, secundum verbum Balaam, ut recedere facerent et despiciere verbum Domini propter Phogor.* Hoc consilium malignum, ut eis ad illecebram feminæ supponerentur, per quas non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter in adorando idolo fornicarentur, quando dederit Balaam Scriptura non dixit; et tamen apparet factum esse, cum hic commemoratur. Sic ergo potuit et redire ipse Balaam, qui jam ierat in locum suum, ut non locum ejus<sup>2</sup> intelligamus peregrinationis hospitium; quamvis hoc Scriptura tacuerit.

LXIV. [Ib. xxxv, 11, 12.] Quid est quod ait, *Et erunt civitates vobis refugia a vindicante sanguinem, et non morietur is qui occidit, quoadusque stet in conspectu synagogæ in iudicium*; cum de iis loquatur, qui nolentes occiderint, et alibi dicat, tunc unumquemque in tali causa confugientium exire liberum de civitate quo confugerat, cum sacerdos maximus fuerit defunctus? Quomodo ergo hic dicit, *Et non morietur is qui occidit, quoadusque stet in conspectu synagogæ in iudicium*; nisi quia ideo iudicatur ut tunc ei liceat esso in civitate refugii, si manifestum factum fuerit in iudicio quod nolens occiderit?

LXV. [Ib. xxxv, 19, 22.] Quid est quod ait, *Qui vindicat sanguinem, ipse interficiet homicidam; cum occurrerit ei, iste interficiet eum*? Sic enim sonat male intelligentibus, quasi passim et sine iudicio data fuerit ultori mortis propinqui sui, licentia occidendi ejus interfectorem. Sed hoc intelligi voluit, quia secundum id quod supra dictum est, qui occiderit, confugiat ad unam de civitatibus refugiorum, quoadusque stet in iudicium, ne ante inventus a propinquo occidatur; quia etsi nolens occidit, præter illas civitates inventus occiditur. Cum vero in iudicium steterit in aliqua earum civitatum, et iudicatus fuerit homicida in aliqua earum in quas fugere conceditur, esse ibi non sinitur; tum demum jam iudicatum, ubicumque compertum, propinquo licet occidere. Neque enim opus est eum ad iudicium deduci, cum jam fuerit iudicatus homicida, et propterea de illis civitatibus pulsus sit.

<sup>1</sup> Editi, *virtutem eorum, quia dedit ea quibus virtus*, etc. Substituimus lectionem Mss. nisi quod ex iis nonnulli habent, *quibus victus*.

<sup>1</sup> In editis, *Hoc enim fecerunt filii Israel*. In Mss., *hæc enim* (scilicet, femina) *fuerunt filii Israel*. Apud LXX, *autui qui esan lois huius Israel*.

<sup>2</sup> sic Mss. At editi, *ut modo locum ejus*.

## LIBER QUINTUS.

Quæstiones in Deuteronomium.

QUÆST. I. [DEUT. cap. i, § § 29, 30.] In eo quod commemorat Moyses, dixisse se populo timenti hostes inhabitantes terram, quo introducendus fuit, *Ne paventis, neque timeatis ab eis: Dominus Deus noster, qui præcedit ante faciem vestram, ipse simul debellabit eos vobiscum*: satis ostenditur ita esse adiutorem Deum, ut etiam homines agant aliquid.

II. [Ib. ii, 30.] *Et noluit Seon rex Esebon transire nos per ipsum, quoniam induraverat Dominus Deus noster spiritum ejus, et confortavit cor ejus, ut traderet in manus tuas, sicut in hac die.* Hæc dicens Moyses, dum populum alloquitur, tale aliquid commemorat, quale dicebatur in Exodo, *Ego induravi cor Pharaonis* (Exod. x, 1); et quod in Psalmis legitur, *Convertit cor*

eorum, ut odissent populum ejus (*Psal.* civ, 25). Nec iacetur hic causa indurationis hujus, cum dicitur, ut *traderetur in manus tuas, sicut in hac die* : id est, ut *vinceretur a te*; quod non fieret, nisi resisteret; non autem resisteret, nisi corde obdurato. Cujus rei justitiam si *quæsierimus*, inscrutabilia sunt judicia Dei (*Rom.* xi, 33) : iniquitas autem non est apud Deum (*Id.* ix, 14). Sane notandum est, confortatum cor posse dici etiam in malo.

III. [Ib. iii, 2.] *Verumtamen Og rex Basan reliquus factus est a Raphain*. Hoc nomine, quod est Raphain, gigantes significari in hebræa lingua dicunt qui eam noverunt. Unde quod habent plerique codices *derelictus est a Raphain*, planius utique dicitur, *reliquus factus est*, ut ipse ex illis remansisse intelligatur : cujus etiam consequenter longitudo et latitudo ferrei lecti commemoratur, ad ejus magnitudinem commendandam.

IV. [Ib. iv, 16.] *Ne feceritis iniquitatem, et faciatis vobis ipsis sculptilem similitudinem, omnem imaginem*. Quid intersit inter similitudinem et imaginem quæri solet. Sed hic non video quid interesse voluerit, nisi aut duobus istis vocabulis unam rem significaverit, aut similitudinem dixerit, si, verbi gratia, fiat statua vel simulacrum habens effigiem humanam, non tamen alicujus hominis exprimantur lineamenta, sicut pictores vel statuarii faciunt, intuentes eos quos pingunt seu fingunt. Hanc enim imaginem dici nemo dubitaverit : secundum quam distinctionem omnis imago etiam similitudo est, non omnis similitudo etiam imago est. Unde si gemini inter se similes sint, similitudo dici potest alterius cujuslibet in altero, non imago. Si autem patri filius similis sit, etiam imago recte dicitur; ut si pater prototypus, unde illa imago expressa videatur : quarum aliæ sunt ejusdem substantiæ, sicut filius; aliæ non ejusdem, sicut pictura. Unde illud quod in Genesi scriptum est, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei*; manifestum est ita dictum, ut non ejusdem substantiæ sit imago quæ facta est. Si enim ejusdem esset, non facta, sed genita diceretur. Sed quod non addidit, *Et similitudinem, cum superius dictum esset, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* i, 27, 26); quibusdam visum est similitudinem aliquid amplius esse quam imaginem, quod homini reformando per Christi gratiam postea servaretur. Miror autem si non propterea postea imaginem solam voluit commemorare, quia ubi imago, continuo et similitudo est. Unde et hic Moyses similitudinem et imaginem fieri vetat, secundum eam fortasse rationem quam diximus. In Decalogo autem generaliter dicitur, nullam fieri debere similitudinem (*Exod.* xx, 4), nec imago commemoratur. Cum enim nulla similitudo sit, procul dubio nec imago sit; quoniam si imago, utique et similitudo. Non autem si sit similitudo, continuo sit et imago : tamen si nulla similitudo, sequitur ut nulla imago. Denique ubi prohibuit similitudinem et imaginem, hominis intelligi voluit, ubi et similitudo fieri potest, non hujus aut illius, sed cujuslibet hominis; et imago, id est hujus

proprie, vel illius hominis. Cum vero de pecoribus diceretur atque irrationalibus animantibus, solam similitudinem dixit : quis enim reperiri potest, qui sibi unum constituat canem, vel quid ejusmodi, quem intuens ejus imaginem pingat, aut fingat? quod de hominibus usitatissimum est.

V. [Ib. iv, 18.] Quid est autem quod ait, *Similitudinem omnium piscis, quæcumque sunt in aquis sub terra*. An et aquam, propter tractabilem corpulentiam, terram intelligi voluit, et secundum hoc in eo quod scriptum est, *fecit Deus cælum et terram* (*Gen.* i, 4), et aquas debemus accipere? Assidue quippe Scriptura his duabus partibus commemoratis, universum mundum vult intelligi, secundum illud, *Auxilium meum a Domino, qui fecit cælum et terram* (*Psal.* cxx, 2), et innumerabilia ejusmodi. An ideo dictum est, *sub terra*, quod terra nisi superior aquis esset, habitari utique ab hominibus et animalia terrena habere non posset?

VI. [Ib. iv, 19.] *Et ne suspiciens in cælum, et videns solem et lunam et stellas et omnem ornatum cæli, errans adores ea, et servias illis, quæ distribuit Dominus Deus tuus ea, omnibus gentibus, quæ sunt sub cælo*. Non ita dictum est, tanquam Deus præcepit ea coli a gentibus, a solo autem populo suo non coli : sed aut ita dictum est, quod Deus præscierit gentes culturam exhibituras his cælestibus et tamen hoc præsciens creaverit ea; eum vero populum suum futurum esse præsciverit, qui ista non coleret : aut *distribuit* dictum est, ut intelligatur usus, qui commendatur in Genesi, *Ut sint in signis, et in temporibus, et in diebus, et in annis* (*Gen.* i, 14); quem usum in eis communem habet populus Dei cum omnibus gentibus, non autem cultum quem habent aliæ gentes.

VII. [Ib. iv, 23.] *Ne obliviscamini testamentum Domini Dei vestri, quod disposuit ad vos, et faciatis vobismetipsis sculptilem similitudinem omnium quæcumque constituit tibi Dominus Deus tuus*. Hic certe generaliter loquens similitudinem posuit, imaginem tacuit; quoniam si nulla sit similitudo, profecto nec imago : quia ubi imago, continuo similitudo; quamvis non ubi similitudo, continuo imago.

VIII. [Ib. iv, 32, 33.] Quærendum quomodo dictum sit, *Interrogate dies priores, qui fuerunt priores te, ex die qua creavit Deus hominem super terram, et a summo cæli usque ad summum cæli*. Subauditur enim, interrogate. Videtur autem significare totum orbem terrarum. Sed cur, *a summo cæli usque ad summum cæli* dicat, non, *a summo terre usque ad summum terre*, non est facile dignoscere. Talis enim quædam locutio est et in Evangelio cum dicit Dominus, quod congregabuntur electi ejus *a summis cælorum usque ad terminos eorum* (*Matth.* xxiv, 31). Nisi forte hic nec in hominibus nec in Angelis auditum esse vult intelligi, quod in hoc populo factum singulariter commendat : hoc enim sequitur, *Si factum est secundum verbum magnum hoc, si auditum est tale quid : si audivit genus vocem Dei viventis loquentis e medio ignis, quemadmodum audisti tu, et vixisti*. Quod si ita est, ut nec in

editi, et vidisti. At *visi*, et *trixisti*. Sic etiam LXX et vulgata

hominibus nec in Angelis hoc dicat auditum; quid est ergo illud in Evangelio, *A summis cælorum usque ad terminos eorum*, cum sine dubio Dominus hoc ait, cum de novissima electorum suorum congregatione loqueretur?

IX. [Ib. v, 2-4.] Quid est quod ait, *Dominus Deus vester disposuit ad vos testamentum in Horeb: non patribus vestris disposuit Dominus testamentum hoc, sed ad vos, vos hic omnes viventes hodie; facie ad faciem locutus est Dominus ad vos in monte e medio ignis*? An quia illi qui non ingrediuntur in terram promissionis (mortui sunt enim omnes) non pertinent ad hoc testamentum, quorum tunc recognitio facta est, cum a viginti annis ætatis et supra numerarentur usque ad quinquaginta annos habiles ad bellum? Quomodo ergo illis locutus est Dominus, qui hodie vivunt? An quia ex viginti annis et infra potuerunt multi tunc esse, qui hæc bene meminissent, alieni ab illa pœna, quam Deus constituit illis qui tunc numerati sunt, non intrare in terram promissionis; et hos utique appellat, qui quamvis viginti annorum et supra non essent, quando Deus in monte loquebatur, ut numerari tunc possent, potuerunt tamen esse decem et novem et infra usque ad puerilem ætatem, quæ posset illa quæ facta et dicta sunt et videre, et audire, et memoria retinere?

Sed quid est quod ait, *Facie ad faciem* <sup>2</sup> *locutus est Dominus ad vos*; quos paulo ante maxime admonere curavit, quod nullam similitudinem viderint, sed solam vocem de medio ignis audierint? An propter rerum evidentiam, et quodammodo præsentiam manifestatæ divinitatis, de qua dubitare nemo posset, his verbis usus est? Quod si ita est, quid prohibet de ipso Moyse hoc intelligi, in eo quod de illo dictum est, quod facie ad faciem locutus sit cum eo Dominus (*Exod. xxxiii, 11*), ut nec ipse aliquid oculis viderit præter ignem? An aliquid amplius vidisse intelligitur, quia scriptum est eum intrasse in nebulam vel nimbum ubi erat Deus (*Id. xxiv, 18*)? Sed etsi aliquid amplius vidit, quam illi; non eum tamen mortalibus oculis vidisse Dei substantiam ex illis ejus verbis intelligi potest, quibus ait Deo: *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi te ipsum, ut scienter videam te* (*Id. xxxiii, 15*). Neque enim arbitrandum est hunc populum, cui Moyses loquebatur, sic tunc vidisse Deum facie ad faciem, quando in monte loquebatur e medio ignis, quemadmodum Apostolus dicit in fine nos esse visuros, ubi ait: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Quid autem hoc, et quantum esset, consequenter aperuit, dicens: *Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (*I Cor. xiii, 12*). Quod etiam ipsum caute accipiendum est, ne tantam putetur habiturus homo cognitionem Dei, quantam nunc habet hominis Deus; sed pro suo modo ita perfectam, ut ei nihil adhuc expectetur addendum: ut quam perfecte nunc Deus novit hominem, sed tamen sicut Deus hominem, ita tunc per-

fecte noverit homo Deum, sed tamen sicut homo Deum. Neque enim quia dictum est, *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est* (*Matth. v, 48*), ideo æqualitatem Patris, quam Verbum habet unigenitum, sperare debemus: quamvis non defuerint qui et hoc futurum putaverint, nisi forte quid dicant parum intelligimus (a).

X. [Ib. v, 5, 6, 24.] Quid est quod ait, *Et ego stabam inter Dominum et vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini*; tanquam in loco esset Dominus, hoc est in monte unde illi voces audiebant? Quod sic accipiendum est, ut non ex hoc suspicemur Dei substantiam in ullo aliquo esse corporali loco, qui est ubique totus, nec per locorum intervalla propinquat aut recedit: sed demonstrationes ejus in ea creatura, quæ non est quod ipse, non aliter humanis sensibus exhibentur. Unde Dominus volens auferre ab hujusmodi suspicionibus mentem nostram, quibus putatur Deus loco aliquo contineri: *Veniet, inquit, hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus; quia salus ex Judæis est. Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan. iv, 21-24*). Medium ergo se dixit Moyses non inter Dei substantiam et populum intervallo aliquo loci; sed quia per eum placuit populo audire cætera Dei verba, posteaquam vehementer est territus, audita de medio ignis voce Dei dicentis Decalogum legis.

Sed merito quæritur quomodo accipiantur hæc verba Deuteronomii, dicente Moyse, *Et ego stabam inter Dominum et vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini; quoniam timuistis a facie ignis, et non ascendistis in montem, dicens, Ego sum Dominus Deus tuus*, et cætera: quæ jam verba Dei sunt, quæ Decalogus continet. Quid ergo vult quod addidit, *dicens*? Si enim putaverimus hyperbaton, ut ordo verborum sit, *Et ego stabam inter Dominum et vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini, dicens, Ego sum Dominus Deus tuus*: non erit verum. Non enim hæc verba per Moysen populus, sed de medio ignis audivit: quod cum sustinere non posset audito Decalogo, postulavit ut per Moysen cætera audiret. Restat ergo ut quod positum est, *dicens*, pro eo positum intelligamus, ac si esset, *Cum diceret; ut iste sit sensus, Et ego stabam inter Dominum et vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini; quoniam timuistis a facie ignis, et non ascendistis in montem, cum diceret, Ego sum Dominus Deus tuus*: ut subaudiatur, cum diceret utique Dominus. Cum enim hæc verba diceret Dominus, quæ consequenter ex Decalogo cuncta commemorat, tunc timuit populus a facie ignis, et non ascendit in montem, et rogavit ut per Moysen potius verba Domini audiret (*Exod. xx, 18, 19*).

<sup>2</sup> Mss. Flares, *faciem ad faciem*: uti græc., *prosôpon kata prosôpon*.

(a) Confer Fajst. 92, n. 5, et 147, n. 50.

Quæ verba Moyses commemorat in Deuteronomio dicta sibi a populo, cum audire jam nolent vocem Dei, sed per eum peterent sibi dici quæ dicebat Deus; id est, *Ecce ostendit Dominus Deus noster nobis gloriam suam, et vocem ejus audivimus e medio ignis*, et cætera: non eadem prorsus leguntur in Exodo, ubi primum narrata sunt, quæ modo repetuntur. Unde intelligamus, quod aliquoties jam commemoravi, non esse in mendacio deputandam, si aliis quibuslibet verbis eadem voluntas manifestatur, propter Evangelistarum etiam verba, quæ ab imperitiis et calumniosis tanquam repugnantia reprehenduntur. Neque enim magnum erat Moysi attendere quæ in Exodo scripserat, et eisdem omnino verbis illa repetere, nisi pertineret ad sanctos doctores nostros hoc ipsum insinuare discipulis, ut nihil aliud in verbis loquentium quærant, nisi voluntatem propter quam enuntiandam verba instituta sunt.

XI. [Ib. v, 29.] Quid est quod ait Moyses dictum sibi esse a Domino de populo Hebræo, *Quis dabit esse sic cor eorum in eis, ut timeant me, et custodiant mandata mea?* An hic jam vult intelligi, gratia sua concedi hoc beneficium, ut sit in hominibus justitia Dei ex fide, non quasi propria, velut ex Lege? Hoc enim et per prophetam significat, dicens, *Auferam eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum* (Ezech. xi, 19, et xxxvi, 26): quod propter sensum dictum est, quem caro habet, et lapis non habet, verbo utique translatò. Hoc ipsum et alibi dicit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum novum; non secundum testamentum quod disposui ad patres eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Egypti. Quoniam hoc est testamentum quod disposui ad eos, post dies illos: dans leges meas in cor eorum, et in mente eorum superscribam eas, et iniquitatum eorum et peccatorum eorum non memor ero amplius* (Jerem. xxxi, 31-34). Hoc enim discernit Novum Testamentum a Veteri, quod in Veteri data est Lex in tabulis lapideis, in Novo autem in cordibus, quod fit per gratiam. Unde et Apostolus dicit, *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*: et alio loco, *Idoneos nos, inquit, fecit ministros Novi Testamenti, non litteræ, sed spiritus* (II Cor. iii, 5, 6).

XII. [Ib. vi, 13.] Quod ait de Domino, *Et in nomine ejus jurabis*, non ita præceptum accipiendum est, quasi jurari jusserit; sed in alterius alicujus Dei nomine jurari prohibuit. Melius autem fit si secundum Evangelium nec juraveris (Matth. v, 34); non quia mala est vera jratio, sed ne in perjurium incidatur facilitate jurandi. Qui enim jurat, non solum verum, sed etiam falsum jurare potest: qui autem omnino non jurat, a perjurio longe ambulat.

XIII. [Ib. viii, 2.] *Et recordaberis omnem viam quam duxit te Dominus Deus tuus in deserto, ut affi-*

<sup>1</sup> sic optime notæ Mss. juxta Apostolum in græco, *ou grunnatos, ullâ pncumatos*. At editi, *non littera, sed spiritus*.  
<sup>2</sup> Editi, *viam per quam*. Abest, *per*, a Mss. et a græco LXX.

*geret te, et tentaret te, et cognita faceret quæ in corde tuo sunt, si observabis mandata ejus, an non*. Hic apertius dictum est, quod alibi genere locutionis obscurum est, ubi legitur, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (Deut. xiii, 3). Intelligitur enim positum esse, *ut sciat*, pro eo quod est, *ut sciri faciat*; quod modo dilucide dictum est, *Ut tentaret te, et cognita faceret quæ in corde tuo sunt*: non enim ait, et cognosceret; quod quidem si dixisset, intelligendum erat, cognita faceret.

XIV. [Ib. ix, 6-8.] *Et scias hodie quia non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dat tibi terram bonam istam hæreditare; quoniam populus dura cervice es*. Certe isti sunt qui propterea non meruerunt perire in deserto, quia nescierunt dexteram aut sinistram<sup>1</sup>: ecce jam dura cervice appellantur. Unde videndum est illud in sacramento esse dictum, non quod istorum merita commendata sint. Nam ne quis existimet subito istos vituperabiles factos, qui merito fuissent ante laudati, paulo post eis dicitur: *Memor esto, ne obliviscaris, quanta exacerbasti Dominum Deum tuum in deserto; ex qua die existis<sup>2</sup> de terra Egypti, donec venistis in locum hunc, increduli perseverastis quæ ad Dominum*. Quod si quidam eorum tales erant, quidam vero fideles et boni, etiam sic non utique illis datur terra promissionis, qui nesciunt dexteram aut sinistram, ut hoc sic intelligamus quasi non offenderint Deum. Nam et patres eorum, qui mortui sunt, nec in eandem terram intrare permissi sunt, tales inveniuntur fuisse, ut in eis essent quidam etiam boni. Propter quod Apostolus, non omnes, sed quosdam eorum dicit offendisse, in quibus, eorum peccata commemorat (I Cor. x, 5-10). Similes quippe istos parentibus suis, ita evidentiùs docet et ista Scriptura Deuteronomii, quod consequenter adjungit, et dicit: *Et in Horeb exacerbastis Dominum*. Ubi certe illi exacerbaverunt, qui propter eadem mala merita sua non sunt in terram promissionis inducti.

XV. [Ib. x, 1-4.] *In illo tempore dixit Dominus ad me, Excide tibi duas tabulas lapideas quemadmodum priores, et ascende ad me in montem; et facies tibi arcam ligneam: et scribam in tabulis verba quæ erant in tabulis prioribus, quas contrivisti; et immittes eas in arcam. Et feci arcam ex lignis imputribilibus, et excidi duas tabulas lapideas sicut priores, et ascendi in montem, et duæ tabulæ in duabus manibus meis. Et scripsit in tabulis secundum scripturam priorem decem verba, quæ locutus est Dominus ad vos in monte e medio ignis: et dedit eas Dominus mihi*. Non immerito queritur quomodo hæc in Deuteronomio dicantur, Moysæ recolente ac repetente quæ gesta sunt; cum in Exodo, ubi primum hæc dicta et facta narrantur, ita sit scriptum, *Et dixit Dominus ad Moysen, Scribe tibi verba hæc; et enim in verbis his posui Testamentum tibi et Israel*. Et

<sup>1</sup> Mss. hic et inferius, *dextra et sinistra*: id est bonum et malum, ut legitur Num. cap. 14, v. 23; et Deut. cap. 1, v. 39.

<sup>2</sup> Sic Mss. juxta LXX. At editi excepto Rat. prosequuntur in singulari, *existi, veni li, incredulus perseverasti*: paulo que post, *exacerbasti*.

erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus et quadraginta noctibus; panem non manducavit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba Testamenti, decem verba. Cum ergo in Exodo ipse Moyses in tabulis decem Legis verba scripsisse narretur, quomodo hic in Deuteronomio Deus in tabulis eadem verba scripsisse recolitur?

Denique illud quod in Exodo, cum transeunter tractaremus, et quid nobis in ea differentia visum fuerit litteris mandaremus, cur priores tabulæ, quæ contrite sunt, digito Dei scriptæ referantur; secundas autem tamdiu in arca tabernaculoque mansuras, ipse Moyses scripsisse dicatur: ita per hanc differentiam duo Testamenta significata esse diximus, ut in Veteri Testamento Lex commendaretur tanquam opus Dei, ubi homo nihil fecerit, eo quod Lex timore non posset impleri: quoniam cum vere sit opus legis, charitate æt, non timore; quæ charitas gratia est Testamenti Novi. Ideo in secundis tabulis homo legitur scripsisse verba Dei, quia homo potest facere opus Legis per charitatem iustitiæ, quod non potest per timorem pænæ (*Lib. Questionum in Exod., quæst. 166*).

Nunc ergo cum legitur in Deuteronomio de secundis tabulis ita dictum, *Et excidi duas tabulas lapideas sicut priores, et ascendi in montem, et duæ tabulæ in duabus manibus meis. Et scripsit in tabulis secundum scripturam priorem decem verba*: non enim ait, *Et scripsi*; sed, *scripsit*, hoc est, Deus; sicut paulo ante dixerat verba Dei sibi dicta, *Excide tibi duas tabulas lapideas quemadmodum priores, et ascende ad me in montem; et facies tibi arcam ligneam: et scribam in tabulis verba quæ erant in tabulis prioribus*: discutienda nascitur quæstio, quod utrasque tabulas, id est et priores et secundas, Deus hic legitur scripsisse, non homo. Sed si in ipso quoque Exodo verba Dei legantur, ubi jubet easdem tabulas secundas excidi a Moysse, nihil aliud invenitur, quam ipsum Deum se ea dem promississe scripturum. Nam ita scriptum est: *Et dixit Dominus ad Moysen, Excide tibi duas tabulas lapideas sicut et priores, et ascende ad me in montem: et scribam in tabulis verba quæ erant in tabulis prioribus, quas tu contrivisti*. Excepto itaque libro Deuteronomii, quæstionem istam etiam solus liber Exodi continet, quomodo dixerit Deus, *Et scribam in tabulis verba quæ erant in tabulis prioribus*; cum paulo post legatur, *Scribe tibi verba hæc; etenim in verbis his posui Testamentum tibi et Israel. Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus et quadraginta noctibus; panem non manducavit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba Testamenti, decem verba*. Si enim superius quod dictum est, *Scribe tibi verba hæc; etenim in verbis his posui Testamentum tibi et Israel*, ad superiora pertinet, quæ Deus ita præcipiebat, ut non in duabus lapideis tabulis scriberentur, sed in illo libro Legis, ubi multa conscripta sunt; certe illud quod sequitur, *Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus et quadraginta noctibus; panem non manducavit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba Testamenti, decem verba* (*Exod. xxxiv, 1, 27,*

28), satis manifestat eundem Moysen in tabulis hæc decem verba scripsisse, non Deum. Nisi forte violenter quidem, sed certa necessitate compellimur, ubi dictum est, *Et scripsit in tabulis verba Testamenti, decem verba*, non Moysen subaudire, sed Dominum; supra enim positum est, *Et erat ibi Moyses in conspectu Domini*: ut a Domino, in cujus conspectu erat Moyses, quadraginta diebus et quadraginta noctibus panem non manducans, et aquam non bibens, scripta intelligantur hæc decem verba in tabulis, sicut ante promiserat.

Quod si ita est, non quidem illa differentia duorum Testamentorum, quæ nobis visa est, in his verbis commendari potest, quando et priores et secundas tabulas scripsit, non homo, sed Deus: verumtamen illa certe distantia non habet dubitationem, quod priores tabulas et Deus fecit, et Deus scripsit. Non enim tunc dictum est ad Moysen, *Excide tibi duas tabulas*: sed ita potius legitur, *Et conversus Moyses descendit de monte, et duæ tabulæ testimonii in manibus ejus: tabulæ lapideæ scriptæ ex utraque parte, hinc atque hinc erant scriptæ; et tabulæ opus Dei erant, et scriptura scriptura Dei est sculpta in tabulis* (*Id. xxxii, 15, 16*). Jam enim superius dixerat easdem tabulas scriptas digito Dei, sic loquens: *Et dedit Moysi, statim ut cessavit loqui ad eum, in monte Sina duas tabulas testimonii, tabulas lapideas scriptas digito Dei* (*Id. xxxi, 18*). Ibi ergo et tabulæ opus Dei erant, et scriptura earum digito Dei facta. Secundas autem tabulas ipse Moyses jubetur excidere; ut ipsæ certe opere humano intelligantur excisæ, quamvis eas Deus ipse scripserit, sicut promisit cum juberet excidi. Porro autem si diligentius attendamus, ideo utrumque dictum esse in secundis tabulis, quia et Deus facit per gratiam suam opus Legis in homine, et homo per fidem suam suscipiens gratiam Dei, pertinens ad Testamentum Novum, cooperatur et adjuvantis Dei (ideo autem in primis solum opus Dei commemoratur, quia Lex spiritualis est, et Lex sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum [*Rom. vii, 12*]: ideo vero nullum opus hominis ibi commemoratur, quia infideles non contemperantur adjutorio gratiæ, sed ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere justitiæ Dei non sunt subjecti [*Id. x, 3*]; unde illis Lex ad condemnationem valet, quod significat contritio tabularum); profecto non cogimur violento intellectu subaudire quod Deus scripserit, ubi Scriptura dicit, *Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus et quadraginta noctibus; panem non manducavit et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba Testamenti*: ubi valde sonat scripsisse Moysen. Sed ideo superius Deus se promisit scripturum, et in Deuteronomio non solum ita promississe, verum etiam ipse scripsisse narratur, ut significetur quod ait Apostolus, *Deus enim est qui operatur in vobis et velle, et operari, pro bona voluntate*: hoc est, in eis qui ex fide gratiam suscipiunt, et non suam justitiam volunt statuere, sed justitiæ Dei subjecti sunt, ut ipsi sint in Christo justitia Dei. Nam et illic Apostolus utrumque dicit, et Deum

operari, et ipsos. Nam si ipsi non operabantur, quomodo eis dicebat, *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini* (Philipp. II, 13, 12)? Operatur ergo ille, cooperamur nos: non enim aufert, sed adjuvat bonæ voluntatis arbitrium.

XVI. [Ib. x, 8, 9.] *In illo tempore distinguit Dominus tribum Levi, portare arcam testamenti Domini, assistere coram Domino, ministrare, et orare in nomine ejus usque in hunc diem. Propter hoc non est Levitis pars et sors cum fratribus suis; Dominus ipse pars ejus est, sicut dixit ei. Nisi per hanc tribum significaretur universum regale sacerdotium, quod ad Novum pertinet Testamentum, nullo modo ausus esset dicere homo, qui ex eadem tribu non erat, Pars mea Dominus* (Psal. LXXII, 26); et in alio psalmo, *Dominus pars hæreditatis meæ* (Psal. xv, 5).

XVII. [Ib. XI, 20.] Quid est quod præcepit Moyses commendans verba Domini, et ait, *Scribetis ea super limina domorum vestrarum et januarum vestrarum: cum hoc secundum proprietatem nemo fecisse Israelitarum commemoretur, vel legatur; quia nec quisquam potest, nisi forte dividat ea per multas partes domus suæ? An hyperbolica commendatio est, sicut multa dicuntur?*

XVIII. [Ib. XII, 11.] Quærendum quomodo jubeat decimationes omnium fructuum et primitiva pecorum non manducari, nisi in civitate ubi templum erit, cum eas Levitis dari in Lege præceperit.

XIX. [Ib. XIII, 1 et 3.] *Si autem surrexit in te propheta, seu somniator somnians, et dederit tibi signum vel prodigium, et venerit signum sive prodigium quod locutus est ad te, dicens, Eamus, et serviamus diis aliis, quos nescitis: non audietis verba prophetæ illius, vel somniantis somnium illud; quoniam tentat Dominus Deus vester vos, scire an diligatis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, et ex tota anima vestra. Hoc quidam interpretes latini non ita posuerunt, scire an diligatis; sed, ut sciat an diligatis. Quamvis eadem sententia videatur: verumtamen illud quod dictum est, scire, facilius ad illos refertur; ut sic accipiamus, tentat vos scire, ac si diceretur, tentando vos facit scire. Ubi sane intelligi voluit, etiam illa quæ a divinantibus non secundum Deum dicuntur, si acciderint quæ dicuntur, non accipienda sic, ut fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis. Nec præter suam potestatem Deus ostendit esse quod ista contingunt: sed quasi quæreretur cur ea permitat, causam tentationis exposuit, ad cognoscendam eorum dilectionem, utrum eam habeant erga Deum suum; cognoscendam vero ab ipsis potius, quam ab illo qui scit omnia antequam fiant.*

XX. [Ib. XIV, 28, 29, et XV, 1.] *Post tres annos produces omnem decimam fructuum tuorum, in illo anno pones illud in civitatibus tuis, et veniet Levita, quia non est ei pars neque sors tecum; et advena et pupillus et vidua, quæ in civitatibus tuis; et manducabunt, et saturabuntur; ut benedicat te Dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis quæcumque feceris. Ex ista decima non dixit ut ipse manducet cum suis: ac per hoc Levitis et*

advenis et pupillis et viduis cum jussit impendi. Sed obscure positum est, quia non est distincta ista decima ab illa quam voluit cum Levitis in eo loco manducari, quem Dominus elegisset templo<sup>1</sup> suo. Sed in ea interpretatione, quæ est ex hebræo, apertius hoc distinctum reperimus. Ait enim: *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore, et repones intra januas tuas; venietque Levite, qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus et pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent, et saturabuntur; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris. Primo hoc ipsum planius est quod ait, Anno tertio; intelligitur enim uno anno interposito: in Septuaginta autem, quoniam Post tres annos dixit, incertum est utrum eos medios esse voluerit, ut quinto quoque anno fieret. Deinde cum ait, Et separabis aliam decimam, satis ostendit extra esse illam quam voluit eum ipsum qui offert, manducare cum suis et Levitis in eo loco quem Dominus elegisset. Et hanc enim aliam<sup>2</sup> decimam intra januas suas eum ponere præcepit, non ad eum locum deferre, ubi Dominus se voluit invocari. Et veniet, inquit, Levites, qui non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus et pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent. Hinc certe manifeste verum est, non istam decimam Deum fieri voluisse communem ei qui offert, et his quibus impendenda est; sed illis solis erogari eam jussit, qui aliud non habent, in quibus præcipue Levitem posuit. Post septem annos facies remissionem. Hic certe manifestatur, quomodo et superius dixerit, Post tres annos. Non enim et hos septem annos medios esse voluit: unoquoque anno eam fieri præcepit, tanquam sabbatismum annorum.*

XXI. [Ib. XV, 9.] *Attende tibi ipsi, ne fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas, dicens, Appropriat annus septimus, annus remissionis; et malignetur oculus tuus in fratrem tuum egenum, et non tribuas ei: et exclamabit adversum te ad Dominum, et erit in te peccatum magnum. Magnifice occultum verbum hoc dixit; quoniam nemo audet hoc dicere qui potuerit cogitare, ideo non esse mutuum dandum indigenti, quoniam appropinquat annus remissionis, cum Deus propter misericordiam utrumque præceperit, et commodari cum quisque indiget, et remitti anno remissionis. Quomodo ergo misericorditer remissurus est illo anno quo remittendum est, si crudeliter cogitat illo tempore dandum non esse quo dandum est?*

XXII. [Ib. XV, 12.] *Si autem venundatus fuerit tibi frater tuus Hebræus aut Hebræa, serviet tibi sex annis, et septimo dimittes eum liberum a te. Hos emptos non anno remissionis remitti voluit, quem septimum quemque observari oportebat ab omnibus; sed anno septimo emptionis ejus, quotocumque anno illorum septimus iste annus occurreret.*

XXIII. [Ib. XV, 19.] *Unne primogenitum quod natum*

<sup>1</sup> Filii et duo Mss., tempore. Cæteri Mss., templo.

<sup>2</sup> Ann. Er. et Lov., et aliam. Abest conjunctio a Mss. et ab editione Ratisponensi.

fuert in bobus tuis, et in ovis tuis, masculina<sup>1</sup> sanctificabis Domino Deo tuo. Querendum utrum quæ græce dicuntur πρωτότοκος, nec latine dici nisi primogenita potuerunt, in his tantum intelligenda sint, quæ nascuntur ex matribus: ipsa enim proprie pariuntur potius quam gignantur. Parere quippe est τέκεν, quod est ex fomina, unde πρωτότοκος dicitur: gignere autem est γενεῖν, unde proprie latine primogenitus dicitur. Ex feminis autem dabantur primitiva, id est quæ prima pariebantur, non quæ prima gignebantur a viris, si forte ex viduis quæ jam pepererant gignerentur. Non enim aliter essent quæ aperirent vulvam, quod proprium voluit esse Lex eorum quæ primo nata Domino debebantur. Si ergo est in his verbis certa distinctio, non frustra Dominus non dicitur a Patre πρωτότοκος, sed μογενης, id est unigenitus, quod est unicus: a mortuis autem primogenitus quidem latine dicitur, quia non potuit latinum verbum ita componi secundum loquendi consuetudinem; græce autem πρωτότοκος dicitur, non πρωτογενής: tanquam Pater genuerit æqualem sibi, creatura vero pepererit. Nam et quod dicitur primogenitus omnis creaturæ (Coloss. 1. 18, 15), quod ibi πρωτότοκος græce legitur, potest ita intelligi secundum novam creaturam, de qua dicit Apostolus, Si qua igitur in Christo nova creatura (II Cor. v, 17): ex qua ille primitivus est, quia primitus ita resurrexit, ut jam non moriatur, nec ei mors ultra dominetur (Rom. vi, 9); quod novæ creaturæ, quæ in illo est, futurum promittitur in fine. Sed ista distinctio non temere affirmanda, sed in Scripturis diligentius perscrutanda est. Movet enim quemadmodum dici potuit in Proverbiis, Primogenite, tibi dico, fili (Apuđ LXX, Prov. xxiv, v. 33); id est, ex cujus persona dictum intelligatur. Si enim ex Dei Patris persona ad Christum dicitur (cui sententiæ utrum sequentia consonat vix est asserere), eundem dicit primogenitum quem unigenitum: primogenitum, quia etiam nos filii Dei sumus; unigenitum vero, quoniam solus ille de substantia Patris et Patri æqualis atque coæternus est. Mirum est autem utrum inter parere et gignere evidentissimis documentis sacra Scriptura distinguat.

XXIV. [Ib. xvi, 2.] *Et immolabis Pascha Domino Deo tuo, oves et boves.* Quid sibi vult hoc, quod addidit, boves; cum immolationem Paschæ de ovo tantummodo commendaverit, quam iussit accipi ex ovis et hædis vel ex capris? quod mystice accipitur propter Christum, cujus ex justis et peccatoribus est origo carnalis. Non enim ait, Ex ovis aut capris, licet proprie non possit intelligi ovis ex capris: sed ne forte Judæi dicerent subaudiendum caprum si dictum esset, Aut ex capris; dictum est, ex ovis et capris (Exod. xii, 5). Quid ergo hic sibi volunt boves? An propter alia sacrificia quæ ipsis diebus azymorum sunt immolanda?

XXV. [Ib. xvi, 9-11.] Querendum quomodo præceperit observari quod ait: *Septem septimanas integras dinumerabis tibi ipsi, inchoare te falcem injicere in mes-*

<sup>1</sup> editi, masculinum. At Mss. cum græco, masculina.

sem: incipies numerare septem septimanas, et facies diem festum septimanarum Domino Deo tuo, prout relet manus tua, quacumque Dominus tibi dederit, secundum quod benedixit te Dominus Deus tuus; et epulaberis ante Dominum Deum tuum. Si enim ab universo populo hæc pentecoste iussa est observari, numquid omnes una die credendum est falcem iussos mittere in messem? Si autem sibi quisque observat istam quinquagesimam, dinumerans ab illo die quo falcem mittit; non una est universo populo: illa vero una est quæ computatur ab immolatione Paschæ usque in diem datæ Legis in Sina.

XXVI. [Ib. xvii, 14 et 15.] *Si autem intraveris in terram quam Dominus Deus tuus dat tibi in sorte, et habitaveris in ea, et dices, Constituum super me principes, sicut et cæteræ gentes quæ circa me sunt; constituendo constitues super te principem, quem elegerit Dominus Deus tuus ipsam: ex fratribus tuis constitues super te principem; non poteris constituere super te hominem alienum, quia non est frater tuus.* Quæri potest cur displicerit populus Deo, quando regem desideravit (I Reg. viii, 7), cum hic invenitur esse permissus. Sed magis hinc intelligendum est, merito non fuisse secundum voluntatem Dei, quia fieri hoc non præcepit, sed desiderantibus permisit. Veritatem præcepit, ne fieret alienus, sed frater, id est, ex eodem populo indigena non alienigena. Quod autem ait, non poteris, intelligendum est, non debebis.

XXVII. [Ib. xvii, 17.] *De rege cum loqueretur ait, Non multiplicabit sibi uxorem, ut non discedat cor ejus: et argentum et aurum non multiplicabit sibi valde.* Unde queritur utrum David contra hæc præceptum non tegerit: non enim unam habuit uxorem (II Reg. v, 13). Nam, de Salomone manifestum est quod transgressus fuerit hoc præceptum, et in feminis, et in auro, et in argento. Sed hinc potius intelligitur permissum fuisse regibus, ut plures haberent quam unam: multiplicare enim prohibiti sunt: quæ prohibiti non habet transgressionem, si paucæ fuerint, sicut David fuerunt; non autem multæ, sicut Salomoni. Quamvis cum addidit, ut non discedat cor ejus, hoc magis videtur præcepisse, ne multiplicando perveniat ad alienigenas feminas: per quas factum est in Salomone, ut discederet cor ejus a Deo (III Reg. xi, 4-4). Multiplicatio tamen generaliter ita prohibita est, ut etiam si ex Hebræis solis eas multiplicasset, contra hoc præceptum fecisse merito argui posset.

XXVIII. [Ib. xviii, 6-8.] *Si autem supervenerit Levites ex una civitatum tuarum, ex omnibus filiis Israel, ubi ipse incolit, secundum quod cupit anima ejus in locum quem elegerit Dominus, id est, si desideraverit ire ad locum ubi Dominus invocatur; et ministrabit nomini Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levites, qui astant ibi coram Domino: partem partitam edet; præter venditionem, quæ est secundum familiam.* Quam dicat venditionem, obscurum est: nisi forte quia decimationes et primogenita præcepit vendi ab eis qui in longinquo habitarent, ne multa cogerentur portare ad locum invocationis Domini, vel pecora ducere, ut



illie ab eis denno emerentur ex eodem pretio; et iusserat habere ibi partem Levitam, qui maneret in ea civitate, unde illis decimationes et primogenita debebantur. Et ideo dixit secundum familiam hoc debere Levitæ, quoniam ex successione qua succedit parentibus suis, hoc circa eum servari oportet, quod parentibus exhibitum est.

XXIX. [lb. xviii, 11.] Quoniam portentorum inspectores prohibet esse in populo Dei, quærendam est quomodo ista portenta qua inspicere prohibentur, discernantur ab eis quæ divinitus ita dantur, ut quid significant dici debeat: sicut omnia miracula, quæ in Scripturis reperiuntur significantia quod pertineat ad regulam fidei; sicut dicimus quid significaverit vellus in area completa siccum, vel in sicca area completum (Judic. vi, 37-40); aut virga Aaron quæ floruit (Num. xvii, 8), et nucea attulit; et cætera hujusmodi. Sicut autem discernuntur divinationes, quas consequenter prohibet, a prædictionibus vel annuntiationibus Prophetarum, sic illæ inspectiones prodigiorum a significationibus divinarum miraculorum discernendæ sunt.

XXX. [lb. xi, 4.] Quoniam Dominus Deus vester, qui præcedit vobiscum, simul debellabit vobiscum inimicos vestros, et salvos faciet vos. Ecce quemadmodum et in spiritualibus conflictibus sperandum et petendum est adiutorium Dei, non ut nos nihil faciamus, sed ut adjuvi cooperemur. Sic enim ait, *debellabit vobiscum*, ut etiam ipsos acturos quod agendum esset ostenderet.

XXXI. [lb. xx, 5-7.] Et loquentur scribæ ad populum dicentes, Quis est homo qui edificavit domum novam, et non dedicavit eam? vadat, et revertatur in domum suam, ne moriatur in bello, et homo alius deducet eam. Et quis est homo qui pavit vineam, et non est epulatus ex ea? vadat, et revertatur in domum suam, ne moriatur in bello, et homo alius epuletur ex ea. Et quis est homo qui sponsavit uxorem, et non accepit eam? vadat, et redeat in domum suam, ne moriatur in bello, et homo alius accipiat eam. Possumt movere ista, quasi meliore conditione moriantur in bello, qui jam dedicaverunt ædificia sua, jamque epulati sunt de novellis, iamque duxerunt sponsas suas, quam ii qui nondum. Sed quoniam his rebus tenetur humanus affectus, et magis testimantur hæc ab hominibus; intelligendum est ad hoc ista dici in bellum procedentibus, ut quisquis animo his tenetur, appareat cum revertitur, ne propter hoc minus fortiter agat, dum timet ne ante moriatur, quam domum dedicaverit, aut de novella sua hiberit, aut sponsam suam duxerit. Nam utique quantum ad feminam pertinet, melius alteri nubis intacta quam vidua: sed hæc, ut dixi, insituta sunt propter virorum animos explorandos.

XXXII. [lb. xxii, 5.] Non erunt vasa viri super mulierem: vasa bellica vult intelligi, id est, arma. Nam quidam etiam hoc interpretati sunt.

XXXIII. [lb. xxii, 13-21.] Si autem quis acceperit uxorem, et habitaverit cum ea, et oderit eam, et imponat ei occasionis verba, et detulerit ei nomen malignum, et

dixerit, *Mulierem hanc accepi, et accedens ad eam non inveni ejus virginalia: et accipiens pater puellæ, et mater, producent virginalia puellæ ad seniores ad portam, et dicet pater puellæ senioribus, Filiam meam hanc dedi homini huic uxorem, et odio habens eam, ipse nunc imponit ei occasionis verba dicens, Non inveni filiam tuam virginalia: et ecce virginalia filie mee. Et replicabunt pallium coram senibus civitatis illius. Et accipient senes civitatis hominem illum, et castigabunt eum, et damnificabunt eum centum siclis, et dabunt patri adolescentulæ; quia protulit nomen malum super virginem Israelitem: et ipsius erit uxor; non poterit dimittere eam perpetuo tempore. Si autem verum factum sit hoc verbum, et non inveniantur virginalia puellæ, et producent adolescentulam ad januam domus patris ipsius, et lapidabunt eam viri civitatis ejus in lapidibus, et morietur; quoniam fecit impudentiam in filiis Israel, prostituens domum patris sui: et auferes malignum ex vobis ipsis. Satis hinc apparet quemadmodum subditas feminas viris, et pene famulas Lex esse voluerit uxores: quod dicens adversus uxorem vir testimonium unde lapidaretur illa, si hoc verum esse demonstraretur; ipse tamen non vicissim lapidatur, si hoc falsum esse constiterit; sed tantummodo castigatur, et damnificatur, eique perpetuo jubetur adherere qua carere voluerat. In aliis autem causis, cum qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quem, si probaretur, jussit occidi, eadem pœna plecti jubet, qua fuerat, si verum esset, iste plectendus.*

XXXIV. [lb. xxii, 28, 29, 19.] Si autem invenerit aliquis puellam virginem quæ sponsata non est, et vim faciens ei dormierit cum ea, et inventus fuerit; dabit homo qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta didrachma<sup>1</sup> argenti, et ipsius erit uxor; quia humiliavit eam: non poterit dimittere eam per omne tempus. Merito quaeritur utrum ista pœna sit, ut non eam possit dimittere per omne tempus, quam inordinate atque illicite violavit. Si enim ob hoc intelligere volucrimus eam non posse, id est non debere dimitti per omne tempus, quia uxor effecta est, occurrit illud quod permisit Moyses dare libellum repudiæ, et dimittere (Deut. xxiv, 1). In his autem qui illicite vitiant, noluit licere, ne ad ludibrium fecisse videatur, et potius finxisse quod eam uxorem duxerit, quam vere placitoque duxisse. Hoc et de illa jussum est, cui fuerit vir calumniatus de virginalibus non inventis.

XXXV. [lb. xxiii, 3, 4.] Non intrabit Ammanites et Moabites in Ecclesiam Domini, et usque ad decimam generationem non intrabit in Ecclesiam Domini, et usque in æternum. Quaestio est, quomodo intraverit Ruth quæ Moabitis fuit (Ruth. i, 22); de qua etiam caro Domini originem ducit (Matth. i, 5). Nisi forte istam mystice prophetaverit intraturam, quod ait, *usque ad decimam generationem*. Computantur enim generationes ex Abraham, quando fuit et Lot qui genuit Moabites et Ammanites ex filiabus (Gen. xix, 37, 38); et inveniantur cum ipso Abraham compleri decem gene-

<sup>1</sup> In excusis, *quinquaginta didrachmata*. In aliquot Mss. ut in græco, *didrachma*. In aliis, *didrachmas*.

rationes usque ad Salmon, qui genuit Booz, qui maritus secundus fuit Ruth. Sunt enim istæ, Abraham, Isaac, Jacob, Judas, Phares, Esrom, Aram, Aminadab, Naason, Salmon: Salmon quippe genuit Booz, qui viduam duxit Ruth; ac per hoc videtur post decimam generationem genus fecisse in Ecclesia Domini pariendo filios ipsi Booz. Sed cur additum sit, *et usque in æternum*, merito adhuc quaeritur. An quia deinceps nulla anima de Ammanitis et Moabitibus intravit in illam Ecclesiam populi Hebræorum, posteaquam ista generatione decima propheta completa est? An potius ita dictum est, *et usque ad decimam generationem*, ut omnino semper intelligi voluerit, per denarii numeri quandam universitatem, ut hoc exposuerit quodammodo addendo et dicendo, *et usque in æternum*? Quod si ita est, Ruth contra præceptum vetitum videtur admissa. An Ammanitas prohibuit admitti, non Ammanitidas, id est, viros inde, non feminas? maxime quia cum evertissent Israelitæ ipsam gentem, omnes viros occiderunt jussi sunt, feminas autem non, nisi eas quæ noverant concubitum viri (Num. xxxi, 17, 18); quoniam ipsæ in fornicationem seduxerant populum: virgines autem salvas esse voluerunt, non eis imputantes culpam qua everti illa gens meruit; quam etiam hic commemoravit, velut quaereretur cur Moabitibus et Ammanitis admitti noluerit in Ecclesiam Domini: subjunxit enim, *Eo quod non obviaverint vobis cum panibus et aqua in via, cum exiretis de Ægypto, et quia conduxerunt adversum te Balaam filium Beor de Mesopotamia, ut malediceret te*. Has culpas nec tunc, quando illa gens debellata est, feminis imputaverunt, quas salvas conservare maluerunt.

XXXVI. [Ib. xxiii, 15, 16] *Non trades puerum domino tuo, qui appositus est tibi a domino tuo*: non quod dominus ejus cum apposuerit, id est commendaverit; potius enim depositum diceret; sed appositum dixit a domino suo, id est huc adjunctum, cum ab illo abscessisset: non ergo suscipi, sed reddi potius prohibuit fugitivos. Hoc quidem putari potest, nisi intelligamus genti et populo ista dici, non uni homini. Ex alia itaque gentem refugientem ad istam gentem cui loquebatur, hominem a domino suo, id est a rege suo, reddi prohibuit: quod etiam alienigena servavit Achis rex Geth, quando ad eum refugit David a facie domini sui, hoc est, regis Saül (I Reg. xxi, 10). Apertissime autem hoc explanat, cum dicit de ipso refuga, *In vobis habitabit, in omni loco ubi placuerit ei*.

XXXVII. [Ib. xxiii, 17.] *Non erit meretrix a filiabus Israel, et non erit fornicans a filiis Israel*. Ecce ubi manifeste prohibuit fornicari et viros et feminas etiam cum non alienis conjugibus; peccatum esse demonstrans misceri non conjugibus suis, quando et meretrices esse, et ad meretrices accedere prohibet, quarum publice venalis est turpitudine. In Decalogo autem mœchiæ nomine non videtur hoc aperte prohibuisse, quoniam mœchia nominis adulterium intelligi solet. Unde quid nobis videretur, ibi tractavius (Quæst. in Exod., quæst. 71).

XXXVIII. [Ib. xxiii, 18, 17.] *Non offeres mercedem meretricis, neque commutationem canis in domum Domini Dei tui ad omne votum, quoniam abominatio Domini Deo tuo est, et utrumque: quod ita intelligitur, quoniam abominatio Domino Deo tuo est, et hoc non unum horum, sed utrumque. De cane quippe vetat fieri commutationem primogenitorum, quam jubet fieri de aliis immundis animalibus, id est equis et asinis, et si quid est eorum quæ adjuvant hominem, et latine a juvando jumenta dicuntur. De cane autem noluit; utrum et de porco, et quare noluerit, requiringendum est: et si de omnibus talibus noluit, quare solum canem isto loco exceptum fecerit. De mercede autem meretricis ut diceret, videtur ea esse causa, quia superius prohibuerit esse meretricem de filiabus Israel, aut quemquam filiorum Israel uti meretrice: et ne subreperet cogitationi, expiari posse hoc peccatum, si aliquid inde offerretur in templum, dicendum fuit quod sit abominatio Domino.*

XXXIX. [Ib. xxiv, 7.] *Moriatur fur ille, id est, qui furatus est hominem; et auferetis malignum ex vobis ipsis*. Assidue hoc dicit Scriptura, cum jubet occidi malos: qua locutione usus est etiam Apostolus, cum diceret, *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? Nonne de iis qui intus sunt, vos judicatis? Auferite malum ex vobis ipsis* (I Cor. v, 12, 13). Nam græcus habet τὸ κακόν, quod etiam hic scriptum est: hoc autem potius malignum solet interpretari, quam malum. Nec ait, τὸ κακόν, id est, hoc malignum; sed τὸ κακόν, quod est, hunc malignum. Ex quo apparet eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commisit, ut excommunicatione sit dignus. Hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Quamvis et aliter illud apostolicum possit intelligi, ut unusquisque malum vel malignum ex se ipso sit jussus auferre. Qui sensus acceptabilior esset, si hoc malum, vel hoc malignum, non autem hunc malignum in græco inveniretur: nunc vero credibilis est de homine dictum, quam de vitio. Quanquam possit eleganter intelligi etiam homo auferre a se malum hominem, quemadmodum dictum est, *Exuite vos veterem hominem*: quod exponens ait, *Qui furabatur, jam non furetur* (Ephes. iv, 22, 28).

XI. [Ib. xxiv, 8.] *Secundum legem omnem quam juraverint vobis sacerdotes Levitæ*. Illic apparet omnem sacerdotem Levitam fuisse; quamvis non omnis Levites sacerdos fuerit.

XLI. [Ib. xxiv, 10-13.] *Si debitum fuerit in proximo tuo, debitum quodcumque, non intrabis in domum ejus pignerare pignus: foris stabis, et homo apud quem debitum tuum est, proferet tibi pignus foras. Si autem homo eget, non dormies in pignore ejus, redditione reddes ei vestimentum suum circa occasum solis; et dormiet in vestimento suo, et benedicet te, et tibi erit misericordia coram Domino Deo tuo*. Non immerito videtur ad opus misericordiæ pertinere ut non intret pignerator in domum, ne fiat perturbatio debitori: sed ex hoc etiam

<sup>1</sup> In excusis, noluit. Ad quinque melioris notæ Mss. copulatus, noluit.

ipsum debitorem admonet pignus foras proferre creditor. Quod vero jubet egenti pignus eodem die restitui, ut in eo dormiat qui non habet ubi dormiat, merito movet, ut requiratur cur non potius creditori præceperit ut non auferat pignus, quod eodem die oportet ut restituat. Quod si ad compellendum debitorem fieri voluerit, quomodo se urgeat ad reddendum, cum sciat pignus eodem die se recepturum? An forte hoc fieri voluerit propter memoriam, ne obliviscatur reddere, et tunc non reddat si vere non habuerit: maxime quia creditoris sui misericordia vincitur, cui esse non debet ingratus, si pignus receperit in quo dormiat; simul et creditor cum ille non reddiderit, debet eum credere non habere, qui hæc etiam indiget misericordia, ut pignus ei propterea restituatur, quod aliud non habet ubi dormiat?

XLII. [Ib. xxiv, 16.] *Non morientur patres pro filiis, et filii non morientur pro patribus: unusquisque in suo peccato morietur.* Ecce non solum Propheta hoc dixerunt (Ezech. xviii, 17), verum etiam Lex dicit, sua culpa quemque interimendum, non autem patris sui, aut filii sui. Quid est ergo quod alibi dicitur, *Deus reddens peccata patrum in filios, in tertiam et quartam progeniem?* An de filiis nondum natis illud intelligitur, propter originale peccatum, quod etiam ex Adam traxit genus humanum; hic autem de filiis jam natis est facta distinctio, ut unusquisque in suo peccato moriatur? Non enim trahit aliquid ex patre, qui jam natus erat, quando pater ejus peccavit. Sed cum et ibi dicit, *his qui oderunt me* (Exod. xx, 5); manifestum est etiam illam conditionem posse mutari, si filii parentum suorum facta non fuerint imitati. Nam et illud ex Adam temporaliter redditor, quia omnes propter hoc moriuntur; non autem in æternum eis qui fuerint per gratiam spiritualiter regenerati, in eaque permanserint usque in finem. Quamvis et illud merito queri possit, si redduntur peccata patrum in filios his qui oderunt Deum, cur in tertiam et quartam generationem, vel prætermissa prima et secunda, vel non etiam in cæteras permanente impietate et imitatione malorum parentum. An per hunc numerum, quoniam septenarius intelligitur, universitatem significare voluit: et ideo non ipsum potius septenarium posuit, ut diceret in septimam generationem, ac sic omnis intelligeretur; quia causam perfectionis hujus numeri hoc modo potius intimavit? Ideo namque perhibetur perfectus, quia ex his duobus constat, ternario scilicet primo impari toto, et quaternario primo pari toto. Unde esse et illud propheticum existimo, quod assidue repetitur, *In tribus et quatuor impietatibus non avertabor* (Amos 1, 3); per quod voluit impietates universas potius quam tres vel quatuor intelligi.

XLIII. [Ib. xxiv, 17.] *Non declinabis iudicium advenæ, et orphani, et viduæ. Non pignerabis vestimentum viduæ.* Cur non ait, *Et non pignerabis vestimentum eorum?* Quæ enim causa est ut trium istorum iudicium declinare vetuerit, pignus autem auferri vestimentum solius viduæ, non et illorum? Nisi quia iudicia omnium facienda propterea commendavit, quia

non habent a quibus defendantur sive advena, quæ in terra aliena est; sive orphanus, id est pupillus quia parentibus caret; sive vidua, quia maritum non habet: pignus vero cum prohibet vestimentum auferri viduæ, puto quod satis eleganter admoneat, eas vero dicendas esse viduas, quæ etiam pauperes sunt. Id enim et Apostolus evidenter ostendit, ubi ait: *Si qua autem vidua filios et nepotes habet, discat primum domum suam pie tractare, et mutuum vicem parentibus reddere: hoc enim acceptum est coram Domino.* Quæ autem vere vidua est, et desolata, speravit in Dominum, et persistit in orationibus nocte et die. Hæc vere viduam dixit, quæ non habet a quibus sustentetur; quia non solum viro, sed etiam posteris atque omni ope destituta est: divitem quippe non diceret desolatam. Pauperi itaque pignus non est auferendum vestimentum: nam et hoc ipso quod vestimentum prohibet auferri, pauperem ostendit. Neque enim creditor non potius auferret argenteam, vel si quid aliud, quam vestimentum. Porro si occurrerit ammo, Quid, si multa habeat vestimenta non necessaria, sed superflua? quomodo intelligitur vere vidua, hoc est non solum desolata, verum etiam quæ non in deliciis agit? quam subiecit dicens, *Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est* (I. Tim. v, 4-6). Hanc quippe opposuit, tanquam e contrario veræ viduæ, tanquam talis non sit vera vidua. Quæcumque autem divites alias nuptias experiri noluerunt, continentia in eis laudatur, non desolatio commendatur. Hæc quippe maritis tantum viduatae sunt, non aliis rebus.

XLIV. [Ib. xxiv, 19.] Quod admonet, ut in messe oblitum manipulum nemo colligat, et olivam vel uvam relictam nemo repetat diligentius neglecta colligere, et dicti egentibus dimittenda; occurrit forsitan cogitationi, Quid, si hæc quæ ab agrorum dominis dimittuntur, non egentes, sed improbi colligant? Sed considerandum primo illum misericordia facere, qui hoc animo dimittit, ut egentes habeant quod dimittitur. Deinde cum hæc populo præcipiuntur, simul admonentur ii qui non indigent, ista non querere. Quod si quaesierint, quid aliud quam res alienas, et, quod gravius est, pauperum invadere iudicandi sunt? Utrique ergo commemorantur<sup>1</sup> his præceptis, et quorum agri sunt, ut misericorditer ea relinquunt; et qui indigentes non sunt, ut inde se abstineant: quando utrumque dicitur, et a quibus dimittenda sint, et quibus dimittenda sint.

XLV. [Ib. xxv, 1-3.] *Si autem fuerit altercatio inter homines, et accesserint ad iudicium, et judicaverint, et justificaverint justum.* Iudices intelligendi sunt iudicare, non illi qui dicti sunt alterationem habere. Deinde sequitur: *Et reprehenderint impium. Et erit, si dignus fuerit plagis, qui impie agit; constitues eum in conspectu iudicum, et flagellabunt eum ante se, secundum impietatem ejus: numero quadraginta flagellabunt eum; non apponent. Si autem appoverint flagellare eum super*

<sup>1</sup> Editi, quæ in deliciis agit: omnia negata particula, quæ interponitur in posterioribus Mss.

<sup>2</sup> Et, commemorantur.

has plagas plures, deturbabitur frater tuus coram te. Valde advertendum est quod cum ea peccata plagis emendanda præceperit, quæ digna non sunt mortis supplicio vindicari, et hoc tam paucis plagis; cum tamen qui caditur, appellavit impiam vel impie agentem: ut in veris, non sicut plurimi loquuntur, locutas esse Scripturas; quas incuriosius legimus, cum putamus adulterium non esse impietatem, quia in hominem videtur peccasse qui hoc fecerit, cum illud peccatum morte plecti jubeat Lex (*Deut. xxii, 22*); et his peccatis graviores esse dicimus impietates, cum sint earum quedam quæ flagelli plagis quadraginta puniuntur. Est itaque levis impietas, quæ verbere digna est; et est gravior quæ morte digna est: ita etiam illa peccata quæ non in Deum, sed in hominem videntur admitti, sunt morte digna quedam; sunt alia corruptione, seu verbere, seu venia<sup>1</sup> faciliore. Ita enim locutus esse Septuaginta interpretes constat, ut etiam Minus qui plagis dignas est, impietatem vocaverim.

XLVI. [lb. xxv, 5.] *Si autem habitaverint fratres in unum, et mortuus fuerit unus ex eis, semen autem non fuerit ei; non erit uxor defuncti foris non approprianti<sup>2</sup>: frater viri ejus intrabit ad eam, et accipiet eam sibi uxorem, et cohabitabit ei. Et erit, infans quicumque natus fuerit, constituetur ex defuncti nomine, et non delebitur nomen ejus ex Israel.* Videtur hoc præcepisse Lex de fratris uxore ducenda, non ob aliud, nisi ut semen suscitet fratri qui sine liberis defunctus est. Quod autem ait, *Constituetur ex defuncti nomine, et non delebitur nomen ejus ex Israel*, id est nomen defuncti; ex hoc videtur dictam, ut ille qui nascitur, hoc nomine appelletur, quo appellabatur defunctus, cui quodam modo propagatur. Unde nobis visum est magis secundam adoptionis morem solvere in Evangelio quæstionem de duobus patribus Joseph (*De Cons. Evang. lib. 2, c. 3*), quorum unum commemorat Matthæus, eum scilicet qui genuit Joseph (*Matth. i, 16*); alterum Lucas, eum cujus filius erat<sup>3</sup> Joseph (*Luc. iii, 23*): quoniam nullius eorum nomen Joseph accepit. Nisi forte hoc dictum est, *Constituetur ex defuncti nomine*, non ut ejus nomen accipiat, sed ut ex ejus nomine, id est tanquam filius, non ejus cujus semine est genitus, sed illius defuncti cui semen suscitatum est, hæres constituitur. Quod enim additum est, *Et non delebitur nomen ejus ex Israel*, potest ita intelligi, non quod nomen ejus pater consequenter accipiat; sed quod ille non sine posteritate mortuus esse videbitur, et idcirco permanet ejus nomen, hoc est memoria. Neque enim etiam si ipse filium genuisset, nomen suum ei fuerat impositurus, ut nomen ejus non deleteretur ex Israel: sed ex hoc etiam non deleteretur, quia non sine liberis ex hac vita emigraret; et hoc jubetur ex ejus uxore frater ejus implere, quod ille non potuit. Nam etsi frater non fuisset, et propinquus duceret uxorem ejus, qui sine filiis mortuus esset, ad suscitandum semen fratri suo: sicut fecit Booz ducendo Ruth, ut semen

excitaret propinquo suo, cujus fuerat illa uxor, nec de illo pepererat; et tamen qui de illa natus est, ex nomine quidem defuncti constitutus est, quia filius ejus est dictus, atque ita factum est ut nomen defuncti non deleteretur ex Israel, nec tamen ejus nomine appellatus est (*Ruth iv, 13-17*).

QUÆSTIO DE DUOBUS PATRIBUS JOSEPH. *Matth. i, 16; Luc. iii, 23.*

Quæ cum ita sint, abundantius duobus modis solvi potest evangelica quæstio, ut unus eorum quos diversos commemorant Matthæus et Lucas, ita fuerit propinquus alteri ad ducendam ejus uxorem, ut alios etiam sursum versus parentes atque majores iste, alios ille habere potuerit. Nam si fratrum filii fuissent, unum habuissent avum; quod non ita est: nam secundum Matthæum, Mathan est avus Joseph; secundum Lucam vero, non Mathan, sed Mathath. Quod si quisquam putat esse tantam similitudinem nominis, ut ab scriptoribus in una littera erratum sit, ut fieret tam parva et pene nulla diversitas; quid de istorum patribus dicturus est? Nam secundum Lucam Mathath filius fuit Levi; secundum Matthæum autem, Mathan ex Eleazar genitus invenitur: atque ita inde sursum versus diversi sunt patres et avi; et deinde majores usque ad Zorobabel, qui fere est vigesimus sursum ab Joseph apud Lucam, apud Matthæum autem undecimus. Qui propterea idem ipse esse creditur, quia pater ejus apud utrumque Evangelistam Salathiel invenitur: quamvis fieri potuerit, ut alius fuerit eodem nomine, habens ejusdem nominis patrem, cujus et ille habuit. Nam et inde sursum versus diversi sunt: alium quippe habet Zorobabel avum apud Lucam, qui est Neri; alium apud Matthæum, qui est Jechonfas; atque inde superius nusquam est consonantia, quousque veniatur ad David, apud Matthæum per Salomonem, apud Lucam per Nathan. Difficillimum autem videtur non fuisse aliquem propinquiorem qui duceret uxorem fratris sui, quam eum qui ex David esset consanguineus tam longinquo gradu, non aliqua infra propinquitate conjunctus; cum sit apud Lucam David pene quadragessimus a Joseph, apud Matthæum autem ferme vigesimus septimus. Aut si propinqui ad uxores defunctorum ducendas etiam illi quærebantur, qui ex feminarum sanguine propinquabant, fieri potuit ut esset aliquis ita propinquus, qui Joseph genuerit de uxore propinqui sui, qui sine liberis decessit: ac sic ei esset alter ex natura pater, alter ex Lege; in quorum patribus et avis et deinde majoribus ideo nulla propinquitas appareret, quod non ex maribus, sed ex feminis propinquarent. Veruntamen si ita esset, nec David aliquando unus pater occurreret. Aut si quisquam potuisse contendit, ubi ponimus quod consuetudo Scripturæ non est feminas in genealogia pro maribus ponere, sicut eas nullus Evangelista interposuit? Ubi enim commemorantur matres, non ponuntur nisi cum patribus (a). Ac per hoc aut ita propinquior defuncti ad uxorem defuncti sibi copulandam, ut origo cognationis David<sup>1</sup> repeteretur: aut adoptio fecit alterum patrem

<sup>1</sup> Editi, pater. At Mss., venia.

<sup>2</sup> Editi, uxor defuncti fratris non alteri debet approprianti. Emendantur ad Mss. et ad LXX.

<sup>3</sup> Mss. duo Vaticani, filius non erat.

<sup>1</sup> Editi, a David. Delendum, a, quo Mss. carent. (a) II retract. c. 53. n. 3.

quem posset habere Joseph.

XLVII. [Ib. xxvi, 14.] Quil est quod inter illa quæ jubet dicere hominem, qui in laudis decimis, et quæcumque dare vel impendere jusus est, omnia mandata complevit, etiam hoc cum laude et commendatione sua dicere jubet, *Non dedi ex eis mortuo?* An per hoc prohibet parentalia, quæ observare gentes solent?

XLVIII. [Ib. xxviii, 13, 14.] *Non præteribis ab omnibus verbis quæ ego mando tibi hodie, dextra aut sinistra ire post deos alienos, servire illis.* Quæri potest quomodo possit intelligi ire in dextra, qui post deos alienos ierit servire illis; cum dextra in laude ponatur, illud autem nunquam laudabiliter fieri possit: nam et quod reprehenditur in via vitæ, qui declinat in dextra, non ibi ea reprehenduntur quæ dextra sunt, sed ille qui declinat in ea, id est, qui sibi arrogat quæ Dei sunt. Ileo dicitur in Proverbiis: *Non declines in dextra aut in sinistra: vias enim quæ a dextris sunt novit Dominus; pervertæ autem sunt quæ a sinistris.* Ergo bonæ sunt dextræ, quas novit Dominus. *Novit enim Dominus vias iustorum* (Psal. i, 6), sicut in Psalmo legitur. Cur ergo dictum sit, *Nè declines in dextra*, consequenter ostendit addendo, *Ipsæ enim rectos faciet cursus tuos.* Absit autem ut dextræ, quas novit Dominus, negemus esse rectas: sed, ut dixi, declinare in eas est, non illius gratiæ, sed sibi tribuere velle quod rectum est. Denique, ut dixi, adjungit et dicit, *Ipsæ enim faciet rectos cursus tuos, et omnia itinera tua in pace produci* (Prov. iv, 27).

Quapropter hoc quod isto loco Deuteronomiæ, de quo agimus, dictum est. *Non præteribis ab omnibus verbis quæ ego mando tibi hodie, dextra aut sinistra ire post deos alienos, servire illis, non ideo dictum est, quia dii alii possunt etiam in dextris accipi; sed aut terrena loca significata sunt, quæ et in dextra et in sinistra habebant gentes alios deos colentes: aut hoc de diis aliis separatim pronuntiandum est, ut duo sint sensus; unus videlicet, *Non præteribis ab omnibus verbis quæ ego mando tibi hodie, dextra aut sinistra*, secundum illum scilicet intellectum, quem supra exposui; alius autem sit sensus, *ire post deos alienos, servire illis*, ut et hic subaudiatur, *Non præteribis ab omnibus verbis quæ ego mando tibi hodie.* Quem totum sensum si dicere velimus, superiora verba, quæ utriusque sensui sunt communia, repetituri sumus; ut quomodo illic dicitur, *Non præteribis ab omnibus, quæ ego mando tibi hodie, dextra aut sinistra*, sic et istic repetatur, *Non præteribis ab omnibus quæ ego mando tibi hodie, ire post deos alienos, servire illis.* Prætercundo enim a verbis quæ mandata sunt, etiam hoc fit, ut eatur post deos alienos. Non enim hoc solum mandatum est, aut hoc solum præteriri Deus non vult, quod mandavit, ne post deos alienos eatur, sed omnia quæ mandavit: hoc tamen ita præcipue, ut post generalitatem præcepti quo admonuit non esse prætereundum ab omnibus verbis*

mandatorum suorum, etiam hoc suorum commendare voluerit.

Potest hoc quod ait, *dextra aut sinistra*, etiam sic intelligi, ut nec eorum causa, quæ propter felicitatem appetuntur, nec eorum quæ propter infelicitatem fugiuntur, ire mendaverit post deos alios: id est, nec pro iis quæ amantur, nec contra ea quæ odio habentur, a diis aliis auxilium esse poscendam: aut certe illo modo, ut vel concilientur, quo prosiat; vel placeant, ne noceant. Nam et de quibusdam scriptum est in Psalmo, *Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis*: ideo quia his rebæ opinantur fieri hominem beatum, quas et boni et mali possunt habere; et ideo dextera est iniquitatis, quis iniqui sunt, qui eam dexteram putant. Non enim est vera dextera, sed *dextera est eorum quorum os locutum est vanitatem. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*, cum potius, sicut mox adjungit et docet, *Beatus sit populus cuius Dominus Deus ipsius* (Psal. cxlvi, 8, 45). Illo est vera dextera, æquitatis, non iniquitatis. Nun est ergo eundem post deos alienos, neque in dextra, ut existimet homo ex ipsis se fieri beatum; neque in sinistra, ut existimando ipsis adversantibus se fieri miserum, ad hoc eos colat ut avertat. Aut certe si dextra intelligimus æterna, sinistra vero temporalia bona; nec propter illa, nec propter ista eos colentes sancta Scriptura hoc loco admonuisse creditur.

XLIX. [Ib. xxx, 1.] *Hæc verba Testamenti quod mandavit Dominus Moysi, statuere filiis Israël in terra Moab, præter Testamentum quod testatus est eis in Horeb.* Ostendit unde appellatus sit liber Deuteronomium, quasi secunda Lex; ubi magis illius repetitio est, quam aliquid aliud: pauca enim sunt, quæ ibi non sint in eo quod primum datum est. Nec tamen appellantur hæc duo Testamenta, quamvis ita hæc verba sonare videantur: utrumque enim unum est Testamentum, quod in Ecclesia dicitur Vetus. Nam si propter hæc verba duo Testamenta dicenda essent, jam non duo, sed plura essent, excepto Novo. Multis enim locis Scriptura dicit Testamentum: sicut illud quod factum est ad Abraham de circumcissione (Gen. xvii, 4), vel illud superius ad Noe (Id. ix, 9).

L. [Ib. xxxix, 2-4.] *Et vos vidistis omnia quæcumque fecit Dominus Deus vester in terra Ægypti coram vobis Pharaoni, et omnibus servis ejus, et omni terræ illius, tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa et prodigia illa magna, et manum validam. Et non dedit Dominus Deus vobis cor scire, et oculos videre, et aures audire usque in diem istam. Quomodo ergo ait superiorius, Vos vidistis tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, si non dedit Dominus eis oculos videre, et aures audire; nisi quia viderunt corpore, et corde non viderunt? quia oculi dicuntur et cordis: propterea inde cæpit, *Et non dedit Dominus Deus vobis cor scire.* Ad hoc pertinent duo quæ sequuntur, *et oculos videre, et aures audire*, id est intelligere, et obtemperare. Quod vero dicit, *Et non dedit Dominus Deus vobis;**

<sup>1</sup> Editi, in dextra. Abest, in, a Mss. et a LXX.

<sup>2</sup> Deaderabatur hic verba illa: sic et istic repetatur, *Non præteribis ab omnibus quæ ego mando tibi hodie*; quæ reperimus in Codd. Sorbonico et Ricigiano

<sup>3</sup> sic Mss. At excusi, *veluti consulantur, quæ probat*

nullo modo increpans et arguens hoc diceret, nisi ad eorum quoque culpam pertinere intelligi vellet, ne quisquam se ex hoc excusabilem putet. Simul enim ostendit et sine adjutorio Domini Dei eos intelligere et obedire non posse oculis cordis, et auribus cordis: et tamen si adjutorium Dei desit, non ideo esse excusabile hominis vitium; quoniam judicia Dei quamvis occulta, tamen justa sunt.

Ll. [lb. xxix, 5-6.] *Et adduxit vos quadraginta annis in deserto: non inreteraverunt vestimenta vestra, et calceamenta vestra non sunt attrita a pedibus vestris; panem non manducastis, vinum et siceram non bibistis, ut sciretis quia iste Dominus Deus vester.* Hic apparet tantum vini in suis impedimentis potuisse portare Israelitas, quando exierunt de Ægypto, quod possent cito consumere. Nam si omnino nihil secum tulissent, unde esset illud de quo dictum est, *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere?* Non enim hoc de aqua diceretur, cum et ipsius Moysi manifestissima verba sint, non fuisse illam vocem principium belli, sed principium vini (Exod. xxxii, 6, 18).

LII. [lb. xxix, 18-21.] *Numquid est aliquis inter vos vir, aut mulier, aut familia<sup>1</sup>, vel tribus, cujus mens declinavit a Domino Deo vestro, ire servire diis gentium illarum? Num qua est in vobis radix sursum germinans in felle et amaritudine? Et crit, cum audierit verba maledictionis hujus, et opinabitur in corde suo, dicens, Sancta mihi fiant, quoniam in errore cordis mei incedo: ut non simul perdat peccator eum<sup>2</sup> qui sine peccato est; volet Deus propitiare ei, sed tunc incendetur ira Domini, et zelus ejus in homine illo, et adhærebunt in eo omnia maledicta Testamenti hujus, quæ scripta sunt in libro Legis hujus.* Ita dictum est, *Numquid est in vobis?* ut tanquam requirentem intelligamus, ne forte sit. Si quis autem esset, eum terruit vehementer, ne forte quibusdam diceret in corde suo, audies illa maledicta, *Sancta mihi sint*, id est, maledicta sancta mihi sint: quoniam in errore cordis mei incedo, id est, absit ut mihi ista eveniant, non mihi sint hæc mala, sed sancta, id est propitia et innoxia; quoniam in errore cordis mei incedo, eundo scilicet post deos gentium, et eis tanquam impune serviendo. Non, inquit, erit sic. *Non perdat simul peccator eum qui sine peccato est:* tanquam diceret, Cavete ne cui vestrum talia persuadeat, qui talia cogitat. *Nolet Deus propitiare ei, sive talia cogitanti, sive illi cui talia fuerint persuasa, sicut ipse opinatus est dicendo, Sancta mihi sint;* et quasi hoc modo avertendo a se vim illius maledicti. *Sed tunc accendetur ira Domini, et zelus ejus in homine illo,* quando putabit eam se avertere, ista in corde suo dicendo. *Et adhærebunt in eo omnia maledicta Testamenti hujus, quæ scripta sunt in libro Legis hujus.* Non possunt quidem omnia evenire uni homini: non enim etiam toties mori potest, quot genera mortis hic dicta

<sup>1</sup> Editi et plures Mss., aut famulus. Pauloque post, nequam est in eo radix. Locum hunc redintegrant, et cum LXX conciliant codices aliquot melioris notæ.

<sup>2</sup> Editi, non simul perdat peccatorem et eum, est. At Mss. juxta LXX: Non simul perdat peccator eum qui sine peccato est. Hanc lectionem confirmat expositio, quæ mox ab Augustino subjicitur.

sunt; sed omnia dixit, pro quibuslibet, ut non sit immunis ab omnibus, cui evenerint aliqua eorum quibus pereat. Quod autem ait, *Ut non simul perdat peccator eum qui sine peccato est;* quod græcus habet ἀναμάρτητον, non sic accipiendum est, tanquam ab omni prorsus peccato mundum et immunum hoc dixerit ἀναμάρτητον, id est sine peccato; sed eum qui sine peccato isto esset, de quo loquebatur: sicut dicit Dominus in Evangelio, *Si non venissem, peccatum non haberent* (Joan. xv, 22); non utique omne, sed hoc peccatum quo non crediderunt in eum. Dicit etiam Deus ad Abimelech de Sara uxore Abraham, *Scio quia in mundo corde fecisti hoc* (Gen. xx, 6): non utique mundum illius cor ita voluit intelligi, ut similis eis esset, de quibus dictum est, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vident* (Matth. v, 8); sed ab illo peccato, de quo agebatur, mundum cor habebat, quoniam quantum ad ipsum pertinebat, non concupiverat conjugem alienam.

LIII. [lb. xxx, 6.] *Et circumpurget Dominus cor tuum, et cor seminis tui, diligere Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, ut vicias tu.* Evidens pollicitatio gratiæ: promittit enim Deus se esse facturum quod solet jubere ut fiat.

LIV. [lb. xxx, 11-14.] *Quia mandatum hoc, quod ego mando tibi hodie, non est supra modum, neque longe abs te est: non in cælo est, dicens, id est, ut dicas, Quis ascendet nobis in cælum, et accipiet nobis illud, et audientes illud faciemus? Neque trans mare est, dicens, id est, ut dicas, Quis transfretabit nobis trans mare, et accipiet nobis illud, et audientes illud faciemus? Prope est verbum hoc vulde in ore tuo, et in corde tuo, et in manibus tuis facere illud.* Hoc esse verbum fidei dicit Apostolus: quod ad Novum pertinet Testamentum. Sed queri potest, cur ea superius mandata dixerit, quæ scripta sunt in libro Legis hujus (Deut. xxix, 21): nisi quia his omnibus spiritualia significantur ad Novum Testamentum pertinentia, si bene intelligantur. Item queri potest cur hoc quod hic positum est, *Neque trans mare est, ut dicas, Quis transfretabit nobis trans mare, et accipiet nobis illud,* Apostolus dixerit, *Aut quis descendet in abyssum;* atque id exponens adjunxit, *Hoc est Christum a mortuis reducere:* nisi quia mare appellavit totam in hoc sæculo vitam, quæ morte transitur, ut quodam modo mare finiatur, et trans mare mors ipsa appelletur, velut trans istam vitam, quæ maris vocabulo significatur. Deinde quod hic additum est, *et in manibus tuis;* non ait Apostolus, nisi, *in ore tuo et in corde tuo.* Et hoc usque in finem exsecutus est, dicens, *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (Rom. x, 7, 8, 10). Merito quod ex hebræo translatum est, quantum a nobis inspicere potuit, non habet, *in manibus tuis.* Nec frustra tamen hoc a Septuaginta interpretibus additum existimo: nisi quia intelligi voluerunt etiam ipsas manus, quibus significantur opera, in corde accipi debere, ubi est fides quæ per dilectionem operatur (Galat. v, 6). Nam si forinsecus ea quæ Deus jubet, manibus fiant, et in corde non fiant, nemo est tam

insulsus, qui præcepta arbitretur impleri. Porro si charitas, quæ plenitudo est Legis (Rom. xiii, 10), habitet in corde, etiam si manibus corporis quisquam non possit operari, pax illi est utique cum hominibus bonæ voluntatis (Luc. xi, 14).

LV. [lb. xxxii, 5.] *Peccaverunt non ei filii vituperabiles.* Quod in græco est *ἔλασαν μωραῖα*, quidam interpretati sunt sicut hic, id est, *filii vituperabiles*; quidam, *filii commaculati*; quidam, *filii vitiosi*. Unde non magna quaestio, imo nulla est. Sed illud merito ad quaerendam movet, si generaliter dictum est, *Peccaverunt non ei*, quoniam qui peccat, non ei peccat, id est, non Deo nocet, sed sibi; quomodo intelligendum sit quod in Psalmo legitur, *Tibi soli peccavi (Psal. l, 6)*; et in Jeremia, *Tibi peccavimus, patientia Israel, Domine (Jerem. xiv, 7, 8)*; et iterum in Psalmo, *Sana animam meam, quia peccavi tibi (Psal. xl, 5)*: et utrum hoc sit peccare Deo, quod peccare in Deum. Unde ait Heli sacerdos: *Si in Deum peccaverit, quis orabit pro eo (I Reg. ii, 25)*? Dicam ergo interim quid mihi in præsentia videatur. Intelligent fortasse aliquid melius, qui melius hæc sapient, aut etiam nos alio tempore, quantum adjuverit Dominus. Peccare in Deum, est in iis peccare quæ ad Dei cultum pertinent. Nam hoc quod commemoravi, nihil aliud indicat: sic enim peccabant filii Heli, quibus hoc pater eorum dixit. Sic existimandum est peccari etiam in homines qui pertinent ad Deum: nam hoc Deus legitur dixisse ad Abimelech de Sara, *Propterea peperci tibi, ne peccares in me (Gen. xx, 6)*. Peccare autem Domino, vel potius peccasse Domino<sup>1</sup> (nisi forte alicubi scriptum occurrat quod huic sensui resistat), hi mihi videntur non immerito dici, qui piam pœnitentiam peccati sui nunc agunt, ut glorificentur ignoscens Dominus. Causam quippe reddens David cur dixerit, *Tibi soli peccavi, et malum<sup>2</sup> coram te feci*; subiecit et ait, *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris*: sive cum dicit Deus, *Judicate inter me et vineam meam (Isai. v, 5)*: sive de Domino Jesu Christo intelligatur, qui solus verissime dicere potuit, *Venit enim princeps mundi, et in me non habet quidquam* (id est, quidquam peccati quod morte sit dignum); *sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite, eamus hinc (Joan. xiv, 30, 31)*: tanquam diceret, *Etiam si levissima peccata mortis supplicio persequatur princeps mundi, in me non habet quidquam, sed surgite, eamus hinc, id est, ut patiar; quia in eo quod patior, voluntatem impleo Patris mei, non pœnam solvo peccati mei. Et quod Jeremias ait, Tibi peccavimus, patientia Israel, Domino utique suppliciter dicitur in pœnitentia cum spe salutis ex venia<sup>3</sup>. Et quod dictum est, Sana animam meam, quia peccavi tibi, hoc idem agitur ut Deus ignoscendo glorificetur: quia magna est ejus misericordia super con-*

<sup>1</sup> Editi, *peccare in Dominum*. At Mss., *peccasse Domino*. Recte quidem, sed paulo infra Mss. iidem et omnes editi *perperam terebant, quia piam pœnitentiam peccati sui non agunt*: cum certo certius legi debeat, *nunc agunt*: vel forte, *qui per piam pœnitentiam peccati sui hoc agunt*.

<sup>2</sup> Mss., *malignum*.

<sup>3</sup> Sic Mss. At Am. Er. et Lov., et *venia*. Rat., et *venia*.

fluentes sibi et redeuntes ad se, qui dicit se nolle mortem peccatoris, quantum<sup>4</sup> ut revertatur et vivat (*Ezech. xxxiii, 41*). Hinc et ipse David non solum in Psalmo, verum etiam cum eum Deus argueret per prophetam, non sine spe propitiationis Domini respondit, *Peccavi Domino (II Reg. xii, 13)*. Medico enim vulneratus videtur quodammodo, qui ut sanetur se subdit manibus medici, ut in eo medicinæ opus impleatur. In hoc autem cantico prævidebat Propheta futuros quosdam, qui sic fuerant peccaturi Deum offendendo magnis iniquitatibus suis, ut nec pœnitentiam agere vellect, et ad Deum redire ut sanarentur: de quibus etiam alibi dicitur, *Quoniam caro sunt, et spiritus ambulans, et non revertens (Psal. lxxvii, 39)*. Potest etiam sic intelligi, *Peccaverunt non ei*, secundum id quod non ei nocuerunt peccato suo, sed sibi.

LVI. [lb. xxxiii, 1-3.] *Et hæc benedictio quam<sup>5</sup> benedixit Moyses homo Dei filios Israel, priusquam defungeretur. Et dixit, Dominus ex Sina venit, et alluxit ex Seir nobis: festinavit ex monte Pharan cum multis millibus Cades. Ad dexteram ejus Angeli sub eo, et pepercit populo suo. Et omnes sanctificati sub manus tuas, et hi sub te sunt. Et accepit de verbis ipsius Legem, quam mandavit nobis Moyses, hæreditatem congregationibus Jacob. Et erit in dilecto princeps, congregatis principibus populorum simul tribubus Israel.* Non negligenter prætereunda est ista prophetia. Apparet quippe ista benedictio ad novum populum pertinere, quem Dominus Christus sanctificavit; ex cujus persona ista dicuntur a Moysæ, non ex persona ipsius Moysi, quod in consequentibus evidenter apparet. Nam si propterea dictum est, *Dominus ex Sina venit*, quia in monte Sina Lex data est; quid sibi vult quod sequitur, *et alluxit ex Seir nobis*: cum Seir mons Idumæa sit, ubi regnavit Esau? Deinde etiam Moyses filios Israel benedicit his verbis, sicut Scriptura prædixit, quomodo idem dicit, *Et accepit de verbis ipsius Legem, quam mandavit nobis Moyses?* Nimirum ergo prophetia est ut diximus, populum novum Christi gratia sanctificatum prænuntians, ideo sub nomine filiorum Israel quia semen est Abraham, hoc est, filii sunt promissionis, et interpretatio ejus est, *Videns Deum*. Dominus ergo qui ex Sina venit, Christus intelligendus est, quoniam Sina interpretatur, Tentatio. Venit ergo ex tentatione passionis, crucis, mortis. *Et alluxit ex Seir*. Seir interpretatur, Pilosus, quod significat peccatorem; sic enim natus est Esau odio habitus (*Gen. xxv, 25*): sed quoniam qui sedebant in tenebris et in umbra mortis, lux orta est eis (*Isai. ix, 2*); ideo alluxit ex Seir. Simul etiam non adsurde intelligitur esse prædictum, ex gentibus quæ significantur per nomen Seir, quia mons est pertinens ad Esau, venturam gratiam Christi populo Israel. Unde dicit Apostolus: *Ita et hi nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur (Rom. xi, 31)*. Ipsi ergo

<sup>4</sup> In editis, *tantum ut revertatur*. In Mss. vero, *quantum*; juxta LXX, *ὅς apostrepσαι*.

<sup>5</sup> Editi, *qua benedixit*: et inferius, *hæreditatem congregationis Jacob*: pauloque post, *simul cum tribubus Israel*. Iis in locis sequimur Mss. qui cum græco LXX conveniunt.

dicunt, *Alluxit ex Seir nobis, et festinavit ex monte Pharan*, id est, ex monte fructifero: id enim interpretatur *Pharan*, quo significatur Ecclesia. *Cum multis millibus Cades*. Et *Mutata* interpretatur *Cades*, et Sanctitudo. *Mutata* sunt ergo multa millia, et sanctificata per gratiam, cum quibus venit Christus ad Israelitas postea colligendos. Sequitur et dicit, *Ad dexteram ejus Angeli cum eo*: hoc non indiget expositione. *Et pepercit*, inquit, *populo suo*: donans remissionem peccatorum. Inde ad ipsum convertit sermonem atque ait, *Et omnes sanctificati sub manus tuas, et hi sub te sunt*: non utique superbientes, et suam justitiam volentes constituere; sed agnoscentes gratiam, ut justitiæ Dei subjiciantur (Rom. x, 5). *Et accepit*, inquit, *de verbis ipsius Legem*: populus utique de quo ait, *Et pepercit populo suo*. Accepit ergo de verbis ipsius Legem, *quam mandavit*, inquit, *nobis Moyses*: noc est, populus ejus de verbis ejus accepit Legem, quia de doctrina ejus intellexit Legem eam ipsam quam mandavit nobis Moyses. Ipse quippe ait in Evan-

gelio: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (Joan. v, 46). Non enim accepit populus ille Legem quam non intellexit; sed tunc accepit, quando intellexit de verbis ejus, carens vetamine veteri, conversus ad Dominum: hanc dicit *hereditatem congregationibus Jacob*, quæ intelligenda est non terrena, sed celestis; non temporalis, sed æterna. *Et erit*, inquit, *in dilecto princeps*: ipse utique in dilecto populo erit princeps Dominus Jesus: *congregatis principibus populorum*, id est, gentium: *simul tribus Israel*, ut intelligatur quod supra dictum est, *Lætantini gentes, simul cum populo ejus; quia cæcitas ex parte in Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (Rom. xv, 10, et xi, 25).

LVII. [lb. xxxiii, 17.] Cum Joseph benediceret, ait inter cætera, *Primogenitus tauri pulchritudo ejus*. Quod non ita legendum est, tanquam dixerit, primogenitus tauri; sed, cum sit primogenitus, pulchritudo ejus tauri est: propter crucis cornua, de Domino intelligitur figuratum.

## LIBER SEXTUS.

Questiones in Jesum Nave (a).



QUEST. I. [Jos. cap. 1, 7 5.] Dominus dicit ad Jesum Nave, *Et sicut eram cum Moyse, ita ero et tecum*. Non solum autem hoc testimonio, sed etiam in Deuteronomio multis documentis probatur Moyses ita defunctus, ut Dei famulus et Deo placens: quamvis in eolla vindicta completa sit, ne terram promissionis intraret (*Dent. xxxii, 48 52, et xxxiv, 4, 5*). Ex quo datur intelligi, Dominum etiam bonis servis suis in aliquo succensentem, et temporaliter vindicare, et tamen in eorum habere numero, quæ sunt in domo ejus vasa in honorem utilia Domino (II Tim. ii, 21), quibus daturus est promissa sanctorum.

II. [lb. i, 11; iii, 7.] Quæstio est, quomodo posteaquam locutus est Dominus ad Jesum Nave, exhortans et confirmans eum, seque promittens cum illo futurum, mandaverit idem Jesus populo per scribas, ut præpararent cibaria, quod post tres dies Jordanem fuerant transituri, cum inveniantur post multo plures dies transisse Jordanem. Cum enim hæc populo mandasset, misit exploratores in Jericho, quoniam Jordane trajecto ipsa proxima civitas occurrebat: illi autem diverterunt ad Raab mulierem fornicariam, et ab illa occultati, atque a rege quæsitii et minime inventi, eadem dimittente illos per fenestram, et momente ut triduo laterent in montanis, quatuor dies videntur esse consumpti; inde posteaquam nuntiaverunt quæ circa illos gesta fuerint, promovit Jesus cum populo universo de loco ubi erat diluculo; qui cum venisset ad Jordanem, divertit et mansit: tunc rursus populus admonetur ut post triduum se præparet transire Jordanem, arca Domini præcedente. Hinc ergo

intelligitur humanam esse dispositionem, quam fecit populo nuntari, ut cibaria præpararent, tanquam post tres dies memoratum fluvium transituri. Potuit enim hoc sicut homo sperare fieri posse, si exploratores celeriter revertissent. Quibus tardantibus intelligitur, quamvis Scriptura tacerit, ex divina dispositione cætera impleta, ut jam inciperet apud populum glorificari Jesus, et ostendi quod cum illo Dominus esset, sicut fuerat cum Moyse. Nam et hoc illi dicitur fluvium transituro, sicut scriptum est: *Et dixit Dominus ad Jesum, In die isto incipiam exaltare te coram omnibus filiis Israel, ut sciant quantum sicut eram cum Moyse, sic ero et tecum*. Nec incredibile debet videri, etiam illos enim quibus Deus loquebatur, aliquid ex humana dispositione agere voluisse, in qua sibi Deum tamen fiderent esse rectorem, coramque ex illis a quo regerantur providentia, emissa fuisse mutata. Nam et Moyses ipse utique tanquam homo putaverat esse faciendum, ut causas populi sic audiret, quemadmodum et sibi et illis, onus intolerabile subeundo, prodesset non posset: ejusque dispositio divinitus, et hoc ipsum socero ejus suggerente et monente, atque hanc admonitionem Deo approbante, mutata est (*Exod. xviii, 14-20*).

III. [lb. iii, 3, 4, 15.] Scribere populo dicunt, *Eum videritis arcam testimonii Domini Dei nostri, et sacerdotes nostros et Levitas tollentes eam, proficietis in locis vestris; et ite post eam: sed longum intervallum sit inter vos et illam, quantum duo millia cubitorum stabitis, ne propinquetis ei, ut scriatis clam quem ibitis in eam. Non enim abiistis viam ab hesternâ et nudius tertiana die.*

(a) In hujus libri 6 titulo legendum, *Jesum Nave*, ut in *Ass.*; non, *Josue*, ut in editis reperitur. [*Josue*.]

<sup>1</sup> Mes Decem et editio Ratisponensis, *viderent*.

<sup>2</sup> Sic *Ass.* At editi, *Dei vestri et sacerdotes vestros*.



Longe jussum est arcam præcedere, ut posset a populo videri. Tam grande quippe agmen, si post eam proximum pergeret, non eam videret præire, nec nosset qua sequeretur. Ex hoc autem facto intelligendum est, quod columna illa nubis, quæ solebat movendis castris signum dare, et iter ostendere (*Exod. xiii, 21*), jam recesserat, nec eis apparebat: hinc factum est ut etiam triduum illud ex humana dispositione prædiceretur (*Supra, quæst. 2*). Nunc ergo duce Jesu arcam Domini sequuntur nube subtracta tanquam velamine ablato. *Jordanis autem plenus erat per totam crepidinam suam, sicut in diebus messis tritici.* Hoc incredibile videtur regionibus nostris: ibi autem, sicut perhibent qui noverunt, in initio veris est messis tritici; tunc autem ille fluvius repletur amplius quam per hiemem.

IV. [Ib. iv, 7.] *Et erunt vobis lapides isti memoriale filiis Israel usque in æternum.* Quomodo in æternum, cum cælum et terra transeant (*Matth. xxiv, 35*)? An quoniam æternum aliquid significant hi lapides, cum ipsi æterni esse non possint? Quamvis possit quod in græco est, *τῶν τῶν αἰῶνος*, dici latine, et usque in seculum, quod non est consequens ut intelligatur æternum.

V. [Ib. iv, 15 et 16.] *Et dixit Dominus ad Jesum, dicens: Manda sacerdotibus portantibus arcam testamenti testimonii.* Solet dici arca testamenti, vel arca testimonii: nunc dicta est arca testamenti testimonii, ut non solum arcam, sed etiam ipsum testamentum, appellaretur testamentum testimonii. Hinc enim dicit Apostolus: *Nunc autem sine Lege justitia Dei manifestata est, testimonium habens per Legem et Prophetas* (*Rom. iii, 21*). In cujusdam enim rei alterius venturæ testimonium datum fuerat illud, quod dicitur Testamentum Vetus.

VI. [Ib. v, 2-7.] *Dixit Dominus ad Jesum; Fac tibi ipsi cultros de petra acutos, vel, sicut habet græcus, de petra acuta, et sedens circumcide filios Israel iterum.* In hoc præcepto quæritur cur dixerit, *iterum*. Non enim unus homo bis circumcidendus erat: sed quia unus populus erat in quibusdam circumciscus, in quibusdam non circumciscus, ideo dictum est *iterum*, ut circumciscus iterum circumcideretur, non homo, sed populus. Nam et sequentia id ostendunt. Dicit enim Scriptura: *Et fecit Jesus cultros petrinus sibi ipsi acutos, et circumcidit filios Israel in loco qui vocatur Collis præputiorum.* Hoc autem modo *circumpurgavi Jesus filios Israel, qui aliquando fuerant in via, et qui aliquando incircumcisi erant eorum qui exierant ex Ægypto; omnes istos circumcidit Jesus.* *Quadragesima enim et duobus annis conversatus est Israel in deserto Madaritime, et ideo incircumcisi erant illorum plurimi pugnatorum qui exierunt de terra Ægypti qui inobedientes fuerant mandatis Dei, in quibus et defnierat Dominus eis, ne viderent illi terram quam juraverat Dominus patribus eorum dare illis, terram fluentem lac et mel.* *Pro his autem substituit filios eorum, quos circumcidit Jesus, eo quod fuissent in itinere incircumcisi.* Manifestum est ergo non omnes fuisse, sed quosdam. Quidam enim de Ægypto exeuntium filii in illo populo incircumcisi erant, quos potuit circumcidere Jesus; illorum scilicet

SANCT. AUGUST. III.

cet filios qui genuerunt in deserto, et contempserunt eos circumcidere, quod inobedientes erant legi Dei. Nulla itaque causa est cur ii qui putant rebaptizandos eos qui habent christiani Baptismi sacramentum, hoc testimonio Legis adjuvari se putent: quia nullus his numero unus homo est circumciscus; sed populus qui jam fuerat in quibusdam circumciscus, in quibusdam vero adhuc incircumciscus erat. Et si aliquo modo id fieri posset, ut his circumcidi homineam Deus juberet; numquid possunt dicere ideo fuisse præceptum, quia illi ab Ægyptiis fuerant circumcisi, aut ab aliquibus hæreticis ab Israelitarum societate segregatis? Cum vero satis etiam appareat quare sit a Deo dictum; nullum hic possunt homines erroris sui patrocinium reperire.

VII. [Ib. v, 15-13.] Quando Jesus vidit virum contra se stantem evaginato gladio, et eo respondente dicit quod esset princeps militiæ virtutis Domini; et prostratus in terram dixit, *Quid præcipis tuo famulo?* quæri potest utrum angelo se prostraverit, eumque dixerit dominum; an potius intelligens a quo missus fuerat, ipsum Dominum dixerit, eique se prostraverit. Erat autem, sicut legitur, Jesus in Jericho, non utique in ipsa civitate, cujus muri nondum ceciderant, quod mox futurum erat, ut in eam possent intrare; sed in agro ad eam pertinente: nam interpretatio quæ est ex hebræo, sic habet.

VIII. [Ib. vii.] In eo quod factum est ut Achar de tribu Juda furaretur de anathemate civitatis Jeriche contra præceptum Domini; et propter ejus peccatum tria millia quæ missa fuerant in Gai, dederunt terga hostibus, et occisi sunt ex eis triginta sex viri; et populo graviter terrore, Jesus cum senioribus se prostravit ad Dominum, eique responsum est ideo factum esse, quod peccaverit populus; minatus est etiam Deus non se cum eis futurum, nisi abstulerint anathema de se ipsis; et quod ostensus est qui fecerat, nec solus occisus, sed cum omnibus suis: quæri solet quomodo juste pro alterius peccatis in alios vindicetur; maxime quia in Lege Dominus dixit, nec patres pro filiorum, nec filios pro patrum peccatis esse puniendos (*Deut. xxiv, 16*)? An aliud judicantibus hominibus est præceptum, ne quemquam pro altero puniant; Dei autem judicia non sunt ejusmodi, qui alto et invisibili consilio suo novit quatenus extendat etiam temporalem hominum pœnam salubrenque terrorem? Non enim aliquid dirum<sup>1</sup>, quantum attinet ad universi mundi administrationem, contingit mortalibus, cum moriuntur quandoque morituri: et tamen apud eos qui talia metuunt, disciplina sancitur, ut non se solum quisque curet in populo, sed vicem sibi adhibeant diligentiam, et tanquam unius corporis et unius hominis alia pro aliis sint membra sollicita. Nec tamen credendum est, etiam pœnis quæ post mortem irrogantur, alium pro alio posse damnari; sed in his tantum rebus hanc irrogari pœnam, quæ finem fuerant habituræ, etiamsi non eo modo finirentur. Simul etiam ostenditur quantum connexa sit in populi societate ipsa universitas, ut non in seipsis singuli, sed et

<sup>1</sup> editi, *durum*.

(Vingt-cinq.)

tanquam partes in toto existimentur. Per unius igitur peccatum mortemque paucorum admonitus est populus universus, tanquam in corpore universo querere quod admissum est. Simul etiam significatum est quantum mali fieret, si universa illa congregatio peccasset; quando ne unus quidem ita potuit judicari<sup>1</sup>, ut ab eo possent ceteri esse securi. At vero, si Achar ab aliquo inventus atque comprehensus, et illius criminis reus ad iudicium Jesu fuisset adductus, nequaquam putandum est hominem iudicem vel pro illo vel cum illo quemquam alium, qui societate facti ejus minime teneretur, fuisse puniturum. Neque enim ei mandatum Legis licebat excedere, quod datum est hominibus, ne iudicio suo, quod in hominem homini iussum sive permissum est, alterum pro alterius peccato arbitretur esse plectendum. Longe autem secretiore justitia iudicat Deus, qui potens est etiam post mortem, quod homo non potest, vel liberare vel perdere. Visibiles igitur afflictiones hominum sive mortes, quoniam his quibus ingeruntur, et obesse et prodesse possunt, novit Dominus in occulto providentiae suae quemadmodum iuste quibusque dispenset, etiam cum aliorum peccata in aliis videtur ulcisci. Pœnas vero invisibiles, quæ non nisi nocent, et prodesse non possunt, ita nullus Deo iudice pro alienis peccatis luit, sicut homine iusticie luere nullus nisi pro sua culpa istas visibiles debet. Hoc enim præcepit homini iudici Deus, in his quæ ad humanum iudicium pertinent vindicanda<sup>2</sup>, quod in suo iudicio facit ipse, quo potestas non aspirat humana.

IX. [Ib. vii, 15 et 25.] Merito queritur, cum Dominus propter illum qui de anathemate furtum fecerat, præcepit eum qui fuisset ostensus, igni cremari, cur cum ostensus Jesus lapidari potius a populo fecerit. An ita eum mori oportuit, quemadmodum Jesus, qui propius Dominum sequebatur, Domini verba iubentis intelligere potuit? Sic enim alius quisquam non facile potuit. Unde magis querendum est cur lapidationem ignem appellaverit Dominus, quam credendum Jesum aliud fecisse quam iusserat Dominus. Nam neque ad intelligendum verba Domini quisquam potuit esse sapientior, neque ad faciendum quisquam obedientior. Proinde ignis nomine pœnam potuisse significari, Scriptura testis est in Deuteronomio, ubi dicitur ad filios Israel, *Et eduxit vos de fornace ferrea ex Ægypto* (Deut. iv, 20): ubi utique duram tribulationem intelligi voluit.

Dux autem mihi causæ occurrunt (non ut ambæ sint, sed ut altera ex eis), cur non ille cum suis omnibus evidenti igne crematus sit. Si enim peccatum ejus Dominus tale esse iudicavit, quod supplicio illo expiatum non puniret in æternum, propter ipsam expiationem et purgationem congruenter illa pœna ignis nomen accepit. Neque ad hunc intellectum quisquam tendere admoneretur, si eum proprie visibilis ignis exureret; sed in eo quisque remaneret, quod aperte videlæt impletum, nec aliquid ultra quaereret:

<sup>1</sup> *scilicet Cisterciensis, vindicari.*

<sup>2</sup> *scilicet Mat. et Mss. Al. Am. Fr. et Lov., justificanda.*

nunc vero cum propter Dei verba et factum Jesu, a quo prævaricari illa verba non possent, rectissime dicitur etiam lapidationem ignem fuisse; eleganter agnoscitur illa pœna hominem, ne in posternam peccato illo interiret, fuisse purgatum. Quod significant etiam vasa in Levitico, quæ iubentur igne purgari. Si autem tale fuit illud peccatum, propter quod eum etiam post istam vitam gehenna susciperet; ideo Jesus eum voluit lapidari, ut quod a Domino dictum est, *igni cremabitur*, illud admoneret intelligi, quod Dominus faceret, non quod ab ipsis esset faciendum. Si enim dixisset Dominus, *Igni eum cremabitis et omnia ejus*; huic sensui locus nullus esset: cum vero ita positum est, ut magis videatur Deus quod ei futurum esset prædixisse, quam quod ei ab hominibus deberet fieri præcepisse; melius non potuit facere Jesus, qui divina verba sicut tantus propheta intellexit, qui etiam hoc ipsum propheticè fecit, quam ut illum lapidibus potius quam flammis interimeret, ne in illis ignibus verba Domini viderentur impleta, quæ ob aliud dicta volebat intelligi.

Nec movere debet quod non ipsum tantum, sed etiam omnia quæ sunt ejus, Deus cremanda igni prædixerit. Sic enim ait, *Igni cremabitur, et omnia quæcumque sunt ei*. Omnia enim quæcumque sunt ei, opera ejus possunt intelligi, quæ cum illo dixit esse cremanda: non sicut dicit Apostolus de quibusdam operibus igne consumptis, *ipse autem salvus erit* (1 Cor. iii, 15); si hujus peccatum ita intelligendum est, ut etiam æterno igne puniatur. Filios ergo ejus et filias cum pecoribus et omnibus quæ habebat, populus quidem cum eum puniret, simul lapidibus obruit: non tamen hoc iudicio humano, sed propheticò spiritu fecit Jesus; sive ita intelligens, *omnia quæ sunt ei*, ut nec filios censeret exceptos, lapidationis etiam pœnam pro igne ingerens; sive opera ejus quæ post mortem Deus in illo fuerat crematurus, non solum per cetera quæ illi erant, verum etiam per filios ejus significans.

Nec ideo sane credendum est eos pro peccato patris, a quo innocentes erant, etiam post mortem supplicio inferni ignis incensos. Mors quippe ista quæ omnes manet, quamvis de primo peccato veniat, tamen quia ita nati sumus, ut necessario moriendum sit, accelerata quibusdam est utilis. Unde legitur de quodam: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus* (Sap. iv, 11). Quo ergo iudicio Dei, vel misericordia, fuerit irrogata sive filiis ejus, sive illis triginta sex viris, cum omnes ab ejus peccato alieni fuerint, latet apud eum apud quem non est iniquitas (Rom. ix, 14). Verum illud in promptu est, quod et populum terribiliter oportebat querere quod admissum est; et tanto vehementius timuerunt ceteri factum ejus imitari, quanto magis humana exhorret infirmitas, et in tam magnum tamque justum populi odium dari, et eis quos ad spem propagandi generis se relicturum putabat, peccato suo secum consumptis suis posteris emori.

X. [Ib. viii, 2.] Quod Deus jubet loquens ad Jesum, ut constitat sibi retrorsus insidias, id est insidiantes

bellatores ad insidiandum hostibus, hinc admonemur non iniuste fieri ab his qui justum bellum gerunt: ut nihil homo justus precipue cogitare debeat in his rebus, nisi ut justum bellum suscipiat, cui bellare fas est; non enim omnibus fas est. Cum autem justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam interest. Justa autem bella defini solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est. Sed etiam hoc genus belli sine dubitatione justum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, et novit quid cuique fieri debeat. In quo bello ductor exercitus vel ipse populus, non tam auctor belli, quam minister judicandus est.

XI. [Ib. viii, 4-8.] Jesus mittens ad Gai debellandam triginta millia bellatorum, ait illis: *Vos insidiabimini post civitatem, et non longe eritis a civitate, et eritis omnes parati: et ego et omnis populus qui mecum est, accedemus ad civitatem. Et erit, cum exierint qui commorantur in Gal, in obviam nobis, sicut antea, et fugiemus a facie illorum. Et cum exierint post nos, adducemus illos de civitate, et dicent, Fugiunt isti a facie nostra, sicut antea. Vos autem exsurgetis ex insidiis et ibitis in civitatem. Secundum verbum istud facietis. Ecce præcipio vobis.* Quærendum est utrum omnis voluntas fallendi pro mendacis deputanda sit; et si ita est, utrum possit justum esse mendacium, quo ille fallitur, qui dignus est falli: et si ne hoc quidem mendacium justum reperitur, restat ut secundum aliquam significationem hoc, quod de insidiis factum est, ad veritatem referatur.

XII. [Ib. ix, 3-13.] Quod Gabaonitæ venerunt ad Jesum cum vetustis panibus et saccis, ut putarentur, sicut fixerant, de terra venisse longinqua, quo eis parceretur (constitutum enim erat a Domino, ne alicui terras illas inhabitanti parcerent, quo ingrediebantur): nonnulli codices et græci et latini habent, *Et accipientes saccos veteres super humeros suos*; alii vero qui veraciores videntur, non habent, *super humeros, sed, super asinos suos*. Similitudo enim verbi in græca lingua mendositatem facilem fecit, et ideo latina quoque exemplaria variata sunt: *ἄμωυ* quippe et *ἄνωυ* non multum ab invicem dissonant, quorum prius humerorum nomen est, posterius asinorum. Ideo est autem de asinis creditur, quoniam se a sua gente longinqua missos esse dixerunt: unde apparet eos fuisse legatos, et ideo magis in asinis quam in humeris necessaria portare potuisse; quia nec multi eas poterant; et non solum saccos, sed etiam utres eos portasse Scriptura commemorat.

XIII. [Ib. ix, 10.] Quæritur potest quomodo jurationem servandam esse crediderint Hebræi Gabaonitæ, quibus ita juraverant, tanquam de longinqua terra venientibus, sicut illi mentiti fuerant. Sciebant enim se debellandos, si cognitum esset Hebræis in ea terra eos habitare, quam promissam fuerant interfectis habitantibus retenturi. Mentientibus ergo quod de

longinqua terra ad eos venissent, juraverunt eis Israëlitarum. Posteaquam vero cognoverunt ibi eos habitare, ubi omnes quos invenerant secundum Dei præceptum debellare oportebat, noluerunt tamen frangere jurationem: et licet eos mentitos esse didicissent, parcere maluerunt jurationis causa; cum posset utique dicere se tantum illis jurasse<sup>1</sup>, quos eos esse crediderant, id est de longinquo venientes; cum vero aliud cognoverunt, præceptum circa eos Domini implendum erat, ut sicuti ceteri expugnarentur. Deus autem hoc approbavit, nec parentibus succensuit: quamvis cum non interrogassent quinam illi essent, et ideo eos illi fallere valuisse. Unde non importune utique credendi sunt, etsi fallere homines pro sua salute voluerunt, non tamen fallaciter Deum timuisse in populo ejus: propterea nec succensuit Dominus jurantibus aut parentibus, adeo ut postea Gabaonitas ipsos tanquam populi sui homines de domo Saül vindicaverit, sicut Regnorum ostendit historia (II Reg. xxi, 1-9). Et quoniam juratio sic servata est, quamvis in hominibus qui mentiti sunt, ut ad clementiam sententia flecteretur, non displicuit Deo. Nam si e contrario jurassent aliquos se interfecturos, quos Gabaonitas in terra promissionis esse putavissent, et postea didicissent eos esse ab illa terra extraneos, et de longinquo ad se venisse, nullo modo arbitrandum est, quod eos essent debellaturi causa jurationis implendæ: cum propter ipsam parcendi clementiam sanctus David, etiam post verba quibus se Nabal interfecturum esse juraverat, utique sciens quem fuerat interfecturus, parcere maluit, nec in re duriore implere juramentum (I Reg. xxv, 22, 33); magis Deo placere existimans, si quod ira perturbatus ad nocendum juraverat, non fecisset, quam si perfecisset.

XIV. [Ib. x, 7, 8.] Cum obsessi Gabaonitæ a regibus Amorrhæorum, misissent ad Jesum, ut sibi subveniretur; ita Scriptura sequitur, et dicit: *Et ascendit Jesus a Galgala, ipse et omnis populus bellatorum cum illo, omnis potens in fortitudine. Et dixit Dominus ad Jesum, Noli timere illos; in manus enim tuas tradidi eos: non subsistet ex illis quisquam coram vobis.* Ubi neque consultus est Dominus utrum eundem ad eos esset; sed ultro suis recte subvenire volentibus, futuram victoriam prænuñtiavit. Sic ergo posset, quamvis non consultus, de ipsis Gabaonitis admonere, qui essent, cum se longinquos esse mentirentur, nisi ei placuisset illa juratio, quæ subjectis parcere cogeret. Crediderant enim Deo, quem audierant suo populo promississe quod illas gentes subverteret, eorumque terram obtineret; et hanc eorum fidem non eo prodendo<sup>2</sup> remuneravit quodam modo.

XV. [Ib. x, 5, 6.] Quæritur quemadmodum rex civitatis Jerusalem Adonibezeech et ceteri quatuor cum quibus obsedit Gabaonitas, secundum Septuaginta interpretes, primo reges Jebusæorum cum ad eos obsidendos convenerunt, postea vero reges Amorrhæorum dicantur ab ipsis Gabaonitis, quando nuntios

<sup>1</sup> Mss., *se tanquam illis jurasse.*

<sup>2</sup> Sic Mss. cum lat. et Am. Al Fr. et Lov., *perdendo.*

miserunt ad Jesum, ut eos de obsidione liberaret. Sicut autem inspicere potuimus in ea interpretatione quæ ex hebræo est, utrobique Amorrhæorum dicuntur: cum constet Jebusæorum fuisse regem civitatis Jerusalem, quia ipsa est dicta Jebus tanquam illius gentis metropolis; et septem gentes sæpissime Scriptura commemoret, quas promisit Deus exterminaturum se esse a facie populi sui, ex quibus una perhibetur Amorrhæorum. Nisi forte hoc nomen universale fuerat omnium, aut potius majoris partis: ut non una, sed plures in his septem hoc nomine tenerentur; quamvis esset etiam una de septem, quæ Amorrhæorum proprie vocaretur sicut est pars quædam quæ proprie dicitur Libya, quamvis hoc nomen universæ Africæ cõmpetat; et pars quædam quæ proprie dicitur Asia, quamvis Asiam vel dimidium terrarum orbem quidam, vel alii tertiam partem orbis posuerint. Nam, quod constat, et Chananæi tanquam una gens in illis septem commemorantur, et tamen universa illa terra originaliter terra Chanaan vocatur.

XVI. [Ib. xi, 14 et 15.] *Non dimisit in ea Jesus quidquam spirans, sicut præcepit Dominus Moysi puero suo, et Moyses similiter præcepit Jesu, et sic fecit Jesus: non est transgressus quidquam ab omnibus quibus constituit Dominus Moysi.* Propter hoc nullo modo putanda est ista crudelitas, quod nullum vivum in civitatibus sibi traditis dimittebat Jesus, quia Deus hoc jusserrat. Qui autem existimant hinc Deum ipsum fuisse crudelem, et propter hoc Veteris Testamenti verum Deum fuisse auctorem nolunt credere, tam perverse de operibus Dei quam de peccatis hominum judicant, nescientes quid quisque pati dignus sit, et magnum putantes malum cum casura dejiciuntur, mortalesque moriuntur.

XVII. [Ib. xi, 19.] *Et non erat civitas quæ non erat tradita filiis Israel.* Quæritur quomodo hoc verum sit, cum nec temporibus postea Judicum, nec temporibus Regum omnes omnino illarum septem gentium civitates capere potuerint Hebræi. Sed aut sic intelligendum est, quod ad nullam civitatem bellando accessit Jesus quam non cepit: aut certe nulla non capta est, sed earum quæ in regionibus supra commemoratis fuerunt. Enumeratæ sunt enim regiones, in quibus fuerunt civitates de quibus facta est ista conclusio, *Et omnes cepit in bello.*

XVIII. [Ib. xi, 20.] *Quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum ad Israel, ut exterminarentur; ita ut non daretur eis misericordia, sed ut exterminarentur, sicut dixit Dominus ad Moysen.* Ita dictum est hoc per Dominum factum confortari cor eorum, hoc est obdurari cor eorum, sicut de Pharaone (Exod. vii, 3, 22, et viii, 19); quod divino altoque judicio juste fieri minime dubitandum est, cum deserit Deus et possidet inimicus: quod sic accipiendum est quemadmodum et ibi. Sed hic aliud movet, quomodo dictum sit ad hoc eis confortatum cor, ut exurgerent in bellum adversus Israel, et ob hoc eis non præberent misericordiam: quia i præbenda esset, si non bellarent; cum Deus

præceperit nulli eorum esse parcendum; et ob hoc Gabaonitis pepercerint, quia se de longinqua terra venisse fingentes eorum jurationem tenerant. Sed quoniam quibusdam ultro præbuerunt Israelitæ misericordiam, quamvis contra Dei mandatum; ad hoc dictum esse intelligendum est, istos ita bellasse, ut non eis parceretur, nec ab eis ipsis Israelitæ neglecto Dei mandato ad misericordiam flecterentur. Quod quidem duce Jesu, qui omnia diligenter divina præcepta servabat, non est credendum fieri potuisse: verumtamen nec ipse istos tam cito delevisset, nisi conspirantissime contrairent; atque ita fieri posset ut eis ab illo minime debellatis, qui Dei præcepta implere curabat, remansissent ad illud tempus, quando eis possent parcere post mortem Jesu, qui non tanta cura Dei mandata faciebant. Nam et adhuc eodem vivente quibusdam illi pepercerunt, tantummodo eos ditioni suæ subjugantes: quosdam vero nec vincere potuerunt. Verum hæc non illo duce facta sunt; sed cum jam senex vacaret a bello, tantummodo eis terras dividens; ut ipsi jam illo non bellante, divisas sibi terras partim jam hoste vacuas tenerent, partim pugnando caperent. Et quod vincere aliquis minime potuerunt, providentiæ divinæ fuisse, opportune Scripturarum certis apparebit locis.

XIX. [Ib. xvi, 10.] *Et non perdidit Ephræm Chanaanum qui habitabat in Gazer: et habitabat Chanaanæus in Ephræm usque in diem istum, donec ascendit Pharaon rex Egypti, et cepit civitatem, et incendit eam in igni; et Chanaanæos, et Pherææos, et qui habitabant in Gazer transpuxit; et dedit eam Pharaon in dotem filiae suæ.* Quod de Pharaone rege dictum est, miror si prophetice dictum intelligere debemus; cum hæc historia illis temporibus conscripta erédatur, quibus erant gesta illa recentia. Quid autem magnum eligi potuit quod prophetice diceretur, cum præterita narrentur, taceanturque futura majora, et maximo necessaria? Proinde potius existimandum est Septuaginta interpretes, qui auctoritate prophetica ex ipsa mirabili consensione interpretati esse perhibentur, hæc addidisse; non tanquam futura prænuntiantes, sed quia illo tempore ipsi erant, quo facta esse meminerrant, et in libris Regnorum legerant (III Reg. iv, 54, apud LXX; ix, 16, in Vulgata). Etenim regum temporibus factum est. Quod ideo credibile nobis visum est, quoniam inspeximus interpretationem quæ est ex hebræo, et hoc ibi non invenimus: sicut nec illud quod dictum est de Jericho, quod Hoza qui eam reparasset, incurrerit maledictum quod dixerat Jesus. Sic enim scriptum est, et adjuravit Jesus in illa die: *Maledictus homo qui resuscitabit et ædificabit civitatem illam: in primo-genito suo fundabit eam, et in novissimo suo imponet portas ejus (Josue vi, 26):* huc usque invenitur in interpretatione ex hebræo. Illud autem quod sequitur, *Et ita fecit Hoza qui ex Bethel; in Abiron primo-genito fundavit eam, et in resalvato<sup>1</sup> novissimo im-*

<sup>1</sup> Raf. et Loy., et in se salvato. Mss. duo Vaticani, locidemque ex nostris, et in resalvato. Apud LXX, kai en to diastemni. Utamen Cisterciensis vetus codex habet hic. et in

quit portas ejus (In Vulgata III Reg. xvi, 34) : hoc illic non legitur. Unde apparet a Septuaginta interpositum, qui factum esse noverant.

XX. [Ib. xix, 47 (a).] *Et Amorrhæus permansit ut habitaret in Elom et in Salumin, et gravata est manus Ephræm super eos, et facti sunt illis tributarii.* Hoc jam contra Domini præceptum siebat, et adhuc vivebat Jesus, sed dux eorum in illis præliis jam præ senectute non erat. Propter hoc dictum est, a Domino factum ut confortaretur eor illorum, qui simul conspiraverunt ire in bellum contra Jesum, ne ista illis misericordia præberetur, etiam contra Dei præceptum (Jesue xxi, 20), si remansissent non expugnati, et senescente sive defuncto Jesu relinquerentur expugnandi a filiis Israel, qui eis contra præceptum Domini possent parcere, quod ille non faceret.

XXI. [Ib. xxi, 41-43.] Merito quaeritur, cum Israel non solum usque ad diem mortis Jesu, verum etiam postea, non eradicaverit gentes quæ terram promissionis tenebant, quamvis ex parte illis debellatis in eadem promissa hæreditate consistent, quomodo intelligendum sit quod dictum est, *Et dedit Dominus Israeli omnem terram quam juraverat dare patribus eorum, et hæreditaverunt eam, et habitaverunt in ea. Et requiem dedit illis Dominus in circuitu, sicut juraverat patribus eorum : non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum ; omnes inimicos eorum tradidit Dominus eis in manus eorum. Non decidit ex omnibus verbis bonis quæ locutus est Dominus filiis Israel ; omnia adcenerunt.*

Diligenter ergo universa consideranda sunt. Et primum videndum quod gentium terra promissa sit Israelitis. Septem quidem gentes assidue videntur commemorari, sicut in Exodo legitur : *Et dixit Dominus ad Moysen, Vade, et ascende hinc tu et populus tuus, quos eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham et Isaac et Jacob, dicens, Semini vestro dabo eam : et simul mittam ante faciem tuam angelum meum, et efficiet Amorrhæum, et Cethæum, et Pheresæum, et Gergesæum, et Evæum, et Jebusæum, et Chananæum (Exod. xxxiii, 1, 2).* Harum ergo septem gentium terram videtur Deus Patribus promississe. Scriptum est etiam in Deuteronomio multo expressius : *Si autem accesseris ad civitatem expugnare eam, et evocaveris eos cum pace, siquidem pacifica responderint tibi, et aperuerint tibi, omnes populi qui inventi fuerint in civitate erunt tibi tributarii et obediens : si autem non obediierint tibi, et fecerint ad te bellum, et circumsedebis eam ; et tradet eam Dominus Deus tuus in manus tuas, et interficies omne masculinum ejus in nece gladii, præter mulieres ; et suppellectilem, et omnia pecora, et omnia quæcumque fuerint in civitate, et omnia utensilia prædaberis tibi ; et edes aut nato.* Quæ lectio collata ad lib. 3 Regum, cap. 10, v. 34, ubi in Vulgata versione legitur, *et in Segub novissimo suo* : in arabica, *et in Sagub natu nuntio*, etc., inducit ut suspicemur græcum, *diasôhenti*, profectum esse ex mendoso latino, adeoque additamentum illud non a Septuaginta interpretibus, uti credit Augustinus, sed a latinis postmodum fuisse interpositum.

(a) Apud LXX.

*omnem prædationem inimicorum tuorum, quos Dominus Deus tuus dabit tibi. Sic facies omnibus civitatibus quæ longe sunt a te valde, quæ non sunt a civitatibus gentium istarum. Ecce autem ex civitatibus istis, quas Dominus Deus tuus dat tibi hæreditare terram eorum, non vivificabis omnem vivum, sed anathemabis eos ; Cethæum, et Amorrhæum, et Chananæum, et Pheresæum, et Evæum, et Jebusæum, et Gergesæum, quemadmodum mandavit tibi Dominus Deus tuus (Deut. xx, 10-17).* Et hic istarum septem gentium terram promissam in hæreditatem, quam debellatis usque ad internecionem eisdem gentibus Israelitæ possiderent, manifestum est. Cæteras enim quæ longinquius extra istas gentes invenirentur, voluit fieri tributarias eorum, si non resisterent : si autem resisterent, etiam ipsas interfici, et in perditionem dari, exceptis pecoribus et que in prædam possent venire. Item alio loco in Deuteronomio ita legitur : *Et erit, cum induxerit te Dominus Deus tuus in terram in quam intras tibi hæreditare eam, et abstulerit gentes magnas et multas a conspectu tuo, Cethæum, et Gergesæum, et Amorrhæum, et Pheresæum, et Chananæum, et Evæum, et Jebusæum, septem gentes magnas et multas et fortiores vobis ; et tradet eos Dominus Deus tuus in manus tuas, et percuties eos, exterminio exterminabis eos. Non dispones ad eos testamentum, neque miserearis eorum, neque matrimoniis jungamini cum eis : filiam tuam non dabis filio ejus, et filiam ejus non sumes filio tuo, etc (Deut. vii, 1-3).*

Proinde his atque aliis Scripturarum locis sæpe ostenditur, harum septem gentium terras ita accepisse in hæreditatem filios Israel, ut non cum eis qui eadem terras tenebant, sed pro eis illic habitarent. Verumtamen in Genesi non istæ tantum septem gentes, sed undecim promittuntur semini Abraham. Sic enim legitur : *In die illa disposuit Dominus Deus testamentum ad Abraham, dicens, Semini tuo dabo terram hanc, a flumine Ægypti usque ad flumen magnum, flumen Euphratem, Cencæos, et Gencæos, et Cetmonæos, et Cethæos, et Pheresæos, et Raphaim, et Amorrhæos, et Chananæos, et Evæos, et Gergesæos, et Jebusæos (Gen. xv, 18-21).* Quæ ita solvitur questio, ut intelligamus hanc præcessisse prophetiam, quod in eos fines regnum fuerat porrecturus et dilataturus Salomon, de quo ita scriptum est : *Et omne propositum Salomonis, quo destinaverat ædificare in Jerusalem et Libano et in omni terra potestatis suæ : omnis populus qui derelictus est a Cethæo, et Amorrhæo, et Pheresæo, et Evæo, et Jebusæo, qui non erant ex Israel, ex filiis eorum quæ residui erant cum eis in terra, quos non consumpserant filii Israel, et subjugavit eos Salomon in tributum usque in diem hunc (III Reg. x, 22, apud LXX ; in Vulgata ix, 19-21).* Ecce residua populorum debellandorum atque omnino ex Dei præcepto perdendorum subjugavit Salomon in tributum, quos utique secundum Dei præceptum perdere debuit : sed tamen subjugati tanquam

<sup>1</sup> sic Mss. et LXX. At editi, *quam*.

<sup>2</sup> Am. Fr. et Lov., *intrabis*. Lat. et Mss. duo, *intrabit*. Alii quidam Mss., *intrat ibi*, juxta LXX.

tributarii possessi sunt. Paulo post autem ita legitur: *Et erat dominans in omnibus regibus a flumine usque ad terram Philistin, et usque ad fines Ægypti* (III Reg. x, 26, apud LXX; iv, 21, in Vulgata). Ecce ubi impletum est quod in Genesi Deus ad Abraham loquens, promittensque prædixerat. A flumine quippe hic intelligitur ab Euphrate: magnum enim flumen in illis locis, etiam proprio nomine non addito, potest intelligi. Neque enim de Jordane hoc accipi potest, cum et citra Jordanem et ultra Jordanem jam terras Israelitæ obtinuerant et ante regnum Salomonis. Ergo a flumine Euphrate ex partibus orientis, usque ad fines Ægypti, quæ pars illis erat ab occidente, regnum Salomonis Scriptura Regnorum dixit fuisse porrectum. Tunc ergo amplius subjugatum est, quam septem illæ gentes tenebant; ac per hoc tunc in servitutem reductæ sunt, non septem, sed undecim gentes. Quod enim in Regnorum libris scriptum est, *usque ad fines Ægypti a flumine*, cum Scriptura ab oriente usque ad occidentem quantum porrectum esset regnum, vellet ostendere; hoc idem in Genesi, cum ab occidente usque ad orientem præstineretur, dictum est, *a flumine Ægypti usque ad flumen magnum Euphratem*. Flumen quippe Ægypti, qui finis est determinans regnum Israel ab Ægypto, non est Nilus, sed alius est non magnus fluvius, qui fluit per Rhinocoruram<sup>1</sup> civitatem, unde jam ad orientem versus incipit terra promissionis. Sic ergo fuerat constitutum filiis Israel, ut septem gentium terras, exterminatis et perditis illis gentibus, ipsi inhabitarent; aliis autem regnarent subditis atque tributariis usque ad flumen Euphratem. Et quamvis in hoc Deo non obtemperassent, quia et ex illis quas exterminare deberent, obediens aliquos fecerant; Deus tamen temporibus Salomonis fidem suæ promissionis implevit.

Nunc itaque in libro Jesu Nave quod considerare suscepimus, quomodo erit verum, *Et dedit Deus Israeli omnem terram quam juraverat dare patribus eorum, et hæreditaverunt eam?* quomodo adhuc vivente Jesu omnem terram dedit, cum etiam reliquias illarum septem gentium nondum superavissent? Nam quod sequitur, *et hæreditaverunt eam*, verum est; quia ibi erant, ibique consederant. Deinde quod adjungit, *Et requiem dedit illis Dominus in circuitu, sicut juraverat patribus eorum*, verum est; quia vivo adhuc Jesu non eis quidem cedebant reliquias illarum gentium, sed nulla earum eos in terris ubi consederant, bello lacessere audebat. Ideo dictum est et quod deinde adjungitur, *Non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum*. Quod vero sequitur, *Sed omnes inimicos eorum tradidit Dominus illis in manus eorum*; hos intelligi voluit inimicos, qui obviam ire in bellum ausi sunt. Deinde quod dicit, *Non decedit ex omnibus verbis bonis quæ locutus est Dominus filiis Israel; omnia advenerunt*; ita vult intelligi, quia cum jam illi contra præceptum

Domini fecissent, quibusdam parcondo ex illis septem gentibus, et eos obediens faciendo, adhuc tamen inter eos salvi erant. Ideo cum dixisset, *ex omnibus verbis*, addidit, *bonis*; quia nondum evenerant maledicta contemptoribus et transgressoribus constituta. Restat ergo ut quod ait, *Dedit Dominus Israeli omnem terram quam juraverat dare patribus eorum*, secundum hoc intelligatur, quia etsi adhuc erant ex illis gentibus reliquæ conterendæ et exterminandæ, vel ex aliis usque ad flumen Euphratem, aut subjugandæ si non resisterent, aut perendæ si resisterent; tamen in usum eorum relictæ sunt, in quibus exercebantur, ne carnalibus affectibus et cupiditatibus infirmi, repentinam tanquam rerum temporalium prosperitatem modeste ac salubriter sustinere non possent, sed clati citius interirent, quod opportune alio loco demonstrabitur. Omnis ergo illis terra data est; quia et illa pars quæ nondum fuerat in possessionem data, jam data fuerat in quamdam exercitationis utilitatem.

XXII. [Ib. XXI, 42.] Quod ait, *Non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum*, quæri potest quomodo verum sit, cum de tribu Dan superius scriptum sit, quod eos hostes eorum non permisissent descendere in vallem, et prævaluerint eis in montibus (*Josue XIX, 48, apud LXX*). Sed quod diximus cum duodecim filios Jacob Scriptura in Mesopotamia natos commemorasset, ubi non fuerat natus Benjamin (*Quæst. in Gen., quæst. 117*); hoc etiam hic intelligendum est, quia pro universo populo undecim<sup>2</sup> tribus deputatæ sunt, ea regula quæ aliis Scripturarum locis nobis satis innotuit. Causa autem si quæritur, cur hæc tribus in ea sorte quæ illi obvenit, non obtinuerit sufficientes terras, et ab eis a quibus tenebantur afflicta sit; in Dei quidem secreto consilio esse credendum est. Verumtamen cum Jacob filios suos benediceret, talia dixit de isto Dan, ut de ipsa tribu existimeretur exsurrecturus Antichristus (*Gen. XLIX, 17*). Unde nunc dicere plura non suscipimus, cum etiam sic solvi possit hæc quæstio, quia *non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum*, cum simul sub unius ducis imperio bellum gèrent, antequam singulis tribubus sua defendenda dividerentur loca.

XXIII. [Ib. XII, 23.] *Et in sacrificiis salutarium nostrorum*. Quia pluraliter dicta sunt sacrificia, pluraliter etiam salutaria. Ubi advertendum est diligentius, quemadmodum dici solet sacrificium salutaris; quoniam si Christum acceperimus, quoniam ipse dictus est *Salutare Dei* (*Luc. II, 30*), non occurrit quemadmodum pluraliter possit hoc verbum intelligi. Unus enim Dominus noster Jesus Christus (*I Cor. VII, 6*): quamvis dicantur christi per ejus gratiam, sicut in Psalmo legitur, *Nolite tangere christos meos* (*Psal. CIV, 15*). Sed utrum salutares dici possint, vel salutaria, non facile audendum est<sup>3</sup>: solus enim ipse Salvator corporis.

XXIV. [Ib. XXI, 44.] Quod dicit Jesus de sua pro-

<sup>1</sup> Ita in vetustis codicibus et in editione Rat. scribitur. Et apud Er et Lov., *Rhinocoturam*: apud Am., *Rhinocoruram*.

<sup>2</sup> Editi, *duodecim*. At nostri omnes Mss., *undecim*.

<sup>3</sup> Vaticani Mss., *audendum est*.

pinquante morte, *Ego autem recurro viam, sicut et omnes qui super terram*; in ea interpretatione quæ est ex hebræo invenimus, *ingredior viam*. Ita ergo accipiendum est quod Septuaginta dixerunt, *recurro*, sicut dictum est homini, *Donec revertaris in terram unde sumptus es* (Gen. iii, 19); ut secundum corpus dictum intelligatur. Secundum animam vero, si voluerimus ita accipere, quemadmodum in Ecclesiaste positum est, *Et spiritus revertetur ad Deum qui dedit eum* (Eccl. xii, 7); non arbitror de omnibus posse dici, sed de iis qui sic vixerint, ut ad Deum redire mereantur, tanquam ad auctorem a quo creati sunt. Neque enim hoc et de illis recte intelligi potest, de quibus dicitur, *Spiritus ambulans et non revertens* (Psal. lxxvii, 39). Iste autem vir sanctus Jesus Nave si non addidisset, *sicut et omnes qui super terram*, nulla esset quæstio; neque enim aliud de illo crederemus, quam quo eum dignum esse legimus: cum vero additum est, *sicut et omnes qui super terram*; mirum si hoc, quod latinus interpret *recurro* posuit, non magis *percurro* vel *excurro* dicendum est, si hoc potest dici quod græcus habet ἀποτρέχω. Omnes enim percurrunt, vel excurrunt hujus vitæ viam, cum ad ejus finem pervenerint. Sed quia hoc verbum positum est, ubi parentes Rebeccæ dicunt ad servum Abraham, *Eccæ Rebecca; accipiens recurre, et sit uxor domini tui* (Gen. xxiv, 51); ideo et hic ita hoc verbum interpretatum est.

XXV. [Ib. xxiv, 3.] Quod Septuaginta interpretes habent, *Et assumpsi patrem vestrum Abraham de trans flumen, et deduxi eum in omnem terram*; interpretatio quæ est ex hebræo habet, *et induxi eum in terram Chanaan*. Mirum est ergo si Septuaginta pro terra Chanaan, omnem terram ponere voluerunt, nisi intuentes prophetiam, ut magis ex promissione Dei tanquam factum accipiatur, quod certissime futurum in Christo et in Ecclesia prænuntiabatur, quod est verum semen Abraham; non in filiis carnis, sed in filiis promissionis.

XXVI. [Ib. xxiv, 11.] *Et bellaverunt adversus vos qui habitabant Jericho*. Querri potest quomodo id verum sit, cum clausis portis se murorum ambitu tantummodo tuerentur. Sed recte dictum est, quia et claudere adversus hostem portas, ad bellum pertinet. Non enim miserunt legatos qui poscerent pacem. Unde si dictum esset, *Pugnaverunt adversum vos*, falsum esset. Neque enim bellum continuas pugnas habet, sed aliquando crebras, aliquando raras, aliquando nullas. Bellum est tamen quando est quodam modo armata dissensio<sup>1</sup>.

XXVII. [Ib. xxiv, 12.] Quid est, quod inter cetera quæ Jesus Nave erga Israelitas Dominum fecisse commemorat, dicit, *Misit ante vos vespas, et ejecit illos a facie vestra*<sup>2</sup>: quod etiam in libro Sapientiæ legitur (Sap. xii, 8), nec tamen uspiam factum esse in iis

quæ gesta sunt, invenitur? An forte translato verbo, vespas intelligi voluit acerrimos timoris aculeos, quibus quodam modo volantibus rumoribus pungebantur, ut fugerent, aut aërios occultos spiritus, quod in Psalmo dicit, *Per angelos malignos* (Psal. lxxvii, 49)? Nisi forte quis dicat, non omnia quæ facta sunt, esse conscripta; et hoc quoque visibiliter factum, ut veras vespas velit intelligi.

XXVIII. [Ib. xxiv, 19.] Quid est, quod dixit Jesus ad populum, *Non poteritis servire Domino, quia Deus sanctus est*. An quia illius sanctitati perfecta servitute quodam modo temperari, humanæ fragilitati impossibile est? Quo audito, isti non solum ejus eligere servitutem, sed etiam de adjutorio ejus et misericordia præsumere debuerunt: quam ille intellexit, qui dicit in Psalmo, *Ne intres in iudicium cum servo tuo; quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (Psal. cxlii, 2). Isti autem de se potius præsumere delegerunt, quod Deo possent sine ulla offensione servire, ut jam tunc inciperent, quod de illis expressit Apostolus: *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere justitiæ Dei non sunt subjecti* (Rom. x, 3). Ita eis jam Lex subintrabat, ut abundaret delictum, et postea superabundaret gratia per Dominum Christum (Id. v, 20, 21), qui finis est Legis, ad justitiam omni credenti (Id. x, 4).

XXIX. [Ib. xxiv, 23.] Quid est quod ait idem Jesus loquens ad populum, *Et nunc circumauferite deos alienos qui sunt in vobis, et dirigite corda vestra ad Dominum Deum Israel*. Non enim credendi sunt adhuc habuisse apud se aliqua gentium simulacra, cum superius eorum obedientiam prædicaverit: aut vero si haberent, post tantas Legis comminationes, illa eos prospera sequerentur; cum sic in eos vindicatum sit, quod unus eorum de anathemate furtum fecerat. Denique Jacob dixit hoc eis qui cum illo exierant de Mesopotamia, ubi sic idola colebantur, ut et Rachel paterna furaretur (Gen. xxxi, 19): sed post illam admonitionem Jacob, dederunt quæ habebant (Id. xxxv, 2, 4); unde apparuit hoc eis ita dictum esse, quia sciebat eos habere ille qui dixerat. Nunc vero post hanc admonitionem Jesu Nave nullus tale aliquid protulit. Nec tamen putandum est hoc illum inaniter præcepisse; non enim ait, *Et nunc auferite deos alienos si qui sunt in vobis*; sed omnino tanquam sciens esse, *qui sunt*, inquit, *in vobis*. Proinde Propheta sanctus in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo alienas a Deo, et ipsas admonebat auferri. Quisquis enim talem cogitat Deum qualis non est Deus, alienum Deum utique et falsum in cogitatione portat. Quis est autem qui sic cogitet Deum quemadmodum ille est? Ac per hoc relinquitur fidelibus, quamdiu peregrinantur a Domino (II Cor. v, 6), auferre a corde suo irruentia vana phantasmata, quæ se cogitantibus ingerunt, velut talis aut talis sit Deus, qualis utique non est: et dirigere cor ad illum fideliter, ut quemadmodum et quantum nobis expedire novit, ipse se insinuet per Spiritum suum, donec assumatur omne mendacium, unde dictum est, *Omnia*

<sup>1</sup> Sic omnes Mss. Al editi, *quando portæ hostibus clauduntur: et quodammodo armata defenso*.

<sup>2</sup> Ilic post, *et ejecit illos*, addimus ex Mss., *a facie vestra*. In græco nunc est, *apud prosopon hinc, a facie vestra*.



tributarii possessi sunt. Paulo post autem ita legitur: *Et erat dominans in omnibus regibus a flumine usque ad terram Philistin, et usque ad fines Ægypti* (III Reg. x, 26, apud LXX; iv, 21, in Vulgata). Ecce ubi impletum est quod in Genesi Deus ad Abraham loquens, promittensque prædixerat. A flumine quippe hic intelligitur ab Euphrate: magnum enim flumen in illis locis, etiam proprio nomine non addito, potest intelligi. Neque enim de Jordane hoc accipi potest, cum et citra Jordanem et ultra Jordanem jam terras Israelitæ obtinuerant et ante regnum Salomonis. Ergo a flumine Euphrate ex partibus orientis, usque ad fines Ægypti, quæ pars illis erat ab occidente, regnum Salomonis Scriptura Regnorum dixit fuisse porrectum. Tunc ergo amplius subjugatum est, quam septem illæ gentes tenebant; ac per hoc tunc in servitutem reductæ sunt, non septem, sed undecim gentes. Quod enim in Regnorum libris scriptum est, *usque ad fines Ægypti a flumine*, cum Scriptura ab oriente usque ad occidentem quantum porrectum esset regnum, vellet ostendere; hoc idem in Genesi, cum ab occidente usque ad orientem præfuerit, dictum est, *a flumine Ægypti usque ad flumen magnum Euphratem*. Flumen quippe Ægypti, qui finis est determinans regnum Israel ab Ægypto, non est Nilus, sed alius est non magnus fluvijs, qui fluit per Rhinocoruram<sup>1</sup> civitatem, unde jam ad orientem versus incipit terra promissionis. Sic ergo fuerat constitutum filiis Israel, ut septem gentium terras, exterminatis et perditis illis gentibus, ipsi inhabitarent; aliis autem regnarent subditis atque tributariis usque ad flumen Euphratem. Et quamvis in hoc Deo non obtemperassent, quia et ex illis quas exterminare debent, obedientes aliquos fecerant; Deus tamen temporibus Salomonis fidem suæ promissionis implevit.

Nunc itaque in libro Jesu Nave quod considerare suscepimus, quomodo erit verum, *Et dedit Deus Israeli omnem terram quam juraverat dare patribus eorum, et hæreditaverunt eam?* quomodo adhuc vivente Jesu omnem terram dedit, cum etiam reliquias illarum septem gentium nondum superavissent? Nam quod sequitur, *et hæreditaverunt eam*, verum est; quia ibi erant, ibique consederant. Deinde quod adjungit, *Et requiem dedit illis Dominus in circuitu, sicut juraverat patribus eorum*, verum est; quia vivo adhuc Jesu non eis quidem cedebant reliquias illarum gentium, sed nulla carum eos in terris ubi consederant, bello lacessere audebat. Ideo dictum est et quod deinde adjungitur, *Non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum*. Quod vero sequitur, *Sed omnes inimicos eorum tradidit Dominus illis in manus eorum*; hos intelligi voluit inimicos, qui obviam ire in bellum ausi sunt. Deinde quod dicit, *Non decedit ex omnibus verbis bonis quæ locutus est Dominus filiis Israel; omnia advenerunt*; ita vult intelligi, quia cum jam illi contra præceptum

Domini fecissent, quibusdam parcondo ex illis septem gentibus, et eos obedientes faciendo, adhuc tamen inter eos salvi erant. Ideo cum dixisset, *ex omnibus verbis*, addidit, *bonis*; quia nondum evenerant maledicta contemptoribus et transgressoribus constituta. Restat ergo ut quod ait, *Dedit Dominus Israeli omnem terram quam juraverat dare patribus eorum*, secundum hoc intelligatur, quia etsi adhuc erant ex illis gentibus reliquæ conterendæ et exterminandæ, vel ex aliis usque ad flumen Euphratem, aut subjugandæ si non resisterent, aut perdendæ si resisterent; tamen in usum eorum relictæ sunt, in quibus exercebantur, ne carnalibus affectibus et cupiditatibus infirmi, repentinam tanquam rerum temporalium prosperitatem modeste ac salubriter sustinere non possent, sed elati citius interirent, quod opportune alio loco demonstrabitur. Omnino ergo illis terra data est; quia et illa pars quæ nondum fuerat in possessionem data, jam data fuerat in quamdam exercitationis utilitatem.

XXII. [Ib. XXI, 42.] Quod ait, *Non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum*, quæritur quomodo verum sit, cum de tribu Dan superius scriptum sit, quod eos hostes eorum non permisissent descendere in vallem, et prævaluerint eis in montibus (Josue XIX, 48, apud LXX). Sed quod diximus cum duodecim filios Jacob Scriptura in Mesopotamia natos commemorasset, ubi non fuerat natus Benjamin (Quæst. in Gen., quæst. 117); hoc etiam hic intelligendum est, quia pro universo populo undecim<sup>2</sup> tribus deputatæ sunt, ea regula quæ aliis Scripturarum locis nobis satis innotuit. Causa autem si quæritur, cur hæc tribus in ea sorte quæ illi obvenit, non obtinuerit sufficientes terras, et ab eis a quibus tenebantur afflicta sit; in Dei quidem secreto consilio esse credendum est. Verumtamen cum Jacob filios suos benediceret, talia dixit de isto Dan, ut de ipsa tribu existimeretur exsurrecturus Antichristus (Gen. XLIX, 17). Unde nunc dicere plura non suscipimus, cum etiam sic solvi possit hæc quæstio, quia *non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum*, cum simul sub unius ducis imperio bellum gèrent, antequam singulis tribubus sua defendenda dividerentur loca.

XXIII. [Ib. XXII, 23.] *Et in sacrificiis salutarium nostrorum*. Quia pluraliter dicta sunt sacrificia, pluraliter etiam salutaria. Ubi advertendum est diligentius, quemadmodum dici solet sacrificium salutaris; quoniam si Christum acceperimus, quoniam ipse dictus est *Salutare Dei* (Luc. II, 30), non occurrit quemadmodum pluraliter possit hoc verbum intelligi. Unus enim Dominus noster Jesus Christus (I Cor. VII, 6): quamvis dicantur christi per ejus gratiam, sicut in Psalmo legitur, *Nolite tangere christos meos* (Psal. CIV, 15). Sed utrum salutares dici possint, vel salutaria, non facile audendum est<sup>3</sup>: solus enim ipse Salvator corporis.

XXIV. [Ib. XXIII, 14.] Quod dicit Jesus de sua pro-

<sup>1</sup> Editi, *duodecim*. At nostri omnes Mss., *undecim*.

<sup>2</sup> Vaticani Mss., *audendum est*.

<sup>3</sup> Ita in vetustis codicibus et in editione Rat. scribitur. At apud Er et Lov., *Rhinocoturam*: apud Am., *Rhinocoturam*.



pinquante morte, *Ego autem recurro viam, sicut et omnes qui super terram*; in ea interpretatione quæ est ex hebræo invenimus, *ingredior viam*. Ita ergo accipiendum est quod Septuaginta dixerunt, *recurro*, sicut dictum est homini, *Donec revertaris in terram unde sumptus es* (*Gen. iii, 19*); ut secundum corpus dictum intelligatur. Secundum animam vero, si voluerimus ita accipere, quemadmodum in Ecclesiaste positum est, *Et spiritus revertetur ad Deum qui dedit eum* (*Eccle. xii, 7*); non arbitror de omnibus posse dici, sed de iis qui sic vixerint, ut ad Deum redire mereantur, tanquam ad auctorem a quo creati sunt. Neque enim hoc et de illis recte intelligi potest, de quibus dicitur, *Spiritus ambulans et non revertens* (*Psal. lxxvii, 59*). Iste autem vir sanctus Jesus Nave si non addidisset, *sicut et omnes qui super terram*, nulla esset quæstio; neque enim aliud de illo crederemus, quam quo eum dignum esse legimus: cum vero additum est, *sicut et omnes qui super terram*; mirum si hoc, quod latinus interpretis *recurro* posuit, non magis *percurro* vel *excurro* dicendum est, si hoc potest dici quod græcus habet ἀποστρέχω. Omnes enim percurrunt, vel excurrunt hujus vitæ viam, cum ad ejus finem pervenerint. Sed quia hoc verbum positum est, ubi parentes Rebeccæ dicunt ad servum Abrahæ, *Eccce Rebecca; accipiens recurre, et sit uxor domini tui* (*Gen. xxiv, 51*); ideo et hic ita hoc verbum interpretatum est.

XXV. [Ib. xxiv, 3.] Quod Septuaginta interpretes habent, *Et assumpsi patrem vestrum Abraham de trans flumen, et deduxi eum in omnem terram*; interpretatio quæ est ex hebræo habet, *et induxi eum in terram Chanaan*. Mirum est ergo si Septuaginta pro terra Chanaan, omnem terram ponere voluerunt, nisi inucentes prophetiam, ut magis ex promissione Dei tanquam factum accipiatur, quod certissime futurum in Christo et in Ecclesia prænuntiabatur, quod est verum semen Abrahæ; non in filiis carnis, sed in filiis promissionis.

XXVI. [Ib. xxiv, 11.] *Et bellaverunt adversus vos qui habitabant Jericho*. Quæri potest quomodo id verum sit, cum clausis portis se murorum ambitu tantummodo tuerentur. Sed recte dictum est, quia et claudere adversus hostem portas, ad bellum pertinet. Non enim miserunt legatos qui poscerent pacem. Unde si dictum esset, *Pugnaverunt adversum vos*, falsum esset. Neque enim bellum continuas pugnas habet, sed aliquando crebras, aliquando raras, aliquando nullas. Bellum est tamen quando est quodam modo armata dissensio<sup>1</sup>.

XXVII. [Ib. xxiv, 12.] Quid est, quod inter cetera quæ Jesus Nave erga Israelitas Dominum fecisse commemorat, dicit, *Misit ante vos vespas, et eiecit illos a facie vestra*<sup>2</sup>: quod etiam in libro Sapientiæ legitur (*Sap. xii, 8*), nec tamen uspiam factum esse in iis

quæ gesta sunt, invenitur? An forte translato verbo, vespas intelligi voluit acerrimos timoris aculeos, quibus quodam modo volantibus rumoribus pungebantur, ut fugerent, aut aerios occultos spiritus, quod in Psalmo dicit, *Per angelos malignos* (*Psal. lxxvii, 49*)? Nisi forte quis dicat, non omnia quæ facta sunt, esse conscripta; et hoc quoque visibiliter factum, ut veras vespas velit intelligi.

XXVIII. [Ib. xxiv, 19.] Quid est, quod dixit Jesus ad populum, *Non poteritis servire Domino, quia Deus sanctus est*. An quia illius sanctitati perfecta servitute quodam modo contemperari, humanæ fragilitati impossibile est? Quo audito, isti non solum ejus eligere servitatem, sed etiam de adjutorio ejus et misericordiæ præsumere debuerunt: quam ille intellexit, qui dicit in Psalmo, *Ne intres in iudicium cum servo tuo; quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal. cxlii, 2*). Isti autem de se potius præsumere delegerunt, quod Deo possent sine ulla offensione servire, ut jam tunc inciperent, quod de illis expressit Apostolus: *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom. x, 3*). Ita eis jam Lex subintrabat, ut abundaret delictum, et postea superabundaret gratia per Dominum Christum (*Id. v, 20, 21*), qui finis est Legis, ad justitiam omni credenti (*Id. x, 4*).

XXIX. [Ib. xxiv, 23.] Quid est quod ait idem Jesus loquens ad populum, *Et nunc circumauferte deos alienos qui sunt in vobis, et dirigite corda vestra ad Dominum Deum Israel*. Non enim credendi sunt adhuc habuisse apud se aliqua gentium simulacra, cum superius eorum obedientiam prædicaverit: aut vero si haberent, post tantas Legis comminationes, illa eos prospera sequerentur; cum sic in eos vindictatum sit, quod unus eorum de anathemate furtum fecerat. Denique Jacob dixit hoc eis qui cum illo exierant de Mesopotamia, ubi sic idola colebantur, ut et Rachel paterna furaretur (*Gen. xxxi, 19*): sed post illam admonitionem Jacob, dederunt quæ habebant (*Id. xxxv, 2, 4*); unde apparuit hoc eis ita dictum esse, quia sciebat eos habere ille qui dixerat. Nunc vero post hanc admonitionem Jesu Nave nullus tale aliquid protulit. Nec tamen putandum est hoc illum inaniter præcepisse; non enim ait, *Et nunc auferte deos alienos si qui sunt in vobis*; sed omnino tanquam sciens esse, *qui sunt*, inquit, *in vobis*. Proinde Propheta sanctus in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo alienas a Deo, et ipsas admonebat auferri. Quisquis enim talem cogitat Deum qualis non est Deus, alienum Deum utique et falsum in cogitatione portat. Quis est autem qui sic cogitet Deum quemadmodum ille est? Ac per hoc relinquatur fidelibus, quamdiu peregrinantur a Domino (*II Cor. v, 6*), auferre a corde suo irruentia vana phantasmata, quæ se cogitantibus ingerunt, velut talis aut talis sit Deus, qualis utique non est: et dirigere cor ad illum fideliter, ut quemadmodum et quantum nobis expedire novit, ipse se insinuet per Spiritum suum, donec assumatur omne mendacium, unde dictum est, *Omnia*

<sup>1</sup> Sic omnes Mss. At editi, *quando portæ hostibus clauduntur: et quodammodo armata defenso.*

<sup>2</sup> Itic post, *et eiecit illos*, additum ex Mss., *a facie vestra*. In græco nunc est, *apo prosôpon hêmôn, a facie nostra.*

homo mendax (Psal. cxv, 11); et transacta non solum impla falsitate, verum etiam ipso speculo et ænigmate, facie ad faciem cognoscamus, sicut et cogniti sumus: quemadmodum Apostolus dicit, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc scio ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (I Cor. xiii, 12).

XXX. [lb. xxiv, 25-27.] *Et disposuit Jesus testamentum ad populum in illo die, et dedit illi Legem et iudicium in Silo coram tabernaculo Domini Dei Israel. Et scripsit verba hæc in libro Legis Dei; et accepit lapidem magnum, et statuit illum Jesus sub terebintho ante Dominum. Et dixit Jesus ad populum: Ecce lapis iste erit vobis in testimonium, quia hic audivit omnia quæ dicta sunt a Domino, quæcumque locutus est ad vos hodie, et hic erit vobis in testimonium in novissimis diebus, cum mentiti fueritis Domino Deo vestro.* Hæc verba qui non in superficie tantum audiunt, sed aliquanto altius perscrutantur, nequaquam tantum virum tam insipientem putare debent, ut verba Dei quæ locutus est populo, inanimam lapidem audisse crediderit: qui etiamsi ab artifice in hominis similitudinem effligatus esset, inter illos utique deputaretur, de quibus in Psalmo canitur, *Aures habent, et non audient* (Psal. cxviii, 6). Neque enim idola Gentium aurum et argentum sola non audiunt, et, si lapidea sint, audiunt. Sed per hunc lapidem profecto illum significavit, qui fuit lapsus offensionis non credentibus Judæis, et petra scandali; qui cum reprobaretur ab ædificantibus, factus est in caput anguli (Psal. cxvii, 22, et I Pet. ii, 7, 8): quem præfiguravit et illa petra quæ potum sitienti populo, ligno percussa profudit (Exod. xvii, 6); de qua dicit Apostolus, *Bibebant autem de spirituali sequenti petra; petra autem erat Christus* (I Cor. x, 4). Unde et cultellis petrinis populum circumcidit iste ductor egregius (Josue v, 2, 3): qui cultri petri cum illo etiam sepulti sunt, ut profundum mysterium demonstrarent posteris profuturum. Sic ergo et istum lapidem, quantum visibiliter statutum, spiritualiter debemus accipere, in testimonium futurum Judæis infidelibus, hoc est mentitibus; de quibus dicit Psalmus, *Inimici Domini mentiti sunt ei* (Psal. lxxx, 16). Neque enim frustra, cum jam Dei famulus Moyses, vel potius per eum Deus disposuisset ad populum testamentum, quod in arca erat, quæ dicta est arca testamenti, et in libris Legis tanta sacramentorum et præceptorum multiplicitate conscriptis (Exod. xxiv, 3, etc.); tamen etiam hic dictum est, *Disposuit Jesus ad populum testamentum in illa die.* Repetitio quippe testamenti Novum Testamentum significat; quod significat et Deuteronomium,

quod interpretatur Secunda lex; quod significant et prioribus contractis tabulæ renovatæ (Exod. xxxiv, 1, 4). Multis enim modis significandum quod uno modo implendum fuit. Jamvero quod sub terebintho statutus est lapis, hoc significat, quod virga ad petram, ut aqua profunderet; quia neque hic sine ligno statutus est lapis. Ideo autem subter, quia non fuisset in cruce exaltatus, nisi humilitate subjectus; vel quod illo tempore, quo id faciebat Jesus Nave, adhuc obumbrandum mysterium fuit. Terebinthi etiam lignum medicinale lacrymam exsudat, quæ arbor a Septuaginta interpretibus hoc loco posita est, quamvis secundum alios interpretes quercus legatur.

Mirum est sane quod saltem in novissimis suis verbis, quibus populum allocutus est Jesus homo Dei, nihil eos objurgavit, ex eo quod his gentibus pepercissent, quas Dominus usque ad interfectionem cum anathemate perdendas esse præcepit. Sic enim scriptum est: *Et factum est, postquam invaluerunt filii Israel, et fecerunt Chananæos obaudientes, exterminio autem eos non exterminaverunt* (Josue xvii, 13). Nam primo id eos non potuisse, Scriptura testata est: sed nunc posteaquam prævaluerunt, ita ut facerent obaudientes, quod non etiam exterminaverunt, utique contra præceptum Domini factum est: quod non est cuiquam factum, cum Jesus exercitum duceret. Cur ergo non eos objurgavit allocutione novissima, quod in hoc Domini præcepta neglexerunt? An forte quia prius dixit eos Scriptura non potuisse, utique anteaquam prævalerent, etiam cum prævaluissent timuisse credendi sunt, ne forte paratis obaudire si parcere nolissent, acrius eos adversum se ex ipsa desperatione pugnare compellerent, et eos superare non possent? Hunc ergo eis humanum timorem Dominus noluit imputare, etsi apparet in eo quædam subdefectio fidei, quæ si fortis in eis esset, ea sequerentur quæ ipsam Jesum bellantem secuta sunt. Quia vero non in eis tanta fides fuit, etiam cum adversariis suis prævaluissent, pugnare cum eis usque ad interfectionem eorum timore non ausi sunt. Quem timorem, ut dixi, non de malitia, neque de superbia vel contemptu præcepti dominici, sed de animi infirmitate venientem, noluit eis Dominus imputare, cum eis per Jesum novissima loqueretur. Unde et Apostolus: *Alexander, inquit, ararius multa mala mihi ostendit; reddet illi Dominus secundum opera ipsius.* De his autem qui eum periclitantem, non malitia, sed timore deseruerant, ita locutus est: *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur* (II Tim. iv, 14, 16).

## LIBER SEPTIMUS.

Questiones in Judices.



QUEST. I. [Jud. cap. i.] In fine libri Jesu Nave breviter narrator porrexit historiam, quo usque filii Israel ad colendos deos alienos declinaverunt: in hoc autem

libro ad ordinem reditur, quomodo consequentia gesta fuerint post mortem Jesu Nave. Non ergo ab illo tempore incipit liber, quo populus ad colenda simulacra

defluxit; sed a prioribus interpositis temporibus, quibus ea gesta sunt, post quæ ad illa pervenit.

II. [Ib. 1, 1-3.] *Et factum est postquam defunctus est Jesus, interrogabant filii Israel in Domino<sup>1</sup> dicentes: Quis ascendet nobiscum ad Chananæum dux ad debellandum eum?* Et dixit Dominus: Judas ascendet; ecce dedi terram in manu<sup>2</sup> ipsius. Illic quæritur utrum aliquis homo Judas vocabatur, an ipsam tribum, ita ut solet, sic appellavit. Sed illi qui interrogaverant Dominum, post mortem Jesu Nave ducem requirebant; unde putatur unius expressum hominis nomen. Verum, quia non solet duces nominare Scriptura cum constituuntur, nisi commemorata etiam origine parentum, et constat post Jesum duces habuisse populum Israel, quorum primus est Gothoniel filius Cenez; rectius intelligitur nomine Judæ, tribum Juda fuisse significatam. Ab ipsa enim tribu voluit Dominus incipere conteri Chananæos. Et cum populus de duce interrogasset, ad hoc valuit responsio Domini, ut scirent Deum noluisse<sup>3</sup> ab universo populo bellari adversus Chananæos. Dixit ergo, *Judas ascendet*. Et sequitur Scriptura narrans, *Et dixit Judas ad Simeon fratrem suum: utique tribus ad tribum. Non enim adhuc vivebant illi filii Jacob qui dicti sunt Judas et Simeon, inter cæteros fratres suos propriis nominibus appellati; sed dixit tribus Juda ad tribum Simeon, Ascende mecum in sortem meam, et bellemus in Chananæo<sup>4</sup>, et ibo etiam ego tecum in sortem tuam.* Manifestum est auxilium sibi tribum Juda alterius tribus postulasse, quod redderet, cum et illi in sua sorte habere inciperent necessarium.

III. [Ib. 1, 9-12.] *Et dixit Caleb: Quicumque percusserit Civitatem litterarum, et ceperit eam, dabo ei filiam meam Azam uxorem<sup>5</sup>.* Jam hoc et in libro Jesu Nave commemoratum est (Josue xv, 16): sed utrum Jesu vivente factum sit, et nunc per recapitulationem repetitum; an post ejus mortem posteaquam dictum est, *Judas ascendet*, et cœpit Judas debellare Chananæos, in quo bello ista omnia gesta narratur, merito quæritur. Sed credibilius est post mortem Jesu factum, tunc autem per prolepsim, id est per præoccupationem commemoratum, quemadmodum et alia. Nunc enim cum res gestæ adversus Chananæos tribus Juda exponerentur, ita se narrationis ordo continet, inter cætera Judæ facta bellica, de quo post mortem Jesu dixerat Dominus, *Judas ascendet; Et postea descendunt filii Juda pugnare ad Chananæum, qui habitabat in montana et austrum et campestem. Et abiit Judas ad Chananæum inhabitantem in Chebron, et exiit Chebron et adverso. Nomen autem erat Chebron Cariatharboce-*

*pher<sup>1</sup>, et percussit Sesi et Achuman et Cholmi filia Enach: et ascenderunt inde ad inhabitantes Dabir. Nomen autem Dabir quod erat ante Civitas litterarum. Et dixit Caleb: Quicumque percusserit Civitatem litterarum, et acceperit eam, dabo ei filiam meam in uxorem.* Constat ergo ex hoc ordine gestarum rerum tam perspicuo, post mortem Jesu hoc esse factum. Tunc vero cum civitates datæ ipsi Caleb commemorarentur, progressus ex occasione narrator, quod postea factum est præoccupavit. Nec tamen frustra arbitror hoc de filia Caleb data in victoris præmium, bis numero Scripturam commemorare voluisse.

IV. [Ib. 1, 14, 15.] Alia nascitur quæstio de filia Caleb, quod in libro Jesu Nave sic de illa dicitur, *Et factum est, cum ingrederetur ipsa, et consilium habuit cum eo dicens, Petam patrem meum agrum. Et exclamavit de asino, et cætera: ubi agrum petiit a patre, atque concessus est (Josue xv, 18, 19).* Illic autem, *Et factum est, inquit, cum ingrederetur ipse, monuit eam Gothoniel<sup>2</sup>, ut peteret a patre suo agrum.* Sed in eo quod dictum ibi est, *cum ingrederetur ipsa*; et hic dictum est, *cum ingrederetur ipse*: nihil contrarium est: simul enim ingrediebantur viam. Quod vero ibi dictum est, *consilium habuit cum eo*, id est cum viro suo, *dicens, Petam patrem meum agrum; et exclamavit de asino, et petiit*; in eo quod habuit consilium, ibi monita est ut peteret: quorum alterum ibi dictum est, alterum hic. Utrumque autem ita diceretur, Et consilium habuit cum eo dicens, Petam patrem meum agrum: ille autem monuit eam; et exclamavit de asino. Porro autem quod ibi agrum refertur petiisse, nec nomen ipsius agri tacitum est; hic vero cum agrum petere monita fuerit a viro suo, non agrum petiisse dicitur, clamans de subjugali, quod ibi dictum est de asino, sed redemptionem aquæ, eo quod in terram austri fuisset tradita; subjecitque Scriptura, *Et dedit ei Caleb secundum cor ejus redemptionem excelsorum et redemptionem humilium*; quid sibi velit obscurum est: nisi forte ager ipse ideo petebatur, ut haberet de fructibus ejus unde aquam redimeret, cuius inopia in illis regionibus erat, quo nupta ducebatur. Sed, *dedit ei Caleb redemptionem excelsorum, et redemptionem humilium*, non video quid subaudiamus, nisi fluentorum, excelsorum videlicet in montanis, humilium in campatribus sive in vallibus.

V. [Ib. 1, 18, 19.] *Et non hæreditavit Judas Gazam et finem ejus, et Ascalonem et finem ejus, et Accaron et finem ejus, et Azotum et adjacentia ejus. Et erat Dominus cum Juda, et hæreditavit montem, quoniam non potuit hæreditare inhabitantes in valle, quoniam Rechab obsidit eis, et currus erant ei ferrei. Quod in libro Jesu Nave, cum illum locum tractarem, ubi scriptum est, *Et dedit Dominus Israël omnem terram*, cum multas ejus partes nondum possiderent, dixi ita posse intelligi omnem terram datam, quia ea quæ data non est in possessionem, data est in quamdam exercitationis*

<sup>1</sup> Editi, *Dominitam*. Mss., in *Domino*. Apud LXX, *dia tou Kurioy*. Istud locutionis genus notatur in Locutionum libro 7.

<sup>2</sup> Am. Er. et plerique Mss., *ad bellandum eum*: forte pro *in eum*; juxta LXX, *polemésai pros auton*.

<sup>3</sup> Ita Sorbonicus Ms. juxta LXX. At alii codices, in *manu*.

<sup>4</sup> Editi, *roluisse*. Mss., *noluisse*.

<sup>5</sup> Editi, in *Chananæos*. At Mss. in *Chananæo*: sic legisse Augustinum liquet ex Locutionum libro 7.

<sup>6</sup> Mss. omnes, *filiam meam in uxorem*: omisso nomine, *Azam*.

<sup>1</sup> Am. Er. et Lov., *Cariatharbe vel Sepher*. At Mss. et Rat., *Cariathar roxsepher*. Apud LXX, *Kariatharbocepher*.

<sup>2</sup> Thuanus codex hic et infra, *monit eam*. Græc. LXX, *epceisein autên*.

uitatem (*Quest. in Josue, quest. 21*): hoc multo evidenti-  
us hic apparet, quandoquidem commemorantur  
civitates quas non hereditavit Judas, et dicitur, *Et  
erat Dominus cum Juda, et hereditavit montem, quo-  
niam non potuerunt hereditare inhabitantes in valle.*  
Quis enim non intelligat etiam hoc ipsum ad id per-  
tinuisse, quod erat Dominus cum Juda, ne totum  
repente obtinendo extolleretur? Quod enim adjungit,  
*quoniam Rechab obstitit eis, et currus erant ei ferrei;*  
quos currus timuerit, dictum est, non Dominus qui  
erat in Juda, sed ipse Judas: cur autem timuerit,  
cum quo Dominus erat, si queritur, hoc est quod  
prudenter intelligendum est, refringere<sup>1</sup> Deum propi-  
tium etiam in cordibus suorum nimie prosperitatis  
excessus, ut in usum eorum convertat inimicos, non  
solum quando vincuntur inimici, sed etiam quando  
metuunt; illud ad commendandam largitatem suam,  
illud ad eorum reprimendam elationem. Nam utique  
inimicus sanctorum est angelus satanae; quem tamen  
sibi datum colaphizantem dicit Apostolus, ne magni-  
tudine revelationum extolleretur (II Cor. xii, 7).

VI. [Ib. i, 20.] *Et dederunt Caleb Chebron, sicut lo-  
cutus est Moyses; et hereditavit inde tres civitates filio-  
rum Enach, et abstulit inde tres filios Enach.* Jam hoc  
dictum est in libro Jesu Nave (*Josue xv, 13, 14*), quo-  
niam illo vivo factum est; sed hic recapitulando com-  
memoratum est, cum de tribu Juda, unde fuit Caleb,  
Scriptura loqueretur.

VII. [Ib. i, 21, 8.] Queritur quomodo dictum sit,  
*Et Jebusæum habitantem in Jerusalem non hereditave-  
runt filii Benjamin, et habitavit Jebusæus cum filiis  
Benjamin in Jerusalem usque in hodiernum diem, cum  
superius legatur eadem civitas a Juda capta et incensa,  
interfectis in ea Jebusæis?* Sed cognoscendum est  
istam civitatem communem habuisse duas tribus, Ju-  
dam et Benjamin, sicut ostendit ipsa divisio terrarum,  
quæ facta est a Jesu Nave (*Ibid. 63, et xvi. i, 28*). Ipsa  
est enim Jebus quæ Jerusalem: ideo dux istæ tribus  
remanserunt ad templum Domini, quando ceteræ,  
excepta Levi quæ sacerdotalis fuit et terras in divi-  
sionem non accepit, separaverunt se a regno Juda  
cum Jeroboam. Intelligendum est ergo a Juda quidem  
civitatem captam et incensam, interfectis qui illic  
reperiti fuerant: sed non omnes Jebusæos esse extin-  
ctos; sive quia erant extra illam civitatem, sive quia  
fugere potuerunt: quos reliquos Jebusæos admissos  
esse a filiis Benjamin, quibus cum Juda erat civitas  
illa communis, in ea simul habitare. Quod ergo di-  
ctum est, *Non hereditaverunt Jebusæum filii Benjamin,*  
intelligendum est quod nec tributarios eos facere po-  
tuerunt, sive voluerunt. Aut certe *non hereditavit Je-  
busæum,* dictum est, quia non sine illo tenuit terram  
quæ ab illo possidebatur.

VIII. [Ib. i, 27.] *Et non hereditavit Manasses Beth-  
san, quæ est Scytharum civitas.* Ipsa hodie perhibetur  
Scythopolis dici. Potest autem movere, quomodo in  
illis partibus multum ab Scythia diversis potuerit esse  
Scytharum civitas. Sed similiter potest movere, quo-

modo tam longe a Macedonia Macedo Alexander con-  
diderit Alexandriam civitatem; quod utique fecit  
longe lateque bellando: ita etiam, cum Scythæ ali-  
quando bellando in longinqua progredierentur, istam  
condere potuerunt. Nam legitur in historia gentium,  
universam pene Asiam Scythas aliquando tenuisse,  
cum regi Aegyptiorum illi qui eis ultro bellum indixe-  
rat, irent obviam, quorum adventu territus, in sanum  
se regnum recepit.

IX. [Ib. i, 27.] *Et non hereditavit Manasses Bethsan,  
quæ est Scytharum civitas, neque filias ejus. Filias ejus  
dicit civitates quas ipsa quasi metropolis instituerat.*

X. [Ib. i, 28.] *Et factum est, quando prævaluit Israel,  
et posuit Chananiæum in tributum, et auferens non abs-  
tulit eum.* Jam tale aliquid dictum est in libro Jesu  
Nave, pene ipsis verbis (*Josue xvii, 13*). Proinde aut  
hic per anacephaleosim dicitur, aut illic per prolepsin  
dictum est; id est, aut hic recapitulando, aut illic  
præoccupando.

XI. [Ib. i, 27.] *Et contribulavit Amorrhæus filius Dan  
in monte, quoniam non permisit eos descendere in vallem.*  
Et hoc similiter, aut in libro Jesu Nave præoccu-  
pando commemoratum est (*Id. xix, 48, sec. LXX*),  
aut hic recapitulando.

XII. [Ib. ii, 1.] *Et ascendit angelus Domini super  
Clauthmona montem.* Scriptor libri hoc nomine app-  
lavit locum, quia postea scripsit: nam quando ang-  
elus Domini super eum ascendit, nondum sic appellabatur.  
A ploratione quippe nomen accepit, eo quod  
græce *κλαυθμός*; ploratio dicitur. Ibi enim populus fle-  
vit, cum audisset ab hoc angelo verba Domini vindi-  
cantis in eos, quod inobedientes fuissent, quia non  
exterminaverunt populos secundum præceptum ejus,  
quibus prævaluerunt, eligentes eos facere tributarios,  
quam interimere et perdere, quemadmodum jusserat  
Dominus. Quod sive contempto Dei mandato, sive  
timore fecerint, ne hostes adversum se acrius pu-  
gnare pro salute obtinenda, quam pro tributo non  
dando cogerent, sine dubio peccaverunt, vel sper-  
nando quod divinitus imperatum est, vel non præsu-  
mendo quod eos posset, qui imperaverat, adjuvare.  
Quod ideo per Jesum noluit eis dicere (si tamen ad-  
huc eo vivente jam coeperat fieri<sup>1</sup>, et non potius  
præoccupando commemoratum fuerat quod illo mor-  
tuo fieri coepit), quia hoc omnibus voluit exprobrare  
per angelum: nondum autem omnes id fecerant vi-  
vente Jesu, etsi aliqui forte jam coeperant. Credi-  
bilius est tamen nihil tale fieri coeptum vivente Jesu  
Nave, tantumque terrarum sub illo tenuisse filios  
Israel, quantum eis ad considendum sufficeret, quam-  
vis in sortibus suis haberent unde crescendo et con-  
valescendo adhuc adversarios exterminarent. Proinde  
post mortem Jesu, posteaquam prævaluerunt ut hoc  
possent facere, maluerunt eos habere tributarios se-  
cundum voluntatem suam, quam interimere et per-  
dere secundum voluntatem Dei: propter hoc ad eos  
corripiendos angelus missus est. Quod vero com-  
-

<sup>1</sup> Sic MSS. et editio Rat. Aliæ vero editiones, *restringere*.

<sup>1</sup> Editi: *eo vivente jam fieri præceperat. Verius Vaticanæ  
codices, jam coeperat fieri.*

moratum est in libro Jesu Nave (*Josue* xiii, 51, 5), magis existimo præoccupando commemoratum, quod post ejus mortem vel futurum esse jam ipse noverat prophetico spiritu, si ab illo liber conscriptus est, qui appellatur Jesu Nave; vel si ab alio scriptus est, jam factum esse sciebat post mortem Jesu, quod in illo libro præoccupando commemoravit.

XIII. [Ib. ii, 3.] Quid est quod angelus Domini inter cetera divinæ comminationis dicit, *Non adjiciam transigrare populum quem dixi ejicere; non auferam eos a facie vestra: et erunt vobis in angustias, et dii eorum erunt vobis in scandalum; nisi ut intelligamus nonnulla etiam de ira Dei venire peccata? Ut enim dii gentium, inter quas non a se exterminatas Israelitas habitare voluerunt, essent eis in scandalum, id est, facerent eos scandalizari in Domino Deo suo, eoque offenso vivere, indignans hoc comminatus est Deus; quod certe manifestum est magnum esse peccatum.*

XIV. [Ib. ii, 6, 8.] *Et dimisit Jesus populum, et abierunt filii Israel unusquisque in domum suam, et unusquisque in hereditatem suam<sup>1</sup>, hereditare terram.* Hoc per recapitulationem iterari nulla dubitatio est (*Id.* xxiv, 28, 29). Nam et mors ipsius Jesu Nave etiam in hoc libro commemoratur, ut tanquam ab exordio cuncta breviter insinuarentur, ex quo eis Dominus dedit terram, et quemadmodum sub ipsis iudicibus vixerint, quæve perpassi sint; atque iterum reditur ad ipsorum iudicum ordinem, ab eo qui primus est constitutus.

XV. [Ib. ii, 10.] *Et surrexit generatio altera post eos, qui non scierunt Dominum, et opera ejus quæ fecit Israel.* Exposuit quomodo dixerit, *non scierunt Dominum*; in illis videlicet præclaris et mirabilibus operibus, per quæ factum est ante illos ut Israel sciret Dominum.

XVI. [Ib. ii, 13.] *Et servierunt Baal et Astartibus.* Solet dici Baal nomen esse apud gentes illarum partium Jovis, Astarte autem Junonis, quod et lingua Punica putatur ostendere. Nam Baal Punici videntur dicere Dominum; unde Baalsamen, quasi Dominum cæli intelliguntur dicere: Samen quippe apud eos cæli appellatur. Juno autem sine dubitatione ab illis Astarte<sup>2</sup> vocatur. Et quoniam istæ lingue non multum inter se differunt, merito creditur hic de filiis Israel hoc dicere Scriptura, quod Baal servierunt et Astartibus, quia Jovi et Junonibus. Nec movere debet quod non dixit Astarti, id est Junoni; sed tanquam multæ sint Junones, pluraliter hoc nomen posuit. Ad simulacrorum enim multitudinem referri voluit intellectum, quoniam unumquodque Junonis simulacrum Juno vocabatur; ac per hoc tot Junones, quot simulacra intelligit voluit. Varietatis autem causa existimo Jovem singulariter, Junones pluraliter commemorare voluisse. Nam eadem causa plurium simulacrorum etiam Joves pluraliter dici possent. Hoc autem, id est, nomine plurali Junones, in græcis secundum Septuaginta reperimus, in latinis autem singulariter erat. Quorum in illo qui

non habebat Septuaginta interpretationem, sed ex hebraeo erat, Astaroth legimus; nec Baal, sed Baalim. Quod si forte aliud in hebræa vel syra lingua nomina ista significant, deos tamen alios fuisse constat et falsos, quibus Israel servire non debuit.

XVII. [Ib. ii, 10 25, et iii, 1, 4.] *Et vendidit eos in manu inimicorum suorum in circuitu.* Quæri solet quare dixerit, *vendidit*, tanquam aliquod pretium intelligatur datum. Sed et in Psalmo legitur, *Vendidisti populum tuum sine pretio* (*Psal.* xliii, 15); et apud prophetam, *Gratis venditi estis, et non cum argento redimemini* (*Jesai.* lvi, 5). Quare ergo *venditi*, si *gratis* et *sine pretio*, et non potius *donati*? An forte Scripturarum locutio est, ut *venditi* etiam qui *donatur* dici possit? Hic autem sensus est optimus in eo quod dictum est, *Gratis venditi estis*; et, *Vendidisti populum tuum sine pretio*: quia illi quibus tradidisti populum, impii fuerunt, non Deum colendo tradi sibi illum populum meruerunt, ut ipse colendo tanquam pretium redderetur. Quod vero dictum est, *Neque cum argento redimemini*; non ait, *Neque cum pretio*, sed, *Neque cum argento*; et pretium redemptionis intelligamus, quale dicit apostolus Petrus, *Non enim argento et auro redempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati* (*1 Petr.* i, 18, 19). In argento enim Propheta omnem pecuniam significavit, ubi ait, *Non cum argento redimemini*; quoniam pretio quidem sanguinis Christi, non tamen pretio pecuniario fuerant redimendi.

In eo quod Dominus dicit, *Et ego non apponam auferre virum a facie ipsorum de gentibus quas reliquit Jesus filius Nave, et dimisit ad tentandam in eis Israel, si observaverint viam Domini abire in ea<sup>1</sup>, quemadmodum custodierunt patres eorum, an non: et dimisit Dominus gentes has, ut non auferret illas tunc; et non tradidit illas in manu Jesu, satis ostenditur causam, quare non Jesus omnes illas gentes bellando deleverit; quia hoc si fieret, non essent in quibus isti probarentur. Poterant autem esse ad utilitatem ipsorum, si tentati in eis, non reprobè invenirentur; eisque talibus inventis, quales eos esse debere præceperat Dominus, jam gentes istæ auferrentur a facie eorum, si ita viverent, nec bellis eis exerceri oporteret. Verba enim Domini lucusque accipienda sunt: *Propter quod tanta dereliquit gens hæc testamentum meum, quod mandavi patribus eorum, et non obedierunt voci meæ: et ego non apponam auferre virum a facie ipsorum*, id est adversarium. Cætera vero verba scriptoris sunt, exponentis unde dixerat Dominus non se ablatarum virum de gentibus quas reliquit Jesus filius Nave. Deinde subjungens qua causa dereliquerit, *Et dimisit*, inquit, *ad tentandum Israel, si observent viam Domini abire in ea, quemadmodum custodierunt patres eorum, an non*; eos volens intelligi patres custodisse viam Domini, qui fuerunt cum Jesu, id est eo tempore quo ille vivebat. Generationem quippe alteram superius retulit surrexisse post illos, qui vixerunt cum Jesu, et ab ipsis conspisse transgressiones quæ offenderunt Dominum; pro quibus tentandis, id*

<sup>1</sup> Editi carebant hisce verbis, *et unusquisque in hereditatem suam*; quæ Mss. auctoritate restitimus.

<sup>2</sup> Mss. tres, *Estarti*. duo alii, *istari*.

<sup>1</sup> Editi, *in eam*; pauloque post, *in manu Jesu*: quibus locis sequimur LXX, cum Mss.

est probandis, relictæ fuerant gentes, nec exterminatæ per Jesum.

Deinde ne putaretur hoc Jesus consilio suo tanquam humano egisse, ut gentes illæ relinquerentur, subiungit Scriptura; *Et dimisit Dominus gentes has, ut non auferret illas celeriter; et non tradidit eas in manu Jesu.* Deinde sequitur: *Et hæ gentes quas reliquit Jesus<sup>1</sup>, ut tentaret in eis Israel, omnes qui nescierunt omnia bella Chanaan: verum, propter generationes filiorum Israel, docere illos bellum.* Erat ergo ista causa in eorum tentatione, ut bellare discerent; id est, ut tanta pietate et obedientia legis Dei bellarent, quanta patres eorum qui Domino Deo etiam bellando placuerunt: non quia optabile aliquid est bellum, sed quia pietas laudabilis est in bello. Quod autem sequitur, *Verum qui ante illos nescierunt illas;* quid, nisi gentes vult intelligi, quas nescierunt bellando qui fuerunt ante istos; quorum tentationi, hoc est probationi relictæ sunt? Deinde commemorans quæ sint, *Quinque,* inquit, *satrapias alienigenarum;* quas in libris Regnorum manifestius exprimit (I Reg. vi, 5, 16). Satrapie autem dicuntur quasi parva regna, quibus satrapæ<sup>2</sup> præerant: quod nomen in illis partibus cuiusdam honoris est, sive fuit. *Et omnem,* inquit, *Chananaem, et Sidonium, et Eorum inhabitantem Libanum, ante montem Hermon usque ad Caboemath<sup>3</sup>: et factum est, ut tentaretur in ipsis Israel;* tanquam diceret, Hoc autem factum est, ut tentaretur in ipsis Israel: *scire si audient mandata Domini;* non ut sciret Deus omnium cognitor, etiam futurorum, sed ut scirent ipsi, et sua conscientia vel gloriarentur, vel convincerentur utrum audirent mandata Domini, quæ mandavit patribus eorum in manu Moysi. Quoniam ergo manifestati sibi sunt non se obedisse Deo, in iis gentibus quæ ad eorum tentationem, id est exercitationem atque probationem, fuerant derelictæ: propterea dixit Deus vel illa in quibus aperte missus angelus et expresse locutus est<sup>4</sup>, vel paulo ante, ubi ait, *Propter quod tanta dereliquit gens hæc testamentum meum, quod mandari patribus eorum, et non obediunt voci meæ: et ego non apponam auferre virum a facie ipsorum.*

Dictum est autem in Deuteronomio ex persona Dei loquentis de istis gentibus adversariis: *Non efficiam illos in anno uno, ne fiat terra deserta, et multiplicentur in te bestię feræ: paulatim ejiciam illos, donec multiplicemini, et creascitis et hæreditetis terram* (Exod. xxiii, 29, 30). Poterat hanc promissionem suam servare Dominus erga obedientes, ut exterminatio gentium illarum, crescentibus Israelitis partibus fieret, cum eorum multitudo terras unde adversarii exterminarentur desertas esse non sineret. Quod autem ait, *ne multiplicentur in te bestię feræ,* mirum si non bestiales quodammodo cupiditates et libidines intelligi voluit, quæ solent de repentino successu terrenæ felicitatis existere. Neque

<sup>1</sup> Editi, *reliquit Dominus.* At plerique et melioris notæ Mss., *reliquit Jesus:* uti LXX in Complutensi editione habent; sicque Theodoretus, quæst. 8 in Judicis.

<sup>2</sup> Mss., *satrapes.*

<sup>3</sup> Sic Mss. At editiones, *aut montem Hermon usque ad Caboemath:* præter Lov. quæ habet, *Cabemeth.*

<sup>4</sup> Sequitur hic Fr. Lov. B. habent, *et locutus expressus est. M.*

enim Deus homines exterminare poterat, et bestias non poterat, vel perdere, vel pasci potius non permittere.

XVIII. [Ib. iii, 9.] *Et excitavit Dominus salvatorem Israel, et salvavit eos.* Deinde velut quæreretur quem salvatorem, Gothoniem, inquit, *filium Cenez.* Accusativum enim casum hic debemus accipere, tanquam diceret Gothoniem. Advertendum est autem quod salvatorem dicat etiam hominem, per quem Deus salvos faciat. Nam *clamaverunt filii Israel ad Dominum: et excitavit Dominus salvatorem Israel, et salvavit eos, Gothoniem filium Cenez, fratrem Caleb juniorem ipsius: et exaudivit eos.* Inter illa autem quæ appellantur *ἑρεβάρκ*, hoc genus rarum est, quoniam habet et illud quod Græci vocant *ἑρεβάρκων*. Quod enim ait postea, *et exaudivit eos,* si prius ponatur, sit sermo lucidior. Nam ordo est, *Et clamaverunt filii Israel ad Dominum, et exaudivit eos, et excitavit Dominus salvatorem Israel.* Deinde quod hic interpositum est, *et salvavit eos,* et postea dictum est, *Gothoniem,* aut Gothoniem *filium Cenez,* si ita diceretur, planius fieret, *Et excitavit Dominus salvatorem Israel Gothoniem filium Cenez, et salvavit eos.*

XIX. [Ib. iii, 11.] Quadraginta annos quiescere terram promissionis a bellis sub Gothoniele iudice Scriptura testatur: quantum temporis primordia Romani imperii sub Numa Pompilio tantummodo rege pacata habere potuerunt.

XX. [Ib. iii, 19, 20.] Quæri potest utrum mentitus fuerit Aod iudex, quando occidit Eglom regem Moab. Cum enim solus soli insidiaretur ut eum percuteret, hoc illi ait, *Verbum occultum mihi est ad te, rex;* ut ille a se omnes qui cum illo fuerant removeret. Quod cum factum esset, iterum dixit Aod, *Verbum Dei mihi ad te, rex.* Sed potest non esse mendacium, quandoquidem verbi nomine solet etiam factum appellare Scriptura; et revera ita erat. Quod autem dixit, *Verbum Dei,* intelligendum est hoc illi Deum ut faceret præcepisse, qui eum populo suo excitaverat salvatorem, sicut illis temporibus talia fieri divinitus oportebat.

XXI. [Ib. iii, 17.] Merito quæratur quomodo fuerit exilis valde rex Eglom, et concluderint adipem vitæ, quando percussus est. Sed intelligendum est ea locutione dictum, quæ solet a contrario intelligi, sicut dicitur lucus, quod minime luceat; et abundare respondetur, quod non est; et benedixit regi, pro maledixit, sicut scriptum est in Regnorum libro de Nabuthe (III Reg. xxi, 10, 13). Nam in ea interpretatione quæ non secundum Septuaginta, sed ex hebræo est, ita invenimus, *Erat autem Eglom crassus nimis.*

XXII. [Ib. iii, 23.] *Et exiit Aod foras<sup>1</sup> et transit observantes, et clausit januam domus superioris super eum, et coarctavit.* Hoc recapitulando dictum est, quod fuerat prætermissum. Nam prius hoc fecisse intelligendum est, et sic de superius descendisse, et transiisse observantes.

XXIII. [Ib. iii, 25.] Quomodo pueri regis Eglom

<sup>1</sup> Mss. plures, *tot foras.* Nonnulli tamen cum editis habent, *ad foras.*

clavi aperuerint quod Aod clavi non clauserat, potest movere: aut si ille clavi clauserat, quomodo secum eam non auferret, ut isti nec clavi aperire possent. Proinde aut alia clavis allata est, aut tale clausuræ genus fuit quod sine clavi posset claudi, nec sine clavi aperiiri. Nam sunt quædam talia, sicut ea quæ veruolata<sup>1</sup> dicuntur.

XXIV. [Ib. iii, 30.] Sub iudice Aod octoginta annos pacem habuit Israel in terra promissionis, duplicato scilicet tempore quam fuit memorabile sub Romanorum rege Numa Pompilio.

XXV. [Ib. iii, 31.] *Et post eum surrexit Samegar filius Aneath<sup>2</sup>, et percussit alienigenas in sexcentos viros præter vitulos boum; et salvavit Israel.* Quomodo post Aod iste pro Israel pugnaverit, et dictus sit salvasse Israel, potest esse quæstio. Non enim rursus fuerant captivati, vel iugo servitutis innexi. Sed intelligendum ita dictum, *salvavit*, non quia nocuerit aliquid hostis, sed ne permitteretur nocere; quoniam credendum est bello cœpisse tentare, et huius victoria fuisse depulsum. Sed quid sibi velit quod addidit, *præter vitulos boum*, obscurum est. An forte et boum stragem pugnando fecit, et ita dictum est eum occidisse sexcentos viros, præter illud quod fecit de bobus occisis? Sed quare vitulos? An græcæ locutionis consuetudo est, etiam vitulos eos appellare, qui grandes sunt? Nam ita loqui vulgo in Ægypto perhibentur; sicut apud nos pulli appellantur gallinæ cujuslibet ætatis. Non autem habet interpretatio ex hebræo, *præter vitulos boum*, sicut ista quæ secundum Septuaginta est: sicut habet illa ex hebræo, *vomere occisos sexcentos viros*, quod ista non habet.

XXVI. [Ib. iv, 8.] Quid est quod respondens Barac Ebboræ ait, *Si ibis, ibo; et si non ieris mecum, non ibo: quoniam nescio diem in qua prosperat angelum Dominus mecum*; quasi a prophetissa diem audire non potuerit? nec illa diem respondit, sed perrexit cum illo. Et quid est, *prosperat angelum Dominus mecum*? An hic demonstratum est, quia et Angelorum actus prosperantur, id est adjuvantur a Domino, ut feliciter eedant? an locutionis est, *prosperat angelum mecum*, id est, facit mecum prospera per angelum?

XXVII. [Ib. iv, 15.] *Et pavescit Dominus Sisaram et omnes currus ejus.* Ecce quemadmodum commendat Scriptura agere Deum in cordibus, ut det exitum rebus, quem constituit. Utique enim pavescit vel obstupescit Sisaram, ut traderet eum.

XXVIII. [Ib. iv, 22.] Ubi Jabel mulier quæ occidit Sisaram, cum locuta esset ad Barac qui eum quærebat, scriptum est de ipso Barac, quia *intravit ad eam*: animadvertendum est non esse consequens ut cum Scriptura dicit de viro quod intravit ad aliquam feminam, jam etiam concubuisse credatur. Assidue quippe sic loquitur Scriptura, *intravit ad eam*, ut nolit intelligi nisi quod ei mixtus sit. Hic ergo proprie dictum est, *intravit ad eam*, id est in domum ejus intravit,

non ut per hæc verba intelligatur concubitus.

XXIX. [Ib. v, 7 et 8.] In Cantico Debboræ dicitur, *Defecerunt habitantes in Israel, defecerunt donec surrexit Debbora, donec surrexit mater in Israel, elegerunt ut panem hordeaceum deos novos: tunc expugnaverunt civitates principum.* Hic intermixtus ordo verborum obscuritatem facit, et quæstionem movet. Quomodo enim intelligatur, *Elegerunt ut panem hordeaceum deos novos, tunc expugnaverunt civitates principum*; quasi tunc eis favorit Deus ad expugnandas civitates principum, quando elegerunt ut panem hordeaceum deos novos? Sed in aliis jam Scripturarum locis sæpe dicimus quemadmodum fiant hyperbata; quorum directione cum verba ad ordinem redeunt, sensus explanatur. Iste ergo est ordo: *Defecerunt habitantes in Israel; defecerunt, elegerunt ut panem hordeaceum deos novos, donec surrexit Debbora, donec surrexit mater in Israel: tunc expugnaverunt civitates principum.*

XXX. [Ib. v, 8.] Quæri potest quomodo dictum sit, *Elegerunt ut panem hordeaceum deos novos*; cum panis hordeaceus quamvis sit in comparatione tritice panis abjiciendus, tamen etiam ipse pascatur, et vitale alimentum sit: dii autem novi, quos dicuntur elegerunt, qui defecerunt a Deo vivo, non possunt in alimentis animæ deputari, sed potius in venenis. An hætenus accipienda est similitudo, quatenus valet ut propter hoc solum dictum intelligatur, quia sicut plerumque fastidio sit, ut eligenda rejiciantur, et asperanda delectent; ita vitio pravæ voluntatis tanquam languore fastidii, cum esset Deus eorum verus, in falsis elegerunt nihil aliud quam novitatem sprete veritate<sup>3</sup>; atque ita cibum mortiferum tanquam panem hordeaceum elegerunt, non se arbitantes inde perituros, sed etiam inde vitam velut esca innoxia licet viliori sumpturos? Secundum opinionem ergo eorum similitudo posita est, animique languorem, non secundum veritatem. Nam dii illi novi nullis sunt cibus vitalibus comparandi.

XXXI. [Ib. vi, 8, 11.] *Et factum est, quando clamaverunt filii Israel ad Dominum propter Madian, et misit Dominus virum prophetam ad filios Israel, et dixit eis.* Cur non dicatur nomen huius prophætæ, quod valde Scripturis inusitatum est, latens causa est; non tamen nullam esse arbitror. Sed quia post verba quibus exprobravit inobedientiam populo, sequitur Scriptura dicens, *Et venit angelus Domini, et sedit sub quercu, quæ erat in Ephra*: non absurde intelligitur iste angelus significatus nomine viri, ut posteaquam hæc verba dixit, venerit ad quercum memoratam, et ibi sederit. Namine enim virorum solere appellari Angelos notum est (*Gen. xix, 10*): quamvis eum qui esset angelus, appellatum esse prophetam, non facile nec evidenter occurrat: eum sane qui propheta esset, dictum angelum legimus (*Matth. xi, 10*): sed si Angelorum dicta prophetica nota sunt, id est quibus futura prænuntiaverunt; cur non possit angelus prophætæ nomine nuncupari? Verumtamen, ut dixi, ex-

<sup>1</sup> Sic in omnibus MSS. At in editis, *veruolata*.

<sup>2</sup> Excusi, *Samegar*. MSS. *Samegar*: atque ex his nonnulli, *filius Aneath*. At LXX, *Samegar filius Dinach*.

<sup>3</sup> Sic MSS. Editi vero: *sibi falsos elegerunt nihil aliud quam novitatem et sprete veritate*.

pressum et manifestum de hac re testimonium non occurrit.

XXXII. [Ib. vi, 12.] Quod angelus dicit ad Gedeon, *Dominus tecum potens in fortitudine*, nominalivus casus est, non vocativus. Hoc est, *Dominus potens tecum est*; non, tu potens.

XXXIII. [Ib. vi, 14.] Advertendum est dixisse angelum tanquam ex Domini auctoritate, *Nonne ecce misi te?* cum loqueretur ad Gedeon. Quis enim eum misit, nisi qui ad eum angelum misit? Debbora vero ait ad Barac, *Nonne mandavit Dominus Deus Israel tibi (Judic. iv, 6)?* Illic autem non dictum est, *Nonne ecce misi te Dominus?* sed, *Nonne ecce misi te?*

XXXIV. [Ib. vi, 15.] Ubi respondet Gedeon ad angelum, *In me, Domine*; hoc est, *In me intende: In quo salvabo Israel? ecce mille mei humiliores in Manasse*: intelligitur præpositus fuisse mille hominum, quos græce *χιλιάρχους* appellat Scriptura? an quid aliud?

XXXV. [Ib. vi, 18-22.] Animadvertendum est quod Gedeon non ait angelo, *Offeram tibi sacrificium*; sed ait, *Offeram sacrificium meum, et ponam in conspectu tuo*. Unde intelligendum est non eum angelo, sed per angelum sacrificium offerre voluisse. Quod et ipse angelus evidenter ostendit, qui non ab eo sacrificium tanquam sibi sumpsit; sed ait illi: *Accipe carnes et azymos, et pone ad petram illam, et jus effunde. Et cum hoc fecisset Gedeon, extendit angelus Domini summum virgæ quæ erat in manu ejus, et tetigit carnes et azymos; et accensus est ignis de petra, et comedit carnes et azymos*. Ita etiam ipse Angelus in sacrificio quod obtulit Gedeon, officium ministrantis implevit: ignem quippe homo minister ut homo sine miraculo subjecisset, quem mirabiliter ut angelus iste subjecit. Denique tunc cognovit Gedeon quod Angelus Domini esset: nam hoc Scriptura continuo subdidit, *Et vidit Gedeon quantam angelus Domini est*. Prius ergo tanquam cum homine loquebatur, quem tamen hominem Dei credidit, ut coram ipso sacrificium vellet offerre, velut adjuvandus ejus præsentia sanctitatis.

XXXVI. [Ib. vi, 20.] Quæri potest quare Gedeon ausus fuerit sacrificium offerre Deo præter locum ubi jusserat Deus? Præter tabernaculum quippe suum Deus prohibuerat sacrificari sibi (*Deut. xii, 13*); cui tabernaculo templum postea successit: tempore autem quo fuit Gedeon, tabernaculum Dei erat in Silo; atque ideo illic tantum legitime posset sacrificari. Sed intelligendum est quod illum angelum primo prophetam putaverat, et tanquam Deum in illo consulerat de offerendo sacrificio: quod ille si prohibuisset, non utique fieret; sed quoniam approbavit, et ut fieret annuit, Dei auctoritatem Gedeon in faciendo secutus est. Ita quippe Deus legitima illa constituit, ut leges non sibi, sed hominibus daret. Unde quodcumque præter illa ipse præcepit, non a transgressoribus, sed potius a piis et obedientibus impletum intelligendum est: sicut Abraham de immolando filio (*Gen. xxi, 2*). Nam et sic Elias extra tabernaculum Domini ad convincendos sacerdotes idolorum sa-

crificavit (*III Reg. xvii, 30-38*): quod ex præcepto Domini fecisse intelligendus est, qui ei tanquam prophetæ revelatione atque inspiratione jussit ut faceret. Quanquam tanta consuetudo præter tabernaculum sacrificandi crebuerat, ut etiam Salomon in excelsis sacrificasse invenitur, nec ejus sacrificium fuisse reprobatum (*Id. iii, 4-15*). Et tamen notantur reges, qui inter opera laudabilia sua non destruxerunt excelsa, ubi contra Legem Dei populus sacrificare consueverat: et qui destruxit, majore prædicatione laudatur. Ita Deus consuetudinem populi sui, qua præter ejus tabernaculum, tamen non diis alienis offerant, sed Domino Deo suo, sustinebat potius quam vetabat, etiam sic exaudiens offerentes. Hoc autem quod Gedeon fecit, quis non intelligat per angelum procuratum, ut propheticæ fieret, in qua prophetia petra illa commendaretur? Cui quidem petreæ non sacrificium est, sed de illa ignis commemoratur exiisse, quo sacrificium consumeretur. Sive enim per aquam, quam percussa petra effudit in eremo (*Nam. xx, 2*), sive per ignem, donum Spiritus sancti significatur, quod ditissime Dominus Christus effudit super nos. Nam et in Evangelio significatum est hoc donum per aquam, ubi ipse Dominus ait, *Si quis sitit, veniat et bibat: qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; ubi Evangelista subjunxit, *Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum (Joan. vii, 37-39)*. Significatum est et per ignem, ubi veniente illo super congregatos legitur, *Vivæ sunt illis linguæ divinæ velut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum (Act. ii, 3)*: et ipse Dominus ait, *Ignem veni mittere super terram (Luc. xii, 49)*.

XXXVII. [Ib. vii, 6.] *Et factus est numerus eorum qui lambuerunt manu sua, lingua sua, trecenti viri*. Pterique latini codices non habent, *manu sua*, sed tantummodo, *lingua sua*, quoniam sic intellexerunt quod supra dictum est, *sicut canes*: græcus autem habet utrumque, *manu sua, lingua sua*, et intelligatur quod manu aquam raptam in os projiciebant; et hoc erat simile bibentibus canibus, qui non ore apposito, sicut boves, aquam ducunt quam bibunt, sed lingua in os rapiunt, sicut etiam isti intelliguntur socisse, sed cum manu in os aquam projicerent, quam lingua exeiperent. Nam et interpretatio ex hebræo planius id habet his verbis, *Fuit itaque numerus eorum qui manu in os projiciente aquam lambuerant, trecenti viri*. Neque enim solent homines ita bibere, ut sine ope manus, lingua, sicut canes, aquam hauriant: aut vero istis præceptum fuerat ut hoc facerent: sed cum ad bibendum descendissent ad aquam, multi genu flexo biberunt, quod facilius et minore labore fieret; ponci vero quia non flexo genu se incurvaverunt, ut canes biberunt, sed aqua manu in os jacta. Quorum numerus, quia trecenti erant, signum insinuat crucis propter litteram T græcam, qua iste numerus significatur; per quam etiam gentes magis in crucifixum credituras præfiguratum est, quod littera græca est.

<sup>1</sup> In Lov., *et. M.*



Unde Græcorum nomine Apostolus omnes gentes significat, cum dicit, *Judæo primum et Græco* (Rom. 11, 9, 10), et, *Judæis et Græcis* (1 Cor. 1, 24); sæpe ita commemorans circumcisionem et præputium, quod in linguis gentium græca ita excellat, ut per hanc omnes decenter significantur. Iste numerus et in vernaculis Abrahæ animadvertendus est, per quos fratrem ab hostibus liberavit, quando eum Melchisedech in magno mysterio benedixit. Quod enim exuberant ille decem et octo (nam trecenti decem et octo fuisse referuntur [Gen. xiv, 14-20]), videtur mihi significatum quo etiam tempore fieret, id est tertio, quod futurum erat sub gratia. Nam primum est ante Legem, secundum sub Lege, tertium sub Gratia. Singula vero tempora senario numero significata sunt propter perfectionem: nam ter seni, decem et octo sunt. Unde et illa mulier decem et octo annos habebat in infirmitate, quam curvam Salvator cum invenisset, erexit, et a diaboli alligamento, ut Evangelium indicat, solvit (Luc. xm, 11-13). Nam quod ita isti probati sunt, per quos vinceret Gedeon, ut similes in bibendo canibus dicerentur, significat quod contemptibilia et ignobilia elegit Dominus (1 Cor. 1, 28): pro contemptu enim habetur canis. Unde dicit, *Non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus* (Math. xv, 26): et David ut se tanquam contemptibilem abjiceret, canem se appellavit loquens ad Saül (1 Reg. xxiv, 15).

XXXVIII. [Ib. vii, 11.] Quid sibi vult quod scriptum est, *Gedeon descendit ipse, et Phara puer ejus, in partem quinquaginta, qui erant in castris*: quod latini quidam codices habent, *in eum partem in qua erant quinquageni custodes in castris*; alii vero, *in partem quinquagesimam in castra*? Obscurum quippe dictum plures sententias interpretum fecit. Sed aut ea pars castrorum erat, quam servabant quinquaginta custodes; aut, si quinquageni intelligendi sunt circumquaque servasse, in unam partem isti descenderunt ubi erant quinquaginta.

XXXIX. [Ib. vii, 13.] Quod ille qui proximo suo somnium narravit, quod audivit Gedeon, ut de victoria futura confirmaretur, dixit se vidisse mensam panis hordeacei, volentem in castris, et percutientem tabernaculum Madian, et subvertentem; hoc intelligendum arbitror quod de canibus, quia per contemptibilia mundi (quod significat mensa panis hordeacei) Salvator superbos fuerat confusus.

XL. [Ib. vii, 20.] Quod exclamari jussit Gedeon a trecentis suis, *Gladius Domino et Gedeon*, id est huic Gedeon, hoc significat, quod gladius id erat operarius quod Domino placeret et Gedeon.

XLI. [Ib. viii, 26, 27.] Quæri solet quid sit Ephud, vel Ephod: quod quidem si sacerdotale est indumentum, quod plerique dicunt, vel potius superindumentum, quod *ἐπιδρυμα* græce dicitur, vel *ἐπιμύτις*, quod magis superhumeralis interpretari latine potest; incerto movet quomodo de tanto auro Gedeon id fecerit. Nam ita scriptum est: *Et factum est pondus inaurium aurearum quas petierat, sicli mille septingenti*

*auri, præter brachiulia et torques et operimenta purpurea, quæ erant super reges Madian, præter torques quæ erant in cervicibus camelorum ipsorum: et fecit illud Gedeon in ephud, et statuit illud in civitate sua in Ephra; et fornicatus est omnis Israel post illud ibi; et factum est Gedeon et domui ejus in scandalum.* Quomodo ergo ista vestis de tanto auro fieri potuit? Nam et mater Samuelis fecit filio suo, sicut legimus, ephud bar, quod nonnulli interpretati sunt ephud lineam, quando eum dedit Domino in templo nutriendum (1 Reg. ii, 18): ubi evidentius apparet hoc genus esse indumenti. An ideo dictum est, *statuit illud in civitate sua*, ut hinc intelligeretur aureum fuisse factum? Non enim dictum est, *posuit, sed statuit*; quoniam ita erat solidum et validum ut statui posset, hoc est, positum stare.

Hoc ergo illicitum cum fecisset Gedeon, *fornicatus est post illud omnis Israel*; id est, sequendo illud contra Legem Dei: ubi non frustra queritur, cum idolum non fuerit, id est, cujusquam Dei falsi et alieni simulacrum, sed ephud, id est, unum de sacramentis tabernaculi quod ad vestem sacerdotalem pertinet, quomodo fornicationem Scriptura dicat populi ista sectantis atque venerantis. Ideo scilicet quod præter tabernaculum Dei, ubi erant ista quæ ibi fieri jusserat Deus, extra simile aliquid fieri fas non erat. Ideo sequitur et dicit Scriptura, *Et factum est Gedeon et domui ejus in scandalum*, id est, ut ab offenso Deo discederet: quia et hoc quoddam genus idoli quodam modo erat, quod extra Dei tabernaculum quodlibet manufactum pro Deo coleretur; cum illa ipsa quæ jussa sunt in tabernaculo fieri ad Dei potius cultum referrentur, quam pro Deo aliquid eorum, aut pro Dei simulacro colendum haberetur.

Quantum per ephud vel ephod, ea locutione quæ significat a parte totum, omnia possint intelligi quæ constituit Gedeon in sua civitate, veluti ad colendum Deum similia tabernaculo Dei: et propterea per hoc, quia hoc est sacerdotalis honoris insigne, quod sæpe Scriptura commemorat; ut hoc sit peccatum Gedeon, quod extra Dei tabernaculum fecerit aliquid simile, ubi coleretur Deus: non quod solido auro velut adorandum constituerit ephud; sed quod ex auro ipso, quod esset de præda, fecerit ea quæ pertinent ad ornamenta vel instrumenta sacrarii, quæ omnia per ephud significata sunt, propter excellentiam, ut dixi, vestis sacerdotalis. Nam et ipsum ephud non quidem ex auro solo fieri præceptum est, si hoc est superhumeralis sacerdotalis vestis: verumtamen etiam aliquid auri habet. Nam ex auro et hyacintho et purpura et coccino et bysso ut floret, divinitus imperatum est (Exod. xxxix, 2): sed quia hoc ita posuerunt Septuaginta interpretes, ut commemoratis omnibus quæ de spoliis acceperat Gedeon, inferrent, *Et fecit illud Gedeon in ephud*; videtur ita dictum, tanquam ex toto illo quod commemoratum est, hoc factum esse credatur: cum possit etiam illie intelligi locutio quæ significat a toto partem, ut quod dictum est, *Fecit illud in ephud*, intelligatur. fecit inde ephud, vel, fecit ex eo

ephud; non scilicet illud totum consumens in ephud, sed ex illo quantum sufficiebat impendens. Nam in illa interpretatione quæ ex hebræo est, sic legitur, *Fecitque ex eo Gedeon ephod*. Quod enim apud Septuaginta scriptum est *ephud*, hoc in hebræo perhibetur dici *ephod*. Non autem omnes sacerdotes tali utebantur superhumerali, quod esset ex auro et hyacintho et purpura et coccino et bysso, sed solus summus sacerdos. Unde illud quod de Samuele commemoravimus factum illi ab ejus matre, non erat utique tale: quoniam cum datus est nutriendus, non erat summus sacerdos, utique puer. Unde, ut dictum est, *ephud bar* appellatur, vel potius *ephud bat*, sicut asserunt qui hebræam linguam noverunt, et interpretatur *ephud* lincum. Sed Gedeon existimo illud fecisse, quod erat præcipuum summi sacerdotis indumentum atque ornamentum, per quod et cætera significata sunt opera sacrarii, quod in sua civitate præter Dei tabernaculum constituerat; et propter hoc peccatum factum est illi et domui ejus in scandalum, ut sic interiret (quod postea Scriptura narrat) tanta ejus numerositas filiorum (*Judic. ix, 5*).

XLII. [Ib. viii, 27, 28.] Non prætereunda oritur quaestio, quomodo quieverit terra quadraginta annos in diebus Gedeon, cum post victoriam qua liberavit Hebræos, ex auro spoliolum fecerit abominationem, et post illam fornicatus sit omnis Israel, et fuerit illi et domui ejus in scandalum. Quomodo ergo post hoc tantum nefas, quod et Gedeon et populus admisit, requievit terra quadraginta annos; cum hoc Scriptura solcat ostendere, cum a Domino Deo populus fornicaretur, tunc potius pacem illos perdere, non acquirere; et hostibus subjugari, non ab hostium infestatione muniti? Sed intelligendum est, sicut solet Scriptura, per prolepsim, id est per præoccupationem dixisse, quod fecerit ephud contra Dei Legem Gedeon ex illo auro, quod fuerat hostibus devictis atque prostratis ablatum, quia uno loco dicere voluit et unde erat aurum, et quid de illo factum sit: sed postea factum est in fine dierum Gedeon hoc peccatum, quando consecuta sunt etiam mala quæ deinde Scriptura contexuit, posteaquam commemoravit quot annis in diebus Gedeon terra conquieverit; quos annos recapitulando commemoravit, id est, ad ordinem revertendo quem prætervererat, prius dicendo de illo scandalo quod novissime factum est.

XLIII. [Ib. viii, 33.] *Et factum est cum esset mortuus Gedeon, et aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt post Baalim: et posuerunt ipsi sibi Baalberith testamentum, ut esset eis ipse in deum*. Et Baalim et Baalberith idola intelligenda sunt. Major itaque transgressio et fornicatio commissa est a populo post mortem Gedeon, quam illo vivo propter ephud: quoniam et illud, etsi illicite factum erat, tamen de sacramentis tabernaculi erat; ista vero post idola fornicatio non habet vel falsam paternæ religionis defensionem. Unde etiam illud ephud, si non in fine temporis Gedeon, sed ante factum est, ita Deus patienter tulit, ut pax in terra perseveraret: quia licet factum erat

quod prohibuerat, non tamen longe recessum erat ab illo, qui tale aliquid in tabernaculo suo atque in honorem suum fieri jusserat. Nunc vero graviora commissa, et apertissimam post idola fornicationem populi esse noluit impunitam.

XLIV. [Ib. ix, 14, 15.] Quod inducitur rhamnus, id est quoddam spinarium genus, in similitudinem dicere omnibus lignis convenientibus eam ut regnaret super ea, *Si in veritate ungitis me vos, regnare super vos, venite, confidite in protectione mea: et si non, exeat ignis de rhamno, et comedat cedros Libani*: obscurus sensus est, sed eum inventa distinctio manifestat. Non enim ita legendum est, *Et si non exeat ignis de rhamno*: sed subdistingendum, *Et si non, ac deinde inferendum, exeat ignis de rhamno*; id est, *Et si non confiditis in protectione mea, aut, Et si non in veritate ungitis me regnare super vos, exeat ignis de rhamno, et comedat cedros Libani*. Committant enim verba sunt quid facere possit, si noluerint eam regnare super se. Verum quia non ait, *Exibit ignis de rhamno, et manducabit cedros Libani*, sed ait, *Exeat, et manducet*; obscurius factum est quam si sola distinctio lateret. Vehementioris autem comminationis est, et quodam modo præsentioris efficacitæ, si quis dicat, *Si non vis facere quod volo, sæviat in te ira mea*, id est jam sæviat; ut quid eam teneo? quam si dicat, sæviet, promissivo modo<sup>1</sup> poenam intentans futuram.

XLV. [Ib. ix, 23.] *Et emisit Deus spiritum malignum inter Abimelech et inter viros Sichimorum*. Hoc verbum, utrum imperantem, an permittentem Deum significet, non facile definiri potest. Quod enim hic positum est, *Emisit*, græcus habet *ἐκπέτελλει*: quod etiam est in Psalmis ubi legitur, *Emitte lucem tuam* (*Psal. xlii, 3*): quanquam in quibusdam locis interpretes nostri, quibus est in græco *ἐκπέτελλει*, *misit* interpretati sunt, non, *emisit*. Potest ergo et sic intelligi, ut spiritum malignum Deus tanquam ire inter eos volentem emisit, id est, potestatem dederit maligno spiritui ad eorum pacem perturbandam. Usque adeo autem etiam mitti a Domino malignum spiritum propter justitiam vindicandi non absurdum visum est, ut quidam id quod est *ἐκπέτελλει*, etiam *immisit* interpretati sint.

XLVI. [Ib. ix, 32, 33.] Verba quæ misit ad nuntios Abimelech Zebul princeps civitatis Sichimorum, etiam id habent: *Et nunc surge nocte tu et populus tuus tecum, et insidiare in agro. Et erit mane simul ut oritur sol, maturabis, et tendes super civitatem*. Quod latini quidam habent *maturabis*, quidam vero *manicabis*, græcus habet quod dici posset non uno verbo, *diluculo surges*. Et fortasse hinc sit dictum, *maturabis*, a matutino tempore, quamvis etiam aliis temporibus dici soleat ad rem accelerandam. *Manicabis* autem latinum verbum esse mihi non occurrit. Sed illud movet, quod cum dixisset, *simul ut oritur sol*, addidit, *diluculo surges*; cum ipsum diluculum quod græce dicitur *ἠσπερος*, tempus ante solem significet, quod jam usitatissime dicitur, cum albescere cœperit. Sic itaque

<sup>1</sup> Sic MSS. At editi: *Quasi dicat sæviri permissivo modo.*

intelligendum est, ut quod positum est *mane*, ipsum diluculum intelligatur. Additum est autem, *simul ut oritur sol*, ut exprimeretur non jam orto sole faciendum, sed ubi fulgor apparuerit solis orientis. Non enim aliunde albescit diluculum; nisi cum cœperit partem cœli, quam videmus ab oriente, lux solis ad eam red-euntis attingere. Hinc est quod etiam in Evangelio unam atque eandem rem alius evangelista dicit diluculo factam, cum adhuc obscurum esset (*Joan. xx, 1*), alius oriente sole (*Marc. xvi, 2*); quia et ipsa lux quantalucumque diluculi sole utique fiebat oriente, id est ad ortum veniente, et fulgorem suum de suæ præsentis propinquitate jactante. Quam lucem quidam idiotæ solis non esse putaverunt, sed illam esse quæ primitus condita est, antequam Deus quarto die conderet solem.

XLVII. [Ib. x, 1.] *Et surrexit post Abimelech, qui sacrum faceret Israel Thola filius Phua, filius patris fratris ejus, vir Issachar.* Filium patris ejus, dixit filium patris fratris ejus, cum ordinatius et usitatius atque apertius diceretur, filium fratris patris ejus: filius enim erat patris ejus, sicut evidentius ea interpretatione quæ ex hebræo est, invenitur. Non ergo quod dictum est *patris fratris*, ab eo declinatum est, quod est in nominativo pater fratris, sed ab eo quod est patris frater, hoc est enim patruus. Nam sive ponatur in nominativo, hic pater fratris, sive ponatur hic patris frater, genitivum facit hujus patris fratris. Verum altera oritur quæstio, quomodo fuerit patruus Abimelech *vir Issachar*, id est vir de tribu Issachar, cum Abimelech patrem habuerit Gedeon, qui Gedeon de tribu fuit Manasse. Quomodo ergo Phua et Gedeon fratres fuerunt, ut possit esse Phua patruus Abimelech, cujus patris filius Thola succederet, secundum istam narrationem, ipsi Abimelech? Potuerunt ergo Gedeon et Phua unam habere matrem, ex qua diversis patribus nascerentur, et fratres essent unius matris filii, non unius patris. Solebant enim nubere femine de aliis tribubus in alias tribus. Unde et Saül cum esset de tribu Benjamin, dedit filiam suam David homini de tribu Juda (*I Reg. xviii, 27*): et sacerdos Jolade<sup>1</sup>, utique homo de tribu Levi, duxit filiam Joram regis, hominis de tribu Juda (*II Paral. xxii, 11*). Hinc factum est, ut Elizabeth et Mariam cognatas in Evangelio legamus (*Luc. i, 36*), cum fuerit Elizabeth de filiabus Aaron: ex quo intelligitur de tribu Levi et filiabus Aaron aliquam nupsisse in tribum Juda, unde ita fieret inter ambas illa cognatio, ut Domini caro non solum de regia, verum etiam de sacerdotali stirpe propagaretur.

XLVIII. [Ib. xi, 24.] Inter cætera quæ Jephthe mandat per nuntios regi filiorum Ammon, etiam hoc dicit: *Nonne quæcumque hæreditavit tibi Chamos deus tuus, hæc hæreditabis; et omnia quæcumque hæreditavit Dominus Deus noster a facie vestra, hæc hæreditabimus?* Quod quidam latini sic interpretandum putaverunt, ut dicerent, *Nonne quæcumque dedit tibi in hæreditatem Chamos deus tuus, hæc possidebis?* ubi videri potest con-

<sup>1</sup> In Mas., *Judæ*, seu *Jude*. Apud LXX, *Jodad*.

SANCT. AUGUST. III.

firmasse Jephthe deum istum, qui vocatur Chamos, potuisse aliquid dare in hæreditatem vultoribus suis. Quidam vero sic habent, *Nonne quæcumque possedit Chamos deus tuus, hæc possidebis?* et hoc ita sonat, quasi aliquid potnerit possidere. An forte secundum hoc dictum est, quod sub Angelis constitutæ sunt gentes, juxta Canticum Moysi famuli Dei (*Deut. xxxii, 8, sec. LXX*)? Numquidnam ergo ille angelus, sub quo erant filii Ammon, Chamos appellatus est? Quis hoc audeat affirmare, cum possit intelligi secundum ejus opinionem dictum, quia putabat deum suum hoc possidere, vel in possessionem sibi dedisse? Magis autem iste sensus elucet in iis verbis quæ græcus habet, *Nonne quæcumque hæreditavit tibi Chamos Deus tuus, hæc hæreditabis?* ut in eo quod positum est, *tibi*, intelligatur ita dictum, ac si diceretur, sicut videbitur tibi. Tibi enim hæreditavit qui hoc putas, non quod ille aliquid posset hæreditare. Denique in eo quod sequitur, *Et omnia quæcumque hæreditavit Dominus Deus noster*, non dixit, hæreditavit nobis, tanquam diceret, sicut nobis videtur; sed, vere hæreditavit, a facie vestra; quoniam abstulit ipsis, et his dedit: hæc inquit, hæreditabimus.

XLIX. [Ib. xi.] De illa Jephthe quod eam pater in holocaustoma obtulit Deo; quoniam in bello voverat, si vicisset, eum se holocaustoma obtaturum, qui sibi de domo exiens occurrisset; quod cum vovisset, vicit; et occurrente sibi illa, quod voverat reddidit: solet esse magna et ad dijudicandum difficilissima quæstio; quibusdam quid sibi hoc velit nosse cupientibus et pie quærentibus; quibusdam vero qui Scripturis his sanctis imperita impletate adversantur, hoc maxime in crimen vocantibus, quod Legis et Prophetarum Deus etiam humanis sacrificiis fuerit delectatus. Quorum calumnias sic primitus responderemus, ut Deum Legis et Prophetarum, atque ut expressius dicam, Deum Abraham et Deum Isaac et Deum Jacob nec illa sacrificia delectavorint, ubi pecorum holocausta offerebantur; sed quod significativa fuerint et quædam umbræ futurorum, res ipsas nobis quæ his sacrificiis significabantur, commendare voluisse: fuisse autem etiam istam utilem causam cur illa mutarentur, nec modo juberentur, imo prohiberentur offerri, ne vere secundum carnalem affectum talibus Deum delectari putaremus.

Sed utrum etiam humanis sacrificiis significari futura oportuerit, merito quæritur: non quod mortes hominum quandoque moriturorum in hac causa exhorrescere et formidare deberemus, si illi qui hæc de se fieri gratanter acciperent, in æternam remunerationem commendarentur Deo: sed si hoc verum esset, hoc genus sacrificiorum Deo non displiceret; displicere autem Deo satis evidenter eadem Scriptura testatur. Nam cum omnia primogenita sibi dicari, et sua esse voluerit atque præceperit; redimi tamen a se voluit primogenita hominum (*Exod. xiii, 2, 12, 13*), ne inmolaret filios suos, quos natos primitus suscepissent. Deinde hoc apertius ita loquitur, quod humana holocausta sic Deus improbet, ut pro-

(Vingt-six.)

bibeat, detestans ea in aliis gentibus, et populo suo præcipiens ne audeat imitari: *Si autem, inquit, exterminaverit Dominus Deus tuus gentes, in quas tu intras hæreditare terram eorum a conspectu tuo, et hæreditabis eos, et habitabis in terra eorum; attende tibi ipsi, ne exquiras sequi eos, postquam exterminati fuerint a facie tua, ne exquiras deos eorum dicens, Quemadmodum faciunt gentes diis suis, faciam et ego: non facies ita Domino Deo tuo. Abominamenta enim quæ Dominus odit, fecerunt diis suis; quoniam et filios suos et filias suas comburunt igni diis suis (Deut. xii, 29-31).*

Quid evidentiùs ostendi potest his sanctæ Scripturæ testimoniis, ut alia hujusmodi omittam, quam Deum a quo hæc Scriptura humano generi contributa est, non solum non diligere, verum etiam odisse talia sacrificia, in quibus homines immolantur? Illa plane diligit et coronat, cum quisque justus iniquitatem patiens usque ad mortem pro veritate decertat, vel ab inimicis, quos pro justitia offendit, occiditur, retribuens eis bona pro malis, id est pro odio dilectionem. Talem dicit Dominus sanguinem justum, a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ<sup>1</sup> (Matth. xxiii, 35). Præcipue autem quod sanguinem fudit ipse pro nobis, et sacrificium seipsum obtulit Deo; sic utique obtulit, ut ab inimicis pro justitia occideretur: hunc imitata martyrum millia usque ad mortem pro veritate certarunt, et ab inimicis sævientibus immolata sunt; de quibus dicit Scriptura, *Tanquam aurum in fornace probavit illos, et sicut holocausti hostiam accepit illos (Sup. iii, 6)*. Unde et Apostolus dicit, *Ego enim jam immolator (II Tim. iv, 6)*.

Sed non sic Jephthe de filia fecit holocaustoma Domino; sed sicut præceptum fuerat pecora offerri, et prohibitum fuerat homines immolari. Magis hoc illi simile videtur quod fecit Abraham, quod Dominus specialiter fieri præcepit (Gen. xxi), non generali lege ut talia sibi sacrificia fierent aliquando mandavit, imo etiam fieri omnino prohibuit. Distat itaque hoc quod Jephthe fecit a facto Abraham, quoniam ipse jussus obtulit filium: iste autem fecit quod et Lege vetabatur, et nullo speciali jubebatur imperio. Deinde non solum in sua Lege postea, verum etiam tunc Deus in ipso Abraham filio talibus sacrificiis quam non delectaretur ostendit; cum patrem ejus fidem jubendo probaverat, a filii tamen interfectione prohibuit, ac arietem, quo sacrificium licite secundum veterum congruam temporibus consuetudinem compleretur, apposuit.

Si autem hoc quemquam movet, quomodo pie crediderit Abraham Deum sacrificiis talibus delectari, si hæc illicite offeruntur Deo; et ideo putat recte credidisse etiam Jephthe quod tale sacrificium Deo posset esse acceptum: primo consideret aliud esse ultro vovere, aliud jacenti obtemperare. Non enim, si aliquid præter morem in domo a domino institutum servo jubetur, atque id laudabili obedientia facit, ideo non est

<sup>1</sup> Vaticanæ duo Mss.: *Dilectionem talem, quod dicat: Omnis sanguinem justum a sang. Ab. usque ad sang. Zachariæ requirendum.*

plectendus, si hoc facere sponte præsumperit. Deinde habebat quod crederet Abraham, ut propter divinum imperium non parceret filio, non credens Deum tales victimas libenter accipere, sed hoc eum propterea jussisse, ut resuscitaret occisum, et hinc aliquid tanquam Deus sapiens demonstraret. Nam hoc de illo etiam in Epistola legitur, quæ inscribitur ad Hebræos; et fides ejus, quia hoc de Deo crediderit, quod posset filium ejus suscitare, laudatur (Hebr. xi, 17-19). Iste vero et Deo non jubente neque poscente, et contra legitimum ejus præceptum, ultro sacrificium vovit humanum. Sic enim scriptum est: *Et vovit Jephthe votum Domino, et dixit: Si traditione tradideris mihi filios Ammon in manu mea, et erit quicumque exierit de januis domus meæ in obviam mihi, in revertendo me in pace a filiis Ammon, et erit, Domino offeram eum holocaustoma.*

Non utique his verbis pecus aliquod vovit, quod secundum Legem holocaustoma posset offerre. Neque enim est aut fuit consuetudinis, ut redeuntibus cum victoria de bello ducibus pecora occurrerent. Quantum autem attinet ad multa animalia, canes solent dominis blando famulatu alludentes currere in obviam: de quibus ille in suo voto cogitare non posset, ne in injuriam Dei aliquid, non solum illicitum, verum etiam contemptibile et secundum Legem immundum vovisse videretur. Nec ait, *Quodcumque exierit de januis domus meæ in obviam mihi, offeram illud holocaustoma*; sed ait, *quicumque exierit offeram eum*: ubi procul dubio nihil aliud quam hominem cogitavit; non tamen fortasse unicam filiam: quanquam illam in tanta paterna gloria quis posset antecire, nisi forte uxor? Nam quod non dixit, quæcumque, quæcumque exierit de januis domus meæ, solet Scriptura masculinum genus pro quolibet sexu ponere: sicut de Abraham dictum est, *Surgens a mortuo (Gen. xxiii, 5)*; cum ejus uxor mortua fuisset.

Quia ergo de hoc voto atque facto nihil videtur Scriptura judicasse, sicut de Abraham, quando filium jussus obtulit, apertissime judicavit; sed tantummodo scriptum reliquisse legentibus judicandum, quemadmodum de facto Judæ filii Jacob, quando ad nurum quidem suam nesciens intravit, verum quantum in ipso fuerat fornicatus est, quia meretricem putavit (Id. xxxviii, 15), neque approbavit hoc Scriptura, neque reprobavit, sed justitia et lege Dei consulta astimandum pensandumque dimisit: quia ergo de isto Jephthe facto in neutram partem sententiam Scriptura Dei protulit, ut noster intellectus in judicando exereretur, possemus jam dicere Deo displicuisse tale votum, et ad illam perductum esse vindictam, ut patri potissimum filia unica occurreret; quod si sperasset atque voluisset<sup>1</sup>, non continuo, ut eam vidit, scidisset vestimenta sua, et dixisset, *Hæc me, filia mea, impedisti me; in offendiculum facta es in oculis meis*. Deinde sexaginta dierum tam longa dilatione data filia suæ Dominus ab unica charissimæ nece cum eum non prohibuerit, sicut prohibuit Abr-

<sup>1</sup> Editi, *vovisset*. Mss. melioris notæ, *voluisset*.

ham, donec perficiendo quod voverat seipsum percuteret orbitate gravissima, Deum autem nequaquam hominis immolatione placaret : et ideo hujusmodi patri pœnam suis-e retributam, ne impunitum talis voti relinqueretur exemplum, ut aut magnum aliquid se vovere Deo putarent homines, cum victimas humanas voverent, et, quod est horribilius, filiorum; aut non vera, sed potius simulata eadem vota essent, cum velut exemplo Abrahæ sperarent qui vovissent, Deum prohibitorum talia vota compleri.

Possemus, inquam, hæc dicere, nisi ab ista sententia duo nos præcipue divinarum Scripturarum testimonia retardarent; ut hanc rem gestam et in libris tantæ auctoritatis memoriæ commendatam, diligentius quantum Dominus adjuvat, et cautius perscrutemur, ne in ullam partem iudicium temerarium proferamus. Unum, quod in Epistola ad Hebræos iste Jephthe inter tales commemoratur, ut eum culpam vereamur, ubi sic scriptum est : *Et quid adhuc dicam? Deficit enim me tempus enarrandi de Gedeon, Barac, Samson, et Jephthe, et David, et Samuel, et Prophetis; qui per fidem vicerunt regna, operantes justitiam consecuti sunt promissiones (Hebr. xi, 52).* Alterum, quod ubi de illo ista narratur, quod tale voverit et impleverit votum, præmisit Scriptura dicens, *Et factus est super Jephthe Spiritus Domini, et perrexit Galaad et Manasæ, et transiit speculam Galaad, et de specula Galaad ad transiit filios Ammon, et votum vovit Jephthe Domino, et cætera ad hoc ipsum votum pertinentia; ut omnia quæ deinceps facta sunt, tanquam opera Spiritus Domini, qui super eum factus est, intelligenda videantur. Ista testimonia nos compellunt quærere potius cur factum sit, quam facile improbare quod factum est.*

Sed primo illud quod ex Epistola quæ ad Hebræos est, commemoravi, inter illos laudabiles viros qui ibidem recoluntur, non solum est Jephthe, verum etiam Gedeon, de quo similiter Scriptura dicit, *Spiritus Domini confortavit Gedeon (Judic. vi, 34)* : et tamen ejus factum, quod de illo auro prædæ operatus est ephud, et fornicatus est post illud omnis Israel, et factum est domui Gedeon in scandalum (*Id. viii, 27*), non solum laudare non possumus; verum etiam quia Scriptura hic apertissime judicavit, reprobare minime dubitamus : nec tamen ex hoc ulla sit injuria Spiritui Domini, qui cum confortavit, ut hostes populi ejus tanta facilitate superaret. Cur ergo inter illos commemoratur, *qui per fidem vicerunt regna, operantes justitiam*; nisi quia sancta Scriptura, quorum fidem atque justitiam veraciter laudat, non hinc impeditur eorum etiam peccata, si qua novit, et oportere judicat, notare veraciter? Nam et in eo quod idem Gedeon signum petens, sicut ipse locutus est, tentavit in vellere (*Id. vi, 39*), nescio utrum non fuerit transgressus præceptum quod scriptum est, *Non tentabis Dominum Deum tuum (Deut. vi, 16)* : verum tamen etiam in ejus tentatione Dominus quod prænuntiare volebat ostendit; in compluto scilicet vellere et area tota circumquaque sicca, figurare primum populum Israël, ubi erant sancti cum gratia cælesti, tanquam

pluvia spirituali; et postea compluta area sicco vellere, figurare Ecclesiam toto orbe diffusam, habentem non in vellere tanquam in velamine, sed in aperto cælestem gratiam, illo priore populo velut ab ejusdem gratiæ rore alienato atque siccato. Nec tamen frustra inter fideles et operantes justitiam, propter bonam fidelemque vitam, in qua eum credendum est esse defunctum, tale in Epistola ad Hebræos meruit testimonium.

Utrum autem quia posteaquam dictum est, *Factus est super Jephthe Spiritus Domini*, ea secuta sunt, ut votum illud voveret, atque hostes vinceret, et quod voverat redderet, Spiritui Domini omnia deputanda sint, ut perinde habeatur et hoc sacrificium, tanquam id Dominus sicut Abrahæ fieri jussit, non facile dixerim; cum utique de Gedeon possit hæc afferri differentia, quia post peccatum quod fecit, quando fecit ephud post quod universus populus fornicatus est, nulla est ejus commemorata prosperitas : postea vero quam Jephthe votum vovit, illa est insignis ejus victoria consecuta, propter quam adipiscendam voverat, et qua adepta quod voverat solvit. Rursus enim considerandum est, quia Gedeon, etsi non posteaquam fecit ephud, tamen posteaquam tentavit Dominum, quod utique peccatum est, magna strage hostium cæsis atque superatis populo acquisivit salutem. Si enim scriptum est : *Et dixit Gedeon ad Dominum. Non irascatur indignatio tua in me, et loquar adhuc semel, et tentabo adhuc semel in vellere*, et cætera. Iram quippe Dei metuebat, quia noverat tentando se peccare, quod Deus in Legge sua manifestissime prohibet. Hoc tamen peccatum ejus et mirabilis signi evidentia et magna victoriæ prosperitas liberationisque populi consecuta est. Jam enim Deus statuerat afflicto populo subvenire, atque hujus ducis, quem ad hoc opus assumpsit, utebatur animo non solum fideli et pio, verum etiam subdeficiente et delincente, et ad prænuntianda quæ volebat, et complenda quæ dixerat.

Non enim per istos tantum, qui etiam si peccaverunt, inter justos tamen narrantur, sed etiam per ipsum Saulem omni modo reprobatum, multa Deus populo suo præstitit, in quem insilivit etiam Spiritus Dei, et prophetavit; non cum juste ageret, sed cum in virum sanctum David innocentemque sæviret (*1 Reg. xix, 20-25*). Agit enim Spiritus Domini et per bonos et per malos, et per scientes et per nescientes, quod agendum novit, et statuit : qui etiam per Caiphiam acerrimum Domini persecutorem, nescientem quid dixerit, insignem protulit prophetiam, quod oporteret Christum mori pro gente (*Joan. xi, 49-51*). Quis enim egit nisi Spiritus Domini, curans prænuntiare virtutem, ut iudici Gedeon tentare volenti Dominum, et non credenti quod ei fuerat per manum ejus de salute populi jam locutus, hoc potissimum de vellere prius compluto, postmodum sicco, et de area prius sicca, postea rigata veniret in mentem? Ut quod subdefecit a fide, infirmitati ejus delictoque deputetur; quod vero etiam tali ejus animo ad hoc quod generari

humano significari oportebat usus est Deus, ad ejus intelligatur misericordiam et mirabilem providentiam pertinere.

Si quis autem dicit omnia scientem fecisse et dixisse Gedeon ex revelatione prophetica, ut per eum signa talia monstrarentur; nec defecisse a fide; et quod ei jam promiserat Dominus credidisse; sed actione prophetica in vellere voluisse tentare, atque ita illius tentationem fuisse inculpabilem, sicut dolum Jacob (*Gen. xxvii, 15, 16*); et illud quod Dominus ait, *Non irascatur indignatio tua in me*, non ideo dixisse quod iram ejus timeret, sed quod cum confideret non irasci, cum ea faceret quæ Spiritu ejus dictante facienda esse tanquam propheta sentiret: dicat ut videtur, dum modo illud quod de facto ephud Scriptura ipsa culpavit, quodlibet significet, non audeat excusare a peccato. Nam et illud quod trecenti viri ad signum crucis ipso numero pertinentes, hydris fictiles acceperunt, eisque ardentes faculas incluserunt, quibus hydris fractis repente lumina numerose micantia tantam hostium multitudinem terruerunt (*Judic. vii, 16-22*), tanquam ex suo arbitrio videtur fecisse Gedeon; non enim Scriptura dicit Dominum admonuisse ut hoc faceret: et tamen tam grande signum quis ejus animo atque consilio faciendam, nisi Dominus, inspiravit? Qui præfiguravit sanctos suos thesaurum evangeliei luminis in vasis fictilibus habituros, sicut Apostolus dicit, *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor. iv, 7*): quibus in passione martyrii tanquam vasculis fractis, major eorum gloriæ fulgor emicuit, quæ impios evangelicæ prædicationis inimicos inopinata illis Christi claritate superavit.

Seu ergo per scientes, seu per nescientes, præfigurationem prædicationemque futurorum Spiritus Domini prophetice temporibus operatus est: nec ideo peccata eorum dicendum est non fuisse peccata; quia et Deus, qui et malis nostris bene uti novit, etiam ipsis eorum peccatis usus est ad significanda quæ voluit. Proinde si propterea peccatum non fuit, sive cuiuslibet necis humanæ, sive etiam parricidale sacrificium vel vovere, vel reddere, quia magnum aliquid et spirituale significavit; frustra Deus talia prohibuit, et se odisse testatus est; quoniam et illa quæ fieri jussit, utique ad aliquam significationem rerum spiritualium magnarumque referuntur. Cur ergo illa prohiberet, quandoquidem poterant propter eandem rerum earundem significationem, propter quam et ista licite fiebant, nihilominus licite fieri; nisi quia nec tale aliquid significantia quale expedit credere, humana Deo sacrificia placuerunt, quando non pro justitia quisque ab inimicis, quia recte vivere voluit aut peccare noluit, interimitur, sed homo ab homine tanquam electa hostia more pecoris immolatur?

Quid si, ait aliquis, quoniam pecoris victimæ jam eo ipso quo fuerant usitata, quamvis et ipsæ a recte intelligentibus ad significationem spiritualium referrentur. minus tamen faciebant intentos ad magnum sacramentum Christi et Ecclesiæ requirendum; pro-

pterea Deus re insigni et inopinata volens quasi dormientes hominum animos excitare, eo magis quo talia sibi sacrificia offerri vetuerat, curavit sibi ejusmodi aliquid offerendum, ut ipsa admiratio magnam gigneret quæstionem, et magna quæstio ad perscrutandum magnum mysterium studium piæ mentis erigeret, piæ vero scrutans mens hominis altitudinem prophetiæ, velut hamo piscem Dominum Christum de profundo Scripturarum levaret? Huic nos rationi et considerationi non obstitimus. Sed alia quæstio est de animo voventis, alia de providentia Dei qualicumque animo ejus optime utentis. Quamobrem si Spiritus Domini qui factus est super Jephthe, ut hoc voveret omnino præcepit, quod quidem Scriptura non aperuit; tamen si hoc ille præcepit, cuius non licet jussa continere, non solum insipientia culpanda non est, verum etiam laudanda obedientia est. Hoc enim, etiamsi se homo ipse interimat, quod utique humana voluntate atque consilio facere nefas est, profecto intelligendum est obedenter fieri potius quam seclæste, si divinitus jussum est: de qua quæstione satis in primo libro de Civitate Dei disputavimus (*De Civit. Dei, lib. 1, c. 21*). Si autem Jephthe humanum secutus errorem, humanum sacrificium vovendum putavit, ejus quidem peccatum de unica filia jure punitum est, quod etiam ipse verbis suis satis videtur ostendere, ubi ait, *Hæc me, filia mea, impedisti me; in offendiculum facta es in oculis meis*; discissis etiam vestimentis suis. Verumtamen etiam hic ejus error habet aliquam laudem fidei, qua Deum timuit, ut quod voverat redderet, nec divini in se iudicii sententiam declinavit; sive sperans Deum prohibitorum, sicut fecit Abraham, sive ejus voluntatem etiam non prohibentis intellectam facere potius quam contempnere statuens.

Quamquam et hic merito quæri potest utrum verius intelligitur hoc Deum nolle fieri, et in eo potius Deo, si non fieret, obediretur, quoniam hoc se nolle et in Abraham filio et in legitima prohibitione monstraverat. Verumtamen si propterea Jephthe non faceret, sibi potius in unica pepercisse, quam Dei voluntatem secutus esse videretur. Magis ergo intellexit in eo quod ei filia occurrit, ultorem Deum, justæque pœnæ se fideliter subdidit, timens sæviorem tanquam de tergiversatione vindictam. Credebat enim etiam bonæ et virginis animam filia bene recipi, quod non seipsa voverat immolandam, sed voto et voluntati non restiterat patris, et Dei fuerat secuta iudicium. Mors enim sicut nec sibi a quoquam sponte nec cuiquam sponte inferenda est; ita Deo jubente recusanda non est, cujus constitutione quocumque temporis obeunda est: nec quisquam qui eam perpeti detrectat, ut omnino evitetur, sed tantummodo ut differatur, laborat<sup>1</sup>. Hæc autem festinantibus nobis de prædicta quæstione satis esse utrumque discussa pro hac quidem parte visa sunt.

Nunc jam quid Spiritus Domini, sive per nescientem Jephthe sive per scientem, sive per ejus impru-

<sup>1</sup> Quæ sequuntur, scilicet, hæc autem festinantibus, usque ad nunc jam, absumt a Mss. Vaticanis et Gallicanis.

dentiam sive per obedientiam, sive per offensionem sive per fidem, in hac re gesta præfiguraverit, quantum Deus adjuvat, requiramus, breviterque pendamus. Admonet enim nos et urget quodam modo iste sanctorum Scripturarum locus cogitare quemdam potentem virtute. Talis enim dicitur Jephthe, quod nomen interpretatur Aperiens. Dominus autem Christus, sicut indicat Evangelium discipulis suis *aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas* (Luc. xxiv, 45, 27). Hunc Jephthe fratres ejus reprobaverunt, et de paterna domo expulerunt, objicientes et quod esset filius fornicariæ, tanquam ipsi essent de uxore legitima nati. Hoc etiam egerunt adversus Dominum principes sacerdotum et Scribæ et Pharisei, qui de Legis observatione gloriari videbantur, tanquam ille solveret Legem, et ideo veluti non esset legitimus filius. Et quanquam de sancta quidem Virgine corpus assumpserat, quod fidelibus notum est; tamen ejus mater, quantum ad gentem pertinet, etiam illa Judaica synagoga dici potest. Revolvat qui voluerit propheticos Libros, et videat quoties et quanta verbi severitate atque indignatione Domini, illa gens velut impudica mulier de suis fornicationibus arguatur. Unde est etiam illud in hoc libro recentissimum, vel cum post ephud quod fecit Gedeon, omnis Israel legitur fornicatus, vel quod abierunt post deos gentium quibus erant circumdati. Unde in illos divina ira commota est, ut per annos decem et octo contererentur a filiis Ammon (Judic. viii, 27, et x, 6 8). Sed numquid non ex eadem gente Israel etiam illi nati erant sacerdotes, et Scribæ, et Pharisei, quos in eis diximus fuisse præfiguratos, qui Jephthe, tanquam isti Dominum Christum, veluti non legitimum filium persecuti expulerunt? Sed in eo similitudo adumbrata est, quod isti, ut dixi, veluti Legis observatores, eum qui contra præcepta Legis facere videbatur, tanquam legitimum non legitimum, jure sibi visi sunt eiecisse. Secundum hoc enim plebs illa dicta est fornicari, quod Legis præcepta non servans, tanquam viro non exhibebat fidem.

Sic autem scriptum est de Jephthe, *Et creverunt filii uxoris, et ejecerunt Jephthe*. Verbum quod positum est, *creverunt*, significat in figura, prævaluerunt: quod in Judæis impletum est, qui prævaluerunt infirmitati Christi, quia ita voluit, ut ab eis quæ oportebat passione perferret; sicut hoc idem significans Jacob prævaluit angelo, cum quo ut idipsum portenderet luctabatur (Gen. xxxii, 24-28). Dixerunt ergo ad Jephthe, *Non hæreditabis in domo patris nostri, quoniam filius mulieris fornicariæ tu*. Tanquam dicerent quod Evangelium loquitur, *Non est iste homo a Deo, qui sic solvit sabbatum* (Joan. ix, 16): se autem velut jactantes legitimos filios Domino dixerunt, *Nos ex fornicatione non sumus nati; unum patrem habemus Deum* (Id. viii, 41). *Et fugit Jephthe a facie fratrum suorum, et habitavit in terra Tob*. Fugit, quoniam se quantus esset abscondit; fugit, quoniam eos sevientes latuit: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I Cor. ii, 8). Fugit, quoniam morientis infirmitatem viderunt, virtutem autem resurgentis non viderunt.

Habitavit autem in terra bona, vel, ut expressius dicamus, opima. Quod enim græce *εὖδα*, hoc latino opimum dicitur: id autem interpretatur Tob. Ubi mihi videtur intelligenda ejus a mortuis resurrectio. Nam quæ terra magis opima, quam terrenum corpus excellentia immortalitatis et incorruptionis indatum?

Quod autem dicitur de Jephthe, quia posteaquam fugiens a facie fratrum suorum habitavit in terra Tob, colligebantur ad eum viri latrones, et obambulabant eum ipso; quanquam et ante passionem objectum fuerit Domino, quod cum publicanis et peccatoribus manducaret, quando respondit, non esse necessarium sanis medicum, sed ægrotis (Matth. ix, 11, 12); et inter iniquos deputatus est (Isai. liii, 12), quando inter latrones crucifixus est, et unum ex eis de cruce in paradisu transtulit (Luc. xxiii, 33, 43): tamen posteaquam resurrexit, et esse cepit, secundum id quod supra exposuimus, in terra Tob, collecti sunt ad illum scelerati homines propter remissionem peccatorum; qui cum illo ambulabant, quia secundum ejus præcepta vivebant. Neque hoc fieri desinit usque nunc, et deinceps, quousque ad eum confugiunt mali, ut justificet impios qui ad eum convertuntur, et discant iniqui vias ejus (Psal. l, 15).

Jam illud, quod hi qui abjecerant Jephthe (erat enim Galaadites), conversi sunt ad eum, et quisiverunt eum, per quem liberarentur ab inimicis suis; quam clara præfiguratione significat, quod hi qui abjecerunt Christum, ad eum rursus conversi, in illo reperiunt salutem! sive illi intelligantur quos Petrus apostolus cum de ipso scelere arguisset, sicut in Actibus Apostolorum legitur, et hortatus esset ut ad eum converterentur, quem fuerant persecuti, compuncti sunt corde, et ab illo quem a se alienaverant, desideraverunt salutem (quid est autem liberari ab inimicis, nisi a peccatis? sic enim illis ait, *Agite poenitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi; et remittentur vobis peccata vestra* (Act. ii, 22-38): sive illa potius significetur, quæ in fine speratur vocatio gentis Israel. Magis quippe ipsa videtur apparere in eo quod dicitur, *Et factum est post dies*: quod utique post tempus significat; et per hoc insinuat non illud intelligendum quod recenti Domini passione est, sed quod postea futurum est. Quo videtur etiam id pertinere, quod seniores Galaad venerunt ad Jephthe, ut per ætatem senilem posteriora et novissima tempora accipienda sint. Interpretatur autem Galaad Abjiciens, sive Revelatio. Quorum utrumque satis apte huic rei congruit; quia primo Dominum Christum abjecerunt, eisque postea revelabitur.

Quod vero contra filios Ammon dux quærebatur Jephthe, quibus victis liberarentur, qui eo duce adversus illos bellare cupiebant, quoniam interpretatur Ammon Filius populi mei, sive Populus meroris; profecto aut illi significantur inimici, qui ex ipsa gente perseverantes in infidelitate prædicti sunt; aut omnino omnes gehennæ prædestinati, ubi erit eis stetus et stridor dentium (Matth. xxv, 30), tanquam populi



mœroris. Quamquam populus mœroris, etiam diabolus et angeli ejus non inconvenienter intelliguntur; sive quia æternam miseriam eis quos decipiunt acquirunt; sive quia et ipsi æternæ miseræ deputati sunt.

Eleganter sane, ad exprinendam multo evidentius prophetiam, Jephthe respondit senioribus Galaad: *Nonne vos odio habuistis me, et ejecistis me de domo patris mei, et enisistis me a vobis? et quid est quod venistis, quando tribulati estis?* Tale aliquid figuratum est in Joseph, quem fratres vendentes abjecerunt (*Gen. xxxvii, 28*); et cum fame tribularentur, ad ejus opem misericordiamque conversi sunt (*Id. xlii xlii*). Hic vero multo amplius elucet significatio futurorum, quod non ipsi prorsus fratres qui ejecerunt Jephthe, ad eum venerunt; sed Galaad seniores pro universo illo populo eidem supplicantes. Sicut eadem gens dicitur Israel, sive in eis qui tunc fuerunt, Christumque repronaverunt, sive in eis qui ad ejus opem postea reversi sunt. Populo enim dicitur inimico, sive in majoribus sive in posteris suis longa odia trahenti atque servanti, tandemque converso in eis qui tunc convertendi sunt, *Nonne vos odio habuistis me, et ejecistis me de domo patris mei?* Hoc enim eis visum est qui persecuti sunt, quod ejecerunt Christum de domo David, in qua regni ejus non erit finis (*Luc. i, 33*).

*Et dixerunt seniores Galaad ad Jephthe: Non sic modo venimus ad te.* Tanquam dicerent Judæi conversi ad Christum: Tunc venimus ut persequeremur, modo venimus ut sequamur. Proflentur etiam adversus inimicos eum futurum sibi caput. Respondet ille, si eorum vicerit inimicos, quod erit, eis in principem: quod Gedeon noluit, cum id Israelitæ voluissent. Respondit quippe illis: *Princeps vester Dominus erit* (*Judic. viii, 22, 23*). Rex enim nomine principis significatur: quod nondum habebat gens illa tempore Judicium. Cœperunt autem habere Saûlem (*I Reg. x, 4*) et deinceps successores ejus alios, qui in libris Regnorum leguntur. Nam in Deuteronomio cum eis præcipitur qualem debeant habere regem, si hoc eis placuerit (*Deut. xvii, 14*), non ibi rex, sed princeps appellatur. Sed quia iste Jephthe illum figurabat, qui verus est rex, quod etiam in titulo scriptum fuit, qui cruci ejus affixus est, quem Pilatus delere vel emendare non ausus est (*Jean. xix, 19-22*); ideo credendum est esse dictum, *Ero vobis in principem*. Illi autem dixerant, *Eris nobis in caput*: quoniam caput viri Christus (*I Cor. xi, 3*), et ipse est caput corporis Ecclesiæ (*Ephes. v, 23*). Denique posteaquam eos liberavit Jephthe ab omnibus inimicis, non eis factus est rex, ut intelligeremus, illud quod dictum est, ad prophetiam potius pertinuisse de Christo, quam ad ipsum proprie Jephthe, de quo Scriptura narrationem ita concludit: *Et judicavit Jephthe Israel sex annis, et mortuus est Jephthe Galaadites, et sepultus est in civitate sua Galaad* (*Judic. xii, 7*). Judicavit ergo Israel sicut cæteri Judices: non ibi regnavit ut princeps, sicut hi qui Regnorum voluminibus continentur.

Jamvero quod posteaquam eis idem Jephthe dux constitutus est, misit nuntios ad hostes prius pacis verba portantes, illud ostenditur quod ait Apostolus,

In quo Christus loquebatur: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom. xii, 18*). Verba porro ipsa quæ mandavit Jephthe, omnia pertractare nimis longum est, festinantibus nobis: videntur tamen mihi sic intelligenda, quantum attinet ad significationem futurorum, ut in eis advertatur doctrina Christi, admonens nos quemadmodum sit ambulandum, hoc est, vivendum inter eos qui non secundum propositum vocati sunt. Novit enim Dominus qui sunt ejus (*II Tim. ii, 19*).

Jamvero quod cum esset de-bellaturus inimicos, factus est super eum Spiritus Domini, significatur Spiritus sanctus impertitus membris Christi.

Quod autem pertransiit Galaad et Manasse, et transit speculam Galaad, et ab specula Galaad ad trans filios Ammon, proficientia significantur membra Christi ad victoriam de inimicis reportandam. Galaad quippe interpretatur Abjiciens, Manasse Necessitas. Transeundi sunt ergo proficientibus abjicientes, id est contemnentes: transeunda et necessitas, ne forte cum transierit qui proficit contemnentes, cedat terrentibus. Transeunda etiam specula Galaad, quoniam Galaad etiam Revelatio interpretatur. Est autem specula altitudo ad prospiciendum, vel despiciendum, id est desuper aspiciendum. Specula itaque Galaad congrue mihi videtur significare superbiam revelationis: unde dicit Apostolus, *Et in magnitudine revelationum ne extollar* (*II Cor. xii, 7*). Ergo et ipsa transeunda est, id est, non est in ea manendum propter cadendi periculum. Illis pertransitis, facile superantur inimici: quod significat dicendo, *Et ab specula Galaad transiit ad filios Ammon*, de quibus inimicis jam supra dictum est.

*Et vocit Jephthe votum, et dixit: Si traditionis traderis mihi filios Ammon in manu mea, et erit quicumque exierit de januis domus meæ in obviam mihi in reverendo me in pace a filiis Ammon, et erit Domino, et offeram eum holocaustoma.* Quemlibet in hoc loco cogitaverit Jephthe secundum cogitationem humanam, non videtur unicum filiam cogitasse; alioquin non diceret, cum illam cereret occurrisse, *Heu me, filia mea, impedisti me; in offendiculum facta es in oculis meis.* Impedisti enim ita dictum est, tanquam ad hoc se impeditum indicaverit, ne illud quod cogitaret impleret. Sed quem potuit cogitare primitus occurrentem, qui filios alios non habebat? An conjugem cogitavit, et ut hoc fieret Deus noluit, et ut non relinqueret impunitum, ne quis deinceps id auderet; et ut magna providentia, ex hoc quoque ipso quod accidit, sacramentum Ecclesiæ figuraret? Ex utroque igitur prophetia coaptata est; et ex eo quod vovens cogitavit, et ex eo quod nolenti contigit. Si enim conjugem cogitavit, conjux Christi Ecclesia est. *Propterea relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, inquit Apostolus, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes. v, 31, 32*). Sed quia hujus Jephthe conjux virgo esse non potuit, in eo quod filia potius occurrit, et inulta non remansit prohibitum sacrificium voventis audacia, et virginitas Ecclesiæ figurata est.



Nec abhorret a vero, quod filix nomine eadem significatur Ecclesia : nam cujus alterius typum gerebat etiam illa mulier, cui post tactam simbriam suam sanatae, ait Dominus, *Filia, fides tua te salvam fecit; vade in pace* (Matth. ix, 20-22)? Et certe, unde nullus ambigit, discipulo suos ipse sponsi filios appellavit, se apertissime iudicans sponsum : *Non possunt*, inquit, *jejunare filii sponsi, quamdiu cum illis est sponsus; venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt* (Ibid., 15). [Holocaustoma ergo erit Ecclesia, quam virginem castam beatus Apostolus appellat (II Cor. xi, 2), quando in resurrectione mortuorum fiet in universa, quod scriptum est, *Absorpta est mors in victoriam*. Tunc tradet regnum Deo et Patri (I Cor. xv, 54, 24). Quod regnum ipsa Ecclesia est, rex ipse cujus figuram vovens ille gestabat. Sed quoniam tunc fiet, cum completa fuerit sexta aetas saeculi, ideo sexaginta dierum a virginitate dilatio postulata est. Ex omnibus quippe aetatibus Ecclesia congregatur. Quarum prima est, ab Adam usque ad diluvium; secunda a diluvio, id est, a Noe usque ad Abraham; tertia ab Abraham usque ad David; quarta a David usque ad transmigrationem in Babyloniam; quinta ab hac transmigratione usque ad Virginis partum; sexta inde usque in huius saeculi finem. Per quas sex aetates tanquam per sexaginta dies flevit sancta virgo Ecclesia virginalia sua : quia licet virginalia, tamen fuerant peccata deservenda; propter quae universa ipsa virgo toto orbe diffusa quotidie dicit, *Dimitte nobis debita nostra* (Matth. vi, 12). Eosdem autem sexaginta dies, duos menses maluit appellare, quantum existimo, propter duos homines; unum per quem mors, alterum per quem resurrectio mortuorum; propter quos etiam duo Testamenta dicuntur.

Quod vero factum est in praecipuum in Israel, ex diebus in dies conveniebant lamentari filiam Jephthe Galaaditem, quatuor dies in anno : non puto significari aliquid post impletum holocaustoma, quod erit in vitam aeternam; sed praeterita tempora Ecclesiae, in quibus erant beati lugentes. Quatriduo autem signata est ejus universitas, propter quatuor partes orbis, per quas longe lateque diffusa est. Ad historiae vero proprietatem, non arbitror hoc decrevisse Israelitas, nisi quia intelligebant in ea re iudicium Dei magis ad percipiendum patrem fuisse depromptum, ne tale vovere sacrificium deinceps ullus auderet. Nam quare luctus et lamentatio decerneretur, si votum illud latitiae fuit?

Si autem et illud, quod populus Ephraem postea ab eodem Jephthe debellatus est, ad iudicium Dei, quod erit in fine, referendum est, sicut ipse Dominus dicit, *Eos qui noluerunt me regnare sibi, adducite et interficite coram me* (Luc. xix, 27); nec ibi quadraginta duo millia, quae ceciderunt, vacanti numero commemorata sunt (Judic. xii, 4, 6). Sicut enim illi duo menses propter sexaginta dies senarium numerum sex aetatum significant : ita et ibi sexies septenarius ductus hoc idem figurat, quantum ad sex aetates saeculi pertinet; sexies enim septem quadraginta duo sunt. Nec

frustra et ipse Jephthe sex annis populum iudicavit.

L. [Ib. xii, 4.] Quæri potest quomodo dixerit angelus ad matrem Samson, cum annuntiaret ei filium futurum, quia sterilis erat, *Et nunc observa, et non bibas vinum et siceram, non manduces omne immundum*. Quid est enim immundum? nisi forte dissolutio disciplinae, quæ esse coeperat in Israel, etiam ad ea manducanda eos labefecerat, quæ prohibuerat Deus in generibus animalium (Deut. xiv, 3-19). Cur enim non credatur etiam hoc eos multo proclivius facere potuisse, qui etiam ad cultum idolorum transgrediebantur?

LI. [Ib. xii, 6.] Quod mater Samson viro suo indicans quemadmodum illi angelus annuntiaverit filium futurum, dixit, *Et interrogabam eum unde esset, et nomen suum non annuntiavit mihi*, quæri potest utrum verum dixerit; quoniam hic non legitur, eum ei angelum loqueretur. Sed intelligendum est hoc ibi Scripturam tacuisse, hic autem commemorasse quod ibi tacuerat. Illud etiam quod non ait, *Interrogavi eum quid vocaretur, et nomen suum non annuntiavit mihi*, sed ait, *Interrogavi unde esset*; videtur inconsequens quod addidit, *et nomen suum non annuntiavit mihi*. Non enim nomen ejus interrogaverat, cum quæreret unde esset, sed locum vel civitatem, cum hominem putaret. Nam et hominem Dei eum appellavit, specie tamen vel habitu angelo similem, hoc est, quia tam præclarum vidit, sicut ipsa narravit. Sed si ita distinguitur, *Et interrogabam eum unde esset, et nomen suum*, ut subaudiatur, *interrogabam eum, et postea inferatur, non annuntiavit mihi*, non habet quaestionem : ad utrumque enim referri potest, quod ait, *non annuntiavit mihi*, id est, nec unde esset, nec nomen suum.

LII. [Ib. xiii, 7, 5.] Item quod ait eadem mulier, dictum sibi esse ab angelo, quoniam *Nazaræus Dei erit puer a ventre usque ad diem mortis suæ*, non legitur ab angelo dictum. Et quod legitur dictum, *Ipsa incipiet salvum facere Israel de manu Philistinum*, non est a muliere commemoratum. Itaque et aliquid non dixit, quod audivit; et tamen nihil credenda est dixisse quod non audivit : sed Scripturam potius non omnia verba angeli posuisse, cum ipsum mulieri loquentem insereret narrationi. Ideo autem dictum est, *a ventre usque ad diem mortis suæ*, quia Nazaræi dicebantur in Lege, ad tempus qui votum habebant, secundum ea quæ Scriptura per Moysen præceperat (Num. vi, 2-21). Unde est hoc, quod huic iussum est ut ferrum non ascenderet in caput ejus, et vinum et siceram non biberet. Hoc enim tota vita sua observavit Samson, quod illi qui vocati sunt Nazaræi certis diebus observabant, voventes votumque reddentes.

LIII. [Ib. xiii, 16, 15, 4.] Quod dicit Scriptura, *Quoniam ignoravit Manue quia angelus Dei est*, manifestum est etiam ejus uxorem hominem credidisse. Quod ergo ei dixit, *Vim faciamus tibi nunc, et faciamus in conspectu tuo hædum caprarum*, tanquam hominem invitavit, sed ita ut hoc cum illo epularetur, quod sacrificium secesset. Nam facere hædum capra-

rum non solet dici, nisi cum sit sacrificium. Denique et ille ita respondit, *Si vim feceris mihi, non manducabo de panibus tuis*; ubi ostendit se fuisse ad epulas invitatum. Deinde addidit, *Et si feceris holocaustum, Domino offeres illud*. Utique ideo dixit, *Si feceris holocaustum*, quia ille dixerat, *Faciamus in conspectu tuo hœdum caprarum*. Non autem omne sacrificium holocaustum erat; nam de holocausto non manducabatur, quia totum incendebatur, et ideo vocabatur holocaustum. Sed angelus etiam non manducaturus, holocaustum potius fieri admonuit, non tamen sibi, sed Domino: propter hoc maxime; quia gens Israël illo tempore consueverat, quibuslibet diis falsis sacrificare; unde et tunc offenderat Deum, ut traderetur inimicis per quadraginta annos.

LIV. [Ib. xiii, 16-23.] Quid sibi vult, quod posteaquam manifestatus est Manue et uxori ejus angelus, qui cum eis loquebatur, dixit idem Manue uxori suæ, *Morte moriemur, quoniam Deum vidimus*; ex illa scilicet Legis sententia, ubi scriptum est, *Nemo potest faciem meam videre et vivere (Exod. xxxiii, 20)*? Opinabantur ergo ut homines, Deum se vidisse, tanto utique miraculo facto, quod in igni sacrificii stetit, qui cum illis prius quasi homo loquebatur. Sed Deum in angelo, an Deum ipsum angelum appellabant? Sic enim scriptum est: *Et sumpsit Manue hœdum caprarum, et sacrificium; et obtulit super petram Domino mirabilia facienti; et Manue et uxor ejus expectabant. Et factum est dum ascenderet flamma desuper altare ad caelum, et ascendit angelus Domini in flamma. Et Manue uxorque illius expectabant; et ceciderunt super faciem suam super terram. Et non appoavit ultra angelus Domini apparere ad Manue et ad uxorem ejus. Tunc cognovit Manue quoniam angelus Domini est; et dixit Manue ad uxorem suam, Morte moriemur, quoniam Deum vidimus*. In his ergo verbis quia non dixit, *Morte moriemur, quoniam angelum Domini vidimus*, sed, *Deum vidimus*, oritur quæstio, utrum in angelo intelligebant Deum, an eundem angelum Deum vocabant. Illud enim tertium, quod Deum putaverant qui erat angelus, dici non potest, apertissimo dicente Scriptura, *Tunc cognovit Manue quoniam angelus Domini est*. Sed unde metuebat mortem? Non enim Scriptura in Exodo dixerat, *Nemo videt faciem angeli, et vivet, sed, faciem meam dixit, cum Deus loqueretur*. An et in hoc ipso quod in angeli præsentia Deum cognoverat Manue, ita perturbatus est, ut mortem timeret? Quod autem illi uxor sua respondit, *Si vellet Dominus mortificare nos, non accepisset de manu nostra holocaustoma et sacrificium, nec illuminasset nos omnia hæc; sed nec audita facisset nobis hæc*: utrum ipsum angelum crediderunt accepisse sacrificium, quia viderunt eum in altaris flamma stetisse? an per hoc intellexerunt accepisse Dominum, quia hoc fecit angelus, ut se ostenderet angelum? Quodlibet autem horum ait, jam tamen an-

gelus dixerat, *Si autem facis holocaustum, Domino offer illud*; hoc est, non mihi, sed Domino. Quod ergo stetit angelus in altaris flamma, magis significasse intelligendus est illum magni consilii Angelum in fornace servi (*Isai. ix, 6*), hoc est, in homine quem suscepturus erat, non accepturum sacrificium; sed ipsum sacrificium futurum.

LV. [Ib. xv, 8, 15.] Quid est quod dictum est, quod percussit alienigenas Samson tibiam super femur? Quis enim habet tibiam super femur, cum tibia deorsum versus non sit, nisi a genu usque ad talum? Deinde si locum corporis significaret, ubi eos vulneravit, numquidnam omnes quos percussit, in uno corporis loco fuerant vulnerati? Quod si esset credibile, possemus forsitan suspicari eum pugnasse tibia alicujus animalis tanquam fuste, et ea illos super femur percussisse: sicut de illo scriptum est, quod maxilla asini mille occiderit. Sed neque illud, ut dixi, credibile est, quod pugnans unum tantum locum observaverit ubi eos percuteret: et non ait Scriptura, Percussit eos tibia super femur, sed tibiam super femur. Nimirum ergo inusitata locutio facit obscuritatem. Ita enim dictum est, ac si diceretur, Percussit eos valde mirabiliter, id est, ut admirando stupentes tibiam super femur ponerent; tibiam scilicet unius pedis super femur alterius, sicut solent sedere, qui mirando stupent. Tanquam si diceretur, Percussit eos manum ad maxillam; id est, tanta cæde, ut manum ad maxillam; tristis admiratione ponerent. Ille: et se ipsum ita se habere etiam interpretatio quæ est ex Hebræo, satis edocet nam ita legitur, *Percussit eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent*. Tale est enim, ac si diceret, tibiam femori imponerent; quoniam sura utique retrorsus cum tibia est.

LVI. [Ib. xv, 12.] Quid est quod ait Samson viris Juda, *Jurate mihi ne interficiatis me vos, et tradite me eis, ne forte occurratis in me vos?* Quam locutionem ita nonnulli interpretati sunt, *ne forte veniat adversum me vos*. Sed hoc eum ne ab his interficeretur dixisse, illud indicat, quod in Regnorum libro scriptum est, jubante Salomone ut homo occideretur, et dicente, *Vade, occurre illi (III Reg. ii, 39)*. Quod ideo non intelligitur, quia non est consuetudinis apud nos ita dici. Sic enim quod militares potestates dicunt, *Vade, alleve illum, et significat, Occide illum*, quis intelligat, nisi qui illius locutionis consuetudinem novit? Solet et vulgo apud nos dici, *Compendiavit illi*<sup>1</sup>; quod est, occidit illum: et hoc nemo intelligit, nisi qui audire consuevit. Hæc est enim vis generalis omnium locutionum, ut quemadmodum ipsæ linguæ, non intelligantur, nisi audiendo vel legendo discantur.

<sup>1</sup> In excusis scribatur, *compendiavit illi*. At in plerisque ac melioris notæ MSS., *compendiavit*.

DE SUBSEQUENTI OPERE

Vide librum 2, cap. 13, Retractationum, t. 1, col. 635, a verbis, Liber cujus est titulus, Annotationes in Job, usque ad verba, Ei super terram. M

Etatem subsequentis opusculi non hic significavit Augustinus, nisi ipsa Retractationum serie, in qua locum illi opusculo medium tribuit inter libros circiter annum 400 elaboratos, recensuitque illud aliquando ante opus quod contra Petilianum Literas, Anastasio in Romana cathedra sedente, ex lib. 2, c. 51, adeoque non serius anno 402 conscriptum fuit.

S. AURELII AUGUSTINI  
HIPONENSIS EPISCOPI  
ANNOTATIONUM IN JOB

Liber unus (a).



[Job cap. 1.] *Et opera magna erant ei super terram* : quia operabatur de ipsis operibus. *Faciebant convivium quotidie, donec eorum numerus impleretur.* Signum est caritatis. *Et offerebat pro eis victimas, secundum eorum numerum.* Intelligendum, alias esse peculiarias confessiones, quasi singulas victimas; aliud vero sacrificium pro omnium et pro omnibus peccatis, quod significat dicens <sup>1</sup> : *Ne forte peccaverint filii mei, et maledixerint Deo in cordibus suis.* Bene additur, *Ne forte*; quia in corde eos maledixisse suspicabatur. *Et ecce venerunt Angeli Dei, ut starent coram Deo.* Affectio animæ ad veritatem non potuit aliter narrari, nisi temporaliter et localiter quodam modo diceretur. *Et venit equidem diabolus cum eis.* Utrum quia non potuit, nisi per eos audire, dictum est, *cum eis.* *Et dixit Dominus diabolo* : Unde ades? Collatio præteritæ actionis cum eo, unde permittitur aliquid deinceps agere, responsio ad interrogationem est : ipsa vero interrogatio vis divina est, in qua non permittitur agere quod libet. *In cogitationibus enim impij interrogatio erit* (Sap. 1, 9), ad manifestandum eum nobis. *Sed misce manum tuam, et tange omnia quæ habet* ; de potestatem. *Nisi in faciem tuam benedixerit tibi.* Pendens locutio, id est, Si non tibi in faciem benedicit tactis rebus suis, quasi subaudiretur, quid jubes? *Et discessit diabolus a facie Domini* : a consultatione ad actionem. *Et venerunt hostes et ceperunt eos.* Secundum illud, *Qui nunc operatur in filiis diffidentia* (Ephes. 11, 2), etiam istos excitavit. Notandum autem quomodo in hominibus habuerit potestatem, et in elementis, sed tamen datam a Deo. *Nudus esii de utero matris meæ.*

Notandum quam consolatorie <sup>1</sup> loquatur, quamvis secundum consuetudinem luctum fecerit.

[Ib. 11.] *Ecce trado illum tibi; tantum animam ejus custodi* : ne vitam eripere posse præsumeret. *Et tulit sibi testam, ut raderet saniam.* Per passionem Domini significat radi peccata confitentium.

[Ib. 111.] *Et nox in qua dixerunt, Conceptus est homo.* Alique superiores potestates, quæ hoc scire poterunt. *Nox illa sint tenebræ* : ne patiatur jam quæ passus est. *Nox illa sint tenebræ*; id est, sit oblivioni. *Neque requirat eam Dominus desuper.* Non reparatur per immortalitatem; id est, pereat mortalitas. *Ne veniat in eam lumen* : lumen memoria. *Sed excipiant illam tenebræ et umbra mortis* : vita ista, quæ umbra est futuræ poenæ; ut sit sensus, Justus qui lumen est, non eam videat, sed tenebræ, hoc est peccatores et carnales tribulationes de vita ista. *Et conturbent eam, quasi amaritudines diei* : præcepta bonæ vitæ, vel dies iudicii, quibus perturbantur carnales. *Et noctem illam accipiant tenebræ* : perpetuæ. *Non sit in diebus anni* : justis spiritualibus qui sole fruuntur, et majores sunt. *Sed nox illa sit dolor* : quia dolorem facit diligentibus se. *Neque numeretur in diebus mensium.* Justi in Ecclesia propter luanam tanquam minorem : ad quos dicitur, *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus* (1 Cor. 11, 4); ut ipse Paulus sit de diebus anni. *Sed maledicat illam maledicens illi diei* : Dominus, qui maledicit amantes carnalia. *Tenebrescant sidera noctis illius* : eminentes in peccatis. *Permaneat, et in lucem non veniat.* Quia non convertentur, dicit per prophetiam <sup>2</sup>. *Quia non conclusit portas ventris ma-*

ADMONITIO PP. BENEDECTORUM.

Recensitus fuit hic liber ad Mss. Victorinæ bibliothecæ duos, Regiæ unum, Navarric Collegii unum, ad Beccensem et Floriacensem, ad varias lectiones ex uno Ms. Belgico descriptas : necnon ad editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., t. 1, memoratas. M.

<sup>1</sup> Sic Ms. Regius. At Victorinus codex, quod significat Deum. Am. Er. et duo Mss., quod significat Dominum. Lov., quod significat ante Dominum.

(a) Scriptus circiter an. Christi 400.

<sup>2</sup> Duo Mss., consolatoria.

<sup>3</sup> Ibi, per Prophetam. At Mss., per prophetiam.

tris meæ : civitatem terrenam , quam significat Babylon. Concluderentur enim portæ , si non laudaretur peccator in desideriis animæ suæ (Paal. ix , 2 , 4). *Quare enim in ventre non obii ?* antequam emerem tibi per aliquam actionem. Conceptus enim ad spem pertinet. *Ex utero exii , et non protinus perii ?* Hujus ergo figura intelligenda est in his verbis , qui in talibus concupiscentiis fuerat inveteratus. *Et utquid constituerant mihi genua :* ut ibi confirmarer ? *Quare ubera susi ?* doctrinæ nutriendas ad nequitiam. *Nunc utique dormiens quiescerem :* moriendo huic mundo. *Cum regibus honoratis terræ :* in Ecclesia. *Qui gloriabantur in gladiis.* Unde est , *Et gladium spiritus , quod est verbum Dei* (Ephes. vi , 17). *Aut cum principibus , quibus multum fuit aurum :* sapientia. *Qui compleverunt domos suas argento :* eloquio Domini. *Aut tanquam abortivum prolapsum de vulva matris :* ut nunquam emerent. *Aut tanquam infantes qui non viderunt lucem :* ad nobilitatem aliquam non pervenerunt. *Ibi impii deposuerunt furorrem suum ;* in morte ab hoc mundo. *Ibi requieverunt fatigati corpore :* aut fatigati corpore non animo , aut finem corporalium consecuti. *Non audierunt vocem exactoris.* *Judex tradet te exactori* (Luc. xii , 58) , inde est ; hoc est donata illis esse peccata : de impiis quippe dicebat. *Pusillus et magnus ibi est.* De uno dictum puto bene intelligi , secundum illud quod *qui se humiliat , exaltabitur* (Id. xiv , 11). *Et servus non timens Dominum suum.* Sive secundum illud , *Vis non timere potestatem ? Bonum fuc* (Rom. xiii , 3) ; sive secundum illud , *Conscientiam dilectio foras mittit timorem* (I Joan. iv , 18). *Utquid enim datur eis qui in amaritudine sunt , lux ?* peccatorum honor. *Et vita animabus quæ sunt in doloribus ?* in dolorum materia , hoc est in peccatis. *Quæ desiderant mortem , et non contingit illis :* adeptionem<sup>1</sup> fructus peccati. *Mors viro requies , cuius vita abscondita est :* vel quia coram Deo vel quia paucis nota. De ea vero jam morte accipiendum , per quam morimur mundo. In illa enim non est requies. *Concluserunt enim Deus adversus eum :* non eum dando in desideria cordis sui. *Ante escas quippe meas gemitus adest :* ante gaudium ciborum Dei tribulationes præcedere. *Et fleo coarctatus timore :* videns quia evitare non possum quæ timeo. *Timor enim quem verebar , venit mihi :* adversa quæ de misericordia Dei ad correptionem fiunt. *Neque in pace , neque in silentio , neque in requie.* Falsa enim fuerunt , propter quæ timebat. *Venit enim mihi ira ;* vindicta , secundum quam justus vix salvus fit (I Petr. iv , 18).

[Ib. iv.] Verba Eliphaz. *Pondus autem verborum tuorum quis sustinebit ?* Hic ergo dicit se cogi ad loquendum , quia non sustinet dicta ejus. *Nonne timor tuus stultus est ?* Paratus enim ad hæc esse debueras , si aliis veraciter suadebas. Nec talia bene timeisti ; cum diceres , *Timor enim quem verebar , venit mihi* (Job iii , 25). *Et spes tua et simplicitas vitæ tuæ quasi stultitia :* quæ ista bona putantur. *Fremitus leonis et vox lænæ :* ipse diabolus , et superbiæ civitas , quæ sæpe etiam bestiæ more a Prophetis ponitur. *Et gaudium draconum extin-*

<sup>1</sup> In editis , adoptionem. In Mss. , adeptionem.

*ctum est :* superborum et insidiosorum. *Myrmicoleon perii , eo quod non haberet escam.* Quia in novissimo non erunt , quos inducens comedat. Separabuntur enim pii ab impiis. Illic autem errat , quod ea quæ de diabolo audierat prophetata , de Job intelligebat. *Myrmicoleon* vero accipiendus est , vel quia utrumque in eo est , cum et rapit et occulte persequitur frumenta , quæ sublato oculo facit non germinare ; vel quia avaris et in terra thesaurizantibus dominatur ; vel quia justos persequitur , quasi formicas præparantes sibi escas æstate ad hiemem , quibus non pascetur , cum boni ab impiis fuerint separati. *Et catuli leonum divisi sunt ab invicem.* Conspiratio principum civitatis illius dissipata est , qui nati sunt de illa societatis civitate et diabolo ; vel quia se invicem vastaverunt. Inde est , *Ersurget gens contra gentem*<sup>1</sup> (Marc. xiii , 8). *Nihil horum tibi accidisset :* vel illa damna et orbitas et plaga vulneris ; vel te non penetraret dolor animi , quia et te consolareris , si aliis ex corde dixisses , *Numquid non capit auris mea ab eo magnifica ?* Quia ista quæ dicit , ex revelatione se dicit dicere. *Et spiritus in faciem mihi occurrit.* Quasi statum sensisse vult intelligi : nam negat in consequentibus fuisse figuram. Reminiscendum ita etiam Spiritum in Apostolos descendisse. *Quid enim ? numquid homo coram Domino mundus erit ?* Aut hæc audisse se dicit ; aut dicit ideo se horruisse , quia nemo mundus coram Domino ; aut ideo sic vidisse , quia nemo coram Deo ita mundus est<sup>2</sup> , ut Deum ut est videat. Modo mundus secundum perfectionem accipiendus , ut quod superius negat mundum hominem perire , secundum quemdam modum intelligamus. *Si contra servos suos non credit.* Quod evenit cum diceret Elias , *Domine , Prophetas tuos occiderunt :* et dicit illi , *Reliqui mihi septem milia virorum* (III Reg. xix , 14 , 18). Non enim inde septem milia virorum jam munda erant. Nam angeli dicti sunt et Prophetæ. *Et adversus Angelos suos pravum quid reperit.* Vel quod adversus eos dicitur , vel quod ipsi dicunt. Hoc tamen potest etiam de veris Angelis accipi. *Habitantes autem domos luteas :* quorum conversatio non est in caelis. *Percussit illos tanquam tineæ.* Aut aliqua corruptio percussit eos tanquam tineæ , aut Deus eos percussit : vel hac tineæ , vel sicut percussit tineæ , hoc est , latenter intrinsecus corruptione ab eis ipsis exorta per concupiscentias carnales , hoc est habitatione in domibus luteis. *Et a mane usque ad vesperam ultra non sunt.* Aut ultra sæculum hoc non sunt , aut a prosperis rebus usque ad tribulationem : poenani enim consecuti sunt. *Eo quod non possent sibi ipsis subvenire , perierunt :* cum in se habent spem. *Interierunt , quia non habebant sapientiam :* non in se sperandi<sup>3</sup>.

[Ib. v.] *Invoca autem , si quis tibi respondeat.* Illis enim responderetur , qui mundi sunt coram Deo. *Etenim stultum perimit ira :* indignatio , quæ quisque angitur , tanquam inique sibi aliquid acciderit , dum non cogitat usque adeo se immundum esse coram Deo , ut in-

<sup>1</sup> Am. Er. et plerique Mss. : *Ersurget gens supra vel contra gentem.* Evangelium in græco , *ethnos epi ethnos.*

<sup>2</sup> In excusis exciderant isthæc verba , *aut ideo sic vidisset , quia nemo coram Deo ita mundus est :* quæ huc revocantur ex Mss. Floriacensi et Beccensi.

<sup>3</sup> Ex. legit , sperando. M.

vocant non Angeli respondere, aut se demonstrare dignati sint. Qui enim hoc non cogitat, stultus est, et ira irrationabili interimitur. Aut idcirco Angelos non audire, non videre potest stultus, quia ira interemptus est, et a zelo occisus. *Errantem autem occidit zelus*: ad imitandum peccatores. *Ego autem vidi stultos, radicem mittentes*. Stultos nunc impios accipiendum, ut e contrario sapientia hominis pietas sit, sicut in consequentibus dicitur. *Et conterantur super januas infirmorum*: humilium, cum recepti fuerint in cubiculum a sponso, et stulti foris remanserint (*Matth. xxv*)? *Quæ enim illi congregaverunt, iusti comedent*. Et de Judæis potest intelligi, congregantibus prophetias, quas Gentiles potius comederunt; et de his qui facientes comedunt quæ alii præcipiunt et non faciunt. *Ipsi vero de malis non liberantur*: quamvis prædicent non esse facienda. *Exhauriatur fortitudo eorum*: qua superbiunt adversus infirmos. Exhauriatur autem, ut jam incipiat laborare. *Non enim prodiet de terra labor*: id est de creatura non conquerantur, sed de se. *Sed homo in labore nascitur*. Secundum id dictum est, *nascitur*, secundum quod in laboriosam vitam ex quieta quisque convertitur. *Pulli autem vulturis altissime volitant*. Vultur bene intelligitur Dominus, quia altitudine prophetiæ vidit mortalitatem nostram, qua descendens pasceret, convertens nos in corpus suum. Pulli ergo vulturis, filii sponsi dicti sunt: altissime autem volitantes, conversationem in caelis habentes (*Philipp. iii, 20*), ut a labore liberentur in quo homo nascitur. Secuti sunt quippe vocem dicentis, *Venite ad me, omnes qui laboratis* (*Matth. xi, 28*). Possunt et pulli vulturis in malo intelligi aeris potestates, quæ mortibus, hoc est peccatis, pascuntur. Quoniam hujusmodi prævaricatores angeli non sunt perducti ad humilitatem mortalitatis multum laboriosam, in qua homo nascitur, valde illi superbiunt, hoc est altissime volitant. *Qui dat pluviam super faciem terræ*: tanquam consistentibus faciat misericordiam. *Ut non faciat manus eorum veritatem*. Non faciant quod promittunt, minantes dominari infirmis. *In die occurrent illis tenebræ*: ut Judæis, qui Dominum non cognoverunt quis esset. *Aut tanquam in nocte palpabunt in meridie*: sicut videntes signa, tamen dubitant dicentes, *Propheta est*; alii, *Seducit populum* (*Joan. vii, 40-42*): quando nec ad lucernam videre voluerunt, *Et pereant in bello*: in tentationibus. *Et egrediatur de manu potentis infirmus*: diaboli. *Sit autem infirmo spes*. Illi enim fortes rem hic quaerunt. *Beatus autem vir quem arguit Dominus*. In hoc enim errat, quia videtur sibi Job<sup>1</sup>, quia iniquitatibus suis hæc patitur, cum ex hoc beatus sit, quia in hac vita cum arguitur, habet corrigendi possibilitatem. *Et in septimo non te tanget malum*. Sacramentum sabbati. *In fame te liberabit a morte*. Verbo enim alit, et facit firmum ad tentationes. *In prælio vero de manu ferri solvet te*: de potestate vinculorum. *A flagello linguæ*

<sup>1</sup> sic mss. habent. Editi vero, *videtur sibi quod Job iniquitatis*.

*abscondet te*: ne sentias contumellas; non ne patiaris<sup>1</sup>. *Injustos et iniquos deridebis*: ut sapientia perditionem iniquorum irridebit (*Prov. i, 26*). *Et ferores bestias non timebis*: id est, Judæos non timebis; quia tibi Gentes obaudient. Hæc autem de Domino accipienda sunt. Eliphaz hic errat, quia putat de Job intelligendo, quæ ei revelata sunt, cum totum Domino competat. *Quia cum lapidibus agri habebis sædus*. Lapidis agri, quia in Gentibus nulla ordinatio Legis fuit, ut quasi de ædificio lapides essent. *Bestiæ enim feræ pacatæ erunt tibi*. Sive de Judæis, sive de Gentibus. *Deinde scies quod in pace erit domus tua*: id est, Ecclesia. *Et filii tui erunt tanquam omnis herba in campo*: sine ariditate. *Et venies in sepulcrum tanquam frumentum maturum*: post passionem. *Ecce hæc ita exquisivimus*. Hic auctoritas hujus prophetiæ confirmatur. *Tu vero scito temetipsum, quid egeris*. Non enim injuste hæc tibi Deus permisit accidere.

[Ib. vi.] Verba Job. *Sed ut videtur, verba sunt mala*. Non enim verba Job de impatientia sunt flagellorum, cum significant dolorem, non peculiarem Job, sed quem habuit de omni genere humano. *Sagittæ enim Domini in corpore meo sunt*. Verba Dei, quibus anima transfigitur, cum cogitur ad confessionem. *Quarum furor bibit sanguinem meum*. Tollunt enim peccatum. *Cum enim incipio loqui, stimulant me*. Quod enim loquor, illæ cogunt. *Quid enim? numquid frustra onager clamabit, nisi escam requirens?* ut inde famem patiatur, quia liber esse voluit. *Aut bos mugiet, cum habeat in præsepi cibos?* As no cibaria labore bovis præparantur, sicut Gentibus labore Prophetarum et Apostolorum, qui utique Judæi fuerunt. Itaque hæc verba cibum desiderantis sunt, id est auxilium, non impatientis ad dolorem. *Numquid potest sine sale edi panis?* Quasi ei diceretur, Cur sic ea per figuras dicit? respondet, quia si ex persona sua ea diceret, insulsa essent. *Aut est sapor in sermonibus vanis?* Vanos sermones hominum dicit; quia panis verba Dei sunt, sed panis cœlestis. *Sic nec anima mea potest cessare*. Quomodo non potest sine sale edi panis, sic nunc ministerium præbeo verbo Dei; propter illud, *Quomodo audient sine prædicante* (*Rom. x, 14*)? *Fetidas enim escas meas video sicut est odor leonis*. Nam verba mea fetida sunt sicut leo: vel propter superbiam, per quam jactantes putent; vel propter quod amplexantes carnalia, fetorem leonis habent, qui propriis verbis gaudent. *Quod si det, et<sup>2</sup> veniat postulatio mea*. Postulationem dicit, rem quam petebat. *Et spem meam det Dominus*. Sic enim confidens ob spem post tribulationem venturæ consolationis, opportune tentatur. Bene autem spem dicit; quia cum res venerit, jam tentatio non erit necessaria, *Sit mihi civitas sepulcrum, super cujus muros saliebam*. Societatem illam Babylonis vult sibi sepulcrum: non ut eum obruat, sed ut sciat quia mortuos tegit quicumque in illa fuerint, de cujus tanquam firmamento et munimine superbiebat. *Non*

<sup>1</sup> Editi: *Nonne patiaris injustos etc.*? At Mss., *nonne patiaris? injustos, etc.*

<sup>2</sup> Editi cum vulgata: *Quis det ut?* At Mss.: *Quod si det et*. Apud LXX, *si enim det et*.

parcam. Non enim mentitus sum : verba sunt sanctis Dei mei. Quia non alia dixit quam audivit a Deo. Id est de homine generaliter prophetantis, quia auxilio indiget in confessione. *Quæ est enim virtus mea, ut sufferram?* Quod significabat vulnus ejus. *Aut quod tempus meum, ut sustineat anima mea?* Quia imminente morte terrentur homines, ut convertantur, et constentur Deo putredinem peccatorum, cujus consideratione se dicit cogi ad confessionem. *Numquid virtus lapidum virtus mea?* Duros et impenetrabiles jaculis verborum Dei, qui non movebuntur ad constendum. *Aut non in ipso confidebam, cum mihi bene esset :* id est, cum essem immortalis ad imaginem Dei. *Sed adjutorium a me recessit.* Factus mortalis volens in me confidere. *Et visitatio Domini me desepit.* Secundum quod dictum est, *Aut filius hominis, quoniam visitas eum* (Psal. viii, 5). *Propinqui mei non respexerunt me.* Horrai Angelis. *Tanquam torrens deficiens.* Misericordia enim aliquando inundavit me; et siccavi, et non fui mihi fons. *Aut sicut fluctus transierunt me :* tanquam sint consolationes potus. *Qui me mestuebant, nunc irruerunt super me :* diabolus cum angelis suis. *Perii, et exsul de domo mea factus sum :* aut de habitatione cælesti, aut de conscientia. Idcirco foras extra domum suam sedebat. *Vias Themanorum videte, semitas Sabæorum intuemini.* Illos significat, qui in temporalibus confidunt, de quibus se, id est, hominem quem significat, dicit non præsumere. *Nunc autem et vos insurrexistis in me sine misericordia :* putantes beatitudinem hominum, si carnalibus abundant. Quia insultabant, potius quam compatiebantur. *Sed videntes vulnus meum, timete.* Intelligentes quid significet, timete futuras pœnas. *Quid enim? numquid aliquid vos potii? aut fortitudine vestra indigeo?* Quia coram eo infirmus est, qui eum potest salvare. *Docete me, et ego obmutescam.* Idcirco enim patientes debuerunt esse ad doctrinam ejus, quia ipsi eum docere non poterant. *Sed, ut video, parva veri hominis verba dicitis.* Eum dicit verum hominem, qui personam significat agentis pœnitentiam, conversione ad Deum, cujus parva verba dicebant. *Non enim a vobis auxilium peto.* Verus enim homo a Deo petit auxilium. Ille enim verus est qui confitetur. Unde est, *Qui facit veritatem, venit ad lucem* (Joan. iii, 21). *Neque enim locutionem sermonis vestri sustinebo.* Dei enim se locutionem dixit sustinere, qua instruat. *Verumtamen super pupillum<sup>1</sup> irruistis.* Quod ad vos pertinet, insultare mihi voluistis, quamvis non intellexeritis quid significet. Quia neque Job, quem videbant, insultare debuerant; ideo, *Verumtamen<sup>2</sup>.* *Nunc autem insipientes vacate mihi :* non habentes quod me doceatis. *Et rursus justitiæ adestote.* Quia primo videbantur sibi justitia cogi ad loquendum. *Non est enim in ore meo iniquitas; et fauces meæ nonne sapientiam meditabantur?* Dicit se non Deum accusasse, sed hominem induxisse accusantem iniquitates suas, sicut superius scrinio ejus in-

<sup>1</sup> Lov., super pustulum. Am. Er. et plures Mss., super pupillum; juxta vulg. et LXX.

<sup>2</sup> Editi, ideo veniunt tamen. Regius codex, ideo venerunt tamen. Alii Mss., ideo verumtamen: supple, dicit Job.

tellectus est. Hanc dicit meditationem sapientiæ.

[Ib. vii.] *Numquid non tentatio est vita humana super terram?* Hic jam apertius ostendit ex cujus significatione superius loqueretur. Tentationem vero dicit tanquam stadium certaminis, ubi vivit homo, vel vincitur. *Et sicut quotidiani mercenarii vita ejus :* temporariam mercedem exspectantis, ut jam eorum qui justitiæ suæ fructum in futurum exspectant, non sit vita super terram. *Aut tanquam servus metuens dominum suum, et consecutus umbram.* Quod significat absconditio Adæ a facie Domini, et tectio filiorum de quibus umbrati, quam relicto Deo consecutus est homo. *Aut tanquam mercenarius qui exspectat mercedem operis sui.* Iste a superiori hoc differt, quod superior habuit, hic autem habere desiderat ipsa temporalia. Sic et ego exspectavi mentes vanos. Jam ad umbram dixit vanos, id est temporalia bona. *Et noctes dolorum datae sunt mihi :* in quibus et lux amittitur sapientiæ, et materies est penarum. *Si dormiero, dico, Quando dies? et si surrexero, rursus, Quando vespere?* Quando cupiditatem negotii patitur homo in otio, et otii in negotio. *Repleor autem doloribus a vespere usque ad mane :* quo occidit a Deo. Unde et ad vesperam ambulans Deus eos dimisit (Gen. iii, 7, 8) : quod significat dolentes, quibus nuba exspectatio est remedii, nisi mane. De quo dicitur, *Mane autem tibi* (Psal. v, 5) ; id est, quando post judicium mane Deus revelabitur justis. Unde et Dominus vespere sepelitur, et mane resurgit (Joan. xix et xx). Hanc ergo vitam tanquam lucifero potest comparare. *Et concrevit corpus meum putredine vermium :* vermium multitudine. *Infundo glebas terræ<sup>1</sup>, radens sanie.* Expressio cupiditatum vel curarum confessionis, in qua gaudent iniqui ; quod ad occasionem redigunt peccandi, quæ alii per pœnitentiam confitentur : unde sunt canes, qui Lazari vulnera lingebant (Luc. xvi, 21). *Et vis mea exilior est quam loquela.* Minus culum facio quam loquor. *Recordare ergo quia spiritus est vita mea :* id est, in fame<sup>2</sup> spirituali. *Et non revertor ad visibilia.* *Non me cognoscat oculus videns :* quia mutabor ; ut videns hic, diabolum accipiamus invidentem. *Oculi tui in me, et non subsisto.* Interficiis enim in me vitam carnalem in qua fuit. *Tanquam nubes expurgata de caelo :* aut per caelum purgata ; quomodo dicimus de ferro purgata : ut hic significaverit auxilium sibi fuisse de caelo, ut purgaretur : aut certe ut jam non sit nubes, sed in aërem parum extenuetur, tanquam radius solis expurgata, ut obscuritas carnis et sanguinis non sit in caelo. Non enim caro et sanguis regnum Dei possidebunt, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et absorbebitur mors in victoriam (1 Cor. xv, 50, 53, 54). *Si enim homo descenderit ad inferos, ultra non ascendet.* Ad hoc ergo recordare, ut non descendas. *Et non revertetur amplius in domum suam :* id est, ad requiem suam. *Propterea itaque et ego non parcam ori meo :* confitendo, cum tempus est. *Utrumne mare su<sup>3</sup> ego, aut draco?* Non enim sicut impios aut diabolus

<sup>1</sup> Sic Mss. juxta LXX. At editi, in fundo globos terræ.

<sup>2</sup> Er. et Lov., in vita. Am. et Mss., in fame.

repulisti. *Quia statuisti super me custodiam* : ut non me moveam ad perturbationem, ut sunt maris termini. *Quia dixi, Consolabitur me lectus meus* : carnalia, in quibus requiescebat. *Et referam ad meipsum consolationem in toro meo*. Ad te enim debeo referre consolationem meam. *Exterres me per somnia, et per visionem me obstupefacis* : per tribulationes vitæ hujus, quæ ita somnia sunt, quomodo et bona vitæ hujus somnia. *Absolute a spiritu meo animam meam* : propter visibiles terrores, a quibus liberabitur anima metuens venire ad eos. *Et a morte ossa mea repuli*. Nam ierant in mortem ossa mea, nisi his exterritus fortior essem et patiens, quod est ossium firmitas. *Non enim in sempiternum vivam, ut patienter feram*. Brevitate vitæ, et metu mortis me correxisti. Unde inconvertibilis diabolus, quia non moritur, sed damnatur. *Initium sapientiæ timor* (Eccl. 1, 16), inde est. *Discede a me; vana est enim vita mea* : quia non suffero tentationes. *Aut quia sensu tuo intendisti in eum* : propter quod rationalis est. Unde illud, *Nos autem sensum Domini habemus* (1 Cor. 11, 16). Rationis vero munus dicit extensionem intellectus. *Et in requie iudicabis eum* : dignum requie. *Usquequo me non dimittis?* vincitum tribulationibus. *Neque deseris, donec deglutiam salivam meam?* in dolore ac flagellis contineam et absorbeam voluptatum fluxus, per tribulationes admonitus. *Si ego peccavi, quid possum tibi facere?* Sensus hic est, Si peccavi, nihil possum tibi facere. An forte loquendo molesti tibi sunt homines? Tu ergo qui scis sensum, quare constituisti hominem, ut loqueretur adversus te, ut esset tibi oneri? Si autem peccatum hominis, nec facto neo dicto tibi nocet, quare non oblivisceris peccatum ejus, sed purgas illud potius; nisi quia illa quæ supra dicta sunt, ad bonitatem tuam referuntur? *Quid est enim homo, quod exaltasti eum?* Quæ non intelligentes amici ejus, pataverunt ab eo Deum reprehendi. Si enim non propterea facis mihi tentationes ut cohibeam fluxos motus meos, ut mihi ita consulas; quæ alia causa est ut corripas hominem? Non enim nocere tibi potest quia peccat; aut scitis quasi adversitatem loquæ ejus, cum scias sensum humanum, et utique posses quod tibi adversarium est non consistere. *Et quare non es oblitus iniquitatis meæ* : si non ea causa ut mihi prodessent tentationes istæ, ut bonitatis tuæ sit totum, et quod me corripit? *Nunc autem in terram ibo*. Cum enim purges peccatum meum, restat mihi tamen adhuc in terram ire per mortem corporalem. *Nam vigilabo, et ultra non ero* : in hæc terra.

[Ib. viii.] Verba Baldad Sauchitis. *Misit in manu iniquitates eorum*. In manu misit, aut in vindicta, aut suppuratione debitores eos, id est peccatores demonstravit. *Et restituet tibi vitam justitiæ* : quæ debetur justitiæ, id est beatam. *Et erunt priora tua minima* : in comparatione posteriorum, quæ influita erunt. *Aut numquid non hi docebunt te, et referent tibi?* Quoniam nonnullorum major est auctoritas. Jam et hic de Christo dicturus audita narrat, quomodo Eliphaz narra-

<sup>1</sup> *id est, in manu* : moxque, aut suppurationem. At xxx., *in manu*, juxta LXX : et postea, aut suppurationem.

vit revelationem. *Numquid viret scirpus sine aqua?* Ita ergo et impii arecent sine misericordia Dei. *Adhuc in sua radice consistit, et non metetur* : si aquam non habeat. *Antequam bibat omnis herba, nonne arecit?* nisi bibat : non enim aliquando viruit impius. *Atque araneis complebitur tabernaculum ejus* : opera inutilia. Jam vero de Judæis et Domino videtur dicere. *Quod si et suffulserit domum suam, non stabit* : aut Scripturis sanctis, aut spe promissionis Domini, aut regnum ipsum. *Et cum cæperit, non permanebit* : sequi Deum; quod Judæis evenit, qui secuti non sunt incipientes. *Humidus enim est ante solem* : carnalium fluxu putrescentes <sup>1</sup>. *Ante solem* vero, sub tribulationibus, ut ante, sub signis, sicut dicimus, *Ante me fac*. *Et de putredine ejus germen ejus ascendet*. Nisi enim illi tam mali essent, non per passionem exaltaretur Dominus, qui de illis secundum carnem natus est (Rom. ix, 5). *In congregationibus lapidum dormit*. Majores enim illum crucifigent. *Et in medio lapillorum vives* : humilium, de quibus fuerunt Apostoli. *Si deglutietur, locus mentietur eum*. Si absconderit quod Filius Dei sit, dicetur quia non est Filius Dei. Opus est ergo ut ipse sese indicet : in hoc enim loco non possunt divina cognosci. *De terra autem alterum germinabit* : vel Dominus resurgendo, vel alterum genus piorum, id est Christianorum. *Dominus enim non probabit innocentem*. An, non reprobabit? vel illud, *Impium non probabit innocentem?* *Nec ullum munus* : id est, sacrificia quæ habebant Judæi. *Veracium autem os implebit risu* : contentium. *Et tabernaculum impij non permanebit* : vel ipsum templum, vel regnum.

[Ib. ix.] Verba Job. *Vere scio qui ita est*; id est, quia secundum iniquitates meas hæc mihi restituit : sed non sicut vos arbitramini; sed quia nemo est in conspectu ejus justus. *Non respondebunt ei unum de mille*. In omnibus quippe convincet. *Qui in vetustatem perducit montes, et nesciunt* : id est ad infirmitatem; ut est, *Inveteravi in omnibus inimicis meis* (Psal. vi, 8). *Qui vertit eos in ira*. Irascendo eos vertit, id est, ut aliud inveniant quam appetierant, cum qui se exultat, humiliabitur (Luc. xiv, 11). *Qui commovet orbem a fundamentis* : per vocationem, quæ facta est, per quam commoti sunt excellentes in mundo. *Et columnæ ejus movebuntur*. *Qui præcipit soli, et non oritur* : ut aut sapientia non intelligatur, aut qui scripserunt; ut est, *Signa libri* (Dan. xii, 4). *Qui extendit caelum solus* : Ecclesiam, quæ proprio Dei sedes est, quam extendit per totum orbem; *solus*, ad significandam unitatem Trinitatis. Nam utique per Filium in Spiritu sancto omnia facta sunt. *Et ambulat super mare tanquam super terram*. *Super terram*, id est, firmiter confirmans Ecclesiam in sæculo, vel subjiciendo sibi peccatores, in quibus non mergitur, non cedendo tentationibus eorum. *Si transgressus me fuerit, non videbo*. *Si alior me fuerit, aut celeritate perstrinxerit me, non eum agnoscam*. Opus est ergo ut et congruat infirmitati meæ, et non me deserat. *Si enim morti tradi-*

<sup>1</sup> In excelsis, putrescens. In xxx., *putrescentes* : refertur ad Judæos.

derit, quis avertet? Morti enim tradit, cum vel transgreditur, vel transit ut nesciatur. Hæc est mors animæ, ut Deum nesciat. *Ipsius enim inavertibilis ira.* Aliorum enim potest averti a potentiore. *Ab ipso subdita sunt cætera sub cælo*<sup>1</sup>: excepto ipso cælo, id est rationali creatura; quia si ipsa sibi cætera subdidisset, nunquam per ea, quæ sibi subdiderat, puniretur: quia vero Deus ei illa subdidit, punitur per ea, quando offenderit eum qui subdidit. *Quod si etiam justus fuero, non exaudiet me*: rogans cum, præsumens de mea justitia. Comparans enim ea his quæ apud se sunt incommutabilibus et perpetuis, tanquam injustum me non exaudiet. Ergo ejus mihi misericordia necessaria est. *Judicium ejus rogabo*: quia ego judicare non possum me justum esse. Unde est, *Sed neque meipsum judico; qui autem judicat me, Dominus est* (I Cor. iv, 3, 4). *Si vero invocavero, et non exaudierit; non credam quoniam exaudivit vocem meam.* Cum judicium ejus rogo, si non exaudierit, non credam quod vel aliquando exaudierit me: occultis enim causis me audivit, non merito deprecationis meæ. Aut certe, non credam non me exauditum nunc: aliquando enim exauditus sum. Aut ita, Quia si exaudierit quod peto, credam etiam exauditum me: nam si non credidero, quamvis fiat quod peto, tamen non exauditus sum; ut signum exauditionis credulitas postulantis sit. *Ne forte in turbine me conterat.* Propterea quæro judicium ejus, ne in turbine me conterat. *Multas enim tribulationes meas fecit sine causa*: quorum causa me latuit. Aut certe contentis vox est, flagellis Dei contentis non se esse correctum, et idcirco posse turbine conteri, quasi majori supplicio. *Non enim sinit me respirare*: tam multæ sunt tribulationes meæ. *Etenim quia potest, obtinet.* Vincit, ut voluntatem ejus faciam, non meam. *Quod etsi fuero justus, os meum impia loquetur*: si me justum putavero. *Verumtamen auferetur vita mea.* Quamvis nesciam si impie egi, tamen auferetur vita mea, ut patiar quæ nolo, aut non faciam quæ volo. *Unum est quod dixi, magnum et potentem disperdit ira.* Id est, propter hoc unum sunt tribulationes hominibus, ut magnus sibi potensque nemo videatur, præsumens de viribus suis. *Quia nequam homines in magna morte erunt*: non in mediocri, in qua sunt etiam justus, cum tribulantur, et ab eis deridentur. *Terra tradita est in manus impii*: aut corpus justorum, non anima, cum eos persequuntur, aut quando impius dominari permittitur. Potest et accipi homo peccator in manus diaboli secundum mortalitatem suam. *Faciens judicium (a) ejus operit*: aut ipsius impii judicium, aut justus; in hoc enim tempore opertum est. Aut certe hoc ipso facit judicium ejus, id est, eo illum punit, quo occultat ei providentiam suam: ut est, *Præ magnitudine iræ suæ non requiret* (Psal. ii, 25). Vel eo justum vindicat, quo occultat persecutori ejus judi-

<sup>1</sup> In LXX: *κτὴν τῶν ὑπερέφθαιμα, ceteri qui sub cælo.* Sed credimus labem allatam eorum versionis, quæ forte habebat, *κτῆσιν τῶν ὑπερέφθαιμα, adjuvatores superbix*: quod hoc hæc textus consonat.

(a) Velatur mendoso codice: nam apud LXX legitur, *faciens judicium*; in Vulgata, *vultum judicium*.

cium suum, id est providentiam suam, ut arcius peccatorum laqueis per impunitatem capiatur. *Quod non est, quis ergo est?* Potest hoc de Domino intelligi, qui et derisus est, et cujus terra, hoc est corpus traditum est in manus Judæorum, et cujus judicium faciens occultavit majestatem ipsius. *Quod si ipse non est, quis ergo est,* qui majora faciat, quam fecit ipse? Vel sic, Quod si non facit Deus judicium justis vel impii, quis potest facere? *Vita autem mea levior est cursore.* Tanquam fugitivos dicit homines a justitia discedentes; ut ille filius minor profectus in regionem longinquam (Luc. xv, 13). *Aut quasi aquilæ volantis, et quærentis escam.* De superioribus, in quibus naturaliter animæ rationales beatæ sunt, id est operibus justitiæ, inclinaverunt se ad terrenas voluptates. *Quod si et locutus fuero, obliviscor dum loquer.* Locutio; quemadmodum affectum habuit ad exteriora, sic anima dum progreditur ad ea quæ foris sunt, cupiditate fruendi creatura, obliviscitur interiorum Creatorum. *Declinans in faciem ingémiscam.* Illam enim declinationem dolores sequuntur. *Commoveor omnibus membris*: timor, quo incipit recurrere. *Et quia sum impius, quare non sum mortuus, et laboro?* Scio, subaudis. Aut dicit se laborare, quia impietati mortuus non est. *Et mundatus fuero mundis manibus*: aut Dei manibus, aut suis; id est, bonis operibus per regenerationem. *Satis in sorde me tinxisti*: in istam mortalitatem perductum. *Et exsecratum me est vestimentum meum*: immortalitas, qua cupimus supervestiri (II Cor. v, 4); sed quia non possumus in hac corruptione, ideo dicit, *Exsecratum me est vestimentum meum.* *Non es enim homo, sicut et ego, cui contradicam.* Homini enim possem demonstrare justitiam meam; in tuo autem judicio invenior injustus. *Utinam esset nobis arbiter!* Videtur blasphemare, nisi illum Mediatorem Dei et hominum (I Tim. ii, 5) optare intelligatur, ut per eum alleget preces suas. Hoc modo enim ille audit inter utrumque positus, et arguit hominem. Filio enim omne judicium Pater dedit (Joan. v, 22). *Et qui argueret, et qui audiret inter utrumque.* *Avertat a me virgam suam.* Transcat timor Legis, ut adoptionis libertate et charitate illi conjungar. *Non enim sum mecum*: quia his hæreo quæ foris sunt.

[lb. x.] *Proferam contra me sermones.* Hæc contentis sunt. *Et dicam ad Dominum, Noli me docere impium esse.* Noli me tentare ultra quam possum ferre, nec mihi sinas accidere, quibus mihi impietas persuadeatur. *Aut bonum est tibi, si inique egero?* Non est autem tibi bonum, si inique egero: non ergo injuste me ita constituisti. *Quia despicias opus quod manus tuæ fecerunt?* Si quod despicias opus manuum tuarum. *Ad consilium impiorum animadvertisti?* sed non ejus impietatis quæ hominibus apparet. Et, *Ad consilium impiorum animadvertisti?* non quia placet illi ut inique agant. *Aut sicut homo perspicit, perspicis?* quia utique non sicut homo perspicis; ideo in consilio impiorum animadvertisti. Est enim impietas quam tu solus vides, et ab hominibus non videtur. *Aut humana est vinctua?* id est, brevis, ut non possis de perpetuitate ju-



dicare. *Et peccata mea investigasti.* Non enim latere te potuerunt quæ latent homines. *Scis enim me nihil impie fecisse.* Nam quantum ad homines, nihil impie feci. *Sed quis est qui de manibus tuis eripiat?* judicantis. Sicut Deus judicas, cum vides etiam eas impietates quas homo non videt. *Postea vero mutatus percussisti me:* se scilicet mutato, non Deo; quia mutatus homo mutatum Deum sentit, ut per tenebrarum diuturnitatem mutati oculi mutatum solem sentiunt. *Memor esto quia de luto finxisti me.* Tua ergo misericordia indigeo. *In terram me iterum convertes:* morte, quæ pœna est peccati. *Nonne tanquam lac mulsisti me?* Quia etiam jam mortalibus præbuit misericordiam, cum homines de hominibus infirmi primordio formavit: *Hæc ergo cum in te sint, scio quia omnia potes:* quia tantæ bonitatis sunt, ut carnalem quoque substantiam operentur. *Quod si et peccavero, custodies me:* aut ut me non perdas, aut ne lateat peccatum meum. *Et si justus fuero, non possum respirare:* in conspectu hominum. Nam tu vides peccata quæ homines latent. *Pleuus enim sum opprobrio:* in conspectu tuo. *Et capior sicut leo ad occisionem.* Est superbiæ peccatum quod homines latet, quando etiam in factis laudabilibus possit obrepere. *Iterum autem commutatus sævissime cruciatus me:* post pœnam peccati, qua mortalis factus est homo. Secundum has dicit tribulationes, quas in hac vita homines patiuntur; quia repente pleræque accidunt tribulationes, quæ turbant quietem ipsius vitæ mortalis, cum in salute est, vel in securitate rerum quamvis temporalium, quam misericordiæ Dei deputavit. *Instaurans in me tormenta mea.* Quia jam ipsa mortalitas tormentum est, de qua tribulationes aliæ fiunt. *Quare ergo de ventre eduxisti me?* de obscuritate ad notitiam, quæ sola majoris miseræ est materia, cum subvertitur: hanc generationem superius etiam commemoravit. *Et essem tanquam non fuisset:* penitus ignotus. Unde est, *Vocat ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt* (Rom. iv, 17), id est, secundum ignobilitatem. *Aut numquid non est tempus parvum vitæ meæ?* Non enim propter longitudinem vitæ meæ mortuus non sum; cum utique parvum sit quod vivo. *Patere me, donec requiescam pusillum.* Post misericordiam qua de limo fecisti me, et mutatum mortalitate percussisti me, et ipsa mortalitate consolatus es me, deinde exercuisti me tribulationibus. *Patere ergo me, ut requiescam in te:* *Antequam eam in pœnas unde reverti non licet.* Ab his enim quas supra commemoravit, licet reverti, si se homo ad Deum converterit. Vult autem requiescere, antequam eat in pœnas æternas, ad hoc utique, ut non eat. Quemadmodum si dicamus alicui, *Corrige te, antequam damneris:* non enim cum se correxerit, damnabitur. *Ubi non est lux, nec est videre vitam hominum.* Illa est enim vita hominum, ubi est lumen verum, quod illuminat omnem hominem (Joan. 1, 9). Alia est terra viventium, alia terra morientium.

[ Ib. xi. ] Verba Sopbar Minæi. *Aut numquid videbitur eloquens justus esse?* Putat enim, Job verbis magis

<sup>1</sup> sk. Mss. cum LXX. At editi, eripiatur.

quam operibus abundare. *Beatus natus homo, brevis vitæ.* Sententiam suam illi replicat, quam vult intelligi loquaciter dictam et inaniter. *Cum nemo sit qui contradicat tibi.* Quia quando dicebat, nemo ei contradixit. *Sed quomodo Dominus loquatur ad te.* Ea loquere potius, quibus misereatur tui Deus: *Quia duplex erit super te:* corripiendo, et consolando. *Et tunc scies quia digne reddita sint tibi a Domino quæ peccasti:* post correctionem sequente illuminatione. *Aut vestigium Domini invenies:* ut velis Deum reprehendere. *Sublime est cælum, et quid facies?* ut invenias sacramenta cæli. Non enim debes eum reprehendere, cujus opera non comprehendis. *Quis dicet illi, Quid fecisti?* Et hoc enim recte erit factum, si Deus hoc fecerit: quia facere aliquid ille nisi recte non potest. *Ipse enim novit opera hominum iniquorum.* Non iniqui operis est. Unde vult intelligi quia stulte hic, quem iniquum putat, reprehenderit Deum: sic enim eum loqui existimavit. *Homo vero aliter nutat sermonibus.* Modo illi placet Deus, modo illi displicet; cum apud Deum sit firmitas. *Et vir natus mulieris tanquam onager erit in deserto:* cupiditate libertatis, impatiens dominatoris atque domitoris. *Et extendens ad eum manus tuas:* ut acceptet opera tua. *Si iniquum quid est in manu tua.* Ipsa duo repetivit, sed ordine mutato. *Et iniquitas in domo tua non maneat.* Hoc dixit cor. *Sic enim fulgebit facies tua tanquam aqua:* pura conscientia. *Tanquam fluctum qui non præterit, et non terreris:* nisi omnes tangat in hac vita. *Et oratio tua tanquam lucifer erit:* ante illuminationem præbit; quasi et ista ad prophetiam sanctæ civitatis vel ad populum Dei pertinentia, audita, vel revelata dicuntur, sicut a superioribus amicis ejus dicta sunt. *Et rogabunt faciem tuam multi.* Omnia ista de Ecclesia.

[ Ib. xii. ] Verba Job. *Sed justus vir et sine crimine venit in derisum.* De Domino intelligendus est. Sensus: Non ergo mirum si et ego vobis in derisum veni. *Et domus ejus ut devastaretur ab iniquis:* Ecclesia a persecutoribus. *Imo vero nullus confidat, cum sit nequam, se impunitum futurum:* quia judicium a domo Dei (1 Petr. iv, 17). *Tanquam inquisitio in eos non sit futura:* non confidant. *Sed tamen interroga quadrupedia, si tibi respondeant.* Ideo recte inquit iniquos, quia ex operibus potuerunt cognoscere Creatorem, et colere debuerunt. Non enim creaturarum responsione doceri debuerant; cum acceperint rationem qua ista cognoscerent. *Si non in manu ejus est anima omnium viventium.* Hinc ergo scitur, quia ipse omnia creavit, quia anima omnium viventium in manu ejus. *Et spiritus omnis carnis hominis:* omnis carnis humanæ, id est rationalis anima. *Auris enim sermones dijudicat.* Quemadmodum sensus sensibilia dijudicat, ita spiritalia spiritus, qui debuit cognoscere, quoniam in manu Domini est, opera Domini. *In multo tempore sapientia est.* Non utique in multo tempore; sed apud Dominum, a quo petenda est. *Si destruxerit, quis edificabit?* propter virtutem destruxerit, et propter sapientiam clausit, ut ad eam non perveniat. *Si prohibuerit aquam, siccabit terram:* sapientiam ipsam,

terram vero hominem. *Quod si et miserit, perdet ever-  
tens terram.* Multis enim sapientibus factis turbabun-  
tur peccatores. *Qui ducit consultores captivos.* Subju-  
gat enim sibi eos qui se consulunt. *Judices autem terræ  
in paucorum misit:* aut Judæos, aut Pilatum, aut sensu  
terreno judicantes. *Qui collocat reges super sedes:* id  
est, Apostolos. *Et circumdedit balteo lumbos eorum:*  
id est, continentia. *Qui emittit sacerdotes captivos:* ut  
ab hominibus ducantur; et significantur Judæi. *Qui  
permutat labia fidelium.* Permutat in bonum, ut non  
de justitia sua, sed de gratia ejus præsumant. *Et intel-  
ligentiam senum cognovit.* Cui placet intelligentia se-  
num. Unde est, *Cogniti estis a Deo (Galat. iv, 9)*: cui  
adversarium est, *Non novi vos (Matth. xxv, 12)*. Et  
bene cœpit a fide, et pervenit ad intelligentiæ canos.  
*Qui revelat profunda de tenebris:* aperiendo prophetias.  
*Et produxit in lucem umbram mortis:* id est, fecit ut  
cognosceretur vita ista, quia umbra mortis est. *De-  
cipiens gentes, et perdens eas:* putantes quod nocerent  
Ecclesiæ Dei, cum sibi nocerent; quod de impiis intel-  
ligendum est. *Sternens gentes, et in viam ducens eas:*  
ad humilitatem, lapsum illum asinum. *Reconcilians  
corda principum populi terræ:* sibi reconcilians vel  
Judæos vel reges terræ, qui primo persequebantur  
Ecclesiam. *Seduxit autem eos in viam quam non nove-  
rant:* subruendo Legis opera, ut simpliciter intelli-  
gerentur; hinc eis visus est peccator. *Quo errore tene-  
brati sunt tanquam ebrui.*

[Ib. xiii.] *Et arguam in conspectu ejus, si voluerit:*  
ut arguat seipsum; quod est confessionis. *Et curato-  
res malorum omnes vos.* Bonos enim non potestis con-  
solatione curare. *Audite ergo obfurgationem oris mei:*  
in vos. *Et ante conspectum ejus profertis dolum:* cum  
vultis vos videri justos, quod non estis. *An subtrahi-  
tis vos ipsos iudices fieri?* Numquid potestis dissimu-  
lare, et non judicare, quia de vobis verum dico? *Si  
enim omnia facietis, adjiciemini ei:* id est, etiamsi  
omnia præcepta faciatis, inveniet in vobis quod arguant.  
Nemo enim justus in conspectu ejus. *Quod si et occul-  
te personas mirati fueritis:* suas, seipsos justificando,  
non solum ad homines, sed etiam ad seipsos. *Cor-  
pus autem luteum:* ut fragilitatis saltem vestræ con-  
sideratione timeatis. *Apprehendens meas carnes denti-  
bus meis.* Non mihi parcam, ut non solum vos arguam,  
sed etiam me. *Et animam meam ponam in manu:* in-  
spiciendam, ut nihil celem, sive ut computem pecca-  
ta mea. *Licet occidat me ille qui potens est, qui et cœpit:*  
quamvis occidat peccata mea. *Tamen loquar, et coram  
eo arguam me:* non me justificabo, abscondens pec-  
cata mea. *Ecce ego appropinquo judicio meo:* ut judi-  
cium de me; quasi ipsa sit hominis justitia, in confes-  
sione sibi non parcere. *Tunc a facie tua non abscondar:*  
quemadmodum absconduntur peccatores. *Manum aufer  
a me:* ut nihil in me sit castigandum, et sit in me  
charitas. *Et timor tuus non me terreat.* *Quot sunt ini-  
quitates meæ?* Hinc potest videri illud dixisse, *Animam  
meam ponam in manu mea:* ad computandum. Aut pu-

<sup>1</sup> Editi, eduxit. Manuscripti vero, seduxit. Apud LXX, *et plantæ.*

tas me esse contrarium tibi? Cum utique infirmus sum  
et quasi hoc metuis, ne si justificatus fuero, par tibi  
sim; cum solum sim. Ergo est aliqua latens causa,  
quando hæc non est. *Et imposuisti mihi peccata juven-  
tutis.* Ut hæc sit causa, quare dicat abscondi a se pec-  
cata sua, quia superbiecit, quod est peccatum juven-  
tutis. *Et posuisti in compede pedem meum:* in vinculo  
mortalitatis. *Et radices pedum meorum contemplantus  
es:* cupiditates meas. *Qui veterasco sicut uter:* ut vi-  
num novum portare non possim: aut (ut <sup>1</sup> panno  
novo consui) velut vestimentum quod a tineis com-  
estum est.

[Ib. xiv.] *Homo enim natus ex muliere, brevis vitæ,  
et plenus iracundiæ:* pœnæ<sup>2</sup>. *Et hunc fecisti venire in  
judicium coram te.* Quamvis ita mortalis sit, et ipse  
habet tamen unde rationem reddat: exigitur enim de  
illo quod potest, quamvis perparum possit. *Dinume-  
rati enim sunt menses ejus apud te.* Eo enim quod tem-  
poralis est, de peccato vincitur: nam æternum  
illum tu feceras. *Discede ab eo; sine, requiescat:* se-  
cundum opinionem carnalis et animalis hominis, cui  
totum bonum hæc vita est. Et ideo sibi vult parci, ut  
fruat hac vita. *Est enim arbori spes.* Irridenter hæc  
pronuntianda. Utique enim magis est spes homini:  
quod carnales nolunt credere. *Vir vero cum mortuus  
fuerit, abiit.* Et hic ironicè. *Tempore enim minuatur  
mare; nam post impletur.* Dicit autem de his locis,  
ubi accessus et recessus fit, vel quod omnia littora la-  
tenter minuuntur et augentur, horis lunaribus scilicet,  
cum oritur luna, vel nobis vel aliis usque ad medium  
cælum <sup>3</sup> crescit, et inde minuitur. *Usquequo cælum  
est, non consumetur:* ad novum<sup>4</sup>, id est ipsi cælo. *Atque  
utinam apud inferos me custodisses.* Usque adeo est  
spes resurrectionis, ut jam et his carcerem vitæ incer-  
tis. *Et abscondisses me, donec requiesceret ira tua.* Hinc  
est, *Abscondere pusillum, donec transeat ira Domini  
(Isai. xxvi, 20)*; id est, donec transeat ista mortali-  
tas, et ad resurrectionem veniatur. *Si enim mortuus  
fuerit homo, vivet.* Nam hæc non est vita. *Consummas-  
tis diebus vitæ suæ:* tunc vivet. *Deinde vocabis, et ego  
respondebo tibi:* obediens tibi, sine impedimento mor-  
talitatis. *Signasti in sacco iniquitates meas:* ut reddere  
sibi. *Annostasti si quid inliciti erravi:* etiam hoc  
annotasti. *Invitum autem errare pœna peccati est.* *Et  
quidem mons cadens defluit.* Ita et homo ex altitudine  
et firmitate sua cecidit. *Et petra veterascit in loco suo:*  
ut homo in genere suo et conditione sua. *Et alluvione  
frequentium gurgitum:* quasi et homo ita ad exilitatem  
perductus sit, cum crebris cupiditatum alluvionibus  
atteritur. *Spem vero hominis perdidisti.* Gradus fecit de  
monte ad petram, a petra ad lapides, a lapidibus ad  
arenam; quia has minutiones carnales patiuntur. Et  
bene jam perdidisti dixit. *Impulsisti enim in finem:* in  
consumptionem. Ut pereat spes ista qua carnales gau-  
dent. *Mutasti faciem ejus, dimisisti eum:* cum imago

<sup>1</sup> Er. Lov. non habent ut. M.

<sup>2</sup> Sic melioris notæ Mss. At editi, brevis vitæ tempore,  
plenus iracundiæ plenæ.

<sup>3</sup> In excusis, ad, medium mensem. Verius in Mss., ad  
medium cælum.

<sup>4</sup> Er. et Lov., non consumetur ad novum, sine commate. M.

Dei in eo exterminata est. *Et cum multi fuerunt filii ejus, nescit*: quia moritur, quamvis propagetur soboles. *Sed carnes ejus super eum doluerunt*: id est, talem conditionem suam homo carnaliter dolet, et animaliter lugeat. Spiritualem enim novit, quia eisi exterior homo corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem (II Cor. iv, 16): quia hoc fieri sentit in seipso.

[Ib. xv.] Verba Eliphaz Themanitis. *Et implevit dolore ventrem*. Spiritus enim scientiæ per consolationem sanat potius a doloribus: tu autem qui implet ventrem dolore, non spiritu scientiæ respondes. *Nonne tu repulisti timorem?* Deum non timuisti, in eum talia dicens. *Et elegisti linguam malorum*: qua homines maledicunt. *Quid enim? numquid primus homo natus es?* quia tantum superbis. *Aut ante colles concretus es?* Etiam montes nomine collium accipiendos, id est, ante omnes virtutes, spiritus potentes. *Sed et senex et decrepitu in nobis est*. Qui sciat etiam quæ nos nescimus, est inter nos, *Quid ausum fuit cor tuum? et quid sustinuerunt oculi tui?* speraverunt. *Quid enim est homo ut sit sine crimine?* quod et tu dixisti. *Si in sanctis ejus non est fides*: propter incerta temporum, quibus plerumque falluntur, ut multa dicant, et non faciant. *Et cælum non est mundum ante eum*: pro his qui habitant in cælo; aut certe cælum pro ipsis sanctis ponitur, quia in his habitat Deus. *Quæ sapientes dixerunt, et non celaverunt parentes suos*. Quia etiam Judæis Apostoli prædicaverunt. *Ipsis solis data est terra*: inhabitanda. *Nec supervenit illis quisquam extraneus*: nec sanctus homo vel angelus; id est, in securitate possidebunt. *Cum putaverint se esse jam in pace*. Ita dicit, quasi hoc putet ipsi Job evenisse. *Non credit converti a tenebris*: non credit ut convertiatur a peccatis. *Et decretus est in escam vulturum*: aëriarum potestatum, quæ mortibus peccatorum pascuntur. *Sicut dux in prima acie decidet*. Audax est, et non fert tribulationes. *Qua<sup>1</sup> elevavit manus contra Deum*. An, quia elevavit? *Et currit contra eum contumeliose*: adversaria faciendo quam præcepit. *In crassa cervicē scuti sui*: præsumens de protectione sua. *Quia operuit faciem ejus in adipē suo*. Per adipem, id est, per exaltationem superbiæ suæ abscondit a se Deum. *Et fecit capistrum super femora*: ut libidinibus suis colligaretur, quo vinculo duceretur ad mortem. *Quæ enim illi paraverunt, alii auferunt*: ipsum etiam regnum terrenum, vel quamcumque spem temporalem, quam cum toto mundo justī accipiunt. *Et non ditabitur, nec permanebit substantia ejus*: impī scilicet. *Non immittet super terram umbram*: id est, non viret. *Sed stirpem ejus arefaciet ventus*: tentatio. *Præcisio ejus ante horam corrumpetur*: priusquam sperat. *Decidat tanquam flos olivæ*. Decidat a pace, vel quia meliora hos sequuntur, quemadmodum florem fructus. *Testimonium enim impī, vora*: signum. *Et ignis comburet domus eorum qui munera accipiunt*. Hi sunt enim impī qui munera temporalia præponunt justitiæ. *Concipiet et in ventre gemitus*. Ea quæ sperat, in pœnam illi proficiunt.

<sup>1</sup> Quia, juxta Er. et Lov. M.

[Ib. xvi.] Verba Job. *Audivi talia multa*: non solum quæ vos dicitis. *Consolatores malorum omnes*. Malos potestis consolari, quia ipsi vos imitantur, non bonos: et est vocativus. A nullo enim vestrum audivi aliquid boni. *Quid enim? numquid ordo in sermonibus est spiritus?* superbiæ. *Aut in quo molestum tibi erit?* quamvis non ames quod dicens. *Et ego secundum vos loquor*: quomodo digni estis. *Si subjecta esset anima vestra pro mea*. Si vos pateremini quod ego; loquerer sermonibus, non factis: ita nihil est loqui quod non facitis. *Si enim loquar, non dolebo vulnere*. Ostendistis vos neque in loquendo, neque in tacendo prudentes esse. Nam sapientes et cum loquuntur, in consolationibus condolescunt; vel in confessione sua loquentes, dolent vulnus suum; vel cum tacent, prudenter tacent. *Nunc autem lassavit me, et fecit stultum, et putrem*: ut non contra vos loquar, Deus fregit superbiam; ut stultus factus sapiens flam. *Apprehendisti me, et in testimonium factus sum*. Convicisti me de peccatis meis, et adversum me ego sum testis. *Et surrexit super me mendacium meum*: cum mihi justus videbar. *Contra faciem meam respondi*. Hinc est, *Statuam te ante faciem tuam* (Psal. xlii, 21). *Iracundia usus dejecit me*. Benedixit, usus iracundia; non enim eam patitur: dejecit autem tanquam superbium. *Fremuit super me dentibus*. Objurgavit me; ut deates pro verbis intelligantur. *Sagittæ piratarum ejus super me deciderunt*. Aërias potestates quibus utitur Deus, et eis permittit ut aut exerceantur boni, aut puniantur mali. Piratæ autem, quia in hoc mari navigantibus insidiantur. *Acie oculorum irruit*. Non dissimulavit a peccatis meis, tanquam innuit ut puniret. Ipse enim tanquam lumen est, punitoribus ostendens puniendos. Ruina mihi fuit aspectio ejus. Aut ita: *Fecit ut viderem peccatum meum*; ante enim non sic mihi ad sensum perductum fuit. *Acriter percussit me in genibus, et simul concurrerunt in me*. Deo enim percutiente, illi concurrerunt angeli satanæ. *In pace cum essem, discerpit me*. Ab ipsa pace aut a memetipso discerpit, ut ab adversariis et sibi adversantibus dilaceraret. *Et tenens comam meam divisit*: per peccata mea me adversum me divisit. *Statuit me sicut signum*: in quem jacularentur, ut solet signum poni jaculantibus, quo jacula dirigant. *Circumdederunt me lanceis, emittentes in renes meos; non pepercerunt*: propter desideria carnalia, quæ sibi impacta dicit, per malas persuasiones ab angelis malis. *Effuderunt in terra fet meum*: ut terrena bona zelaret in iis qui his abundant. *Dejecerunt me prostratione magna*: ne carnalem prostrationem intelligeremus. *Cilicium assuerunt corio meo*: peccata interiora, quibus reminiscitur se fuisse in bonis. *Et super palpebras meas umbra mortis*. Volo videre, et impedit me consuetudo carnalis. *Terra ne operiat super sanguinem carnis meæ*: id est, ne si immunda fuerit oratio mea optando terrena, accedat cumulus terræ super vinculum mortalitatis meæ; quod significavit nomine sanguinis: id est, ne cupiditate terrena majoribus calamitatibus voluntarii peccati operiar, quod est illud naturale peccatum de condi-

<sup>1</sup> Mem., quod factis: absque negatione.

tionem mortali, *Nec sit locus clamori meo*. Intercludatur meritum orationis meæ. *Et nunc ecce in cælis est testis meus*. De Domino videtur dicere, quia nondum in terram descenderat. *Et conscius meus in excelsis*: propter participationem mortalitatis. *Dijudicetur vir cum Domino*. Veniat Dominus, ut cum eo vir judicetur, tanquam Joannes cum Christo. In quorum dijudicatione intelligitur quid distet inter hominem perfectum, et Deum hominem factum. *Sicut filius hominis ad proximum suum*: Dominus homine suscepto, ad eum qui inciderat in latrones (*Luc. x, 30*). *Anni enim dinumerati venerunt mihi*: quod mihi per Christum subveniatur plenitudine temporum (*Galat. iv, 4*). *Et viam per quam non revertar, ingrediar*: viam renuntiandi sæculo.

[Ib. xvii.] *Defeci agitated spiritu*: ordo, Defeci spiritu, laboribus concussus. *Oro ut sepeliar, et non contingit mihi*: ut absorbeatur mortale a vita. Ingemiscimus enim gravati, in quo nolumus spoliari, sed supervestiri (*II Cor. v, 4*); id est, mutemur potius quam moriamur. Quod utique, quamvis hoc homo cupiat, non contingit. Debet enim mortem condemnatione peccati. *Preces adhibeo cum labore, et quid feci*: non nihil feci<sup>1</sup> impetrans. *Furati sunt externi bona mea*. Ipsam immortalitatem, qua spoliatur, significat, qui semivivus a latronibus est relictus. *Quis est iste?* qui mihi subvenitur est, Dominum significans. Sed ideo dicit, *Quis est?* quia inter homines futurus erat, ut vix ab eis discerneretur. *Ad manum meam ligetur*: vinculo charitatis, ut custodiat me, et ducat quo vult. *Quia cor eorum abscondisti a prudentia*. Qui eum non cognoverunt abscondisti. *Propter hoc non exaltabis eos*, Quia humiles non fuerunt, ideo cæcati sunt, et non potuerunt humilitate Christi exaltari. *Parti annuntientur mala*. Quod cæcitas ex parte in Israel facta est (*Rom. xi, 25*), sive quia eis mala videbantur quæ Christus annuntiabat, ut dicerent, *Seducit turbas* (*Joan. vii, 12*); sive per Prophetas quæ annuntiata sunt de cæcitate Israel, non utique toti, sed parti acciderunt. *Et oculi super filios eorum tabuerunt*: admiratione miraculorum, quibus dictum est, *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt* (*Matth. xii, 27*)? *Posuisti autem me in loquelam nationibus*: hominem quem redemisti, id est, Ecclesiam de qua loquerentur nationes, sive quæ loqueretur nationibus. *Et in risum illis deveni*: aut nationibus, cum ei detraherent; aut Judæis, qui loquebantur nationibus. *Obscurati sunt ob iram oculi mei*. Obscurati sunt oculi Ecclesiæ, id est Apostoli, cum intellecti non sunt ab iis qui hac poena erant puniendi. *Et expugnatus sum valde ab omnibus*. Tam Judæi enim quam Gentes expugnaverunt Ecclesiam. *Et mirati sunt<sup>2</sup> super hoc veraces*: vel quare potestas data sit impiis in Ecclesiam<sup>3</sup>, vel quare ab impiis Evangelium agnitus non sit. *Justus autem super inimicum consurgat*: qui temporaliter cadit persecutionibus, ut postea infidelibus dominetur. *Et purus*

*manibus sumat audaciam*: spei audaciam, ut confiteatur Christum et in persecutione. *Non enim invenit in vos veritatem*. Omnibus enim tam Judæis quam aliis gratia necessaria est. *Et convulsæ sunt compages cordis mei*: ut non celem peccata mea. *Noctem in diem posuerunt*: impii. Unde est, *Væ illis qui dicunt quod bonum est malum, et malum bonum; qui ponunt tenebras lucem, et lucem tenebras* (*Isai. v, 20*). *Si sustinuero, inferi domus mea erunt*: pertulero peccata mea, ut non consistear. *Interitum appellavi patrem meum*. Non ero filius vitæ. Appellavit autem Deus. *Matrem meam<sup>4</sup> et sororem tabem*. Ex eo quod inseparabiliter hæreant, tanquam cognati. *Quæ est enim mihi jam spes?* subauditur, *Si sustinuero. Aut bona mea videbo?* quibus seductus converti noluit, et sustinuit peccatorem.

[Ib. xviii.] Verba Baldad Sauchitis. *Et lumen impiorum exstinguetur*. Noli ergo mirari si et tuum tanquam impii lumen exstinctum est. *Lux ejus sverunt tenebræ in domo*: claritas domus ejus; id est, aut diabolus aut Antichristus. *Et lucerna super eum exstinguetur*: exiguum et terrenum lumen. *Accipiant infirmi substantiam ejus*. Quæ habere ille voluit<sup>5</sup>, habeant humiles. *Inmissus est enim pes ejus in laqueum*. Ipse enim captus est, Dominum persequendo. *Confortavit super eum sitiens*: ut vincant eum esurientes et sitiennes justitiam. *Absconditus est super terram funiculus ejus*: quo capiatur, hoc est, ea quæ illi quasi conceduntur. *Et captio ejus in semita*: qua transit. *Per circuitum perdant eum dolores*: undique. *Et multi circa pedes ejus veniant in angustia famis*: multi qui eum sequuntur, vel qui ei obsequuntur. *Comedantur rami pedum ejus*: doctrinarum ejus, id est, qua it. *Rumpatur de habitaculo ejus sanitas*: tranquillitas hujus vitæ. *Et teneat eum necessitas causæ regalis*: opportunitas punitionis ejus, quæ valebit ad gloriam Dei, propter quod modo illi permittitur cupiditas sua. Causam regalem dicit, quia se Christum jactabit. *Habitet in tabernaculo ejus in nocte ejus*. Necessitas causæ regalis cruciet conscientiam ejus; appetitio tyrannidis: *in nocte*, in supplicio cæcitatibus ejus, quando damnatur. *Aspergentur speciosa ejus sulphure*: quibus placebat, igne fetido concrementur. *Et de sursum irruet messio ejus*: a Deo. *Et non sit nomen ejus in facie platearum ubi erat*: tollatur de memoria populi. *Et non sit cognoscibilis<sup>6</sup> in populo suo*. Ad tantam dejectionem veniat, ut a suis non agnoscat. *Nec resalvetur sub caelo domus ejus*. Aliqui enim resalvabuntur. *Sed in populo ejus vivat alteri*. Aliis subjugetur populus ejus.

[Ib. xix.] Verba Job. *Et destruitis me verbis*. Instruatis me, qui me consolari debuistis. *Scitote tantum quia Deus fecit mihi sic*: apud quem possum de peccato convinci, non apud homines. *Et vallum suum circa me circumdedit*. Fossa circa muros est; quo

<sup>1</sup> Sic Mss. Beccensis et Floriacensis. At editi: *Preces adhibeo cum labore: et quid feci? non mihi feci.*

<sup>2</sup> *Admirati sunt*, juxta Er. I.ugd. Ven. M.

<sup>3</sup> In B. *Ecclesia*. Er. Lugd. Ven., *Ecclesiam*. M.

<sup>4</sup> Lov. ferunt, *appellari autem Deus matrem meam*. sine interjectione. sic etiam Er., qui legit tamen, *appellavit*, ut ceteri editi. M.

<sup>5</sup> Editi, *noluit*. Manuscripti, *voluit*.

<sup>6</sup> Sic in Ms2. M in editis, *cognominatio*.

coactus sum ad confessionem. *Ecce rideo opprobria, et non loquor.* Utilitatem dicit confessionis; quia si vellet ridere peccatum suum, et non illud proloqui, clamaret, et non exaudiretur. *In vultu meo tenebras posuit.* Illuminationem vultus mei abstulit a me; quod contingit aversis. *Et abstulit coronam de capite meo:* dignitatem spiritualem, quam dat sapientia. *Et dirupit me undique, et abii.* Omnia tenebam, et abstulit illa a me: adversus illud quod accepterat virtutum continendi omnia. *Et arbitratus est me tanquam inimicum.* Sic me iudicavit, quasi ei nocerem, si ei par essem. *Et circumdederunt tabernaculum meum;* cor et conscientiam. *Fratres mei recesserunt:* in spe correctionis, quia fratres sunt: quamvis primo correctionem meam asperrati sint; et eos secuti qui sibi aliena, hoc est perniciosa, suaderent. *Et amici mei in misericordes facti sunt:* in malis spiritualibus, qui non condolent proximis suis, sed potius eos irrident; quos non irriderent in malis carnalibus constitutos. *Et scientes nomen meum obliiti sunt me:* non me cognoscentes, quod mutatus sum. *Vicini domus, et ancillæ meæ:* cum quibus secreta communicabam; adultores, qui recedunt ab eo qui confitetur Deo: ipsi enim dicuntur ancillari. *Servum meum vocavi, et non respondit:* aut corpus, aut eos qui ei ad mala serviebant. *Os meum deprecabatur<sup>1</sup>, et rogabam uxorem meam:* tanquam dicens, *Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me (Psal. xli, 12)?* id est, cupiens ut ei consentiat, *Invocavi blandiens filios uteri mei:* quos genuerat, persuadens eis spem sæculi. *Et quos dilexeram, consurrexerunt in me:* in illa vita. *In cute computruerunt carnes meæ.* Amore eorum quæ forinsecus sentiuntur, computruerunt interiora mea. Nam utique leve est, si ad litteram accipiamus, tanquam scabiem habuerit. *Et ossa mea in dentibus meis sunt.* Firmitas et fortitudo mea in verbis est, non in factis. *Miseremini mei, miseremini mei, o amici.* Angelos videtur postularé, ut pro eo deprecantur, aut certe sanctos ut pro penitente orent. *Manus enim Domini est quæ tetigit me.* Manu Domini se tactum dicit, ut doleret vulnus suum, quod sine sensu ei fuit. *Quare me persequimini, sicut et Dominus? detestamini et horretis sicut Dominus; vel objurgatis, cum jam constitear.* *De carnibus meis non satianini.* Non gaudetis, si carnaliter vivam. *Stilo ferreo et plumbo:* ut quemadmodum cedit plumbum stilo ferreo, sic cedant sermonibus meis corda hominum. *Aut in testimonium in petris sculpantur:* ut illi ea discant, qui firmi sunt ad evangelizandum. *Scio enim quia æternus est qui me resoluturus est:* quia potest me reparare. *Quorum ego mihi conscius sum:* quia merui illa. *Quæ oculus meus vidit, et non alius.* Hoc est, *Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus qui in ipso est (I Cor. ii, 14).* *Et omnia mihi consummata sunt in sinu:* in interioribus ubi nemo videt, in conscientia. *Quod si et dixeritis, Quid dicemus contra eum? Secundum quod dictum est etiam spiritualibus, Intendens teipsum, ne et tu tenteris (Galat. vi, 4). Et*

<sup>1</sup> Editi, deprecabar. Mss juxta LXX, deprecabatur.

*radicem sermonis inveniemus in eo:* ut de ipsius<sup>1</sup> eum convincamus. *Ira enim super iniquos veniet.* Qui se extollunt super peccatores, et putant se tales esse non posse, ipsos dicit iniquos.

[Ib. xx.] Verba Sophar Minæi. *Non enim intelligitis magis quam ego.* Ad alios se convertit, qui cum eo Job consolabantur. *Eruditionem confusionis meæ audiam.* Oblique vult ut Job audiat eruditionem confusionis suæ: tunc enim potest etiam spiritum sapientiæ consequi. Hæc autem locutio solemnitas est, cum dicimus, Bonum est mihi ut caveam, nam male mihi erit; cum volumus ut alius caveat. *Nunquid hæc novis a sæculis?* Ex quo sunt sæcula, scis hæc. Et hæc putat quod Job ignoret tanquam impius. *Oculus videbit, et non adjiciet.* Non enim videbitur. *Filios ejus disperdat impius:* sive imitatores ejus, sive seductos ab eo. *Et manus ejus succendantur doloribus:* operibus ejus crucientur. *Ossa ejus impleta sunt juventute ejus.* Superbit de firmitate sua. *Abscondet eam sub lingua sua.* Non illam demonstrabit tanquam dolosus, ut tacite illa utatur. *Parcel ei, et non relinquet eam.* Amans eam, et nolens ea carere, non eam persequetur: aut, parcel ei Dominus, et hæc impunitate non eam relinquet. *Et tenebit eam in medio gutture suo:* tanquam quod eum delectat. *Et non poterit subvenire sibi.* Non ideo se liberabit. *Fel aspidis in ventre ejus:* in interioribus, in occultis habens nocendi malitiam. *Divitiæ inique congregatæ evomentur:* cum tormento interiorum et pressura cordis. *De domo ejus protrahet eum angelus.* Quandocumque manifestabuntur occulta ejus per tribulationes. *Et furore draconum fulgebit<sup>2</sup>:* ut ille qui primo occultus fuit, tribulationibus proditus, furore draconum fulgeat jam palam. *Interficiat illum lingua colubri.* Seduceat eum diabolus. *Et non videat mulctram pecorum:* fructus ovium, id est, justitiæ opera non faciat, ut se inde intelligat posse redimi. *Neque pabula mellis et butyri:* opera bona cum charitate et hilaritate cordis, et largitate præbentis. Butyrum enim lac pingue est. *In vanum et frustra laboravit:* quia non intelligit hæc de his operando, quæ ad misericordiam pertinent. Unde et Dominus butyrum et mel dicitur manducare (Isai. vii, 15), quia hæc illi in humilibus ejus præbentur. *Quæ egerunt ut durum quid:* quod mandi non potest, nec glutiri. *Durum nescio quid est, puto, iniquitas vel superbia.* *In desiderio suo non salvabitur:* quia iniqua desideravit. *Non erunt reliquiae de cibis ejus.* Transierunt cupiditates ejus. *Cum pulaverit se repletum esse, coarctabitur.* Non tam satietas est de plenitudine cupiditatum, quam pressura. *Si quo modo impleat ventrem suum.* Talis necessitas ei veniet, ut dubitet utrum impleat ventrem suum; cum utique ista ideo querantur, ut pellatur necessitas. Hoc autem dixit, quia tanto plus cupit, quanto plus habuerit. *Et emittet super eum furorem iracundiæ:* quia non vidit facere opera bona. *Vulnere eum sagitta ærea:* perpetua.

<sup>1</sup> Er., ut de ipsis, M.

<sup>2</sup> Mss. aliquot, furorem: sed omnes habent postea, fulgebit: sicque legisse videtur Augustinus, licet nunc a LXX habeatur, sugat: in Vulgata, sug. i.

*Periranseat corpus ejus jaculum.* Penetret cum tentatio, ut et de his quæ sperat, et de his quæ relinquit, vulneretur, tanquam a pectore per tergum trajectus. *Fulgura in tabernaculis ejus:* terrores repentini in cogitationibus ejus. *Lædat advena domum ejus:* diabolus, qui adventitius est ad tentandum; si quidem habeat homo etiam proprias tentationes. *Et delegat cælum iniquitates ejus:* cœleste judicium. *Et possessio bonorum ejus ab episcopo*<sup>1</sup>. Hæc illi largietur Deus.

[Ib. XXI.] Verba Job. *Et non sit mihi a vobis hæc consolatio:* qua putatis bonis temporalibus gaudendum, cum communia sint piis et impiis; et si quando quis iniquus esset, hinc in eum vindicari: cum Job dicat usque ad sepulcrum permanere bona ista impiis, et non in eos per ea vindicari. *Quid enim? numquid humana est castigatio mea?* A Deo est mihi castigatio. Itaque et ipse potest consolari, non vos. *Aut quare non irascor?* Nolite ergo me ita consolari: nam impiorum utique felicitatem video. *Respicite ad me, et admiramini:* tanquam inania dicentem. *Si enim recorder, perturbor.* Indignitates humanæ vitæ, rediens ad affectum præteritum<sup>2</sup> ab isto in quo nunc est, constat. *Et tenentur carnes meæ doloribus:* carnaliter doleo. *Quare impii vivunt?* Quærit ab eis causam, quia dicebant hic in impios vindicari. *Et permanent, sicut vetustate, oves eorum:* quo modo possunt vetustate perseverare; non enim semper erunt. *Erant autem in manibus eorum bona.* Non tulit eis bona ipsa, cum hæc dicerent. *Imo vero, impiorum lucerna extinguetur:* claritas temporalis, etiamsi non sicut isti intelligebant. *Deficiant filii ejus bona ejus:* bona quæ eis persuasit, temporalia scilicet, aut Antichristi, aut diaboli. *Videant oculi ejus necem suam.* Significat et hanc prosperitatem ignorari ab his qui hæc gaudent: in futuro autem ad sensum etiam implorum perducetur. *Quia nulla voluntas ejus in domo sua post eum:* quia in conscientia sua Dominum non consecuti sunt in tribulationibus. *Licet numerus mensium ejus dimidiatus sit:* quamvis præsentem coluerit Deum, tamen quia non et futura speravit, quod est plenus mensium numerus. *Ipsæ enim homicidia judicat.* Quia impij cum persuaserint impietatem per dilectionem carnalium impietatum, futuro sæculo utique occidunt. Non tamen talia homicidia judicant homines, sed solus Deus. *Hic morietur in robore simplicitatis suæ.* Videtur esse qui occulta homicidia, commemorans largum unum, et alium avarum; quia homines abundantes, et largi putantur et boni. *Intestina ejus plena sunt adipe:* habet lætitiā. *Et medulla eorum diffunditur:* intestinorum; quia non tenet intra se bona sua, sed impendit illa vel in se, vel in aliis. *Itaque scio vos audacter mihi insistere.* Non enim considerate dicitis. *Quia dicitis, Ubi est domus principis?* vel impiorum vel superbi; quia putabant hic eis auferri bona, cum plerique etiam

pleni his vitam finierint per ea puniendi. *Et ubi est velamen in tabernaculis impiorum?* honor. *Interrogate eos qui transeunt per viam:* qui non delectantur via, sed transeunt per eam. *Et signa eorum non ignorabitis:* vel impiorum quæ dant transeuntes, dicentes quid eis<sup>3</sup> futurum sit; vel a quibus cognoscatur impij. *Quis annuntiabit coram eo viam ejus?* Coram impio viam suam nemo, nisi Dominus annuntiat fiducialiter, quia ipse ei respondet. Et tamen et ipse Dominus in sepulcrum deductus est. Ita merces pietatis non hic speranda est. *Et super acervum vigilavit.* Ante enim ipse resurrexit, quam acervus resurgeret resurgentium. *Dulces fuerunt ei lapides torrentis:* quos sæculum non subvertit, id est discipulos suos. *Et post eum omnis homo sequitur, et ante eum innumerabiles.* Aut post eum omnis homo, id est, unus homo: et ante eum innumerabiles, qui nunc in numero hominum deputati<sup>4</sup> sunt. Aut post eum turba credentium, et ante eum Patriarchæ et Prophetæ. *Quomodo ergo consolamini me inaniter?* præsentia bona vel mala suadentes.

[Ib. XXII.] Verba Eliphaz Themanitis. *Nonne Dominus est qui accet sensum et scientiam?* Quasi dixerit Job non cum recte judicare; cum utique reprehenderit Deus non possit, nisi per intelligentiam, qua superior est, siquidem ab ipso detur homini. *Et veniet locum in judicium?* ut compareris ei. *Lumen tuum in tenebras conversum est:* dignitas. *Et dormientem te aqua operuit:* securum inundatio tribulationis. *An per nebulam dijudicat?* quasi per nebulam videre non possit. *Nubes latibulum ejus, et non videbitur.* Latet eum quæ in terra sunt. *Et ambitum cæli percurrit:* figuram, non et terram. *Ergone semitam sæculi custodis?* Quasi Job putarit a Deo res humanas non curari. *Quia capti sunt immaturi:* secundum se immaturi. Putabant enim se in perpetuum permansuros. Aut certe antequam pervenirent ad sapientiam: sed quia hoc audierant, non quia ista sentiebant isti amici Job. *Et cogitatio impij longe est ab eo, et implet domos eorum bonis.* Est longe ab eo cogitatio impij, quia non sic facit sicut sperat impius; id est, aut quia placet ei impietas, aut non videt eam. *Videntes justiores erunt:* intelligentes; quamvis isti non intellexerint, putantes quia hic redditur impiis. *Et inculpabilis subsannabit eos:* impio. *Esto durus, si sustinueris patiens:* hoc est, dura. *Procul facies iniquitatem a tabernaculo tuo:* conversationem vel vitam tuam; quamvis hæc isti carnaliter dicant. *Et ponens illud super aggerem in petram:* adversus id quod dixit, *Flumen decurrens fundamenta eorum.* *Quia humiliavit semetipsum:* ipsum lumen. *Et dices, Elutus est in superbiam:* adversus superbos. *Erne innocentem, et salvaberis munditia manuum tuarum.* Noli deficere in bonis operibus, quia curat Deus humana.

[Ib. XXIII.] Verba Job. *Et quidem scio quia de manu mea est increpatio:* de peccatis meis. *Et manus mea gravis facta est super gemitum meum.* Ideo me percussisti<sup>5</sup>, ut doleam. *Et venire usque ad solum ejus.* Ut

<sup>1</sup> Editi, ab ipso. At Mss., ab episcopo: juxta LXX, para tou episcopou.

<sup>2</sup> Mss., ad effectum perterritum. Am. et Fr., ad affectum perterritum. Pauloque post Florincensis codex habet, in quo vocat est, cum completur.

<sup>3</sup> Sic Er. Lugd. Ven. in B., et. M.

<sup>4</sup> Mss. tres, deputandi.

<sup>5</sup> Sic Mss. At editi, percussisti. Is.

sim tam sanctus, ut perveniam ad eorum numerum, qui sedes ejus sunt. Tunc enim possum dicere vera, et audire: unde et cæli dicuntur sancti. *Et cognoscam causationes quas loquetur mihi*: redditiones causarum, quibus se omnia juste judicare demonstrat. *Et sentiam quas annuntiat mihi*: jam proximus ei. *An in multa virtute dijudicabitur mecum*: ut per potentiam resistat mihi? Nequaquam. *Tamen in terrore non abutatur me*: propter peccata mea, pro quibus timeo modo, cum sum in terrore, non abutatur me. *Cæterum cum ad eum venero*: in illa libertate qua ego annumerabor solio ejus, omnia amabo, et non mihi resistet virtus ejus; quamvis modo possit me abuti, utpote peccatore: id est, faciat de me quod vult, etiam cum poena mea, juste tamen. *Veritas enim et increpatio est ab eo*: id est, non injuste increpat. *Educit in finem iudicium meum*. Etiam si modo corripit, postea manifestabit. *Nam si primus ambulavero, postea non ero*. Non arroganter sperem, non infideliter desperem: hoc est, non declinare dextra aut sinistra. Inde est, *Si ascendero in cælum, tu ibi es (Psal. cxxxviii, 8)*. Quis me inde potest pellere? etc. *A læva quid ager, non apprehendam*. Superiora repetit. A læva autem dicit non se apprehensarum deditum temporalibus. *Convertetur ad dexteram, et non videbo*. Ideo non debeo esse a læva. *Convertetur autem dixit*, quia ipse in spiritualibus est, unde ego me avertō, si a læva fuero. *Scit ipse viam meam*: ut etiam per tribulationes me duxerit, sequar. *Probavit me sicut aurum*: in tribulationibus<sup>1</sup>. *Egrediar in præceptis ejus*. De tenebris meis exeam, sed tamen in præceptis ejus. *Si autem ipse judicavit sic*: ut per tribulationes me tanquam aurum probet. *Propterea ad eum festinavi*: quia me tribulavit, ideo relictis temporalibus ad eum festinavi. *Et commonitus sollicitus fui de eo*: ut bis poenis carnalibus æterna supplicia devitarem. *Idcirco a facie ejus turbabor*. Modo turbabor, ut caveam cogitans futurum iudicium, ubi erit ejus manifestatio. *Et Dominus mollivit cor meum*. Et ipsum timere, quo cavet futuras poenas, misericordiæ Dei deputat. Non enim sciret superventuras poenas et tenebras malis, nisi Dominus molliret cor ejus præsentibus tribulationibus: adversus illud, quod indurat Deus cor Pharaonis (*Exod. vii, 3*).

[Ib. xxiv.] *Quare Dominum non latuerunt horæ*: Quamobrem, vel, Itaque. *Finem transgressi sunt*: Christum. *Et inclinaverunt pauperes a via justa*: ut vel imitarentur eum, vel inde arbitrarentur non esse divinum iudicium, quia impunitam videbant malitiam qua eis nocebant relinquentes justitiam. *Simul absconditi sunt mites terræ*: cum his qui declinaverunt a via justa, absconditi sunt mites, ne mihi ferrent auxilium. Nam tria sunt genera hominum in Ecclesia, cum sit persecutio: alii enim consentiunt, alii fugiunt, alii patiuntur, quorum personam sustinet Job. *Et irruerunt asini feri in agro super me*. Stulti et indomiti, et ob hoc superbi, irruerunt super me confidentem, scilicet Ecclesiam. *Et exeuntes ad opus suum*. Hoc enim opus est eorum, ut in me irruant, id est, ad

hoc deputati sunt a Deo. *Suavis factus est ei panis in adolescentes*. Impio et persecutori suavem panem dicit, id est persecutionem, qua libenter fruebatur, cum eam faceret adolescentibus: ut adolescentes aut pro amatoribus voluptatum accipiamus, quia ipsi facile talibus consentiunt; aut pro eis qui tantum in Ecclesia profecerunt, ut pueritiæ quidem simplicitatem transierint, sed nondum pervenerint ad robur illud virile, quo etiam persecutor contemnitur. *Agrum ante tempus non suum demessuerunt*. Aut genera dicit persecutionum, ut aliquem agri damno terrerent: aut pro agro Ecclesia intelligenda, quam ante maturitatem persecutionibus metere voluerunt, id est, antequam simul zizania crescerent, ut tempore messis separarentur (*Matth. xiii, 29, 30*). *De stillicidiis montium madescunt*: confugientes nudi ad speluncas, ubi saxa distillant. *Rapuerunt ab ubere pupillum*. Pupilli et viduæ plerumque ex persona Ecclesiæ accipiendi: est populus sub tormento. *Et eum qui ceciderat, humiliaverunt*: desertum vel auxilio Dei, vel alicujus; quod est magnæ sævitia, non talibus parcere. *In angustiis insidiati sunt inique*: in necessitatibus. *De civitate et de domibus ejiciebantur*. Ab eis ejiciebantur alii. *Anima vero parvulorum in gemitu valde*: fuit. *Ipsæ autem Dem eorum curam non habuit*: impiorum, quia modo curam eorum non habendo, fecit eos desperare de iudicio Dei; quia impune mala faciebant. *Et ideo in tenebras traditi sunt*: ignorantia iudicii Dei. *Et repente ut fur*: eos occupabit dies ille. *Oculus adulteri observat tenebras*. Ostendere vult in quas tenebras tradantur impij per impunitatem: non enim eas quas captant adulteri, et cæteri qui male faciunt per noctem, ne agnoscantur per diem; sed illas quæ etiam mane<sup>1</sup> super eos sunt. *Suffodit in tenebris domos*. Alia mala facta commemorat. *Per diem obsignaverunt semetipsos*: occultaverunt. *Non cognoverunt lucem, quia simul eis manet<sup>2</sup> umbra mortis*: non quia nox recessit, propterea eos deseruit umbra mortis. *Levis est super faciem aqua*: ad comparisonem terræ, splendorios accipiendi sunt, quos lux penetrat et imago levitatis; et ideo levis est super eos umbra mortis. Nam et ipsi portant eam per conditionem carnis. Vel, *Levis est super faciem aquæ dixit*, super eos qui in Baptismo confluentur. *Maledicatur pura eorum super terram*. Sterile sit quod delegerunt. *De sinu enim pupillorum rapuerunt*: de corde infirmorum verbum, per malam suasionem. *Deinde rememoratam est peccatum ejus*: quod putabat in oblivionem venire. *Conteratur sicut lignum insanabile omnis iniquus*: quod non sanat<sup>3</sup>. *Sterili enim non fecit bene*: quæ sine consolatione filiorum est. *Consurgens ergo non credit contra vitam suam*: non credit adversus vitam suam; debuit enim credere malam se habere vitam, et eo ipso consurgere. *Cum infirmari cæperit, non speret sanitatem*: tribulari. *Sed cadit in languorem*. Tales enim impii consolationes quaerit in rebus adversis, quibus infirmior fiat. *Emam-*

<sup>1</sup> Editi, male. Mss., mane.

<sup>2</sup> Sic editi et Mss. Al LXX, ou proi, mane.

<sup>3</sup> Lov. sanatur. Alii codices editi et Mss., sanct.

<sup>1</sup> Mss. tres, tentationibus.

*cuit sicut malva in aestu altitudo ejus* : quia non tulit aestum tribulationis; malva autem, propter infirmitatem. *Aut sicut de stipula spica decidens sponte ejus.* Quia mane erat in culmine ipsius. Ipse enim sibi elegit tales consolationes quibus pejus infirmetur. *Alioquin quis est qui loquatur mendacium me dicere?* si et aliter sunt.

[lb. xxv.] Verba Baldad Sauchitis. *Quid enim exordium quam timor ab eo?* Ista subjunctio videtur illis verbis consentire, quibus dicit Job, *Idcirco a facie ejus turbabor, considerabo, et timebo ab eo* (Job xxiii, 15). *Nemo putet esse moram piratis.* Sine mora secundum permissum ejus tentant. *In quem enim non venient insidiae ab eo?* hoc est, cum ipse permittit. Insidias autem dicit tentationes. *Aut quomodo erit homo justus coram Domino?* Ergo juste eum tentari permittit. *Vel quomodo se mundabit natus ex muliere?* nisi enim a Deo mundatus fuerit, immundus est. *Si lunæ præcipit, et non lucet.* Quoniam si exigant rationes et ordo providentiæ ipsius, ut luna non luceat, præcipiet ut non luceat, et non lucebit. Sed quare? Utrum inde vult videri non mundam lunam coram eo, quia præcipit ei, et non lucet? an forte rationalis animæ natura figurate hic insinuatur, cui sol intelligibilis est lumen illud verum, quod illuminat omnem hominem (Joan. i, 9)? Et quoniam tanto magis luna lucet terrenis aspectibus, quanto magis recedit a sole; cum autem propinquat soli, interimitur terris: intelligamus animæ divinitus præcipi, ut superata nativitate terrena atque mortali, qua splendor ejus apparet terrene sensu videntibus, appareat et propinquet, subjungaturque sapientiæ, quo ejus luce secretissime<sup>1</sup> exsultans, caveat facere justitiam suam coram hominibus, ut videatur ab eis (Matth. vi, 1), sed cum gloriatur, in Domino gloriatur (I Cor. i, 31). Quia et cum apparet hominibus, dono Creatoris apparet, *Nec stellæ sunt mundæ apud eum*: in comparatione ejus.

[lb. xxvi.] Verba Job. *Cui ades: vel quem adjuturus es?* cum indignans tanquam injustitiæ eorum, putaret eos a Deo puniendos. Verum sibi ipse loquens seipsum revocat, ut Deo potius dimittat judicium eorum, ne aut adesse Deo videatur, aut adjuvare eum velle, quasi invalidum, ad coercendos vel corrigendos homines; aut consilium dare, quid cum illis agat; aut sequi eum, tanquam assecuturus causam quare dolosos homines esse et vivere patiat, cum superet omnem animam quærentem virtute incomprehensibili; aut quasi annuntiare illi aliquid de illis, cum ab ipso habeat homo et spiramen, cum aliquid enuntiat. *Numquid gigantes redigentur in nihilum?* Non ergo mirandum si istis Deus parcit, quando gigantes non redigit in nihilum. Et ne diceretur, Sed ad inferos detrusi sunt; subjecti quia infernum videt Deus: et tamen eos ibi ordinavit ubi esse meruerunt; sicut justos sive nunc sicut sunt, sive postea sicut erunt, quamvis eos nunquam removeat a facie sua, quia omnia nuda sunt coram eo; ita ut proximos gigantes etiam istos consolatores superbos accipias. *Subter*

<sup>1</sup> sic in Mas. At in editis, *secretissima*.

*aquam et proximi eorum.* An *Subter aquam*, subaudiendum, tenentur, vel aliquid tale? *Et non est velamen perditioni.* Etiam perditio eum non latet. *Extendens aquilonem super nihilum.* Potest aquilo diabolum significare, et terra peccatorem; quoniam et illi et illi inanis est spes. *Suspendens terram super nihilum*: in aerem. *Ligans aquam in nubibus suis*: propter obscuritatem prophetiæ. *Et non est scissa nubes sub eo*: sub veritate quam habuit nubes, quæ non scinditur Scripturas intelligentibus: non enim adversaria dicuntur, sicuti putant non intelligentes. *Qui tenet faciem solis* (a) ne agnosceretur ab impiis sol justitiæ. *Et extendit super eum nubem suam*: carnem quam Dominus suscepit. *Præceptum circumdedit super faciem aquæ*: populos. *Usque ad consummationem lucis*: hujus vitæ finem, hoc est finem sæculi, aut quousque consummentur, id est, perficiantur homines, quibus dictum est, *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (Ephes. v, 8). *Columnæ cæli contremuerunt, et obstupuerunt ab increpatione ejus*: quod contigit Petro per Paulum (Galat. ii, 11). *Virtute sua sedavit mare*: placavit sæculum, a quo persecutionem patiebatur Ecclesia. Unde etiam columnas cæli contremuisse ab increpatione ejus, potest hoc modo intelligi, ut robustissimi Ecclesiæ contremuerint pro infirmis, ab increpatione Domini permittentis tentationes persecutionis. Columna enim clamat: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et non ego uror* (II Cor. xi, 29)? *Prudentia ejus vulneratus est cetus.* Vulneratum dicit diabolum dolore, quo ei justis non cedebant. *Et claustra cæli metunt eum*: vel Angeli, vel qui acceperunt claves regni cælorum. *Præcepto autem peremit draconem desertorem.* Eundem dixit et cetum. Sed nunc ostendit quomodo sit vulneratus, cum acceperunt præceptum, qui ei renuntiaverunt. *Ecce hæ partes viæ ejus*: qua ad Deum venit. *Virtutem autem tonitrus ejus quis sciet, quando faciet?* Tonitrum dicit evidentissimam vocem manifestationis ejus: aut illam forte vocem, quam dedit per filium tonitrus, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. i, 1): ut sit ordo, *Quando faciet, utrum quis sciet virtutem tonitrus ejus?*

[lb. xxvii.] *Et spiritus divinus in naribus meis.* Illic ostenditur prophetice eum dicere quæ dicit, et prophetice cognoscere quia isti consolatores ejus dolosi sunt. *Absit a me justos vos dicere, donec moriar*: etiamsi usque ad mortem persequamini me, quia vos libere reprehendo. *Nec enim separabo innocentem*: ne vos autem. *Nec enim conscius sum mihi iniquum quid commisisse.* Illi enim solent plerumque aliis parcere, qui metuunt sibi aliquid verum objici. *Quæ enim spes est impio? Quia expectat.* Ne quis putaret male eum optasse inimicis suis, hic aperuit quo animo dixerit. Impietatem quippe illorum vult everti, et per superbiam: quod sit cum solvitur ab impietate anima quæ tenebatur rea; solvitur autem per confessionem

<sup>1</sup> Er. legit, *nec*, pro, *ne*. M.

(a) Mendum in codice Augustini: siquidem apud IXX legitur, *thronou*; in vulgata, *solii*.



pœnitentis hominis, et gratiam ignoscentis Dei. Ergo, *Quæ enim est spes impio?* interrogatio : et responsio, *Quia exspectat, et confidit in Domino, si forte solvatur<sup>1</sup>, aut preces ejus exaudiat Dominus.* Potest quidem et alius sensus occurrere in his verbis, sed non ita contextitur et libro et fidei, ut quasi totum ex desperatione sit, quod spem prorsus non habeat impius : cum adversus hoc scriptum sit, *Credenti autem in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam* (Rom. 1v, 5). Et ideo quod sequitur, gratia Domini dicere intelligitur. *Aut si everit ei necessitas* : ideo debemus exspectare gratiam solventis. Numquid enim in necessitate, id est in tentatione, *habuit fiduciam*, meritorum in conspectu Dei? *Aut si invocaverit exaudiet eum?* si tanquam fiducia operum suorum invocatur, quæ nulla sunt. *Quapropter annuntiabo vobis quid sit in manu Domini* : quid disponat Deus. *Ecce omnes nostris quia vane vana loquimini* : ob hoc gratiâ ipsam exspectanda est. Quomodo enim allegavit merita operum suorum vane vana loquens? *Possessio vero potentium venit ab Omnipotente super eos* : ut possideant eos potentes, id est, diabolus et angeli ejus. Potentes autem ideo dicit, quia isti infirmabuntur sequentes vanitatem, ut in eos illi prævaleant duces et principes vanitatis : quomodo et Dominus fortem eum appellat (Luc. xi, 21), non ob aliud nisi quia tenet invadidos. *Quod si multi fuerint filii ejus, in occisionem erunt.* Filios ejus dicit, qui eum ad seducendum imitantur, falsorum dogmatum persuasorem in damnationem. *Si autem juvenes facti fuerint, indigebunt* : id est, si confirmati fuerint in errore, indigebunt ; non enim eos satiavit vanitas. *Et qui circa eum sunt, morte morientur* : qui simillimi ei sunt ad seducendum. *Et viduis eorum non miserabitur* : plebibus quas seduxit cum eis, viri morte desertis, quasi fidem illis conjugalem in erroris promissione servaverit. *Quod si et collegerit ut terram argentum* : id est, si prudentes et sapientes, cum adhuc terra et lutum sunt, id est, cum adhuc stulta et carnalia sentiunt, eis consenserint ; postea correcti et cognoscentes ad justos convertentur. *Erunt enim domus eorum sicut tinæ et aranæ, quæ servavit* : cor, vel conscientiam. Aut domus dixit munimenta quibus se protegunt, verum astuta et latebrosa, sed invalidissima, sicut tinæ folliculus quo se abscondit, et aranæ caverna, in quam se recipiendo cooperit, et claudit eam. *Quæ servavit autem, intelligitur se ipsa in illa caverna* ; quia non omnes aranæ hoc faciunt : propter spontaneam et interiorum corruptionem iniquæ cogitationis, et propter inutilia opera, quæ quasi diligenter in domo servavit sibi implus. *Dives dormiet, et non adjiciet* : quia post mortem non adjiciet ad ipsas impietates divitias. *Oculos suos aperuit, et non est.* In resurrectione enim non inveniet seipsum divitem, quod putaverat. *Tollet eum æstus, et abibit* : aut æstus maris, tribulatio sæculi ; aut æstus quo arescunt herbæ, quæ radicem non habent. *Et ventilabit eum de loco suo* : aut de spe sua ;

<sup>1</sup> In LXX, *sôthêsetai*, *salvabitur*. Vulgata vero locum hunc vertit per verbum, *liberet*.

aut Deus eum ventilabit de loco suo, ut non sit in loco Dei, hoc est, in populo quem inhabitavit Deus. *Et projiciet super eum, et non parcat* : tanquam aggerem pœnarum. *Plaudet super manibus suis* : sicut dictum est, *Et ego perditioni eorum superridebo* (Prov. i, 26) : non enim superluget perditionem impiorum.

[Ib. xxviii.] *Est enim argenti locus unde fit* : prudentes, qui magis in actione sunt. *Locus autem auro* ; ubi purgatur : sapientes, qui in contemplatione sunt. *Ferrum enim de terra fit.* Hæc metalla indifferentem accipienda in bono sunt ; nam ideo ferrum dixit, quia nihil interest, quasi superius de ferro diceret : quamvis ferrum possint fortes intelligi. Revera enim nulla distinctio est in sapientia hominum quam in ca sunt. *Æs autem similiter ut lapides excluditur* : quia totum de terra separatur : ut ostendat propterea esse bonos malis mixtos ad tempus, quia de ipsis malis secluduntur<sup>2</sup> boni, et per illos purgantur tanquam metalla operi vel ædificio necessaria ; cum ipsa terra opus habeant eliquari ac formari, unde et separandi sunt, ut post hanc separationem habeat terra locum atque ordinem suum, sicut impii per damnationem pro meritis suis. *Et omnem finem ipse invenit* : quid quo perduceret. *Invenit autem dixit, instituit.* *Lapis tenebræ et umbra mortis.* *Lapis*, id est, Vetus Testamentum tenebris et umbrae mortis datum est, id est carnalia sectantibus, quamvis ab uno Deo hæc exspectarent : unde superbientes non discindebant torrentem, id est non transibant per lapsum temporalium ad aliquam soliditatem, sed ipso lapsu ferebantur. *Et factu est discissio torrentis a cinere* : hoc est, a confite peccata sua, et non superbiende de meritis operum : quod factum est per gratiam Novi Testamenti. *Discissio torrentis a cinere* : ab hominibus. *Et commoti sunt ab hominibus* : adulantibus non increpante Deo, ab ipsa (a) quæ eis promissa erant perdendo primatum suum. *Terra de qua egressus est panis* : subaudiendum, Ipsos dico commotos de quibus, tanquam de terra, panis Domini exiit. *Et eam incensurus est* : infidelium cœlesti judicio Dominus<sup>3</sup>. *Locus sapphiri lapides ejus* : ordo, locus sapphiri, id est, pretiosi et necessarii ædificio civitatis cœlestis. *Et aggeres aurum ei* : aurum ei non modicum est, sed aggeres. *Semitam quam non cognovit avis* : humilitatem Domini. *Nec vidit eam oculus vulturis* : diaboli. *Non transit super eam leo* : per fortitudinem superbiens. *In durissimo lapide extendit manum suam.* Potens est enim Deus de lapidibus excitare filios Abrahæ (Matth. iii, 9). *Et ripas fluminum dirupit* : ut totum irrigaret. Flumina enim dicit prædicatores verbi. Voluerunt quippe ripis suis contineri, ut tantum circumcisioni prædicarent. *Omne vero pretiosum vidit oculus meus* : humanus, per Verbum carnem factum. *Altitudinem fluminum revelavit.* Virtutes tolerandi persecutiones in martyro occultæ et altæ sunt in homine, donec persecutionis

<sup>1</sup> Ita Regii codicis ope castigamus : scilicet legebatur in editis, *seducuntur*.

<sup>2</sup> Mss. tres, *Domini*.

(a) Fortasse ob ipsa.

tentatione revelentur. *Ostenditque virtutem suam in lumine*: in eis quibus dixit, *Vos estis lux mundi* (*Matth.* 7, 14). Per quos etiam pars Judæorum non parva conversa est. *Abyssus dixit, Non est in me*. Ideo in *abyssu* constituti homines eam invenire non poterunt, quia in ea non est. *Non dabitur aurum inclusum pro ea*: id est thesaurus. *Non erit deterior auro Ophir*: tanquam si diceret, Vel sic eam quærite, siquidem deterior non sit auro Ophir. *Non æquabitur ei aurum et vitrum*. Aut intelligendum aliquid vitrum speciosum; aut quia sunt homines qui vitrum plus diligant quam sapientiam. *Et commutatio ejus vasa aurea*: non sunt, subaudis. *Et excelsa et Gabis*<sup>1</sup> *non erunt in memoria*: oblivioni erunt in comparatione ejus. Aut *excelsa et Gabis*, tanquam superba quæque non sint in memoria, ut per humilitatem trahas de absconditis sapientiam. *Sapientia unde inventa est?* dicit, quia non potuit eam invenire homo nisi per gratiam, ideo ad Deum convertendum esse cor. *Latet ab oculis omnis hominis*: quia non est insensibilibus. *Perditio et mors dixerunt*: perdit et mortui, cum in deliciis vivunt. *Dominus commendavit viam ejus*: humilitatem, quæ abscondita est a volucris cæli. *Et ipse novit locum ejus*. Locus sapientiæ quis, nisi Pater est? Cum enim dicitur, *Ego in illo, et ille in me* (*Joan.* 1, 38); invicem sibi quasi loca sunt. *Ipse enim omne quod est sub cælo, perspicit*. Hoc modo ea novit, quo fecit, et non sensibiliter. *Ventorum libramenta atque mensuras* (a). Tota creatura per partem significatur. Et bene, pondere, mensura, et numero omnia dixit facta (*Sap.* 11, 21), in quibus intelligitur Creator. *Quando fecit, sicut vidit, enumeravit*. Non extra vidit ut faceret; sed in semetipso, sicut artifex. *Et viam tempestatum vocibus*: tempestatum pro tentationum positum est; tentationum autem, pro his qui tentantur: quomodo dicerentur voces naufragii, pro vocibus naufragorum. *Tunc vidit eam, et exposuit eam*. In prædestinatione Dominus vidit viam qua se converterent tentati. *Paravit et investigavit*: in prædestinatione, non<sup>2</sup> in actione.

[Ib. xxix.] *Quisnam me restituet in menses priorum dierum?* Hæc ex persona dei videntur Ecclesiæ simul cum capite Christo, tanquam totus ipse homo loquatur tempore abundantia tribulationum et tentationum, tanquam his diebus, de quibus Dominus dicit: *Veniet dies quando optabitis videre unum de diebus istis, et non videbitis* (*Luc.* xvii, 22). Eo enim tempore quo Dominus erat in terra, nulla erat sollicitudo, quamvis adhuc populo parvo christiano, qui constabat ex his qui in eum crediderant, ex quibus erant plus quam quingenti fratres, quibus etiam post resurrectionem apparere dignatus est, sicut Apo-

stolus dicit (*I Cor.* xv, 6). Nulla ergo tunc erat sollicitudo, ne aut a malis male gubernaretur Ecclesia, aut hæresum vel schismatum laniaretur insidiis. Nam nec ipsas corporales persecutiones passa est; non aliquas pertulit vel intrinsecus vel extrinsecus adversitates. Loquitur itaque Job ex persona hominis, hoc est, populi ad Novum Testamentum pertinentis, desiderantis illos dies, sicut prædixerat Dominus. Et fortasse ideo menses appellavit, non annos, quia ex quo elegit Dominus discipulos, usque ad passionem, non anni, sed menses fuerunt. *Cum lucebat lucerna ejus super caput meum*: vel carnem Domini visibiliter præsentem, vel verbum ex ore præsentis corporaliter. *Cum verbum Domini*<sup>1</sup> *inspiceret domum meam* ad diligentiam custodiendi conversationem. *Et circum me pueri mei*: qui obsequabantur humiliter necessaria administrantes. *Cum fueret per vias meas butyrum*: per mores meos exultationem fidei et honorum operum. *Cum montes mei abundarent lacte*: Prophetæ bene parvulis exponerentur. *Cum exirem mutulinus in civitate*: aut cum jam claritas lucesceret, transactis tenebris timoris; aut in exordio Ecclesiæ, ut non satis occultus, non satis manifestus. *Et in plateis ponebatur mihi sella*: a turbis deferebatur mihi docendi auctoritas. *Videntes me adolescentes abscondebantur*: dediti concupiscentiis. *Senes autem assurgebant*: prudentes. *Et potentes cessaverunt loqui*: superbie de doctriinis suis. *Quia auris audivit, et beatificavit me*. Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi (*Psal.* xvii, 45). *Et oculus videns me declinavit*: Judæorum non credentium. *Et os viduæ benedixit me*: ejus animæ quæ diaboli conjugio renuntiavit. Ecce ferebatur mortuus filius unicus matris suæ, quæ erat vidua (*Luc.* vii, 12). *Et vestiebar iudicio sicut chlamyde*: in præferendis spiritualibus, carnalibus, nesciat sinistra quid faciat dextera tua (*Matth.* vi, 3), id est, qua intentione operetur: operta enim sinistra, dextera exserta est in vestitu chlamydis; quod facit, qui recte iudicat quo sit referendum quod operatur. *Judicium quod non noveram exquisivi*. Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te; quid nobis erit (*Id.* xix, 27)? Dicit felicitatis suæ fuisse, quod habuerit a quo quæreret de futuro iudicio. *Confregi molas iniquorum*: ut jam non devorarent plebem de cibo panis. *Ætas mea senescet; sicut arbor palmæ, multo vivam tempore*: prolongabitur, et ero sicut arbor palmæ in honore sempiterno, et celsitudine, et rectitudine. *Et ros morabitur in messe mea*. Ex quo seminatur et germinat ager, messis dicitur. *Gloria mea nova mecum*: id est, Novi Testamenti. *Et arcus meus in manu mea gradietur*: faciam quod præcipio. *Et in sermone meo non adjecterunt*. Perfectionem Evangelii significat: nam sermo Synagogæ datus indiguit adjectiore. *Sed gavisus sunt cum loquerer eis*: quia prior locutio timorem habebat, sequens charitatem. *Quod si et riderem ad*

<sup>1</sup> Editi, *gravis*, corrupte pro *Gabis*, voce hebræa, quam quidem LXX retinuerunt; Symmachus vero vertit, *Jasperemena*: vulgata, *eminentia*: Hieronymus de nominibus hebræicis in Job interpretatur, *altitudinem confusionis*: alii denique ignotum quoddam gummæ genus significare putant.

<sup>2</sup> Floriacensis codex optimæ notæ, caret hic particula negativa.

(a) Sic legisse videtur Augustinus, pro *aquæ*, sive *aquarum mensuras*, quæ vera Scripturæ lectio est.

<sup>1</sup> Floriacensis Ms, cum Dominus.

eos, non credebant : de hiis quæ in parabolis ita loquebatur, ut non intelligeretur; non tamen sicut verba sonare videbantur, vana dicere putaretur. Hic est risus Saræ (Gen. xviii, 10), qui significabat omnia eos in prophetia fecisse : unde qui figurate aliquid dicunt. *Elegi eorum viam, et sedi princeps* : aut suscipiendo mortalitatem, aut cum publicanis et peccatoribus convivendo, sed ita ut princeps eis essem ad salutem. *Et habitabam sicut rex cinctus fortibus* : qui suis dimissis eum secuti sunt. *Quasi consolans tristes*. Eos dicit qui spe gaudebant, cum de presenti vita erant tristes. *Beati lugentes* (Matth. v, 8), ut dictum est; et, *Quasi tristes, semper autem gaudentes* (II Cor. vi, 10) : qui non possunt tunc tenere illam magnitudinem, de qua dictum est, *Qui autem fecerit et sic docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum* (Matth. v, 19).

[Ib. xxx.] *Nunc autem derident me infirmi, nunc movent me minores tempore* : quia et postea nati sunt in Ecclesia tales, et non proficiunt plurimum. *Movent me autem dixit*, quia per honores ecclesiasticos accipiunt potestatem prædicandi populo, quæ ipsi non faciunt. *Quorum spernebam parentes*. Parentes eorum dixit, quorum imitatione filii sunt, quibus tunc dicebatur, *Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ* (Id. xxiii, 13). *Et virtus manuum eorum quasi nihilum mihi erat* : parentum potestas, qui tunc usque adeo plurimum poterant, ut crucifigerent Dominum. *In eo peribat omnis vita* : quia non se vel in fine correxerunt. *Egestate et fame instabiles* : a variis desideriis insatiabilibus. *Qui fugiebant in desertum heri* : conforendo se ad excusationem Legis, quam non simpliciter intelligebant; et quia in deserto acceperant, *fugientes in desertum heri*. Sicut enim hodie pertinet ad Novum Testamentum, sic ad Vetus heri : de Novo enim dictum est, *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* (Psal. xciv, 8); et, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Psal. ii, 7). *Qui rodebant cortices arborum* : quia figuras Legis, quibus vina tegebantur<sup>1</sup>, pro cibo habebant. *Quorum erat cibus radix herbarum* : sacramenta quæ corporaliter jussi erant celebrare, tanquam terræ inhærentia; ex quibus tamen simpliciter intelligentiæ fructus surgeret, et supra terram in libertatem ferretur, quo illi pervenire non poterant. *Inhonorati, et abjecti, et egentes omni bono* : amisso primatus honore, ab spe promissionis; quia et ipsum terrenum donum pro meritis suis amiserant, et regnum cælorum non tenent. *Qui radices lignorum manducabant, propter magnam famem*. Quod de radicibus herbarum dictum est, propter fructum frumenti, hoc de radicibus lignorum intelligendum est, propter fructum vini et olei. Nam omnes istos spirituales fructus accepit Ecclesia, quorum radices terræ implicate sacramenta erant, quæ corporaliter Judæi observare cogebantur, sabbatum, circumcisionem, et victimas, et cætera hujusmodi spiritualium cihorum. *Insurrexerunt super me fures* : qui ad honores indebitos, qui justorum sunt

proprii, per tenebrosas fallacias pervenerunt. *Quorum domus erant cavernæ petrarum* : qui concupiscentias suas defendebant, et tegebant quibusdam obscuritatibus divinorum Librorum. *Et inter arbores clamabant*. Manifesta erant peccata eorum, quamvis ea Scripturarum obscuritate, quasi umbris arborum, tegere conarentur. Hinc est, *Clamor Sodomorum ascendit ad me* (Gen. xviii, 20). Et plerisque locis pro manifestis peccatis clamorem ponit Scriptura : ut verbum sit quiddam corde concipitur; clamor, cum procedit in factum. *Qui sub stirpibus terræ manebant*. Non saltem in stirpibus, sed etiam inferius stirpibus manere possunt intelligi, qui vel carnaliter præcepta custodiunt. Stirpes enim sunt non jam ipsi fructus, sed unde surgunt partes fructiferae, vel arborum, vel herbarum : si tamen fructiferum genus est, quia et non fructiferi generis stirpes dicuntur. *Filii stultorum et ignobilium* : Judæorum; nam hos dixit superius parentes eorum propter imitationem, quia et isti sub Dei nomine ambulabant, quem non colunt. Stultos autem et ignobiles dicit Judæos, qui o contrario, non solum se confidebant esse duces cæcorum, sed etiam filios esse Abrahæ, quo patre se esse jactabant nobiles. Sed cum audiunt, *Cæci sunt, duces cæcorum* (Matth. xv, 14); stulti demonstrantur : et cum audiunt, *Si filii Abrahæ estis, facta Abrahæ facite* (Joan. viii, 39); degeneranda demonstrantur ignobiles. *Nomen et honor extinctus a terra*. Erat enim, sed extinctum est. *Nunc autem cithara eorum ego sum* : horum, quorum illi patres sunt, qui me ad aurem habebant, non ad cor. *Et me habent ad fabulam* : inanem et inutilem narrationem et auditionem, quamvis me et narrent, et audiant. *Abominati sunt me, discedentes procul* : longe facti a justitia peccando, et præcepta justitiæ malis moribus exsecrando. *Nec in faciem meam pepercerunt spuere*. Exsecranda facies namque Christi est his, qui præcepta ejus cum contemptu exhorrent. Vel, male me innotescere fecerunt morum suorum pravitate. *Aperiens enim pharetram suam affixit me* : secreta rerum, unde tentationes existunt. *Et frenum in faciem meam miserunt* : ut eis invitatus consentirem, portans eos ducentes quo vellent, ad ima sua. *Et a dextris germinantes consurrexerunt* : et favendo et bene monendo exorti sunt quidem, ut suas cupiditates explerent, non persequendo. *Pedes meos vinxerunt compedibus* : officiorum ecclesiasticorum, ut non eos possent fugere. *Contrita sunt senitæ meæ* : ut non apparerent, per quas solent boni ambulare, non quærentes sua, sed Christi (Philipp. ii, 20). *Exiit enim me stola* : auctoritate pristina, cui cedi solet; quod contingit multitudine et consuetudine peccatorum prævalente. *Et jaculis suis vulneravit me* : præceptis, quibus video mala, et quia coercere non possum, crucior. *Abusus est me sicut voluit* : etiam calamitate et miseria meus est ad justitiam suam Deus, sicut voluit. *Doloribus insolutus sum* : et in me, et in aliis patior. Foris pugnae, intus timores (II Cor. vii, 5). Quis infirmatur, et ego non infirmor (Id. xi, 29)? *Et iterantur dolores mei, discedit sicut spiritus, spes mea*. Quasi inane ali-

<sup>1</sup> Omissam hic in editis negationem restituimus ex Mss.

<sup>2</sup> Fr. et Lov., *utilia tegebantur*. M.

quid conversi ad spem temporalium, habentes quod promitto. *Et sicut nubes transit salus mea*: non sperantes salutem promissam, amore presentis salutis. *Et nunc super me effundetur anima mea*: precando<sup>1</sup>. *Nocte vero ossa mea contracta sunt*: firmitatem quam habuit, dixit sibi ereptam. *Et nervi mei dissoluti sunt*: actiones præteritæ. *In multa virtute apprehendit stolam meam*: ad demonstrandam virtutem suam, modo affligendo, et postea reparando. *Et quasi ora vestimenti mei circumdedit me*: modicum mihi reliquit auctoritatis. *In terra et cinere pars mea*: in penitentia, quia extremum. *Steterunt et consideraverunt me*: et me facente, superbi steterunt, quærentes quid in me reprehenderent. *Et projecisti me a salute*. Illos dolet, qui spem reparationis amiserunt. *Domus enim est omni mortali terra*. Ideo se dicit mortem metuere, quia conversatio ejus non sit in cælo (Philipp. III, 20), secundum plures qui mali sunt in Ecclesia, et terrene vivunt. *Atque utinam possem meipsum interficere*: ut morerer sæculo. *Aut rogarem alium, et faceret mihi hoc*: vel angelum meliorem, vel Deum per quem corrigerer. *Ego bona præstolabar*. Dolet, quia repente sibi ista evenerunt. *Venter meus efferbuit, et non tacebit*: interiora, vel memoria qua recordatur quid fuerit primo, et quomodo afflicta est in gemitibus. *Et steti in cætu clamans*: quia non in frequentia audita est eorum qui se nolebant corrigere. *Cutis mea innigrata est valde*: ex his quæ forinsecus patiebatur. *Versa est in luctum cithara mea*: opera bona, quibus laudabat Deum gaudens.

[Ib. xxxi.] *Testamentum feci oculis meis*. Numquid cœpi sperare visibilia? *Ut non cogitem de virgine*: ut subaudiatur, absit. Hinc jam incipit merita Ecclesiæ commemorare, in his qui perseverant in fine in tentationibus magnis, abundante iniquitate, et refrigerante charitate multorum (Matth. xxiv, 12, 13). *Et non cogitabo de virgine*: incorruptione sapientiæ, vel justitiæ. *Et quæ est alia pars Dei desuper?* subauditur, non cogitabo. Aut ita: *Et quæ est, nisi illa? Si incesi cum irrisoribus*. Jam bonis qui sunt in Ecclesia difficile est non talibus sociari<sup>2</sup>. *Vel si festinavit ad dolum pes meus*: hypocrisis. *Seram et alii fructus meos edant*: quomodo Judæis contigit, id est, ea dicere quæ alii faciant, magis quam ipsi. *Sine stirpe sim super terram*: ut facile arescam. Ille enim in terra tanquam in petra firmus est, qui facit quod dicit. *Si secutum est cor meum mulierem*: ut suam quæreret gloriam in populo Dei, potius quam Dei, cui uni jure debetur. *Aut si obsedi januas ejus*: insidiose captavi desideria plebis ejus, vel timorem, quibus ageretur, ut mihi potius serviret quam Deo. *Placeat quoque uxor mea alteri*: fama mea diabolo, cui quando placemus, displicemus Deo. Ille enim malis nostris gaudet. *Et filii mei humiliantur*: facta, vel imitatores mei. *Furor enim animæ meæ est indomitus, commaculare viri uxorem*: mihi eam vindicando. *Quod si et*

*despexi judicium famuli mei aut ancillæ, cum juararentur apud me*: secundum quod dictum est, *Sæcularia igitur judicia si habueritis* (I Cor. vi, 4). Famulos autem dixit, laicos adhuc sæcularibus deditos. *Quod si et visitationem, quod responsum dabo?* in tribulatione, quam conscientiam habeo, quia ista despexi? *Nonne sicut ego conceptus sum in utero, et illi?* in Sacramentis. Eadem enim omnibus prædicantur<sup>3</sup>, eadem credunt. *Et fuimus similiter in ventre?* Non enim ille aliter renuntiat, quam ille, qui plene serviturus est Deo. *Et de ventre matris meæ dux eis fui*. Ab initio enim sui hæc<sup>4</sup> operatur Ecclesia. *Aut si despexi nudum pereuntem, et non operui*. Si non fide remissionis peccatorum, tanquam tunicam non habentem, velavi a nuditate sæditatis, id est peccati, pereuntem. Jam enim desperat multitudinem peccatorum. Et hinc est, *Et quorum lecta sunt peccata* (Psal. xxxi, 4). *Infirmorum si non benedixerunt mihi humeri*: spe immortalitatis, tanquam pallio desuper cooperti. Ne autem post fidem remissionis peccatorum sufficere putarent præteritarum pœnarum metu carere, et inciperent sperare temporalia, bene adjecit: *De tonsura ovium mearum calefacti sunt*, quod a frigore spei terrenæ, illorum vindicati sunt consideratione, si carnalia per renuntiationem posuerunt, exemplo gregis detonsarum (Cant. iv, 2). *Si levavi super pupillum manum meam*: qui non inveniendū patrem, poterat creaturam vel hominem sequi. *Fidens, quia mihi est adjutorium multum*: volens eis dominari. *Discedat ab humero meo a jugulo meo*: quod his contingit, qui se ab Ecclesia separant, dum volunt populis dominari, ut præcisionem præcisionis patiantur. Per humerum autem aut brachium, significantur actiones. *Timor enim continuit me*: ne levaret manum super pupillum. *Et u pondere ejus non sustinebo*: si hoc velim ut pupillum opprimam. *Posui aurum robur meum*: numquid præsumpsi de doctrina aut sapientia Dei? *Quod si et in lapide pretioso fidebam*: quasi de operibus meis. *Si et lætatus sum, cum esset mihi census multus*: quasi de meo; ut qui gloriatur, in Domino gloriatur (II Cor. x, 17). *Si et in innumerabilibus posui animam meam*<sup>5</sup> (Subaudiendum ad omnia, *Discedat ab humero meo brachium meum*): quod amarer<sup>6</sup> a multis *Et deceptum est clam cor meum*: ordo, *Si et in innumerabilibus posui animam meam, et deceptum est clam cor meum*: si consensu tali cogitationi, ut in me præsumerem. *Quod si et osculatus sum manum meam, ponens ad os meum*: gavisus sum tanquam de operibus meis. *Quod si et gavisus sum super ruina inimici mei*: Ecclesiæ, ut sunt persecutores Ecclesiæ. *Audiat auris mea maledictionem meam*: perducatur ad sensum meum. *Opprobrio sim in populo meo diffamatus*: plebi sanctorum, ut separaretur tanquam illusus. *Quod si sæpe dixerunt ancillæ*

<sup>1</sup> Er. et Lov. Sic legunt hunc locum, *causa enim in sacramentis omnibus prædicantur*. M.

<sup>2</sup> Sic Mss. At editi, *Ab initio enim fide hæc*, etc.

<sup>3</sup> In LXX, *manum meam*: suffragatur vulgata.

<sup>4</sup> Am. et E., *quod amaretur*.

<sup>1</sup> Editi, *peccando*. Mss., *precando*.

<sup>2</sup> Sic Fr. Lugd. Ven. Lov. In B. (*Jam de bonis qui sunt in Ecclesia*). *Difficile est non talibus sociari*. M.

*meæ* : adultores. *Quis det nobis ut carnibus ejus satiemur? cum satis bonus essem* : ut imitarentur felicitatem carnalem in me. Non tamen hæc gessi ; ne dicerent enim hæc, non me præbebam in talibus bonum. *Foris non mædebat hospes* : recipiebam peregrinum in sæculo. *Quod si et sponte peccans, abscondi peccatum meum*. Voluntarie enim peccantibus nobis, postquam accepimus scientiam veritatis (*Hebr. x, 26*). *Aut si dimisi infirmum sinu vacuo exire januam meam* : ut ideo exierit januam, quia sinu vacuo fuit. *Quis mihi tribuat auditorem?* Quis mihi præstet ut audiar? *Manum Domini si non timui* : qua scripsit, *Si non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis* (*Matth. vi, 15*). *Conscriptionem si quam habeo* : ordo, *Conscriptionem si quam habeo*. *Et si non disrupti eam super humeros meos, et coronatus legam super humeros meos levans* : et coronatus publice legam, id est, adversus faciem meam. *Statuam te ante faciem tuam* (*Psal. xlix, 21*). Quia populi corona confundar ; quia non feci mandatum Domini, quod me fecisse jam dixeram, negando primò me habere conscriptionem, quæ mihi postea objicitur. *Si super me unquam terra genuit* : stipendiarii Ecclesiæ, quod malus sum. *Aut sulci ejus ploraverunt simul* : quo semina recipiuntur, et unde fructus dantur ; quia et malus sum, et mala semina seminabam : ideo simul. *Aut si et virtutem ejus comedi solus sine pretio* : ipsa misericordia, qua participat catechanti qui catechizatur (*Galat. vi, 6*) ; hoc est, solus, non retribuens ei qui daret. *Aut si animam Domini terræ decipiens contristavi* : non me dignum exhibens passioni ejus qui pro me animam fudit. Nolite constrictare Spiritum sanctum in vos (*Ephes. iv, 30*). *Pro tritico germinet mihi urtica* : pro spiritualibus doctoribus magistri prurientium auditu per confractiones hominum mente corruptorum, et a veritate destitutorum (*I Tim. vi, 5*). *Et pro hordeo spina* : pro carnalibus obedientibus peccatores et resistentes. *Erat enim Job in conspectu suo justus* ; in conscientia sua.

[Ib. xxxii.] Verba Eliu Buzitis. *Deus abjecit eum, et non vir* : ut hanc dicam causam, cur tacuerint. *Et sermonibus vestris non respondebo ei*. Ego enim talia dicam, ut mihi, quemadmodum vobis, respondero non possit. *Quia ergo exspectavi, et non sunt locuti* ; quasi ad Job conversus dicit. *Venter meus sicut uterus meus plenus*. Commendat hunc Scriptura, quia in prophetia locuturus sit. *Et veluti follis ararii disruptus* : ad duritiam solvendam, de vi loquor ; inde et iratus dicitur. Non enim opus esset ut ego loquerer, si vos ei responderitis. *Alioquin et me lineæ edent* : aut sicut vos aut sicut omnes qui mirantur personas.

[Ib. xxxiii.] *Mundum est cor meum in verbis* : non duplex. *Spiritus divinus qui me fecit* : subaudis, est ; ut sit, *Spiritus divinus est qui me fecit*. *Quomodo ergo dicis, Justus sum, et non exaudivit me?* quasi adversario dixerit Job. *Semel enim loquitur Dominus* : quasi vocationem omnium justorum semel fecit Dominus,

\* xss. aliquot, *adfectu*.

et temporaliter circa singulos hoc agit divina providentia. *Per somnum, aut in visitatione nocturna* : aut in ignorantia aut in tribulatione. *Aut sicut incidit sævus timor in homines, cum dormiunt in cubiculis* : securi. *Et corpus ejus a ruina eruat* : translate sicut ossa. *Et pepercit animæ ejus a morte* : cum eum converterit, parceret ei. *Quia venturum est bellum, et iterum arguet eum in infirmitate in cubili* : post conversionem jam probat, ne de se præsumat. *Et multitudo ossium ejus emarcuit* : fiducia de se. *Omnemque escam non poterit sumere* : consolationem de temporalibus. *Et renovabit corpus suum, sicut litura in pariete* : mutationem vitæ : et hic translate, propter ædificium, id est, in societatem. *Et molliet carnes suas sicut parvuli* : ne sit durus superbia, secundum quod Eliu videtur, tentatur Job humilis per innovationem. *Et intravit facie hilari cum professione* : paratus ad tentationes. *Salva animam meam, ne veniam in corruptionem* : hic tentatio mortis. *Vices tres cum viro* : conversionis, probationis, mortis. *Sed eruit animam meam de morte* : quia adhuc hæc mortis restat, *Ut anima mea in lumine collaudet eum*. Jam ergo orationes cessabunt, quia nulla erit indigentia.

[Ib. xxxiv.] *Respondens autem Eliu, dixit*. Quomodo dicitur, Et adjecit. *Et qui habetis scientiam, auribus percipite* : spiritualibus. *Quia auris sermones probat* : ista carnalis. *Quid est bonum, quia dixit Job, Justus sum?* Quid boni dixit quia dixit? *Et in judicio meo mentitus est*. Hinc est, *Ego bona præstolabar* (*Job xxx 26*) : ideo præter spem, quod est, mentitus est. *Quis est vir ut Job?* Adhuc verba Job sunt. *Dixit enim, Non visitabitur qui ambulaverit cum Deo*. Hic illum putat deceptum, quia hoc sperans illa omnia fecerit : aut certe, quod in bonum non putat visitari eum qui ambulaverit cum Domino. *Absit a Domino impietas* : aut ut non visitet in bono, qui cum eo ambulaverit ; aut etiam si visitaverit in tentatione, impie et injuste agat. *Impius est qui dicit regi, Injuste agis*. Tu autem non debes illud dicere, qui non es impius. Bene, *qui dicit* ; non, qui dixerit, ne jam etiam ob hoc esset ; quomodo dicitur, Factum est, qui hoc facit. *Impissime, principibus* : tanquam Angelis dicat, Nisi Michael princeps vester, impiissime agitis. Aut si ita impiissime dicitur principibus, quanto magis regi? *Abusi sunt enim inique cum excluderent infirmi*. Male usi sunt exclusione sua, cum propter infirmitatem excluderentur ab ea visione, qua videntur omnia divinitus ordinatissime ordinari et administrari. In eo autem male usi sunt, quia spiritum suum sequi maluerunt, Deum ista non curare : ex hoc enim illis vane veniet, ut in necessitatibus suis clament et rogent hominem, cum Deum rogare debuerunt. *Neque erit locus, et non est umbra mortis, ut latitent qui faciunt iniqua*. Non ad hoc est umbra mortis ut latitent : ut est, *Non senes habent sapientiam* (*Id. xxxii, 9*) ; quia non senectus est causa sapientiæ : et, *Hæreticum ne salutes* (*Tit. iii, 10*), ne inde, qua hæreticus est. *Et evertet noctem, et humiliabuntur* : ut supra eos sit quod sub ipsis erat ; id est, premat eos quod subditum illis erat. *Et exstinxit impios ; lucere sibi videbantur. Et justitias*

*ejus non cognoverunt.* Dicit quid boni Deus fecerit de iniquitate eorum : ut *perferatur ad eum clamor pauperis. Ipse quietem dabit, et quis poterit condemnare?* Non qualem quærunt homines quæ illis tribulationibus turbatur. Si Deus justificat, quis est qui condemnet ( *Rom. viii, 33, 34* )? *Et contra hominem simul : adversus Gentiles et Judæos. Qui regnare facit hominam hypocritam propter perversitatem populi : cui dicitur, Qui ergo doces alium, teipsum non doces ( Id. ii, 21 ). Absque me videbo ; tu ostende mihi : te reprehendens, meipsum forte reprehendendum esse non video? Interroganter pronuntiandum. Si iniquitatem operatus sum, non adjiciam : correptus a te. Numquid a te exigit eum, quia repulisti? quia reprehendisti. Et vir sapiens audiet verbum meum : Deum omnia curare. Job autem non in sapientia locutus est : putando quod aliquid sibi lulque divinitus acciderit.*

[*lb. xxxv.*] *Quare hoc existimasti in judicio? quare hoc judicasti? Tu quis es, qui dixisti, Justus sum, ante conspectum Domini? Ante conspectum Domini dixisti, Justus sum. Utrumque enim reprehensibile est in homine : unum, si aut superbe dicatur, aut falsum sit justum eum esse, etiam secundum humanam justitiam; alterum autem, quia nunquam vere dici ab homine potest, quod ante conspectum Dei sit justus, cui comparatus quilibet iniquus est. Aut dicis, Quid prodest tibi, aut quid faciam, si peccavi? Hoc enim ei videtur Job dixisse Deo, quasi aut Deo prosit peccatum ejus, ut isto dolore ad impietatem cogatur, ubi ait, Nolite me docere impium esse : aut bonum est tibi si inique egero ( Job x, 2, 3 )? aut Deo noceat peccando, et ideo illum sic insequatur Deus quasi hostem suum premens, ne aliquid ab illo mali patiatnr. Nam hoc etiam dixerat, Si ego peccavi, quid possum tibi facere ( Id. vii, 20 )? Ad utrumque ergo Eliu respondit, consequentibus verbis. Ego dabo tibi responsum, et tribus amicis meis. Aspice in caelum, et vide ; respice in nubes quam alta sint a te. Si peccasti, quid agis? Confirmat quod ab eo dictum est, Si ego peccavi, quid possum tibi facere. Aut si multa injusta fecisti, quid poteris facere? Plus est, multa injusta fecisti, quam quod superius dixit, peccasti. Sed tamen quid poteris facere Deo ; quando ne nubes quidem potes lædere? Et si justus es, quid dabis ei? E contrario, quomodo justitia tua nihil ei prodest, sic injustitia nihil nocet. Aut quid de manu tua accipiat? etiamsi dare velis ; propter sacrificia, quæ stulti putant Deum sumere velut eis indigentem. Viro simili tui impietas tua, et filio hominis justitia tua : vel illa nocet, vel hæc prodest. Sed his verbis confirmavit potius, quam refellit sententiam quam dixit Job, Si ego peccavi, quid possum tibi facere? Consequenter ergo oportet ut ostendat quare in hac vita homines affliguntur injuriis malorum, inter quos etiam diabolus cum angelis suis numeratur, princeps injuriarum et iniquitatum omnium. Cum enim Deo non possint nocere peccantes, cur eos tradit in potestate affligendos malis? et exponit deinceps, dicens, A multitudine clamabunt, vociferabuntur a brachio multorum. Et non dixit, Ubi est Deus qui fecit me? Ad hoc*

*enim patiuntur hæc, ut Deum quærant, non ut inaniter vociferentur. Quod autem ait, facit me, pro documento est, quia quærentem se non relinquet, quem ipse fecit. Qui distribuit custodias nocturnas : tempora hujus sæculi sub certis potestatibus ordinata, quia nec in ista erroris nocte relinquet hominem sine custodia, qui eum fecit. Qui separat me a quadrupedibus terræ, et a volatilibus cæli sapienterem me fecit. Sic enim quærendus est Dominus in afflictionibus vitæ hujus, ut non ab eo terrena bona desideremus ; quia jam bestiis meliores sumus, antequam illa accipiamus. Ibi clamabunt ; et non audies. Ibi, dixit, in multitudine, in afflictione clamantium, et a brachio multorum : aut certe, Ibi, propter hoc ; sicut est, Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem ( Psal. xxxv, 13 ). Et non audies quod dixit, de eo dixit. Ab injuriis malorum : subaudiendum, clamabunt. Vana enim non vult Dominus videre. Non vult subvenire vana petentibus, et non ideo vociferantibus in afflictione ut bona sempiterna percipiant, cum propterea separati sint a quadrupedibus terræ, et sapientiores facti volatilibus cæli : sed vociferantur, quia non sunt in hujus sæculi iniquitate felices. Ipse enim Omnipotens perspicit eos qui faciunt justitiam, et salvum me faciet. Sicut ipse videt facientes, qui cordis intima perspicit, sic ea salute salvos facit, quam ipse videt in occulto. Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se ( I Cor. ii, 9 ). Ideo etiamsi perturbetur vana salus hominis, dat tamen auxilium de tribulatione Pater, qui videt in abscondito ( Matth. vi, 4 ). Judicare itaque eum, si potes collaudare eum, sicuti est. Hoc enim visus est Job dicere, cum ait, Utinam esset nobis arbiter ( Job ix, 33 )! Et nunc quia non est visitans iram suam, nec cognovit delicta vehementer. Cognovit ad vindictam. Unde est, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : et in eodem loco, Averte faciem tuam a peccatis meis ( Psal. i, 5, 11 ). Cognovit ergo delicta ; nam ideo patiuntur homines tribulationes in hoc sæculo : sed non vehementer, quia partibus corrigens dat locum pœnitentiæ. Et Job vane aperuit os suum ; in ignorantia sua verba multiplicat.*

[*lb. xxxvi.*] *Sustine me pusillum, ut te doceam : adhuc enim in me sunt sermones : suscipiens scientiam meam de longe. Quoniam quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino ( II Cor. v, 6 ). Operibus autem meis quæ justa sunt, loquar. Ne dicatur ei, quod peccatori dicit Deus, Quid ta enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti eruditionem ( Psal. xlix, 16, 17 )? Ergo hic operibus loquendum est : nam scientia de longe suscipitur ex parte et in ænigmatate. Cum autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est auferetur ( I Cor. xiii, 12 ) ; et non jam de longe erit, quoniam videbimus eum sicuti est ( I Joan. iii, 2 ). In veritate, et non injusta verba injuste intelliges. Ea ipsa quæ patiebatur Job, verba Dei dicit esse in veritate, et non injusta : sed ab isto injuste intelligi existimat, quem putat conquiri se immerito pati, cum etiam de justorum tri-*

bulatione dictum sit, *Tempus est ut iudicium incipiat a aomo Domini* (1 Petr. iv, 17). *Et scito quia Dominus non abiciet innocentem* : quamvis corripiat quem diligit, et flagellet omnem filium quem recipit (Hebr. xii, 6). *Fortis robore cordis, non vivificat impium* : quamvis ad tempus ei parcere videatur. Et bene, *Fortis robore cordis*, quia tunc eum non vivificabit, quando seræ<sup>1</sup> poenitentiae locum quæret cum lacrymis, et non inveniet, nec flectet ad misericordiam fortiter iudicantem, quem modo misericorditer admonentem contemnit. *Et iudicium pauperibus dabit* : quo iudicet eos a quibus patiuntur iniquitatem. Et bene *pauperum*, ut superius *impium* divitem intelligas, id est superbum. *Non auferet a justo oculos ejus*. Etiam cum eum velut in fornace probat tentatione tribulationis (Eccli. xxvii, 8), non ei auferet intelligentiam, qua cognoscitur et colitur Deus. Ex quo satis ostendit impiorum pœnam esse ipsam cœcitatem, etiam cum videtur eis parci. *Et cum regibus in solio* : subauditur, sedere eos fecit, hoc est, justos. Reges autem dicit qui carnem suam regunt; unde est illud, *Quis est rex qui vadit committere bellum cum alio rege* (Luc. xiv, 31), etc. *Et sedere eos fecit in perpetuum, et exaltabuntur*. Et hic subauditur quod supra dixit, *cum regibus in solio*. *Exaltabuntur* autem dixit, quoniam humiliati sunt. *Et qui compediti sunt compedibus*. A quo vinculo dicit Apostolus sibi bonum esse dissolvi, et esse cum Christo (Philipp. i, 23); id est, rethacula hujus vitæ, in qua corpus quod corrumpitur, aggravat animam (Sep. ix, 15). *Copientur in sanibus paupertatis*. Convincentur longis consuetudinibus delectationum carnalium, quæ sunt de rerum indigentia, quibus mortalis vita sustentatur et agitur. *Et annuntiantur eis opera eorum*. Non utique bona, sive ista ipsa concupiscentiæ, de quibus dicitur, *Scio quis non habitat in carne mea bonum* (Rom. vii, 18); quæ etiam si non regnent in nostro mortali corpore ad obediendum eis, non tamen desunt : sive quibus ad hæc venire homo mereat ex traduce peccati. *Et delicta, cum fuerint roborati*. Ipsa sunt opera quæ supra dixit. Non enim infirmis facile possunt annuntiarî, id est manifestari; sed his qui jam ita profecerunt; ut transierint omnem istam iniquitatem, quæ vulgo nota est in apertissimis operibus flagitiosis et facinorosis. *Sed justam exaudiet* : eum scilicet qui ex fide vivit (Habac. ii, 4), ut gratiæ Dei deputet, non meritis suis, non solum quod secundum vitæ istius modum justificatus est, sed etiam quod restat, ut ab universo delictorum malo liberetur : quæ<sup>2</sup> annuntiat veritas fidelibus, cum fuerint roborati, quando capientur in sanibus paupertatis; adhuc enim compediti sunt compedibus, nondum exaltati, ut sedeant in solio cum regibus in perpetuum. *Et dixit, quia convertentur ab iniquitate*. *Et dixit*, subaudiendum est, Deus. *Si audierint, et servierint, complebunt dies suos in bonis, et annos suos in gloria*. Tunc vero nullum peccatum erit in homine, quia nulla erit mortis contentio, id est,

indigentia mortalitatis, quæ facta est de peccato, cum jam dicetur, *Ubi est, mors, contentio tua* (1 Cor. xv, 55)? *Impios vero non faciet salvos; eo quod noluerunt scire Dominum*. Hoc ad Gentes magis videtur pertinere. *Et cum monerentur, inobedientes erant*. Hoc ad Judæos, et omnes qui eis per inobedientiam similes sunt, etiam in Ecclesia. *Et hypocritæ corde ponent furorem* : quo Dominum crucifixerunt. *Non clamabunt, quia ligavit eos* : honore nominis super omnes gentes. *Moriatur ergo in juventute anima eorum* : in superbia, qua se extollebant veluti de meritis operum suorum. *Et vita eorum vulneretur ab angelis*. Commodius accipitur a nuntiis veritatis, quorum aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem (II Cor. ii, 16). *Quod tribulaverint infirmum et invalidum* : illud infirmum Dei, quod fortius est hominibus (I Cor. i, 25). *Judicium vero mansuetorum statuet* : ipse Dominus, exemplo mansuetudinis suæ differens etiam vindictam imitantium se, sed tamen certo futuram. *Et quia decepit se ab ore inimici abyssus*. Decepit, sicut visum est persecutoribus ejus, profunditas hujus sæculi Christi ab ore falsi testis : ad ipsum enim Dominum convertit sermonem. *Effusi subter eam* : subaudiendum, doceperunte; gravi enim terrenis cupiditatibus subter abyssum effusi dicti sunt. *Et descendit mensa tua plena pinguedine* : Sacramentum corporis et sanguinis ejus, panis qui de celo descendit (Joan. vi, 50). *Non deficiet justos iudicium*. Quamvis edant pauperes, et saturentur, ad imitandas passiones Domini, parati de plenitudine charitatis; non tamen ideo non facit iudicium ipsorum cito. *Et ira super impios erit, propter impietatem munerum quæ accipiebant iniquitatibus*. Omnia munera dicit, quæcumque commoda temporalia, propter quæ commoda iniquitates sunt. *Non te avertat voluntas animi*. Domino dicitur, non momentis auctoritate aut juvenis audacia, sed locutione prophetiæ per imperatorum modum futura prædicentis; sicuti est, *Accingeris gladium tuum super femur potentissime* (Psal. xlii, 4). *A precibus infirmorum* : cum in necessitate fuerint, clamantium, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (Rom. vii, 24)? *Et omnes qui habent fortitudinem* : præsumentes de operibus suis, et suam justitiam volentes constituere (Id. x, 3). *Noli extrahere per noctem*. Manifestum sit quod eos a populo tuo secernis, sive illos superbos qui de oliva fracti sunt, sive sarmenta de vite amputata, unde hæreses et schismata exorta sunt. *Ut ascendant populi pro eis* : ut inserantur infirma hujus mundi, confusis fortibus (I Cor. i, 27). Quoniam qui se humiliat, exaltabitur; et qui se exaltat, humiliabitur (Luc. xiv, 11). *Sed cura ne quid facias indecens* : ne nomen Domini Dei et doctrina blasphemetur, dum dicunt, quorum iudicium justum est, *Faciamus mala ut veniant bona* (Rom. iii, 8). *Hoc enim elegisti super inopiam*. Non solum elegisti inopiam consentis, sed super hanc vitæ ac morum decens, ut doctrina salutaris orneter in omnibus. *Ecce Deus consolabitur, vel, roborabitur in fortitudine tua*. Quia etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (II Cor. xiii, 4). *Quis enim est sicut ille*

<sup>1</sup> Editi, sero. Mss. vero, seræ. Sic inferius ad cap. 37, v. 4, vocatur sera infidelium poenitentia in die iudicii.

<sup>2</sup> Er. et lov., quem. M.

*potens? vel quis est qui disculiat opera ejus?* tanquam judicans de illo, cum ipse sit iudex vivorum et mortuorum. *Aut quis est qui dicat, Egisti inique?* <sup>1</sup> *Memento quia magna sunt opera ejus, quæ laudaverunt viri:* Evangelistæ atque omnes prædicatores verbi, ministerio suo vita congruentes. *Omnis homo respicit ad eum:* memor infirmitatis humanæ. *Quicumque compunguntur homines:* pœnitentia peccatorum, homines sunt. *Ecce Deus multus, et nesciemus.* *Multus,* quia sicut abundavit peccatum, superabundavit gratia (Rom. v, 20). *Nesciemus* autem ex persona eorum dictum est, quorum ex parte cæcitas facta est, donec plenitudo gentium intraret (Id. xi, 25). *Numerus annorum ejus infinitus:* propter æternitatem positum est. *Ei autem numerabiles stillæ pluviarum.* Hoc enim, quod homines <sup>2</sup> prædicatores implevit Evangelium, numerabile est usque in consummationem sæculi, donec auferatur scientia quæ ex parte est, et veniat quod perfectum est, facie ad faciem (I Cor. xiii, 12). *Effundetur imber per senitas suas.* Non enim viæ malorum capient eum. *Fluent nubes, et tenebrascent super homines plurimos.* Quia etsi obvelatum est Evangelium, in his qui pereunt est obvelatum. *Horam constituit jumentis, et sciunt cubilis ordinem.* Quoniam cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui (Isai. 1, 3). *In his omnibus non obstupescit animus ejus.* Initium sapientiæ timor Domini (Psal. cx, 10). *Nec mutatur cor tuum a corpore:* ut elevatum a terra sursum habeatur ad Dominum. *Si cogitaverit extendere nebulam:* ut qui vident, cæci fiant (Joan. ix, 39). *Æque ut per tabernaculum expandit eam.* In carne quippe mortali tanquam tabernaculo habitans, per eam non est agnitus a persecutoribus, dum eis cessit, et eam extendit atque expandit in cruce. *Ecce:* fundit super omnia lucem suam, quam absconderat, cum cæcitas ex parte in Israel fieret, effundit super omnes gentes. *Et radices maris contexit.* Cupiditatem sæculi redarguit. Non enim ad abscondendum lux contegit, sed ad manifestandum. In eis enim judicavit populos, ostendendo illis peccata eorum per lucem veritatis. *Dabit escam plurimis:* utique agnoscentibus, cum arguantur peccata sua, et esurientibus ac sitientibus justitiam. *In manibus <sup>3</sup> contexit lumen.* Si ab eo quod sunt *immanes;* his qui non dimittunt peccata hominibus, cum sibi a Deo dimitti velint: si autem ab eo quod sunt *manus;* his qui de manibus suis, hoc est de operibus, extolluntur, seipsos justificantes. *Contexit enim lumen,* ad hoc dixit, ne videatur ab eis; quia exæcatur est insipiens cor eorum (Rom. 1, 21). *Et mandavit de eo in contrarium:* ut qui faciunt veritatem, vel dimittendo ut dimittatur eis, vel consistendo mala sua ut gratiæ Dei subdantur, ipsi veniant ad

lucem ut manifestentur opera eorum, quoniam in Deo sunt operata (Joan. iii, 21), non in ipsis. Contrarius est enim et immani misericors, et superbo humilis. *Ut nuntiaret super illo amico suo:* super illo lumine, hoc est, de illo quod contexit, ut absconderet immani et ingrato; ut id annuntiaret, id est, aperiret, non jam servo sub Lege, sed reconciliato per gratiam; aut amico suo, imitatori suo: quia et filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (Matth. xx, 28). *Possessionem contra eum qui ascendere nituntur:* ut ipsum lumen possideant, qui se a terrenis extrahunt. Ipsi enim annuntiat, qui adhuc enituntur ascendere; quia cum ascenderit, non opus erit annuntiatore facie ad faciem videntibus. *Contra eum vero quod ait, ascendere nituntur,* non quasi adversantes, sed obviam euntes; sicut Apostolus dicit, *In obviam Christo* (I Thess. iv, 16).

[Ib. xxxvii.] *Sed et in hoc obstupuit cor meum:* admiratione. *Et evulsam est de loco suo:* de terrenis rebus, quibus delectabatur, ut sursum habeatur ad Dominum. *Audite sonitum terroris, et vocis ejus.* Hinc eum apparet ista in spiritu dicere. Nam incipit dicere cur evulsam sit cor ejus de loco suo, auctoritate scilicet Evangelii per totum orbem terribiliter sonantis, *Pœnitentium agite; appropinquavit enim regnum cælorum* (Matth. iii, 2). *Et strepitu oris illius exeunt:* ad eos utique qui foris sunt, in delectationibus rerum visibilibus. *Subter universum cælum circuit, et lumen ejus in finibus terræ:* dum Ecclesia per omnes gentes diffunditur. *Post eum fremet vox.* Post primum adventum ejus novissima tuba secundi adventus ejus in claritate tonabit (I Cor. xv, 52, et I Thess. iv, 15). *In sonitu superbiæ suæ.* Superbiam pro celsitudine posuit; quia primus adventus in humilitate fuit. *Et non poterit investigari, cum audita fuerit vox ejus.* Nunc ergo quærat Dominus, dum inveniri potest (Isai. lv, 6), hoc est, comprehendi ad salutem per fidem non stetam. Tunc enim non poterit, cum venerit judicare, et audita fuerit vox ejus dicentis, *Ite in ignem æternum* (Matth. xxv, 41). Quoniam sera tunc erit, et infructuosa infidelium pœnitentia. *Tonabit fortis in voce sua mirabiliter.* Quia non fortitudinis ejus, sed infirmitatis nostræ ex participatione mortalitatis vox illa fuit primi adventus ejus, de quo dictum est, *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I Cor. 1, 25). *Fecit enim magna quæ nesciebamus.* Hæc in primo adventu; et ideo postea ad exigenda quæ dedit, iudex venturus est. *Quæ nesciebamus* autem, dictum est ex persona eorum quos latuit divinitas Domini, in infirmitatem carnis intuentes. *Præcipiens nubi, Esto super terram:* carni suæ, ut per Sacramentum accipiatur, in memoria ejus (Luc. xxii, 19, 20), ad imitationem humilitatis et informationem charitatis. *Et tempestas pluviarum, et tempestas imbrium potestatis ejus.* Est enim nubes quidem super terram: sed quando exprimitur ad irriganda corda per pluviam imbresque sermonis, quod fit cum sacramenta intelliguntur, non in nostra, sed in ipsius potestate est. *In manu omnis hominis signat.* Significat ei per opera ejus quam reus sit, ut

<sup>1</sup> Editi, qui dicat et inique: et paulo post, quem laudaverunt. substituiimus lectionem Mss. quæ cum LXX et Vulgata concordat.

<sup>2</sup> Hieracensis codex, quod per homines.

<sup>3</sup> Editi, immanibus. Mss. vero, in manibus. Circa hoc Augustinus illicro hærebat, quod a veteribus constanter per n scribi solet vox ipsa composita immanis: sicque etiam in antiquis libris passim reperias immensus, imbutus, inlatus, lepundis, etc. Porro in Græco LXX habetur, ἐπι χερσίν.



sciat omnis homo infirmitatem suam, et clamet, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius* (Rom. vii, 24)? *Introierunt autem bestiae sub protectione, et quieverunt in cubili.* Introierunt autem peccatores sub indulgentia gratiæ, et quieverunt in conscientia, remissis peccatis. *De promptuariis supervenit tempestas*: tentatio de occulto rerum ordine. *Et de promptuariis frigus*: de secretis iudicium in eos qui non perseverant; ut refrigescat eorum charitas ex abundantia iniquitatis (Matth. xxiv, 12, 13). Merito enim contingit eis, dum spem suam non in Deo, sed in hominibus ponunt. *Et ab spiritu Dei dabitur glacies.* Non solum ex abundantia iniquorum frigescent, qui spem ponunt in hominibus; sed etiam ex operibus bonis eorum, in quibus est spiritus Dei, durescunt quidam quasi glacie livoris, quibus est Paulus odor mortis in mortem (II Cor. ii, 16). Et ad hæc quis idoneus, ut intelligat quoniam recte ac juste ab spiritu Dei dabitur glacies? Sicut enim carnalibus homines laudantibus contingit ex hominum iniquitate frigescere desperando; ita carnalibus ab hominibus laudari cupientibus contingit ex hominum iustitia durescere invidendo. *Gubernat autem aquam qualiter illi placuerit*: ut pluat super unam civitatem, et super aliam non pluat (Amos iv, 7); quod ad imbrem attinet spirituales, pro subditarum aut non subditarum meritis animarum. *Et frumentum irrigavit nubes.* Simus ergo frumentum<sup>1</sup>, si cupimus irrigari. *Disseminavit nubem lucem suam*: Evangelium incarnationis suæ. *Et ipsa per circuitum vertitur per orbem terræ ipsa tractatur.* In gubernaculis ad operandum omnia quæ mandaverit eis. Gubernacula in quibus illa nubes per circuitum vertitur, prædicatores sunt verbi, per quos Ecclesiæ gubernantur ad operanda omnia mandata Dei. *Hæc constituta sunt ab eo super terram*: a Domino nostro Jesu Christo. *Sive in tribu, sive in terra sua.* Sive in tribu Juda, unde secundum carnem natus est, et passus, et resurrexit, et ascendit in cælum: ex hac enim geniti erant Apostoli, et multi fratres prope inventi et salvi facti; sive ante passionem ejus per ipsum vocati, sive post ascensionem per Apostolos in ipsa Jerusalem, atque in Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo, sicut commemorat apostolus Paulus, *propter veritatem Dei, ad confirmandas patrum promissiones.* *Sive in misericordia inveniri voluerit eam*: illam nubem scilicet in misericordia voluerit inveniri a credentibus Gentibus. Hoc enim sequitur, *Gentes autem super misericordiam glorificare Deum* (Rom. xv, 8, 9). *Auribus percipe hæc, Job.* Quasi renovat intentionem, dicturus de vocatione Gentium. *Sta, et commovere virtutem Domini.* Noli moveri mente, aliquid tibi tribuendo. *Scimus quia Deus posuit opera sua*: reprobans utique gloriantes de operibus suis. *Cum faceret lucem de tenebris*: cum justificaret impios. Fuitis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino (Ephes. v, 8). *Scit differentiam nubium*: Evangelistarum aliorum sibi ante passionem, aliorum post passionem credentium. *Et*

<sup>1</sup> In editis deerant isthæc verba, *irrigavit nubes. Simus ergo frumentum*: quæ manuscriptorum ope restituuntur.

*ingentes lapsus malorum*: non eorum qui elapsi sunt crucifigentes eum, ut eos postea pœniteret, et baptizarentur in eo; sed eorum lapsus qui nec corrigi potuerunt, perseveranter etiam postea persequentes Ecclesiam: horum enim non parvi, sed ingentes lapsus sunt. *Tua vero stola est valida*<sup>1</sup>: dignitas superba; tanquam in eum quippe dicitur, qui de operibus suis audet extolli. *Quiescente terra ab austro, firmabis cum eo cælos, qui æqualiter ad videndum fusi sunt?* Ab austro terram congruenter intelligimus eos qui de Judæis crediderunt in Christum. Sicut enim sol ab aequilonari terra remotior est, australi autem vicinior; ita quos prope inventos dicit Apostolus luci Evangelistarum (Ephes. ii, 17), non absurde accipiuntur terra ab austro. Sicut autem cælos Evangelistas solemus accipere, ut est, *Cæli enarrant gloriam Dei*; de his enim dictum est, *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (Psal. xviii, 2, 5): ita terras recte accipimus plebes, quibus evangelizatum est. Et quoniam plebes quæ de Judæa crediderunt, posteaquam quieverunt exeuntes de hac terra<sup>2</sup> (nunc enim hic non sunt), firmata est tamen auctoritas Evangelistarum in Ecclesiis quæ sunt ex Gentibus, firmata autem misericordia Dei, non jam opitulante auctoritate Ecclesiarum Judææ, quæ in Christum est; propterea sensus hic est, ut per interrogationem pronuntietur: Numquid tu quiescente terra ab austro; id est, jam non existente in hac vita plebe ulla christiana ex Judæis, firmabis cum eo Evangelistas, et divinarum Scripturarum libros, qui per misericordiam Dei non solis Judæis, sed etiam Gentibus æqualiter ad videndum fusi sunt? Gratiam quippe Dei commendat et misericordiam, ne quis de meritis gloriatur, quæ Judæorum erat superbia. *Quare doce me quid dicimus ei, et requiescamus multa dicentes.* Quia non est quod ei dicant convicti, nullum se habere meritum per seipsos, sed ejus indigere misericordia. *Numquid liber aul scriba assistis mihi, ut stans faciam hominem tacere?* Quare ergo non dicis, si habes quod dicas? Non enim quasi dictanti mihi excipis, ut tu nihil dicas; sed utique colloquimur. *Omnibus autem non est visibile lumen, quod refulget in nubibus.* Redit ad ea quæ dicebat de spe remissionis peccatorum et illuminationis gratiæ per misericordiam Dei: refulget enim lumen in nubibus. Non tamen ipsarum nubium proprium est; illuminantur enim. Aliud est enim quod fulget suo lumine, aliud quod refulget illustratam. Sed non est omnibus visibile. Multi enim putant lumine suo fulgere animas, cum sapientes sunt. Unde sunt illi, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt (Rom. i, 22). *Et spiritus transit, et mundabit eas.* Hic spiritum dixit, de quo dictum est, *Ab increpatione spiritus iræ tuæ* (Psal. xvii, 16); et, *A spiritu tuo quo fugiam* (Psal. cxxxviii, 7)? Per correptiones enim tentationum ostenditur hominibus meritum eorum, quia ipsi peccatis suis tenebræ sunt, et egent gloria Dei (Rom. iii, 22), ut illius lumine illustrari velint,

<sup>1</sup> In LXX, *thermè, calida*: sic etiam vulgata.

<sup>2</sup> In aliquot Mss., *de hac terra*.

Mli dantes honorem, non sibi; atque ita deposita superbia, mundentur a delicto magno: nam Spiritus sanctificationis non transit, sed manet. *Ab aquilone nubes coloris aurei.* Ab sceleratissima impietate, et a Deo longe remota, veniunt tamen mundati atque conversi, et illuminati sapientia: unde, nisi per gratiam, qua non merita attenduntur, sed peccata dimittuntur? Unde ille cum sibi vellet ignosci, *Doccam*, inquit, *iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur* (Psal. I, 15): tanquam nubes ab oriente vel aquilone jam coloris aurei, illuminatis tenebris suis. *In his est magna gloria et honor Omnipotentis.* Cui plurimum dimittitur, plurimum diligit. Quoniam potest et impium justificare qui est omnipotens. *Et non invenimus alium similem virtuti ejus.* Solus enim hic peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (I Petr. II, 22). Solus enim Deus verax, omnis autem homo mendax (Psal. CXX, 11): unde vicit, cum judicaretur, Deus homo factus. *Qui juste judicat, non putas exaudire eum?* Non itaque homo de venia desperando, addat peccata peccatis, tanquam addictus jam damnationi, quæ certus est de justitia Dei, sub qua non potest esse impunitus. Ita enim Deus juste judicat, ut etiam exaudiat veniam deprecantes; et tanto magis, quanto magis juste judicat. Non enim justus iudicii est, poenitentes supplices miscere cum iis qui recusant humilitatem et satisfactionem poenitentiae. *Propterea timebunt eum homines:* si se homines esse meminerint, confitendo peccata sua; quia adhuc homines sunt, quibus dicitur, *Nonne homines estis? Timebunt quoque eum et sapientes corde:* ne sibi tribuendo quod acceperunt, et dicendo se esse sapientes, stulti fiant. Potest enim auferri superbia, quod datur humilibus. Quapropter et sapientes quamvis cordis illuminatione, non lingue jactatione: sapientes sint et reges, spiritaliter judicantes terram, ipsi autem a nemine judicentur (I Cor. II, 15), serviant tamen Domino in timore, et exsultent cum tremore, ne pereant de via recta (Psal. II, 11, 12). Deus est enim, qui operatur in eis et velle et operari, pro bona voluntate (Philipp. II, 13).

[Ib. XXXVIII.] *Et postquam quievit Elia loqui, dixit Dominus ad Job per turbinem nubis.* Etiam si hoc modo vox ista facta est, quo modo ad Moysen, vel quo modo cum se Dominus tribus discipulis in monte ostendisset (Matth. XVII, 1-5); tamen quod non dictum est simpliciter, per nubem, sed, *per turbinem nubis*, hoc significari arbitror, quod non per sanam carnem interrogatus, hoc est, tentatus est Job, sed per tribulationem perturbationemque carnis. *Quis est qui celat me consilium, continens sermones in corde, et me putat dare?* Nemo est ergo qui se immeritum pati aliquid asperum dicat; quia si non factis, saltem verbis peccatur; et si non verbis, saltem temeraria presumptione intus in corde, vel sermonibus cogitationum: et quoniam Deum non latent, nemo flagellatus dicat indigne se accipere disciplinam, quasi ultra non

<sup>1</sup> Sic Mas. juxta LXX. At editi, *qui celat meum consilium continens sermones, etc.*

sit, quo per illam proficiat. Sciendum est enim, sic in principio libri hujus diabolo laudatam Job testimonio Dei, et in fine tribus amicis ejus, ut tamen nosset Deus quantum ei decisset ad perfectionem, quo etiam laudabiles secundum hanc vitam viros, et Deo jam placentes, paterna flagella perducunt; quæ noluit ab Apostolo removere, dicens, *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II Cor. XII, 9). *Accingere tanquam vir lumbum tuum.* Significat ad hoc pati dura et amara Dei servos in hoc sæculo, ut omnes affectiones suas a terrenarum delectationum fluxu colligant, atque constringant. *Interrogabo te; tu autem responde mihi. Ubi eras cum fundarem terram?* Hinc jam commendare incipit eminentiam Domini nostri Jesu Christi, quia in ipso est salus omnium percussorum venenati suasionis serpentis, ne in se sibi quisque esse salutem putet. Ille enim Deus, non sicut dictum est, *Dii estis, et filii Atlasimi* (Psal. LXXXI, 6); sed cui rapina non sit esse æqualem Patri (Philipp. II, 6): et filius hominis, non sicut filii hominum in quibus non est salus (Psal. CXLV, 3); sed præ participibus suis (Psal. XLIV, 8). Non enim justus tantum, sicut Job, sicut Paulus, sicut Ecclesia; sed etiam justificans tanquam unigenitus a Patre, plenus gratia et veritate (Joan. I, 14). Ad insinuandam ergo differentiam divinæ humanitatis ejus, in quo princeps hujus mundi nihil invenit (Id. XIV, 30), quia in passione, quæ non rapuit, tunc exolvebat (Psal. LXVIII, 5), et justificationem sanctorum per peccatorum remissionem, quibus sanctis in unum redactis sit corpus ejus Ecclesia, cujus et particula est Job secundum historiam quia justificatus, et figura universæ, per prophetiam incipit dicere quæ dicitur est. *Ubi eras cum fundarem terram?* Utrum quia nondum erat, an quia non per eam fundata est, sicut per unicam Filium? et terram istam, an ipsam Ecclesiam? ipsa enim accepit lapidem angularem (Ephes. II, 20), de quo mox dicitur est. *Indica mihi, si nosti scientiam.* Hæc enim quæ a Domino pro vobis temporaliter gesta sunt, ad scientiam pertinent. *Quis posuit mensuras ejus si nosti?* secundum distributionem donorum spiritualium. *Unicuique enim nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Propter quod dicit: *Ascendens in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus* (Id. IV, 7, 8). Quia si totam corpus oculis, ubi auditus (I Cor. XII, 17)? Secundum mensuram quippe uniuscujusque partis incrementum corporis facit, in ædificationem sui in charitate<sup>1</sup> (Ephes. IV, 16). *Aut quis est qui induxit super eam funiculum?* ut eam faceret hæreditatem suam, distinguens ab eis quibus dicit, *Non novi vos* (Matth. VII, 23). Novit enim Dominus qui sunt ejus (II Tim. II, 19). *Aut super quo circuli ejus fixi sunt?* Quia constringunt eam, ne dissolvatur, divini Libri fixi super Dominum; quia quisquis eos sine illo interpretari voluerit, fluitet atque erret necesse est. *Quis est autem qui misit lapidem angularem super eam?* quem reprobaverunt ædificantes (Psal. CXVII, 23). *Quando facta sunt sidera signa: si-*

<sup>1</sup> Manuscri, *ti, in charitatem.*

mul baptizata tot millia verbo vitæ, inter peccatores tanquam in tenebris fulgentia. *Laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei*: Evangelistæ. *Conclusi portis mare*: populos amaricantes amore terrenorum. Sed quare *portis*? An forte ut non solum modum haberet exercendi justos persecutionibus, sed etiam ut liceret justis inde egredi? *Cum fremeret ex utero matris suæ, volens progredi*: cum irasceretur in concilio Babylonæ civitatis, fornicantis amore hujus sæculi, volens extendere persecutiones suas ad perdendos de terra eos de quibus dictum est, *Non peto ut tollas eos de sæculo, sed ut tollas eos a malo* (Joan. xvii, 15). *Circumposui illi nubem operimentum*. Non enim boni tantum, sed etiam mali multi amatoresque hujus sæculi, Sacramento corporis Christi subjecti sunt: cujus auctoritate a sanctorum persecutione reprimuntur. *Et nebula obvolvi illud*: ignorantia, qua terrenam inde exspectant felicitatem, terrenamque infelicitatem timent; et propterea timent quos, nisi ita esset, persequerentur. Non enim solum dictum est, *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum*; sed etiam dictum est, *Manducaverunt, et adoraverunt omnes divites terræ* (Psal. xxi, 27, 30). *Et posui illi terminos, imponens claustra et portas*: terminos quibus sævitia colibeatur, non ut nihil affligat, sed quo usque exerceat; *claustra*, ut Injusti non progrediantur; *portas*, ut ab eis justii egrediantur. *Et dixi, Huc usque venies, et non transibis*. Sicut ipse diabolus modum accepit, quo usque affligeret Job; Ita illud mare quo usque persequeretur Ecclesiam. *Sed in temetipso comminuentur fluctus tui*: alterna vastatione discordiarum atque bellorum. *Aut numquid tecum lucem constitui matutinam?* id est, cum consilio tuo tempus resurrectionis prædestinavi? *Aut cognovit lucifer ordinem suum?* subaudiendum est, Numquid tecum? Dominum autem luciferum dicit, propter ipsum matutinum resurrectionis exortum. Non enim de alio dici potuit, *Et lucifer oriatur in cordibus vestris* (II Petr. i, 19). Ipse agnovit ordinem suum, ut esset primitiæ dormientium, primogenitus a mortuis (I Cor. xv, 20), caput Ecclesiæ, secuturo etiam corpore in futura resurrectione sanctorum. *Apprehendere pennas terræ*: dictum est, *Si recipiam pennas meas in directum* (Psal. cxxxviii, 9); virtutes utique spirituales fidelium, quibus a sæcularibus suspenduntur illecebris. *Excute impios ex ea*. Ad hoc enim prior tanto ante resurrexit agnoscens ordinem suum, ut fidem resurrectionis insinuaret, atque per ipsas pennas Ecclesiæ ubique prædicatus, ministerio circumvolantium nuntiorum, juste apprehendat eas in opus iudicandi duodecim tribus Israel, cum venerit excute impios ex Ecclesia, qui nunc ante iudicium permixti tolerantur. *Et tu sumens terræ lutum figurasti animal?* sive ipsum Adam commemoret, sive quod nunc sexta ætate sæculi, sicut tunc sexto die, de peccatoribus, tanquam de luto terræ, homo factus est secundum imaginem ejus qui creavit eum (Gen. i, 27, et ii, 7). Non utique hoc fecit Ecclesia, sed in hoc potius facta est per Verbum opportuno tempore in-

SANCT. AUGUST. III.

carnatum, per quod facta sunt omnia (Joan. i, 3). *Et famosum eum posuisti super terram?* Magis iste homo famosus positus super terram, qui sexta ætate sæculi factus est, quam ille qui sexta die, antequam essent cæteri homines, per quos diffamaretur: nisi forte, quia nunc ita innotuit. *Et abstulisti ab impiis lucem?* sicut ille qui venit, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant (Id. ix, 39). *Aut brachium superborum comminuvisti?* potentiam eorum, sicut ille qui infirma mundi elegit, ut confunderet fortia (I Cor. i, 27). *Aut venisti ad fontem maris?* sicut ille, cui venienti patuit consistendo quidquid occultum erat in cordibus impiorum, qui credendo in eum justificati sunt. Nam quem fontem maris melius accipimus, nisi secretum unde erumpit omnis hæc amarissima impietas, quo ingentes fluctus jam manifestorum malorum operum concitat, quæ vident homines in apertis factis, qui fontem ipsum videre non possunt? *Aut in vestigiis abyssi ambulat?* Abyssus hic recte intelligitur vita sæcularis, quæcumque est in profundo malorum, quo, sicut scriptum est, *cum venerit peccator contemnet* (Prov. xviii, 5). Quia ipsi quoque desperatissimi, subjecti gratiæ per remissionem peccatorum salvi facti emergerunt, et receperunt Christam: non in abyssum quo premebantur; sed in locum ejus, ut ubi ambulabat calceus eos, ambulet inhabitans eos Christus; *in vestigiis abyssi*, remanentibus per memoriam peccatorum suorum, ut dum recolunt ubi fuerint, amplius diligant quem receperunt, a quo sibi tanta dimissa sunt (Luc. vii, 41-47). *Aut tibi aperiantur metu portæ mortis?* Omnibus enim morientibus aperiantur portæ mortis, sed non metu, sicut uni illi qui destruendæ mortis causa mortuus est. Aut certe aperiantur ad resurgendum. *Aut janitores inferni videntes te, timuerunt?* sicut illum unum, in quo nihil dignum morte princeps mundi invenit, quem tam cito dimiserunt, quem inviti admitterunt. Inferi autem janitores, aliquæ inferiores potestates morti præpositæ intelligendæ sunt. *Aut cognovisti latitudinem sub celo?* sicut cognovit qui per illam diffudit Ecclesiam. *Narra ergo mihi quanta quæque sint*. Quis enim hoc sciat, nisi quem ille docuerit? *Aut in qua terra habitat lux?* Ille enim docet, quia manifestatio verborum ejus illuminat, et intelligere facit infantes (Psal. cxviii, 130). *Aut quis tenebrarum locus?* Hoc quoque ille docet, qui dicit, *Accedite ad eum, et illuminamini* (Psal. xxxiii, 6). Illic enim ostendit eos tenebrescere qui recedunt, dum nolunt esse infantes. Initium enim superbiæ hominis, apostatare a Deo (Eccli. x, 14). Inde qui non glorificaverunt Deum, aut gratias egerunt, evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipientis cor eorum (Rom. i, 21), et facti sunt tenebrarum locus. Nisi forte ille est tenebrarum locus, qui excipit perseverantes in peccatis, ut ipsi sicut tenebræ, quarum ille est locus, quem vere nullus hominum novit. Similiter et terra, in qua habitat lux, potest intelligi terra illa viventium,

<sup>1</sup> Am. Fr. et plerique Mss., gratiæ remissionis.

<sup>2</sup> Florincentis codex, princeps mortis. Paulo post Am. Fr. et plerique Mss., quem trahit amiserunt.

(Vingt-huit.)

id est, beatitudo exceptura perseverantes in fide et spe et charitate, qui fuerunt aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes. v. 8*). *Si duces me in flumines eorum?* quo usque perveniunt qui tales sunt. Quid est enim ubi non sit sapientia Dei, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap. vii. 1*)? Cui utique nullus hominum comparandus est. *Quod si et nosti semitas eorum; nunquid scis quia tunc natus es, et numerus annorum tuorum multus?* Quod si et nosti semitas impiorum, qui vel tenebræ sunt vel tenebrarum locus; quia omnes etiam qui jam ad Deum conversi sunt, in ipsis semitis ambulaverunt, antequam acciperent a Deo gratiam, quæ justificat impium: numquid scis tamen quia tunc tibi exstitit causa mortaliter nascendi in hoc sæculo, cum eadem semitas inierunt primi omnium hominum parentes, qui prævaricatione impii manibus et verbis accersierunt mortem, ut omnes in Adam morerentur? Non enim ex quo quisque in hac vita apparuit, computandus est numerus annorum ejus tam parvus, sed ex quo facta est prima mortalis nativitas. Cum enim, verbi gratia, natus est Abraham, tunc omnes in illo Hebræi nati sunt. Numerus ergo annorum unicuique aultus est secundum mortalitatis originem, quæ exorta est in semitis impiorum. Quis autem meminit fuisse se, aut cum esset, scire potuit esse se in lumbis patris sui? Quandoquidem nec illud tempus quisquam recollit, quo non in parentibus, sed in seipso natus est; quo tempore certe nemo dubitat, quod jam eret, et vivebat, et sentiebat. Omnia autem scit illa Sapientia quæ format omnia, non tantum illa super cœlestia, sed etiam ista mortalia. Et quia Christus Dei Virtus est et Dei Sapientia (*I Cor. 1, 24*), scit ista ille, qui etiam mortaliter natus est, non conditione mortali, quia in mortuis liber, sed miseratione mortalium, ut a morte faceret liberos. *Aut venisti in thesauris tuis?* id est, ad eam cognitionem pervenisti, sicut ille sciebat etiam opportunas causas imminentium scandalorum secretas atque abditas? Nam inde appellat thesauros, ad probanda et exercenda spiritualium corda, cum exclamaret: *Vas mando a scandalis! oportet enim venire scandala; vas autem illi homini per quem scandalum venit* (*Math. xviii, 7*)! Per superbiam quippe elati in alto, more nivis congelascent, et cadunt; ex quorum iniquitate abundante refrigescit charitas multorum: qui autem sustinent Dominum viriliter agentes (*Psal. xxvi, 14*), et spiritu ferventes (*Rom. xii, 11*), perseverant usque in finem, et salvi erunt (*Math. xxiv, 13*). *Aut thesauros grandinis vidisti?* Grando sunt illi iniqui, quando non solum torpent, nullum fervorem spiritus habentes, sed etiam obstinata duritia persequendo vel irruendo contendant. *Quæ reposita sunt tibi in tempus inimicorum, et in diem pugnae et belli?* Vel hinc quis non videat cujus personam in prophetia gestet Job? Non enim huic uni homini reposita sunt ista in tempus inimicorum, et in diem pugnae et belli, sed utique unico populo Dei. Tempus quippe inimicorum est, donec transeat iniquitas, quæ quanto magis abundat, tanto magis adversus diabolum acrius pugnandum atque

hellandum est, ne charitas perseverantium refrigescat. *Unde autem procedit pruina?* Quis hoc novit, nisi quia hæc ut initia parturitionum sunt? Pruina quippe minutissima grando est. *Et dispergitur auster sub cœlo?* Austrum, quamvis mortalibus carnibus gravis sentitur, non tamen usquam memini in sanctis Libris mali aliquid significare, sicut aquilonem nunquam in bono: illum, quia ex ea parte fiat qua lux claret; istum, quia ex ea unde lux est remotior. *Dispergitur ergo auster sub cœlo*, ut adversus illas omnes iniquitates auxilium aliquod intelligatur Dei, quamdiu nondum in cœlo, sed sub cœlo sumus. *Quis præparavit flumen validæ pluriæ, et viam vocibus tempestatis?* Vide quemadmodum tria illa breviter complexa sint, quæ Dominus in tentationibus ponit contemnenda his qui ædificant super petram, et perniciosam his qui ædificant super arenam (*Id. vii, 24-27*). Pluviam commemoravit, et flumen, et voces tempestatis, ubi ventos intelligimus. Pluvia ergo tentatur, qui ex ipsa celsitudine Scripturarum divinarum peccandi occasionem prave intelligendo accipit: tanquam si audiens, Cui modicum dimittitur, modicum diligit (*Luc. vii, 42, 43*), dicat sibi, *Fuciamus mala, ut veniant bona* (*Rom. iii, 8*); et permaneat in peccato, ut gratia abundet (*Id. v, 20*): et multa hujusmodi, quibus se homines sermonem divinum male interpretando subvertunt, impunitatem sibi promittentes, quando misericordia Dei in divinis Libris commendatur. Flumine autem, quando ab hominibus qui hæc ita intellexerunt et acceperunt, tentatur: flumen enim nunc dicit illud quod de pluvia colligitur, et torrens vocatur, cum ait, *Quis præparavit validæ pluriæ flumen?* quod impleat, et qua currat<sup>1</sup>. Sicut sunt vasa iræ perfecta ad perditionem (*Id. ix, 22*), quæ illo modo quo dixi, Scripturas accipiunt. Per illos enim habet liberiores cursum<sup>2</sup> perniciosam illam interpretatio, quam agri fructiferi non recipiunt; et tanto majore impetu impellit, et dejicit, et trahit quod instabile invenere, quanto videtur de auctoritate divina suscepta. Ventis vero tentatur, quem perfiant<sup>3</sup> inanes suasiones hominum superbiorum, id est, ex propria auctoritate verba vana jactantium. Qui ergo iudicio Dei præparatur ad perditionem, non obtemperando verbis ejus, quod est super arenam ædificare, non resistit ventis talibus, et cadendo fit via vocibus tempestatis. *Validæ autem pluriæ dictum arbitror, difficilis ad capiendum, id est, ad intelligendum. Ut pluat super terram ubi non est vir:* subaudiendum est, *Quis præparavit?* Per virum autem videtur Legem significare, quæ data est Judæis. Ergo super Gentes intelligimus imbrem Evangelii. *In deserto, ubi non est homo:* in ipsis Gentibus; ubi non erat aliqua auctoritas cognoscentis Deum. *Ut satiety<sup>4</sup> inivium et inhabitabile, et ut germinet herbae riror.* Multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum (*Isai. liv, 1*). In omnibus autem his quatuor versibus, subaudiendum est, *Quis præparavit? Quis est pluvia*

<sup>1</sup> Sic Mss. At editi, quod impleatur et quod currat.

<sup>2</sup> Floriacensis Mss., labilem cursum.

<sup>3</sup> Am. Ex. et aliquot Mss., quem infirmum.

<sup>4</sup> Editi, faciat. Mss. cum LXX, saturat.

*pater?* sicut sponsus, qui filios suos misit prædicatione regni cælorum irrigare terram. *Et quis est qui peperit glebas roris?* bene suscipientes illam prædicationem. Sic enim ait *glebas roris*, quomodo dicuntur vasa vini ad hoc facta, ut vinum suscipiant. *De cujus utero procedit glacies?* Utrum glacies in bono accipienda est, propter stabilitatem et a fluxu continentiam, ut ita dictum sit, *De cujus utero procedit glacies*, quemadmodum illud, *Quis est pluvie pater?* An uterus pro secreto positus est, ut *de ejus utero procedat glacies*, sicut dedit illos Deus in reprobum sensum (Rom. 1, 28)? An potius de illius utero procedit glacies, qui persuadendo impietatem, qua intrinsecus plenus est, facit frigescere et durescere amisso calore charitatis? quis enim hunc novit, sicut ille, qui ait duris et resistentibus Evangelio, *Vos ex patre diabolo estis* (Joan. viii, 44)? *Aut pruina in cælo quis genuit? quæ descendit sicut aquæ flumen.* Quod de glacie in ultimo sensimus, hoc et de pruina accipiendum puto. Nec tamen frustra est additum, *in cælo*, ut ex ipsis qui præsent, intelligatur, imitantibus sane bonos nuntios veritatis, qui transfigurant se sicut ministri justitiæ (II Cor. xi, 15). Quo pertinet, quod adjunctum est, *quæ descendit sicut aquæ flumen.* *Aut faciem impii quis tabescit?* id est, confudit: quis, nisi ille qui quos justificavit, ipsos et glorificavit (Rom. viii, 30)? *Aut intellexisti nexus Pleiadis, et septem Orionis aperuisti? An aperies Mazuroth<sup>1</sup> in tempore suo, et vesperum super ædificationem ejus induces?* Num et astrologia perscrutanda est, ad cognoscendum proprietates istorum siderum, ut hunc locum intelligere possimus? Miror si hoc congruit sermoni nostro, et certe nimis longum est: transimus ergo ad alia. An quibusdam sideribus nominatis, figura locutionis qua intelligitur a parte totum, omnia sidera accipienda sunt? (Si tamen et Mazuroth sidus est, quod interpretatum nec in græca lingua invenimus: nam hebræum esse nomen, satis apparet.) Ita enim a parte totum intelligitur et quod scriptum est, *Ante luciferum genui te* (Psal. cix, 3). Non enim Lucifer in omni creatura prior est conditus, ut ante Luciferum, ante omnem creaturam dictum videatur: sed per Luciferum omnia sidera, quod est a parte totum; et per omnia sidera omnia tempora intelliguntur (de sideribus enim scriptum est, *Et sint in signis et in temporibus* [Gen. 1, 14]); ut Dominus natus ante omnia tempora, non utique natus in tempore, et ob hoc Patri coæternus insinuaretur. Pleiadis ergo, et Orionis, et Mazuroth, et Vesperi commemoratio, cuncta sidera intelligenda de compendio persuadet. Si enim uno Lucifero, quanto magis tot nominatis etiam cætera accipi per hujusmodi locutionem licet? Cur ergo alibi dictum est, *intellexisti nexus*; alibi, *aperuisti*; alibi, *aperiens in tempore suo*; et alibi, *super ædificationem ejus induces*? Propria sunt ista singulorum ex ordine commemoratorum? An recte dici possot etiam, Septem Pleiadis aperuisti, et intellexisti nexus Orionis? Atque ita et alia duo commutari possunt<sup>2</sup>:

<sup>1</sup> Sic Mas. et LXX. Al. editi, *an aperies Arcturos.*

<sup>2</sup> Et. et Lov., *commemorari possunt.* M.

sicut illud in Psalmo, *Qui habitat in cælis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos* (Psal. ii, 4), nihil sententiæ deperiret, etiamsi ita diceretur, *Qui habitat in cælis subsannabit eos*, et Dominus irridebit eos. Sicut enim qui habitat in cælis, ipse est Dominus; ita, sive Pleiadis nomen, sive Orionis, in eadem significatione est, si per utrumlibet omnia sidera intelliguntur. Omnium itaque siderum nomine, omnes in Ecclesia tales intelligendi sunt, qui conversationem habent in cælis (Philipp. iii, 20). Nexus eorum intelliguntur, quibus et invicem sibi et Deo connectuntur ne cadant. Charitas autem nunquam cadit (I Cor. xiii, 8). Quis autem hoc nosset, nisi ille ostendisset, qui ait, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (Joan. xiii, 34); et, *Qui me diligit, diliget a Patre meo* (Id. xiv, 21)? Septem eorum est quo septuaginta divina Scriptura quam non transgrediuntur. Quis autem hanc aperit, nisi ad quem transitur, ut auferatur velamen? Tempus apertionis est eorum, id est demonstrationis et manifestationis, cum veniet Dominus, et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis, et tunc erit laus unicuique a Deo (I Cor. iv, 5). Solus enim ipse hoc faciet in tempore suo: quia cum ipse apparuerit vita nostra, et nos cum illo apparebimus in gloria (Coloss. iii, 4). Inducet autem eos super ædificationem eorum, qui eos faciet hoc possidere quod hic ædificaverint. Si cujus enim opus permanserit, quod superædificavit, mercedem accipiet (I Cor. iii, 14). *Scis commutationes cæli.* Utrum in deterius, sicut ii qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt? Noluere enim esse sedes Dei; ac per hoc mutati sunt, cum evanuerunt in cogitationibus suis (Rom. 1, 21). An in melius? Quia omnes quidem resurgemus, non tamen omnes immutabimur. Qui autem immutabuntur, manifestum est, cum ait, *Et nos immutabimur* (I Cor. xv, 51, 52). Cum enim justi immutabuntur, cælum immutabitur; quia thronus Dei cælum est (Matth. v, 34), et sapientia Verbum Dei, et Deus erat Verbum, et thronus sapientiæ anima justi. An utrumque potius? Non enim commutationem cæli, sed *commutationes* dixit. *Aut omnia quæ sub cælo<sup>1</sup> pariter fiunt.* Sicut enim hujus mutationes afficiunt ea quæ sub cælo sunt, ita et cum mutantur justi, sive in deterius, sive in melius, afficiunt carnales ad utrumque. *Vocabis nubem vocem:* aut interiore; aut illa qua dictum est, *Sequere me* (Joan. xxi, 19); aut illa qua dictum est, *Saule, Saule, quid me persequeris* (Act. ix, 4)? *Et in tremore aquæ validæ obediens tibi:* populi potentes, cum audiunt, *In timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini:* *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari, pro bona voluntate* (Philipp. ii, 12, 13). *Mittes vi flumina<sup>2</sup>, et ibunt.* *Flumina*, inquit, *de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (Joan. vii, 38). *Vi autem dicit, fiducia*, qua persecutores non timuerunt; quia et qui vim faciunt, diripiunt regnum cælorum (Matth. xi, 12). *Aut dicent tibi, quid est?* Id est, numquid abs te quæ-

<sup>1</sup> Editi, *quæ sub cælo sunt.* Abest, *sunt*, a Ms. Floriacensi.

<sup>2</sup> In LXX, *keramoua, sublimina.* Vulgata, *fulgura.*

rent vel voluntatem jussionis tuæ, sicut Saulus ait, *Quid me jubes facere* (Act. ix, 6)? aut spem mercedis suæ, sicut dixerunt, *Ecce dimisimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis* (Matth. xix, 27)? *Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, et varietatum scientiam?* Textit et apud Salomonem mulier vestimenta viro suo (Prov. xxxi, 10-24). Opera ergo intelligenda sunt Ecclesiarum, quibus honoratur Deus. Nam et ipsa textura, id est, infirmos fratres, tanquam lanuginantem tramam firmorum atque erectorum spiritualium<sup>1</sup>, quasi stanninum contextione constringere maximum et singulare opus est Ecclesiarum. Et varietatum scientia ad id valet, ut, tanquam in polymito ea est varietas colorum, qua non turbetur decus unitatis; sic in fratribus ita sint dona diversa, ut nulla invidiæ discrepantia cohæreant sibi, sufferentes invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis (Ephes. iv, 2, 3). *Aut quis est qui numerat nubes sapientia?* Novit enim Dominus qui sunt ejus (II Tim. ii, 19): quis autem hoc hominum, inquit, novit? *Et organa cæli in terram declinavit?* Angelos cœlestes, per quos divinæ voces enuntiari solent. Non enim ceciderunt sicut ille unus, sed flexu obedientiæ declinati sunt in terram; maxime cum et ipse Dominus esset in terra. Nam evangelista loquitur, *Et Angeli ministrabant ei* (Matth. iv, 11). *Diffusus est autem sicut terra cinis, et agglutinavit eum sicut lapidibus cibum*<sup>2</sup>. Diffusa est lato atque abundanter humilitas pœnitentiæ, ad hoc ut Dominus qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (I Pet. v, 5), cohæretet eis tanquam glutine charitatis, homo hominibus; ut mediator esset Dei et hominum (I Tim. ii, 5), seipsum illis dans cibum per Sacramentum corporis et sanguinis sui, stulta mundi tanquam lapides eligens, ut confundat sapientes (I Cor. i, 27). Angelis enim cibum est in quantum est Verbum Dei apud Deum: lapidibus autem ut cibum esset, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Joan. i, 1, 14). Ergo agglutinabitur hominibus, præcedente pœnitentiâ, tanquam cinis diffundatur faciens ei viam. Hinc ille qui dicebat, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne dixeritis vobis, Patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de lapidibus suscitare filios Abraham* (Matth. iii, 8, 9): quibus lapidibus eum tanquam cibum agglutinandum esse nuntiabat. Si autem non præcedit humilitas pœnitendi, non agglutinabitur, quia excelsa a longe cognoscit (Psal. cxxxvii, 6). *Aut capies leoni escas, aut animas draconum replebis?* De diabolo dictum est, *Et concubabis leonem et draconem* (Psal. xc, 13): propter insidias et iram. Omnes ergo angeli ejus leonibus et draconibus comparantur. Ille autem capit eis escas, et animas eorum replet, qui de impietate convictos tradit in ejus potestatem. Volunt enim latere impietatem suam, sed cum producantur, utique capiuntur, ut sint in potestate diaboli et angellorum ejus, quibus consenserunt. *Pavidi enim sunt in cubilibus suis*: in latebris insidiarum suarum. Nam si

pavidi non essent, quis subsisteret? Pavent autem illius imperium, sub quo exclamarunt, *Quid venisti ante tempus perdere nos?* Et quemadmodum de porcis manifestum est, quod in eos non essent, nisi permissi essent (Marc. i, 24, et v, 11-13), sic intelligendum est nihil eos in quemquam posse nisi permissos: permissi autem justitia, qua reguntur omnia, sive probationis causa, sive vindictæ, vel ad damnationem, vel ad correctionem irrogatæ. *Et sedent in silvis insidiantes*. Non enim quiescit in eis voluntas nocendi, etiam cum potestas non datur. Observant autem in insidiis in tam silvosa densitate occasionum carnalium quis capiatur divinis legibus, id est, convincatur de peccato suo, ita ut eorum escæ deputari mereatur. *Quis autem præparavit corvo escam? pulli enim ejus ad Dominum clamantes, et errantes, et escam quærentes*: ut est in Psalmo, *Et pullis corvorum invocantibus eum* (Psal. cxlvi, 9). Cui sententiæ est locus iste similissimus. Nec in malo possunt intelligi, quia invocant eum. Significantur ergo nigri, hoc est peccatores nondum dealbati remissione peccatorum. Sed ideo pulli, quia jam humiles: ideo errantes, quia nondum cognoverunt veritatem, quam tamen pie quærunt, cum ad Dominum clamant. Præparari autem corvo esca potest, propter ejus præscientiam, qui novit etiam nondum humilem quemque conversum iri: sed tamen pulli, hoc est, humiles ad Dominum clamant.

[Ib. xxxix.] *Si cognovisti tempus pariendi tragelaphorum petras?* τράγος hircus est, κίραπος cervus: tragelaphus ergo compositum ex hircu et cervo animal. Significat igitur mentem servientem legi Dei secundum interiorem hominem. Videt autem, quantum adhuc ex parte hircus est, aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivantem se in legem peccati (Rom. vii, 22, 23). Peperit<sup>3</sup> autem talibus petras opportuno tempore, ille qui firmamenta solida exemplorum in Scripturis posuit, in quibus et quiescentes de se non desperent, quorum caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem, donec vivacitate cervi serpentinis suasionibus superatis spiritu vivant, et spiritum sectentur, (Galat. v, 17, 18), ne regnet peccatum (unde similitudo hirci ducitur) in eorum mortali corpore, ad obediendum desideris ejus (Rom. vi, 12). *Aut partus cervarum custodisti?* Ecclesiarum in numero spiritualium, materno affectu imitationem suam persuadentium, quibus jam nihil possunt serpentiniæ opiniones nocere: tamen et tales custodiuntur non de se, sed de Deo præsumentes. *Et numerasti menses partus earum?* Non enim pariunt nisi per Evangelium, quod a baptismo suo Dominus usque ad passionem et ascensionem suam certis mensibus magisterii sui auctoritate prædicavit. *Et dolores earum solvisti?* Non enim sine dolore dicebatur, *Filii mei, quos iterum parturis, donec Christus formetur in vobis* (Galat. iv, 19). Solvuntur autem isti dolores cum fuerit partus editus, id est, veritas persuasa eis pro quibus ita ingemiscitur, id agente in interioribus conscientiæ verbo Dei. *Et nu-*

<sup>1</sup> Er. et Lov., electorum spiritualium. M.

<sup>2</sup> In LXX, ἕσπερ λίθῳ κίβῳ, sicut lapide cibum.

<sup>3</sup> Lov., parat. At Am. Er. et nostri omnes Mss., peperit.

*tristi hinnulos earum sine metu?* in lacte sacramentorum non timidos. Non enim acceperunt spiritum servitutis iterum in timore (Rom. viii, 15). *Partus earum emittes*<sup>1</sup>: in libertatem uberioris pascuæ spiritualis. *Abrumpent filii earum*: vincula concupiscentiarum sæcularium. *Multiplicabuntur in tritico*: solidiore cibo sapientiæ, post nutrimenta lactis. *Exibunt, et non revertentur eis*. Exibunt, tanquam ex angustiis doctrinæ, quæ per homines incipientibus traditur; et non revertentur matribus suis, non jam opus habentes lacte, nec doctoribus hominibus indigentes. Sane isti tractes versus non per interrogationem pronuntiandi sunt. *Quis autem est qui dimisit onagram liberum?* Mirum nisi eos per onagram significat, qui pauci ab omni negotio liberi Deo serviunt. *Et vincula ejus quis resolvit?* affectionum carnalium atque popularium. *Posui enim habitaculum desertum et tabernacula ejus salsuginem*: unde clamet, *Sitivit in te anima mea* (Psal. lxxii, 2.) *Irridens multitudinem civitatis*: quam Babyloniam Scriptura dicit; perambulantem per latam viam, quæ ducit ad perditionem (Math. vii, 15). *Et querelam exactoris non audiens*: nemini quidquam debens. *Consideravit montes pascuæ suæ*: magnitudinem revelationum. *Et post omne viride querit*: omne sempiternum. *Volet autem monoceros servire tibi?* superbus dignitate hujus sæculi; quia et tales subjungavit Christus, et ministros Ecclesiæ constituit: *μονόκερος*; enim unicornis est, quod superbiam significat. *Aut dormire super præsepe tuum?* sicut super illius humilitatem, qui etiam in præsepi est infans positus (Luc. ii, 7). requiescitur securitate veniæ peccatorum, et oblivione curarum malæ conscientiæ. *Et alligabit in loris jugum suum?* jugum læne portans alligatum loris, hoc est, in auctoritatibus eorum qui carnem mortificaverunt atque domuerunt. Unde et Joannes zona pellicea cingebatur (Math. iii, 4), non asperis restibus peccatorum. *Aut ducet tibi sulcos in campo?* aperiet pectora plebis obedientis ad obtinendum regnum Dei. *Confidis autem in eo, quia mutata est virtus ejus?* ut non vanitatem humanæ laudis et honoris etiam in Ecclesiæ ministerio requirat, sicut requirebat in sæculo. *Aut dimittes ei opera tua?* sicut ille, pro quo se dicit Apostolus legatione fungi, exhortans pro Christo reconciliari Deo. (II Cor. v, 20). *Et credes ei, quia red-det tibi sementem?* Nihil ex eo suo dominatui vindicabit. Sementem quippe dicit opus seminandi. *Et in aream tuam inferet?* Ut sit inter illos, quibus ipse Dominus præcipit rogandum Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam (Luc. x, 2): non autem ut sibi velit aream facere, sicut princeps hæresum et schismatum, et quicumque non Dei gloriam quærunt, sed suam. Difficillimum est enim ut velit iste monoceros, sed tamen et hoc præstat atque efficit in hominis animo, qui facit mirabilia solus (Psal. lxxi, 18), consilia destruens, et omnem altitudinem extollemtem se adversus scientiam Dei, et captivans omnem intellectum ad obedientiam suam (II Cor. x, 4, 5). *Penna struthionum mixta est alis herodionis et accipi-*

<sup>1</sup> Sic Mas. juxta LXX. Editi vero, *cunctes*.

*tris*. Tardis ingenio, quos significat struthiones, quia volare non possunt, donatum esse per ejus gratiam qui stulta mundi elegit (I Cor. i, 27), ut æquarentur ingeniosorum celeritati pariter credentium, qui per alias aves quas commemoravit significantur, per hunc versum intelligendum est. *Et reliquit in terra ova sua*. Jam incipit de struthione dicere, id est de his quos per hoc animal significat. Non enim miscerentur pennæ eorum tardæ alis velocium avium ad pariter volandum, nisi spem priorem in terra relinquerent, quam per ova significat. *Et in pulvere calescunt*. Quia etsi id quod sperabat in sæculo non attenderit, plerumque faventibus amatoribus sæculi, qui pulveri comparantur, provenit. *Et oblita est quia pes disperdet ea, et bestia agri conculcabit ea*. Quod si et adversa cujusquam cupiditas et iniqui hujus mundi perturbent, et obterant spem ejus talem, tanquam ova ejus quæ relinquit in terra; ita non curat, ut tanquam oblita non sentiat. *Obduruit contra filios suos, ne sint ejus*: etiamsi jam non spes sit sicut ova, sed res ipsa, sicut filii jam nati, hoc est felicitas temporalis, fortiter contemnit eam, nolens eam suam esse felicitatem; quia illam veram desiderat. *Frustra laboravit absque ullo timore*. Hoc autemquam convertatur: laborat enim spe sæculi sine fructu, et quod est insipientius, sine ullo timore, dum præsumit in rebus incertis. *Quia desepxit eam Deus in sapientia, et non distribuit ei intellectum*. Quid enim stultius, quam fidere in vanitate, et laborare ad acquirenda peritura sine ullo timore amittendi? Concipiunt enim plerique hunc affectum, quibus longa felicitas sæculi provenit, præsertim si ab avis et atavia perpetua successione ducatur, ut se repente infelices fieri posse non credant. Et quia magni solent apparere in terra, non tamen pennis virtutum cœlesti conversatione frui, recte struthionibus comparantur. Sed attende quod sequitur: *Cum tempus fuerit, in altum evolabit, et irridebit equitem et ascensorem*. Posteaquam venit plenitudo temporis (Galat. iv, 4), ut præciperetur divitibus hujus sæculi, non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (I Tim. vi, 17), cœperunt sursum cor habere ad Dominum, et deridere superbos persecutores, quos Dominus projecit in mare: tunc enim penna struthionis mixta velocibus avibus, cœlum petit, et cætera quæ de hoc animali supra dicta sunt, sunt. *An tu circumdediti equo virtutem?* Martyrem videtur describere, intrepidum et alacrem testem fidei salutaris, non tamen virtute propria, sed qua eum circumdedit Dominus. *Et inseruisti collo ejus hinnitum?* Induite vos armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo (Ephes. vi, 11). *Et gloriæ pectoris ejus audacia*<sup>2</sup>. Hæc est audacia qua Isaias audet et dicit<sup>3</sup> (Isai. lxxv, 4; Rom. x, 20). Gloria vero pectoris est conscientia (II Cor. i, 12) opus hominis probans, ut in semetipso habeat quisque gloriam et non in altero (Galat. vi, 4). *Pro-*

<sup>1</sup> Floriacensis codex, *audaciam*.

<sup>2</sup> Apud Lov., post, *ducit*, additur: *inventus sum a non querentibus me: palam apparui tuis qui me non interrogabant; quod totum abest ab Am. Er. et Mas.*



*diens* in campo luxuriat. In lucem libertatis exiens, facilitate boni operis in latitudine charitatis exultat. Et procedit in prælum cum virtute: adversus tentationes adversitatum. Occurrensque jacula contemnit: quia circumposita sunt ei arma, in quibus est illud scutum fidei, in quo ignita inimici jacula extinguuntur (Ephes. vi, 16). Nec se avertit a ferro: vel a morte visibili, vel qui sunt et duri ad non consentiendum veritati, et acuti ad persequendum a quibus se non avertit, quia ipsos etiam ut diligit jubetur. Super ipsum enim gaudet arcus et gladius. Per confessionem quippe ejus asseritur et comminatio Dei, quæ invisibiles pœnas longe prænnuntiat, et testificatio verbi, qua omnes tanquam cominus errores debellat. Aliud est eulm minari, quod longe futura sunt supplicia peccatorum, quod est tanquam arcu tela intendere; aliud tanquam manu ad manum gladio verbi præsentis debellare cupiditates. Lanceæ hastæque tremore. Quid est quod lanceæ hastæque tremore super ipsum gaudet arcus et gladius? An quia nisi et ipse tremat, hoc est, timeat futuram mortem, quam jaculatur divina justitia, non potest præsentem contemnere, quam persecutor miratur, ut intrepidam habeat confessionem, et prædicet cum fiducia veritatem, cui non possint inimici resistere: atque ita super eum gaudeat, hoc est, per ipsum libere asseratur doctrina Dei, per quam minatur impiis futurum interitum, et interficit præsentem iniquitatem? Nisi enim gaudium spei nostræ cum tremore damnationis esset, in nobis negligens caset ipsa securitas et superba præsumptio; neque in Psalmo nobis diceretur, *Exsultate ei cum tremore* (Psal. ii, 11). Et iracundia evertit terram. Apud semetipsum irascens, ad evertendas in se terrenas concupiscentias et timores carnales, quibus quisque a tolerantia passionis avertitur. In hac sententia forte dictum est, *Irascimini et nolite peccare* (Psal. iv, 5). Cum iracundia enim saluberrima se debet quisque correctione corripere, dicens, *Ut quid tristis es, anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deum, quia confitebor illi*. Quia enim ore confessio sit ad salutem (Rom. x, 10), statim sequitur, *Salutare vultus mei Deus meus* (Psal. xli, 6, 7). *Nec credet, donec clamaverit tuba*. Ante tempus quippe tentationis, etiamsi eversa est terrena trepidatio, non apparet, nec facile credendum est, nisi tempus ipsum tentationis docuerit. *Cum autem tuba cecinerit, dicet, Euge*. Cum tempus tentationis venerit, tunc vero placebit ei anima ejus, si gloriatur in tribulationibus; quia tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem (Rom. v, 3, 4): ut jam non dicat animæ suæ irascens, *Ut quid conturbas me?* sed glorians dicat, *Lauda, anima mea, Dominum* (Psal. cxlv, 2). *Et procul odoratur pugnam*: non quasi in hominibus persequentibus qui videntur, sed procul, hoc est, longe ab oculis; sciens quia non est ei colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principem et potestates, et rectores mundi, tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiae in caelestibus (Ephes. vi, apud LXX, amorussa, fodiens.

12), hoc est procul. Aptè autem dictum est, *odoratur*, propter principem potestatis aeris hujus. Odores quippe olfactu sentiuntur, sive boni, sive mali. *Odoratur ergo pugnam*, qui intelligit principem potestatis aeris hujus operari in filiis diffidentiae (Ephes. ii, 2), quorum persequentium iras aut insidias patitur, ut adversus spiritualia nequitiae spiritualibus armis dimicet, non corporalibus adversus carnem et sanguinem, id est malos et perditos homines, quos carnis oculis videt. *Tonitrum ducunt et clamorem*: subaudiendum est, odoratur. Tonitrum autem propter ipsum aerem puto dictum esse, in quo clausa spiritualia nequitiae versantur. Non enim rectores mundi propterea dicti sunt hi spiritus, quia cœlum et terram regunt, sed sicut ipse exponit Apostolus. Etenim ne ita intelligeretur, subjecit statim quid dixerit rectores mundi; *tenebrarum harum*, inquit, hoc est impiorum: quibus ad Dominum conversis dixit, *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (Id. v, 8). In voluntate enim cujusque est, utrum tenebræ sit, an lux: sed cum tenebræ, in seipso, hoc est, peccatis quas ipsius sunt propria; cum autem lux, non in seipso sed in Domino, a quo illuminatur, ut quemadmodum dixit Isaias, tenebræ ejus sint velut meridies (Isai. lvm, 10). Dicitur et in Psalmis, *Illuminabis tenebras meas* (Psal. xvii, 29). Quos ergo dicit Apostolus rectores tenebrarum, ipsi et in hoc versu dicti sunt ducere. Ducuntur enim et ab his tenebræ, hoc est impii, et persequantur pios, id est, eos qui persecutionem patiuntur propter justitiam, non eos qui patiuntur propter impietates et iniquitates suas. Ducunt autem talium clamorem dicit odorari martyrem: non quia sonitus aliquis inde auditur auribus corporis, sed quia cordis auribus per fidem clament, quanta diabolus et angeli ejus adversus Dei servos machinantur: unde ait Apostolus, *Non enim ignoramus astutiam ejus* (II Cor. ii, 11). Adversus quem clamorem ducunt, surdæ utique sunt aures infidelium. *Numquid in sapientia tua plumescit accipiter?* sicut in sapientia Dei, quæ est Christus, novus homo paulatim innovatur, conversationem habiturus in caelestibus. *Expansis pennis immobilis, respiciens ad austrum?* explicatis ab omni impedimento sæculari virtutibus geminæ dilectionis, permanens inconcussus in fide; non tamen in hoc ipso de seipso præsumens, sed sperans in Deum, et in illum revocans intentionem, a quo ipse charitatis ardor inspiratur, ut fortitudinem suam ad ipsum custodiat (Psal. lvm, 10), dicens, *Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum, etenim ipse est Deus meus et salutaris meus, susceptor meus; non movebor amplius* (Psal. lxi, 2, 3). *Ac tuo præcepto exaltatur aquila?* sicut ejus præcepto, qui ait, *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me* (Joan. xii, 32). Pro nobis enim moriturus, et corpus resurrectione levaturus in cœlum: *Ubi fuerit, inquit, cadaver, illuc congregabuntur et aquilæ* (Matth. xxiv, 28). Satiavit enim in bonis caelestibus desiderium ejus, cujus sicut aquilæ juvenus renovabitur (Psal. cii, 5). Potest et exaltatio aquilæ ad id pertinere, quod ait Aposto-



tes, *Sive enim mente excessimus Deo*; ut versus qui etiam ibi sequitur de vulture, ad id pertineat quod etiam ibi sequitur, *Sive temperantes sumus, vobis*. Sequitur enim, *Aut vultur super nidum suum in petra sedens morabitur*, quia ex affectu dictum videtur non sublimia contemplandi mentis excessu, sed inferioribus consulendi per temperantiam qua humanis rebus congruitur; ut impii qui pro mortuis habentur, iustificati per verbum, hoc est, quasi ore devorati convertantur in corpus Ecclesiae. Vultur enim de mortuis pascitur; et ideo *super nidum suum*, ubi tanquam fetus ponit opera huic vitae necessaria. Ideo autem *in petra*, quia cum divisisset Apostolus, *Sive temperantes sumus, vobis*; continuo subiunxit, *Charitas enim Christi compellit nos* (II Cor. v, 13, 14): *petra autem erat Christus* (I Cor. x, 4). Et bene *sedens morabitur*, secundum id quod dictum est, *Compellor autem ex duobus, concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo; multo enim magis optimum*, ut hoc ad exaltationem aquilae pertineat; ad vulturem vero sedentem in mido, et morantem, *Manere in carne necessarium propter vos* (Philipp. i, 23, 24). Et quia petra etiam tota Ecclesia bene intelligitur, propter etiam Simonem, qui ob hoc a Domino petrus appellatus est (Marc. iii, 16), summitas petrae est caput Ecclesiae. Ad hoc additur versus qui sequitur: *In summitate petrae et in caverna*. Summitas enim refertur ad id quod est caput, caverna vero ad id quod vita nostra abscondita est cum Christo in Deo (Coloss. iii, 3). *Et cum ibi fuerit, quaerit escas*: de quibus dictum est Petro, *Macta, et manduca* (Act. xi, 7), ut incorporaret Ecclesiae credituros ex Gentibus. *Longe oculi ejus respiciunt; et pulli ejus volutantur in sanguine*. Spe futurae immortalitatis in vitam aeternam intentionem suam longe porrigit: quamvis opera ejus in carnis infirmitate volutantur, id est, dubiis motibus jactetur, dum incertum habet humana ignorantia ex iis quae misericorditer facit, quid cui prosit ad Deum, cum tamen longe oculis prospicientibus propter aeternam salutem sincera charitate dispensat. Sed cum invenerit iste talis operator et dispensator eos qui per affectum quo renuntiant diabolo, jam mortui sint huic saeculo; sine dubitatione aliqua eis exhibet oris ministerium in opere sermonis, quo eoa in corpus Ecclesiae jam paratissimos trajiciat: et ideo sequitur, *Ubi cumque fuerint cadavera, confestim reperintur*.

*Respondit Dominus, et dixit*. Quod nunc Dominus tanquam repetit sermonem, cum ipse loqueretur, intelligitur Job ad ea quae dicta sunt, obstupuisse in silentio, et quievisse, ut nihil amplius dicere auderet. Ergo duobus qui sequuntur versibus exhortatur eum Dominus ad respondendum. *Numquid qui disputat cum Omnipotente, quiescit?* hoc est, Quare tu quiescis cum Omnipotente disputans? *Arguens Deum respondebit ita?* subaudiendum est, numquid; ut sit sensus, Numquid arguit Deum qui disputans respondebit? Quarendo enim cum Omnipotente disputatur, non convincendo.

aut refellendo. Non ergo quia Omnipotens est, ideo quiescendum est a disputando cum eo. Neque enim ad arguendum ab eo aliquid per disputationem tanquam ab ipsa veritate requiritur. Potest et sic intelligi, Numquid qui disputat cum Domino, quiescit? id est, quia non quiescit qui cum Omnipotente disputat, non est cum eo disputandum ut quiescat. Solet enim disputans contradicere: qui autem contradicit Deo, quiescere non potest, hoc est, non invenit quietem, nisi in ejus voluntate sine ulla contradictione consentiat. *Arguens enim Deum respondebit ita*; id est, cum disputando respondet Deo, arguit Deum, et propterea non pervenit ad quietem. Unde dictum est, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo* (Rom. ix, 20)? Sed quid tale fecerat Job? Non enim Deus sic illum accipit tanquam contradicentem sibi, sicut amici ejus non intelligentes; cum tale testimonium illi perhibeat, et in capite libri, et in fine. An propter personam quam Job gestabat dictum est, hoc est, corporis Domini, quod est Ecclesia, in qua multa infirmorum pars est, non quidem desperatorum, sed tamen adhuc in propectu suo periclitantium, quibus pene commoventur pedes, et quorum paulo minus effunduntur gressus, dum zelant in peccatoribus, pacem peccatorum intuentes? Qui dicunt: *Quomodo scribit Deus, et si est scientia in Altissimo? Ecce ipsi peccatores, et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias. Numquid vane justificavi cor meum, et lavi in innocentibus manus meas, et sui flagellatus tota die, et argutio mea in matutinum* (Psal. lxxv, 2-14). Nam hinc potius Job ipse videtur respondere sequentibus versibus.

*Respondens autem Job dixit: Quid ergo judicet commonitus et increpatus a Domino, audiens talia, cum nihil sim?* id est, quid ergo mihi iudicium comparo, cum me commonet et arguit Dominus, si ei contradicam: *audiens talia*, id est, intelligens quanta justitia et misericordia mecum sic agatur, cum per meipsum utique nihil sim? *Quod responsum dabo?* id est, quid potero contradicere veritati? *Manum ponam ad os meum*, id est, tenebo et cohibebo loquacitatem meam. *Semel locutus sum; iterum non adjiciam*. Nisi in mysterio accipiatur, quomodo semel locutus est Job, qui toties locutus est? Aut quomodo iterum non adjiciet, post paululum locutus? Sed locutio hic intelligenda est progressus animae in haec exteriora, quo relinquit Deum, et ei resistit. Unde major iste progressus, etiam clamor in Scriptura appellatur, cum dicit Deus clamorem Sodomorum ad se pervenisse (Gen. xviii, 20). Cui locutioni atque clamori contrarium est beatissimum illud silentium, de quo dicitur, *Et silebit sine timore ab omni malignitate*. Bene itaque dicit semel se locutum continua quadam locutione in tota vita veteris hominis, cum esset spiritus ambulans, et non revertens (Psal. lxxvii, 39). Nunc autem manum imponens ori, ne ultra progrediatur, promittit se non adjicere iterum, ne recedat a Deo. Amen.



# ADMONITIO

## IN LIBRUM CUI TITULUS SPECULUM.



Scripturam sacram speculi vice esse nobis propositam observat Gregorius in lib. 2 Moral. cap. 1; adeoque hanc, ubi virorum illustrium gestis narrandis insistit, non eorum peccata et lapsus, omninoque nihil silentio præterire notat, quo minus ad informandos mores exempla cuique homini præsto sint opportuna. Verumtamen istud speculi munus habet Scriptura alio itidem ex capite; imo id sibi vindicat ea maxime parte, qua vitæ præcepta continentur; quibus videlicet in conspectu positus, si ulla est in moribus labes, si decus speciesque non eminentia pietatis in animo insidet, facilius dijudicatur. Hæc itaque præcepta S. doctoris Augustini studio collecta fuisse in unum librum, cui Speculo nomen ab ipso inditum est, fidem facit Possidius in ejus vita, cap. 28; quo loco recensitis ante Retractationum libris, continenter subjicit: *Quique prodasse omnibus volens, et volentibus multa librorum legere et non valentibus, ex utroque divino Testamento, Vetere et Novo, præmissa præfatione præcepta divina seu vetita ad vitæ regulam pertinentia excerptit, atque ex his unum codicem fecit: ut qui vellet legeret, atque in eo vel quam obediens Deo, inobediensve esset agnosceret: et hoc opus voluit Speculum appellare.* Tum vero Vandalorum in Africam irruptionem, quæ ad annum Christi 428 pertinet, brevi post tempore contigisse refert. Unde intelligas opus istud esse anni fere 427, quod subinde inter opuscula Retractationum libris posterioribus edita numeratur in antiquis codicibus, uti in Retractationum sine Tom. 1 annotatum fuit. Eundem librum probe cognitum se habuisse significat Cassiodorus senator in lib. de Institutione div. Script. cap. 16, hæc verbis: *Liber ejusdem Augustini quasi philosophiæ moralis, quem pro moribus instituendis atque corrigendis ex divina auctoritate collegit, Speculumque nominavit, magna intentione legendus est.*

Porro cum ad vulgi usum istud pium opus compararet S. Doctor, eo noluit nisi faciliores intellectu præceptiones comprehendere. Quo etiam consilio adductum credimus, ut versione uteretur non ex græco LXX, quam sequi solebat, sed ex hebræo, quod hanc demum comperisset esse illa multis in locis planiorem. Nam hoc nomen eam aliquoties laudat in postremis suis libris Quæstionum in Heptateuchum, ac præsertim in quarto de Doctrina Christiana libro, quem tribus aliis adjiciens anno 426, aut 427, sic testimonium ex propheta Amos prolaturus loquitur in cap. 7: *Non autem, ait, secundum LXX Interpretes, qui etiam ipsi divino Spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spirituales sensum scrutandum magis admoneretur lectoris intentio, unde etiam obsecratoria nonnulla, quia magis tropica, sunt eorum: sed sicut ex hebræo in latinum eloquium presbytero Hieronymo utriusque linguæ perito interpretante translata sunt.* Præterea, si quæ forsitan ex congestis in Speculum sententiis contrariæ viderentur, conciliare decreverat et illustrare propositis postea quæstionibus: quas quidem in Mss. codicibus frustra quærivimus; cumque de hoc labore nihil dicat Possidius, qui de ipsa vel præfatione Speculi tacendum non existimavit, haud immerito creditur Augustinum ab eo explendo præpeditum fuisse.

Aliud non ita pridem Hieronymi Vignerii cura prodiit Speculum sub Augustini nomine; in quo sententiam Scripturarum revocantur ad certa quedam capita instituta variis de rebus sacram doctrinam spectantibus, adeo ut non tam vitæ instituendæ consilio, quam erudiendi animi causa, comparatum esse videatur. Quocirca istud minus cum eo convenit Speculo, quod et Possidii verbis et Augustini præfatione describitur: planeque oportet sicuti nostrum hoc genuinum, ita Vignerianum illud spurium habeamus.

## S. AURELII AUGUSTINI

### HIPPONENSIS EPISCOPI

# de Scripturâ sacrâ

# SPECULUM<sup>(a)</sup>

## Præfatio.

Quis ignorat in Scripturis sanctis, id est, Legitimis, canonicæ præditis, quædam sic esse posita, ut tanto in Prophetiis, Evangelicis, et Apostolicis, auctoritate scirentur et crederentur; ut est quod in principio fecit

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

In Gallicanis Mss. non nisi duobus repertum est, Regiæ Bibliothecæ uno, altero Carnutensis Ecclesiæ: quorum codicum epe, necnon collatis ad eosdem codices editionibus Am, Er. et Lov. restituitur in integrum multis in locis.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., t. 1. memoratas. M.  
(a) Scriptum sub annum Christi 427.

*Deus cælum et terram* (Gen. 1, 1), et quod *in principio erat Verbum* (Joan. 1, 1), et quæcumque facta divina vel humana tantummodo cognoscenda narrantur: quædam vero sic esse jussa, ut observarentur et fierent, vel prohibita, ne fierent; ut est, *Honora patrem et matrem*; et, *Non mæchaberis* (Exod. xx, 12, 14, et *Matth.* xv, 4; v. 27, 28)? Horum autem quæ jubendo et vetando scripta sunt, alia sunt sacramentorum velata mysteriis, quæ multa Veteris Testamenti populo illi facienda mandata sunt, neque a populo christiano nunc fiunt, sed tantummodo intelligenda requiruntur atque tractantur: sicuti est sabbatum ad visibilem vacationem (*Deut.* v, 12), sicut azyma in pane sine fermento, Pascha in ovis occisione (*Exod.* xii); sicut tot genera sacrificiorum ciborumque vitandorum, et neomeniæ, et annæ solemnitates, quas observant nunc usque Judæi; et illæ justificationes, quæ non ad opera justitiæ proprie pertinent, sed aliquid significare intelliguntur. Quis enim christianus septimo anno cogitur servum reddere libertati; et si descendere ille noluert, ejus auriculam subula pertondere ad postem (*Id.* xxi, 2, 6), et cætera hujusmodi? Alia vero etiam nunc facienda sunt, si facienda præcepta sunt; nec facienda, si prohibita; qualia sunt illa quæ dixi, *Honora patrem et matrem*; et, *Non mæchaberis*. De his igitur quæ ita sunt posita in Literis sacris, vel jubendo, vel vetando, vel sinendo, ut etiam nunc, id est tempore Novi Testamenti, ad vitam piam exercendam moresque pertineant, hoc opus quod in manus sumpsit componere aggressus sum; ut quantum me Deus adjuvat, omnia talia de canonicis Libris colligam, atque ut facile inspecti possint, in unum tanquam Speculum congeram. Oportuit enim sic ea poni ab auctoribus nostris, quemadmodum posita sunt, ut præcepta narrationibus vel disputationibus propriis figurata, et figuratis propria miscerentur, dum rerum gestarum ordo servatur, aut responderetur adversis, aut qui docendi sunt instruuntur, aut occulorum inventionem quodammodo renovantur hi qui prompta et aperta fastidiunt: nos autem in hoc opere nec infidelem vel adducimus vel ædificamus ad fidem; nec exercemus quibusdam salubribus difficultatibus ingenium intentionemque discentium; sed eum qui jam credens obedire Deo voluerit, ut hic se inspiciat, admonemus, quantumque in bonis moribus operibusque profecerit, et quantum sibi desit, attendat. Sic enim potest et de his quæ habet gratias agere; et de his quæ non habet, ut habeat satis agere; ac propter illa servanda curam precesque fidelis pietatis adhibere. In his autem omnibus quæ inspicienda ponere institui, quæcumque inter se videbuntur esse contraria, postea propositis quæstionibus exponenda atque solvenda sunt. Sane supplicia male factorum, et præmia recte factorum, quamvis nonnulla commemoranda existimaverim, tamen in Novo Testamento dissimilia veteribus esse quis nesciat? Ab ipsa igitur Lege quæ data est per Moysen, divinatorum præceptorum, qualia nos commemoraturos esse promisimus, aggredimur exordium.

## DE LIBRO LEGIS,

QUI EXODUS NOMINATUR.

[Cap. xx.] Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea, neque coles. *Item*: Non assumes nomen Domini tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. *Et paulo post*: Honora patrem tuum et matrem, ut sis longævus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides. Non mæchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus; non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. *Item post Decalogum aliis in locis, hæc in eodem libro reperiuntur præcepta vivendi*: Non facietis mecum deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis.

*Et aliquanto post* [xxi.]: Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum quo fugere debeat. Si quis de industria occiderit proximum suum per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur. Qui percusserit patrem suum et matrem, morte moriatur. Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo; si surrexerit et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percussit: ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat. Qui percusserit servum suum vel ancillam virga, et mortuus fuerit in manibus ejus, criminis reus erit: sin autem uno die supervixerit vel duobus, non subiacet poenæ; quia pecunia illius est. Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem prægnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit; subiacet damno, quantum expetierit maritus mulieris, et arbitri judicaverint: sin autem mors ejus fuerit subsecuta; reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, et luscus eos fecerit; dimittet liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit servo, aut ancillæ suæ; similiter dimittet eos liberos. Si bos cornu petierit virum aut mulierem, et mortui fuerint; lapidibus obruetur, et non comedentur carnes ejus; Dominus quoque havis innocens erit. Quod si bos cornupeta fuerit ab heri et nudistertius, et contestati sunt dominum ejus, nec reclusit eum, occideritque virum ac mulierem; et bos lapidibus obruetur, et dominum illius occident. Quod si pretium ei fuerit impositum, dabit pro anima sua quicquid fuerit postulatus.

<sup>1</sup> Particula, *mecum*, non reperitur in editis, abest quoque nunc a versione vulgata. Sed eam habent Mss. hujus operis; habet hebræus textus, imo etiam vulgata versio in Corbelensæ volumine ante 800 annos descripto.

filium quoque et filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subiacet. Si servum ancillamque invaserit, triginta siclos argenti dabit domino; bos vero lapidibus obruetur. Si quis aperuerit cisternam, et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam; dominus cisternæ reddet pretium jumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit; vendit bovem vivum, et dividit pretium; cadaver autem mortui inter se disperient. Sin autem sciebat quod bos corrupta esset ab heri et nudius tertius, et non custodivit eum dominus suus; reddet bovem pro bove, et cadaver integrum accipiet.

[XXII.] Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, et occiderit, vel vendiderit; quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove. Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit; percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, venundabitur. Si autem inventum fuerit apud eum quod furatus est vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis; duplum restituet. Si læserit quispiam agrum vel vineam, et dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena; quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. Si egressus ignis invenerit spicas<sup>1</sup>, et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris; reddet damnum qui ignem succenderit. Si quis commendaverit amico pecuniam aut vas in custodiam, et ab eo qui susceperat, furto ablata fuerint; si invenitur fur, duplum reddet: si latet, dominus domus applicabitur ad deos, et jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui, ad perpetrandam fraudem, tam in bove quam in asino, et ove ac vestimento, et quidquid damnum inferre potest, et ad deos utriusque causa perveniet; et si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo. Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem et ovem, et omne jumentum ad custodiam, et mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus<sup>2</sup>, nullusque hoc viderit; iusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui; suscipietque dominus juramentum, et ille reddere non cogetur. Quod si furto sublatum fuerit, restituet damnum domino. Si conestum a bestia, deferet ad eum quod occisum est, et non restituet. Qui a proximo suo quidquam horum mutuam postulaverit, et debilitatum aut mortuum fuerit, domino non presentente; reddere compelletur. Quod si in presentiarum fuit dominus, non restituet, maxime si conductum venerat pro mercede operis sui. Si quis seduxerit virginem, needum desponsatam, et dormierit cum ea; dotabit eam, et habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddat pecuniam juxta modum dotis

<sup>1</sup> Ita hic in omnibus codicibus, quibus Bibliorum volumen Corbeicense consentit. At in hebræo et apud LXX, *invenerit spicas*. Sic etiam Vulgata post Romanam correctionem faciam Sixti V auctoritate.

<sup>2</sup> *Elli, a bestiis*. Mss. vero, *ab hostibus*; quæ lectio verior

quam virgines accipere consueverunt. Maleficos non patieris vivere. Qui coierit cum jumento, morte moriatur. Qui immolat diis, occidetur, præter Domino soli. Advenam non contristabis, neque affliges eum: advenæ enim fuistis in terra Ægypti. Viduæ et pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego exaudiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli. Si pecuniam mutam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum redde ei; ipsum enim est solum quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat: si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. Decimas tuas et primitias non tardabis offerre. Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.

*Et paulo post [XIII.]:* Non suscipies vocem mendacii, nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies<sup>1</sup>. Pauperis quoque non misereberis in judicio<sup>2</sup>. Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis eum eo. Non declinabis in judicio pauperis. Mendacium fugies. Insontem et justum non occides; quia aversor impium. Ne accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum. Peregrino molestus non eris: scitis enim advenarum animas, quia et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. *Et post quædam interposita, cum de alienigenis loqueretur:* Non adorabis deos eorum, neque coles eos. Non facies opera eorum, sed destrues eos, et confringes statuas eorum: servietisque Domino Deo vestro.

*Et post multa in eodem libro de diis Gentium [XXXIV.]* Sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide. Noli adorare deum alienum; Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator. Ne in eas pactum cum hominibus illarum regionum; ne cum fornicati fuerint cum diis suis, et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis; ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant et filios tuos in deos suos. Deos constatiles non facies tibi. *Et paulo post:* Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo<sup>3</sup> Domini Dei tui.

*Hæc de libro Legis, qui Exodus nominatur, colligenda existimavi. Nunc eodem modo inspiciamus in sequenti Levitico.*

#### DE LEVITICO.

[Cap. XVIII.] Omnis homo, *inquit*, ad proximam

<sup>1</sup> In editis, *a vero Deo devias*. Abest, *Deo*, a Mss. hujus libri, necnon a sacris Bibliis.

<sup>2</sup> Carnutensis Ecclesiæ Ms. habet hic, *in negotio*: si quis legebatur in Bibliis Corb. versionis vulgatæ.

<sup>3</sup> Mss., *in domum*.

sanguinis sui non accedes, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, et turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies; turpitudinem enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filiae filii tui vel neptis ex filia, non revelabis; quia turpitudinem tua est. Turpitudinem filiae uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies; quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis; eo quod caro sit matris tuæ. Turpitudinem patris tui non revelabis, nec accedas ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem viri tuæ non revelabis; quia uxor filii tui est; nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis; quia turpitudinem fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuæ et filiae ejus non revelabis. Filiam filii ejus, et filiam filiae illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus; quia caro illius sunt, et talis coitus incestus est. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente. Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes, nec revelabis sceditatem ejus. Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commixtione maculaberis. De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. Cum masculo non commisceberis coitu femineo; quia abominatio est. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei; quia scelus est. Nec polluamini in omnibus his.

*Et post aliquantum* [xix.]: Unusquisque matrem et patrem suum timeat. *Et post unum versum*: Nolite converti ad idola, nec deos confictiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester. *Et post paululum*: Nec remanentes. *inquit*, spicas colliges, neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis; sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester. Non facietis furtum. Non mentiemini. Nec decipiet unusquisque proximum suum. Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego sum Dominus. Nec facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque in mane. Non maledices serbo, nec coram caeco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum, quia ego sum Dominus. Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Nec consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: juste judica proximo tuo. Non eris criminatorem et susurro in populis. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus. Ne oderis fratrem tuum in corde tuo: sed publice arguo eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriarum civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego sum Dominus, Leges meas custodite. *Et*

*paulo post*: Non comedetis cum sanguine<sup>1</sup>. Non augrabinimini, nec observabitis somnia. Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis<sup>2</sup> barbam. Et super mortuo non incidetis carnem vestram: neque figuras aliquas et stigmata facietis vobis. Ego Dominus. Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, et impleatur piaculo. *Et post unum versum*: Ego Dominus. Ne declinetis ad magos, nec ab hariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester. Coram cano capite consurge, et honora personam senis, et time Deum tuum. Ego sum Dominus. Si habitaverit advena in terra vestra, et moratus fuerit inter vos, ne exprobrete ei; sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmetipsos: fuistis enim et vos advenæ in terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. Nolite facere aliquid iniquum in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, et æqua sint pondera; justus modius, arqusque sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. Custodite omnia præcepta mea, et universa judicia, et facite ea. Ego Dominus.

[xx.] Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens, Hæc loqueris filiis Israel: Homo de filiis Israel, et de advenis qui habitant in Israel, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur; populus terræ lapidabit eum: et ego ponam faciem meam contra illum, succidamque eum de medio populi sui, eo quod de semine suo dederit Moloch, et contaminaverit sanctuarium meum, et polluerit nomen sanctum meum. Quod si negligens populus terræ, et quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere; ponam faciem meam super hominem illum, et cognationem ejus; succidamque et ipsum et omnes qui consenserunt ei, ut fornicarentur cum Moloch de medio populi sui. Anima quæ declinaverit ad magos et hariolos, et fornicata fuerit cum eis; ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui. Sanctificamini, et estote sancti; quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Custodite præcepta mea, et facite ea. Ego Dominus qui sanctifico vos. Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. Patri matrique qui maledixerit<sup>3</sup>, sanguis ejus sit super eum. Si mœchatus fuerit vir cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjugæ proximi sui; morte moriantur et mœchus et adultera. Qui dormierit cum noverca sua, et revelaverit ignominiam patris sui; morte moriantur ambo: sanguis eorum sit super eos. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur; quia scelus operati sunt: sanguis eorum sit super eos. Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas; morte

<sup>1</sup> Editi, *carnem cum sanguine*. At Mss. carent voce, *carnem*, quæ nec in latinis Bibliis nisi mendosis reperitur.

<sup>2</sup> Carnutensis codex, *nec eradicetis*. Alii juxta Vulgatam, *radetis*. Hoc modo si legebat Augustinus, mirari aubis cur istud præceptum transtulerit in hanc collectionem, quæ præter præcepta ad veteris et novi Testamenti tempus peræque spectantia continere nihil debebat. Porro LXX vertunt, *oude phihereite ten opsin tom pnyomas, neque corrupetis aspectum barbas vestras*.

<sup>3</sup> In castigatioribus Bibliis, *patri matrique maledixit*.

morianatur : sanguis eorum sit super eos. Qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, scelus operatus est; vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur : pecus quoque occidite. Mulier quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficitur cum eo; sanguis eorum sit super eos. Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt; occidentur in conspectu populi, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint; et portabunt iniquitatem suam. Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. Turpitudinem materis et amicitie non discooperies. Qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudavit; portabunt ambo iniquitatem suam. Qui coierit cum uxore patris vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suæ; portabunt ambo peccatum suum; absque liberis moriantur. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facti illicitam : turpitudinem fratris sui revelavit; absque filiis erunt. *Et in alio loco* : Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur; lapidibus obruent eos : sanguis eorum sit super illos.

*Itemque in alio loco, cum de summo sacerdote loqueretur [xxi.]* : Virginem, inquit, ducet uxorem; viduam et repudiatam, et sordidam atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo : ne commisceat stirpem generis sui, vulgo gentis suæ; quia ego Dominus qui sanctifico eum.

*Et post multa [xxiv.]* : Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum. Et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur : lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Qui percusserit et occiderit hominem, morte moriatur. Qui percusserit animal, reddat vicarium, id est, animam pro anima. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit, fiat ei : fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet; qualem infixit maculam, talem sustinere cogetur. Qui percusserit jumentum, reddet allud. Qui percusserit hominem, punietur. Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit; quia ego sum Dominus Deus vester.

*Et post aliquantum [xxvi.]* : Non facietis vobis idolum et sculptile, nec titulos erigetis, nec insigne lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester.

*Hæc de Levitico. Nunc de libro cuius nomen est Numeri, quæ visa sunt commemoranda ponemus.*

#### DE NUMERIS.

[Cap. xvii.] Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transit hæreditas. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. Quod si

<sup>1</sup> Sic MS. juxta Vulgatam. At editi, in signum.

et fratres non habuerit, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas iis qui ei proximi sunt : eritque hoc filiis Israel sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi.

*Et post multa [xxv.]* Ad unius testimonium nullus condemnabitur. Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis.

*Hæc de Numeris invenimus, quæ inspicienda putavimus. Deuteronomium deinceps considerabimus.*

#### DE DEUTERONOMIO.

[Cap. i.] Nulla erit distantia personarum : ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam; quia Dei judicium est.

*Et plurimis interpositis, ubi Decalogum repetit [iv.]* Custodite igitur sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est Dominus vobis in Horeb de medio ignis : ne forte decepti faciat vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ; similitudinem ornatum jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium; atque reptilium quæ moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis; ne forte oculis elevatis ad cælum videas solem et lunam, et omnia astra cæli, et errore deceptus adores, et colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cælestis gentibus, quæ sub cælo sunt. *Et paulo post* : Cave, inquit, ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum; et facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit : quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus amulator.

*Et alio loco [v.]* : Non habebis deos alienos in conspectu meo. Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium quæ in cælo sunt desuper, et quæ in terra deorsum, et quæ versantur in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus amulator, reddens iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem, iis qui oderunt me; et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, et custodientibus præcepta mea. Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra : quia non erit impunitas, qui super re vana nomen ejus assumpserit. *Et post paululum* : Honora, inquit, patrem tuum et matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus; ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non occides, neque mœchaberis, furtumque non facies, nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt.

*Et alibi in eodem libro [vi.]* : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. *Et paulo post* : Cum comederis et saturatus fueris, cave diligenter ne obtriviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti de domo servitutis. Dominum Deum tuum timebis, et ipsi soli

servies, ac per nomen illius jurabis. Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium quæ in circuitu vestro sunt: quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus in medio tui; ne quando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat te de superficie terræ. Non tentabis Dominum Deum tuum.

*Item paulo post, cum de alienigenis loquitur [vii.]:* Neque sociabis cum eis conjugia; filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo. Quia seducet filium tuum ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis: irasceturque furor Domini, et delebit te cito. Quin potius hæc facietis eis: aras eorum subvertite, confringite statuas, lucosque succidite, et sculptilia comburite. *Et post aliquantulum:* Sculptilia eorum igne combures. Non concupisces argentum et aurum de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas; propterea, quia abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam; nō fias anathema, sicut et illud est: quasi spurcitiem detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis; quia anathema est.

*Et alio in loco [viii.]:* Observa, et cave ne quando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata ejus, atque judicia, et ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie: ne postquam comederis et satiatus fueris, domos pulchras ædificaveris, et habitaveris in eis; habuerisque armenta et ovium greges, argenti et auri cunctarumque rerum copiam, elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui. *Et post paucos versus:* Ad extrinsecum, *inquit,* misertus est tui; ne dices in corde tuo, Fortitudo mea et robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt: sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse tibi vires præbuerit.

*Et post aliquantum [xi.]:* Ut ipsi comedatis, ac saturentur. Cavete ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino Deo, servialisque diis alienis, et adoretis eos; iratusque Dominus claudat cælum.

*Et post aliquantum [xii.]:* Subvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos, super montes excelsos et colles, et subter omne lignum frondosum. Dissipate aras eorum, et confringite statuas; lucos igne comburite, et idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis. *Et quibusdam interpositis, cum de alienigenis loqueretur:* Cave ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversa; et requiras ceremonias earum, dicens, Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita et ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino; nec addas quidquam, nec minuas.

[xiii.] Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portæntum; et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi, Eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis; non audias verba prophetae

illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde et in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timeate: mandata illius custodite, et audite vocem ejus: ipsi servietis, et ipsi adhærebitis. Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur; quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, et redemit de domo servitutis; ut errare te faceret de via quam tibi præceperat Dominus Deus tuus; et auferes malum de medio tui. Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis et animam tuam, clam dicens, Eamus et sequamur deos alienos, quos tu ignoras et patres tui, cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt ab initio usque ad fines terræ; non acquiescas ei, neque audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis, et occultes eum: sed statim interficies; sit prius manus tua super eum; et post te<sup>1</sup> omnis populus mittat manum: lapidibus obrutus necabitur, quia te voluit abstrahere a Domino Deo tuo.

*Et post paululum [xiv.]:* Non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo: quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo.

*Et alio loco [xv.]:* Si unus, *inquit,* de fratribus tuis, qui moratur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum: sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum quod eum indigere perspexeris. Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo, Appropinquat septimus annus remissionis; et avertas oculos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare; ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum: sed dabis ei; nec ages quidpiam callide in ejus necessitatibus sublevandis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis ad quæ manum miseris. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra.

*Et post aliquantum [xvi.]:* Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio: nec in alteram partem declinent. Non accipias personam, nec munera; quia munera excæcant oculos sapientium, et mutant verba justorum. Juste quod justum est persequeris, ut vivas, et possideas terram quam Dominus Deus tuus dederit tibi. *Et post pauca:* Non facies tibi, atque constitues statuam, quæ odit Dominus Deus tuus.

*Item post pauca [xvii.]:* Cum reperti fuerint apud te intra unam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, et transgrediantur pactum illius, ut vadant, et serviant diis alienis, et adorent eos, solem et lunam et omnem militiam cæli, quæ

<sup>1</sup> sic Heb. iuxta Vulgatam. At edici, super.

<sup>1</sup> in latinis castigatioribus Bibliis, et postea.

non præcepi; et hoc tibi fuerit nuntiata, audiensque inquisieris diligenter, et verum esse repereris, et abominatio facta est in Israel: educes virum ac mulierem, qui reth sceleratissimam perpetraverunt, ad portas civitatis tue, et lapidibus obruentur. In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium. Manus testium prima interficiat eum, et manus reliqui populi extrema mittatur; ut auferas malum de medio tui. *Item post aliquantum*: Qui autem superbiert nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto <sup>1</sup> iudicis; moriatur homo ille: et auferas malum de Israel; cunctosque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.

*Et post quedam interposita, cum de alienigenis admoneret [xviii.]*: Cave, inquit, ne imitari velis abominaciones illarum gentium. Nec inveniatur in te, qui lústret filium suum aut filiam ducens per ignem, aut qui hariolos sciscitetur, et observet somnia atque aiguria; nec sit maleficus, nec incantator, neque pythones consulat nec divinos, et quæras a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus.

*Et post aliquantum [xix.]*: Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis; stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et iudicum, qui fuerint in diebus illis: cumque diligentissime perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium; reddent ei sicut fratri suo reddere cogitavit; et auferes malum de medio tui: ut audientes cæteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere. Non misereberis ejus; sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

*Et alibi in eodem libro [xxi.]*: Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris ac matris imperium, et coercitus obedire contempserit; apprehendent eum, et deducunt ad seniores civitatis illius, et ad portam iudicii, dicentque ad eos, Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contempsit, comessationibus vacat et luxurie atque conviviis: lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur; ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens portimescat.

*Et post pauca [xxii.]*: Non videbis bovem fratris tui aut ovem errantem, et præteribis; sed reduces fratri tuo: etiamsi non est propinquus tuus frater, nec nosti eum, duces in domum tuam, et erunt apud te quamdiam quærat ea frater tuus; et recipiat. Similiter facies de asino et vestimento, et de omni re fra-

tris tui quæ perierit: si inveneris eam, ne negligas quasi alienam. Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicias, sed sublevabis eum. Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim apud Dominum est qui facit hæc. *Item post pauca*: Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum; ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus labente alio et in præceps ruente. *Item paulo post*: Si duxerit vir uxorem, et postea eam odio habuerit; quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, obficiens ei nomen pessimum, et dixerit, Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem: tollent eam pater et mater ejus, et ferent secum signa virginutatis ejus ad seniores urbis, qui in porta sunt; et dicet pater, Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat, Non inveni sibi virginem: et ecce hæc sunt signa virginutatis filie mee. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis: apprehendentque senes urbis virum, et verberabunt illum; et condemnantes insuper centum siclos argenti, quos dabit patri puellæ; quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel: habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere omni tempore vitæ suæ. Quod si verum est quod obijcit, et non est in puella inventa virginitas; efficiet eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis ejus, et morietur; quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui: et auferes malum de medio tui. Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque moriatur, id est adulter et adultera; et auferes malum de Israel. Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum illa; educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur; puella, quia non clamavit, cum esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui: et auferes malum de medio tui. Sin autem in agro repererit vir puellam quæ desponsata est, et apprehendens concubuerit cum illa, ipse morietur solus: puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus; ita et puella perpeasa est: sola erat in agro, clamavit, et nullus affuit qui liberaret eam. Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum ea, et res ad iudicium venerit; dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ centum siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit eam: non poterit dimittere cunctis diebus vitæ suæ. Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit opusculum ejus.

*Et post paululum [xxiii.]*: Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. *Et post paululum*: Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fuges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno. *Et post paucos versus*: Cum voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requirit illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabit tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris: quod autem semel egressum est de labiis tuis, obser-

<sup>1</sup> Lev., ex decreto: uti olim quibusdam in Bibliis legobatur. At Am. Er. et Man., et decreto: subintellige, nolens obedire; nam hebræus textus sic fere sonat: Qui fuerit in superbia ad non audiendum ad sacerdotem.... vel ad iudicem, morietur, etc. At græc. LXX, ut non obedias sacerdoti.... vel iudici, etc.



vabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es.

*Et paulo post [xxiv.]* : Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam, quia animam suam apposuit tibi. Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, et vendito eo accipiens pretium, interficitur : et auferes malum de medio tui. *Et post paucos versus* : Cum repetis, inquit, a proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas; sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus; sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo. Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui, sive advenæ qui terum moratur in terra, et intra portas tuas est : sed eadem die reddes ei pretium laboris sui, ante solis occasum; quis pauper est, et ex eo sustentat animam suam : ne clamet coram te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. Non occidentur patres pro filiis, nec illi pro patribus; sed unusquisque pro suo peccato morietur. *Et post paucos versus* : Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris; non reverteris ut tollas illum : sed advenam et pupillum et viduam auferre patieris; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges colliges olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas; sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos; sed cedent in usus advenæ, pupilli, ac viduæ. Memento quod et tu servieris in Ægypto, et idcirco præcipiam tibi ut facias hanc rem.

[xxv.] Si fuerit causa inter aliquos, et interpellerint iudices; quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis. Sin autem qui peccavit dignum viderint plagis; prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus. *Et post paululum* : Si habuerint inter se jurgium viri, et unus contra alterum rixari cœperint, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miserit manum, et apprehenderit verenda ejus; abscindes manum illius, nec flecteris super eam ulla misericordia. Non habebis in sacco diversa pondera, majus et minus; nec erit in domo tua modius major et minor. Pondus habebis justum et verum; et modius æqualis et verus erit tibi.

*Et post pleraque [xxvii.]* : Maledictus homo qui facit sculptile et conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponitque illud in abscondito :

<sup>1</sup> Ita Speculum in omnibus libris : quibus consentit vetus Bibliorum volumen Corb. At in Bibliis sexti auctoritate castigatus legitur, *oppositi*.

<sup>2</sup> Editi, *accipiet*. Manuscripti, *accipiens*. Vulgata, *accipiet*.

<sup>3</sup> In sacris Bibliis, *obeat*.

et respondebit omnis populus, et dicet, Amen. Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui transfert terminos proximi sui : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui pervertit iudicium advenæ, pupilli, et viduæ : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus omnis qui dormit cum uxore patris sui, et revelat operimentum lectuli ejus : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum omni jumento : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum socru sua : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui clam percusserit proximum suum : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui accipit munera, ut percussit animam sanguinis innocentis : et dicet omnis populus, Amen.

*Huc usque de libris Moysi quæ visa sunt ponenda, posuimus. In his vero quæ sequuntur et appellantur, Jesu Nave, Judicum, Regnorum, Paralipomenon, rerum gestarum potius historia legitur quam præcepta vivendi. Hæc tamen paucissima de libro Jesu Nave prætereunda in hoc opere non putavi.*

#### DE JESU NAVE.

[Cap. xxii.] Revertimini, et ite in tabernacula vestra, et in terram possessionis, quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem : ita duntaxat ut custodiatis attente, et opere compleatis mandatum et legem, quam præcepit vobis Moyses servus Domini; ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, et observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac servietis ei in omni corde et anima vestra.

*Et in alio loco [xxiii.]* : Ne postquam intraveritis, inquit, ad gentes quæ inter vos futuræ sunt, juretis in nomine deorum earum, et servietis eis, et adoretis illos : sed adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis usque in diem hanc.

*De libro autem Psalmorum multa ponenda sunt, quamvis eadem sæpe repetantur : sed habeo modum, quantum potero, ne hoc opus quod memoria maxima tenendum est, in nimium longitudinem pergat.*

#### DE PSALMIS.

*In psalmo i.* Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra derisorum non sedit. Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. *In psalmo ii.* Nunc ergo, reges, intelligite; erudimini, iudices terræ. Servite Domino in timore, et exsultate cum tremore. Adorate pure (a), ne forte

(a) Sequitur versionem Hieronymi, qui primo quidem Psalmos, quos juxta LXX jam olim Ecclesia deoatant, emendandos recepit; postmodum vero nova ex hebræo translatione Psalterium integrum latinitate donavit : qua de re exstat ipsius ad Sophronium Epistolæ, ejusdemque operis mentionem facit etiam Augustinus in Epistola ad Audacem nunc 261, n. 5; denique hujusce versiculi interpretationem, *Adorate pure*, sicut agnoscit Hieronymus, vindicatque in lib. 4 adversus Rufinum. In cæteris, confer Psalterium Hieron. juxta hebr. quod habes in illius Operum tomo 7.

irascatur, et peccatis de via. Cum exarserit post paululum furor ejus, beati omnes qui sperant in eum. *In psalmo iv.* Filii viri, usquequo, inclyti mei, ignominiose diligitis vanitatem, quærentes mendacium? *Et paulo post* : Irascimini, et nolite peccare : loquimini in cordibus vestris super cubilia vestra, et tacete. Sacrificate sacrificium justitiæ, et confidite in Domino. *In psalmo v.* Quoniam non es Deus volens iniquitatem. Nec habitabit juxta te malignus; non stabunt iniqui in conspectu oculorum tuorum. Odisti omnes operantes iniquitatem, perdes loquentes mendacium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. *In psalmo xiv.* Domine, quis peregrinabitur in tentorio tuo? et quis habitabit in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam, loquiturque veritatem in corde suo : qui non est facilis in lingua sua, neque fecit amico suo malum, et opprobrium non sustinuit super vicino suo. Despicitur oculis ejus improbus<sup>1</sup>, timentes autem Dominum glorificat. Jurat ut se affligat, et non mutat. Pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera adversus innoxium non accepit. Qui facit hæc, non movetur in æternum. *In psalmo xxiii.* Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui non exaltavit frustra animam suam, et non juravit dolose. Accipiet benedictionem a Domino, et justitiam<sup>2</sup> a Deo salutari suo. *In psalmo xxvi.* Lux mea Dominus et salutare meum, quem timebo? Homini fortitudo vita mea, quem formidabo? *Et post quatuor versus*<sup>3</sup> : Si steterint adversum me castra, non timebit cor meum. Si surrexerit contra me bellum, in hoc ego confidam. Unum petii a Domino, et hoc requiram : ut habitem in domo Domini, omnibus diebus vite mee; ut videam pulchritudinem Domini, et attendam templum ejus. *Et alio loco* : Tibi dixit cor meum, Quæsi vultum ejus; faciem tuam, Domine, requiram. *Et postea* : Exspecta Dominum, confortare, et roboretur cor tuum, et sustine Dominum. *In psalmo xxvii.* Ne tradas me cum impiis, et cum operantibus iniquitatem; qui loquuntur pacem cum amicis suis, et est malum in corde eorum. *In psalmo xxx.* Confortamini, et roboretur cor vestrum, omnes qui exspectatis Dominum. *In psalmo xxxi.* Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intelligentia: in chamo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Multi dolores impii; confidentem autem in Domino misericordia circumdabit. Lætamini in Domino et exsultate, justi; et gaudete, omnes recti corde. *In psalmo xxxii.* Laudate, justi, Dominum; rectos decet laudatio. *Et alio loco* : Beata gens cujus Dominus Deus ejus, populus quem elegit Dominus in hereditatem sibi. *In psalmo xxxiii.* Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo. In Do-

<sup>1</sup> Sic ad Mss. fitem correximus: ubi in editis legebatur: De piri oculis ejus improbos.

<sup>2</sup> Editi, misericordiam. Mss. vero juxta Hieronymi Psalterium, justitiam.

<sup>3</sup> In primis editis, et post tertius versus. Reponimus ex Mss., et post quatuor.

mino laudabitur anima mea; audiant mites et lætetur. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus pariter. *Et post paucos versus* : Gustate et videte, quia bonus Dominus; lætus vir qui sperat in eo. Timete Dominum, sancti ejus; quoniam non est inopia timentibus eum. Leones indignerunt<sup>1</sup>, et esurierunt; quærentibus autem Dominum, non deerit omne bonum. Venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos. Quis est vir qui velit vitam, diligens videre dies bonos? Custodi linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Recede a malo, et fac bonum; quære pacem, et persequere eam. *Et post septem versus*<sup>2</sup> : Juxta est Dominus contritis corde, et contractos spiritu salvabit. *In psalmo xxxvi.* Noli contendere cum malignis, neque æmulis facientes iniquitatem. Quoniam sicut herba velociter conterentur; et sicut olus viride arescent. Spera in Domino, et fac bonum; peregrinare in terra, et pascere fide. Et<sup>3</sup> delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Volve<sup>4</sup> super Dominum viam tuam, et confide in eo, et ipse faciet. Et educet sicut lumen justitiam tuam, et judicium tuum sicut meridiem. Tace Domino, et exspecta eum : noli contendere adversus eum qui proficit in via sua, adversus virum qui facit quæ cogitat. Dimitte iram, et relinque furorē; noli contendere, ut male facias. Quoniam qui male faciunt, interibunt; exspectantes autem Dominum, ipsi hereditabunt terram. Adhuc enim modicum, et non erit impius; et cogitabis de loco ejus, et non subsistet. Mites autem hereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis. *Et paulo post* : Melius est parum justo, super divitias impiorum multas. Quia brachia impiorum confringentur; sublevat autem justos Dominus. *Et post aliquantum* : Recede a malo, et fac bonum. *Et alibi* : Exspecta Dominum, et custodi viam ejus; et exaltabit te, ut possideas terram. Custodi simplicitatem, et vide rectum; quia erit ad extremum viro pax. *In psalmo xxxix.* Beatus vir qui posuit Dominum<sup>5</sup> confidentiam suam, et non est aversus ad superbias pompasque mendacii. *In psalmo xliii.* In Domino gaudemus tota die, et in nomine tuo in æternum confitemur. *Et paulo post* : Omnia hæc venerunt super nos; et non sumus obliti tui, nec mentiti fuimus in pacto tuo. Non est conversum retro cor nostrum, nec declinaverunt gressus nostri a semiis tua. Quoniam dejecisti nos in loco draconum, et operuisti nos umbra mortis. Si obliti sumus nominis Dei nostri, et expandimus manus nostras ad Deum alienum; numquid non Deus investigabit istud? ipse enim novit cogitationes cordis. Quoniam propter te morti-

<sup>1</sup> Sic Mss. juxta Hieronymi Psalterium. At editi hic habebant, divites indignerunt.

<sup>2</sup> Editi, et post quartus versus. At Mss., et post septem. Sic in editis plerumque numerus mendose exprimebatur, et aliter atque in Mss. quod semel monuisse suffocavit.

<sup>3</sup> In editis omittitur, et : habetur in Regio Ms. et in Psalterio Hieronymi.

<sup>4</sup> Lov., voluta. Alii codices editi et scripti, volte, juxta Psalt. Hieronym.

<sup>5</sup> Ita in Mss. et in Psalt. Hieron. At in editis, hic, qui posuit in Deum.

ficati sumus tota die, reputati sumus ut grex occisionis. *In psalmo XLVI.* Canite Deo, canite: canite regi nostro, canite. Quia rex universæ terræ Deus, canite erudite. *In psalmo XLIX.* Immola Deo laudem, et redde Altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis: liberabo te, et glorificabis me. Impie autem dixit Deus, Quid tibi est cum narratione præceptorum meorum, ut assumas pactum meum in ore tuo? Qui odisti disciplinam, et projecisti verba mea post te. Si videbas furem, consentiebas ei; et cum adulteris erat pars tua. Os tuum dimisisti ad malitiam; et lingua tua concepit dolum. Sedens adversum fratrem tuum loquebaris; et adversum filium matris tuæ fabricabaris opprobrium. Hæc fecisti, et tacui: existimasti futurum me similem tui; arguam te, et proponam ante oculos tuos. Intelligite hoc, qui obliviscimini Deum; ne forte capiam, et non sit qui liberet. Qui immolat confessionem, glorificat me; et qui ordinate ambulat, ostendam ei salutare Dei. *In psalmo L.* Ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognovi, et peccatum meum contra me est semper. *Et alibi:* Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicias. *In psalmo LI.* Quid gloriaris in malitia, potens? Misericordia Domini tota est die. Insidias cogitat lingua tua, quasi novacula acuta faciens dolum. Dilexisti malum magis quam bonum, mendacium magis quam loqui justitiam. Dilexisti omnia verba ad devorandum, lingua dolosa. Sed Deus destruet te in sempiternum; terreat te, et evellet te de tabernaculo, et eradicabit te de terra viventium. Videbant justi, et timebunt, et super eum ridebunt: Ecce vir qui non posuit Deum fortitudinem suam: sed speravit in multitudine divitiarum suarum; confortatus est in insidiis suis. Ego autem sicut oliva virens in domo Dei, speravi in misericordia Dei, in sæculum sempiternum. Confitebor tibi in sæculum, quoniam fecisti; et expectabo nomen tuum, quoniam bonum in conspectu sanctorum tuorum. *In psalmo LXI.* Sperate in eo omni tempore, populi; effundite coram illo, cor vestrum<sup>1</sup>: Deus spes nostra est. Verumtamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri: in stateris dolosis fraudulenter agunt simul. Nolite confidere in calumnia, et in rapina ne frustremini. Divitiæ si affluerint, ne apponatis cor. *In psalmo LXIII.* Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo. *In psalmo LXVIII.* Quia propter te portavi opprobrium; operuit confusio faciem meam. Alienus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ. Quia zelus domus tuæ comedit me, et opprobrium exprobrantium tibi cecidit super me. Et flevi in jejuniis animam meam; et factum est in opprobrium mihi. Et posui vestimentum meum saccum; et factus sum illis in parabolam. Contra me loquebantur qui sedebant in porta, et cantabant bibentes vinum. *Et aliquanto post:* Laudabo nomen Dei in cantico, et magnificabo eum in confessione. Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua efferentem et unguilas. Videntes mansueti hæ-

tabuntur. Qui queritis Dominum, vivet anima vestra. Quoniam exaudivit pauperes Dominus. *In psalmo LXXII.* Quia ecce qui elongant se a te, peribunt; perdidisti omnem fornicantem a te. Mihi autem appropinquare Deo bonum est: posui in Domino Deo spem meam, ut narrem omnes annuntiationes tuas. *In psalmo LXXV.* Vovete, et reddite Domino Deo vestro; omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent dona terribili, auferenti spiritum ducum, terribili regibus terræ. *In psalmo LXXVII.* Ausculta, populus meus, legem meam; inclinate aurem vestram ad verba oris mei. Aperiate in parabola<sup>1</sup> os meum, loquar ænigmata antiqua. *Et alio loco:* Et narrabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur cogitationem ejus, et mandata ejus custodiant. *In psalmo LXXX.* Laudate Deum fortitudinem nostram, jubilate Deo Jacob. *Et alio loco:* Israel si audieris me, non sit in te deus alienus, et non adores deum peregrinum. Ego sum Dominus Deus tuus. *In psalmo LXXXI.* Usquequo judicatis iniquitatem, et facies impiorum suscipiis? Judicate pauperi et pupillo, egeno et inopi juste facite. *In psalmo LXXXIII.* Beati qui habitant in domo tua, adhuc laudabunt te. Beatus homo cujus fortitudo est in te, semitæ in corde ejus: transeuntes in valle fletus fontem ponent eam. Benedictionem quoque amicitur doctor<sup>2</sup>: ibunt de fortitudine in fortitudinem; parebunt apud Deum in Sion. *Et paulo post:* Quoniam melior est dies in atris tuis super millia. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis impietatis. *In psalmo XC.* Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. *In psalmo XCIII.* Intelligite, stulti in populo; et insipientes, aliquando discite. *Et paulo post:* Beatus vir quem erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Ut quiescat a diebus afflictionis, donec fodiatur impio interitus. *In psalmo XCV.* Venite adoremus, et curvemur, flectamus genua ante faciem Domini factoris nostri. *Et post duos versus:* Hodie si vocom ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra; sicut in contradictione, sicut in die tentationis in deserto. *In psalmo XCV.* Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra. Cantate Domino, benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus. Narrate in gentibus gloriam ejus, in universis populis mirabilia ejus. *Et post sex versus:* Afferte Domino, familiæ populorum, afferte Domino gloriam et fortitudinem. Afferte Domino gloriam nomini ejus; levate munera, et introite in atria ejus. Adorate Dominum in decore sanctuarii. *In psalmo XCVI.* Qui diligitis Dominum, odite malum. *Et post tres versus:* Lætamini, justi, in Domino, et constitemini memorie sanctæ ejus. *In psalmo XCVII.* Jubilate Domino, omnis terra; vociferamini, et laudate, et canite. *In psalmo XCVIII.* Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quia sanctus est<sup>3</sup>. *In psalmo XCIX.* Jubilate Domino, omnis terra, servite Domino in lætitia. Ingreddimini coram illo in laude.

<sup>1</sup> Sic Mss. et Psalt. Hieron. At editi hic, in parabola.

<sup>2</sup> Editi, doctus. Mss. cum Psalt. Hieron., doctor.

<sup>3</sup> Sic H. s. et Psalt. Hieron. At editi, sanctum est.

<sup>1</sup> Editi, corda vestra. Mss. juxta Psalt. Hier., cor vestrum.

Sciote quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, et ipsius sumus<sup>1</sup>. *Et post unum versum*: Ingressi sunt portas ejus in gratiarum actione, atria ejus in laude; constitemini ei. *In psalmo c.* Deambulabo in simplicitate cordis mei in medio domus meae. Non ponam coram oculis meis verbum Belial. Facientem declinationes ovis, nec adhesit mihi. Cor pravam recedet a me; malum nesciam. Loquentem in abscondito contra proximum suum, hunc interficiam<sup>2</sup>. Superbum oculis et altum corde, cum hoc esse non potero. Oculi mei ad fideles terrae, ut habitent mecum: ambulans in via simpliciter, hic ministrabit mihi. Non habitabit in medio domus meae faciens malum<sup>3</sup>: loquens mendacium non placebit in conspectu oculorum meorum. Mane perdam omnes impios terrae, ut interficiam de civitate Domini universos qui operantur iniquitatem. *In psalmo cii.* Misericordia autem Domini, ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum. Et justitia ejus super filios filiorum, iis qui custodiunt pactum ejus, et recordantur praeceptorum ejus ad facienda ea. *In psalmo civ.* Confitemini Domino, et invocare nomen ejus; notas facite populis cogitationes ejus. Canite ei, et psallite illi: loquimini in universis mirabilibus ejus. Exsultate in nomine sancte ejus; letetur cor querentium Dominum. Querite Dominum et virtutem ejus, quaerite faciem ejus jugiter. Recordamini mirabilium ejus, quae fecit, signorum et judiciorum oris ejus. *In psalmo cvii.* Paratum cor meum, Deus; cantabo et psallam: sed et gloria mea. Consurge, psalterium et cithara; consurgam mane. Confitebor tibi in populis, Domine, cantabo te in nationibus. *In psalmo cx.* Confitebor Domino in toto corde meo, in consilio justorum et congregatione. *Et in alio loco*: Principium sapientiae timor Domini: doctrina bona cunctis qui faciunt eam; laus ejus perseverans jugiter. *In psalmo cxi.* Beatus vir qui timet Dominum; in mandatis ejus volet nimis. *Et post quinque versus*: Bonus vir clemens et fenerans, disponabit verba sua in judicio; quia in aeternum non commovebitur. In memoria sempiterna erit justus; ab auditu malo non timebit. Paratum cor ejus confidens in Domino; firmum cor ejus, non timebit donec aspiciat in hostibus suis. Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus permanet in aeternum; cornu ejus exaltabitur in gloria. Impius videbit et irascetur, dentibus frendet, et tabescet: desiderium impiorum peribit. *In Psalmo cxii.* Laudate, servi, Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum, a modo et usque in aeternum. Ab ortu solis usque ad occasum ejus, laudabile nomen Domini. *In psalmo cxiii.* Idola Gentium argentum et aurum, opus manuum hominum. Os habent, et non loquuntur; oculos habent, et non videbunt. Aures habent, et non audiunt, etc. *Et paulo post*: Similes illis sicut qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Israel confidit in Domino; auxiliator et protector

eorum est. Domus Aaron confidit in Domino; auxiliator et protector eorum est. Timentes autem Dominum confidant in Domino; auxiliator et protector eorum est. *In psalmo cxv.* Credidi propter quod locutus sum, ego afflicti sum nimis. *Et post aliquantum*: Quid reddam Domino pro operibus quae retribuunt mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Gloriosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. *Et post tres versus*: Tibi immolabo hostiam laudis, et in nomine Domini invocabo. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus; in atrii domus Domini, in medio tui, Jerusalem. *In psalmo cxvi.* Laudate Dominum, omnes gentes; collaudate eum, universi populi. *In psalmo cxvii.* Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia ejus. Dicat nunc Israel, quoniam in aeternum misericordia ejus. Dicat domus Aaron, quoniam in aeternum misericordia ejus. Dicant qui timent Dominum, quoniam in aeternum misericordia ejus. Cum tribularer invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus. *Et post quinque versus*: Melius est sperare in Domino, quam sperare in homine. Melius est sperare in Domino, quam sperare in principibus. *Et post octo versus*: Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Vox laudis et salutis in tabernaculis justorum. *In psalmo cxviii.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui custodiunt testimonia ejus, in toto corde requirunt eum. *Et alio loco*: Et ambulabo in spatio, quia praecepta tua quaesivi. Et loquar in testimonio ejus coram regibus, et non confundar. Et delectabor in mandatis tuis, quae dilexi. Et levabo manus meas ad mandata tua, quae dilexi; et loquar in praeceptis tuis. *Et post quatuor versus*: A lege tua non declinavi. Recordatus sum judiciorum tuorum a saeculo, Domine, et consolatus sum. Horror obtinuit me ab impiis, quia dereliquerunt legem tuam: Carmina erant mihi praecepta tua, in domo peregrinationis meae. Recordatus sum in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam. Hoc factum est mihi, quia praecepta tua custodivi. Pars mea, Domine<sup>4</sup>, dixi, ut custodiam verbum tuum. Deprecatus sum vultum tuum in toto corde; miserere mei secundum eloquium tuum. Recogitavi vias meas, et converti pedes meos ad testimonia tua. Festinavi, et non neglexi custodire mandata tua. Funes impiorum implicaverunt me; legem tuam non sum oblitus. Medio noctis surgebam ad confiteendum tibi, super judicia justificationis tuae. Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium praecepta tua, *Et post paucos versus*: Ego autem in toto corde servabam praecepta tua. In crassatum est velut adeps cor eorum, et ego in lege tua meditabar. Bonum mihi quia afflicti sum, ut discerem praecepta tua. Melior mihi est lex oris tui, super millia auri et argenti. *Et post paucos versus*: Quia lex tua meditatio mea. *Et post paululum*: Ego autem loquar in praeceptis tuis. *Et post paululum*: Praecepta tua non sum oblitus. *Et post duos versus*:

<sup>1</sup> Editi, et non ipse nos. Mss. juxta Psalt. Hieron., et ipsius sumus.

<sup>2</sup> Legebatur in prius excisis, Non ponebam coram oculis meis verba Belial.... nec adhesit mihi cor pravam. Recedentem a me malum nesciebam.... hunc interficietum. Hos versus ad Mss. et ad Psalt. Hieron. emendavimus.

<sup>3</sup> In Psalterio Hieronymi, faciens dolium.

<sup>4</sup> Editi, nondeus. Mss., Domine.

Foderunt mihi superbi foveas, quæ non erant juxta legem tuam. *Et post duos versus* : Paulo minus consumpserunt me in terra; ego autem non dimisi præcepta tua. *Et post septem versus* : Nisi quod lex tua delectatio mea, forte periissem in pressura mea. In sempiternum non obliviscar præceptorum tuorum; quia per ipsa vivificasti me. Tuus ego sum, salva me; quoniam præcepta tua quæsi. Me expectaverunt impii, ut perderent me; testimonium tuum considerabo. Omnis consummationis vidi finem; latum mandatum tuum nimis. Quam dilexi legem tuam! tota die hæc meditatio mea. *Et paulo post* : Ab omni semita mala prohibui pedes meos, ut custodirem verba tua. A judiciis tuis non recessi, quia tu illuminasti me. Quam dulce gutturi meo eloquium tuum! super mel ori meo. Præcepta tua considerabam; propterea odivi omnem semitam mendacii. Lucerna pedi meo verbum tuum, et lux semite meæ. *Et post septem versus* : Anima mea in manu mea semper, et legis tuæ non sum oblitus. Posuerunt impii laqueum mihi, et a præceptis tuis non aberravi. Hæreditas mea testimonia tua in sempiternum; quia gaudium cordis mei sunt. Inclinaui cor meum, ut facerem justificationes tuas, propter æternam retributionem. Tumultuosos odivi, et legem tuam dilexi. Protectio mea et scutum meum tu es; verbum tuum expectavi. Recedite a me, maligni, et custodiam mandata Dei mei. *Et post septem versus* : Quasi scoriam computasti omnes impios terræ; propterea dilexi testimonia tua. Horripilavit a timore tuo caro mea, et judicia tua timui. Feci iudicium et justitiam, ne derelinquas me iis qui calumniantur me. *Et post paucos versus* : Propterea dilexi mandata tua super aurum et topazium. Propterea in universa præcepta tua direxi; omnem semitam mendacii odio dabui. Mirabilia testimonia tua; idcirco custodivit ea anima mea. *Et post duos versus* : Os meum aperui, et respiravi; quia mandata tua desiderabam. *Et alio loco* : Consumpsit me zelus meus, quia oblitus sum verborum tuorum hostes mei. Probatus sermo tuus nimis, et servus tuus dilexit illum. Parvulus ego sum et contemptibilis; sed præcepta tua non sum oblitus. *Et post tres versus* : Mandata tua voluntas mea. *Et paulo post* : Vide afflictionem meam, et eripe me; quia legis tuæ non sum oblitus. *Et post sex versus* : Multi qui persequuntur me, et affligunt me; a testimoniis tuis non declinavi. Vidi prævaricatores tuos, et mœrebam; quia verbum tuum non custodierunt. Vide quoniam præcepta tua dilexi, Domine; juxta misericordiam tuam vivifica me. *Et post quatuor versus* : Gaudens ego sum in eloquio tuo, sicut qui invenit spolia multa. Mendacium odio habui, et detestatus sum; legem autem tuam dilexi. Septies in die laudavi te, super iudiciis justitiæ tuæ. Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum. Expectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua feci. Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea nimis. Custodivi præcepta tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. *Et post octo versus* : Sit manus tua auxiliatrix

mea; quia præcepta tua elegi. Desideravi salutare tuum, Domine, et lex tua voluntas mea est<sup>1</sup>. *Et post duos versus* : Erravi quasi ovis perdita; quære servum tuum, quia mandatorum tuorum non sum oblitus. *In psalmo cxxix*. Ego pacifica loquebar, et illi debellabant ea. *In psalmo cxxi*. Rogate pacem Jerusalem: sit bene iis qui diligunt eam. *Et post duos versus* : Propter fratres meos et proximos meos, loquebar pacem tibi. Propter domum Domini Dei nostri, quærebam bona tibi. *In psalmo cxxii*. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce sicut oculi servorum ad manus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ ad manum dominæ suæ; sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. *In psalmo cxxiv*. Qui confidunt in Domino, quasi mons Sion; immobilis in æternum inhabitabilis Jerusalem. *In psalmo cxxvii*. Beatus omnis qui timet Dominum, qui ambulat in viis ejus<sup>2</sup>. *In psalmo cxxix*. Sustinui Dominum, sustinuit anima mea, et verbum ejus expectavi. *In psalmo cxxx*. Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; et non ambulavi in magnis et in mirabilibus super me. Si non proposui, et silere feci animam meam; sicut ablactatus ad matrem suam, ita ablactata ad me anima mea. Expecta, Israel, Dominum, a modo et usque in æternum. *In psalmo cxxxii*. Ecce quam bonum est et quam decorum, habitare fratres in unum. *In psalmo cxxxiii*. Ecce benedicite Domino, omnes servi Domini; qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. In noctibus levate manus vestras ad cœlum<sup>3</sup>, et benedicite Domino. *In psalmo cxxxiv*. Laudate nomen Domini; laudate, servi, Domini. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus; canite nomini ejus, quoniam decens. *Et post pauca* : Idola Gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquuntur; oculos habent, et non videbunt, etc. *Et post pauca post* : Similes illis stant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Domus Israel, benedicite Domino; domus Aaron, benedicite Domino; timentes Dominum, benedicite Domino. *In psalmo cxxxv*. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Confitemini Deo deorum, quoniam in æternum misericordia ejus. Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus. *Et in fine psalmi* : Confitemini Deo cœli, quoniam in æternum misericordia ejus. *In psalmo cxxxvi*. Si oblitus fuero tui, Jerusalem, in oblivione sit dextera mea. Adhæreat lingua mea gutturi meo, si non recordatus fuero tui, Jerusalem. Si non præposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ. *In psalmo cxxxviii*. Nonne odientes te, Domine, odivi, et contra adversarios tuos distabui? Perfecto odio oderam illos; inimici facti sunt mihi. *In psalmo cxxxix*. Ne des, Domine,

<sup>1</sup> Sic Mss. et Psalt. Hieron. At editi, *meditatio mea est*.

<sup>2</sup> Editi, *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulati in viis ejus*. Sequimur Mss. et Psalt. Hieronymi.

<sup>3</sup> Editi, *in sancta*. Mss. juxta Psalt. Hier., *ad sanctum*.

desideria impii; scelera ejus ne effundantur, et eleventur. *Et post quatuor versus*: Vir linguosus non dirigitur in terra. *In psalmo cxi.* Corripiat me justus in misericordia, et arguat me: oleum amaritudinis non impinguet caput meum. *Et post quinque versus*: Quoniam ad te, Domine, oculi mei: in te speravi; ne evacues animam meam. *In psalmo cxli.* Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum. Effundam in conspectu ejus eloquium meum, tribulationem meam coram illo annuntiabo. *Et post sex versus*: Clamavi ad te, Domine; dixi, Tu es spes mea, pars mea in terra viventium. *In psalmo cxlii.* Meditabar omnia opera tua, facta manuum tuarum loquebar. Expandi manus meas ad te; anima mea quasi terra sitiens ad te. *Et post tres versus*: Fac me audire mane misericordiam tuam, quoniam in te confido. Notam fac mihi viam in qua ambulo, quoniam ad te levavi animam meam. Libera me de inimicis, Domine: a te protectus sum. *In psalmo cxliii.* Libera me, et erue me de manu filiorum alienorum; quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera mendacii. Ut sint filii nostri quasi plantatio crescens in adolescentia sua. Filiae nostrae quasi anguli ornati ad similitudinem templi. Promptuaria nostra plena, et supereffluentia ex hoc in illud. Pecora nostra in millibus, et innumerabilia in compitis nostris: tauri nostri pingues. Non est interruptio, et non est egressus, et non est ululatus in plateis nostris. Beatus populus cujus talia sunt; beatus populus cujus Dominus Deus ejus. *In psalmo cxliv.* Exaltabo te, Domine, Deus meus, rex, et benedicam nomini tuo in aeternum et ultra. In omni die benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in sempiternum jugiter. *Et post duos versus*: Generatio ad generationem laudabit opera tua, et fortitudines tuas annuntiabunt. Decorem gloriae magnitudinis tuae, et verba mirabilium tuorum loquar. Et fortitudinem horribilium tuorum loquentur, et magnitudines tuas narrabunt. Memoriam multae bonitatis tuae loquentur, et justitias tuas laudabunt. *Et post tres versus*: Et sancti tui benedicunt tibi. Gloriam regni tui dicent, et fortitudines tuas loquentur. Ut ostendant filiis hominum fortitudines ejus, et gloriam decoris regni ejus. *Et paulo post*: Juxta est Dominus omnibus qui invocant eum in veritate. Placitum timentium se faciet, et clamorem eorum audiet, et salvabit eos. Custodit Dominus omnes diligentes se; et universos impios conteret. Laudem Domini loquetur os meum, et benedicet omnis caro nomini sancto ejus in aeternum et jugiter. *In psalmo cxlv.* Lauda, anima mea, Dominum: laudabo Dominum in vita mea, cantabo Deo meo, quamdiu sum. Nolite confidere in principibus, in filio hominis cui non est salus. *Et post duos versus*: Beatus cujus Deus Jacob auxiliator ejus, spes ejus in Domino Deo suo. *In psalmo cxlvi.* Laudate Dominum, quoniam bonus est: canticum Dei nostri<sup>1</sup>, quoniam decorum est, pulchra laudatio. *Et post paucos versus*: Suscipiens mansuetos Dominus; humilians impios usque

<sup>1</sup> sic mss. et vult. Hieron. Editi, Deo nostro.

ad terram. Canite Domino in confessione, canite Deo nostro. *Et post quatuor versus*: Non est in fortitudine equi voluntas ejus, neque in tibiis viri placebitur ei. Placebitur Domino in iis qui timent eum, et expectant misericordiam ejus. *In psalmo cxlviii.* Reges terrae et omnes populi, principes et universi iudices terrae, juvenes et virgines, senes cum pueris laudent nomen Domini. *In psalmo cxlix.* Cantate Domino canticum novum; laus ejus in congregatione sanctorum. Laetetur Israel in factore suo, filii Sion exsultent in rege suo. *Et post tres versus*: Exaltabit mansuetos in Jesu. Exsultabunt sancti in gloria. laudabunt in cubilibus suis; exaltationes Dei in gutture eorum. *In psalmo cl.* Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in fortitudine potentiae ejus. Laudate eum in fortitudinibus ejus, laudate eum juxta multitudinem magnificentiae suae. *Et in fine psalmi*: Omne quod spirat laudet Dominum.

*Hæc de libro Psalmorum collegimus, in quibus suam quisque vitam, si proficere affectat, inspiciat. Ubi lectorem admonemus, ut ea quæ de Psalmis possit, tanquam unum psalmum contextim legat, tacitis verbis meis, quæ ad hoc interposui, ut si voluerit, inspiciat ubi sit scriptum quod posui, id est, quoto vel in quo loco ejusdem psalmi. His enim prætermisissis qui lectionis continuata inspererit sola verba Psalmorum, multo jucundius, et ob hoc utilius ex divinis officietur eloquiis. Nunc de libris Salomonis quæ videbuntur huic operi necessaria, colligemus: ac primum de Proverbiis; qui liber si bene intelligatur, ad mores pios informandos pene totus valebit. Sed ea quæ obscura sunt prætermitto: habent ea, quibus exerceantur, lectores dilectoresque spiritualium litterarum; nos in hoc opere statuumus illa ponere quæ ad agendam vitam facile intellecta referantur. Quamvis multis videri possim apertissima prætermisissas; nonnullaque hinc potius clausa sunt, unde putantur esse perspicua. Quid enim tam clarum videtur, et quid tam inepte fit, si ad proprietatem velis accipere, quod ibi scriptum est, Ab aqua aliena abstine te, et de fonte alieno non hiberis (a)? Aut quid valet ad mores corrigendos, nisi illic intellectus altior requiratur, quod dictum est, Paupertas virum humiliat, manus autem fortium locupletat (Prov. x, 4)? Cum et non esse pauperem, et esse manibus fortem, non sit in bonorum hominum potestate, sed et multis provenierit pessimis; et hoc proverbium male intellectum, possit provocare pauperes fortes, ut rapinis se existiment debere ditescere. Quis non autem rideat, si proprie positum putaverit quod ibi legitur, Non enim nascuntur filii maligni (Id. xxiv, 20)? Omnia ergo talia retinuemus, et ea quibus suadetur aliquid aliquanto duntius, cum id quod suadetur atque præcipitur non sit obscurum, et id potius sit ponendum in hoc Speculo, ubi se illi inspiciant, quibus jam persuasum est, bene ac laudato-*

(a) vulgata versio caret hac sententia, Ab aqua aliena, etc., quæ quidem erat Augustino familiaris, sæpeque ab ipso in congressu cum Donatistis prave eam usurpantibus explicata: habetur apud LXX, Prov. cap. 9 sub vers. 18. Ex eorumdem interpretatione ipsi in mentem veniebant alia hic subjecta testimonia, nisi quod LXX istud efferunt in plurali, chetres de andream ploutzousin, manus fortium locupletant.

*blīis vivere, sed ut hoc faciant, quæ sibi optanda atque observanda sint, quærunt. Hæc itaque de Proverbis Salomonis ponenda credimus.*

#### DE PROVERBIIS.

[Cap. 1.] Timor Domini principium scientiæ. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. *Et post quatuordecim versus, cum de homicidiis loqueretur*: Ipsi, inquit, contra sanguinem suum insidiuntur, et moliantur fraudes contra animas suas. Sic semitæ omnis avari animas possidentium rapiunt. *Item post quatuor versus*: Usquequo, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia cupiunt, et imprudentes odiunt scientiam? *Et post undecim versus*: Tunc invocabunt me, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me: eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur. Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos. Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfructur, malorum timore sublato.

*Et post tres versus* [ii.]: Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ; si quaesieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies; quia Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus scientia et prudentia. Custodit rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter: servans semitas justitiæ, et vias sanctorum custodiens. Tunc intelliges justitiam, et iudicium, et æquitatem, et omnem semitam bonam. Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit; consilium custodiet te, et prudentia servabit te; ut eruaris de via mala, et ab homine qui perversa loquitur. Qui derelinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas: qui lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis: quorum viæ perversæ, et infames gressus eorum. Ut eruaris a muliere aliena, et ab extranea quæ mollit sermones suos, et reliquit ducem pubertatis suæ, et pacti Dei sui oblita est.

*Et post tredecim versus* [iii.]: Misericordia et veritas non te deserant: circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui; et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo, et hominibus. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum. Time Deum, et recode a malo. *Et post unum versum*: Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum. *Et post duos versus*: Disciplinam Domini, fili mi, ne abicias; nec deficias, cum ab eo corripieris. Quem enim diligit Dominus, corrumpit; et quasi pater in filio complacet sibi. Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auro primo fructus ejus: pretiosior est cunctis opibus; et omnia quæ desiderantur, huic non valent compa-

rari. *Et post decem versus*: Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: Custodi legem atque consilium. *Et post novem versus*: Noli prohibere benefacere eum qui potest; si vales, et ipse benefac. Ne dicas amico tuo, Vade, et revertere, et cras dabo tibi; cum statim possis dare. Ne moliaris amico tuo malum; cum ille in te habeat fiduciam. Ne contendas adversus hominem frustra. *Et post septem versus*: Illusores ipse deludet, et mansuetis dabit gratiam.

*Et post quadraginta tres versus* <sup>1</sup> [iv.]: Omni custodia serva cor tuum; quia ab ipso vita procedit. Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te. Oculi tui recta videant; et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Dirige sentiam pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur. Ne declines in dexteram aut in sinistram. Averte pedem tuum a malo. Vias enim quæ a dextris sunt novit Dominus; perversæ vero sunt quæ a sinistris sunt. Ipse autem rectos facit cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.

[v.] Fili mi, attende sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam; ut custodias cogitationes, et disciplinam labia tua conservent. Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus. Novissima autem illius amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps. Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant.

*Et post nonaginta septem versus* [vi.]: Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, ne capiaris ruti-bus illius. Pretium enim scorti, vix unius est panis: mulier autem viri pretiosam animam capit. Numquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus eum tetigerit eam. Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim, ut esurientem impleat animam; deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suæ tradet. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam.

*Et post quatuor versus* [vii.]: Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. Serva <sup>2</sup> mandata mea, et vive, et legem meam quasi pupillam oculi tui.

*Et post quinquaginta septem versus* [viii.]: Intelligite, parvuli, astutiam; et insipientes, animadvertite. *Et post duos versus*: Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium <sup>3</sup>. *Et post*

<sup>1</sup> Pigebat annotare circa versuum recensionem errata quam frequentissima, quæ videlicet postquam in Amerbachianam editionem semel inducta sunt, alias deinceps editiones reluctantibus Mss. codicibus constanter occupantur. Attamen de insignioribus aliquot castigationibus non silendum videtur hoc loco. Nam in editis pro: *Et post quadraginta tres*, legebatur: *Et post viginti quatuor*: item infra ubi habes: *Et post nonaginta septem*, in illis habebas: *Et post plures versus*: atque ubi nunc: *Et post quinquaginta septem*; ibi ferebatur: *Et post aliquot versus*: quibus locis aliisque propemodum innumeris restitimus lectionem Mss. unde intelligi facilius queat cuiusnam rationis, cujusve mensuræ versus illi fuerint, qui computantur ab Augustino.

<sup>2</sup> Mss.: *Scrutare*.

<sup>3</sup> ic Mss. juxta Vulgatam. At editi habebant: *Et labia mea non attestantur impium*.

*tres versus* : Accipite disciplinam meam et non pecuniam ; doctrinam magis quam aurum diligite. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis ; et omne desiderabile ei non potest comparari. *Et post duos versus* : Timor Domini odit malum ; arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestatur. *Et post sex versus* : Ego diligentes me diligo ; et qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiarum et gloria, opes superbae et iustitia. Melior est fructus meus auro et pretioso lapide, et gemina mea argento electo. In viis iustitiae ambulo, in medio semitarum iudicii ; ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. *Et post viginti tres versus* : Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. Qui autem in me peccaverit, laedet animam suam. Omnes qui me odierunt, diligunt mortem.

*Et post novem versus [ix.]* : Relinquitte infantiam, et rivite, et ambulate per vias prudentiae. Qui erudit derisorem, ipse sibi facit injuriam ; et qui arguit impium, generat maculam sibi. Noli arguere derisorem, ne oderit te : argue sapientem, et diliget te. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum, et festinabit accipere. Principium sapientiae timor Domini, et scientia sanctorum, prudentia.

*Et post decem et octo versus [x.]* : Non proderunt thesauri iniquitatis ; iustitia vero liberabit a morte. *Et post quatuor versus* : Qui congregat in messe, filius sapiens est : qui autem sterit aestate, filius confusio-nis. *Et post quatuor versus* : Sapiens corde praecipua suscipiet : stultus caeditur labiis. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter : qui autem depravat vias suas, manifestus erit. Qui annuit oculo, dabit dolorem : stultus labiis verberabitur. Vena vitae, os iusti ; et os impiorum operit iniquitatem. Odium suscitatur rixas ; et universa delicta operit charitas. In labiis sapientis invenietur sapientia ; et virga in dorso ejus qui indiget corde. Sapientes abscondunt sapientiam : os autem stulti confusio-ni proximum est. *Et post quatuor versus* : Via vitae custodienti disciplinam : qui autem increpationes relinquit, errat. Abscondunt odium labia mendacia. Qui profert contumeliam, insipiens est. In multiloquio peccatum non deerit : qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. Argentum electum lingua iusti : cor impiorum pro nihilo. Labia iusti erudiant plurimos : qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur. Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio. Quasi per risum stultus operatur scelus : sapientia autem est viro prudentia. Quod timet impius, venit super eum : desiderium suum iustus dabitur. *Et post duos versus* : Sicut acetum dentibus, et fumus oculis ; sic piger iis qui miserunt eum. Timor Domini apponet dies ; et anni impiorum breviabuntur. Expectatio iustorum, laetitia : spes autem impiorum peribit. Fortitudo simplicis via Domini ; et pavor iis qui operantur malum. Iustus in aeternum non commovebitur : impii autem non habitabunt in terra. Os iusti parturiet sapientiam : lingua pravorum

peribit. Labia iusti considerant placita, et os impiorum perversa.

[ xi. ] Statera dolosa, abominatio apud Deum ; et pondus aequum, voluntas ejus. Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia : ubi autem humilitas, ibi et sapientia. Simplicitas iustorum dirigit eos ; et supplantatio perversorum perdet illos. Non proderunt divitiae in die ultionis : iustitia autem liberabit a morte. Iustitia simplicis diriget viam ejus ; et in impietate sua corrueat impius. Iustitia rectorum liberabit eos ; et in insidiis suis capiuntur iniqui. Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes, et expectatio sollicitorum peribit. *Et post quinque versus* <sup>1</sup> : Qui despicit amicum suum, indigens corde est : vir autem prudens tacebit. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana : qui autem fidelis est animi <sup>2</sup>, celat commissum. Ubi non est gubernator, populus corrueat : salus autem, ubi multa consilia. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo : qui autem cavet laqueos, securus erit. *Et post duos versus* : Benefacit animae suae vir misericors : qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit. *Et post tres versus* : Abominabile Domino pravum cor ; et voluntas ejus in iis qui simpliciter ambulant. Manus in manu, non erit innocens malus : semen autem iustorum salvabitur. *Et post duos versus* : Desiderium iustorum omne bonum est : praestolatio impiorum furor. Alii dividunt propria, et ditiores fiunt : alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. Anima quae benedicit, impinguabitur : et qui inebriatur, ipse quoque inebriabitur. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis : benedictio autem super caput vendentium. Bene consurgit diluculo, qui quaerit bona : qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis. Qui confidit in divitiis suis, hic corrueat : iusti autem quasi virens folium germinabunt. *Et post quatuor versus* : Si iustus in terra recipit, quanto magis impius et peccator ?

[ xii. ] Qui diligit disciplinam, diligit scientiam : qui autem odit increpationes, insipiens est. Qui bonus est, hauriet a Domino gratiam : qui autem confidit in cogitationibus suis, impie agit. Non roborabitur homo ex impietate, et radix iustorum non commovebitur. *Et post aliquot versus* <sup>2</sup> : Desiderium impii, munimentum est pessimorum : radix autem iustorum proficiet. Propter peccata labiorum ruina proximat malo : effugiet autem iustus de angustia. De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, et juxta opera manuum suarum retribuetur ei. Via stulti, recta in oculis ejus : qui autem sapiens est, audit consilia. *Et post quatuor versus* : Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiae : lingua autem sapientium sanitas est. Labium veritatis firmum erit in perpetuum : qui au-

<sup>1</sup> Regius codex, *Et post iii versus*. Carnutensis : *Et post i versus*. Forte legendum, *Et post vii versus*.

<sup>2</sup> In Regio Ms. loco *animi*, habetur, *amici*. Utraque vox simul recepta est in Bibliis Sixti auctoritate castigatis. At tamen, *amici*, deest in vetusto Bibliorum codice Corbeiensis.

<sup>3</sup> In Mss. : *Et post decem versus* : plures tamen interjectu esse videntur, nisi forte isti versus erant solito prolixiores.



tem testis est repentinus, concinnat linguam mendacem. Dolus in corde cogitantium mala : qui autem ineunt pacis consilia, sequetur eos gaudium. Non contristabit justum quicquid ei acciderit : impii autem replebuntur malo. Abominatio Domini <sup>1</sup>, labia mendacia : qui autem fideliter agunt, placent ei. Homo versutus celat scientiam : et cor insipientium provocabit stultitiam. *Et post duos versus* : Mœror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur. Qui negligit damnum propter amicum, justus est : iter autem impiorum decipiet eos. Non inveniet fraudulentus lucrum, et substantia hominis erit auri pretium. In semita justitiæ vita : iter autem devium ducit ad mortem.

[xiii.] Filius sapiens, doctrina patris : qui autem illusor est, non audit cum arguitur. De fructu oris sui homo saturabitur bonis : anima autem prævaricatorum iniqua. Qui custodit os suum, custodit animam suam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Vult et non vult piger : anima autem operantium impinguabitur. Verbum mendax justus detestabitur : impius autem confundit et confundetur. Justitia custodit innocentis viam : impietas vero peccatores supplantat. Est quasi dives, cum nihil habeat ; et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit. Redemptio animæ viri, divitiæ suæ : qui autem pauper est, increpationem non sustinet. Lux justorum lætificat : lucerna impiorum extinguetur. Læter superbos semper jurgia sunt : qui autem agunt cuncta consilio, reguntur sapientia. Substantia festinata minuatur : quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Spes quæ differtur, affligit animam : lignum vitæ desiderium veniens. Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat : qui autem timet præceptum, in pace versabitur. Lex sapienti fons vitæ, ut declinet a ruina mortis. Doctrina bona dabit gratiam : in itinere contemptorum vorago. *Et post aliquot versus* <sup>2</sup> : Qui parcat virgæ suæ, odit filium suum : qui autem diligit illum, instanter erudit. Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.

*Et post duos versus* [xiv.] : Ambulans recto itinere, et timens Deum, despicietur ab eo qui infami graditur via. In ore stulti virga superbix : labia sapientium custodiunt eos. *Et post duos versus* : Testis fidelis non mentietur : profert mendacium testis dolosus. Quærit derisor sapientiam, et non invenit : doctrina sapientium facilis. Vade contra virum stultum, et nescito labia imprudentiæ <sup>3</sup>. Sapientia callidi est intelligere viam suam ; et imprudentia stultorum errans. Stultus illudet peccatum : inter justos morabitur gratia. Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus. Domus impiorum delebitur : tabernacula vero justorum germinabunt. Est via quæ videtur homini justa ; novissima autem ejus deducunt ad mortem. Risus dolore misce-

bitur, et extrema gaudii luctus occupat. *Et post tres versus* : Sapiens timet, et declinat malum : stultus transilit, et confidit. Impatiens operabitur stultitiam ; et vir versutus odiosus est. *Et post quatuor versus* : Qui despicit proximum suum, peccat : qui autem miseretur pauperis, beatus erit. Errant qui operantur malum : misericordia et veritas præparant bona. In omni opere <sup>1</sup> erit abundantia : ubi autem verba sunt plurima, frequenter egestas. *Et post quatuor versus* : In timore Domini fiducia fortitudinis ; et filiis ejus erit spes. Timor Domini fons vitæ, ut declinet <sup>2</sup> a ruina mortis. *Et post duos versus* : Qui patiens est, multa gubernatur prudentia : qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. Vita carniū sanitas cordis : putredo ossium invidia. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus : honorat autem eum, qui miseretur pauperis.

*Et post septem versus* [xv.] : Responsio mollis frangit iram : sermo durus suscitatur furor. Lingua sapientium ornat scientiam : os fatuorum ebullit stultitiam. *Et post septemdecim versus* : Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur. *Et post duodecim versus* : Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles. Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio. Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est mitigat suscitatas. Iter pigrorum quasi sepes spinarum : via justorum absque offenculo. Filius sapiens lætificat patrem : et stultus homo despicit matrem suam. *Et post duos versus* : Dissipantur cogitationes ubi non est consilium : ubi vero plures sunt consilarii, confirmantur. Lætatur homo in sententia oris sui ; et sermo opportunus est optimus. Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo. *Et post quatuor versus* : Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam : qui autem odit mœnera, vivet. Mens justi meditabitur obedientiam : os impiorum redundat malis. Longe est Dominus ab impiis ; et orationes justorum exaudiet. Lux oculorum lætificat animam : fama bona impinguat ossa. Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur. Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam : qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Timor Domini, disciplina sapientiæ ; et gloriam præcedit humilitas.

[xvi.] : Hominis est animum præparare, et Dei gubernare linguam. Omnes viæ hominum patent oculis ejus : spirituum ponderator est Dominus. Revela Domino opera tua, et dirigentur cogitationes tuæ. Unversa propter semetipsum operatus est Dominus ; impium quoque ad diem matum. Abominatio Domini omnis arrogans : etiamsi manu ad mortem fuerit <sup>3</sup>, non erit innocens. Misericordia et veritate redimitur iniquitas, et in timore Domini declinat a malo. Cum

<sup>1</sup> Mas., in omni opere bono.

<sup>2</sup> In sacris Bibliis castigatioribus, declinent.

<sup>3</sup> In Vulgata nunc legitur, manus ad manum : et infra post, non erit innocens, interponitur hæc sententia : *Initium viæ bonæ, facere justitiam* etc. : quæ nec est in hebræo, nec in antiquis Corb. Bibliis versionis Vulgatæ : ascita est ex LXX.

<sup>1</sup> Vulgata : Abominatio est Domino.

<sup>2</sup> Regium codex : Et post xv versus.

<sup>3</sup> Vulgata, et nescit labia prudentiæ.

placuerit Domino via hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate. Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressus ejus. Divinatio in labiis regis; in iudicio non errabit os ejus. Pondus et statera iudicia Domini sunt, et opera ejus omnes lapides sæculi<sup>1</sup>. Abominabiles regi qui agunt impie; quoniam iustitia firmatur solium. Voluntas regum labia justa: qui recta loquitur, dirigetur. Indignatio regis nuntii mortis; et vir sapiens placabit eam. In hilaritate vultus regis, vita; et clementia ejus, quasi imber serotinus. Posside sapientiam, quia auro melior est: et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. Semita justorum declinat mala; custos animæ suæ servat viam suam. Contritionem præcedit superbia; et ante ruinam exaltatur spiritus. Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis. Eruditus in verbo reperiet bona; et qui in Domino sperat, beatus est. Qui sapiens corde est, appellabitur prudens; et qui duleis eloquio, majora percipiet. *Et post septemdecim versus*: Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animæ suæ, expugnatore urbium. Sortes mittuntur in sinum; sed a Domino temperantur.

[xvii.] Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio. Servus sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratres hereditatem dividet. Sicut igne probatur argentum, et aurum camino; ita corda probat Dominus. Malus obedit linguæ iniquæ, et fallax obtemperat labiis mendacibus. Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus; et qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Corona senum filii filiorum; et gloria filiorum patres sui. Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens. Gemma gratissima expectatio præstolantis; quocumque se verterit, prudenter intelliget. Qui celat delictum, quærit amicitias: qui altero sermone repetit, separat fœderatos. Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum. Semper jurgia quærit malus: angelus autem crudelis mitetur contra eum. Expediit magis ursæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti sibi in stultitia sua. Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum; et antequam patiatur contumeliam, iudicium describit. Et qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. *Et post sexdecim versus*: Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas iudicii. In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ. *Et post tres versus*<sup>2</sup>: Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est, et pretiosi spiritus vir eruditus.

*Et post duos versus* [xviii.]: Occasiones quærit qui vult recedere ab amico; omni tempore erit exprobra-

<sup>1</sup> Legendum, *sæculi*, non *sæculi*: et paulo infra, *diligetur*, non *dirigetur*: quæ mendæ etiam in sacra Biblia irrepserant.

<sup>2</sup> *Mss.*: *Et post xvii versus*: insigni lapsu amanuensium; sat certe codex ille Proverborum, qui ab Augustino legebatur, sententias eo loci plures quam sacra Biblia exhibebat.

bilis. *Et post sex versus*: Accipere personam impij non est bonum, ut declines a veritate iudicii. *Et post sex versus*: Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Turris fortissima nomen Domini: ad ipsam currit iustus, et exaltabitur. *Et post duos versus*: Antequam conteratur, exaltatur cor hominis; et antequam gloriâfetur, humiliatur. *Et post septem versus*: Justus est prior accusator sui; venit amicus ejus, et investigabit eum. Contradictiones comprimit mors, et inter potentes quoque dijudicat. Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma, et iudicia quasi vœtes urbium. *Et post duos versus*: Mors et vita in manu linguæ; qui diligunt eam, comedent fructus ejus. Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum; et hauriet jucunditatem a Domino<sup>3</sup>. Cum obsecrationibus loquetur pauper; et dives effabitur rigide. Vir amicibilis ad societatem, magis amicus erit quam frater.

[xix.] Melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quam dives torquens labia, et insipiens. Ubi non est scientia animæ, non est bonum; et qui festinus est, pedibus offendit. Stultitia hominis supplantat gressus ejus, et contra Deum fervet animo suo. Divitiæ addunt amicos plurimos: a paupere autem et quos habuit separantur. Testis falsus non erit impunitus; et qui mendacia loquitur, non effugiet. Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis. Fratres hominis pauperis oderunt eum; et insuper et amici procul recesserunt ab eo. Qui tantum verba sectatur, nihil habebit: qui autem possessor est mentis, diligit animam suam. *Et post decem versus*: Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta cœsuriat. Qui custodit mandatum, custodit animam suam; qui autem negligit vias suas, mortificabitur. Feneratur Domino qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei. Erudi filium tuum, ne desperes. *Et post sex versus*: Homo indigens misericors est; et melior pauper quam vir mendax. Timor Domini ad vitam, et in plenitudine commorabitur absque visitatione pessimi<sup>4</sup>. *Et post duos versus*: Pestilente flagellato stultus sapientior erit: sin autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. Qui affligit patrem, et fugit<sup>5</sup> matrem, ignominiosus est et infelix. Non cesses, fili, audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ. Testis iniquus deridet iudicium; et os impiorum devorat iniquitatem. Parata sunt derisoribus iudicia, et mallet percipientes stultorum corporibus.

[xx.] Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas: quicumque in his delectatur, non erit sapiens. *Et post aliquos versus*: Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum. Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et si recta sint opera

<sup>1</sup> In editis addebatur hic: *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonam: qui autem tenet adulteram, stultus est et insipiens*: quod etiam in vulgata nunc interpositum est ex LXX. Sed in antiquis Bibliis Corb. non reperitur, neque in hebræo: abest quoque ab Augustini speculo in *Mss.* qui mox proseguuntur sic, *cum obsecratione*, etc.

<sup>2</sup> Apud vulgatam, *pessima*: quamquam in Bibliis Corb., *pessimi*.

<sup>3</sup> Legendum, *fugit*, ut in Bibliis emendatis Porro Regius codex pro, *fugit*, habet hic, *confundit*.

ejus. *Et post duos versus* : Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat : aperi oculos tuos, et saturare ponibus : *Et post septemdecim versus* : Abominatio est apud Deum pondus et pondus ; statera dolosa non est bona.

*Et post viginti quinque versus [xxi.]* : Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. Munus absconditum exstinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam. Gaudium iusto est facere iudicium ; et pavor operantibus iniquitatem. Vir qui erraverit a via doctrinae, in caetu gigantium reputabitur. *Et post novem versus* : Qui custodit os suum et linguam, custodit ab angustiis animam suam. Superbus et arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam. Desideria occidunt pigrum ; noluerunt enim quidquam manus ejus operari. Totā die concupiscit et desiderat : qui autem justus est tribuet, et non cessabit. Hostiae impiorum abominabiles ; quia offeruntur ex scelere. Testis mendax peribit : vir bene dicens <sup>1</sup>, loquitur victoriam.

*Et post quinque versus [xxii.]* : Melius est nomen bonum, quam divitiarum multarum. *Et post quindecim versus* : Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur : de panibus enim suis dedit pauperi <sup>2</sup>. Ejice derisorem, et exhibit cum eo jurgium, cessabuntque causae et contumeliae. *Et post quatuor versus* : Dicit piger, Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. *Et post tres versus* <sup>3</sup> : Qui calumniatur pauperem ut auget divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit. *Et post octo versus* : Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egerem in porta ; quia Dominus iudicabit causam ejus, et configet eos qui confixerunt animam ejus. Noli esse amicus homini iracundo ; neque ambules cum viro furioso : ne forte discas senitas ejus, et sumas scandalum animae tuae. Noli esse cum iis qui desigunt manus suas, et qui vades se offerunt pro debitis.

*Et post aliquantum [xxiii.]* : Noli subtrahere a puero disciplinam : si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, et animum ejus de inferno liberabis. *Et post octo versus* : Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt. *Et post viginti versus* : Ne intaearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur blande ; sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.

*Et post septem versus [xxiv.]* : Ne amuleris, inquit, viros malos, nec desideres esse cum eis ; quia rapinas meditatur necs eorum, et fraudes labia eorum loquuntur. *Item post sexdecim versus* : Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris, Vires non suppetunt : qui inspector est cordis, ipse intelligit ; et servatorem

animae tuae nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua. *Item post novem versus* : Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exultet cor tuum : ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ad eum iram suam. Ne contendas cum pessimis <sup>4</sup>, nec amuleris impios. *Et post duos versus* : Time Dominum, fili mi, et regem ; et cum detractoribus non commiscearis : quoniam repente consurget perditio eorum ; et ruinam utriusque quis novit ? Haec quoque sapientibus : Cognoscere personam in iudicio, non est bonum. Qui dicit <sup>5</sup> impio, Justus es ; maledicent ei populi, et detestabuntur eum tribus. Qui arguunt, laudabuntur, et super ipsos veniet benedictio. Labia deosculabitur qui recta verba respondet. *Et post duos versus* : Ne sis testis frustra contra proximum tuum, nec lactes quemquam labiis tuis. Nec dicas, Quomodo fecit mihi, sic faciam ei : reddam unicuique secundum opus suum. Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti ; et ecce totam repleverant urticae, opernerant superficiem ejus spinae : et maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam.

*Et post viginti versus [xxv.]* : Quae viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito ; ne postea emendare non possis, cum dishonestaveris amicum tuum. Causam tuam tracta cum amico tuo ; et secretum extraneo non reveles ; ne forte insultet tibi cum audierit, et exprobrare non cesset. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Inauris aurea et margarita fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem. *Et post septemdecim versus* : Acetum in nitro est, qui cantat carmina cordi pessimo <sup>6</sup>. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; et si sitierit, da ei aquam bibere : prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi. *Et post decem versus* : Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, sic vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

*Et post duos versus [xxvi.]* : Sicut avis ad alia <sup>7</sup> transvolans, et passer quo libet vadens ; sic maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet. Flagellum equo, et chamus asino, et virga dorso imprudentium. Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam ; ne effliciaris ei similis. Responde stulto juxta stultitiam suam ; ne sibi sapiens esse videatur. *Et post decem versus* : Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam. Vidisti hominem sapientem sibi videri ; magis illo spem habebit stultus. Dicit piger, Leo est in via, et leaena in itineribus. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. Abscondit piger manus sub ascolla sua, et laborat si ad os suum eas converterit. Sapienter sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens

<sup>1</sup> Carnutensis Ms., cum impiis.

<sup>2</sup> Sic etiam Vulgata in Mss. Bibl. Corb. At in editis Bibliis habet in plurali, qui dicunt, etc.

<sup>3</sup> Nihil hic minus quam in hebraeo et antiquis Bibliis Corb. At in editis Bibliis additur ad huncce versum : sicut times vestimento, etc.

<sup>4</sup> Editi, ad alta. At Carnut. Ms., ad alta : sicut in Bibliis non mendosis legitur.

<sup>5</sup> In sacris Bibliis, vir obediens.

<sup>6</sup> Hoc loco LXX interponunt : Victoriam et honorem acquireret qui dat munera, etc. : quae sententia immissa est in Vulgatam ; cum non sit in hebraeo, neque in Corbeicensi codice versionis licet vulgatae.

<sup>7</sup> Ms. Regius : Et post u versus.

et commiscetur rixæ alterius. Sicut noxius est qui mittit lanceas et sagittas in mortem; sic vir qui fraudulentè nocet amico suo, et cum fuerit deprehensus dicit, Ludens feci. Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis; et susurrone subtracto, jurgia conquiescunt. Sicut carbonès ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitatur rixas. Verba susurratoris quasi simplicitia, et ipsa perveniunt ad intima ventris. *Et post tres versus*: Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractaverit dolos. Quando submisericiter vocem suam, ne credideris ei; quoniam septem nequitie sunt in corde illius. Qui operit odium fraudulentè, revelabitur malitia ejus in concilio. Qui fodit foveam, incidet in eam; et qui volvit lapidem, revertitur ad eum. Lingua fallax non amat veritatem; et os lubricum operatur ruinas.

[xvii.] Ne gloriaris in crastinum<sup>1</sup>, ignorans quid superventura pariat dies. Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua. *Et post quatuor versus*: Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula. *Et post tres versus*: Amicum tuum, et amicum patris tui ne dimiseris. *Et post aliquos versus*: Infernus et perditio non replentur: similiter et oculi hominum insatiabiles. Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum; sic probatur homo in ore laudantis<sup>2</sup>. Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.

*Et post aliquot versus*<sup>3</sup> [xviii.] Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbro vehementi, in quo paratur fames. Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui custodiunt, succedunt contra eum. Viri mali non cogitant iudicium: qui autem requirunt Dominum, animadvertunt omnia. Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dives in pravis itineribus. *Et post duos versus*: Qui concervat divitias usuris et fenore, liberali in pauperes congregat eas. Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corrueat, et simplices possidebunt bona ejus. *Et post quatuor versus*: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. Beatus homo qui semper est parvidus: qui vero mentis est duræ, corrueat in malum. *Item post duodecim versus*: Vir fidelis multum laudabitur: qui autem festinat ditari, non erit innocens. Qui cognoscit in iudicio faciem, non facit bene; iste et pro buccella panis deserit veritatem. Vir qui festinat ditari et aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit. Qui subtrahit aliquid a patre suo et a matre, et dicit, Hoc non est peccatum, particeps homicidæ est. Qui se jactat et dilatatur, jurgia concitat:

<sup>1</sup> Ms., in crastino.

<sup>2</sup> In Bibliis prelo editis additur hic: *Cor triqui inquit mala, etc.*, quod abest ab hebræo et ab antiquis Bibl. Corbeiensibus.

<sup>3</sup> Carnutensis codex: *Et post xx versus.*

qui autem sperat in Domino, sanabitur. Qui confidit in corde suo, stultus est: qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur. Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem sustinebit penuriam.

*Et post decem versus* [xxix.]: Homo qui blandis fletisque sermonibus loquitur amico suo, recte expandit gressibus ejus. *Et post viginti duos versus*: Servus verbis non potest erudiri; quia quod dicit intelligit, et respondere contemnit. Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio. *Et post quatuor versus*: Superbum sequitur humilitas, et humilem suscipiet gloria. Qui cum fure partitur, odit animam suam; adjurantem audit, et non indicat. Qui timet hominem, cito corrueat: qui autem sperat in Domino, sublevabitur. Multi requirunt faciem principis, et a Domino iudicium egreditur singulorum. Abominantur justis virum impium; et abominantur impii eos qui in recta sunt via.

*Et post quatuordecim versus* [xxx.]: Duo rogavi, ne deneges mihi antequam moriar: Vanitatem et verba mendacia longe fac a me. Mendacitatem et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria: ne forte saturatus illiciter ad negandum, et dicam, Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. Ne accuses servum ad dominum suum, ne forte maledicat tibi, et corrueas.

*Et post aliquantum* [xxxi.]: Aperi os tuum, decerne quod justum est, et judica inopem et pauperem.

*Satis sint ista de Parabolis. Deinde librum alium Salomonis, qui vocatur Ecclesiastes, intuentes, similiter ea quæ in illo invenerimus huic operi apta, monstrabimus.*

#### DE ECCLESIASTE.

[Cap. ii.] Et vidi quia tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris. Sapientis oculi in capite ejus: stultus in tenebris ambulat.

*Et post aliquantum* [iv.]: Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei<sup>1</sup>. Multo enim melior est obedientia quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciant mali.

[v.] Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, et tu super terram; idcirco sicut pauci sermones tui. Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenitur stultitia. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio: sed quodcumque voveris redde: multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram angelo, Non est providentia: ne forte iratus Deus super sermone tuo dissipet cuncta opera manuum tuarum. Ubi multa sunt somnia, plurimæ vanitates et sermones inumeri: tu vero Deum time. *Et post sex versus* Avarus non impletur pecunia; et qui amat divitias fructus non capiet ex eis.

<sup>1</sup> In vulgata versione additur, *et appropinqua ut audias.*

*Et post aliquantum [vii.]* Melius est ire ad domum tuam, quam ad domum convivii : in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. Melior est ira risu ; quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Cor sapientium, ubi tristitia est ; et cor stultorum ubi lætitia. Melius est a sapiente corripri, quam stultorum adulatione decipi : quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti. *Et post quatuor versus :* Melior est patiens arrogante. Ne velox sis ad irascendum ; quia ira in sinu stulti requiescit. Ne dicas, Quid putas causæ est quod priora tempora meliora fuerint, quam nunc sunt ? stulta est enim hujuscemodi interrogatio. *Et post tres versus :* Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo.

*Et aliquanto post [viii.] :* Ego os regis ob servo, et præcepta juramenti Dei. Ne festines recedere a facie ejus, neque permanes in opere malo. *Et paulo post,* Ex eo quod peccator, inquit, centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus ; sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Dei.

*Et post aliquantum [ix.] :* Dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. *Et post quatuor versus :* Melior est sapientia quam arma bellica : et qui in uno peccaverit, multa bona perdet.

*Et post duos versus [x.] :* Pretiosior est sapientia et gloria parva, ad tempus stultitia. *Et post tredecim versus :* Qui fodit foveam, incidet in eam ; et qui dissipat spem, mordebit eum coluber. Qui transfert lapides, affligetur in eis ; et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit ; multo labore exacuatur, et post industriam sequetur sapientia. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabant eum.

*Et paulo post [xi.] :* Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua ; et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum ; et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium. Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua. Adolescentia enim et voluptas vana sunt.

[xii.] Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ. *Et post aliquos versus :* Deum time, et mandata ejus observa.

#### DE CANTICO CANTICORUM.

*Restat ille liber Salomonis, cujus inscriptio est, Canticum canticorum. Sed de illo in hoc opus quid transferre possumus, cum totus amoris sanctos Christi et Ecclesie figurata locutione commendat, et prophetica pronuntiet altitudine ? nisi quod in eo, quamvis sit ad intelligendum difficillimum, possumus tamen facile advertere. quantum sit divina illa et divinitus inspirata cha-*

<sup>1</sup> Regias Ms.: *Et post xxxiii versus.*

*ritas appetenda, quantisque pendenda : quandoquidem non ibi semel dicitur, sed alio atque alio loco iterum ac tertio repetitur [Capp. ii, iii, viii.] :* Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitatis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, in virtutibus et viribus agri, si levaveritis charitatem quoadusque velit (a). *Ecclesia quippe, in qua utique sumus, his verbis exhortatur filias suas, hoc est, seipsam in plurimis constitutam. Ipsa est ager Dei fructuosissimus, cujus virtutes et vires magnæ sunt, ad quas amando Christum martyres pervenerunt. Nam quo usque vult ille dilectæ suæ in hac interim vita charitatem levare<sup>1</sup>, nisi quo usque ipse docuit verbo, et suo est hortatus exemplo, dicens, Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis [Joan. xv, 13] : et quod dixit efficiens ? Unde ne ad ipsum solum hoc pertinere videretur, ait Joannes in Epistola sua, Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere [I Joan. iii, 16] : hoc ergo est, quoad usque velit.*

*Legitur etiam in eodem Cantico [ii.] :* Ordinate in me charitatem.

*Christus quoque ipse ibi dicit [vi.] :* Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem.

*Et alibi [vii.] :* Quam pulchra es et quam decora, charissima, in deliciis !

*Et alio loco [viii.] :* Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum : quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. *Et post unum versum :* Aquæ multæ non poterunt<sup>2</sup> extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet<sup>3</sup> eam.

#### DE LIBRO JOB.

[Cap. xxiv.] Qui noverunt eum, ignorant dies illius. Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, et rapuerunt eos. Asinum pupillorum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduæ. *Et post quinque versus :* Agrum non suum demetunt ; et vineam ejus quem vi oppresserunt, vindemiant. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. *Et post duos versus :* Vium fecerunt deprædantes pupillos, et vulgum pauperem spoliaverunt. Nudis et incedentibus absque vestitu et esurientibus tulerunt spicas. *Et post duos versus :* De civitatibus fecerunt viros gemere ; et anima vulneratorum clamavit ; et Deus inultum abire non patitur. Ipsi fuerunt rebelles lumini : nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas illius. *Et post viginti et unum versus :* Conteratur quasi lignum infructuosum. Pavit enim sterilem, et quæ non parit ; et viduæ breve non fecit. Detrahit fortem in fortitudine sua.

<sup>1</sup> Mss., *levare.*

<sup>2</sup> Sic Vulgata in editis. At in Mss. Bibliis Corh., *poterunt.* Apud LXX, *hædôr potu on danæetæ.*

<sup>3</sup> Mss. duo, *despiciunt.*

(a) Istud et alterum proxime subjectum testimonium ; et LXX, reliqua vero juxta Vulgatam præfert.

*Et post aliquantum [xxix.]:* Auris audiens beatificabat me; et oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum; et causam quam nesciebam, diligenter investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferam prædam.

*Et aliquanto post [xxxi.]:* Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus; appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam. Si declinavit gressus meus de via; et si secutus est oculus meus cor meum<sup>1</sup>, et in manibus meis adhæsit macula. *Et post duos versus:* Si deceptum est cor meum super mulierem; et si ad ostium amici mei insidiatus sum. *Et post duos versus:* Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genuina. Si contempsi iudicium subire cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me. *Et post quatuor versus<sup>2</sup>:* Si negavi quod volebant pauperibus, et oculus viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillum ex ea. Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit vestimentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calcfactus est. Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me superiorem in portis. *Et post quinque versus:* Si putavi aurum robur meum, et obryzo dixi, Fiducia mea. Si lætatus sum super multas divitias meas, et quia plurima reperit manus mea. *Et post sex versus:* Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum. *Et post quatuor versus:* Foris non mansit peregrinus; ostium meum viatori patuit. Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam. Si expavi ad multitudinem inimicam, et despectio propinquorum terruit me; et non magis tacui, nec egressus sum ostium. Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum Omnipotens audiat, et librum scribat ipse qui iudicat; ut in humero meo portem illum, et circumdem<sup>3</sup> quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, et quasi principi<sup>4</sup> offeram eum. Si adversam me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus descent. Si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum affixi.

*Nunc jam de libris Prophetarum quæ sunt huic operi necessaria colligamus. Ac primum de his Prophetis qui propter brevitatem voluminum suorum Minores vocantur. Ergo apud Osee prophetam ista comperimus.*

<sup>1</sup> Legendum ut in melioribus Bibl.: Si secutus est oculus meos cor meum.

<sup>2</sup> Regius codex: Et post vi versus.

<sup>3</sup> Mss. Omittunt, et circumdem.

<sup>4</sup> Ms. Regius, principem.

## DE LIBRO OSEE.

[Cap. iv.] Audite verbum Domini, filii Israel, quæ iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. *Et post duodecim versus:* Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. *Et post quindecim versus:* Quoniam Dominum reliquerunt in non custodiendo. Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferit cor. *Et post septemdecim versus:* Quoniam ipsi cum meretricibus versabantur, et cum effeminatis sacrificabant. Et populus non intelligens vapulabit. Si fornicaris tu, Israel, non delinquit saltem Juda. Et nolite ingredi in Gaigala; et ne ascendatis in Bethave; neque juraveritis, Vivit Dominus.

*Et post aliquot versus<sup>1</sup> [v.]:* Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum Deum suum; quia spiritus fornicationis in medio eorum, et Dominum non cognoverunt.

*Et post sexaginta et unum versus [vi.]:* Iudicia tua quasi lux egredientur. Quia misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta.

*Et post aliquantum [x.]:* Seminate vobis in iustitia, et metite in ore misericordiarum: innovate vobis novale. Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos iustitiam.

*Et post septuaginta octo versus [xii.]:* Et tu ad Dominum Deum converteris<sup>2</sup>: misericordiam et iudicium custodi; et spera in Domino Deo tuo semper.

*Et post quinquaginta et unam versus [xiii.]:* Ego autem Dominus Deus tuus eduxi te de terra Ægypti<sup>3</sup>; et dominum absque me nescies, et salvator non est præter me.

*Et post triginta novem versus [xiv.]:* Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum; quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum: dicite ei, Omnem iniquitatem aufer, et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum.

## DE LIBRO JOEL.

[Cap. i.] Expergiscimini ebrii, et flete, et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine; quoniam perit ab ore vestro. Gens enim ascendit super terram meam fortis et innumerabilis.

*Et post aliquantum [ii.]:* Nunc ergo dicit Dominus, Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis et in fletu, et in planctu; et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra: et convertimini ad Dominum Deum vestrum; quia benignus et misericors est.

## DE LIBRO AMOS.

[Cap. ii.] Hæc dicit Dominus: Super tribus scele-

<sup>1</sup> Ms. Regius: Et post viii versus.

<sup>2</sup> Ms. Regius, convertere.

<sup>3</sup> Vulgata, Deus tuus ex terra Ægypti: præternisso, eduxit te; quod ex LXX acceptum est.

ribus Juda, et super quatuor non convertam eum; eo quod abjecerint legem Domini, et mandata ejus non custodierint. Deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierunt patres eorum. *Et post duos versus*: Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum; præ eo quod vendiderint pro argento justum, et pauperem pro calcementis. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium declinant. Et filius ac pater ejus urnal ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum. *Et post unum versum*: et vinum, *inquit*, damnatorum bibebant in domo Dei sui.

*Et aliquanto post* [v.]: Quia hæc dicit Dominus domui Israel: Quærite me, et vivetis. *Et post tres versus*: Quærite Dominum, et vivite. *Et post octo versus*: Odio habuerunt in porta corripientem, et loquentem perfecte abominati sunt. Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo. *Et post tres versus*: Quia cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra. Hostes justis, accipientes munus, et pauperes in porta deprimentes. *Et post duos versus*: Quærite bonum et non malum, ut vivatis; et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis. Odit malum, et diligit bonum, et constituit in porta iudicium; si forte misereatur Dominus exercituum reliquiis Joseph.

*Et post aliquot versus* [vi.]: Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege, et vitulum de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterii: sicut David putaverunt se habere vasa cantici; bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.

*Et post aliquantum* [vii.]: Audite hoc qui conteritis pauperem, et desicere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit messis<sup>1</sup>, et venundabimus merces; et sabbatum, et aperiemus frumentum: ut minuamus mensuram, et augcamus siclum, et supponamus stateras dolosas; ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calcementis, et quisquilias frumenti vendamus.

#### DE LIBRO MICHÆÆ.

[Cap. ii.] Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt illud; quoniam contra Deum manus eorum. Et concupierunt agros, et violenter tulerunt, et domos rapuerunt; et calumniabantur virum et domum ejus, virum et hereditatem ejus.

*Et post aliquantum* [iii.]: Audite hæc, principes domus Jacob, et iudices domus Israel, qui abominamini iudicium, et omnia recta pervertitis. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus iudicabant; et sacerdotes ejus in mercede docebant; et prophetæ ejus in pecunia divinabant, et super Dominum requiescebant, dicentes: Numquid non Deus in medio nostrum? Non venient super nos mala.

*Et post aliquantum* [vi.]: Indicabo tibi, o homo,

<sup>1</sup> In sacris Bibliis, *mensis*.

quid sit bonum, et quid Dominus quærat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Et post tres versus*: Adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. Numquid justificabo stateram impiam, et sacculi pondera dolosa? In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore eorum.

*Et post duodecim versus* [vii.]: Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea. Perit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur; vir fratrem suum venatur ad mortem: malum manuum suarum dicunt bonum. Princeps postulat, et iudex in reddendo est, et magnus locutus est desiderium animæ suæ.

#### DE LIBRO HABACUC.

[Cap. i.] Contra me factum est iudicium, et contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem iudicium: quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur iudicium perversum.

*Et paulo post* [ii.]: Justus autem in fide sua vivit. Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur. *Et post aliquantum*: Quid prodest sculptile, quia illud sculpsit fletor suus conflatile et imaginem falsam; quia speravit in figmento fletor ejus, ut faceret simulacra muta? Væ qui dicit ligno, Expergiscere; Surge, lapidi tacenti. Numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro et argento, et omnis spiritus non est in visceribus ejus. Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie ejus omnis terra.

#### DE LIBRO SOPHONIAE.

[Cap. i.] Disperdam, *inquit*, de loco hoc reliquias Baal, et nomina ædituorum cum sacerdotibus; et eos qui adorant super tecta militiam cœli, et adorant, et jurant in Domino, et jurant in Melchom; et qui avertuntur de post tergum Domini; et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum. Silete a facie Domini; quia juxta est dies Domini. *Et post sexdecim versus*: Et erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in facibus suis, qui dicunt in cordibus suis, Non faciet bene Dominus, et non faciet male.

*Et post aliquot versus* <sup>1</sup> [ii.]: Convenite, congregamini, gens non amabilis, priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies furoris Domini. Quærite Dominum, omnes mansueti terræ, qui iudicium ejus estis operati. Quærite justum, quærite mansuetum; si quomodo abscondamini in die furoris Domini.

*Et post aliquantum* [iii.]: Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum; et sperabunt in nomine Domini reliquie Israel: non facient iniqui-

<sup>1</sup> Ms. Regius: *Et post xviii versus*.

tatem, nec loquentur mendacium, et non inveniatur in ore eorum lingua dolosa.

#### DE LIBRO ZACHARIÆ.

[Cap. v.] *Cum de volumine loqueretur, quod vidit in spiritu* : Et dixit ad me, Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter; et commorabitur in medio domus ejus, et consumet eum, et ligna ejus, et lapides ejus.

*Et post aliquantum* [vi.] : Et factum est verbum Domini ad Zachariam dicens, Hæc ait Dominus exercituum dicens : Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo; et viduam et pupillum et advenam et pauperem nolite calumniari, et malum viri fratri suo non cogitet in corde suo.

*Item post aliquantum* [viii.] : Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris; et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, et juramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.

#### DE LIBRO MALACHIÆ.

[Cap. 1.] Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum?

*Et paulo post* [ii.] : Ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in Lege. Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? Transgressus est Judas, et abominatio facta est in Israel, et in Jerusalem; quia contaminavit Judas sanctificationem Domini quam dilexit, et habuit filiam dei alieni. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob, et offerentem munus Domino exercituum. Et hoc rursus fecistis : operiebatis lacrymis altare Domini, fletu et mugitu, ita ut ultra non respiciam ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. Et dixistis, Quam ob causam? Quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti : et hæc particeps tua et uxor fœderis tui. Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus? Et quid unusquisque querit, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum; et uxorem adolescentiæ tuæ noli despiciere. Cum odio habueris eam, dimitte, dicit Dominus Deus Israel : operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum. Custodite spiritum vestrum, et nolite despiciere. Laborare fecistis Dominum in sermonibus ve-

<sup>1</sup> Vulgata versio : *Et quid unus querit, etc.* LXX autem : *Quod aliud præter semen querit Deus?*

stris, et dixistis, In quo eum fecimus laborare? In eo cum diceretis, Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent; aut certe ubi est dies judicii?

*Et post quindecim versus* [iii.] : Et accedam ad vos, *inquit*, in judicio, et ero testis velox maleficis et adulteris et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas<sup>1</sup> et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timeverunt me, dicit Dominus exercituum. Ego enim Dominus, et non mutor; et vos filii Jacob non estis consumpti. A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, et non custodistis. Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. *Et post quindecim versus* : Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus : Et dixistis, Quid locuti sumus? Dixistis, Vanus est qui servit Deo : et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes : siquidem ædificati sunt facientes iniquitatem<sup>2</sup>, et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt. Tunc locuti sunt timentes Deum, unusquisque cum proximo suo. Et attendit Dominus, et audivit, et scriptus est liber monumenti coram eo, timentibus Dominum, et cogitantibus nomen ejus : et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium; et parcam eis, sicut parci viri filio suo servienti sibi. Et convertimini<sup>3</sup>, et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei.

[iv.] Ecce enim dies veniet succensa quasi caninus, et erunt omnes superbi et omnes facientes iniquitatem, stipula; et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem et germen. Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in penus ejus : et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento; et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.

#### DE LIBRO ISAIAË.

[Cap. 1.] Lavamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite perverse agere, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam; et venite et arguite me, dicit Dominus. *Et post octo versus* : Argentum tuum versum est in scoriâ; vinum tuum mixtum est aqua. Principes tui socii furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos.

*Et paulo post* [ii.] : Domus Jacob venite, ambulemus in lumine Domini. Projecistis enim populum tuum, domum Jacob; quia repleti sunt ut olim, et

<sup>1</sup> sic Mss. juxta Vulgatam. At editi, *et humiliant viduas.*

<sup>2</sup> In sacris Bibliis additur, *contra te.*

<sup>3</sup> Hic et paulo infra pro, *iniquitatem*, habetur in sacris Bibliis, *impietatem.*

<sup>4</sup> sacra Biblia *convertimini.*



augures habuerunt ut Philistin, et pueris alienis adhæserunt. *Et post tres versus* : Repleta est terra ejus idolis ; opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. *Et post quinque versus* : Quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur.

*Et paulo post [m.]* : Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt eis. Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. *Et post aliquos versus* : Vos enim depastis estis vineam meam, rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis, dicit Dominus exercituum ? Et dixit Dominus : Pro eo quod elevatae sunt filia Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, ambulabant, et in pedibus suis composito gradu incedebant.

*Et paulo post [v.]* : Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum ad agrum copulatis usque ad extremum loci ( ut auferatis proximo : *Symmachus et Theodotio*, donec deficiat, vel non sit locus, *transulerunt*) : numquid habitabitis vos soli in medio terræ ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum.

*Et post tres versus* : Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris ; et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.

*Et post septemdecim versus* : Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum ; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras ; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justis aufertis ab eo.

*Et aliquanto post [x.]* : Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei ; ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent.

*Et post paululum [xi.]* : Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet : sed judicabit in judicio pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ ; et percussiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum

<sup>1</sup> Regius Ms., usque ad terminos loci : Vulgata vero, usque ad terminum loci. Deinde ille idem codex cum vulgata pariter caret his verbis, ut auferatis proximo : quæ quidem verba ex LXX, non absque exscriptoris lapsu, adjecta sunt : et fas est opinari annotatiunculam hic sive ab Augustino, sive ab alio insertam fuisse ex Commentariis Hieronymi, qui nimirum ad hunc locum id observat : « Pro eo, aut, quod nos diximus usque ad terminum loci, LXX translulerunt « *hina toû plésion aphêlontai ti*, id est, ut auferant aliquid « proximo ; *Symmachus et Theodotio, donec deficiat* ; vel, « non sit locus : ut deficiente terra nequaquam saturctur « avaritia. »

interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.

*Et post sexaginta versus [xii.]* : Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo. Quia fortitudo mea et laus mea Dominus Deus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris : et dicetis in illa die, Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, notas facite in populis adventiones ejus, mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, annuntiate hoc in universa terra. Exsulta et lauda, habitatio Sion ; quia magnus in medio tui sanctus Israel.

*Et post quadraginta versus [xiii.]* : Et quiescere faciam superbum infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo.

*Item post aliquantum [xvii.]* : Dicit Dominus Deus Israel : In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi ejus ad sanctum Israel respicient ; et non inclinabitur ad altaria quæ fecerunt manus ejus, et quæ operati sunt digiti ejus ; non respiciet lucos, et delubra.

*Et post aliquantum [xxii.]* : Vocabit, inquit, Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad plangentium, et ad calvitium, et ad cingulum sacci. Et ecce gaudium et lætitia occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum. Comedamus, et bibamus ; cras enim moriemur. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum : Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.

*Item post aliquantum [xxvi.]* : Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. Vetus error abiit ; servabis pacem ; pacem, quia in te speravimus. Speratis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. *Et post sex versus* : In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinimus te ; nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte ; sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores terræ. Misereamur impio, et non discet facere justitiam. In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Dei.

*Et post aliquantum [xxix.]* : Defecit qui prævalebat, consummatus est illuxor, et succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo.

*Et post decem versus [xxx.]* : Væ, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me ; et ordiremini telam, et non per spiritum meum ; et adderetur peccatum super peccatum. *Et paulo post* : Hæc dicit Dominus Deus sanctus Israel, Si revertamini et quiescatis, salvi eritis. In silentio et in spe erit fortitudo vestra ; et nolueritis. *Et post viginti versus* : Contaminabis laminas sculptilium argenti tui, et vestimentum conflatilis auri tui, et disperges ea sicut immunditiam menstruatæ.

*Et post aliquantum [xxxi.]* : Convertimini, sicut in

profundum recesseratis, filii Israel. In die enim illa abiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum.

*Item post aliquantum [xxxiii.]* : Et erit fides in temporibus tuis; divitiæ salutis sapientia et scientia, timor Domini ipse thesaurus ejus. *Et paulo post* : Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem; qui projicit avaritiam et calumniam<sup>1</sup>, et excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat omne<sup>2</sup> malum. Iste in excelsis habitabit; munimenta saxorum sublimitas ejus. Panis ei datus est, et aquæ ejus fideles sunt.

*Et post aliquantum [xliv.]* : Memento horum, Jacob et Israel, quoniam servus meus es tu: formavi te, servus meus es tu, Israel, ne obliviscaris mei. Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua; revertere ad me, quoniam redemi te.

*Item post aliquantum [xlvi.]* : Memento istud, et confundamini; redite, prævaricatores, ad cor. Recordamini prioris sæculi; quoniam ego Deus, et non est ultra deus, nec est similis mei.

*Et aliquanto post [l.]* : Quis ambulavit<sup>3</sup> in tenebris, et non est lumen ei? Speret in nomine Domini, et iunietur super Deum suum.

*Item post aliquantum [li.]* : Audite me, qui scitis justum, populus<sup>4</sup>; lex mea in corde eorum. Nolite timere opprobria hominum, et blasphemias eorum ne timeatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis; et sicut lanam, sic devorabit eos linea: salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum.

*Et post aliquantum [lv.]* : Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum; et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.

*Et post viginti versus [lvi.]* : Hæc dicit Dominus, Custodite iudicium, et facite justitiam, quia juxta est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur. Beatus vir qui facit hoc, et filius hominis qui apprehendit istud; custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum.

*Et post non multum [lvii.]* : Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus, subter eminentes<sup>5</sup> petras. In partibus torrentis pars tua. Hæc est sors tua; et ipsis obtulistis

libamen<sup>6</sup>, obtulistis sacrificium. Numquid super his non indignabor?

*Item post aliquantum [lviii.]* : Me etenim de die in diem quæserunt, et scire vias meas volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, et quæ iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia justitiæ, appropinquare Deo volunt. Quare jejunavimus, et non aspexisti? humiliavimus animas nostras, et nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenietur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno imple. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiat in excelso clamor vester. Numquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? Numquid istud vocabis jejunium et diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Dimitte eos qui contracti sunt, liberos; et omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, vesti eum, et carnem tuam ne despexeris. *Et post quatuor versus<sup>7</sup>* : Si abstuleris de medio tui catenam, et dederis digitum extendere, et loqui quod non prodest: cum effuderis esurienti animam tuam; et animam afflictam repleveris; oriatur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies; et requiem tibi dabit Dominus semper.

*Et post multa [lxv.]* : Populus qui ad iracundiam provocant me, ante faciem meam semper; qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres; qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt.

*Et post duos versus* : Qui dicunt, Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Ecce scriptum est coram me: non tacebo, sed reddam, et retribuam in sinu eorum, iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus. Qui sacrificaverunt super montes et super colles, exprobraverunt mihi, et remetiatur opus eorum primum in sinu eorum. *Et post decem versus* : Et vos, inquit, qui dereliquistis Dominum, qui oblitus estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, et libatis super eam: numerabo vos in gladio, et omnes in corde cornetis; pro eo quod vocavi vos, et non respondistis, locutus sum, et non attendistis: et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui elegistis.

*Et paulo post [lxvi.]* : Hæc dicit Dominus, Cælum sedes mea, et terra scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? et quis iste locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, et facta sunt universa ista, dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperulum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? *Et post sex versus* :

<sup>1</sup> vulgata, effudiisti libamen.

<sup>2</sup> Regius Ms., post in versus. Editi, post quartus: forte pro, post quatuor. Sic aliquanto infra ubi nunc legitur: *Et post sex versus*; editi habebant: *Et post sextus versus*: Ms. Regius: *Et post vi versus*

<sup>1</sup> vulgata versio, ex calumnia. Syriaca et arabica, et oppressionem. LXX, et iniquitatem.

<sup>2</sup> Abest, omne, a sacro textu in Bibliis.

<sup>3</sup> Sacra Biblia, qui ambulavit; idque Hieronymus de Christo interpretatur: « qui non habuit speciem, inquit, nec gloriam, sed in similitudine carnis peccatricis suscepti formam servi. » Attamen Augustinus videtur legisse, quis ambulavit, ac de homine in peccatorum suorum tenebris agente intellexisse.

<sup>4</sup> vulgata, populus meus. Abest, meus, ab hebræo et ab antiquis Bibliis Corubiensibus, necnon ab cælis omnibus et Mss. hujus operis.

<sup>5</sup> Editi, imminentes. At Mss. juxta vulgatam, eminentes.

Ego illusiones eorum eligam, et quæ timebant adducam eis : quia vocavi, et non erat qui responderet; locutus sum, et non audierunt; feceruntque malum in oculis meis, et quæ nolui elegerunt. Audite legem Domini, qui tremitis ad verbum ejus. Dixerunt fratres vestri odientes vos et abicientes propter nomen meum, Glorificetur Dominus, et videbimus in lætitia vestra; ipsi autem confundentur.

#### DE LIBRO JEREMIE.

[Cap. n.] Audite verbum Domini, domus Jacob, et omnes cognationes domus Israel. Hæc dicit Dominus : Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? *Et post decem versus* : Hereditatem meam posuistis in abominationem. Sacerdotes non dixerunt, Ubi est Dominus? Et tenentes legem nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me, et prophetæ prophetaverunt in Baal, et idola secuti sunt. *Et paulo post* : Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris. Quid mireris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper et malitias tuas docuisti vias tuas; et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum? Non in fossis inveni eos, sed in omnibus quæ supra memoravi. Et dixisti, Absque peccato et innocens ego sum, et propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi. Quam vilis es facta nimis, iterans vias tuas! et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. Nam et ab ista egredieris, et manus tuæ erunt super caput tuum; quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam.

*Et paulo post [iii.]* : Convertimini, filii, revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester.

*Item paulo post [iv.]* : Si converteris, Israel, ait Dominus, ad me convertere. Si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. Et jurabis, Vivit Dominus, in veritate, et in iudicio, et in justitia; et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. *Et paulo post* : Stultus populus meus me non cognovit : filii insipientes sunt, et recordes; sapientes sunt ut faciant mala; bene autem facere nescierunt.

*Et post triginta versus [v.]* : Circuite vias Jerusalem, et aspice, et considerate, et quærite in plateis ejus, an invenialis virum facientem iudicium, et quærentem fidem, et propitium ero ei. Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint, et hoc falso jurabunt. Domine, oculi tui respiciunt fidem. Percussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et resuerunt accipere disciplinam : induraverunt facies suas super petram, noluerunt reverti. Ego autem dixi, Forsitan pauperes sunt, et stulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, et loquar eis; ipsi enim cognoverunt viam Domini, iudicium Dei sui : et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. *Et post sex versus* : Filii tui dereliquerunt

<sup>1</sup> Vulgata nunc, *revertentis* : at in antiquis Bibliis Corb. uti hic, *conterentis*.

me, et jurant in iis qui non sunt dii. Saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores, et admissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinciebant. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? et in gente tali non ulciscetur manus mea? *Et post quadraginta versus*. Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit; et commovebantur, et non poterunt, et intumescunt fluctus ejus, et non transibunt illud. Populo autem huic factum est cor incredulum, et exasperans : recesserunt, et abierunt; et non dixerunt in corde suo, Metuamus Dominum Deum nostrum. *Et post paucos versus* <sup>1</sup> : Inveni sunt, *inquit*, in populo meo impii, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plena dolo : ideo magnificati sunt et dilatati; in crassati sunt et impinguati; et præterierunt sermones meos pessime. Causam pupilli non dixerunt <sup>2</sup>, et iudicium pauperum non judicaverunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem hujusmodi non ulciscetur anima mea <sup>3</sup>? Stupor et mirabilia facta sunt in terra. Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia : quid igitur flet in novissimo ejus?

*Et post triginta versus [vi.]* : Cui loquar? et quem contestabor, ut audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, et audire non possunt : ecce verbum Domini factum est illis in opprobrium, et non suscipiunt illud.

*Et paulo post [vii.]* : Audite verbum Domini, omnis Juda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Quoniam si bene direxeritis vias vestras et studia vestra, si feceritis iudicium inter virum et proximum ejus, advenæ et pupillo et viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, et post deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis; habitabo vobiscum in loco isto, in terra quam dedi patribus vestris, a sæculo usque in sæculum. Ecce vos confiditis vobis

<sup>1</sup> Ms. Regius, *et post vii versus*.

<sup>2</sup> Vulgata, *Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non dixerunt*. Sic etiam Hieronymus, nisi quod ipse omittit vocem, *viduæ*; quæ vox nec est in hebræo, et a secunda manu addita fuit in antiquis Bibliis Corbelsensibus.

<sup>3</sup> Hic in Regio Ms. inseruntur isthæc verba : *Tunc exponit quod supra dixerat, Ibo ad optimates et loquar eis; forsitan ipsi cognoverunt viam Domini; et ecce magis hi pariter confregerunt jugum, ruperunt vincula. Nunc describit, qui sunt optimates, prophetæ videlicet et sacerdotes, quorum alii futura prædicunt, alii facienda ex lege decernunt. Et ecce, inquit, illis mendacium prophetantibus sacerdotes manibus applauserunt. Et ut ostendatur populus non esse sine culpa, qui a talibus abducatur, scripsit, Et populus meus dilexit talia; quondam meus, sed postquam dilexit talia meus esse desinit. Quid igitur facient, cum novissimum tempus iudicii advenit, sive captivitas necessitas, unde stupor et mirabilia facta sunt, quia nec in principibus, nec in populo invenit sit, qui recta sentiret. Excerpta hæc sunt ex Hieronymi in Jeremiam Commentario.*

(Trinte.)

SANCT. AUGUST. III.

in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis, furari, occidere, adulterare, jurare mendaciter, libare Baalim, et ire post deos alienos, quos ignoratis. Et venistis, et stetitis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum; et dixistis, Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. Ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego, ego sum, ego vidi, dicit Dominus. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio, et videte, quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. Et nunc quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus, et locutus sum ad vos, mane consurgens et loquens, et non audistis; et vocavi, et non respondistis: faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam, et loco quem dedi patribus vestris, sicut feci Silo; et projiciam vos a facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros universum semen Ephraim. Tu ergo noli orare pro populo hoc; nec assumes pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi; quia non exaudiam te. Nonne vides quid isti faciant in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem? Filii colligunt ligna, et patres succendunt lignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cæli, et libent diis alienis, et me ad iracundiam provocent. Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? nonne semetipsos in confusione vultus sui?

*Et paulo post [viii.]*: Numquid qui cadit, non resurget? Et qui aversus est, non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, et noluerunt reverti. Attendi, et auscultavi; nemo quod bonum est loquitur: nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci? *Et post novem versus*: Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? Vere mendacium operatus est stilus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti et capti sunt. Verbum enim Domini proiecērunt, et sapientia nulla est in eis.

*Et paulo post [ix.]*: Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, et derelinquam populum meum, et recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt et cœtus prævaricatorum; et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii, et non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus. Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulentè incodet; et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquentur. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent laboraverunt. Habitatio tua in medio doll. In dolo reuenerunt scire me, dicit Dominus. Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego conflabo, et probabo eos. Quid enim aliud faciam a facie filie populi mei? Sagitta vulnerans lingua eo-

rum, dolus locuta est in ore suo: pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit insidias. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente tali non ulciscetur anima mea? *Et paulo post*: Hæc dicit Dominus: Non gloriatur sapiens in sapientia sua, et non gloriatur fortis in fortitudine sua, et non gloriatur dives in divitiis suis; sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et iudicium et justitiam in terra. Hæc enim placent mihi, ait Dominus.

*Et post sexdecim versus [x.]*: Hæc dicit Dominus: Juxta vias gentium nolite discere, et a signis cœli nolite metuere quæ timeant gentes; quia leges populorum vanæ sunt. Quia lignum de saltu præcidit opus manus artificis in ascia: argento et auro decoravit illud; clavis et malleis compegit, ut non dissolvatur. In similitudinem palmæ fabricata sunt, et non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent. Nolite ergo timere ea, quia nec male possunt facere, nec bene. Non est similis tui, Domine; magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium? Tuum est enim decus inter cunctos sapientes gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tui. Pariter insipientes et fatui probabuntur. Doctrina vanitatis eorum lignum est. Argentum involutum de Tharsis affertur, et aurum de Ophaz, opus artificis et manus ærarii. Hyacinthus et purpura indumentum eorum, opus artificum universa hæc. Dominus autem Deus verus est, ipse Deus vivens, et rex sempiternus. Ab indignatione ejus commovebitur terra, et non sustinebunt gentes comminationem ejus. Sic ergo dicetis eis: Dii qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cœlo sunt.

*Et aliquanto post [xvii.]*: Hæc dicit Dominus, Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum; sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis et inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas; et non timebit cum venerit æstus: et erit folium ejus viride, in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.

*Item aliquanto post [xxii.]*: Hæc dicit Dominus, Facite iudicium et justitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris; et advenam, et pupillum, et viduam nolite contristare, neque opprimatis inique; et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto.

*Et paulo post [xxiii.]*: Væ pastoribus qui dispergunt et dilacerant gregem pascuæ mex, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores qui pascunt populum meum, Vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitastis: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. *Item paulo post*: Hæc dicit Dominus exercituum, Nolite audire verba prophetarum qui pro-

<sup>1</sup> Vulgata: Numquid ergo?

phetant vobis et decipiunt vos. Visionem cordis sui loquentur, non de ore Domini. Dicunt his qui blasphemant me, Locutus est Dominus, Pax erit vobis: et omni qui ambulat in pravitate cordis sui dixerunt, Non veniet super vos malum. Quis enim affuit in consilio Domini? *Et post undecim versus*: Non mitto- bam prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. Si stitissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea populo meo, avertissem utique eos a via sua mala, et a pessimis cogitationibus suis. *Et post quatuor versus*: Audivi quæ dixerunt prophetae, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes, Somniavi, somniavi. Uaquequo istud est in corde prophetarum vaticinan- tum mendacium, et prophetantium seductiones cor- dis sui; qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei, propter somnia cordis sui<sup>1</sup>, quæ narrat unusquisque ad proximum suum, sicut obli- ti sunt patres eorum nominis mei propter Baal? Pro- pheta qui habet somnium, narret somnium; et qui habet sermonem meum, narret sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Num- quid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo. Ecce ego ad pro- phetas, ait Dominus, qui assunt linguas suas, et aiunt, Dicit Dominus. Ecce ego ad prophetas som- niantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea et seduxerunt populum meum in mendacio suo et in miraculis suis, cum ego non misissem eos, nec man- dassem eis; qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus.

*Et paulo post [xxv.]*: Et misit Dominus ad vos omnes servos suos Prophetas, surgens diluculo mittensque; et non audistis, neque inclinastis aures vestras ut audiretis, cum diceret: Revertimini unus- quisque a via sua mala, et a pessimis cogitationibus vestris; et habitabitis in terra quam dedit Dominus vobis et patribus vestris, a sæculo et usque in sæculum; et nolite ire post deos alienos, ut serviatis eis adoretisque eos, neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum vestrarum, et non affligam vos. Et non audistis me, dicit Dominus.

*Et aliquanto post [xviii.]*: Maledictus qui facit opus Domini fraudulentè.

*Item post aliquantum [Thren. iii.]*: Bonus est Do- minus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini. Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius et tacebit; quia levavit super se<sup>2</sup>. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Dabit percussenti se maxillam, saturabitur opprobriis; quia non repellet in sempiternum Dominus.

#### DE LIBRO EZECHIELIS.

[CAP. III.] Cum autem pertransissent septem dies,

<sup>1</sup> In sacris Bibliis, *somnia eorum*.

<sup>2</sup> Sic MSs. juxta Vulgatam in Bibliis non mendocis. At ceteri habebant, *elevavit se super se*.

factum est verbum Domini ad me dicens: Fili homi- nis, speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium, Morte morieris, non annuntiave- ris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia; ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Sed et si conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offensiculum coram eo, ipse morietur, quia non annuntiasti ei. In pec- cato suo morietur, et non erunt in memoria justitiae ejus quas fecit; sanguinem vero ejus de manu tua re- quiram. Si autem annuntiaveris justo, ut non peccet justus, et ille non peccaverit; vivens vivet, quia an- nuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti.

*Et post aliquantum [ix.]*: Et dixit Dominus ad eum, Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem, et signa Tau super frontem virorum gentium et do- lentium super cunctis abominationibus quæ sunt in medio ejus. Et illis dixit audiente me, Transite per mediam civitatem sequentes eum, et percutite; non parcat oculus vester, neque miscreamini: senem, adolescentulum, et virginem, et parvulum, et mulie- res interficite usque ad interuccionem. Omnem autem super quem videritis Tau, ne occidatis: et a sanctua- rio meo incipite.

*Et aliquanto post [xiii.]*: Pro eo quod mœrere fe- cistis cor justis mendaciter, quem ego non contristavi, et confortastis manus impii, ut non reverteretur a via sua mala, et viveret.

*Item post aliquantum [xvi.]*: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus; et manum egeno et pauperi non porrigebant: et elevato sunt, et fecerunt abominationes coram me; et abstuli eas, sicut vidisti.

*Et post paululum [xviii.]*: Vir si fuerit justus, et fecerit judicium et justitiam; in montibus non com- ederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel; et uxorem proximi sui non violaverit, et ad mulierem menstruatam non accesserit; et hominum non contristaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit; panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento; ad usuram non commo- daverit, et amplius non acceperit; ab iniquitate averterit manum suam, judicium verum fecerit inter virum et virum; in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem: hic ju- stus est; vita vivet, ait Dominus Deus. Quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem, et fecerit unum de istis; et hæc quidem omnia non fa- cientem, sed in montibus comedentem, et uxorem proximi sui pollutentem; egenum et pauperem contri- stantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem; et ad idola levantem oculos suos, abominationes fa- cientem; ad usuram dantem, et amplius accipientem:

numquid vivet? Non vivet: cum universa detestanda hæc fecerit, morte morietur; sanguis ejus in ipso erit. Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, et non fecerit simile eis; super montes non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel; et uxorem proximi sui non violaverit; et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, et rapinam non rapuerit; panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento; a pauperis injuria averterit manum suam, usuram et superabundantiam non acceperit; iudicia mea fecerit, et in præceptis meis ambulaverit: hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet. Pater ejus quia calumniatus est, et vim fecit fratri, et malum operatus est in medio populi sui; ecce mortuus est iniquitate sua. Et dicitis, Quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet quia filius iudicium et justitiam operatus est; omnia præcepta mea custodivit et fecit illa: vita vivet. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii. Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum. Si autem impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit universa præcepta mea, et fecerit iudicium et justitiam; vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor; in justitia sua quam operatus est vivet. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius; numquid vivet? Omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur. In prævaricatione sua qua prævaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur. Et dixistis, Non est æqua via Domini. Audite ergo, domus Israel: Numquid via mea non est æqua, et non magis viæ vestræ pravæ sunt? Cum enim averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injustitia quam operatus est morietur. Et cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit iudicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit. Consideravit enim, et averit se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est; vita vivet, et non morietur. Et dicunt filii Israel, Non est æqua via Domini. Numquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel, et non magis viæ vestræ pravæ? Idecirco unumquemque juxta vias suas judicabo, domus Israel, ait Dominus Deus. Convertimini, et agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum: et quare moriemini, domus Israel? Quia nolq mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini, et vivite<sup>1</sup>.

*Et aliquanto post [xxii.]*: Ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te ad effundendum

<sup>1</sup> Regius codex, et vetus.

sanguinem. Patrem et matrem contumeliis affecerunt in te; adonam calumniati sunt in medio tui; pupillum et viduam contristaverunt apud te. Sanctuaria mea spreveristi, et sabbata mea polluisti<sup>1</sup>. Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem; et super montes comederunt in te: scelus operati sunt in medio tui. Verecundiora patris discooperuerunt in te, immunditiam menstruata humiliaverunt in te. Et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem: et socerurum suam polluit nefarie; frater sororem suam, filiam patris sui oppressit in te. Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem; usuram et superabundantiam accepisti, et avare proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus Deus. *Et post paululum*: Et factum est verbum Domini ad me dicens: Filii hominis, dic ei, Tu es terra immunda, et non completa in die furoris. Conjuratio prophetarum in medio ejus. Sicut leo rugiens capiensque prædam, animam<sup>2</sup> devoraverunt, opes et pretium acceperunt, viduas ejus multiplicaverunt in medio illius. Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam, et inter pollutum et immundum non intellexerunt. *Et post duos versus*: Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, et ad perdendas animas, et avare sectanda lucra. Prophetæ autem ejus lineabant eos absque temperamento, videntes vana, et divinantes mendacium, dicentes, Hæc dicit Dominus Deus; cum Dominus non sit locutus. Populi terræ calumniabantur calumniam, et rapiebant violenter, egenum et pauperem affligebant, et advenam opprimebant calumnia absque iudicio. Et quæsi de eis virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne disperderem eam; et non inveni. Et effudi super eos indignationem meam, et in igne iræ meæ consumpsi eos. Viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.

*Et aliquanto post [xxxiii.]*: Et factum est verbum Domini ad me dicens, Fili hominis, loquere ad filios populi tui, et dices ad eos, Terra cum induxero super eam gladium, et tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis, et constituerit eum super se speculatorum; et ille viderit gladium venientem super terram, et cecinerit buccina, et annuntiaverit populo: audiens autem quisquis ille est sonitum buccinæ, et non se observaverit, veneritque gladius, et tulerit eum; sanguis ipsius super caput ejus erit. Sonitum buccinæ audivit, et non se observavit; sanguis ejus in ipso erit. Si autem se custodierit, animam suam salvabit. Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus non se custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.

<sup>1</sup> Sic etiam apud Hieronymum et in Mss. Bibliis Corb. At in excusis Bibliis, spreveristi, et sabbata mea polludisti.

<sup>2</sup> vulgata, animas; quanquam illa in Corb. Bibl. habeat, animam.

Et tu, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris; non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntians te ad impium, ut a viis suis convertatur, et non fuerit conversus a via sua: ipse in iniquitate sua morietur; porro tu animam tuam liberasti. Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israel, Sic locuti estis dicentes, Iniquitates nostræ et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus; quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos, Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut revertatur<sup>1</sup> impius a via sua mala, et vivat: convertimini a viis vestris pessimis; et quare moriemini, domus Israel? Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui: Justitia justis non liberabit eum in quacumque die peccaverit; et impietas impii non nocet ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiamsi dixero justo quod vita vivat, et confusus in justitia sua fecerit iniquitatem; omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio, Morte morieris, et egerit penitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum; vita vivet, et non morietur. Omnia peccata ejus quæ peccavit non imputabuntur ei. Judicium et justitiam fecit, vita vivet. Et dixerunt filii populi tui: Non est æqui ponderis via Domini. Et ipsorum via injusta est. Cum enim recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis. Et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque judicium et justitiam, vivet in eis. Et dicitis: Non est recta via Domini. Unumquemque juxta vias suas judicabo, de vobis domus Israel. *Et post quadraginta novem versus*: Et tu, fili hominis, fili populi tui qui<sup>2</sup> loquuntur de te juxta muros et in ostiis domorum, et dicunt unus ad alterum, vir ad proximum suum, dicentes, Venite, et audiamus qui sit sermo egrediens a Domino. Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus; et sedent coram te, populus meus, et audiunt sermones tuos, et non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum. Et es eis quasi carmen musicum<sup>3</sup>, quod suavi dulcique sono canitur; et audiunt verba tua, et non faciunt ea<sup>4</sup>. Et cum venerit quod prædictum est, ecce enim venit; tunc scient quod propheta fuerit inter eos.

[xxxiv.]: Et factum est verbum Domini ad me dicens, Fili hominis, propheta de pastoribus Israel; propheta, et dices pastoribus, Hæc dicit Dominus Deus, Væ

<sup>1</sup> In Vulgata, *convertatur*: pauloque post ingeminato verbo dicitur, *Convertimini a viis*, etc.

<sup>2</sup> In omnibus Mss. deest pronomen, *qui*.

<sup>3</sup> Regius codex, *carmen musicorum*.

<sup>4</sup> Mss., *et audiunt verba tua, et non faciunt*.

pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis<sup>1</sup>, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis; et quod ægrotum, non sanastis; quod fractum est, non alligastis; et quod abjectum est, non reduxistis; quod perierat, non quaesistis: sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor: et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt; et erraverunt greges mei in cunctis montibus, et in universo colle excelso; et super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei. Et non erat qui requireret: non erat, inquam, qui requireret. Propterea, pastores, audite verbum Domini: Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam<sup>2</sup>, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor (neque enim quaesierunt pastores gregem meum; sed pascebant pastores semetipsos, et greges meos non pascebant): propterea, pastores, audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos; et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit eis ultra in escam. *Et post aliquantum*: Vos autem, greges mei, hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego judico inter pecus et pecus arietum et hircorum<sup>3</sup>. Nonne satis vobis erat pasca bona depasci? Insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris; et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis: et oves meæ his quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur; et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad eos<sup>4</sup>: Ecce ego ipse judico inter pecus pingue et macilentum; pro eo quod lateribus et humeris impingebatis, et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras.

*Et post aliquantum [xlv.]*: Hæc dicit Dominus Deus, Sufficiat vobis, principes Israel; iniquitatem et rapinas intermittite, et judicium, et justitiam facite, et separate confinia vestra a populo meo, dicit Dominus Deus. Statera justa et ephi justum erit vobis et beatus justus.

*Ista de libris posuimus, quos et Judæi canonicos habent, in quibus eorum invenimus aliqua quæ huic operi convenirent. Sed non sunt omittendi et hi quos quidem ante Salvatoris adventum constat esse conscriptos, sed eos non receptos a Judæis recipit tamen ejusdem Salvatoris Ecclesia. In his sunt duo qui Salomonis a pluribus appellantur, propter quamdam, sicut existimo, eloquii similitudinem. Nam Salomonis non esse, nihil dubitant quique doctiores. Nec tamen ejus qui Sautentis*

<sup>1</sup> Mss., *comedebatis*.

<sup>2</sup> Regius codex, *greges mei dati sunt in rapinam*.

<sup>3</sup> Mss., *arietem et hircum*.

<sup>4</sup> Sic etiam apud Hieronymum et in Mss. Biliis Corb. At in prelo editis habet Vulgata, *ad vos*.

*dicitur, quisnam sit auctor appareat (a). Illum vero alterum quem vocamus Ecclesiasticum, quod Jesus quidam scripserit, qui cognominatur Sirach, constat inter eos qui eundem librum totum legerunt. De libro ergo Sapientiae ista huic operi congruere visa sunt.*

#### DE LIBRO SAPIENTIAE.

[Cap. 1.] Diligite justitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis querite illum. Quoniam invenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis qui fidem habent in illum. Perversae enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sanctus enim Spiritus disciplinae effugiet fictum; et auferet se a cogitationibus quae sunt sine intellectu; et corripietur a superveniente iniquitate. Benignus est enim spiritus sapientiae, et non liberabit maledictum<sup>1</sup> a labiis suis; quoniam renum illius testis est Deus, et cordis ejus scrutator est verus, et linguae illius auditor. Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnis, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, sed nec praeteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Dominum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo vos a murmuratione, quae nihil prodest; et a detractione parcite linguae: quoniam responsum obscurum<sup>2</sup> in vacuum non ibit. Os autem quod mentitur, occidit animam.

*Et paulo post [III.]:* Qui confidunt in illum, intelligent veritatem; et fideles in dilectione acquiescent illi: quia donum et pax est electis illius. Impii autem secundum quae cogitaverunt, correptionem habebant, qui neglexerunt justitiam<sup>3</sup>, et a Domino recesserunt. Sapientiam enim et disciplinam qui abjicit, infelix est. *Et post sex versus:* Quoniam felix sterilis et incoquinata, quae nescivit torum in delicto; habebit fructum in respectione animarum<sup>4</sup>: et spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Dominum nequissima.

*Et post aliquantum [VI.]:* Audite ergo, reges, et intelligite; discite, iudices, finium terrae justitiam<sup>5</sup>. Praebete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui

<sup>1</sup> sacra Biblia, maledictum.

<sup>2</sup> vulgata, sermo obscurus.

<sup>3</sup> in vulgata, qui neglexerunt justum: in graeco, ol mneleantes tou dikaios.

<sup>4</sup> Carnutensis codex juxta Vulgatam in editis et in Corb. Mss. Bibliis, ambinarum sanctarium. Absit, sanctarium, a graeco.

<sup>5</sup> vox, justitiam nec in vulgata, nec in graeco reperitur.

(a) De hujus libri auctore non sic loquebatur Augustinus in lib. 2 de Doctrina Christiana, cap. 8, n. 13, sed cum Speculum istud concinnaret, jam deposuerat opinionem primam qua ille Sapientiae librum ab Jesu Sirach scriptum fuisse asseruerat. Confer lib. 2 Retract., c. 4, necnon annotationem in praedictum locum, lib. 2 de Doctrina Christiana.

Interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur<sup>1</sup>. Quoniam cum essetis ministri regni ipsius, non recte iudicastis, neque custodistis legem justitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis; quoniam iudicium durissimum, his qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Dominus, nec reverebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter illi cura est de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatus. Ad vos autem, mali reges<sup>2</sup>, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis. Qui enim custodierint justitiam juste<sup>3</sup>, justificabuntur; et qui didicerint ista, invenient quid respondeant. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, et habebitis disciplinam. Clara est enim, et quae nunquam marcescat sapientia; et facile videtur ab his qui diligunt eam; et invenitur ab his qui quaerunt illam. Praeoccupat qui se concupiscit, ut illis se priorum ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam inveniet foribus suis. Cogitare enim de illa sensus est consummatus; et qui vigilaverit pro illa, cito erit securus. Quoniam dignos se ipsa circumit quaerens, et in viis ostendet se illis hilariter, et in omni providentia occurrit illis. Initium enim illius verissima est disciplinae concupiscentia. Cura ergo disciplinae dilectio est; et dilectio custoditio legum illius est: custoditio autem legum confirmatio<sup>4</sup> incorruptionis est; incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiae deducit ad regnum perpetuum. Si ergo delectamini sedibus et stemmatibus, reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.

*Et paulo post [VIII.]:* Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes. Sobrietatem enim et sapientiam docet, et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil in vita hominibus.

*Nunc jam de libro qui Ecclesiasticus dicitur, ponenda sunt quae videntur. De quo hic etiam ea dixisse depreter, quae de Proverbiorum libro sum praelocutus; quamvis in isto Ecclesiastico plura revererim huic operi necessaria.*

#### DE ECCLESIASTICO.

[Cap. 1.] Timor Domini scientiae religiositas. Religiositas custodiet et justificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit. Timenti Dominum bene erit, et in diebus consummationis illius benedicetur. Plenitudo sapientiae est timere Deum, et plenitudo a fructibus illius. *Et post duos versus:* Corona sapientiae timor Domini. *Et post quatuor versus:* Radix sapientiae est timere Dominum: rami enim illius longevi. In thesauris sapientiae intellectas est, et scientiae reli-

<sup>1</sup> Sic Mss., juxta Vulgatam. At editi ferebant, et in cogitationibus scrutabitur.

<sup>2</sup> Absit vox, mali, a Vulgata. Porro in graec. pro voce, reges, legitur, tyranni.

<sup>3</sup> In Vulgata, justa juste: in graeco, hostis ta hostia.

<sup>4</sup> Sic in editis et Mss. juxta graec., bebubois. At in vulgata legitur, consummatio.



grositas: execratio autem peccatoribus sapientia. Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non potest justificari<sup>1</sup>. Iracundia enim animositatis illius, subversio illius est. Sapiens<sup>2</sup> usque in tempus sustinebit patiens, et postea reddito jucunditatis. Bonus sensus usque in tempus abscondet verba illius, et labia multorum enarrabunt sensum illius. Concupiscens sapientiam, serva justitiam; et Deus præbebit illam tibi. Sapientia enim et disciplina timor Domini; et quod beneplacitum est illi, fides et mansuetudo, et adimplebit thesauros tuos<sup>3</sup>. Non sis incredibilis timori Domini, et ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris labiis tuis. Attende in illis, ne forte cadas, et adducas animæ tuæ confusionem; et revelet Deus abscondita tua, et in medio synagogæ elidat te. Quoniam accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia.

[u.] Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore et justitia, et præpara animam tuam ad tentationem; et deprime cor tuum, et sustine. Declina aurem tuam, et excipe verba intellectus, et ne festines in tempus<sup>4</sup> obductionis. Sustine sustentationem Dei, conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe. Quoniam in igne probatur aurum et argentum; homines vero receptibiles<sup>5</sup> in camino humillationis. Crede Deo, et recuperabit te; et dirige viam tuam, et spera in illum. Serva timorem illius, et in illo veterasce. Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus; et non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectatione<sup>6</sup> veniet vobis misericordia. Qui timetis Deum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. Respicite, filii, nationes hominum, et scitote: quis speravit in Domino, et confusus est<sup>7</sup>? permansit in mandatis ejus, et derelictus est? et quis illum invocavit, et despexit illum? Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in tempore tribulationis peccata omnibus exquirentibus se in veritate. Væ duplici corde<sup>8</sup>, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo; ideo non proteguntur ab eo. Væ his qui perdidit sustentationem, qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas. Et quid facietis, cum inspicere cœperit Deus? Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius; et qui diligunt

illum, conservabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt illi; et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes, Si poenitentiam non egerimus, incidemus in Dei manus, et non in manus hominum. Secundum enim magnitudinem illius, sic et misericordia ipsius cum ipso.

[iii.] Filii sapientiæ, ecclesia justorum; et natio filiorum, obedientia et dilectio. Judicium patris audite, filii dilecti<sup>1</sup>, et sic facite, ut salvi sitis. *Et post duos versus*: Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis; in oratione dierum exaudietur. Et sicut qui thesaurizat, ita et qui honorificat matrem suam. Qui honorificat patrem, jucundabitur in filiis. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore; et qui obaudit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Deum, honorat parentes; et quasi dominis serviet his qui se genuerunt. In opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a Domino<sup>2</sup>. *Et post tres versus*: Ne glorieris in contumelia patris tui. *Et post tres versus*: Fili, suscipe senectam patris tui, et ne contristes eum in vita illius. Et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in tua virtute. *Et post quatuor versus*: Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem! et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem. Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. Quanto magnus es, humilia te in omnibus; et coram Deo invenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper; et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non enim est tibi necessarium ea quæ abscondita sunt<sup>3</sup>, videre oculis tuis. *Et post tres versus*: Multos enim implana vit<sup>4</sup> suspicio eorum, et in vanitate detinuit sensus illorum. Cor durum male habebit in novissimo; et qui amat periculum, in illo peribit. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus; et pravicordius<sup>5</sup> in illis scandalizabitur. Cor nequam gravabitur in doloribus; et peccator adjiciet ad peccandum. *Et post duos versus*: Cor sapiens intelligitur in sapientia; et auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis, et in operibus justitiæ successus habebit. Ignem ardentem exstinguit aqua; et elemosyna resistit peccatibus:

<sup>1</sup> Vulgata, non poterit.

<sup>2</sup> Vox Sapientis abest a sacris Bibliis.

<sup>3</sup> Regius colex, et adimplebit sermones tuos. Vulgata, et adimplebit thesauros illius.

<sup>4</sup> Vulgata, in tempore: juxta græcum, en kairó.

<sup>5</sup> Mss., acceptabiles.

<sup>6</sup> Vulgata, in oblectationem: juxta græcum, eis euphrosunén.

<sup>7</sup> Sic edit et Mss. juxta græc. At Vulgata, quia nullus speravit, etc... quis enim permansit, etc.

<sup>8</sup> Vulgata: Et remittet in die tribulationis peccata, et protector est omnibus exquirentibus se, etc Græcus vero lectus sic sonat: Et remittit peccata, et salvat in tempore tribulationis. Væ cordibus timidis.

<sup>1</sup> In Bibliis excusis deest vox, dilecti: habetur in antiquis Bibl. Corbeiensibus.

<sup>2</sup> Vulgata juxta græcum, ab eo. In Bibliis tamen scriptis Corb. habetur, a Deo.

<sup>3</sup> Mss., necessarium scrutari ea quæ abscondita sunt: et omittunt, videre oculis tuis.

<sup>4</sup> Pulchre respondet græco, πολλούς γὰρ ἐπλανήσεν. Vulgata vero habet, multos quoque supplantavit. Quoniam Vulgatae auctor in hoc ipso libro, cap. 15, v. 12, verbum ἐπλανήσεν vertit, implauavit: id est, docepit, in errorem induxit.

<sup>5</sup> Ms. Regius, pravi cordis; juxta vulgatam in excusis, quæ tamen in antiquis Corb. Bibl. habet, pravicordius.

et Deus prospector ejus <sup>1</sup> qui reddit gratiam, meminit in posterum <sup>2</sup>; et in tempore casus tui invenies firmamentum.

[iv.] Fili, eleemosynam pauperis ne fraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere. Animam esurientem ne despexeris, et non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne affixeris, et non protrahas datum angustianti. Rogationem contribulati ne abjicias, et non avertas faciem tuam ab egeno. Ab inope non auferas oculos tuos propter iram, et non derelinquas querentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius. Exaudiet autem eum, qui fecit illum. Congregationi pauperum affabilem te facito, et presbytero humilia animum tuam, et magnato humilia caput tuum. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, et redde debitum tuum, et responde illi pacifica in mansuetudine. Libera eum qui injuriam patitur, de manu superbi; et non acide feras in anima tua. In judicando esto misericors, pupillis ut pater, et pro viro matri illorum; et eris velut illius Altissimi obaudiens, et miserebitur tui magis quam mater. Sapientia filiis suis vitam inspiravit, et suscipit inquirentes se et præbit in via justitiæ. Et qui illam diligit, diligit vitam; et qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus <sup>3</sup>. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt, et quo introibit benedictus Deus. Qui serviunt ei, obsequentes erunt sancto; et eos qui diligunt illam, diligit Deus. Qui audit illam, judicat <sup>4</sup> gentes; et qui intuetur illam, permanebit confidens. Si crediderit ei, hæreditabit illam, et erunt in confirmatione creaturæ illorum. Quoniam in tentatione ambulat cum eo, et in primis eligit eum. Timorem et metum et probationem inducet super illum, et cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ; donec tentet illum in cogitationibus illius, et credat animæ illius. Et firmabit illum, et iter adducet <sup>5</sup> directum ad illum, et latificabit illum; et denudabit abscondita sua illi, et thesaurizabit super illum scientiam et intellectum justitiæ. Si autem oberaverit, derelinquet illum, et tradet eum in manus inimici sui. Fili, conserva tempus, et devota a malo. Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. Non accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. Non reverearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore <sup>6</sup> salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore ejus. In lingua

enim agnoscitur sapientia et sensus, et scientia et doctrina in verbis veritatis, et firmamentum in operibus justitiæ. Non contradicas veritati illo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere. Non confundaris confiteri peccata tua, et ne subjicias te homini pro peccato. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii <sup>7</sup>. In justitia agnizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia; et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis et remissus in operibus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, everrens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi. Non sit porrecta manus tua ad capiendum, et ad dandum collecta.

[v.] Noli attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris, Est mihi sufficiens vita. Nihil enim proderit in tempore vindictæ et obductionis. Non sequaris concupiscentiam cordis <sup>8</sup>, et ne dixeris, Quomodo potui? aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Et ne dixeris, Peccavi, et quid accidit mihi triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccatorum <sup>9</sup> noli esse sine metu; neque adjicias peccatum super peccatum: et ne dicas, Misericordia Dei magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim et ira ab illo cito proximat, et in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. Noli anxius esse in divitiis injustis: nihil enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ. Non ventiles te in omni vento, et non eas in omni via <sup>10</sup>. Sic enim peccator probatur duplici lingua. Esto firmus in via Dei, et in veritate sensus tui et scientia; et prosequatur te verbum pacis et justitiæ. Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, ut intelligas; et cum sapientia feras <sup>11</sup> responsum verum. Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum; ne capiaris verbo indisciplinato, et confundaris. Honor et gloria in sermone sensati: lingua vero imprudentis subversio est ipsius. Non appelleris susurro in vita tua, et in lingua tua ne capiaris, et confundaris. Super furem enim est confusio, et poenitentia, et denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, et inimicitia, et contumelia. Justifica pusillum, et magnum similiter.

[vi.] Noli fieri pro amico inimicus proximo: improperium enim et contumeliam malus hæreditabit, et omnis peccator invidiosus et bilinguis. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus; ne forte elidatur virtus tua per stultitiam. *Et post septem versus: Multi pacifici sint tibi; et consiliarius sit tibi unus de*

<sup>1</sup> sequimur Er. Lugd. Ven. Lov. In B., tui ejus. M.

<sup>2</sup> Vulgata, *Mendacium ejus in posterum. Absent, ejus, a græco et a latinis Bibliis Corb. Continuo post in omnibus Bibliis legitur, et in tempore casus tui inveniet firmamentum.*

<sup>3</sup> Regius codex, *complebantur dulcore ejus.* Græcus textus, *implesthesontai euphrosunes.*

<sup>4</sup> Vulgata nunc, *Judicabit:* et paulo infra, in *confirmatione creaturæ illius.* At in antiquis Corb. lib. l. convenit uterque locus cum hoc seculo.

<sup>5</sup> Mss., *et jam adducet.* Græc., *kat p. lin epamezei kat eutheian pros axton, et rursus reddit recta ad illum.*

<sup>6</sup> Falsi, *in tempore.* At Mss., *in tempore,* juxta Vulgatam; que in subsequenti versiculo, *pro, et doctrina in verbis veritatis, præfert, et doctrina in verbo sensati.* Græcus vero textus, *cu veniat glossæ, in verbo linguæ.*

<sup>7</sup> sic Mss. juxta græc. et vulgat. At editi habebant, *submersis.*

<sup>8</sup> Vulgata: *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui.*

<sup>9</sup> In latinis Bibliis, *De propitiato peccato.* In græco textu, *peri exilismou, De propitiato;* emissa voce, *peccatorum.*

<sup>10</sup> sic editi et Mss. juxta græc. At Vulgata habet, *in omnem ventum.... in omnem riam.*

<sup>11</sup> Regius codex, *fer.* Græcus, *phleggon.* Vulgata, *proferas.*

mitte. Si possides amicum, in tentatione posside eum; et non facile credas illi temetipsum<sup>1</sup>. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis: et est amicus qui egreditur<sup>2</sup> ad inimicitiam: et est amicus qui odium et rixam et convicia denudabit. Est autem amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis. Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, et in domesticis tuis fiducialiteraget. Si humiliaverit se contra te, et a facie tua absconderit se, unanimum habebis amicitiam bonam. Ab inimicis tuis separare; et ab amicis tuis attende. Amicus fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis; et qui metuunt Dominum, inveniunt illum. Qui timet Deum, æque habebit amicitiam bonam; quoniam secundum illum erit amicus illius. Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. Quasi is qui arat et seminat, accede ad illam, et sustine bonos fructus illius. In opere enim illius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius. Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, et non permanebit in illa excors<sup>3</sup>. Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, et non demorabuntur projicere illam. *Et post duos versus*: Quibus autem agnita est, permanet<sup>4</sup> usque ad conspectum Dei. Audi, fili, et accipe consilium intellectus, et ne abjicias consilium meum. Injice pedem tuum in compedes illius, et in torquem ejus collum tuum. Subjice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris vinculis ejus. In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tua conserva vias ejus. Investiga illam, et manifestabitur tibi; et continens factus ne dereliqueris eam: in novissimis enim invenies requiem in ea, et convertetur tibi in oblectationem; et erunt tibi compedes in protectionem fortitudinis et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ. *Et post quatuor versus*: Fili, si atenderis mihi, disces<sup>5</sup>; et si accommodaveris animam tuam, sapiens eris. Et si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam; et si dilexeris audire, sapiens eris. In multitudine presbyterorum prudentium stas, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbialia laudis ne effugiant te. Et si videris sensatum, evigila ad illum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus. Cogitatum habe in præceptis Dei, et in mandatis illius maxime assiduus esto; et ipse dabit cor tibi, et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.

[VII.] Noli facere mala, et non te apprehendent. Discede ab iniquo, et deficient mala abs te. Non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum. Noli querere ab homine<sup>6</sup> ducatum, ne-

<sup>1</sup> Vox, *temetipsum*, abest a sacris Bibliis.

<sup>2</sup> Vulgat., *qui convertitur*.

<sup>3</sup> Mss., *permanet*.

<sup>4</sup> Editt., *permanet*. Al. Mss. juxta Vulgatam, *permanet*.

<sup>5</sup> In editt., *disces eam*. Abest, *eam*, a Mss. hujus libri, necnon a sincerioribus Bibl. is.

<sup>6</sup> Sic etiam in antiquis Corb. Dblitis. Nunc autem Vul-

gate a rege cathedram honoris. Non te justifies ante Deum; quoniam agnitor cordis ipse est: et penes regem noli velle videri sapiens. Noli querere fieri judex, nisi si vales virtute irrumpere iniquitatis<sup>7</sup>; ne forte extremiscas faciem potentis, et ponas scandalum in agilitate tua<sup>8</sup>. Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum: neque affige duplicia peccata; nec enim in uno eris immunis. Nol esse pusillanimis in anima tua. Exorare, et facera cleemosynam non despicias. Ne dicas, In multitudine munerum meorum respiciet Dominus, et offerente me Deo altissimo, suscipiet munera mea. Non irideas hominem in amaritudine animæ: est enim qui humiliat et exaltat Deus<sup>9</sup>. Noli arare mendacium adversus fratrem tuum, neque in amicum similiter facias. Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona<sup>10</sup>. Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum. *Et post duodecim versus*: Non laudas servum operantem in veritate, neque mercenarium dantem animam suam. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum libertate, neque inopem relinquant illum. *Et post duos versus*: Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum. Pecora tibi sunt? attende illis<sup>11</sup>. Filie tibi sunt? conserva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam, et grande opus feceris; et homini sensato da illam. Muller si est tibi secundum animam tuam, non projicias illam; et odibili non credas te in toto corde. Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento enim quoniam nisi per illos natus non fuisses<sup>12</sup>; et retribue illis, quomodo et illi tibi. In tota anima tua time Deum, et sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute dilige Deum<sup>13</sup>, qui te fecit; et ministros ejus non derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua; et honorifica sacerdotes. *Et post sex versus*: Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur benedictio<sup>14</sup> tua. Gratia datus<sup>15</sup> in conspectu omnis viventis, et a mortuo non prohibeas gratiam. Non desis plorantibus in consolatione<sup>16</sup>, et cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. In omnibus operibus tuis memorare novis-

gata in excusis habet, a Domino; juxta Græc. para *Frison*.

<sup>7</sup> In prius editis, *virtutem irrumpere iniquitatis*. Emendavimus ad Mss. qui cum Vulgata concordant.

<sup>8</sup> Habebat sic Vulgata in antiquis Corb. et aliis perlesque Bibliis: sed substitutum est, *in agilitate tua*; juxta Græc. *en evlutéthi sou*.

<sup>9</sup> Vulgata, *et exaltat circumspicere Deus*.

<sup>10</sup> Regius Ms., *non bona*; prætermisso, *est*: sic etiam Biblia Corb. Porro in Græco legitur. *ouk eis agathon, non tu bonum*.

<sup>11</sup> Redintegrandus iste locus ad Vulgatam, in qua versiculus 24 est, *Pecora tibi sunt? attende illis, et si sunt utilia, perseverant apud te*. Tum sequitur v. 25, *Filii tibi sunt? etc.*

<sup>12</sup> Vox *natus*, abest a Mss. Speculi, et ab antiquis Bibliis Corbelensibus.

<sup>13</sup> Sacra Biblia, *dilige eum qui te fecit*.

<sup>14</sup> Vulgata, *propitiatio et benedictio*. Abest, *propitiatio*, a Græco textu.

<sup>15</sup> Vulgata, *datus*: ac paulo post, *et mortuo*, prætermissa præpositione *a*, cum qua hic locus convenit Regius codex speculi.

<sup>16</sup> Codices Mss. hujus operis, *in rogatione*.

sima tua, et in aeternum non peccabis.

[viii.] Non litiges cum homine potente; ne forte incidas in manus illius. Non contendas cum homine locuplete, ne forte contra concitet litem tibi<sup>1</sup>. Multos enim perdidit aurum; et usque ad cor regum extendit, et convertit. Non litiges cum homine linguoso, et non strues<sup>2</sup> in ignem illius ligna. *Et post duos versus*: Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei: memento quoniam omnes sumus in correptione. Ne spernas hominem in sua senectate: etenim ex nobis senescunt. Noli de mortuo inimico tuo gaudere<sup>3</sup>, sciens quoniam omnes morimur, et in gaudium nolumus venire. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbii illorum conversare. Ab ipsis enim discas doctrinam intellectus<sup>4</sup>, et servire magnatis sine querela. Non te prætereant narratio seniorum; et ipsi enim didicerunt a patribus suis. Quoniam ab ipsis discas intellectum, et in tempore necessitatis responsum<sup>5</sup>. *Et post sexdecim versus*: Cum fatuis ne consilium habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ ipsis placent. Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet.

*Et post duos versus* [ix.]: Non zeles mulierem sinus tui. *Et post septem versus*: Virginem ne concupiscas<sup>6</sup>, ne forte scandalizeris in decore ejus. Non des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te et hæreditatem tuam. *Et post duos versus*: Averte faciem tuam a muliere compta, et non circumspecias speciem alienam. *Et post duodecim versus*: Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit similis illi. Vinum novum amicus novus; veterascet, et cum suavitate bibes illud. Non zeles gloriam et opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit ipsius subversio. Non placeat tibi injuria injustorum<sup>7</sup>. *Et post duos versus*: Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi, et non suspicaberis timorem mortis. Et si accesseris ad illum, noli aliquid committere; ne forte auferat vitam tuam. *Et post quatuor versus*: Et cum sapientibus et prudentibus tracta. Viri justi sint tibi convivæ; et in timore Dei sit gloriatio tibi.

*Et post quinquaginta tres versus*<sup>8</sup> [x.]: Semen hominum honorabitur hoc quod timet Deum: semen autem hoc exhorabitur hominum, quod præterit mandata Domini. In medio fratrum illorum rector in honore; et qui timent Dominum, erunt in oculis illius. Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est. Non despicias hominem justum pau-

perem, et non magnificaveris<sup>9</sup> virum peccatorem divitem. Magnus, et iudex, et potens est in honore, et non est major illo qui timet Deum. Servo sensato liberi servient: vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus. *Et post quinque versus*: Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum.

*Et post sex versus* [xi.]: Sapientia humiliati exaltabit caput ipsius, et in medic magnatorum consedere illum faciet. Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo. Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius. In vestitu ne gloriaris unquam, nec in die honoris tui extollaris. *Et post sex versus*: Priusquam interroges, non vituperes quemquam; et cum interrogaveris, corripie iuste. Priusquam audias, ne respondeas verbum; et in medio seniorum<sup>10</sup> ne adjicias loqui. De re ea quæ te non molestat, ne certaveris; et in iudicio peccatorum ne consistas. Fili, ne in multis sint actus tui; et si dives fueris, non eris immanis a delicto. Si enim secutus fueris, non apprehendes; et non effugies, si præcurreris. *Et post viginti versus*: No manseris in operibus peccatorum: Ude autem in Deo, et mane in loco tuo. *Et post aliquot versus*: Ante mortem ne laudes hominem quemquam. *Et post unum versus*: Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim insidiæ dolosi sunt. Sicut enim eructant præcordia infantium<sup>11</sup>, et sicut perdix inducitur in foveam, et ut caprea in laqueum, sic et cor superborum; et sicut prospector videns casum proximi sui. Bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. Ab scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis. Homo vero peccator sanguini insidiatur. Attende tibi a pestifero; fabricat enim mala: ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum. Admitte ad te alienigenam, et subvertet te in torpore<sup>12</sup>, et alienabit te a tuis propriis.

[xii.] Si benefeceris, scito cui benefeceris, et erit gratia in bonis tuis multa. Benefac justo, et invenies retributionem magnam; et si non ab ipso, certe a Deo. Non est eis bene qui assidui sunt in malis, et eleemosynas non dant; quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et misertus est penitentibus. Da misericordiam, et ne susceperis peccatorem. Benefac humili, et ne dederis impio. Prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit: nam duplicia mala lavines in omnibus bonis<sup>13</sup>; quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam. *Et post*

<sup>1</sup> Sic in Mss. At in editis legebatur, *contra te consistat li-*  
*dem*: in Vulgata, *contra te constituit*.

<sup>2</sup> Regius cod., *et non struus*: juxta Græc. *ka me epistol-*  
*basis*.

<sup>3</sup> Abest, *inimico tuo*, a Græco textu, necnon a Regio Ms. *Speculi*: at isto colora postea sic habet, *et in gaudium ini-*  
*micorum nolumus venire*.

<sup>4</sup> Vulgata in excusis, *discas sapientiam et doctrinam intel-*  
*lectus*: at in antiquis Corb. Bibliis convenit hic cum Augu-

stini Speculo et cum Græco.

<sup>5</sup> Sacra Biblia, *dare responsum*.

<sup>6</sup> Vulgata, *ne concupiscas*. Græc. *me katamethane*.

<sup>7</sup> Sic Carnutensis codex juxta Vulgatam. At editi habebant  
*hæc, justorum*.

<sup>8</sup> Ita Regius Ms. Carnutensis vero, *Et post lxx versus*.

<sup>9</sup> Editi, *non magnificare*: emendavimus ad Reg. Ms., *non*  
*magnificaveris*; quamquam idem codex paulo ante habet,  
*Ne despiciere*. Concinnus Vulgata, *noli despiciere*; unquam,  
*noli magnificare*.

<sup>10</sup> Legendum ut in Bibliis Sixti auctoritate correctis, *ser-*  
*monum*: juxta Græc. *logon*. Paulo post pro, *ne certaveris*,  
Mss. hujus libri pariter cum Vulgata præf. runt, *ne certaris*.

<sup>11</sup> Vulgata in excusis, *fastidium*: in antiquis Corb. Bibliis,  
*fantantium*.

<sup>12</sup> Sacra Biblia, *in turbine*.

<sup>13</sup> Regius codex, *in omnibus bonis*: Vulgata juxta  
Græcum post, *in omnibus bonis*, addit, *quæcumque feceris*  
*illi*: quod tamen abest a Corb. Bibliis.

*quatuor versus* : Non credas inimico tuo in æternum : sicut enim aramentum, æruginat nequitia illius. Et si humiliatus vadat curvus, adice animum tuum<sup>1</sup>, et custodi te ab illo. Non statuas illum penes te, nec sedent ad dexteram tuam; ne conversus stet in loco tuo<sup>2</sup>: ne forte conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam, et in novissimo agnoscas verba mea, et in sermonibus meis stimuleris. Quis miseribetur Incantatori a serpente percusso, et omnibus qui appropriant bestilis? Sic et qui comitatur cum viro iniquo, et obvolutus est in peccatis ejus: una hora tecum permanebit; si autem declinaveris, non supportabit. In labiis suis induleat inimicus, et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam. In oculis suis lacrymatur inimicus; et si invenerit tempus, non satlabitur sanguine. Si incurrerint mala tibi, invenies eum illic priorem. In oculis suis lacrymatur inimicus, et quasi adjuvans suffodiet plantas tuas. Caput suum movebit, et plaudebit<sup>3</sup> manu; et multa susurrans commutabit vultum suum.

*Et post sexaginta et unum versus [xiii.]* : Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia: et nequissima paupertas in ore impij.

*Et post tres versus [xiv.]* : Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti. Felix qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit ab spe sua. Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia; et homini livido ad quid aurum? *Et post quatuordecim versus* : Fili, si habes, benefac tecum, et Deo dignas obligationes offer. Memor esto quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi: testamentum enim hujus mundi morte morietur. Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigens da pauperi. *Et post sexdecim versus* : Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur<sup>4</sup>, et in sensu suo cogitabit circumspeditionem Dei: Qui excogitat vias illius in corde suo, et in absconditis illius intelligens.

*Et post viginti quinque versus [xv.]* : Homines stulti non apprehendent illam; et homines sensati obviant illi. Homines stulti non videbunt illam; longe enim abest a superbia et dolo. Viri mendaces non erunt memores illius; et viri veraces invenientur in illa, et successum habebant usque ad inspectionem Dei. Non est speciosa laus in ore peccatoris; quoniam a Deo profecta est sapientia. Sapientia enim Dei astabit laus; et in ore fidei abundabit, et dominator eam illi dabit. Non dixeris, Per Deum abest; quæ enim odit ne feceris. Non dicas, Ille me impla-

<sup>1</sup> Sic Regius codex juxta Vulgatam. Editi vero, *abice animum tuum*: uli etiam habet Bibliorum codex Corbelensis.

<sup>2</sup> Ex Vulgata in excusis expunctum est illud, *ne conversus stet in loco tuo*: quod in omnibus exemplaribus hujus operis et in antiquis Corb. Bibl. reperitur; positum forte pro eo quod in graeco legitur, *ne anatrepas se ste epi ton ton sou*.

<sup>3</sup> Sic etiam olim Bibl. Corb. Nunc autem Vulgata, *plaudet*.

<sup>4</sup> Abest, sua, a Regio codice: abest etiam, suo, post vocem, sensu.

navi: non enim necessarij sunt illi homines impij. Omne execrumentum erroris odit Deus, et non erit amabile timentibus illum. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilij sui. Adjecit mandata et præcepta sua: si volueris servare mandata, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem; ad quod voles porrigere manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi. Quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. Oculi Dei ad timentes eum, et ipse agnoscet omnem operam hominis. Nemini mandavit impie agere; et nemini dedit spatium peccandi. Non enim concupiscit multitudinem stultorum infidelium et inutilium.

[xvi.] Et ne jucunderis in filiis impiis, et multiplicentur: non oblecteris super ipsos, si non est timor Dei cum illis. Non credas vitæ illorum, et ne responderis in labores illorum. Melior est enim visum timens Deum, quam mille filij impij: et utile mori sine filiis, quam relinquere filios impios. *Et post viginti et unum versus* : Non dicas, A Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur?

*Et paulo post [xvii.]* Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, et omnes iniquitates eorum in conspectu Dei. Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit: et postea resurget, et retribuet illis retributionem unicuique in caput illorum, et convertet in inferiores partes terræ. Poenitentibus autem dedit viam justitiæ, et confirmavit deficientes sustinere, et destinavit illis sortem veritatis. Convertere ad Deum, et relinque peccata tua: precare ante faciem; et minue offendiculum<sup>1</sup>. Revertere ad Deum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito execrationem. *Et post novem versus* : Quam magna misericordia Dei, et propitiatio illius convertentibus ad se! Nec enim omnia possunt esse in hominibus; quoniam non est immortalis filius hominis.

*Et post triginta versus [xviii.]* Miscretur excipientium doctrinam misericordis, et qui festinant in judiciis ejus. Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic et verbum melius quam datum. Nonne ecce verbum supra datum bonum? et utraque<sup>2</sup> cum homine justificato. Stultus acriter improperebit, et datus indisciplinati tabescere facit oculos. Ante judicium para justitiam tibi, et antequam loquaris disce. Et ante languorem adhibe medicinam, et ante judicium interroga teipsum; et in conspectu Dei invenies propitiationem. Ante languorem humilia te, et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam. Non impediaris orare semper, et non vercaris usque ad mortem justificari; quoniam merces Dei

<sup>1</sup> Consonat graecum. At Vulgata præfert, *precare ante faciem Domini, et minue offendicula*: Regius Ms., *ante faciem ejus*. In subsequenti versiculo idem codex cum Carthusiensis *refer te ad Deum*. Favet graec. *epanage*.

<sup>2</sup> Ita Mss. et Corb. Bibl. juxta graec. At editi cum Vulgata, *sed utraque*.

manet in æternum. Ante orationem prepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. *Et post sex versus* : Homo sapiens, in omnibus metuet, et in diebus delictorum attendet ab inertia. *Et post quinque versus* : Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis. Ne oblecteris in turbis, nec immodicis delecteris.

*Et post quinque versus [xix.]* : Et qui spernit modica, paulatim decidet. Vinum et mulieres apostatata faciunt sapientes, et arguunt sensatos. *Et post aliquot versus* : Qui credit cito, levis corde est, et minorabitur; et qui delinquit in animam suam, insuper habetur. *Et post duos versus* : Et qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. *Et post octo versus* : Audisti verbum adversus proximum; commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixæ femori carnis, sic verbum in ore<sup>1</sup> stulti. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat, Non feci; aut si fecit, ne iterum addat facere. Corripo proximum tu, ne forte non dixerit; et si dixerit, ne forte iteret. Corripe amicum; sæpe enim fit commissio: et non omni verbo credas. Est qui labitur in lingua sua, sed non ex animo. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua? Corripere proximum antequam commiseris; et da locum timori Altissimi: quia omnis sapientia timor Dei, et in illa timere Deum. *Et post quinque versus* : Melior est homo qui deficit sapientia, et deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi.

*Et post sexdecim versus [xx.]* : Quam bonum est arguere quam irasci! *Et post aliquot versus* : Et qui potestatem sibi assumit injuste, odietur. *Et post octo versus* : Sapiens in verbis seipsum amabilem facit. *Et post sexdecim versus* : Lapsus falsæ linguæ quasi qui de pavimento cadens, sic casus malorum festinanter veniet. Homo acharis quasi fabula vana, in ore disciplinatorum<sup>2</sup> assidua erit. Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim illam dicit in tempore suo. *Et post duos versus* : Est qui perdit animam suam præ confusione, et ab imprudenti persona perdet eam; personæ autem acceptione perdet se. Est qui præ confusione promittit amico, et lucratus est eum inimicum gratis. Opprobrium nequam in homine mendacium, et in ore indisciplinatorum assidue erit. Potior fur, quoniam assiduitas viri mendacis: perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium sine honore, et confusio illius cum ipso<sup>3</sup> sine intermissione. Sapiens in verbis producet seipsum. *Et post quatuor versus* : Xenia et dona exæcant oculos Judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Melior est in hominibus qui abs-

condit insipientiam suam, quam qui abscondit sapientiam suam.

[xxi] Fili, peccasti; ne adjicias iterum: sed et de præteritis deprecare, ut tibi remittantur. Quasi a facie colubri fuge peccata; et si accesseris ad illa suscipient te. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum: quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas; plagæ illius non est sanitas. *Et post quatuor versus* : Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris; et qui timet Deum, convertetur ad cor suum. *Et post quinque versus* : Via peccantium complantata<sup>4</sup> lapidibus; et in fine illorum inferi et tenebræ et pœnæ. Qui custodit justitiam, continebit sensum ejus. Consummatio timoris Dei, sapientia et sensus. *Et post aliquos versus* : Verbum sapiens quodcumque audierit sciens, laudabit, et ad se adjiciet: audiet luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum. Narratio fatui quasi sarcina in via: nam in labiis sensati invenietur gratia. Os prudentis quaritur in Ecclesia, et verba illius cogitabant in cordibus suis. *Et post duos versus* : Compedes in pedibus stulto doctrina, et quasi vincula manuum supra manum dexteram. Fatuus in risu exultat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit. Ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextero. *Et post octo versus* : In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur; et qui manserit<sup>5</sup>, odiosus erit: tacitus et sensatus honorabitur.

[xxii.] In lapide luteo lapidatus est piger, et omnes loquentur super aspernationem illius. *Et post quatuor versus* : Filia prudens hæreditas viro suo: nam quæ confundit, in contumeliam fit geulitoris. Patrem et virum confundit quæ audax est, et ab impiis non minorabitur; ab utrisque autem in honore non minorabitur. Musica in luctu, importuna narratio: flagella et doctrina, in omni tempore sapientia. Qui decet fatuum, quasi qui conglutinat testam. Qui narrat verbum non attendenti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto; et in fine dicit<sup>6</sup>, Quis est hic? Super mortuum plora; deficit enim lux ejus: et super fatuum plora; deficit enim ei sensus. Modicum plora super mortuum, quoniam requievit; nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui. Luctus mortui septem diebus: fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum. *Et post viginti et unum versus* : Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa: sic et qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam. Ad amicum etsi produceris gladium, non desperes; est enim regressus. Ad amicum si aperueris os triste, non timeas: est enim concordatio;

<sup>1</sup> In veteribus Bibliis, *complanata*: ubi vox, *complanata*, pro græco, *hæmatimend*.

<sup>2</sup> Sic etiam in antiquis Corb. Bibliis. At nunc in excusis Vulgatis præsert, *et qui cum eo manserit*.

<sup>3</sup> Vulgata, *in corde*.  
<sup>4</sup> Sacra Biblia, *indisciplinatio*.  
<sup>5</sup> Legendum juxta Vulgatam, *et confusio illorum cum ipsis*; vel in priorè parte vers. castigandum est juxta græc.: *Non hominibus mendacis*.

<sup>6</sup> Editi juxta Vulgatam, *qui narrat stulto sapientiam et in fine narrationis dicit*. At Mss. carent vocibus, *sapientiam et narrationis*: quæ etiam a græco alunt.

excepto convicio, et improperio, et superbia, et mysterii revelatione, et plaga dolosa; in his omnibus offugiet amicus. *Et post decem versus*: Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut ne cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me.

[XIII.] Domine pater, et dominator vitæ meæ, non relinquant me, et ne sinas me cadere in illis. Quis superponet in cogitatu meo flagella, et in corde meo doctrinam sapientiæ, ut ignorationibus eorum non parcant mihi, et non appareant delicta illorum; ne adincrescant ignorantia meæ, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea abundant, et incidam in conspectu adversariorum, et gaudeat inimicus meus? Domine pater, et Deus vitæ meæ, ne derelinquant me in cogitatu illorum. Extolentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium averte a me<sup>1</sup>. Aufer a me ventris concupiscentias; et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me; et animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me. Doctrinam oris audite, filii; et qui custodierit illam, non periet labiis suis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis. In vanitate sua apprehenditur peccator, et superbus et maledicus scandalizabitur in illis. Jurationi non assuescat os tuum; multus enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit in ore tuo assidua, et nominibus sanctorum non admiscearis; quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim servus interrogatus assidue, a livore non minuitur; sic omnis jurans et nominans in toto, a peccato non purgabitur. Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. Et si frustraverit<sup>2</sup>, delictum illius super ipsum erit; et si dissimulaverit, delinquit dupliciter. Et si in vacuum juraverit, non justificabitur: replebitur enim retributione<sup>3</sup> domus illius. *Et post quatuor versus*: Indisciplinationi non assuescat<sup>4</sup> os tuum: est enim in illa verbum peccati. Memento patris et matris tuæ; in medio enim magnatorum consistis: ne forte obliviscatur te Deus in conspectu illorum, et assiduitate tua infatigatus improperium patiaris, et malisses non nasci, et diem nativitatis tuæ maledicas. Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non erudietur. Duo genera abundant in peccatis, et tertium adducit iram et perditionem. Anima calida quasi ignis ardens non exstinguetur, donec aliquid glutiat; et homo nequam in ore carnis suæ non desinat, donec incendat ignem. *Et post duos versus*: Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, et dicens, Quis me videt? tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me; quem verear? delictorum meorum non memorabitur Altissimus, et non

<sup>1</sup> In editis, desiderium primum averte a me. Abest vox, primum, a Vss. et a sacris Bibliis.

<sup>2</sup> Editi, Et si frustraverit fratrem. Abest, fratrem, a Græco et a Vulgata, necnon a Regio Ms. qui codex pro, frustraverit, habet, frustra juraverit.

<sup>3</sup> Hic in editis additur, pessima, quo verbo Mss. et sacra Biblia carent.

<sup>4</sup> Carnutensis codex, Indisciplinate non assuescat. Regius, Indisciplinate jurationi vel loquere. Græcus denum textus in quibusdam Bibl. sonat, Indisciplinationi temeraria; in illis, intemperantia juramenti.

inteliget, quoniam non videt oculus illius: quoniam expellet<sup>5</sup> a se timorem Dei huiusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum. Et non cognovit quoniam oculi Domini plus multo lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.

*Et paulo post [xxv.]*: Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo invenies in senectute tua? Quam speciosum canitici iudicium, et presbyteris cognoscere consilium! Quam speciosa veteranis sapientia, et gloriosus intellectus et consilium! Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei. *Et post decem versus*: Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus cui donatum est habere timorem Dei. Qui timet illum<sup>6</sup>, cui assimilabitur? *Et post viginti versus*: Ne respicias mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie.

*Et post triginta tres versus [xxvi.]*: Mulier ebriosa ira magna; et contumelia, et turpitudine illius non contegetur. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum et in palpebris illius agnosceatur. In filia non averte te<sup>7</sup>, firma custodiam, ne inventa occasione utatur se<sup>8</sup>. Ab omni irreverentia oculorum<sup>9</sup> cave; et ne mireris si te neglexerit. *Et post quatuor versus*: Gratia mulieris sedula delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit disciplina illius. Datus Dei mulier sensata et tacta: non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. *Et post duodecim versus*: Et qui transgreditur a iustitiâ ad peccatum, Deus paravit eum ad rhomphæam.

*Et post quatuor versus [xxvii.]*: Et qui quærit locupletari, avertit oculum suum. *Et post tres versus*: Conteretur<sup>10</sup> delictum. Si non in timore Domini teneris te instanter, cito subvertetur domus tua. Sicut in pertusura<sup>11</sup> cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu hominis cordis. Ante sermonem non collaudes virum: hæc enim tentatio est hominum. Si sequaris iustitiam, apprehendes illam; et indues quasi poderem honoris; et habitabis cum ea, et proteget te in sempiternum, et in die agnitionis invenies firmamentum. Volatilia ad sibi similia conveniunt, et veritas ad eos qui operantur illam revertetur. Leo venationi insidiatur semper, sic peccata operantibus iniquitatem. Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna im-

<sup>5</sup> Regius codex: Et non intelligit quoniam videt, etc. Vulgata: Et non intelligit quoniam oculus videt oculus illius, quoniam expellet a se, etc.

<sup>6</sup> Sacra Biblia, Qui tenet illum.

<sup>7</sup> Editi, non advertente se: Mss. cum Vulgata, non averte te se.

<sup>8</sup> Fr. Lugd. Ven. Lov. habent, abutatur se. M.

<sup>9</sup> Vulgata, oculatorum ejus. Attamen abest, ejus, a Corb. Bibliis.

<sup>10</sup> Carnut. codex, Converteatur. Vulgata, Conteretur cum delinquente delictum.

<sup>11</sup> Mss., in vertusura, sive pertusura. Vulgata, in percussura.

mutatur. In medio insensatorum serva verbum temporis: in medio autem cogitantium assiduus esto. Narratio peccantium odiosa, et risus eorum in delictis peccati. Loquela multum jurans horripilationem capiti statuet, et irreverentia ipsius obturatio aurium. Effusio sanguinis in rixa superbiorum, et maledictio illorum auditus gravis. Qui denudat arcana amici, perdit fidem, et non inveniet amicum ad animum suum. Dilige proximum, et conjungere fide cum illo: quod si denudaveris abscondita illius, non persequaris post eum. Sicut enim homo qui perdit amicum suum, sic qui perdit amicitiam proximi sui. Et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic reliquisti proximum tuum, et non eum capies. Non illum sequaris, quoniam longe abest. Effugit enim quasi caprea de laqueo; quoniam vulnerata est anima ejus; et ultra eum non poteris colligare. Et maledicti est concordatio: denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. Annuus oculis fabricat iniqua, et nemo eum abjiciet. In conspectu oculorum tuorum condulcabit os suum, et super sermones tuos admirabitur: novissime autem pervertet os suum, et in verbis tuis dabit scandalum. Multa odivi, et non coæquavi ei; et Dominus odiet illum. *Et post duos versus*: Qui foveam fodit, decidet in illam; et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo; et qui laqueum alii parat, peribit in illo. Facienti pequissimum consilium, super illum devolvetur; et non agnoscat unde adveniet illi. Illusio, et improprium superbiorum, et vindicta sicut leo insidiabitur illi. Laqueo peribit qui oblectantur casu justorum.

*Et post tres versus [xxviii.]*: Qui vindicari vult, a Deo inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, et a Deo querit medelam! In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur! Ipse cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo! Quis exorabit pro delictis illius? Memento novissimorum, et desine inimicari: tabitudo enim, et mors lumen in mandatis Dei. Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo. Memorare testamenti Altissimi, et despice ignorantiam proximi. Abstine te a lite, et minus peccata. Homo enim iracundus incendit litem; et vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittit inimicitiam. *Et post quatuor versus*: Certamen festinatam incendit ignem, et lis festinans effundit sanguinem, et lingua testificans adducit mortem. Si sufflaveris, quasi ignis exardebit; et si expueris super illam, exstinguetur: et utraque ex ore proficiscuntur. Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos a gente in gentem. Civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas

de laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. *Et post aliquot versus*<sup>1</sup>: Verbis tuis facito stateram, et freno ori tuo rectos; et attende ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem.

[xxix.]: Qui facit misericordiam, fenerat proximo; et qui prævalet manu, mandata servat. Fenera proximo tibi in tempore necessitatis illius; et iterum redde proximo tuo in tempore suo. Confirma verbum, et fideliter age cum illo; et in omni tempore invenies quod tibi necessarium est. Multi quasi inventionem aestimaverunt fenus, et prestiterunt molestiam illi qui se adjuverunt. *Et post tredecim versus*: Verumtamen super humilem animo fortior esto, et pro eleemosyna non trahas illam. Propter mandatum assume pauperem, et propter inopiam illius ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam tuam propter fratrem et amicum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi; et proderit tibi magis quam aurum. Conclude eleemosynam in corde pauperis; et hæc pro te exorabit ab omni malo: super scutum potentis et super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit. Vir bonus fidem facit pro proximo suo; et qui perdidit confusionem, derelinquet sibi. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam. Repromissorem fugit peccator et immundus. Bona repromissoris sibi ascribit peccator, et ingratus sensu derelinquet liberantem se. Vir repromittit de proximo suo, et cum perdidit reverentiam, derelinquetur ab eo. Repromissio nequissima multos perdidit diligentes, et commovit illos quasi fluctus maris. Viros potentes gyrans migrare fecit, et vagati sunt in gentibus alienis. Peccator transgrediens mandata Domini, incidit in promissionem nequam. *Et post unum versum*: Recupera proximum secundum virtutem tuam, et attende tibi ne incidas.

*Et post sexdecim versus [xxx.]*: Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo. Qui docet filium suum, laudabitur in illo. *Et post decem versus*: Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadit præceps. Lacta filium, et patientem te faciet; lude cum illo, et contristabit te. Non corrides illi, ne dolcas, et in novissimo obstepescant dentes tui. Non des illi potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus dum infans est; ne forte induret, et non credat tibi, et erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, et operare in illo, ne in turpitudine illius confundaris. Melior est pauper sanus et fortis viribus, quam dives imbecillus et flagellatus malitia. Salus animæ in sanctitate justitiae melior est omni auro et argento; et corpus validum,

<sup>1</sup> Regius Ms. *Et post xxxiii versus.*

<sup>2</sup> Carinutensis codex, *derelinquet tibi*. Sed alii melius, *derelinquet sibi*; subaudi, proximum. Nam græcus textus ita sonat: *II qui perdidit reverentiam, derelinquet illum.*

<sup>3</sup> Legendum ut in sacris Bibliis, *dirigentes.*

<sup>4</sup> In vulgata post, *novissimo suo*, additur, *et non palpset proximorum ostia*: quod a græco abest.

<sup>5</sup> vulgata, *ne in turpitudinem illius offendas.*

<sup>1</sup> Regius Ms., *Sic qui reliquisti.*

<sup>2</sup> vulgata, *Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis, etc.*

<sup>3</sup> Lano Ms., *mulieres fortes ejecit.*



quam census inmensus. Non est census super censum salutis corporis; et non est oblectatio super curdis gaudium. Melior est mors quam vita amara, et requies æterna quam languor perseverans. Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulcro. *Et post quinque versus*: Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas te metipsum in consilio tuo. Jucunditas cordis hæc est vita hominis, et thesaurus sine defectione sanctitatis, et exultatio viri est longævitas. Misere animæ tuæ placens Deo, et contine; et congrega cor tuum in sanctitate ejus, et tristitiam longe expelle a te. Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa. Zelus et iracundia minuent dies, et ante tempus senectam adducit cogitatus.

*Et post decem versus [xxxv.]*: Qui aurum diligit, non justificabitur; et qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea. Multi dati sunt in auri casus<sup>1</sup>, et facta est in specie illius perditio illorum. Lignum offensionis est aurum sacrificantium: vix illis qui sectantur illud, et omnis imprudens deperiet<sup>2</sup> in illo. Beatus dives qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim salvabilia in vita sua. Quis<sup>3</sup> probatus est in illo, et perfectus est? et erit illi gloria æterna. Qui potuit transgredi, et non est transgressus; et facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit Ecclesia sanctorum. *Et post aliquot versus*: Utere quasi homo frugi, iis quæ tibi apponuntur, ut non, cum manducas multum, odio habearis. Cessa prior disciplinæ causa, et noti nimius case, ne forte offendas. Etsi in medio multorum sedisti, prior illis non extendas manum tuam, nec prior pocas bibere. Quam sufficiens est homini erudite vinum exiguum. *Et post aliquot versus*: Diligentes in vino non provocare; multos enim exterminavit vinum.

*Et post viginti sex versus [xxxvii.]*: Loquere major natu; decet enim te primum verbum diligenti scientiam<sup>4</sup>; et non impedias musicam. Ubi auditus non est, effundas sermonem; et importune non extollis in sapientia tua. *Et post quinque versus*: Adolescens, loquere in tua causa, vix cum necesse fuerit<sup>5</sup>. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi luscus, et audi tacens simul et querens. In medio magnatorum loqui non præsumas<sup>6</sup>; et ubi sunt senes, non multum loquaris. Ante grandinem præibit coruscatio, et ante verecundiam præibit gratia, et pro reverentia accedet tibi bona

gratia<sup>7</sup>. Præcurre autem prior in domum tuam, et illic avocare, et illic ludo, et ago conceptiones tuas, et non in delictis et verbo superbo. Et super his omnibus benedicito Deum, qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis. Qui timet Deum, excipiet doctrinam ejus; et qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. Qui querit legem, replebitur ab ea; et qui insidiosè agit, scandalizabitur in ea. Qui timeat Dominum, invenient judicium justum, et justitiam quasi lumen accendent. Peccator homo devitabit correptionem, et secundum voluntatem suam inveniet comparisonem. Vir consilii non disperdet intelligentiam. *Et post quatuor versus*: Fili, sine consilio nihil facias; et post factum non permittebis. *Et post paucos versus*: Qui credit Deo, attendet mandatis; et qui confidit in illo, non minorabitur.

[xxxviii.] Timenti Dominum non occurrent mala: sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis. Sapiens non odit mandata et justitias; et non illidetur quasi navis in procella. Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis. Qui interrogationem manifestat, parabit verbum.

*Et post paululum [xxxv.]*: Vana spes, et mendacium viro insensato; et somnia extollunt imprudentes. Et quasi qui apprehendit umbram, et sequitur ventam; sic et qui attendit ad visa mendacia. Hæc secundum hoc visio somnorum, ante faciem hominis similitudo hominis. Ab immundo quid mandabitur? et a mendace quid verum dicetur? Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia male facientium, vanitas est. Et sicut parturientis cor tuum phantasia patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio: ne dederis in illis cor tuum. Multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis. Sine mendacio consummabitur verbum, et sapientia in ore fidelis contemplabitur<sup>8</sup>. *Et post quinque versus*: Multa vidi enarrando<sup>9</sup>, et plurimas verborum consuetudines. Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa, et liberatus sum gratia Dei. Spiritus timentium Deum queritur, et in respectu illius benedicentur<sup>10</sup>. Spes enim illorum in salvantem illos; et oculi Dei in diligentes se. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pavebit; quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum, beata est anima. Ad quem respicit? et quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum: protector potentia, firmamentum virtutis, tegimen ardoris et umbraculum meridianum<sup>11</sup>; deprecatio offensionis et adjutorium casus; exaltans animam et illuminans oculos, dans sanitatem et vitam et benedictionem. Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, et non sunt beneplacitas subsannationes injustorum. Dominus solus sustinen-

<sup>1</sup> Græc., eis pluma charin chrusiou, in casum propter aurum.

<sup>2</sup> Regius codex, decipietur.

<sup>3</sup> Consulat græc. tis edokimasthê. At vulgata præfert, Qui probatus est.

<sup>4</sup> Regius Ms., dilige scientiam. Carnutensis, diligentis scientiam. Vulgata, diligenti scientia. Denique græc. sonat, in diligenti scientia.

<sup>5</sup> Regius codex caret his verbis, cum necesse fuerit: quæ a vulgata quidem absunt, sed non a græco textu.

<sup>6</sup> Regius codex et sacra Biblia caret verbo, loqui

<sup>7</sup> In vulgata, versiculus 15 capituli 5 sic incipit: *Et hora surgendi non te trices; præcurre autem, etc.*

<sup>8</sup> Vulgata: *consummabitur verbum legis, et sapientia in ore fidelis complanabitur.* Ms. codices speculi, in ore fidelis.

<sup>9</sup> Legendum, ridi in errando: sive uti in sacris libris ridi errando.

<sup>10</sup> Vulgata, benedicetur.

<sup>11</sup> Vulgata, meridiana.

tibus se in via veritatis et iustitiæ. Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui Panis indigentium, vita pauperis est; qui defraudat illum, homo sanguinum est. Qui auferit in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Unus edificans et unus destruens, quid prodest illis nisi labor? Unus orans, et unus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus? Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficiet lavatio illius? Sic homo qui jejunit in peccatis suis, et iterum eadem facit, quid proficit humiliando se? orationem ejus quis exaudiet?

[XXXV.] Qui conservat legem, multiplicat orationem. Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate; et propitiationem litare sacrificii super injustitias, et deprecatio pro peccatis, accedere ab injustitia. *Et post paucos versus*: Non apparebis in conspectu Dei vacuus. Hæc enim omnia propter mandata Domini sunt. Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi. Sacrificium justi acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus. Bono animo gloriam reddet Deo, et non minus primitias manuum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exultatione sanctifica decimas tuas. Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo adventionem facito manuum tuarum; quoniam Dominus retribuens est, et septies reddet tantum tibi. Noli offerre munera prava; non enim suscipiet illa. Noli respicere sacrificium injustum; quoniam Dominus iudex est, et non est apud illum gloria personæ. Non accipiet Dominus personam in pauperem, et precationem levi exaudiet. Non despiciet preces pupilli, nec viduæ, si effundat loquelam gemitus. Nomen lacryma ad maxillam descendit, et exclamatio a maxilla ascendit propter illud quod descendit super illam? *Et post quatuor versus*: Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.

*Et post aliquantum [XXXVII.]*: Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei, ejus anima est secundum animam tuam. *Et post quinque versus*: Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. *Et post viginti et unum versus*: Fili, in vita tua tenta animam tuam; et si fuerit nequam, non des illi potestatem. Non enim omnibus omnia expediunt, et non omni animæ omne genus placet. Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam.

*Et post quatuor versus [XXXVIII.]*: Honora medicum propter necessitatem; etenim illum creavit Altissimus. A Deo enim est medela, et a rege accipiet donationem. Disciplina medici exaltabit caput ipsius, et in conspe-

ctu magnatorum collaudabitur. Altissimus creavit de terra medicinam<sup>1</sup>, et vir prudens non abhorret illam. Nonne a ligno indicata est aqua amara? Ad agnitionem hominum virtus illius, et dedit homini scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. In his curans mitigavit dolorem ipsorum<sup>2</sup>. *Et post quatuor versus*: Fili, in tua infirmitate non desperes; sed oro Dominum, et ipse curabit te. Averte a delicto, et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum. *Et post unum versus*: Et impingua oblationem, et da locum medico; etenim illum Dominus creavit: et non discedat a te; quoniam opera ejus sunt necessaria. Est enim quando in manus illorum incurras: ipsi vero Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum et sanitatem propter conversationem illorum<sup>3</sup>. *Et post unum versus*: Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare. Et secundum iudicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius. Propter delatorem amaro fer luctum illius una die, et consolare propter tristitiam; et fac luctum secundum meritum ejus uno die vel duobus, propter detractionem. A tristitia enim festinat mors, et conperiet virtutem, et tristitia cordis floret cervicem. *Et post unum versus*: Non dederis in tristitiam cor tuum. *Et post novem versus*: Sapientia scribere in tempore vacuitatis, et qui amovetur actu sapientiam percipiet.

*Et paulo post [XXXIX.]*: In voce dicito, Obaudite me, divini fructus aquarum, et quasi rosa plantata super rivum fructificate<sup>4</sup>. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores quasi illum, date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Dato magnificentiam nomini ejus, et custemini illi in voce labiorum vestrorum, in canticis labiorum et cit' aris; et sic dicetis in confessione: Opera Domini universa bona valde. In verbo ejus stetit aqua sicut congeries, et in sermone oris ejus sicut exceptoria aquarum. Quoniam in præcepto ipsius placet illi, et non est minoratio in salute illius. Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A sæculo et usque in sæculum respiciet<sup>5</sup>; et nihil est mirabile in conspectu ejus. Non est dicere, Quid est hoc? aut quid est illud? omnia enim in tempore suo querentur.

*Et paulo post [XL.]*: Gratia sicut paradisus in benedictionibus, et misericordia in sæculum permanet. *Et post duodecim versus*: Fratres in adiutorium in tempore tribulationis, et super eos misericordia liberabit.

*Et post paululum [XLI.]*: Sapientia enim abscondita, et thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque? Melior est homo qui abscondit stultitiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

*Et aliquando post [XLII.]*: Benedicentes Dominum,

<sup>1</sup> In sacris Bibliis, *medicamenta*,

<sup>2</sup> Vulgata: *mitigabit dolorem, et unguentariis ipsorum*. Præterea in v. 9, pro, non desperes, habet, ne despicias teipsum.

<sup>3</sup> Mss., propter conversationem illorum.

<sup>4</sup> I. Vulgata habetur: *Ecce, Obaudite me, divini fructus et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate*.

<sup>5</sup> Vulgata, respiciet.

<sup>1</sup> sacra Biblia: *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas?*

exultate illum quantum potestis; major est omni laude. Exultantes eum replemini virtute.

*Et post multa* [LI.] : Appropriate ad me, indocti, et congregamini in domum disciplinæ. Quid adhuc retardatis? et quid adhuc dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer. Aperui os meum, et locutus sum : Comparete vobis sine argento sapientiam <sup>1</sup>, et collum vestrum subjicite jugo, et suscipiet anima vestra disciplinam. In proximo enim est invenire eam. Videte oculis vestris, quoniam modice laboravi, et inveni mihi multam requiem. Assumite disciplinam in multo numero argenti, et copiosum aurum possidete in ea. Lætetur anima vestra in misericordia ejus, et non confundemini in laude ipsius. Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

*De libro Tobie ista ponenda credidimus.*

#### DE TOBIÆ LIBRO.

[Cap. iv.] Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. *Et post duos versus* : Omnibus autem diebus vitæ tuæ Deum in mente habe, et cave ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Dei tui. Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim flet, ut nec a te avertatur facies Domini. Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impartire stude. Præmium enim tibi bonum thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patitur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus, qui faciunt eam. Attende tibi, filii, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Superbiam autem nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quicumque aliquid tibi operatus fuerit, statim mercedem ei restitue ; et merces mercenarii apud te omnino non maneat. Quod ab alio odii fieri tibi, vide ne alteri tu aliquando facias. Panem tuum cum esurientibus egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege. *Et post duos versus* : Consilium æmpet a sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. *Et post septem versus* <sup>2</sup> : Noli timere, filii mi : pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene.

*Et post multa* [XII.] : Tunc Raphael dixit eis occulte : Benedicite Deum cæli, et coram omnibus viventibus confitemini illi, quoniam fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est : opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesaurus auri recondere. Quoniam

<sup>1</sup> Vox, *sapientiam*, abest a Mss. necnon a sacris Bibliis.

<sup>2</sup> Rogus Mss. : *Et post vii versus.*

SANCT. AUGUST. III.

eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgæ peccata, et facit invenire vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

*Et paulo post* [xiv.] : Audite ergo, filii mei, patrem vestrum : Servite Domino in veritate et inquirete ut faciatis quæ sunt placita illi ; et filiis vestris mandate, ut faciant justitias et eleemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore, in veritate et in tota virtute sua.

*Jam nunc quoniam non omnes libri canonici Veterisque Testamenti* <sup>1</sup> huic operi nostro necessaria dederunt ; neque ii qui dederunt ex omnibus suis locis conveniebat ut darent, sed ex eis tantum ubi apertiora morum bonorum præcepta comperimus ; sive ubi utilia jubentur, sive ubi contraria prohibentur : ad sacras Litteras evangelicas et apostolicas transeamus. Caput in canone Testamenti Novi notissima et præclarissima quatuor Evangelia tenuerunt, in quorum primo, quod secundum Matthæum est, ea quæ nobis sunt ad hoc opus, quod suscipimus, congrua, videamus.

#### DE EVANGELIO SECUNDUM MATTHÆUM.

[Cap. v.] Videns autem Dominus turbas, ascendit in montem : et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu ; quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites ; quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent ; quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam ; quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes ; quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde ; quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici ; quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam ; quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines <sup>2</sup>, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me : gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis ; sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos. Vos estis sal terræ : quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et calculetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita : neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio ; sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas : non veni solvere, sed adimplere. Amen dico vobis, donec transeat cælum et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a Lege donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Dico autem vobis, quoniam nisi abundaverit justitia vestra plus quam

<sup>1</sup> In Regio codice, *veteresque huic operi* : prætermissa voce, *Testamenti.*

<sup>2</sup> Vox, *homines*, abest a Carnutensi codice necnon a sacris Bibliis.

(Trente-une.)

Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum. Audistis quia dictum est antiquis, Non occides : qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, Reus erit iudicio : qui autem dixerit fratri suo, Racha ; reus erit concilio : qui autem dixerit, Fatue ; reus erit gehennae ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te ; relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres <sup>1</sup> munus tuum. Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via eum eo ; ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem. Audistis quia dictum est antiquis, Non moechaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Expedit enim tibi ut unum pereat membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur <sup>2</sup> in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te. Expedit enim tibi ut unum percat membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Dicitur est autem, Quicumque dimiserit uxorem suam, deli illi libellum repudiij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari : et qui dimissam duxerit, adulterat. Item audistis quia dictum est antiquis, Non perjurabis : reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per caelum, quia thronus Dei est ; neque per terram, quia scabellum pedum eius est ; neque per Jerosolimam, quia civitas est magni regis ; neque per caput tuum juraveris ; quia non potes unum capillum album facere nigrum. Sit autem sermo vester, Est, est ; Non, non : quod autem his abundantius est, a malo est. Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo ; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebere illi et alteram : et ei qui vult tecum in iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et quicumque te angariaverit ire mille passus, vade cum illo alia duo. Qui petit a te, da ei : et volentem <sup>3</sup> mutuari a te, ne avertaris. Audistis quia dictum est <sup>4</sup>, Diliges proximum tuum, et odies inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderunt, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos : ut sitis filij Patris vestri qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? nonne et publicani hoc faciunt ? Et si salu-

taveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis ? nonne et Ethnici hoc faciunt ? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.

[vi.] Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in caelis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in absconso : et Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare ; ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris <sup>5</sup>, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in absconso : et Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici : putant enim quia in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis, scit enim Pater vester quid opus sit vobis <sup>6</sup>, antequam petatis eum. Sic ergo orabitis : Pater noster qui es in caelis ; sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra. Panem nostrum supersubstantialem <sup>7</sup> da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem : sed libera nos a malo. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester caelestis delicta vestra, Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et lava faciem tuam ; ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in absconso : et Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in caelo, ubi neque aerugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus <sup>8</sup>. Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit : si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosus erit. Si ergo lumen quod in te est tenebrae sunt, ipse tenebrae quante erunt ? Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget ; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et

<sup>1</sup> Regius codex, offer ; juxta graecum, prospere.

<sup>2</sup> Mss., eat.

<sup>3</sup> Sic editi et Mss. codices hujus operis ; juxta graecum, non thelonta apud sabbatam. At vulgata, volenti mutuari a te. Postea vero Regius codex pro, ne avertaris, habet, ne avertas : in graeco est, me apostrophes.

<sup>4</sup> Editi addunt hic, antiquis : quae vox a Mss. abest et a sacris Bibliis.

<sup>5</sup> In Ms. Carnutensi et antiquis Corb. Bibl., cum orabis. Hoc eodem versiculo post, ostio, additur, tuo, in Corb. Bibl. et in graeco.

<sup>6</sup> Regius codex, quibus opus sit vobis. Graec., non christum echete.

<sup>7</sup> Editi, quotidianum. At Mss. cum sacris Bibliis, super substantialem.

<sup>8</sup> Sic omnes codices hujus Speculi. At vulgata : lucerna corporis tui est oculus tuus. Graeca autem littera non sonat aliud quam : Lucerna corporis est oculus.

inammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fenum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt: scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.

[VII.] Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo, Sine ejiciam festucam de oculo tuo: et ecce trabes est in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo; et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos. Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Aut quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite eis: hæc est enim Lex et Prophetæ. Intrate per angustam portam; quia lata porta et spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor, fructus malos facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui

facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in tuo nomine demonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc constabor illis, quia nunquam novi vos: discedite a me qui operamini iniquitatem. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram: et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat supra petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam supra arenam: et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina ejus magna.

Et paulo post [x.]: Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus est enim operarius cibo suo. In quamcumque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete donec exeat. Intrantes autem in domum, salutate eam dicentes, Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super illam: si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertetur. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras, de domo vel de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et ad præsides et reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister

<sup>1</sup> Mss., *inciderunt*. Græc., *prospeson*.

<sup>2</sup> Sic editi juxta vulgatam. At Mss. carent his verbis, *dicentes, Pax huic domui*; quæ nec in græco textu habeatur, nec apud Hieronymum. Quin imò cum Hieronymus eum in locum dicit, « Occulte salutationem hebræi ac syri sermonis expressit; » significat salutationem hebræi ac syri sermonis prolata a Matthæo non fuisse, sed tantum implicite, eo videlicet quod subsequitur, *veniet pax vestra super eam*. Sed exprimitur a Luca, cap. 10, v. 5.

<sup>3</sup> vox, *hominibus*, abest a Regio codice, necnon a græco textu, et a vulgata: sed existat tamen in veteris Corb. Bibliis.

<sup>4</sup> Regius codex, *mensurabitis*

<sup>5</sup> Sic Mss. juxta vulgatam. At editi, *mirimæ fidei*

ejus ; et servo, sicut dominus ejus. Si patresfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Ne ergo timueritis eos. Nil enim opertum est quod non revelabitur, et occultum quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicatè super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo qui constabitur me coram hominibus, constitebor et ego eum coram Patre meo qui in cælis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cælis est. Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nûrum adversus socrum suam; et inimici hominis, domestici ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus : et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet illam; et qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et quicumque potum dederit uui ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

*Et paulo post* [xi.] : Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes cœqualibus, dicunt : Cecinimus vobis, et non saltastis; lamentavimus, et non planxistis. Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens; et dicunt : Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, et bibens; et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis. *Et post paululum* : Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis; et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve est.

*Item post paululum* [xii.] : Si autem sciretis quid est, Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. *Et post paululum* : Qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mecum, spargit. Ideo dico vobis, omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus : Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite

arborem malam, et fructum ejus malum : siquidem ex fructu arbor cognoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona<sup>1</sup>; et malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.

*Et post aliquantum* [xv.] : Audite, et intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem : sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. *Et paulo post* : Respondens autem Petrus, dixit ei, Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit, Adhuc et vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur : quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquant hominem? De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemias. Hæc sunt quæ coinquant hominem : non lotis autem manibus manducare, non coinquant hominem.

*Item post aliquantum* [xvi.] : Tunc dixit Jesus discipulis suis, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patitur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

*Item aliquanto post* [xviii.] : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis! Necessè est enim ut veniant scandala : verumtamen væ homini per quem scandalum venit! Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscede eum, et projice abs te. Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum<sup>2</sup>, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne condemnatis unum ex his pusillis : dico autem vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Venit enim Filius hominis sal-

<sup>1</sup> Vulgata non habet, *cordis sed* : licet græcus textus ferat, *de karitas*, addito in quibusdam codicibus *autem*, ut apud Chrysostomum.

<sup>2</sup> In editis omissum fuerat, *vel claudum*; quod hic in Mas uti et in sacris Bibl. reperitur.

vare quod perierat. *Et paulo post* : Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum : si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos; ut in ore duorum testium, vel trium, stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae : si autem et Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quaecumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in caelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit : Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus : Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Ideo assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis : et cum cepisset rationem ponere, oblatum est ei unus qui debebat decem millia talenta; cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus venumdari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quae habebat, et reddi. Procidens autem servus ille orabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens : Redde quod debes. Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Ille autem noluit; sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conservi ejus quae fiebant, contristati sunt valde; et venerunt, et narraverunt domino suo omnia, quae facta fuerant. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui miserus sum? Et iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic et Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

*Et paulo post* [xix.] : Et accesserunt ad eum Pharisaei, tentantes eum, et dicentes : Si licet homini dimittere uxorem suam quaecumque ex causa? Qui respondens ait eis : Non legis quia qui fecit<sup>1</sup> ab initio, masculum et feminam fecit eos; et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suae; et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi : Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere? Ait illis : Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis

<sup>1</sup> Editi, quia qui fecit hominem. At MSS. carent voce, hominem; quam addere non solet Augustinus, uti jam a multis observatum fuit: quanquam vero haec vox nunc in Vulgata existet, abest tamen ab antiquis Cœrb. Bibliis, et a graecis.

dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur. Dicunt illi discipuli ejus : Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit : Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi qui seipsos eunuchizaverunt propter regnum caelorum : qui potest capere, capiat. Tunc oblatus sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret : discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait eis : Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire. Talium est enim regnum caelorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. Et ecce unus accedens ait illi : Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam? Qui dixit ei : Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Si autem vis ingredi ad vitam, serva mandata. Dicit ei : Quae? Jesus autem dixit : Non homicidium facies, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum et matrem, et, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dicit illi adolescens : Omnia haec custodivi<sup>1</sup>, quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus : Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me. Cum autem audisset verbum adolescens, abiit tristis : erat enim habens multas possessiones. Jesus autem dixit discipulis suis : Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum caelorum. Et iterum dico vobis : Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum. Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes : Quis ergo poterit salvus esse? Aspiciens autem Jesus, dixit illis : Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possible sunt. Tunc respondens Petrus dixit ei : Eccc nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

*Et paulo post* [xx.] : Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.

*Et aliquanto post* [xxii.] : Reddito ergo quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo. *Et alibi* : Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. In

<sup>1</sup> Vulgata in excusis addit, a juventute mea : quod hoc loci non habet Augustini specimen, neque vetusta Cœrb. Biblia, nec textus graecus.

nis duobus mandatis universa Lex pondet et Propheta.

*Et post paucos versus [xiii.]*: Tunc Jesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt. Alligant autem onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere. Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant sabbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus rabbi. Vos autem nolite vocari rabbi: unus est enim magister vester; omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vobis vocare super terram: unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Nec vocemini magistri; quia magister vester unus est Christus. Qui major est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur. *Et paulo post*: Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ, quia decimatis mentham et anethum et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt Legis; iudicium, et misericordiam, et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ, quia mundatis quod de foris est calicis et parapsidis; intus autem pleni sunt rapina, et omni immunditia<sup>1</sup>. Phariseæ cæce, munda prius quod intus est calicis et parapsidis, ut fiat et id quod de foris est mundum. Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Sic et vos a foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ, quia edificatis sepulcra Prophetarum, et ornatis monumenta iustorum; et dicitis, Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt: et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennæ? Ideo<sup>2</sup>, ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas; et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem: ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachia, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.

*Et paulo post [xiv.]*: Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum: qui autem per-

<sup>1</sup> Regius Ms., plena sunt rapina, etc. Græc., *gémousin ex arpagés*. vulgata, *pl. ni estis rapina et immunditia*: prætermissio, *omni*, quod nec in græco legitur.

<sup>2</sup> Editi, *tæco dico vobis*. Al. Mss. et sacra Biblia carent, *dico vobis*.

severaverit usque in finem, hic salvus erit. *Et post aliquantum*: Estote parati, quia nescitis qua hora Filius hominis venturus est. Quis putas est fidei servus et prudens, quem constituit Dominus suus supra familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo, Moram facit Dominus meus venire; et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriis: veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat; et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit fletus et stridor dentium.

*Et post paululum [xv.]*: Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. *Item post paululum*: Cum autem venerit filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo; tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis; et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet rex iis qui a dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mandati. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitiivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: nudus, et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te; sitientem, et dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te; aut nudum, et cooperuimus? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te? Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet et iis qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitiivi, et non dedistis mihi potum: hospes fui, et non collegistis me: nudus, et non cooperuistis me: infirmus, et in carcere, et non visitastis me. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et sitientem, et hospitem, aut nudum, aut infirmum, vel in carcere, et non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.

*Et post aliquantum [xxvi.]*: Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.

#### DE EVANGELIO SECUNDUM MARCUM.

[CAP. VII.] Advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, et intelligite. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare; sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem. Si quis habet aures audiendi, au-

<sup>1</sup> Sacra Biblia, quia qua nescitis hora.



div. Et cum introisset in domum: a turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam. Et ait illis: Sic et vos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare<sup>1</sup>; quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem<sup>2</sup>, et in seccusum exit, purgans omnes escas? Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. Ab intus enim de corde hominum exeunt<sup>3</sup> cogitationes malæ, procedunt adulteria, fornicationes, homicidia, furtiva, avaritiæ, nequitiae, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemiae, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, et communicant hominem.

*Et alio loco [viii.]:* Convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi<sup>4</sup>, doneget seipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me et Evangelium, salvam eam faciet. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum faciat animæ suæ? aut quid dabit homo commutationem pro anima sua? Qui enim me confusus fuerit et mea verba in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundet eum<sup>5</sup> in gloria Patris sui cum Angelis suis.

*Et alibi [ix.]:* Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum; quem cum complexus esset, ait illis: Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit; et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui me misit. *Et paulo post:* Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ<sup>6</sup> in nomine meo, quia christi estis; amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur. *Et post paululum:* Habete in vobis salem, et pacem habete inter vos.

*Et paulo post [x.]:* Et accedentes Pharisei interrogabant eum, Si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum. At ille respondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses? Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudiî scribere, et dimittere. Quibus respondens Jesus ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud; ab initio autem creaturæ masculinum et feminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. Et dicit illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum,

<sup>1</sup> Ven., *coinquinare*; et paulo post, *coinquinant*. M.

<sup>2</sup> Vulgata, *sed in ventrem vidit*.

<sup>3</sup> Verbum, *exeunt*, abest a vulgata: sed exstat in codicibus hujus speculi, e quibus Regius M. post, *cogitationes male*, prosequitur, *inde procedunt*.

<sup>4</sup> Regius codex juxta græcum, *post me sequi*: sic etiam antiqua Curb. Biblia.

<sup>5</sup> Vulgata, *confundetur enim*.

<sup>6</sup> In editis addebatur, *frigida*: quod abest a MSS et a sacris Bibliis.

et alii nupserit, mœchatur. *Et post quatuor versus:* Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos. Talius est enim regnum Dei. Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, et impouens manus super illos, benedicebat eos. Et cum egressus esset in viam, præcurrrens<sup>1</sup> quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus. Præcepta nosti? Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum et matrem. At ille respondens, ait illi: Magister, hæc omnia servavi a juventute mea. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum; et dixit illi: Unum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me. Qui contristatus in verbo, abiit mœrens: erat enim habens multas possessiones. Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! Discipuli autem obstupescabant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens, ait illis: Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire! Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur, dicentes ad seipsos: Et quis potest salvus fieri? Et intuens illos Jesus, ait: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum: omnia enim possible sunt apud Deum. Et cœpit Petrus ei dicere: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Respondens Jesus ait: Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut matrem, aut patrem, aut filios, aut agros propter me et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc; domus, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus; et in sæculo futuro vitam æternam. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. *Et paulo post:* Scitis quia ii qui videntur principari Gentibus, dominantur eis, et principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis: sed quicumque voluerit fieri major, erit vestor minister; et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis.

*Et aliquanto post [xi.]:* Et respondens Jesus, ait eis: Habete fidem Dei; amen dico vobis, quicumque dixerit huic monti, Tollero et mittere in mare; et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, Fiat, fiet ei. Propterea dico vobis: Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et veniet<sup>2</sup> vobis. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem; ut et Pater vester qui in caelis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in caelis est, dimittet vobis peccata vestra.

<sup>1</sup> Vulgata, *procurrrens*. Græc., *prostrandus, accurrens*.

<sup>2</sup> Vulgata, *et eveniet*.

*Item post aliquantum* [xii.]: Respondens autem Jesus, dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. *Et alio loco*: Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, et videns quia bene illis responderit, interrogavit eum, quod esset primum omnium mandatum. Jesus autem respondit ei, Quia primum omnium mandatum est, Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est; et, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua: hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est. Et ait illi Scriba: Bene, magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum; et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine: et diligere proximum tanquam seipsum, majus est omnibus holocaustomatibus et sacrificiis. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare. *Et paulo post*: Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro, et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in cænis: qui devorant domos viduarum sub obtentu proluxæ orationis, hi accipiunt<sup>1</sup> proluxius iudicium. Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret aë in gazophylacium: et multi divites jactabant multa. Cum venisset autem una vidua pauper, misit duo minuta, quod est quadrans: et convocans discipulos, ait illis, Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt; hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum.

*Et paulo post*. [xiii.]: Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini, sed quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquimini. Non enim estis vos loquentes, sed Spiritus sanctus. *Et post paululum*: Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit. *Et alio in loco*: Videte, vigilate, et orate; nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre profectus, reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cuiusque operis, et janitori præcepit ut vigilet. Vigilare ergo: nescitis enim quando dominus domus veniat; sero, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilare.

#### DE EVANGELIO SECUNDUM LUCAM.

[Cap. ii.] Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

*Et aliquanto post* [iii.]: Et interrogabant eum turbæ, dicentes, Quid ergo faciemus? Respondens autem, dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat. Venerunt

<sup>1</sup> Vulgata, accipient.

autem et publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciat. Interrogabant autem eum et milites, dicentes: Quid faciemus et nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.

*Et post aliquantum* [vi.]: Beati pauperes; quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis; quia saturabimini. Beati qui nunc fletis; quia ridebitis. Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter Filium hominis. Gaudete in illa die, et exsultate; ecce enim merces vestra multa est in cælo: secundum enim hæc faciebant Prophetis patres eorum. Verumtamen væ vobis divitibus quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis; quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc; quia lugebitis, et flebitis. Væ cum benedixerint vobis; omnes homines<sup>1</sup>: secundum hæc faciebant pseudoprophetis patres eorum. Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderant. Benedicite maledicentibus vobis. Orate pro calumniantibus vos. Et qui te percussit in maxillam, præbe et alteram; et ab eo qui aufert tibi vestimentum tuum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te, tribue; et qui aufert quæ tua sunt, ne reptas. Et prout vultis ut faciant vobis homines, facite illis similiter. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam et peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis iis qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis iis a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fenerant, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros; benefacite, et mutuum date nihil inde sperantes: et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi; quia ipse benignus est super ingratos et malos. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Nolite iudicare, et non iudicabimini. Nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimitte, et dimittemini. Date, et dabitur vobis. Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis et similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo; ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicias ut educaas festucam de oculo fratris tui. Non est enim arbor bona quæ facit fructus ma-

<sup>1</sup> Vox, omnes, abest nunc a Vulgata; sed exstabat in antiquis Corb. Bibliis, et in græca.

los, neque arbor mala faciens fructum bonum<sup>1</sup>. Unaquæque arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvas. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia cordis os loquitur. Quid autem vocatis me, Domine, Domine; et non facilis quæ dico? Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendâm vobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum supra petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere; fundata enim erat super petram. Qui autem audit, et non facit, similis est homini ædificanti domum suam supra terram sine fundamento: in quam illisus est fluvius, et continuo cecidit, et facta est ruina domus illius magna.

*Et post aliquantum* [vii.]: Cui ergo similes dicam homines generationis hujus? et cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus: Cantavimus vobis tibiis<sup>2</sup>, et non saltastis; lamentavimus, et non plorastis. Venit enim Joannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum; et dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, et bibens; et dicitis: Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

*Item post aliquantum* [viii.]: Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam sedit, ii sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum; et hi radices non habent, quia<sup>3</sup> ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, ii sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, ii sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtile lectum ponit; sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. Non enim est occultum quod non manifestetur, nec absconditum quod non cognoscatur, et in palam veniat. Videte ergo quomodo audistis<sup>4</sup>. Qui enim habet dabitur illi; et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

*Et post aliquantum* [ix.]: Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam neque peram,

neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. *Item post aliquantum*: Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie<sup>1</sup> et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam. Nam qui perdidit animam suam propter me, salvam faciet illam. Quid enim proficit homo, si lucratur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui fiat<sup>2</sup>? Nam qui me eruberit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum. *Et alio loco*: Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset. At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendens puerum statuit eum secus se, et ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit; et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter omnes vos, hic major est. *Et post aliquantum*: Ait autem ad alterum, Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permittite mihi primum ire, et sepelire patrem meum. Dixitque ei Jesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, annuntia regnum Dei. Et ait alter: Sequar te, Domine; sed primum permittite mihi reverti ad domum. Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam in aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.

*Et post paululum* [x.]: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calcamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes quæ apud illos sunt; dignus enim est operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quamcumque apponuntur vobis; et curate infirmos qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei. In quamcumque civitatem intraveritis, et non receperint vos, exeuntes in plateas ejus dicite: Etiam pulverem qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos; tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit quam illi civitati. *Et post paululum*: Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis. *Et post paululum*: Ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, et dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possideo? At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est?

<sup>1</sup> Regius codex, *fructus bonos*.

<sup>2</sup> In Regio Ms. deest hic, *tibiis*: neque additur ista vox Math. 11, v. 17: cum tamen græcum, *lulesamen*, quod verbum utroque loco habetur, non sit simpliciter, *cecimus*, sed, *cecimus tibiis*.

<sup>3</sup> In sacris Bibliis, *qui ad tempus*.

<sup>4</sup> Vulgata in excusis, *audistis*. In antiquis autem Corb. Bibliis, *auditis*.

<sup>1</sup> In Mss. Regio et Carnutensi non additur, *quotidie*.

<sup>2</sup> Vulgata, *faciat*.

<sup>3</sup> Sic etiam in Corb. Bibliis habebat vulgata; licet nunc in excusis ferat, *his quæ domi sunt*; neutro genere, non masculino.

quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut teipsum. *Et paulo post*: Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac similiter. *Et post paululum*: Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima: porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

*Item post paululum [xi.]*: Cum oratis, *inquit*, dicite, Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie<sup>1</sup>. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum: et ille de intus respondens, dicat: Noli mihi molestus esse: jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili; non possum surgere et dare tibi. Et ille si perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit; propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego vobis dico: Petite et dabitur vobis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? Si ergo, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se. *Et paulo post*: Factum est autem tum hæc diceret, extollens vocem quardam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At ille dixit: Imo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. *Et paulo post*: Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se: et ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos, Pharisæi, quod de foris est calicis et catini, mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod de foris est, etiam quod intus est fecit? Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et præteritis iudicium et charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere, et illa non omittere. Væ vobis, Pharisæi, quia diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro. Væ vobis, quia estis ut monumenta quæ non parent, et homines ambulantes supra nesciunt. Respondens autem quidam ex legispe-

ritis, ait illi: Magister, hæc dicens, etiam nobis contumeliam facis. At ille ait: Etiam vobis legisperitis væ; quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt<sup>2</sup>, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas.

*Et alio loco [xii.]*: Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. *Et paulo post*: Dico autem vobis amicus meis, ne terreamini ab iis qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis. Timeate eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timeate. Nonne quinque passeress veniunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus pluris estis. Dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur in illo<sup>3</sup> coram Angelis Dei; qui autem negaverit me coram hominibus, denegabitur coram Angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur. Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus, et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis: Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quæ oporteat dicere. Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem supra vos? Dixitque ad illos: Videte, et cavete ab omni avaritia; quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit; et cogitabat intra se, dicens, Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit, Hoc faciam: destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea; et dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hæc nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti cujus erunt? Sic est omnis qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. Dixitque ad discipulos suos: Ideo dico vobis, nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis; neque corpori, quid vestiamini. Anima plus est quam esca, et corpus quam vestimentum. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt; quibus non est cellarium, neque horreum; et Deus pascit illos: quanto magis vos pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? Considerate lilia<sup>4</sup> quomodo crescunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, nec Salomon in omni

<sup>1</sup> Regius codex hic, quæ portari non possunt. Sic etiam antiqua Corb. Biblia. Græcus vero textus, *dusbastacta*: id est, difficilia portatu.

<sup>2</sup> Ita codices omnes hujus Speculi; juxta græcum, *homologesi en autò*, qui etiam proxime ante habet, *hos an homologesè en emci*.

<sup>3</sup> Editi, *lilia agri*. Abest, *agri*, a Regio Ms. necnon a sacris Bibliis, quæ eadem voce etiam in subsequenti vernacula carcut.

<sup>4</sup> In vetustis Corb. Bibliis, *quotidie*; juxta græc., *to kalli thuerun*.

gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. Si autem feum agri quod hodie in agro est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos pusillae fidei? Et vos nolite querere quid manducatis, aut quid bibatis; et nolite in sublime tolli. Haec enim omnia gentes mundi inquirunt: Pater autem vester scit quoniam his indigetis. Verumtamen querite regnum Dei<sup>1</sup>, et haec omnia adjicientur vobis. Nolite timere, pusillus grex; quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quae possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in caelis; quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester, ibi et cor vestrum erit. *Et post paululum*: Et vos estote parati; quia qua hora non putatis Filius hominis veniet<sup>2</sup>. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit ita facientem. Vere dico vobis, supra omnia quae possidet, constituet illum. Quod si dixerit servus ille in corde suo, Moram facit dominus meus venire; et coeperit percutere pueros et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari: veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non praeparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quaeretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus repetunt ab eo. *Item paulo post*: Hypocrita, faciem terrae et caeli nostis probare; hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem et a vobis ipsis non iudicatis quod justum est?

*Et aliquanto post* [xiii.]: Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt.

*Et alio loco* [xiv.]: Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco; ne forte honoratior te sit invitatus ab eo, et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi, Da huic locum; et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco; ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi, Amice, ascende superius: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Dicebat autem et ei qui se invitaverat: Cum facis prandium vel coenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, ne-

que vicinos divites; ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, caecos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in retributione<sup>1</sup> justorum. *Et paulo post*: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; ne posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes quia hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare? Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.

*Et post aliquantum* [xvi.]: Et ego vobis dico, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis; quod vestrum est quis dabit vobis<sup>2</sup>? Nemo servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet, et alterum diligit; aut uni adhaerebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonae. Audiebant autem haec omnia Pharisaei, qui erant avari; et deridebant illum. Et ait illis: Vos estis qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. *Et post paucos versus*: Omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, moechatur.

*Et post paululum* [xvii.]: Impossibile est ut ponantur scandala; vae autem illi per quem veniunt! Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis. Attendite vobis: si peccaverit frater tuus, increpa illum; et si poenitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens, Poenitet me, dimitte illi.

*Et alio loco* [xviii.]: Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justis, et aspernabantur ceteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum ut orarent; unus Pharisaeus, et alter Publicanus. Pharisaeus stans haec apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri ho-

<sup>1</sup> Vulgata habet nunc, *querite primum regnum Dei et justitiam ejus*: at in antiquis Corb. Bibl. caretat his verbis, *primum, et justitiam ejus*: quae a graeco etiam textu absunt, et ab omnibus codicibus hujus Speculi.

<sup>2</sup> In Mss. et in antiquis Corb. Bibl. *venit*. In graeco, *erchetui*.

<sup>1</sup> Vulgata, *in resurrectione*. Graec., *en te anastases*.  
<sup>2</sup> Locus ex sacris Bibliis redintegrandus hunc in modum: *si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis; quod vestrum est, quis credet vobis? Et si in alicuius fideles non fuistis; quod vestrum est, quis dabit vobis?*

ninum, raptores, injusti, adulteri, veluti etiam hic Publicanus : jejuno his in sabbato, decimas de omnium quæ possideo. Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare; sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Quia omnis qui se exultat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. Jesus autem convocans illos, dixit : Sinite pueros venire ad me, et nolite eos vetare. Talius est enim regnum Dei. Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. Et interrogavit eum quidam princeps, dicens : Magister bone, quid faciens vitam æternam possideo? Dixit autem Jesus : Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus. Mandata nosti? Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum et matrem. Qui ait : Hæc omnia custodiavi a juventute mea. Quo audito, Jesus ait ei, Adhuc tibi unum deest : omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo; et veni, sequere me. His ille auditis, contristatus est; quia dives erat valde. Videns autem illum Jesus tristem factum, dixit : Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. Et dixerunt qui audiebant : Et quis potest salvus fieri? ait illis : Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Qui dixit eis : Amen dico vobis, nemo est qui relinquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei, et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam.

*Et alibi* [xix.] : Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius est Abrahæ. Venit enim Filius hominis querere et salvum facere quod perierat.

*Et post aliquantum* [xx.] : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. *Et alio loco* : Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis : Attendite a Scribis, qui ambulare volunt in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis; qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem : hi accipient damnationem majorem.

[xxi.] Respiens autem vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium divites : vidit autem et quandam viduam pauperulam mittentem æram minuta duo; et dixit, Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit. Nam et omnes hi ex abundantia sibi miserunt in munera Dei : hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit. *Item alio loco* : Ponite ergo in cordibus

vestris, non premeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis; et eritis odio omnibus propter nomen meum : et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Et post aliquantum* : Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra a crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa. Tanquam enim liquor superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

*Item post aliquantum* [xxii.] : Facta est autem contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis : Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut junior<sup>1</sup>; et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. *Et alio in loco* : Orate ne intretis in tentationem.

#### DE EVANGELIO SECUNDUM JOANNEM.

[Cap. v.] Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non queritis?

*Et post aliquantum* [viii.] : Dixit autem Jesus, Nec ego te condemnabo. Vade, et amplius jam noli peccare. *Et paulo post* : Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. *Et post paululum* : Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. *Et alibi* : Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in æternum.

*Et post aliquantum* [xii.] : Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Et alio loco* : Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.

*Et alibi* [xiii.] : Vos vocatis me, Magister, et Domine; et bene dicitis, sum etenim : si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. *Et paulo post* : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

*Et paulo post* [xiv.] : Si diligitis me, mandata mea servate. *Et post paululum* : Qui habet mandata mea

<sup>1</sup> Edidit cum vulgata, sicut minor. At MSS., sicut junior; sicque etiam in antiquis Corb. Bibliis; juxta græcum, hæc ð νεότερος.

et servat ea, ille est qui diligit me : qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. *Et post tres versus* <sup>1</sup> : Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eam faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat.

*Et paulo post* [xv.] : Manete in me, et ego in vobis. Sicut palme non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palme, et arescet; et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis poteritis, et fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos : manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea : sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis. *Et paulo post* : Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

*Hæc de quatuor Evangelis in hoc opere ponenda existimavi : ubi intelligi potest, tres evangelistas, Matthæum scilicet et Marcum et Lucam, ideo nobis plura dedisse præcepta vivendi; quia eam maxime secuti sunt partem, quæ activa dicitur. Quia vero Joannes contemplativam magis tenuit, ideo cum ejus evangelium supereminet cæteris, multo pauciora tamen in eo morum præcepta comperimus. Hinc jam de illo libro cui titulum dederunt, Actus Apostolorum, commemorabimus quæ invenimus omnino paucissima. Eo quippe rerum gestarum continetur historia, quibus edificatur fides, magisque ibi exempla quam præcepta conscripta sunt.*

#### DE LIBRO ACTUUM APOSTOLORUM.

[Cap. xv.] *Jacobus ergo loquens* : Propter quod, inquit, ego judico non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Dominum; sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine. *Et paulo post* : Visum est enim Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria; ut abstinere vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis. Valet.

*Et post multa, cum Paulus apostolus præpositis Ecclesie, quos congregaverat* <sup>2</sup>, loqueretur [xx.] : Attendite, inquit, vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Et paulo post idem*

<sup>1</sup> Regius codex : *Et post unum versus.*

<sup>2</sup> Regius Ms., quos consecraverat.

*ad eosdem* : Argentum, aut aurum <sup>1</sup>, aut vestem nullius concupivi, ipsi scitis; quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et iis qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare quam accipere.

*Et alio loco, cum Jacobus et qui cum eo erant, Paulo apostolo loquerentur, dixerunt ei* [xxi.] : Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt; et omnes æmulatores sunt Legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Judæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? Utique oportet convenire multitudinem; audient enim te supervenisse: hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se; his assumpti, sanctifica te cum illis, et impende in illis ut radant capita: et scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens Legem. De iis autem qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, judicantes ut abstineant se ab idolis immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione.

*Hæc de libro Actuum Apostolorum, nostro huic operi congruentia, quæ hic poneremus, satis esse comperimus. Ubi videmus Apostolos, eis qui ex Gentibus crediderunt, nulla voluisse onera veteris Legis imponere, quantum attinet ad corporalis abstinentiam voluptatis; nisi ut observarent ab his tribus, id est, ab eis quæ idolis immolarentur, et a sanguine, et a fornicatione. Unde nonnulli putant tria tantum crimina esse mortifera, idololatriam, et homicidium, et fornicationem; ubi utique et adulterium, et omnis præter uxorem concubitus intelligitur. quasi non sint mortifera crimina quæcumque alia sunt præter hæc tria, quæ a regno Dei separant, aut inaniter et fallaciter dictum sit, Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici <sup>3</sup>, neque rapaces regnum Dei possidebunt (I Cor. vi, 10). Sed oportet nos repressa disputatione nostra, ad Epistolas apostolicas jam venire, et videre etiam in ipsis quid huic operi convenienter aptetur.*

#### DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

[Cap. i.] Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Justus autem ex fide vivit <sup>4</sup>. Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impleatam et injustitiam hominum eorum, qui veritatem <sup>5</sup> in injustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quo-

<sup>1</sup> Sic etiam in Cor. Bibliis: at in Bibliis excusis, et aurum.

<sup>2</sup> In editis, malefici. At in regio Ms. ut in sacris Bibliis, maledici.

<sup>3</sup> Græce est hic et Habac. cap. 2, v. 4, zelotai, ritet.

<sup>4</sup> Hic in Vulgata additur, Dei; quæ tamen vox abest a græco.

que ejus virtus et divinitas; ut sint inexcusabiles: quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Qui commutaverant veritatem Dei in mendacium; et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominie. Nam femine eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi relicto naturali usu femine, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes; et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia; tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt; repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia; plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate; susurriones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; non solum qui ea faciunt, sed et qui consentiunt facientibus.

[u.] Propter quod inexcusabilis es, o homo omnium, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas<sup>1</sup>. Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc, o homo, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quod tu effugies iudicium Dei? An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras<sup>2</sup> quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, et impoentens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justitiam Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus: his quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærentibus, vitam æternam; his autem, qui ex contentione<sup>3</sup>, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco. *Et post paululum*: Non enim auditores Legis justii sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur. *Item paulo post*: Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædicas

<sup>1</sup> Am et Er., qui judices. Græc., ho krindn.

<sup>2</sup> In vetustis Corb. Bibliis participium est, ignorans: juxta græcum, agnōn.

<sup>3</sup> Vulgata in excusis, quarum vitam æternam; his autem qui sunt ex contentione: at illa in antiquis Corb. Bibliis, nihil differt ab hoc Speculo.

non furandum, furaris, qui dicis non mœchandam, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in Lege gloriaris, per prævaricationem Legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est.

*Et aliquanto post* [v.]: Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum: per quem et accessum habemus fide in gratia ista<sup>1</sup>, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

*Et alio loco* [vi.]: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediat concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo. *Et post paululum*: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

*Et alio loco* [viii.]: Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. *Et post paululum*: Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatiatur, ut et conglorificemur. *Et post paululum*: Si autem quod non videmus, speramus; per patientiam exspectamus. *Et post paucos versus*: Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Et paulo post*: Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus, propter eam qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus<sup>2</sup>, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

*Et alio loco* [x.]: Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura, Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi et Græci. Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

*Et alio loco* [xi.]: Tu autem fide sta<sup>3</sup>: noli altum sapere, sed time: Si enim Deus naturalibus ramis non

<sup>1</sup> In sacris Bibliis, per fidem in gratiam istam.

<sup>2</sup> Hic sacra Biblia addunt, neque virtutes.

<sup>3</sup> Vulgata, stas. Græc., estêcas.



perereit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem ; in te autem bonitatem <sup>1</sup>, si permanseris in bonitate.

*Et paulo post [xii.]* : Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo ; sed reformamini in novitate sensus vestri : ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et placens, et perfecta. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes ; sive prophetiam secundum rationem fidei ; sive ministerium, in ministrando ; sive qui docet, in doctrina ; qui exhortatur, in exhortando ; qui tribuit, in simplicitate ; qui præest, in sollicitudine ; qui miseretur, in hilaritate : dilectio sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono ; charitatem <sup>2</sup> fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes ; sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos, benedicite, et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Id ipsum invicem sentientes. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddentes : providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes, charissimi ; sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

*[xiii.]* Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt <sup>3</sup>. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem ? Bonum fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ideo necessitate subjecti estote, non solum propter

iram, sed et propter conscientiam. Ideo enim et tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite omnibus debita ; cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, Legem implevit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices. Non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo Legis est dilectio. Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis : sicut in die, honeste ambulemus, non in comessionibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitis, non in contentione et æmulatione ; sed induimini Dominum Jesum Christum. Et carnis curam ne feceritis in desideris.

*[xiv.]* Infirmum autem in fide <sup>1</sup> assumite, non in discepcionibus cogitationum. Alius enim credit manducare omnia : qui autem infirmus est, olera manducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat : et qui non manducat, manducantem non judicet ; Deus enim illum assumpsit. Tu quis es qui judices alienum servum ? Suo domino stat, aut cadit : stabit autem ; potens est enim Deus statuere illum. Nam alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit : et qui manducat, Domino manducat ; gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus et mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. Tu autem, quid judicas fratrem tuum ? aut tu quare spernis fratrem tuum ? Omnes enim stabimus ante tribunal Dei <sup>2</sup>. Scriptum est enim, Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus. Sed hoc magis judicate, ne ponatis offendiculum fratribus vel scandalum. Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non enim est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo,

<sup>1</sup> In Vulgata, post, *bonitatem*, additur, *Dei* : quod a græco abest.

<sup>2</sup> Sic olim habuit Vulgata : at nunc emendatius, *charitate*. Item aliquanto infra, loco, *mihi vindictam*, habet, *mihi vindicta*.

<sup>3</sup> In sacris Bibliis, *ordinatæ sunt* : subandi potestates.

<sup>1</sup> Editi habebant, *in fidem*. At Mss. juxta Vulgatam, *in fide*. Præpositio, *in*, abest a græco.

<sup>2</sup> Vulgata in excusis, *ante tribunal Christi* : at illa cum hoc Speculo concordat in antiquis Corb. Bibliis ; in quibus etiam subsequenti versiculo habet, *mihi flectet* ; juxta græcum, *enim campset*.

et probatus est hominibus. Itaque quæ pacis sunt, sectemur, et quæ ædificationis sunt in invicem <sup>1</sup>. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem munda sunt; sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum: neque in quo frater tuus offenditur <sup>2</sup>, aut scandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes <sup>3</sup> penes te ipsum? habe coram Deo. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est; quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

[xv.] Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque nostrum <sup>4</sup> proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed, sicut scriptum est, Improperia impropertium tibi ceciderunt super me. Quæcumque autem scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. *Et aliquanto post*: Probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis. *Et post paucos versus*: Obsecro igitur vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Spiritus <sup>5</sup>, ut ad juvetis me in orationibus pro me ad Deum.

*Et paulo post [xvi.]*: Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui disensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab eis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gauleo igitur in vobis: sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo.

#### DE EPISTOLA B. PAULI AD CORINTHIOS.

[Cap. 1.] Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum

<sup>1</sup> In editis et in Vulgata post, *invicem*, additur, *custodimus*: quod verbum abest a Mss. et ab antiquis Corb. Bibl., nec est in græco.

<sup>2</sup> In Carnutensi Speculi codice et in Corb. Biblilis, *offendit*. In græco, *proscripti*: id est, impij.

<sup>3</sup> Er. Lugd. Ven. Lov. ferunt: *Tu fidem quam habes*. M.

<sup>4</sup> Sic Speculi codices, juxta græc., *hæmôn*. At Vulgata, *vestrum*.

<sup>5</sup> Vulgata, *sancti Spiritus*. Abest, *sancti*, a Speculi codicibus, et a græco.

Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cepha, ego autem Christi. Divisus est Christus? Namquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? *Et post paululum*: Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est sapientia nobis a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio: ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino gloriatur.

*Et alio loco [iii.]*: Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicit, Ego quidem sum Pauli; alius autem, Ego Apollo: nonne homines estis? *Et post paululum*: Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est quod estis vos. Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.

*Et post paucos versus [iv.]*: Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo. Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos; ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti? *Et post paululum*: Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus: persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsoma usque adhuc. Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo.

*Item post paululum [v.]*: Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis lutum habetis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, tradere huiusmodi satanæ <sup>1</sup> in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis: non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus; alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. Nunc autem scripsi vobis, non commisceri, si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens,

<sup>1</sup> Am. et M. Rectius omittunt. *satanæ*.

aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare? Nonne de iis qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Laferte malum ex vobis ipsis.

[vi.] Audeat aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos, et non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis secularia? Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre iudicio contendit, et hoc apud infideles? Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. *Et post paululum*: Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo; et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Dominum in corpore vestro.

[vii.] De quibus autem scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines esse sanctos: sicut me ipsum: sed unusquisque proprium debet donum ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis si sic maneat, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant. Mellius est enim nubere, quam uri. His autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Do-

minus, uxorem a viro non discedere: quod si discederit, manere inuuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam cæteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis in muliere fidei; et sanctificata est mulier infidelis in viro fidei. Alioquin filii vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat. Non est enim seruituti subjectus frater aut soror in ejusmodi: in pace autem vocavit nos Deus. Unde enim scis, mulier, si virum saluum facies? aut unde scis, vir, si mulierem salvam facies? nisi unicuique sicut divisit Dominus. Unumquemque sicut vocavit Deus ita ambulet; sicut in omnibus Ecclesiis doceo. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et præputium nihil est: sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? non sit sibi cura: sed et si potes liber fieri, magis utere. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. Pretio empti estis; nolite fieri servi hominum. Unusquisque in quo vocatus est, frater, in hoc permaneat apud Deum. De virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli querere solutionem. Solutus es ab uxore? noli querere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti: et si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: tempus breve est; reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui sicut, tanquam non sicut; et qui gaudent, tanquam non gaudent; et qui utantur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori; et divisus est. Et mulier incepta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Perro hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod bonatum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum observandi. Si quis autem turpem se vi-

<sup>1</sup> Hic in Vulgata additur, *fidelis*: quod tamen verbum abest a Corb. Bibliis et a græco.

<sup>2</sup> In sacris Bibliis, *fratres*.

<sup>3</sup> Hoc loco desiderantur isthæc verba, *et qui emunt, tanquam non possidentes*.

<sup>4</sup> In Regio speculi codice, *observandi*: quod verbum in plerisque Bibliis ante Sixti correctionem habebatur: porro in Corbeiculis legitur, *Domino observandi*; forte pro, *Domino observanti*. In græco est, *allâ prô to euschênai*.

(Trente-deux.)

<sup>1</sup> Regius codex, *propter fornicationes*; juxta græcum.  
<sup>2</sup> Sic etiam in antiquis Corb. Bibliis, juxta græc. At Vulgata nunc loco, *homines*, habet *pos*.

deri existimat super virginem suam, quod sit super-adulta, et ita oportet fieri; quod vult faciat; non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habet suae voluntatis, et hoc iudicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.

[viii.] De iis autem quae idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat: charitas vero aedificat. Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. De eccis autem quae idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo. *Et post paululum*: Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant; et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si non manducaverimus, deficiemus; neque si manducaverimus, abundabimus. Videte autem ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolo recubentem; nonno conscientia ejus cum sit infirma, aedificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.

*Et post pauca* [ix.]: Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut et ceteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas? aut solus ego et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem haec dico? an et Lex haec non dicit? Scriptum est enim in Lege Moysi, Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos hoc utique dicit? Nam propter nos utique scripta sunt: quoniam debet in spe qui arat arare, et qui triturat in spe fructus percipiendi. Si nos verbis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestrae participes sunt, non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt: et qui

*haec exprocedit id Xurid aperispasibis*: quod Hieronymus in primo libro adversus Jovinianum vertit, sed ad id quod honestum est, et intente facit seruire Domino absque ulla distractione; quamquam graecam proprietatem latino sermone non explicari dicit.

altorio deserviant, cum altario participantur<sup>1</sup>. Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum. Non scripsi autem haec, ut ita fiant in me. Bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Nam et si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit; vix enim mihi est, si non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Quae ergo merces mea? Ut Evangelium praedicans, sine sumpto ponam Evangelium Christi<sup>2</sup>, ut non abutar potestate mea in Evangelio. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Judaeis tanquam Judaeus, ut Judaeos lucrarer: iis qui sub Lege sunt, quasi sub Lege essem, cum ipse non essem sub Lege, sed sub gratia<sup>3</sup>, ut eos qui sub Lege erant lucrifacerem: iis qui sine Lege erant tanquam sine Lege essem, cum sine Lege Dei non essem, sed in Lege essem Christi, ut lucrifacerem eos qui sine Lege erant. Factus sum infirmis ut infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem<sup>4</sup>. Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar. Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.

[x.] Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt. *Et post pauca verius*: Sed non in pluribus eorum bene placitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Haec autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt. Neque idololatricae efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est, Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Haec autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum deveniunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione

<sup>1</sup> Consonant antiqua Corin. Biblia. At Vulgata nunc, *participandi*.

<sup>2</sup> In graeco quoque existat vox, *Christi*: non tamen in Vulgata.

<sup>3</sup> Graecus textus caret hisce verbis, cum ipse non essem sub Lege, sed sub gratia. Vulgata vero nonnulla latine, sed sub gratia: quae pariter cum antecedentibus accita videntur in Epistola ad Rom., cap. 6, vv. 14 et 13.

<sup>4</sup> Vulgata, *faciem salvas*.

etiam proventum, ut possitis sustinere. Propter quod, charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura. *Et paulo post* : Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini libere, et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est querat, sed quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. *Et paulo post* : Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis; nolite manducare, propter illum qui indicavit, et propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia? Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago? Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei: sicut et ego per omnia omnibus placeo, non querens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

[xi.] Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. *Et post paululum* : Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum. *Et post aliquantum* : Hoc autem præcepto non laudans, quod non in melius, sed in deterius convenitis. Primum quidem convenientibus vobis in ecclesiam, audio scissuras inter vos esse, et ex parte credo. Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est dominicam cenam manducare. Unusquisque enim suam cenam præsumit ad manducandum; et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? laudo vos? In hoc non laudo. *Et post aliquos versus* : Itaque quicumque manducaverit panem<sup>1</sup>, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique iudicaremur. Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, ut non in iudicium conveniat. Cætera autem cum venero, disponam.

*Et alio loco* [xii.] : Sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantioram tribuendo honorem; ut non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro lavicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra: sive glo-

riatur<sup>1</sup> unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, gubernationes, opulationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? *Æmulamini autem charismata meliora: et adhuc excellentiorem vobis viam demonstro.*

[xiii.] Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramontum sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit. *Et post aliquos versus* : Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem his est charitas:

[xiv.] Sectamini autem charitatem. *Et paulo post* : Quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ querite ut abundetis. *Item post paululum* : Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. *Et alio loco* : Quid ergo est, fratres? Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet? omnia ad ædificationem fiant. *Et post aliquos versus* : Mulieres in ecclesiis taceant: non enim permittitur illis loqui, sed subditas esse, sicut et Lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. An a vobis verbum Dei processit, aut in vos solus devenit?

*Et post paululum* [xv.] : Nolite seduci: corrumpunt mores bonos colloquia mala. Evigilate, justi<sup>2</sup>, et nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent: ad reverentiam vobis loquor. *Et post paululum* : Itaque, fratres mei dilecti, estote stabiles et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.

[xvi.] De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se ponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non cum ve-

<sup>1</sup> Constantiensis codex, *glorificantur*; juxta græc., *docentur*. Id est, gloria afficitur.

<sup>2</sup> Græc., *ἐκνεύετε δικαίως ἐγρηγίτε ἰσχυρῶς*.

<sup>2</sup> vulgata, juxta græcicam. *panem hunc*.

noro, tunc collectis fiant. Cum autem praecens fuero, quos probaveritis, per epistolas hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. Quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos cum Macedonia pertransiero. Nam Macedonia pertransibo. Apud vos autem forsitan remanebo, vel etiam hieabo, ut vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos modo in transitu videre: spero autem me aliquantum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum et evidens, et adversarii multi. Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos. *Et post paululum*: Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini. Omnia vestra in charitate fiant.

#### DE EPISTOLA II B. PAULI AD CORINTHIOS.

[Cap. 1.] Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiarum nostrarum, quod in simplicitate<sup>1</sup> et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in mundo.

*Et post paululum* [ii.]: Si quis autem contristavit me<sup>2</sup>, non me contristavit; sed ex parte, ut non onerem, omnes vos. Sufficit illi qui ejusmodi est, oburgatio hæc quæ fit a pluribus; ita ut e contrario magis donetis et consolemini, ne forte abundantiore tristitia absorbeat, qui ejusmodi est. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. Ideo enim scripsi, ut cognoscam experimentam vestrum, an in omnibus obediens sitis. Cui autem aliquid donastis, et ego. Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi; ut non circumveniamur a satana: non enim ignoramus cogitationes ejus.

*Et alio loco* [iv.]: Ideo habentes hanc administrationem<sup>3</sup>, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non desicimus; sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. *Et post paucos versus*: Non enim nosmetipsos predicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum. *Et paulo post*: Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; sporiatur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur<sup>4</sup>; deijcitur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur. Semper enim nos qui vivimus,

<sup>1</sup> In Bibliis sexti v. jussa recognovitis, post, in simplicitate, additur, cordis: sed hæc vox aberat ab antiquis Corb. et a græco, necnon ab omnibus codicibus hujus Speculi.

<sup>2</sup> Hoc loco, me, non est in Regio codice, nec in græco; sicutque demum expectatum e Vulgata, quæ illud in vetustis Bibliis Corb. et in aliis plerisque addebat.

<sup>3</sup> Vulgata nunc in editis, habentes administrationem; prætermissa voce, hanc. At in antiquis Corb. Bibl. ferebat, habentes hanc ministratorem; juxta græcum, tén diaconiam tamen.

<sup>4</sup> Apud Lev. interpositum hic fuerat ex Gemblacensi codice, humiliamur, sed non confundimur; quod nec in uss. nostris aliisque editionibus Speculi, nec in sacris Bibliis nisi forte quibusdam interpolatis, reperiebatur.

In mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operator, vita autem in vobis. Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, et nos credimus propter quod et loquimur. *Et post sex versus*: Propter quod non desicimus; sed licet is qui foris est homo noster corrumpatur, tamen is qui iatus est renovatur de die in diem. Id enim quod in presenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate<sup>1</sup> æternam gloriæ pondus operator in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia suat: quæ autem non videntur, æterna suat.

*Et post paululum* [vi.]: Adjuvantes<sup>2</sup> autem adhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim, Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvite. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei; per arma justitiarum, a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam; ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti; quasi morientes, et ecce vivimus; ut castigati et non mortificati; quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. *Et post paucos versus*: Dilatamini et vos. Nolite jugnum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidei cum infidei? Qui autem consensus templo Dei eum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus: Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis; et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens.

[vii.] Has igitur habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. *Et post paululum*: Quoniam et si contristavi vos in epistola, non me poenitet: et si poeniteret, videns quod epistola illa etsi ad horam vos contristavit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam

<sup>1</sup> Regius codex et Corb. Bibliis, supra modum in sublimitatem; juxta græcum, kath' υπερβολην εις υπερβολην.

<sup>2</sup> Regius codex, adjuvantes.

in salutem stabilem operatur. Sæculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantum in vobis operatur soliti iudicium?

*Et post paucos versus [viii.]*: Notam autem vobis facimus, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ, quod in tanto experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum<sup>1</sup>, et altissima paupertas eorum abundavit in divitiis simplicitatis eorum. Quia secundum virtutem (testimonium illis reddo), et supra virtutem voluntarii fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, et communicationem ministerii quod sit in sanctos: et non sicut sperarimus, sed semetipsos dederunt, primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei; ita ut rogaemus Titum, ut quemadmodum cepit, ita et perficiat in vobis<sup>2</sup> etiam gratiam istam. Sed sicut in omnibus abundantis fide, et sermone, et scientia, et omni sollicitudine, insuper et charitate vestra in nos, ut et in hac gratia abundetis: non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans<sup>3</sup>. Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut inopia illius vos divites essetis. Et consilium in hoc do. Hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed et velle cepistis ab anno priori. Nunc vero et facto perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet. Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate, in præsentem tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit. Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi: quoniam exhortationem quidem suscepit, sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Misimus autem cum illo fratrem, cuius laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Non solum autem, sed et ordinatus ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hac gratia<sup>4</sup>, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam et destinatum voluntatem nostram: devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis<sup>5</sup>. Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

<sup>1</sup> Vulgata nunc habet, *ipsorum fuit*; sed carebat, *fuit*, in Corb. Bibliis et in græco, necnon in codicibus hujus speculi.

<sup>2</sup> Regius codex, *perficitur in vos*: pauloque post, *sollicitudine et charitate vestra in vobis*; prætermissis, *insuper*: quibus locis ad græc. quadrat.

<sup>3</sup> Ant. et Ep. hic, *ingenium bonum comprobans*. In græco tantum tantum verbum est *gudison*: quod *ingenuitatem*, sive *sinceritatem* significat.

<sup>4</sup> Sic etiam Corb. Bibliæ ferebant. At nunc in Vulgata legitur, *in hac gratiam*. In græco, *sunt te chariti tantæ*.

<sup>5</sup> Hic in editis adhibebatur, *in Domini gloriam*; quod a Vss. et a sacris Bibliis abest. Paulo infra, pro: *Et post aliquos versus*, habet Regius codex: *Et post novem versus*.

*Et post aliquos versus [ix.]*: Nam de ministerio quod sit in sanctos, ex abundantia est mihi scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis gloriatur apud Macedones; quoniam Achala parata est ab anno præterito, et vestra æmulatio provocavit plurimos. Misi autem fratres, ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte: ut, quemadmodum dixi, parati sitis; ne cum venerint necum Macedones, et invenerint vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicam vos) in hac substantia. Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, et præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non quasi avaritiam. Hoc autem dico: qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Illarum enim datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispensit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum<sup>1</sup>. Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ; ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo: quoniam ministerium hujus officii, non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem ministerii hujus; glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ<sup>2</sup>, et simplicitate communicationis in illos et in omnes; et ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Gratias ago Deo<sup>3</sup>. super inenarrabili dono ejus.

*Et alio loco [x.]*: Qui autem gloriatur, in Domino gloriatur. Non enim qui seipsum commendat, illo probatus est; sed quem Deus commendat.

*Et post aliquantum [xi.]*: Ministri Christi sunt? et ego<sup>4</sup>: ut minus sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter: a Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci; nocte et die in profundo maris sui: in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt, instan-

<sup>1</sup> Sic Mss. cum antiquis Corb. Bibliis. At editi habentur sicuti nunc Vulgata, *in sæculum sæculi*: quamvis in græco sit tantum, *etsi non aïona*.

<sup>2</sup> Hic in sacris Bibliis additur, *in Evangelium Christi*.

<sup>3</sup> Vulgata, *Gratias Deo*; prætermissis, *ago*. Græc. autem, *Charis de id Theb*.

<sup>4</sup> Redundat, *et ego*: quod quidem in Vulgata etiam hic repetebatur; sed merito per Bibliorum castigatores expunctum fuit, cum et textus græcus non haberet.

ita mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.

*Et post paululum [xn.]*: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis multis pro Christo <sup>1</sup>. Cum enim infirmor, tunc potens sum. *Et post aliquos versus*: Ecce tertio paratus sum venire ad vos, et non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipso pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar. *Et post aliquos versus*: Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem non vultis: ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurraciones, inflationes, seditiones sint inter vos; ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, et non egerant pœnitentiam super immunditia <sup>2</sup> et impudicitia quam gesserunt.

*Et alio loco [xiii.]*: Oremus autem Deum, ut nihil mali faciatis: non ut nos probati pareamus, sed ut vos quod justum est faciatis <sup>3</sup>. *Et post sex versus*: Do cætero, fratres, gaudete, persequimini, exhortamini, id ipsum sapite, pacem habete; et Deus dilectionis et pacis erit vobiscum.

#### DE EPISTOLA B. PAULI AD GALATAS.

[Cap. i.] Si adhuc hominibus placere, Christi servus non essem.

*Et post aliquantum [v.]*: Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per dilectionem operatur. *Et alio loco*: Vos autem in libertatem vocati estis <sup>4</sup>, fratres: tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem spiritus servite invicem <sup>5</sup>. Omnis enim Lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini. Dico autem <sup>6</sup>: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciat. Quod si spiritu ducimini, non estis sub Lege. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia <sup>7</sup>, luxuria, idolorum servitus, veneficia,

inimicitie, contentiones, æmulationes, ira, rixa, dissensiones, secte, invidia, homicidia, ebrietates, comessiones, et his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt <sup>1</sup>. Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas <sup>2</sup>, fides, modestia, continentia. Adversus hujusmodi non est lex. Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis. Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemos. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

[vi.] Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit; ipse se seducit. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in seuetipso tantum habebit gloriam, et non in altero. Unusquisque enim onus suum portabit. Communicet autem is qui catechizatur verbum <sup>3</sup>, ei qui so catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu et metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficietes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

#### DE EPISTOLA B. PAULI AD EPHESIOS.

[Cap. iv.] Obsecro itaque vos, fratres, ego vincetis in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. *Et alio loco*: Hoc itaque dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut et Gentes ambulavit, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum: qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitie in operationem immunditiæ omnis et avaritiæ <sup>4</sup>. Vos autem non ita didicistis Christum: si tamen illum audistis, et in ipso docti estis, sicut est veritas in Jesu. Deponite <sup>5</sup> vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria

<sup>1</sup> Vulgata, non consequentur, Græc., ou cleronomēsousin.

<sup>2</sup> In Vulgata superadduntur duo vocabula, scilicet hoc loco, mansuetudo; postremo, castitas: sicque fructus Spiritus sunt duodecim. At in vetustis Corb. Bibliis non sunt plus undecim, quia omittitur, mansuetudo: in græco autem non plus novem, quia absunt, patientia et castitas, neque vocabulis, mansuetudo ac modestia, respondet nisi unum præter.

<sup>3</sup> Sic etiam in Corb. Bibliis juxta græcum, τὸν λόγον. At in Vulgata nunc est auferendi casu, catechizatur verbo.

<sup>4</sup> Pro, et avaritiæ, habet nunc Vulgata, in avaritiam; Corb. Biblia, in avaritia; juxta græcum, ἐν πλεονεξίᾳ.

<sup>5</sup> Vulgata, deponere: quanquam illa in Corb. Bibliis habuit a prima manu, deponite. Porro in græco est, ἀποθεσθαι τὸν ἀνὴρ, deponisse vos: et consequenter ἐνανεοδύθαι, renovatos fuisse, ἐνδυσάσθαι, induisse: ubi Vulgata huiusmodi in Imperativa mutatis præterit, renovantur induite.

<sup>1</sup> sacra Biblia non addunt, multū.

<sup>2</sup> Hic sacra Biblia interponunt, et fornicatione.

<sup>3</sup> Vulgata, quod bonum est. Græc., τὸ καλόν.

<sup>4</sup> sic mss. hujus Speculi, juxta Vulgatam. At editi, in libertate. In græco est, ἐπ' ἐλευθερία.

<sup>5</sup> Vox, spiritus, sive a vetustis Corb. Bibliis et a Græco.

<sup>6</sup> Editi post, Dico autem, addunt, in Christo: quod nec in mss. est, nec in sacris Bibliis nisi forte interpolatis.

<sup>7</sup> In Vulgata insoritur hic, impudicitia: quæ vox a vetustis Corb. Bibliis abest. Reperitur quidem a Jul. Hieronymum, sed subtracta voce, luxuria. In græco autem nominatur primum, adulterium; tum, fornicatio: deinde alia ut hic recitentur omisso nomine, impudicitia.



erroris. Honoramini autem spiritu mentis vestrae; et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendaciam, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra. Irascimini, et nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui surabatur, jam non furctur; magis autem labore operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad aedificationem opportunitatis<sup>1</sup>, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis<sup>2</sup>, Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

[v.] Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut docet sanctos; aut turpido, aut stultiloquium, aut scurrilitas quae ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immonus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiae. Nolite ergo efflicti partioipes eorum. Eratis enim aliquando tenebrae; nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate (fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate), probantes quid sit beneplacitum Deo. Et nolite communkare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem redarguite. Quae enim in occulto sunt ab ipsis, turpe est et dicere. Omnia autem quae arguuntur, a lumine manifestantur. Omne enim quod manifestatur, lumen est. Propter quod dicit: Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit tibi Christus<sup>3</sup>. Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus; quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto<sup>4</sup>, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus

<sup>1</sup> vulgata, ad aedificationem fidei. At codices omnes hujus Speculi, ad aedificationem opportunitatis; juxta Hieronymum, qui hunc in locum id observat: «Pro eo, ait, quod nos posuimus ad aedificationem opportunitatis, hoc est quod dicitur graeco, *tes chretus*, in latinis codicibus propter eujusmodi mutavit interpretes, et posuit, ad aedificationem fidei.»

<sup>2</sup> vulgata, in diem redemptionis: suffragante graeco, *eis dimeran*.

<sup>3</sup> Loco, tibi, in vulgata est, te: licet graeco legatur, *epiphanezi soi o xristos, illucecet*; sive ut Hieronymus interpretatur, *oriatur tibi Christus*.

Sic etiam vulgata in excusis. At in antiquis Corb. Biblijs non additur, *sacro*: quod pariter Hieronymus graeco in hæc verba interpretavit.

vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri, subjecti invicem in timore Christi. Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae, ipse Salvator corporis ejus<sup>1</sup>. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo<sup>2</sup>: ut exhiberet ipso sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi: sed ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suae; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Verruntamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligit: uxor autem timeat virum.

[vi.] Filii, obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim justum est. Honora patrem tuum et matrem, quod est primum mandatum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram. Et, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate eos in disciplina et correptione Domini. Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex anima, cum bona voluntate servientes ut Domino, et non hominibus: scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in caelis, et personarum acceptio non est apud eum. De cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die mala, et in omnibus perfecti stare. Stare ergo succineti lumbos vestros in veritate, et induti loriceam justitiae, et calceati pedes in preparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, et in ipso

<sup>1</sup> Pronomen, *ejus*, abest a Non. hujus speculi, nec in graeco reperitur, nec apud Hieronymum.

<sup>2</sup> sic etiam apud Hieronymum, non addita voce, *rite*: quae quidem vox, post, in verbo, legitur. unde in vulgata, non autem in textu graeco.

vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis; et pro me, ut deter mihi sermo in oratione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Evangelii, propter quod legatione fungor in catena<sup>1</sup>, ita ut in ipso audeam prout oportet me loqui.

DE EPISTOLA B. PAULI AD PHILIPPENSES.

[Cap. i.] Quia in nullo confundar, sed in omni fiducia, sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est; et quid eligam, ignoro. Coarctor enim e duobus: desiderium habens dissolvi et cum Christo esse, multo magis melius; remanere autem in carne, necessarium propter vos. *Et post sex versus*: Tantum digne Evangelio Christi conversamini, ut sive cum venero et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimis, collaborantes fidei Evangelii. Et in nullo terreamini ab adversariis, quae est illis causa perditionis, vobis autem salutis: et hoc a Deo. Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo pergamini: idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me.

[ii.] Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, et qua vitæ et miserabilis<sup>2</sup>, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitantes. Non quæ sua sunt singuli considerantes; sed ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo; humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltavit, et demavit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua constetur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Itaque, charissimi mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate. Omnia autem facite sine murmurationibus et hesitationibus, ut sitis sine querela, et simplices illi Dei, sine reprehensione in medio nationis pravae et perverse; inter quos lucetis sicut luminaria in mundo: verbum vitæ continentes ad gloriam mihi in diem Christi<sup>3</sup>;

<sup>1</sup> Phil., in catena istr., ita ut. At Regius codex et sacra Biblia carent pronominæ, ista.

<sup>2</sup> Vulgata, viscera miserabilis. Græc. *splanchna kar oiktirouai*.

<sup>3</sup> Consonat græcis textus. At Vulgata præfert, ad gloriam meam in die Christi.

quæ non in vacuum ecurri, neque in vacuum laboravi. Sed et si immeter supra consilium et ministerium fidei vestrae, gaudeo et congratulor omnibus vobis. Id ipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi. Spero autem in Domino Jesu Timotheum cito mittere ad vos, ut et ego bene anime sim, et gaescens quæ circa vos sunt. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim sua querunt, non quæ sunt Jesu Christi. Expertentur autem ovis vagantes, quoniam sicut patri filius, mecum servivi in Evangelio. Hunc igitur spero me mittere, non ut videat quæ circa me sunt. Confide autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito. Necessarium autem existinavi Epaphroditum fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum, et ministrum necessitatis meae, mittere ad vos: quoniam quidem omnes vos desiderabat, et motus est propter quod audistis illum infirmatum. Nam et infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misericors est ejus: non solum autem ejus, verum etiam et me, ne tristitiam super tristitiam haberem. Festinatis ergo mihi illum, ut viso eorum gaudeatis, et ego sine tristitia sim. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino; et ejusmodi cum honore habete: quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impletet quod vobis deerat organum meum obsequium.

*Et paulo post [iii.]*: Fratres, ego me non arbitror apprehendisse: unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me, ad destinatum persequor, ad brevium superæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti, hoc sentiamus; et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit: verumtamen ad id<sup>1</sup> quod pervenimus, ut idem sapiamus, et in eadem perseveremus regula. Imitatores mei estote, fratres; et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et sicis dico, inimicos crucis Christi: quorum finis interitus; quorum Deus vester, et gloria in confusione ipsorum; qui terrene capiunt. Nostra autem conversatio in caelis est.

*Et post tredecim versus [iv.]*: Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus enim prope est. Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestras imoltescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu. De cæteris, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus<sup>2</sup>, hæc cogitate: quæ et didicistis, et accepistis, et audi-

<sup>1</sup> Abest, id, a sacris Bibliis; neque in illis particula, et, post verbum, sapiamus, reperitur.

<sup>2</sup> Apud Lov. additum fuerat hic, *græcū linas*, juxta Vulgatam: sed Am. Er. et Regius codex vocem istam cum gratia prætercunt.

nis, et vidistis in me, hunc agite; et Deus pacis erit vobiscum. Gavius sum autem in Domino volenter, quoniam tandem aliquando restitistis pro me sentite, sicut et sentiebatis; occupati autem eratis. Non quasi propter penuriam dico. Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio et humiliari; scio et abundare: ubique et in omnibus institutus sum, et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati: omnia possum in eo qui me confortat. Veritatem bene sociatis communicantes tribulationi quam. Scitis autem et vos, Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli; quia et in Thessalonicam et semel et his in usum mihi misistis. Non quia quero datum, sed requiro fructum abundantem in rationem vestram<sup>1</sup>. Habeo autem omnia, et abundo. Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quae misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo.

#### DE EPISTOLA I B. PAULI AD THESSALONICENSES.

[Cap. II.] Ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fui; sed ante passi multa<sup>2</sup> et contumellis affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo: sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur; non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione avaritiae, Deus testis est: neque querentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. Cum possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras; quoniam charissimi nobis facti estis. Memores enim facti estis, fratres, laboris nostri et fatigationis: nocte et die laborantes, ne quem vestrum gravaremus, praedicavimus in vobis Evangelium Dei. Vos testes estis et Deus, quam sancte, et juste, et sine querela vobis, qui credidistis, affuimus: sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum, tanquam pater filios suos, deprecantes vos, et consolantes, testificati sumus ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam. Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione; quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei, qui operatur in vobis, qui creditistis. Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quae sunt in Iudaea, in Christo Jesu; quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Iudaeis.

Et alio loco [IV.]: De cetero ergo, fratres, rogamus

<sup>1</sup> Editi antea juxta vulgatum, in ratione vestra. At Mas. juxta graecum et antiqua fililia, in rationem vestram

<sup>2</sup> vox, multa, a sacris Bibliis abest.

vos, et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo vos oporteat ambulare, et placere Deo, sic et ambulatis, ut abundetis magis. Scitis enim quae praecepta dederimus vobis per Dominum Jesum. Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abtineatis vos a fornicatione; ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gaudes quae ignorant Deum; et ne quis supergredietur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Deus de his omnibus, sicut praediximus vobis, et testificati sumus. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui haec spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in vobis. De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invicem. Etenim facitis illud in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis; et operam detis, ut quieti sitis; et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut praecipimus vobis: ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis. Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent.

Et post aliquos versus [V.]: Igitur non dormiamus, sicut et ceteri: sed vigilemus et sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus; induti loricae fidei et charitatis, et galeam spem salutis. Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis, per Dominum nostrum Jesum Christum: qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. Propter quod consolamini invicem, et edificate alterutrum, sicut et facitis. Rogamus autem vos, fratres, ut reverentis eos qui laborant inter vos, et praesunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum; pacem habete cum eis. Rogamus autem vos, fratres; corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. Semper gaudete; sine intermissione orate; in omnibus gratias agite. Haec enim voluntas Dei est in Christo Jesu, in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos.

#### DE EPISTOLA II B. PAULI AD THESSALONICENSES.

[Cap. I.] Gratias agere debemus Deo semper pro vobis, fratres, ita ut dignum est; quoniam supercrevit fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem: ita ut nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra et fide in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei, ut digni

habeantini regno Dei, pro quo et patimini. Si tamen iustum est apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos tribulant; et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum, in revelatione Domini Jesu de caelo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis, dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. Qui poenas dabunt in interitum<sup>1</sup> aeternas, a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. In quo etiam eramus semper pro vobis, ut dignetur vocatione vos sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis<sup>2</sup>, et opus fidei in virtute: et clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo, secundum gratiam Dei nostri, et Domini Jesu Christi.

*Et alio loco [III.]*: Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis. Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti sumus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo; sed in labore et fatione, nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem; sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Illis autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducet. Vos autem, fratres, nolite desicere beneficientes. Quod si quis non obediit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum illo, ut confundatur. Et nolite quasi inimicem existimare, sed corripite ut fratrem.

#### DE EPISTOLA B. PAULI AD COLOSSENSES.

[Cap. III.] Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis. In quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam; turpem sermonem de ore vestro ne emiseritis<sup>3</sup>. Nolite mentiri invicem; exspoliantes vos veterem hominem cum

<sup>1</sup> sic Mss. At editi, *dabunt interitus*. Vulgata, *dabunt in interitu*.

<sup>2</sup> in editis addebat, *suæ*: quæ vox abest a Mss. et a sacris Bibliis.

<sup>3</sup> Regius Speculi codex et sacra Biblia carent his verbis, *ne emiseritis*: hæcque voce *Dei*, quæ hic in v. 10, post, *in agnitionem*, legitur.

actibus ejus, et induentes novum, cum qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit eum: ubi non est Gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scythæ, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus. Induite ergo vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes invicem, et donantes vobis ipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos facite<sup>4</sup>. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: et pax Christi exsulet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore; et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes et commententes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Mulieres, subdite estote viris, sicut oportet in Domino. Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino. Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo stant. Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed in simplicitate cordis, timentes Dominum. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus; scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite. Qui enim facit injuriam, recipiet id quod iniuste gessit; et non est personarum acceptio apud Deum.

[IV.] Domini, quod iustum est et æquam, servis præstate; scientes quoniam et vos Dominum habetis in caelo. Orationi instate, vigilantes in ea cum gratiarum actione: orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vincetus sum, ut manifestem illud ita ut oportet me loqui. In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia salvo conditus sit, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique responderi.

#### DE EPISTOLA I B. PAULI AD TIMOTHEUM.

[Cap. I.] Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quoniam bona est lex, si quis ea legitime utatur: scientes hoc<sup>5</sup>, quia iusto lex non est posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, parricidis et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagariis, mendacibus, perjuris; et si quid aliud sæpæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

<sup>4</sup> Verbum, *facite*, abest a Regio codice et a sacris Bibliis.

<sup>5</sup> Vulgata, *sciens hoc*. Græc., *cidós*.

*Et post paululum [ii.]* : Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus : pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt ; ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate. *Item post paululum* : Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa ; sed, quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.

*Et post aliquot versus [iii.]* : Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitem, doctorem : non vinolentum, non percussorem, sed modestum ; non litigiosum, non cupidum, sed suae domui bene prepositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suae praesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit ? Non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Oportet autem et illum testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et laqueum diaboli. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene praesunt et suis domibus. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt, et multam fiduciam in fide qua est in Christo Jesu.

*Et post duodecim versus [iv.]* : Spiritus autem manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis demoniorum, in hypocritarum loquelium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona, et nihil abijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. Haec proponens fratribus, bonis eris minister Christi Jesu, nutritus verbis fidei et bonae doctrinae quam assecutus es. Ineptas autem et aniles fabulas devita. Exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est : pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est, et futurae. Fidelis sermo et omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium. Praecepta haec, et doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat : sed exemplum

esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinae. Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. Haec meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae, iusta in illis : hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

[v.] Senioremem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem ; juvenes, ut fratres ; anus, ut matres ; juvenculas, ut sorores, in omni castitate. Viduas honora, quae vero viduae sunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet ; discant primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus : hoc enim acceptum est coram Deo. Quae autem vere vidua est et desolata, sperat in Deum, et instat obsecrationibus et orationibus nocte et die. Nam quae in deliciis est, vivas mortua est. Et hoc praecipere, ut irreprehensibilis sint. Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt ; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul autem et otiosae discant circumire domos ; non solum otiosae, sed et verbose, loquentes quae non oportet. Volo autem iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam exim quaedam conversae sunt retro post satanam. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, ut non gravetur Ecclesia, ut iis quae vere viduae sunt sufficiat. Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur : maxime qui laborant in verbo et doctrina. Dicit enim Scriptura, Non infrenabilis est bovi trituranti ; et, Dignus est operarius mercede sua. Adversum presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus et tribus iustis. Peccantes coram omnibus argue, ut et castori timorem habeant. Testor coram Deo et Christo Jesu et electis Angelis, ut haec custodias sine praedicio, nihil faciens in alteram partem declinando. Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. Noli adhuc aquam bibere, sed vino modico utere, propter stomachum tuum, et fro-

<sup>1</sup> Regius codex, manifestus est in omnibus ; juxta graecum, in passu.

<sup>2</sup> Sic omnes codices Speculi ; juxta graecum, manthamthean. At Vulgata, discat, numero singulari.

<sup>3</sup> Vulgata, speret et instat. Graeca scriptura, elpiken kai prosmenei, speravit et instat : hinc Regius codex, littera v per librarios, ut saepe saepe contingit, mutata in b, habet, sperabit.

<sup>4</sup> In vetustis Corb. Bibliis : Si quis fidelis vel si qua fidelis ; juxta graecum, et iis piatos e piato.

<sup>5</sup> Sic etiam Corb. Bibl. At nunc vulgata, non alligabit.

<sup>1</sup> Vulgata, praesunt. Sic etiam Lngd. M.

<sup>2</sup> Vulgata, acquirunt. At codices hujus Speculi, acquirunt ; suffragante graeco, peripolunt.

quentes suas infirmitates. Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcœlentia ad iudicium : quosdam autem et subsequuntur. Similiter et facta bona manifesta sunt ; et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

[vi.] Quicumque sunt sub iugo servi, dominos suos omni honore dignos habeant <sup>1</sup>, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt ; sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt : hæc doce, et exhortare. Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus <sup>2</sup>, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidia, contentiones, blasphemie, suspensiones male, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui privati sunt veritate ; existimantium quæstum esse pietatem. Est autem quæstus magnus, pietas cum auctoritate. Nihil enim intulimus in hunc mundum : hæc dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus legamur, his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge : sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonorum certamen fidei ; apprehende vitam æternam, in qua <sup>3</sup> vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula, irreprensibile, usque in adventum Domini nostri Jesu Christi. *Et post paucos versus :* Divitibus huius sæculi præcipe, non superbe sapere neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum ; bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

#### DE EPISTOLA II B. PAULI AD TIMOTHEUM.

[Cap. 1.] Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et affectionis et sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vincum ejus ; sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei. *Et post paucos versus :* Formam habes sanctorum verborum, quæ a me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in vobis.

<sup>1</sup> Vulgata, *creduntur*.

<sup>2</sup> Legendum cum vulgata, *superbus est* ; vel, *superbis* : vixta græcam, *τετράβολοι*.

<sup>3</sup> Græca scriptura, *eis est, inquam*.

*Et paulo post [ii.] :* Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu ; et quæ audisti a me per multos testes, ac commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere. Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dominus intellectum in omnibus. Memor esto Domini Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum ; in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans : sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cœlesti. Fidelis sermo : Nam si commortui sumus, et convivemus ; si sustinebimus <sup>1</sup>, et coregnabimus ; si negabimus, et ille negabit nos ; si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Hæc commone, testificans coram Deo. Noli verbis contendere, in nihil utile, nisi ad subversionem audientium. Sollicite autem cura tuipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem <sup>2</sup>, recte tractantem verbum veritatis. Profana autem et vaniloquia devita : multum proficiunt <sup>3</sup> ad impietatem ; et sermo eorum ut cancer serpit. *Et post sex versus :* Cognovit Dominus qui sunt ejus ; et discedant ab iniquitate omnes qui invocant <sup>4</sup> nomen Domini. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia ; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo mundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino ad omne opus bonum paratum. Juvenilia autem desideria fuge : sectare vero iustitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens quod generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt <sup>5</sup> : nequando det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

[iii.] Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa ; et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemii, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminales, incontinentes, immittes, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi,

<sup>1</sup> Carnutensis codex et Corb. Biblia, ad *constantiam*. Paulo post, loci, *si negabimus*, habet Regius codex, juxta vulgatum, *si negaverimus*.

<sup>2</sup> *Ess.*, *operarium irreprehensibilem*. Paulo infra Regius Ms. et editio Er., *et vaniloquia devita*. Sic etiam Corb. Biblia.

<sup>3</sup> *Itule* loctioni suffragatur græcus textus. At vulgata præfert, *multum enim proficiunt*.

<sup>4</sup> *Sacra* biblia, *et discedat ab iniquitate omnis qui nunciat*.

<sup>5</sup> Vulgata, *resistant veritati*. Vox tamen, *resistant*, abest a græco et a codicibus hujus operis, excepto Ms. Gombalensis.

voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes: et hos devota. Ex iis enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis: semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. *Et post octo versus*: Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochie, Iconio, Lystris; quales persecutiones sustinui, et ex omnibus me eripuit Dominus. Et omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes. Tu vero permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris. Et quoniam ab infantia sacras Litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata, est utilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum<sup>1</sup>, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

[iv.] Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos, et per adventum ipsius et regnum ejus, prædica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coercerabunt sibi magistros, prurientes auribus; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangeliste, ministerium tuum imple<sup>2</sup>. Ego enim jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus.

#### DE EPISTOLA B. PAULI AD TITUM.

[Cap. i.] Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi disposui. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem; non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non tarpis lucri cupidum<sup>3</sup>: sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, ampiccentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrinam sana, et eos qui contradicunt arguere. *Et post aliquos versus*: Quam ob causam increpa illos dicit, ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium se a veritate. Omnia munda mundis: coinquinatis autem et infideli-

<sup>1</sup> In vulgata, ad corrigendum: in græco, præ epanorthōsē, ad correctionem.

<sup>2</sup> Nihil supra in græcis Bibliis: at in latinis additur, sobrius esto.

<sup>3</sup> Regius codex, non turpe lucrum sectantem

bus nihil mundum: sed inquinata sunt et vana eorum, et conscientia. Conitentur se nosse Deum, factis autem negant; cum sint abominati et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.

[ii.] Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam. Senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non viano multo servientes, bene docentes, ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios diligant, prudentes, castas<sup>4</sup>, domus curam habentes, benignas, subditas suis viris, ut non blasphemetur verbum Dei. Jurenes similiter hortare ut sobrii sint. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Verbum sanum, irreprehensibile: ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis<sup>5</sup>. Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam salvatoris nostri Dei orneat in omnibus. Apparuit enim gratia Dei salvatoris<sup>6</sup> omnibus hominibus, erudicens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Neque te contemnat.

[iii.] Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse: neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. *Et post paucos versus*: Fidelis sermo est; et de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona et utilia hominibus. Stultas autem questionones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devota: sunt enim inutiles et vana. Hæreticum hominem postquam et secundam correptionem devota, sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit proprio judicio condemnatus.

#### DE EPISTOLA B. PAULI AD PHILEMONEM.

Gaudium enim magnum habui et consolationem in charitate tua, quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater. *Et paulo post*: Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii: sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

#### DE EPISTOLA AD HEBRÆOS

[Cap. iii.] Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vō

<sup>1</sup> Vulgata addit, sobrius: cui verbo nihil hic in græco respondet.

<sup>2</sup> Regius codex, de vobis: juxta græcum.

<sup>3</sup> Vulgata, salvatoris nostri: abest, nostri, a codicibus Speculi, et a græco textu. Imo in græco cum articulo feminino est nominandi casus & sobrius, quo gratia ipsa salutaris seu salutifera signatur.

strum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus; si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firman retineamus, dum dicitur, Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in exacerbatione.

*Et post paucos versus [iv.]*: Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introcundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse. Etenim et nobis nuntiatur est, quemadmodum et illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus<sup>1</sup> fidei ex iis quæ audierunt. *Et alio loco*: Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit celos, Jesum filium Dei, teneamus confessionem. *Et post tres versus*: Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

*Et paulo post [vi.]*: Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius; qui ministrastis sanctis, et ministrastis. Cupinus autem unumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei<sup>2</sup> usque in finem: ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide et patientia hereditabunt promissiones. *Et post septem versus*: Homines enim per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum.

*Et post aliquantum [x.]*: Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est qui repromisit), et consideremus laticem in provocationem charitatis et bonorum operum: non desidentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam; sed consolantes, et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquatur hostia pro peccatis. Terribilis namque quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens Legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus mortuorum testibus: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiæ contumellam fecerit? Scimus enim qui dixit, Mihi vindictam, et ego reddam<sup>3</sup>; et iterum, Quia judicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinistis passionum. Et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socii taliter contemptum affecti. Nam et vincetis compassi, et, et proximam bonorum vestro-

<sup>1</sup> In Bibliorum codice Corbelesensi, necnon in Complutensi editione legitur, non admixtis; ut istud participium non ad sermonem, sed ad illos quibus sermo non profuit, referatur: cui locutioni suffragantur græca quedam exemplaria. Confer Theophilacti Commentarios.

<sup>2</sup> Lov., fidei: retrā, antibus editis aliis et Mss. qui cum sacris Bibliis habent, ipse.

<sup>3</sup> Vulgata: Mihi vindictam, et ego retribuam.

rum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulumque, qui venturus est veniet, et non tardabit. Justus autem meus ex fide vivit<sup>4</sup>: quod si subtraxerit se, non placebit animæ mee.

*Et aliquanto post [xii.]*: Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstantes nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum: qui propositis sibi gaudio, sustinuit crucem, confessione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recognitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigatus animis vestris deficietis. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversum peccatum repugnantes: et oblii estis consolationis, quæ vobis tanquam filius loquitur dicens, Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate; tanquam filius vobis offert se Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, ejus participes facti sunt omnes; ergo adulteri, et non filii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, et verebatur: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum; et vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos; hic autem ad id quod utile est, in recipiendo sanctificationem ejus. Omnis autem disciplina in præsentem quidem videtur non esse gaudium, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Propter quod remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris; ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur, et per illam inquinentur multi: ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitia sua.

*Et alio loco [xiii.]*: Charitas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt<sup>5</sup> quidam, angelis hospitiis receptis. Memoretis victorum, tanquam simul vineti, et laborantium, tanquam et ipsi in corpore manentes. Honorabile consubium in omnibus, et toros immaculatos: fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. Sint mores sine avaritia, contenti presentibus. Ipse enim dixit, Non te deseram neque derelinquam: ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adjutor est, non timebo quia

<sup>4</sup> In græco hic et Habac. cap. 2, v. 4, legitur: dicitur, etiam.

<sup>5</sup> Vulgata in Bibliis non mendosis, laborant.



faciat mihi homo. Mementote prepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum inuenientes exitum conversationis, imitamihi fidem. Jesus Christus heri et hodie, ipse et in secula. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulanti in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animalium inferitur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improprium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum laborum contentium nomini ejus. Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite prepositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes; hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis. Confidimus autem, quin bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari.

#### DE EPISTOLA I PETRI.

[Cap. 1.] Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestre fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur. *Et alio loco:* Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelatione<sup>1</sup> Jesu Christi: quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantia vestræ desiderii, sed secundum eum qui vocavit vos sanctum, ut et ipsi in omni conversatione sancti sitis; quoniam scriptum est, Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et si Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini. *Et post aliquos versus:* Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius, renati<sup>2</sup>.

*Et post paucos versus [ii.]:* Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite. *Et post paululum:* Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desiderii, quæ militant adversus animam. Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo quod detraherent de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. Subjecti estote omni humane ordinationi<sup>3</sup> propter Deum; sive regi, quasi præcel-

lenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero honorum. Quia sic est voluntas Dei, ut beneficientes obmutescere faciat imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate. Servi, subditi estote in omni timore dominis vestris; non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Hæc enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim gloria est<sup>4</sup>, si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patiamini, et patienter sustinetis; hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste<sup>5</sup>. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, hujus<sup>6</sup> livore sanati estis. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.

*Et alio loco [iii.]:* Similiter et mulieres subdite sint viris suis, ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. Quarum sit non extrinsecus capillatim, aut circumdatio antri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti ac modesti spiritus: qui est in conspectu Dei hæcuples. Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjecit propriis viris: sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eam vocans. Cujus estis fide bene facientes, et non timentes ullam perturbationem. Viri similiter cohabitantes, secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri imparientes honorem; tanquam et coheredibus gratiæ vitæ, ut non impediatur orationes vestræ. In fide autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti<sup>7</sup>, humiles: non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, et videre dies bonos, coercet linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. Declinet autem a malo, et faciat bonum; inquirat pacem, et sequatur eam. Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in precibus eorum. Vultus autem Domini super facientes mala. Et quis est qui vobis noceat, si boni remulctores fueritis? Sed et si quid patimini propter justitiam, bene: Timorem autem eorum ne ti-

<sup>1</sup> Sic etiam in antiquis Cor. Bibl. juxta græcum, in apocalypsi. At in excusis vulgata habet, in revelationem.

<sup>2</sup> Regius codex omittit, renati.

<sup>3</sup> Interpres videtur legisse, laetæ, pro celsæ, quod est, creptura.

<sup>4</sup> Sic, cum sacra scriptis. At editi, gratia est. In aliæ parte eisdem versibus vulgata non habet, patimini, et.

<sup>5</sup> In græco est, id, eripuiti dicat, judicanti juste.

<sup>6</sup> Vulgata, cujus. Cræcus, cujus.

<sup>7</sup> Verbum, modesti, abest a Regio codice et a Cor. Bibl. In græco in græco textu pro his duobus, modesti, humiles, aliud est quam, philoproues.

mueritis, et non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe: sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. Melius est enim beneficientes, si velit Dei voluntas, pati, quam malefacientes.

*Et post aliquos versus* [iv.]: Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desit a peccatis, ut jam non hominum desideris, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, desideris, vinolentiis, comessionibus, potationibus, ebrietatibus<sup>1</sup>, et illicitis idolorum cultibus. *Et post aliquos versus*: Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. Ante omnia mutuum in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales invicem, sine murmuratione. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus, per Jesum Christum Dominum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Charissimi, nolite peregrinari<sup>2</sup> in fervore, qui ad tentationem vobis fit; nolite pavere quasi aliquid novi vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis<sup>3</sup>: quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus, super vos requiescet. Nemo autem vestrum patiat<sup>4</sup>ur quasi homicida, aut fur, aut maledictus, aut alienorum appetitor. Si autem ut christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine; quoniam tempus est ut incipiat iudicium de domo<sup>5</sup> Dei. Si autem primus a vobis, quis suis eorum qui non credunt Dei Evangelio? et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parvabit? Itaque et ii qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fidei Creatori commendent animas suas in benefactis.

[v.] Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum, qui et ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator, pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontaneæ secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed formæ facti gregis ex animo. Et cum apparuerit

<sup>1</sup> Redundat vox, *ebrietatibus*, nec est in sincerioribus Bibliis.

<sup>2</sup> Mss. pro, *nolite peregrinari*, habent, *nolite mirari*: quod non minus quadrat ad græcum, *μη̄ xenidzeithe*, id est, ne commoveamini ut sit re nova et insolita. Nam et paulo post, *de xenon*, veritatis interpres, quasi novi aliquid; quibus verbis quod hic præmittitur, *nolite pavere*, abest a sacris Bibliis.

<sup>3</sup> Regius codex græco consentiens non habet, *erit is*.

<sup>4</sup> Vulgata, a domo. Græc., *apo tou oikou*.

princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate; quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum; quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrii estote, vigilate: quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Cui resistite fortes in fide, scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

#### DE EPISTOLA II PETRI.

[Cap. i.] Per quem<sup>1</sup> maxima nobis et pretiosa promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem; in virtute autem, scientiam; in scientia autem, abstinentiam; in abstinentia autem, patientiam; in patientia autem, pietatem; in pietate autem, fraternitatis amorem; in amore autem fraternitatis, charitatem. Hæc enim vobis cum adsint<sup>2</sup> et superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cogitatione<sup>3</sup>. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.

*Et post paululum* [ii.]: Sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis, et eum qui enit eos, Deum negabunt<sup>4</sup>, superducentes sibi celere perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabitur. Quibus iudicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat. *Et alio loco*: Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos. Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnant: audaces, sibi placentes, sectas non metuant introducere<sup>5</sup>, blasphemantes. Ubi angeli forti-

<sup>1</sup> Sic editi juxta Vulgatam: quæ tamen in Corb. Bibliis habebat, *per quam*. Et ita Speculum in Gemblacensi codice: *et in regio, per que*; juxta græcum *δι' οῡ*: quoniam hoc possit ad præcedentes voces, *gloriæ et civitatis referri*; et veritatis, *per quas*.

<sup>2</sup> Editi, *et vobiscum adsint*. Sic etiam nunc Vulgata. At particula, *et*, abest ab antiquis Corb. Bibl. et et Regio Ms. Speculi, neque necessaria est, dummodo non conjunctum legatur, *vobiscum*. In græco sic est, *tanquam cum vobis*.

<sup>3</sup> Regius codex et Corb. Biblia, favente græco, *cogitationem*.

<sup>4</sup> M. Er. et duo Mss. juxta Vulgatam, *negant*.

<sup>5</sup> Regius codex et Corb. Biblia pro, *introducere*, habent, *facere*: sed neutrum verbum expressum est ex græco textu, qui nil aliud continet quam, *doctas et tremulos*

indine et virtute cum sint majores, non portant adversus se execrabile iudicium. Hi vero velut irrationalia pecora naturaliter in captivum et perniciem, in iis quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem injustitiæ, voluptatema existimantes dici delicias, coinquinationes et macule delictis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes pleos adulterii et incensabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum in avaritia habentes, maledictionis filii, derelinquentes rectam viam erraverunt. *Et post paucos versus* : Superba enim vauitatis loquentes, pellicunt in desideriis carnis luxuriæ, eos qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. A quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim illis illud veri proverbii : Canis reversus ad vomitum suum; et, Sus lota in volutabro luti.

*Et post aliquantum [III.]* : Cum hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet esse vos in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Dei. *Et paulo post* : Charissimi, hæc exspectantes satagite immaculati et inviolati inveniri in pace, et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitramini. *Et alio loco* : Vos igitur, fratres, præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate. Crescite vero in gratia et in cognitione Domini nostri et salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria, et nunc et in diem æternitatis. Amen.

#### DE EPISTOLA JACOBI.

[Cap. 1.] Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis; scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non enim æstimet homo ille quod accipiat a Domino. Vir duplex animo, inconstans in omnibus viis suis. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua; quoniam sicut flos feni transiet. Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fenem, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperit: ita et dives in itineribus suis

*blasphémantes*, quod nonnullis ita sonat: *glorius, id est, dignitate præstantes viros, non vereantur maledictis appetentibus; seu, maledictis appetere.* Conter Epistolam Judæ, v. 8, ubi in Vulgata legitur: *Dominationem autem sperant, maiestatem autem blasphemant*: in græco vero hæc ipsa verba sunt, *doxas de blasphemoisin.*

SANCT. AUGUST. III.

marcescet. Beatus vir qui suffert tentationem; qui cum probatus fuerit, accipiet coronam vite, quam repromisit Deus diligentibus se. *Et post paululum* : Nolite itaque errare, fratres dilectissimi. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. *Et post paucos versus* : Scitis, fratres mei dilectissimi : Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur. Propter quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. Estote autem factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatæ suæ in speculo : consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est : visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

[II.] Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. *Et post aliquos versus* : Audite, fratres mei dilectissimi : nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad iudicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos? Si tamen legent perficitis regalem secundum Scripturas, Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores. *Et post paucos versus* : Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Superexultat autem misericordia iudicio.

*Et post aliquantum [III.]* : Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus iudicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest etiam freno circumducere totum corpus. *Et alio loco* : Linguam autem nullus hominum domare potest : inquiet

<sup>1</sup> Sic Mss. cum sacris Bibliis. At editi habebant, *accipiet vitam.*

<sup>2</sup> Carutensis codex, in *lega perfectam libertatem.* At Vulgata versio suffragante græco habet, *in legem perfectam libertatis.* Hoc eodem versu particule *in ea*, post verbum *permanserit*, non adduntur in editis Amp. et Er., neque in græco.

<sup>3</sup> Vulgata enim : *Superexultat autem misericordia iudicium.* Codices vero hujus Speculi, necnon Corb. Biblia loco, *iudicium*, habent, *iudicio*; nec male, si legatur *superexultat*, ut passim in aliis August. libris; juxta græcum, *hai cutucachatai eleos crisodo.* Porro in Er. habetur hic, *superexullet.*

<sup>4</sup> Editi, *potest enim.* At Mss. juxta Vulgatam, *potest etiam.* In græco est, *dunatis chalinagghesai kas holon to soma*; id est, *volens freno moderari et totum corpus.*

(Trente-trois.)

tum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum et Patrem, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, et maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. *Et post paucos versus* : Quis sapiens et disciplinatus inter vos, ostendat ex bona conversatione operam suam <sup>1</sup> in mansuetudine sapientiæ? Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sunt in cordibus vestris; nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, dijudicans sine simulatione <sup>2</sup>. Fructus autem justitiæ in pace seminatur facientibus pacem.

[iv.] Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? *Item post paucos versus* : Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur, *Et paulo post* : Propter quod dicit : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Subditi ergo estote Deo : resistite autem diabolo, et fugiet a vobis. Appropinquate autem Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores; et purificate corda, duplices animo. Miseri estote, et lugete, et plorate. Risus vester convertatur in luctum, et gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. Nolite detrahare alterutrum, fratres. *Et post paucos versus* : Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum? Ecce nunc qui dicitis, Hodie aut crastino ibimus in civitatem illam, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus; qui ignoratis quid erit in crastinum <sup>3</sup>. Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens; deinceps terminabitur. Pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit; et, Si vixerimus, faciemus hoc aut illud. Nunc autem exsultatis in superbis vestris : omnis exsultatio talis maligna est. Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.

[v.] Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus <sup>4</sup>. Ecce merces operariorum qui messue-

runt regiones vestras, qui fraudati sunt a vobis clamant <sup>5</sup>; et clamor ipsorum in aures Domini sabaoth introit. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra. In die occisionis adduxistis <sup>6</sup>, occidistis justum, et non restitit vobis. Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini. *Et paulo post* : Patientes estote et vos, confirmate corda vestra; quoniam adventus Domini appropinquavit. Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non iudicemini. *Et alio loco* : Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum : sit autem sermo vester, Est est, Non non; ut non sub iudicio decidatis. Tristatur aliquis vestrum? oret : æquo animo est? psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit <sup>7</sup> eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua. *Et post aliquot versus* : Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

#### DE EPISTOLA JOANNIS I.

[CAP. I.] Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus; mentimur, et veritatem non facimus : si autem in luce ambulamus, sicut et ipse in luce est, societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata nostra <sup>8</sup>, et emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccavimus; mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.

[II.] Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis : sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; et ipse est propitiatus pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est. In hoc scimus quoniam in ipso sumus; si in eo maneamus <sup>9</sup>. Qui dicit se in illo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. *Et post aliquot versus* : Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem

<sup>1</sup> Mss. duo cum Vulgata, *operationem suam*.

<sup>2</sup> Vulgata, *non iudicans, sine simulatione*. Græca scriptura, *adiacritos hæc amipocritos*.

<sup>3</sup> Vulgata, *quid sit in crastino* : in Corb. Bibliis, *quid parat crastinum*.

<sup>4</sup> Regius Ms. et Editi Am. Er. omittunt vobis iram : quæ verba et a græco absunt.

<sup>5</sup> In Vulgata, *quæ fraudata est a vobis, clamat*.

<sup>6</sup> Legendum ut in emendatioribus Bibliis, *addixistis*; juxta græc. *catedicasate*, id est, condemnastis.

<sup>7</sup> Sic etiam in vetustis Corb. Bibl. At in excusis habet nunc Vulgata, *allevabit*.

<sup>8</sup> Non additur, *nostra*, in Regio codice, nec in textu græco.

<sup>9</sup> Sacra Biblia carent his verbis, *si in eo maneamus*.

suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat; quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. *Et paulo post*: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt<sup>1</sup>: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est; et mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum<sup>2</sup>. *Et alio loco*: Omne mendacium non ex veritate est.

*Et post paululum* [III.]: Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit: et peccatum est iniquitas. Et scitis quoniam ille apparuit, ut peccata<sup>3</sup> tolleret, et peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat: et omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, iustus est, sicut et ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet: et non potest peccare; quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli. Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum<sup>4</sup>. *Et post paucos versus*: Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte in vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam mundi<sup>5</sup>, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et cluserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo nec lingua, sed opere et veritate. In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, et in conspectu ejus suademus corda nostra: quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ placita sunt coram eo, facimus. Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, et diligamus alterutrum, sicut dedit manda-

tum nobis. Et qui servat mandata ejus, in illo manet et ipse in eo. Et in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu quem nobis dedit.

[iv.] Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus qui constitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichristus, de quo audistis quoniam venit; et nunc jam in mundo est. Vos ex Deo estis, filiioli, et vicistis eos<sup>6</sup>; quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. Nos ex Deo sumus: qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris. Charissimi, diligamus invicem: quoniam charitas ex Deo est; et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est. *Et paulo post*: Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. *Item paulo post*: Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognovimus, et credidimus charitati quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quoniam sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate<sup>7</sup>. Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.

[v.] Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est: et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata ejus faciamus. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus: et mandata ejus gravia non sunt. Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. *Et post paululum*: Hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos: et scimus quoniam audit nos. *Et post tres versus*: Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat<sup>8</sup>, et dabit ei vitam, peccantibus non ad mortem.

<sup>1</sup> Hic deest pars altera versiculi 15: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

<sup>2</sup> Additum in editis fuerat, *sicut et Deus manet in æternam*: quod a Speculi Mss. et a sacris Bibliis abest.

<sup>3</sup> In sacris Bibliis additur, *nostra*.

<sup>4</sup> Regius codex, *ut diligamus*; juxta græcum.

<sup>5</sup> Vulgata, *hujus mundi*, cum demonstrativo pronomine quod tamen abest etiam a Corb. Bibliis.

<sup>6</sup> Sic Speculi codices juxta græcum. At Vulgata, *vicistis eum*.

<sup>7</sup> Sic Mss. cum sacris Bibliis. At Editio negationem collocabant in priore membro propositionis: *Qui autem non timet, est perfectus in charitate.*

<sup>8</sup> Editio Am., *petet*; moxque cum cæteris hujus Speculi codicibus, *et dabit ei vitam peccantibus non ad mortem*: juxta græcum, *aitêsei, kai dbeei autò dzoîn, tois amarta-*

Est peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget quis<sup>1</sup>. Omnis iniquitas peccatum est, et est peccatum ad mortem<sup>2</sup>. Scimus quoniam omnis qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum. *Et alio loco*: Filiioli, custodite vos a simulacris.

#### DE EPISTOLA JOANNIS II.

Non tanquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus. Hoc mandatum est, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis. *Et post paucos versus*: Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic et Filium et Patrem habet. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.

#### DE EPISTOLA JOANNIS III.

Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ: quos benefacias deducens<sup>3</sup> digne Deo. Pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes a Gentibus. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis. *Et post paululum*: Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui bene facit, ex Deo est: qui male facit, non vidit Deum.

#### DE EPISTOLA JUDÆ APOSTOLI.

Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium, impij, Domini nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum domina-

*nousi me pròs thanaton.* At Vulgata habet nunc, *petat, et dabitur ei vita peccanti*, etc.; quanquam in antiquis Corb. Bibliis ferebat, *et dabit ei vitam peccanti*, etc.

<sup>1</sup> In Mss. non additur, *quis*; nec est in græco.

<sup>2</sup> Sic Speculi codices, excepto Regio Ms. qui pariter cum Vulgata caret hic negativa particula: hæc tamen in græco textu habetur, et in hunc sensum ducit glossa ordinaria.

<sup>3</sup> Huic lectioni astipulatur græca scriptura. At Vulgata latina in excusis præfert, *beneficiens deduces*: in Corb. Bibl., *beneficiens deducens*.

tores et Dominum nostrum Jesum Christum negantes. *Et paulo post*: Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes. *Et alio loco*: Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes; et os eorum loquitur blasphemiam<sup>1</sup>, mirantes personas querstus causa. Vos autem, charissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietate<sup>2</sup>. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autem, charissimi, superedificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes, ipsos vos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi, in vitam æternam. Et hos quidem arguite judicatos; illos vero salvate de igne rapientes: alijs autem miseremini in timore, odientes et eam quæ carnalis est, maculam tunicam.

#### DE LIBRO APOCALYPSIS JOANNIS.

[Cap. II.] *Si homines, imo quia homines intelliguntur moneri, cum Angeli monentur, in omnibus eisdem præceptis discimus falsos fratres per patientiam sustinendos propter nomen Dei, et per penitentiam ad prima opera bona redeundum, et usque ad mortem persecutiones pro fide tolerandas, et in charitate serviendum*<sup>3</sup>

*Circa autem finem libri, cum de sancta civitate loqueretur [xxi.]: Non intrabit, inquit, in eam aliquid coinquinatum, et faciens abominationem et mendacium.*

*Et alibi [xxii.]: Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vite, et portis intrent civitatem. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Ego Jesus misi angelum meum testificari hæc vobis.*

<sup>1</sup> Vulgata in excusis, *loquitur superba*: in Corb. Bibl., *loquitur superbiam*: Græce est, *lædi superogca*.

<sup>2</sup> Corb. Biblia, *pro in impietate*, habent, *impietatum*; juxta græcum. Nunc tamen Vulgata fert, *in impietatibus*.

<sup>3</sup> Regius codex, *servendum*.

## ADMONTIO

### IN LIBROS DE CONSENSU EVANGELISTARUM.



Hoc in opere S. Augustinus Evangelium a Paganorum calumniis defendendum suscipit. Ei quidem statim a ipsa promulgatione multum apud populos omnes auctoritatis ac fidei cum patrata divinitus tot miracula, tum corporea specie illapsus, ut illud suo numine sanciret, Spiritus sanctus conciliarat; sed non defuere, a quibus impugnaretur. Primum enim tormentorum atque suppliciorum vim, qua dire in primos Christianos sævitum, sustinuit; deinde immanitates illas excepit doctrinæ pariter atque historiæ, quam afflatu divino sacri quatuor Scriptores de eo texuerant, criminatio: utrumque incassum. Enimvero, quemadmodum primis suis conatibus nihil aliud consecuti sunt evangelicæ veritatis adversarii, nisi ut illa certior exploratorque redderetur, divino Spiritu martyribus, qui eam suo sanguine assererent, vires suggorente: sic idem ille Spiritus præstantissimorum virorum mentes ardore succendit, quo refutatis multa cum eruditionis laudè Idololatrarum calumniis, majorem ei firmitudinem ac dignitatem compararent. Porro illud in primis crimini dabatur, inter se neutiquam consentire sacros historicos: « Hoc enim solent, » ait Augustinus, « quasi palmare suæ vanitatis

objicere, quod ipsi Evangelistæ inter seipso dissentiant » (*Lib. 1, cap. 7, n. 10*). Ethnici quod ad certos hæc succinebant Manichæi, quos, ut videre licet in libris contra Faustum, Evangelii additos fuisse calumniabantur. Atqui Augustino non satis fuit ea conciliare de quibus litem movebant isti hæretici, contra quos potissimum Vetus Testamentum defendebat; verum, ut Novi quoque Testamenti propugnator merito jure audiret, quatuor Evangelistarum, tam in gestis recensendis, quam in ordine ipso narrationis summam concordiam demonstrare est aggressus.

Fieri sane non potuit quin ei lucubratiō hæc magno staret. nunc illam in Tractatu 112 in Joannem, n. 1, laboriosas litteras vocat; ac rursus in Tractatu 117, n. 2, res ibi esse operosissime disputatas dicit. Scilicet destitutus erat iis adjumentis, quibus instructi fuere quotquot postea in idem illud argumentum desudarunt, quæ tamen ipsi vestigiis ejus insistentes, vix quidquam alicujus momenti invenerunt, quod ille non dixisset. Hoc opus libris de Trinitate, quos jam inchoarat, intermissis, confecit labore continuo, ex libro 2 Retractationum, cap. 16, nec porro ante anni 399 exitum; cum in libro 1, cap. 27, testetur idola tum temporis legum ab imperatoribus latarum auctoritate confringi. Expressam enim legem hac de re nullam habemus iis superiorem, quæ anno 399 promulgata, atque executioni demandata in Africa fuerunt (*De Civit. Dei*, lib. 18, cap. 54): quibus nondum constitutis, evertendi simulacra, nisi ex eorum quorum erant, consensu, jus penes se laudatquam esse fatebatur Augustinus (*Serm. 62; cap. 11, n. 17*).

Librum primum insumit iis revincendis, qui cum Christum viri longe sapientissimi loco haerent, aut verius, habere simularent, Evangelio fidem derogabant; eo scilicet prætextu, quod non ab ipso Christo scriptum esset, sed ab ejus discipulis, quos ei divinitatem affinxisse dicebant, neque ab illo accepisse doctrinam quam de deorum abdicando cultu ipsi prædicarunt. In libro secundo Matthæum Evangelistam usque ad cœnæ narrationem ex ordine considerat, cumque eo collatis Marco, Luca et Joanne, demonstrat perpetuam inter eos reperiri consensionem. Liber tertius est de eorundem quatuor Evangelistarum a cœnæ narratione ad Evangelii finem concordia. Quartus denique de iis quæ peculiariter sunt Marco, Lucæ et Joanni. Opus in Corbeiensi eodice ante 900 vel 1000 annos exarato inscribitur, « Aurelii Augustini episcopi de Concordia Evangelistarum: » sic et in aliis plerisque Mss. In iis omnibus autem libri quique, primo excepto, dividuntur in capitula, quorum lemmata in librorum fronte præfixa sunt.

Vide lib. 2, cap. 16, Retractationum, col. 636, a verbis, Per eosdem annos, usque ad col. 637, verbis, Divinas auctoritates. M.

# S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

De Consensu

## EVANGELISTARUM

LIBRI QUATUOR<sup>(a)</sup>.

LIBER PRIMUS.

Dicto breviter de Evangelistarum auctoritate, numero, ordine ac varia scribendi ratione, Augustinus, priusquam de eorundem consensu agat, illis hoc libro occurrit qui vel moventur cur Christus ipse nihil scripserit, vel fingunt scriptos ab ipso fuisse libros de magicis; quique adversus evangelicam doctrinam jactant Christi discipulos non tantum magistro suo amplius tribuisse quam re vera erat, dicendo illum Deum; sed etiam deorum cultum prohibendo, non hoc docuisse quod ab ipso didicissent. Contra quos doctrinam Apostolorum ex Prophetarum eloquiis vindicat, ostendens Deum Israel solum colendum esse, qui solus a Romanis quod deos alios coli secum vetaret, ante non receptus, jam demum Romanum imperium suo nomini subjugavit, atque apud omnes gentes, uti per suos Prophetas futurum promiserat, idola communiit per Evangelii prædicationem.

CAPUT PRIMUM. — *Evangeliorum auctoritas.*

Litteris continentur, Evangelium merito excellit.

1. Inter omnes divinas auctoritates, quæ sanctis

Quod enim Lex et Prophete futurum prænuntia-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

De Consensu Evangelistarum libri quatuor recogniti sunt de novo ad codices Mss. Vaticanæ bibliothecæ quatuor, Colbertinæ duos, Beccensis et Cisterciensis totidem, Ecclesiæ Laudunensis unum, item S. Genovefæ Parisiensis, Navarrici Collegii, et D. de S. George canon. comitis Lugdunensis unum, ad Corbelensem optima manu et ante 900 aut 1000 annos descriptum, ad probæ notæ Albinensem, Audouensem, Fiscannensem, Floriacensem, Fossatensem, Gemmeticensem, Germanensem, Prætelensem, Remigiensem, Silvæ-majorensem, Vindocinensem: ad variantes lectiones ex quinque Belgicis Lovaniensium Theologorum opera collectas: prætereaque ad antiquiores editiones Bad. seu Rat. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones instia Retr. et Confess., t. 1, memoratas. M.

(a) Scrutū versus Christi annum 400.

verunt, hoc redditum<sup>1</sup> atque completum in Evangelio demonstratur. Cujus primi prædicatores Apostoli fuerunt, qui Dominum ipsum et Salvatorem nostrum Jesum Christum etiam præsentem in carne viderunt. Qui<sup>2</sup> non solum ea quæ ex ore ejus audita vel ab illo sub oculis suis operata, dicta et facta meminerant; verum etiam quæ priusquam illi per discipulatum ad hæserant, in ejus nativitate, vel infantia, vel pueritia, divinitus gesta et digna memoria, sive ab ipso, sive a parentibus ejus, sive a quibuslibet aliis, certissimis indicîis et fidelissimis testimoniis requirere et cognoscere potuerunt, imposito sibi evangelizandi munere, generi humano annuntiare curarunt. Quorum quidam, hoc est Matthæus et Joannes, etiam scripta de illo, quæ scribenda visa sunt, libris singulis ediderunt.

2. Ac ne putaretur, quod attinet ad percipiendum et prædicandum Evangelium, interesse aliquid utrum illi annuntiant, qui eundem Dominum hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt, an ii qui ex illis fideliter comperta crediderunt; divina providentia procuratum est per Spiritum sanctum, ut quibusdam etiam ex illis qui primos Apostolos sequebantur, non solum annuntiant, verum etiam scribendi Evangelium tribueretur auctoritas: hi sunt Marcus et Lucas. Cæteri autem homines, qui de Domini vel Apostolorum actibus aliqua scribere conati vel ausi sunt, non tales suis temporibus exstiterunt, ut eis fidem haberet Ecclesia, atque in auctoritatem canonicam sanctorum Librorum eorum scripta reciperet: nec solum quia illi non tales erant, quibus narantibus credi oporteret; sed etiam quia scriptis suis quædam fallaciter indiderunt, quæ catholica atque apostolica regula fidei et sana doctrina condemnat.

CAPUT II. — *Ordo Evangelistarum, et scribendi ratio.*

3. Isti igitur quatuor Evangelistæ universo terrarum orbe notissimi, et ob hoc fortasse quatuor, quoniam quatuor sunt partes orbis terræ, per cujus universitatem Christi Ecclesiam dilatari, ipso sui numeri sacramento quodammodo declararunt, hoc ordine scripsisse perhibentur. Primum Matthæus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimo Joannes. Unde alius eis fuit ordo cognoscendi atque prædicandi, alius autem scribendi. Ad cognoscendum quippe atque prædicandum, primi utique fuerunt qui secuti Dominum in carne præsentem, dicentem audierunt, facientemque viderunt; atque ex ejus ore ad evangelizandum missi sunt. Sed in conscribendo Evangelio, quod divinitus ordinatum esse credendum est, ex numero eorum quos ante passionem Dominus elegit, primum atque ultimum locum duo tenuerunt; primum Matthæus, ultimum Joannes: ut reliqui duo qui ex illo numero non erant, sed tamen Christum in illis loquentem secuti erant, tanquam filii amplectendi, ac per hoc in loco medio constituti, utroque ab eis latere munirentur.

<sup>1</sup> Mss. quatuor, *revelatum.*

<sup>2</sup> Bæd. Er. et plerique Mss., *cujus.*

4. Horum sane quatuor solos Matthæus hebræo scripsisse perhibetur eloquio, cæteri græco. Et quamvis singuli suum quondam narrandi ordinem tenuisse videantur, non tamen unusquisque eorum velut alterius præcedentis ignarus voluisse scribere reperitur, vel ignorata prætermisisse quæ scripsisse alius invenitur; sed sicut unicuique inspiratum est, non superfluum cooperationem sui laboris adjunxit. Nam Matthæus suscepisse intelligitur incarnationem Domini secundum stirpem regiam, et pleræque secundum hominum præsentem vitam facta et dicta ejus. Marcus eum subsequens, tanquam pedisequus et brevior ejus videtur. Cum solo quippe Joanne, nihil dixit; solus ipse, perpauca; cum solo Luca, pauciora; cum Matthæo vero, plurima; et multa pene totidem atque ipsis verbis, sive cum solo, sive cum cæteris consonante. Lucas autem circa sacerdotalem Domini stirpem atque personam magis occupatus apparuit. Nam et ad ipsum David non regium stemma secutus ascendit, sed per eos qui reges non fuerunt, exiit ad Nathan filium David (*Luc. iii, 31*), qui nec ipse rex fuit. Non sicut Matthæus, qui per Salomonem regem descendens (*Matth. i, 6*), cæteros etiam reges ex ordine persecutus est, servans in eis, de quo post a loquimur, mysticum numerum.

CAPUT III. — *Matthæus cum Marco ad regiam, Lucas ad sacerdotalem Christi personam intentionem retulit.*

5. Dominus enim Jesus Christus unus verus rex et unus verus sacerdos, illud ad regendos nos, istud ad expiandos, hac duas personas apud Patres<sup>1</sup> singillatim commendatas suam figuram egisse declaravit, sive titulo illo qui cruci ejus superfixus erat, *Rex Judæorum*; unde arcano instinctu Pilatus respondit, *Quod scripsi scripsi* (*Joan. xix, 19-22*): prædictum quippe erat in Psalmis, *Ne corrumpas tituli inscriptionem* (*Psal. lxxiv, 1*): sive quod ad personam sacerdotis attinet, in eo quod nos offerre atque accipere docuit; unde prophetiam<sup>2</sup> de se præmisit dicentem, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal. cix, 4*). Multisque aliis documentis divinarum Scripturarum rex et sacerdos Christus apparuit. Hinc et ipse David, cujus non frustra crebrius filius dictus est, quam filius Abraham, et quem communiter tenerunt Matthæus et Lucas, ille a quo per Salomonem descenderet, iste ad quem per Nathan ascenderet, quanquam aperte rex fuit, figuravit tamen et sacerdotis personam, quando panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus (*1 Reg. xxi, 6; Matth. xii, 3*). Huc accedit quod solus etiam Lucas Mariam commemorat ab Angelo manifestatam cognatam fuisse Elisabeth<sup>3</sup>, quæ uxor erat Zachariæ sacerdotis. De quo idem scripsit, quod eam de filiabus Aaron, hoc est de tribu sacerdotum habebat uxorem (*Luc. i, 36, 5*).

6. Cum ergo Matthæus circa regis, Lucas circa

<sup>1</sup> Editi, *apud antiquos Patres.* Abest, *antiquos*, a Mss.

<sup>2</sup> Mss. duo, *prophetam.*

<sup>3</sup> Sic editi Bæd. et Er. suffragantibus Mss. omnibus. At Lov., *commemorata manifeste cognatam fuisse Elisabeth.*



sacerdotis personam gereret intentionem, utrique humanitatem Christi maxime commendarunt. Secundum hominem quippe Christus et rex et sacerdos effectus est, cui dedit Deus sedem David patris sui, ut regni ejus non esset finis (*Luc. 1, 32, 33*), et esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (*1 Tim. 11, 5*). Non autem habuit tanquam breviorum conjunctum Lucas, sicut Marcum Matthæus. Et hoc fortasse non sine aliquo sacramento, quia regum est non esse sine comitum obsequio<sup>1</sup>: unde ille qui regiam personam Christi narrandam susceperat, habuit sibi tanquam comitem adjunctum, qui sua vestigia quodammodo sequeretur. Sacerdos autem quoniam in sancta sanctorum solus intrabat, propterea Lucas, cujus circa sacerdotium Christi erat intentio, non habuit tanquam socium subsequentem, qui suam narrationem quodammodo breviaret.

CAPUT IV. — *Joannes ipsius divinitatem exprimendam curavit.*

7. Tres tamen isti Evangelistæ in his rebus maxime diversati sunt, quas Christus per humanam carnem temporaliter gessit: porro autem Joannes ipsam maxime divinitatem Domini, qua Patri est æqualis, intendit, eamque præcipue suo Evangelio, quantum inter homines sufficere credidit, commendare curavit. Itaque longe a tribus istis superius fertur, ita ut hos videas quodammodo in terra cum Christo homine conversari; illum autem transcendisse nebulam, qua tegitur omnis terra, et pervenisse ad liquidum cælum, unde acie mentis acutissima atque firmissima videret, in principio Verbum Deum apud Deum, per quem facta sunt omnia; et ipsum agnosceret carnem factum, ut habitaret in nobis (*Joan. 1, 1, 3, 14*): quod accepit carnem, non quod fuerit mutatus in carnem. Nisi enim carnis assumptio servata incommutabili divinitate facta esset, non diceretur, *Ego et Pater unum sumus* (*Id. x, 30*): neque enim Pater et caro unum sunt. Et hoc de seipso Domini testimonium solus idem Joannes commemoravit; et, *Qui me vidit, vidit et Patrem*<sup>2</sup>; et, *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Id. xiv, 9, 10*); et, *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus* (*Id. xvii, 22*); et, *Quæcumque Pater facit, hæc eadem et Filius facit similiter* (*Id. v, 19*); et si qua alia sunt, quæ Christi divinitatem, in qua æqualis est Patri, recte intelligentibus intiment, pene solus Joannes in Evangelio suo posuit: tanquam qui de pectore ipsius Domini, super quod discumbere in ejus convivio solitus erat (*Id. xiii, 23*), secretum divinitatis ejus uberius et quodammodo familiariter biberit.

CAPUT V. — *Virtutes duæ; circa contemplativam Joannes, circa activam Evangelistæ alii versantur.*

8. Proinde cum duæ virtutes propositæ sint animæ humanæ, una activa, altera contemplativa; illa qua itur, ista qua pervenitur; illa qua laboratur, ut cor mundetur ad videndum Deum; ista qua vacatur et videtur Deus: illa est in præceptis exercendæ vitæ

<sup>1</sup> Mss. duo et editio Rat., id est, quæ Augustini Ratisponensis studio recognita est, habent, *sine comitatus obsequio*.

<sup>2</sup> Sic melioris notæ Mss. juxta græcum, *o ebrakòs emè, ebrakè ion patéra*. At editi: *Qui me videt, videt et Patrem*.

hujus temporalis, ista in doctrina vitæ illius sempiternæ. Ac per hoc illa operatur, ista requiescit; quia illa est in purgatione peccatorum, ista in lumine<sup>1</sup> purgatorum. Ac per hoc in hac vita mortali, illa est in opere bonæ conversationis; ista vero magis in fide, et apud perpaucos per speculum in ænigmate, et ex parte in aliqua visione incommutabilis veritatis (*1 Cor. xiii, 12*). Hæc duæ virtutes in duabus uxoribus Jacob figuratæ intelliguntur. De quibus adversus Faustum Manichæum pro modulo meo, quantum illi operi sufficere videbatur, disserui (*Lib. 22, cap. 52*). Lia quippe interpretatur, Laborans; Rachel autem, Visum principium<sup>2</sup>. Ex quo intelligi datur, si diligenter advertas, tres Evangelistas temporalia facta Domini et dicta quæ ad informandos mores vitæ presentis maxime valerent, copiosius persecutos, circa illam activam virtutem fuisse versatos; Joannem vero facta Domini multo pauciora narrantem, dicta vero ejus, ea præsertim quæ Trinitatis unitatem et vitæ æternæ felicitatem insinuarent, diligentius et uberius conscribentem, in virtute contemplativa commendanda, suam intentionem prædicationemque tenuisse.

CAPUT VI. — *Quatuor animalia ex Apocalypsi de quatuor Evangelistis alii aliis aptius intellexerunt.*

9. Unde mihi videntur, qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid attendisse illi qui leonem in Matthæo, hominem in Marco, vitulum in Luca, aquilam in Joanne intellexerunt, quam illi qui hominem Matthæo, aquilam Marco, leonem Joanni tribuerunt. De principiis enim librorum quædam conjecturam capere voluerunt, non de tota intentione Evangelistarum, quæ magis fuerat perscrutanda. Multo enim congruentius ille qui regiam Christi personam maxime commendavit, per leonem significatus accipitur: unde et in Apocalypsi cum ipsa tribu regia leo commemoratus est, ubi dictum est, *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc. v, 5*). Secundum Matthæum enim et Magi narrantur venisse ab Oriente ad regem quærendum et adorandum, qui eis per stellam natus apparuit: et ipse rex Herodes regem formidat infantem, atque ut eum possit occidere, tot parvulos necat (*Matth. 2, 1-18*). Quod autem per vitulum Lucas significatus sit, propter maximam victimam sacerdotis, neutri dubitaverunt. Ibi enim a sacerdote Zacharia incipit sermo narrantis; ibi cognatio Mariæ et Elisabeth commemoratur (*Luc. 1, 5, 36*); ibi sacramenta primi sacerdotii in infante Christo impleta narrantur (*Id. 11, 22-24*): et quæcumque alia possunt diligenter adverti, quibus appareat Lucas intentionem circa sacerdotis personam habuisse. Marcus ergo, qui neque stirpem regiam, neque sacerdotalem vel cognationem vel consecrationem narrare voluit, et tamen in eis versatus ostenditur quæ homo Christus operatus est, tantum hominis figura in illis quatuor animalibus

<sup>1</sup> Unus e Vaticanis Mss., *in illuminatione*.

<sup>2</sup> Editi exceperunt Rat., *visus principium*. At Mss., *visum principium*: sic etiam in lib. 22 contra Faustum, cap. 52, legitur; addita hæc interpretatione, *sive verbum*, ait Augustinus, ex quo videtur principium.

significatus videtur. Hæc autem animalia tria sive leo, sive homo, sive vitulus, in terra gradiuntur : unde isti tres Evangelistæ in his maxime occupati sunt, quæ Christus in carne operatus est, et quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit. At vero Joannes super nubila infirmitatis humanæ velut aquila volat, et lucem incommutabilis veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis in- tuetur (a).

**CAPUT VII.** — *Causa suscepti operis de Evangelista- rum consensu. Occurrit iis qui dicunt Christum nihil scripsisse, discipulos vero ejus Deum illum prædicando, mentitâ fuisse.*

10. Ilas Domini sanctas quadrigas, quibus per orbem vectus subigit populos leni suo jugo et sarcinæ levi, quidam vel impia vanitate vel imperita temeritate calumniis appetunt, ut eis veracis narrationis derogent fidem, per quos christiana religio disseminata per mundum, tanta fertilitate provenit, ut homines infideles jam inter seipsos calumnias suas mussitare vix audeant, compressi fide Gentium et omnium devotione populorum. Verumtamen, quia nonnullos adhuc calumniosos disputationibus suis, vel retardant a fide ne credant, vel jam credentes, quantum potuerint, agitando perturbant; nonnulli autem fratres salva fide nosse desiderant quid talibus respondeant quæstionibus, vel ad profectum scientiæ suæ, vel ad illorum vaniloquia refellenda; inspirante atque adjuvante Domino Deo nostro (quod utinam et ipsorum salutis propositum), hoc opere demonstrare suscepimus errorem vel temeritatem eorum qui contra Evangelii quatuor libros, quos Evangelistæ quatuor singulos conscripserunt, satis argutas criminationes se proferre arbitrantur: quod ut fiat, quam non sibi adversentur fidem scriptores quatuor, ostendendum est. Hæc enim solent quasi palmare<sup>1</sup> suæ vanitatis objicere, quod ipsi Evangelistæ inter seipsos dissentiant.

11. Sed illud prius discutiendum est, quod solet nonnullos movere, cur ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis de illo scribentibus necesse sit credere. Hoc enim dicunt illi vel maxime pagani, qui Dominum ipsum Jesum Christum culpam aut blasphemare non audent, eique tribuunt excellentissimam sapientiam, sed tamen tanquam homini: discipulos vero ejus dicunt magistro suo amplius tribuisse quam erat, ut eum Filium Dei dicerent, et Verbum Dei per quod facta sunt omnia, et ipsum ac Deum Patrem unum esse; ac si qua similia sunt in apostolicis Litteris, quibus eum cum Patre unum Deum colendum esse didicimus. Honorandum enim tanquam sapientissimum virum putant; colendum autem tanquam Deum negant.

12. Cum ergo quærunt quare ipse non scripserit, videntur parati fuisse hoc de illo credere, quod de se ipse scripsisset, non quod alii de illo pro suo arbitrio predicassent. A quibus quæro, cur de quibusdam nobilissimis philosophis suis hoc crediderint, quod de illis eorum discipuli scriptam memoriæ reliquerunt,

<sup>1</sup> Editi, *palmam*. Melius aliquot Mss., *palmare*.  
(a) Tract. 30 in Joan., n. 5.

cum de se ipsi nihil scripsissent? Nam Pythagoras, quo in illa contemplativa virtute nihil tunc<sup>1</sup> habuit Græcia clarius, non tantum de se, sed nec de ulla re aliquid scripsisse perhibetur. Socrates autem, quem rursus in activa, qua mores informantur, omnibus prætulit, ita ut testimonio quoque Dei sui Apollinis omnium sapientissimum pronuntiatum esse non taceant, Æsopi fabulas pauculis versibus persecutus est, verba et numeros suos adhibens rebus alterius, usque ad eum nihil scribere voluit, ut hoc se coactum imperio sui demonis fecisse dixerit, sicut nobilissimum discipulorum ejus Plato commemorat: in quo tamen opere maluit alienas quam suas exornare sententias. Quid igitur causæ est cur de istis hoc credant, quod de illis discipuli eorum litteris commendarunt, et de Christo nolint credere quod ejus de illo discipuli conscripserunt; præsertim cum ab eo cæteros homines sapientia speratos esse fateantur, quamvis eum fateri Deum nolint? An vero illi, quos isto multo inferiores fuisse non dubitant, veraces de se discipulos facere potuerunt, et iste non potuit? Quod si absurdissime dicitur, credant de illo quem sapientem fatentur, non quod ipsi volunt, sed quod apud eos legunt, qui ea quæ scripserant, ab illo sapiente didicerunt.

**CAPUT VIII.** — *Si fama narrante Christus creditur sapientissimus, cur majori fama prædicante non creditur Deus.*

13. Deinde dicant, unde saltem quod sapientissimus fuerit, nosse vel audire potuerunt. Si fama disseminante, certiorne de illo nuntia fama est<sup>2</sup>, quam discipuli ejus, quibus eum prædicantibus ipsa per totum mundum fama fragavit? Postremo famam præferant famæ, et ei famæ de illo credant quæ major est. Ea quippe fama, quæ de catholica Ecclesia, quam stupent toto orbe diffusam, mirabili claritate dispergitur, tenues istorum rumores incomparabiliter vincit: ea porro fama tam magna, tam celebris, ut eam timendo isti trepidas et tepidas contraditioneulas in sinu suo rodant, jam plus metuentes audiri, quam volentes credi, Filium Dei Unigenitum et Deum prædicat Christum<sup>3</sup>, per quem facta sunt omnia: si ergo famam eligunt testem, cur non hanc eligunt, quæ tanta claritate præfolget? Si scripturam, cur non evangelicam, quæ tanta auctoritate præpollat? Nos certe hæc de diis eorum credimus, quæ habet et scriptura eorum antiquior, et fama celebrior. Quæ si adoranda sunt, cur ea rident in theatris? Si autem ridenda sunt, plus ridendum est cum adorantur in templis. Restat ut ipsi velint testes esse de Christo, qui sibi auferunt meritum sciendi quid loquantur, loquendo quod nesciunt. Aut si aliquos libros se habere dicunt, quos eum scripsisse asserant, prodant eos nobis. Profecto enim utilissimi et saluberrimi sunt,

<sup>1</sup> Particula, *tunc*, deest in sex Mss.

<sup>2</sup> Quatuordecim Mss., *de illo fama nuntiata est*.

<sup>3</sup> Er. et Lov., *tam celebris est, ut eam timendo, etc. quam nolentes credi Filium Dei unigenitum et Deum prædicari christum* etc.: dissentientibus Mss. prope omnibus et antiquiori editione Rat., quorum hic lectionem restitimus.

quos, ut ipsi fatentur, vir sapientissimus scripsit. Si autem timent eos proferre, utique mali sunt; porro si mali sunt, non eos sapientissimus scripsit: sapientissimum autem Christum fatentur; non ergo Christus tale aliquid scripsit.

CAPUT IX. — *Quidam fingunt Christum scripsisse libros de magicis.*

14. Ita vero isti desipiant, ut illis libris quos eum scripsisse existimant, dicant contineri eas artes quibus eum putant illa fecisse miracula, quorum fama ubique percerebit: quod existimando seipsos produunt quid diligant, et quid affectent; quandoquidem Christum propterea sapientissimum putant fuisse, quia nescio quæ illicita noverat, quæ non solum disciplina christiana, sed etiam ipsa terrenæ reipublicæ administratio jure condemnat. Et certe qui tales Christi libros se legisse affirmant, cur ipsi nulla talia faciunt, qualia illum de libris talibus fecisse mirantur?

CAPUT X. — *Eosdem libros Petro et Paulo inscriptos quidam delirant.*

15. Quid quod etiam divino judicio sic errant quidam eorum, qui talia Christum scripsisse vel credunt vel credi volunt, ut eosdem libros ad Petrum et Paulum dicant, tanquam epistolari titulo prænotatos. Et fieri potest ut sive inimici nominis Christi, sive qui ejusmodi execrabilibus artibus de tam glorioso nomine pondus auctoritatis dare se posse putaverunt, talia sub Christi et Apostolorum nomine scriperint: in qua fallacissima audacia sic excæcati sunt, ut etiam a pueris, qui adhuc pueriliter in gradu Lectorum christianas Litteras norunt, merito rideantur.

16. Cum enim vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tanquam ad illos qui ei familiariter adhæsisent, quibus illud quasi secretum digne committeretur: et occurrit eis Petrus et Paulus, credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent; quia merita Petri et Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius solemniter<sup>1</sup> Roma commemorat. Sic omnino errare meruerunt, qui Christum et Apostolos ejus non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt: nec mirum si a pingentibus flagentes decepti sunt. Toto enim tempore quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus ejus, quem post passionem suam, post resurrectionem, post ascensionem, post missum de cœlis Spiritum sanctum, post multorum Judæorum conversionem et mirabilem fidem, post lapidationem Stephani diaconi et martyris, cum adhuc Saulus appellaretur, et eos qui in Christum crediderant, graviter persequeretur, de cœlo vocavit, et suum discipulum atque apostolum fecit (Act. ix, 1-30). Quomodo igitur potuit libros, quos antequam moreretur eum scripsisse putari volunt, ad discipulos, tanquam familiarissimos, Petrum et Paulum scribere, cum Paulus nondum fuerit discipulus ejus?

<sup>1</sup> in tribus Mss., *celeberrimum solemniter*. Apud Er. et Lov., *celebrius et solemniter*; addito, et, quod abest ab aliis codicibus.

CAPUT XI. — *In eos qui somniant Christum magicæ arte populos ad se convertisse.*

17. Illud quoque attendant qui magicis artibus tanta eum potuisse, et nomen suum ad populos in se convertendos arte ipsa consecrasset delirant, utrum potuerit magicis artibus tantos Prophetas divino Spiritu, antequam in terra nasceretur, implere, qui de illo talia futura prælocuti sunt, qualia jam præterita in Evangelio legimus, et qualia in orbe terrarum præsentia nunc videmus. Neque enim, si magicis artibus fecit ut coleretur et mortuus, magus erat antequam natus: cui prophetando venturo gens una deputata est, cujus reipublicæ tota administratio prophetia esset illius regis venturi, et civitatem cœlestem ex omnibus gentibus condituri.

CAPUT XII. — *Judæorum Deus, illis subjugatis, ideo non fuit a Romanis receptus, quod is juberet se solum coli simulacris deletis.*

18. Proinde illius Hebrææ gentis ad prophetandum Christum, sicut dixi, deputatæ nullus alius deus erat, nisi Deus unus, Deus verus, qui fecit cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt: quo offenso sæpe suis hostibus subdebantur; nunc etiam pro gravissimo scelere occisi Christi, ex ipsa Jerosolyma, quod erat regni eorum caput, penitus eradicati, et Romano imperio subjugati sunt. Solebant autem Romani deos gentium quas subjugabant, colendos propitiare<sup>1</sup>, et eorum sacra suscipere. Hoc de Deo gentis Hebrææ, cum eam vel oppugnaverunt vel vicerunt, facere noluerunt. Credo quod videbant, si ejus Dei sacra reciperent, qui se solum, deletis etiam simulacris, coli juberet, dimittenda esse omnia quæ prius colenda susceperant, quorum religionibus imperium suum crevisse arbitrabantur. In quo eos plurimum fallacia dæmonum decipiebat: nam utique intelligere debebant, occulta Dei veri voluntate, penes quem rerum summa potestas est, sibi datum et auctum regnum, non illorum deorum favore; qui si aliquid in hac re potestatis habuissent, suos potius protexisent, ne a Romanis superarentur, aut ipsos eis Romanos edimitos subjugassent.

19. Neque enim possunt dicere pietatem ac mores suos a diis gentium quas vicerunt, dilectos et electos. Nunquam hoc dicent, si primordia sua recolant, facinorosorum asylum et Romuli fratricidium. Neque enim quando asylum constituerunt Remus et Romulus, ut quisquis cujuslibet sceleris reus eo confugisset, inultum haberet commissum, præcepta pœnitentiæ dederunt ad sanandas animas miserorum; ac non potius collectam timentium manum contra suas civitates, quarum leges timebant, mercede impunitatis armarunt: aut quando Romulus fratrem, qui nihil in eum mali perpetrarat, occidit, justitiam vindicandi, ac non principatum dominandi cogitavit. Itane istos mores dilexerunt dii, hostes suarum civitatum savendo hostibus earum? Quin potius nec illas deserendo preserunt, nec ad istos transeundo eos aliquid adjuverunt; quia non habent in potestate regnum dare et

<sup>1</sup> Mss. quinque, *colendo propitiare*.

aufferre : sed Deus unus et verus hoc agit occulto iudicio , non continuo beatos facturus , quibus terrenum regnum dederit ; nec continuo miseros , quibus ademerit ; sed beatos vel miseros propter aliud et aliunde faciens , temporalia regna atque terrena quibus voluerit , et quamdiu voluerit , secundum prædestinatum ordinem sæculorum , vel sinendo vel donando distribuit.

CAPUT XIII. — *Judæos cur Deus passus est subjungi.*

20. Unde nec aliud possunt dicere : Cur ergo Deus Hebræorum , quem summum et verum Deum dicitis , non solum eis Romanos non subjugavit , sed nec ipsos Hebræos , ne a Romanis subjugarentur , adjuvit ? Præcesserunt enim manifesta peccata eorum , propter quæ illis hoc eventurum Prophetæ tanto ante prædixerunt ; et maxime quia impio furore Christum occiderunt , in quo peccato aliorum occultorum peccatorum meritis excæcati sunt : et quod illius passio esset Gentibus profutura , eadem prophetica contestatione prædictum est. Nec alia re magis claruit , illius gentis regnum , et templum , et sacerdotium , et sacrificium , et unctionem illam mysticam , quod *χρῆμα* græce dicitur , unde Christi nomen elucet , et propter quam reges suos christos ipsa gens appellabat , non fuisse nisi prænuntiando Christo deputata , quam quod occisi Christi resurrectio posteaquam cœpit credentibus Gentibus prædicari , illa omnia cessaverunt , nescientibus Romanis per quorum victoriam , nescientibus Judæis per quorum subjugationem factum est ut illa cessarent.

CAPUT XIV. — *Deus Hebræorum victis illis se victum non esse ostendit idolorum eversione , et Gentium omnium ad ipsius cultum conversione.*

21. Rem sane mirabilem non advertunt pauci Pagani qui remanserunt , Deum Hebræorum offensum a victis , nec receptum a victoribus , nunc prædicari et coli ab omnibus gentibus. Ipse est enim Deus Israel , de quo tanto ante Propheta plebem Dei sic allocutus est : *Et qui eruit te , Deus Israel universæ terræ vocabitur (Isai. LIV, 5)*. Hoc factum est per nomen Christi venientis ad homines ex semine ipsius Israel , qui nepos fuit Abrahæ , a quo gens cœpit Hebræorum (a) : nam et ipsi Israel dictum est , *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ (Gen. xxviii, 14)*. Ilinc ostenditur Deus Israel , Deus unus qui fecit cœlum et terram , et res humanas juste ac misericorditer curat , ita ut nec præcludat justitia misericordiam , nec impediat misericordia justitiam , quod non ipse sit victus in Hebræo populo suo , quia regnum sacerdotiumque ejus Romanis expugnandum delendumque permisit : quandoquidem per Christi Evangelium , veri regis et sacerdotis , quod illo regno et sacerdotio futurum præfiguravit , nunc ipse Deus Israel ubique delet idola gentium ; quæ utique ne delerentur , recipere sacra ejus Romani noluerunt , sicut receperunt deorum aliarum gentium quas vicerunt. Ita et regnum sacerdotiumque prophetiæ gentis abstulit , quia jam

(a) II Retract. c. 16.

qui per eam promittebatur , advenerat ; et Romanorum imperium , a quo gens illa vieta est , per Christum regem suo nomini subjugavit , atque ad evertenda idola , propter quorum honorem sacra ejus recepta non erant , christianæ fidei robore ac devotione convertit.

22. Puto quia hæc de se futura , ut per tot Prophetas , et per cujusdam etiam gentis regnum ac sacerdotium prænuntiarentur , non magicis artibus fecit Christus ; antequam esset in hominibus natus. Nam et illius jam deleti regni populus ubique dispersus mirabili Dei providentia , quamvis sine ulla unctione regis sacerdotisque remanserit , in quo chrismate Christi nomen apparet , tenet tamen reliquias quarundam observationum suarum : Romana autem sacra illa de idolorum cultu nec victus ac subjugatus accepit , ut Libros propheticos ad testimonium gerat Christi , ac sic de inimicorum codicibus probetur <sup>1</sup> veritas prophetati Christi. Quid ergo miseri adhuc Christum male laudando æipos indicant <sup>2</sup> ? Si aliqua magica sub ejus nomine scripta sunt , cum vehementer his artibus Christi doctrina inimica sit ; hinc potius intelligant quantum sit illud nomen , quo addito etiam illi qui contra ejus præcepta vivunt , suas nefarias artes honorare conantur. Sicut enim diversis hominum erroribus multi etiam varias hæreses adversus veritatem sub ejus nomine condiderunt ; ita sentiant etiam inimici Christi , ad suadendum quod proferunt contra doctrinam Christi , nullum sibi esse pondus auctoritatis , si non habeat nomen Christi.

CAPUT XV. — *Pagani Christum laudare compulsi , in ejus discipulos contumeliosi.*

23. Quid quod isti vani Christi laudatores et christianæ religionis obliqui obtretratores propterea non audent blasphemare Christum , quia quidam philosophi eorum , sicut in libris suis Porphyrius Siculus prodidit , consulerunt deos suos quid de Christo responderent , illi autem oraculis suis Christum laudare compulsi sunt ? Nec mirum , cum et in Evangelio legamus eum demones fuisse confessos (*Luc. iv, 41*) : scriptum est autem in Prophetis nostris , *Quoniam dii Gentium dæmonia (Psal. xcvi, 5)*. Ac per hoc isti non contra deorum suorum responsa conentur , continent blasphemias a Christo , et eas in discipulos ejus effundunt : mihi autem videtur , quod illi dii Gentium , quos philosophi Paganorum consulere potuerunt , etiam si de discipulis Christi interrogarentur , ipsos quoque laudare cogerentur.

CAPUT XVI. — *Apostoli de subvertendis idolis nihil a Christo vel a Prophetis diversum docuerunt.*

24. Verumtamen isti ita disputant , quod hæc eversio templorum , et damnatio sacrificiorum , et confractio simulacrorum non per doctrinam Christi fiat , sed per discipulorum ejus , quos aliud quam ab illo didicerunt , docuisse contendunt ; ita volentes christianam fidem , Christum honorantes laudantesque , convellere : quia utique per discipulos Christi et facta et dicta Christi annuntiata sunt , quibus constat reli-

<sup>1</sup> Mss. sex. profertur veritas.

<sup>2</sup> Editio Rat. et quinque Mss., judicant.

gio christiana, adhuc istis jam paucissimis, nec jam oppugnantibus, sed tamen adhuc inusitantibus inimica. Sed si nolunt credere Christum talia docuisse, Prophetas legant, qui non solum superstitiones idolorum everti præceperunt, verum etiam christianis temporibus hanc eversionem futuram prædixerunt. Qui si fefellerunt, cur tanta manifestatione completur? si verum dixerunt, cur tantæ divinitati resistitur?

CAPUT XVII. — *In Romanos qui Deum Israel solum rejecerunt.*

25. Verumtamen diligentius ab istis querendum est, quænam putent esse Deum Israel; cur eum colendum non receperint, sicut aliarum gentium deos, quas Romanum subegit imperium; præsertim cum eorum sententia sit, omnes deos colendos esse sapienti. Cur ergo a numero cæterorum iste rejectus est? Si plurimum valet, cur ab eis solus non colitur? si parum aut nihil valet, cur contritis eorum simulacris ab omnibus gentibus solus pene jam colitur? Nunquam hujus quæstionis vinculo eximi poterunt, qui cum majores et minores deos colant, quos deos putant, hunc Deum non colunt, qui prævaluit omnibus quos colunt. Si enim magnæ virtutis est, cur existimatus est improbandus? si parvæ nulliusve virtutis est, cur tantum potuit improbus? Si bonus est, cur a cæteris bonis solus separatur? si malus est, cur a tot bonis unus non superatur? Si verax est, cur ejus præcepta respuuntur? si mendax est, cur ejus prædicta complentur?

CAPUT XVIII. — *Hebræorum Deus a Romanis non receptus, quia se solum coli voluerit.*

26. Postremo, quod volunt de illo sentiant. Numquid Romani etiam malos deos colendos non putant, qui Pallori et Febri fana fecerunt? qui et ἀγαθούς dæmonas invitandos<sup>1</sup>, et κακούς dæmonas placandos<sup>2</sup> moneant? Quodlibet ergo de illo existiment, cur eum solum sibi nec advocandum nec propitiandum esse duxerunt? Quis est Deus iste vel ita ignotus, ut in tam multis diis solus adhuc non inveniatur; aut ita notus, ut a tam multis hominibus jam solus colatur? Nihil ergo restat ut dicant cur hujus Dei sacra recipere noluerint; nisi quia solum se coli voluerit, illos autem deos Gentium, quos isti jam colabant, coli prohibuerit. Sed hoc ipsum magis ab eis requirendum est, quænam vel qualem putent esse istum Deum, qui noluerit coli deos alios, quibus isti templa et simulacra fecerunt; tantumque potuerit, ut plus valeret ejus voluntas ad eorum simulacra evertenda, quam illorum ad ejus sacra non recipienda. Certe sententia illius eorum philosophi proditur, quem sapientissimum omnium hominum etiam oraculo fuisse firmarunt. Socratis enim sententia est, unumquemque deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præceperit. Proinde istis summa necessitas facta est non colendi Deum Hebræorum; quia si alio modo eum colere vellent, quam se colendum ipse dixisset,

<sup>1</sup> Editi, *imitandos*. At Mss., *invitandos*: quibus favet quod subsequitur, *cur eum solum sibi nec advocandum*.

non utique illum colerent, sed quod ipsi fluxissent: si autem illo modo vellent quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant, quos ille coli prohibebat. Ac per hoc respuerunt unius veri Dei cultum, ne multos falsos offenderent; magis arbitantes sibi obfuturam fuisse istorum iracundiam, quam illius benevolentiam profuturam.

CAPUT XIX. — *Hunc esse verum Deum.*

27. Sed fuerit ista vana necessitas, et ridenda timiditas: nunc quærimus quid de isto Deo sentiant homines, quibus placet omnes deos colendos esse. Si enim iste colendus non est, quomodo coluntur omnes, cum iste non colitur? si autem colendus est, non omnes colendi sunt; quia nisi solus colatur, iste non colitur. An forte dicturi sunt istum non esse Deum, cum illos deos dicant, qui, sicut nos credimus, nihil possunt, nisi quod illius judicio permittuntur; non ut alicui prosint, sed ut nec lædere valeant, nisi eos quos ita lædendos esse ille judicat, qui omnia potest? Sicut autem ipsi coguntur fateri, minora certe quam ille potuerunt. Si enim dii sunt, quorum vates consulti ab hominibus, ut non dicam fefellerunt, proxima tamen privatis negotiis responderunt; quomodo non est Deus, cujus vates non solum ea quæ ad tempus consulebantur congrue responderunt, verum etiam unde non consulebantur de universo genere humano, atque omnibus gentibus ea tanto ante prædixerunt, quæ nunc et legimus et videmus? Si Deum dicunt, quæ impleta Sibylla fata<sup>1</sup> cecinit Romanorum; quomodo non est Deus, qui et Romanos et omnes nationes in se unum Deum per Christi Evangelium credituras, et omnia patrum suorum simulacra eversuras, sicut prænuntiavit, exhibuit? Postremo, si illos deos dicunt, qui nunquam ausi sunt per vates suos contra istum Deum aliquid dicere; quomodo non est Deus qui per vates suos istorum simulacra non solum everti jussit, verum etiam in omnibus Gentibus eversum iri prædixit ab eis qui illis desertis se unum colere juberentur, et jussi famularentur?

CAPUT XX. — *Contra Deum Hebræorum nihil a Paganorum vatis prædictum reperitur.*

28. Ant legant, si possunt, vel aliquam Sibyllarum, vel quemlibet aliorum vatum suorum prædixisse hoc futurum, ut Deus Hebræorum Deus Israel ab omnibus gentibus coleretur, et quod cum cultores aliorum deorum recte antea respuissent; futuras etiam litteras Prophetarum ejus in auctoritate ita sublimes, ut his obtemperans etiam imperium Romanorum juberet deleri simulacra; monuisse etiam ne talibus præceptis obtemperaretur: legant ista, si possunt, ex aliquibus libris vatum suorum. Omitto enim dicere quod ea quæ in illorum libris leguntur, pro nostra, licet est, christiana religione testimonium dicunt, quod a sanctis Angelis, et ab ipsis nostris Prophetis audire potuerunt: sicut et præsentem in carne Christum etiam dæmonia coacta sunt conseri. Sed hæc omitto, quæ cum proferimus, a nostris ficta esse contendunt:

<sup>1</sup> In septem Mss., *facta*.

<sup>2</sup> Sex Mss., *futurum... sublimari*.

Ipsi omnino, ipsi urgendi sunt, ut proferant a vatibus deorum suorum contra Deum Hebræorum aliquid prophetatum; sicut nos tot et tanta de libris Prophetarum nostrorum contra deos eorum et jussa observamus, et prædicta recitamus, et facta monstramus. Quæ illi jam perpauci qui remanserunt, malunt dolere completa, quam illum Deum agnoscere, qui potuit prænuntiare complenda: cum in suis diis falsis, quæ sunt vera dæmonia, nihil aliud pro magno appetant, quam cum aliquid eorum responsis sibi futurum esse didicerint.

CAPUT XXI. — *Hic solus Deus colendus, qui cum aliis coli prohibeat, coli non prohibetur ab aliis.*

29. Quæ cum ita sint, cur non potius miseri intelligunt illum esse Deum verum, quem sic vident a suorum deorum societate sejunctum, ut quem Deum fieri coguntur, qui omnes deos colendos esse profitentur, cum cæteris colere non sinantur? Cum ergo simul coli non possint, cur non ille eligitur, qui istos coli vetat, relictis istis qui illum coli non vetant? Aut si vetant, legatur. Quid enim magis populis eorum in templis eorum debuit recitari, ubi nihil unquam tale personuit? Et utique prohibitio tam multorum contra unum, quam unius contra tam multos, notior et potentior<sup>1</sup> esse deberet. Nam si hujus Dei cultus est impius, inutiles sunt dii, qui homines ab impietate non prohibent: si vero pius est hujus cultus, quoniam in illo præcipitur ne isti colantur, impius est cultus eorum. Si autem tam diffidenter istum coli prohibent, ut plus audiri timeant<sup>2</sup>, quam prohibere audeant; hoc ipso quis non sapiat, quis non sentiat, illum esse potius eligendum, qui istos coli tam publice prohibet, qui eorum simulacra everti jussit, prædixit, evertit, quam istos, quos ut ille non colatur, jussisse nescimus, prædixisse non legimus, valuisse aliquid non videmus? Rogo, respondeant; quis est Deus iste, qui omnes Deos Gentium sic persequitur, qui omnia eorum sacra sic prodit, sic exstinguit?

CAPUT XXII. — *Opinio Gentium de Deo nostro.*

30. Quid interrogem homines qui evanuerunt cogitando quis iste sit? Alii dicunt, Saturnus est: credo propter sabbati sanctificationem, quia isti eum diem Saturno tribuerunt. Varro autem ipsorum, quo doctiorem apud se neminem inveniunt, Deum Judæorum Jovem putavit, nihil interesse censens quo nomine nuncupetur, dum eadem res intelligatur: credo illius summitate deterritus. Nam quia nihil superius solent colere Romani quam Jovem, quod Capitolium eorum satis aperteque testatur, eumque regem omnium deorum arbitrantur; cum animadverteret Judæos summum Deum colere, nihil aliud potuit suspicari quam Jovem. Sed sive qui Saturnum, sive qui Jovem Deum Judæorum putant, dicant quando Saturnus prohibere ausus est coli alterum Deum; nec ipsum Jovem, qui cum regno expulisse prohibetur, patrem filius. Qui

<sup>1</sup> vs. quinque, *potior*.

<sup>2</sup> *Editi, audere timeant*. Sed veris Mss., *audiri timeant*: scilicet dæmones verebantur ne Deus verus, si ejus cultum prohiberent, per eos ipsos innotesceret.

si tanquam potentior et victor placuit cultoribus suis, Saturnum victum expulsamque non colant. Sed neque istum coli Jovis prohibuit; et quem vincere potuit, deum tamen esse permisit.

CAPUT XXIII. — *De Jove et Saturno quid negati sint Pagani.*

31. Istæ, inquit, fabulæ sunt aut interpretandæ a sapientibus, aut ridendæ: nos autem Jovem colimus, de quo ait Maro,

Jovis omnia plena;  
(*Eclog.* 3, v. 60.)

id est, omnia vivificantem spiritum. Merito ergo et Varro Jovem opinatus est coli a Judæis, quia dicit per prophetam, *Cælum et terram ego impleo* (*Jerem.* xxiii, 24). Quid illud quod idem poeta dicit æthera? quomodo accipiunt? Sic enim ait:

Tum Pater omnipotens secundis imbribus Æther,  
Conjugis in gremium lætæ descendit.  
(*Georg.* lib. 2, vv. 324, 325.)

Ætherem quippe non spiritum, sed corpus esse dicunt subline, quo cælum super aerem distenditur. An poetæ conceditur nunc secundum Platonicos, ut non corpus, sed spiritus, nunc secundum Stoicos loqui, ut corpus sit Deus? Quid igitur in Capitolio colunt? Si spiritum, si denique ipsum cælum corporeum, quid illic facit scutum illud Jovis, quod appellant Ægida? Nempe origo nominis hujus ita redditur, quia Jovem a matre occultatum capra nutrit: an et hoc poetæ mentiuntur? Numquid et Capitolia Romanorum, opera sunt poetarum? Quid sibi autem vult ista non poetica, sed plane mimica varietas, deos secundum philosophos in libris quærere, secundum poetas in templis adorare?

32. Sed numquid etiam ille Euhemerus poeta fuit, qui et ipsum Jovem et Saturnum patrem ejus, et Plutonem atque Neptunum fratres ejus, ita planissime homines fuisse prodit, ut eorum cultores gratias magis poetis agere debeant, quia non ad eos dehonestandos, sed potius ad exornandos multa finxerunt? quamvis et ipsum Euhemerum ab Ennio poeta in latinam linguam esse conversum Cicero commemorat (*Lib. 1 de Nat. Deor.*). Numquid et ipse Cicero poeta fuit, qui eum, cum quo in Tusculanis disputat, tanquam secretorum conscium admonet dicens: *Si vero scrutari vetera, et ex eis quæ Scriptores Græciæ prodiderunt, eruere coner, ipsi illi majorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in cælum reperientur. Quære quorum demonstrantur sepulcra in Græcia; reminiscere, quoniam es initiatus, quæ tradantur mysteriis: tum denique quam hoc late pateat intelliges* (*Tuscul.* 1). Illic certe istorum deos homines fuisse satis confitetur, in cælum autem pervenisse benevole suspicatur: quamquam et hunc honorem opinionis ab hominibus eis esse delatum, non dubitavit publice dicere, cum de Romulo loqueretur: *Qui hanc urbem, inquit, condidit, Romulum ad deos immortales benevolentia fama que sustulimus* (*In Catilin. orat.* 3). Quid igitur mirum est, si hoc fecerunt antiquiores homines de Jove et Saturno et cæteris, quod Romani de Romulo. quod Je-

utque jam recentioribus temporibus etiam de Cæsare facere voluerunt? Quibus et Virgilius adulationem carminis addidit, dicens:

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.  
(*Eclog.* 9, v. 47.)

Videant ergo ne forte historica veritas sepulcra falsorum deorum ostendat in terra; vanitas autem poetica stellis eorum non figat, sed flagat in cæle. Neque enim revera stella illa Jovis est, aut illa Saturni; sed post eorum mortem sideribus ab initio mundi conditis hæc nomina imposuerunt homines, qui illos mortuos, quasi deos habere voluerunt. De quibus quid tantum mali castitas, aut quid tantum boni voluptas commereuit, ut inter astra, quæ cum sole et luna circumveant, Venus habeat stellam, et Minerva non habeat?

33. Sed fuerit et Cicero academicus incertior quam poeta, qui sepulcra deorum commemorare ausus est, litterisque mandare: quamvis hoc non ex opinione propria præsumpserit, sed ex ipsorum sacrorum traditione commemoraverit. Numquid et Varro vel tanquam poeta fingit, vel tanquam Academicus dubie ponit, quod dicit talium deorum sacra ex cujusque eorum vita vel morte, qua inter homines vixerunt vel obierunt, esse composita? Numquid et Leon ille sacerdos Ægyptius, poeta vel academicus fuit, qui Macedoni Alexandro, diversam quidem a Græcorum opinione istorum deorum originem, verumtamen ita prodit, ut eos homines fuisse declarat?

34. Sed quid ad nos? Dicant se Jovem, non hominem mortuum colere, nec homini mortuo Capitolium dedicasse, sed spiritui vivificanti omnia, quo mundus impletur, et scutum ejus in honorem nutricis ejus factum de pelle caprina, interpretentur ut volunt. Quid dicunt de Saturno? quem Saturnum colunt? Nonne ille est qui primus ab Olympo venit,

Arma Jovis fugiens, et regnis exsul ademptis.  
Qui genus indocile et dispersum montibus altis  
Composuit legesque dedit, Latiumque vocari  
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris?  
(*Æneid.* lib. 8, v. 320-324.)

Nonne ipsum ejus simulacrum, quod cooperto capite fingitur, quasi latentem indicat? nonne ipse Italiam ostendit agriculturam, quod falce demonstrat? Non, inquit: nam videris si fuit ille homo et rex quidam, de quo ista narrantur; nos tamen Saturnum interpretamur Universum tempus, quod græcum etiam vocabulum ejus ostendit: vocatur enim *χρόνος*, quod aspiratione addita, etiam temporis nomen est; unde et latine Saturnus appellatur, quasi saturaretur annis. Quid jam cum istis agendum sit, nescio, qui conantes in melius interpretari nomina et simulacra deorum suorum, fatentur majorem deum suum et patrem cæterorum tempus esse. Quid enim aliud indicant, quam omnes deos suos temporales esse, quorum patrem ipsum tempus constituunt?

35. Erubuerunt hinc philosophi eorum recentiores

<sup>1</sup> Editi: *Sed quid ad nos si dicant.* At a Mss. abest, si.

<sup>2</sup> Editi: *Qui Saturnum colunt.* Mss. vero, quem.

<sup>3</sup> Editi: *Nam tametsi fuerit ille.* Mss. vero: *Nam videris si fuit.*

Platonici, qui jam christianis temporibus fuerunt; et Saturnum aliter interpretari conati sunt, dicentes appellatum *χρόνος*, velut a satietate intellectus, eo quod græce satietas *χρῖπος*, intellectus autem sive mens *νοῦς* dicitur: cui videtur suffragari et latinum nomen, quasi ex prima latina parte et græca posteriore compositum, ut diceretur Saturnus, tanquam satur esset, *νοῦς*. Viderunt enim quam esset absurdum, si filius temporis Jupiter haberetur, quem deum æternum vel putabant vel putari volebant. At vero secundum istam novellam interpretationem, quam veteres eorum si habuissent, mirum si Ciceronem Varronemque latuisset, Saturni filium Jovem dicunt, tanquam ab illa summa mente profluentem spiritum, quem volent esse velut animam mundi hujus, omnia cælestia et terrena corpora implentem. Unde illud Maronis est, quod paulo ante commemoravi, *Jovis omnia plena*. Numquid non, si possent isti, sicut ipsam interpretationem, ita etiam superstitionem hominum commutarent, et aut nulla simulacra, aut certe Saturno potius quam Jovi Capitolia constituerent? Neque enim ullam animam rationalem sapientem fieri disputant, nisi participatione summæ illius incommutabilisque sapientiæ; non solum cujusquam hominis animam, sed ipsius etiam mundi, quam dicunt Jovem. Nos vero, esse quamdam summam Dei sapientiam, cujus participatione fit sapiens quæcumque anima sit vere sapiens, non tantum concedimus, verum etiam maxime prædicamus. Utrum autem universa ista corporalis moles, quæ mundus appellatur, habeat quamdam animam, vel quasi animam suam, id est rationalem vitam, qua ita regatur sicut unumquodque animal, magna atque abdita quæstio est: nec affirmari debet ista opinio, nisi comperta quod vera sit; nec refelli, nisi comperta quod falsa sit. Quid autem hoc ad hominem, etiamsi semper eum lateat; quandoquidem nulla anima sit sapiens vel beata ex alia quacumque anima, sed ex illa sola summa atque incommutabili Dei sapientia?

36. Romani tamen, qui non Saturno, sed Jovi Capitolium condiderunt; vel aliæ nationes, quæ Jovem præcipue supra cæteros deos colendum esse putaverunt, non hoc quod istè senserunt: qui secundum istam suam novam opinionem, et summas arces<sup>1</sup>, si quidquam in his rebus potestatis habuissent, Saturno potius dedicarent; et Mathematicos vel Genethliacos maxime delerent, qui Saturnum, quem sapientum effectorem isti dicerent, maleficum deum inter alia sidera constituerunt. Quæ opinio tantum contra illos in animis humanis prævaluit, ut nec nominare illum velint, senem potius quam Saturnum appellantes: tam timida superstitione, ut jam Carthaginenses pene vico suo nomen mutaverint, Vicum senis crebrius, quam Vicum Saturni appellantes.

CAPUT XXIV. — *Non omnes Deos colunt, qui Deum Israel rejiciunt; nec eum colunt, qui alios colunt.*

37. Notum est ergo, quid colere convincantur, et

<sup>1</sup> Er. et Lov., *artes*: dissentientibus Mss. et Lat.

quid colorare<sup>1</sup> conentur adoratores simulacrorum. Verum et ab istis novitiis Saturni interpretatoribus requirendum est, quid de Deo sentiant Hebræorum. Etiam ipsis enim placuit omnes deos cum gentibus colere, cum eos superbos puderet pro peccatorum suorum remissione humiliari sub Christo. Quid ergo sentiunt de Deo Israel? Quem si non colunt, non omnes deos colunt: si autem colunt, non colunt sicut se coli iussit, quia et alios colunt, quos coli ille prohibuit. Per eos enim vates ista prohibuit, per quos hæc ipsa quæ nunc a Christianis eorum simulacra patiuntur, futura prædixit. Sive enim Angeli ad illos Prophetas missi sint, qui eis Deum omnium creatorem unum verum Deum, cui universa subjecta sunt, et per sensibilibus rerum congruam speciem figurate ostenderent, et quemadmodum se coli præciperet, indicarent; sive aliquorum in eis mentes per Spiritum sanctum ita sublimatæ sint, ut eo visu ea viderent, quo et ipsi Angeli vident: constat tamen eos illi Deo servisse, qui alios deos coli prohibuit; servisse autem fide pietatis in regno et sacerdotio reipublicæ suæ, et Christum venturum verum regem ac sacerdotem significantibus sacris.

CAPUT XXV. — *Dii falsi alios coli secum non prohibent. Deum Israel esse Deum verum convincitur ex operibus ejus et prædictis et impletis.*

38. Porro autem in diis Gentium (quos isti dum colere volunt, illum qui cum istis coli non potest, colere nolunt), dicant quid causæ est ut nullus eorum inveniat qui alterum coli prohibeat, cum eos in diversis officiis muneribusque constituant, et rebus ad quemque proprie pertinentibus præsidere esse velint. Si enim Jupiter non prohibet Saturnum coli, quia non est ille homo, qui illum hominem patrem de regno expulit, sed aut cæli corpus, aut spiritus implens cælum et terram; et ideo non potest prohibere coli mentem supernam, ex qua dicitur emanasse: si ea ratione nec Saturnus Jovem coli prohibet, quia non ab eo rebellante superatus est, sicut ille a Jove nescio quo, cujus arma fugiens venit in Italiam; sed favet prima mens animæ a se genitæ: saltem Vulcanus prohiberet coli Martem uxoris adulterum, Hercules Junonem persecutricem suam. Quæ ista inter eos est tam fœda consensio, ut nec Diana virgo casta coli prohibeat, non dicam Venerem, sed Priapum? Nam si unus homo et venator et agricola esse voluerit, servus erit amborum: quibus tamen vel vicina templa fabricare erubescit. Sed interpretentur Dianam virtutem quam volunt, interpretentur et Priapum fecunditatis deum<sup>2</sup>, ita sane ut in fetandis feminis pudeat Junonem talem habere adiutorem. Dicant quod placet, interpretentur quod sapiunt; dum tamen omnia eorum argumenta perturbet Deus Israel. Qui cum illos omnes coli prohibuerit, et a nullo eorum coli prohibitus sit, eorumque simulacris et sacris eversionem præciperit, prædixerit, fecerit; satis ostendit illos falsos atque fallaces,

<sup>1</sup> Sic in Mss. At in editis, *colere*.

<sup>2</sup> Lov., *fecunditatis*. Editi autem alii et nostri Mss., *secunditatis*.

et se esse verum ac veracem Deum.

39. Istos autem jam paucos deorum multorum falsorumque cultores, quis non miretur nolle obtemperare illi, de quo cum ab eis quæritur quisnam sit Deus, quodlibet opinando respondent, Deum tamen esse negare non audent? quia si negent, operibus ejus et prædictis atque completis facillime vincuntur. Neque enim ea dico, quæ liberum sibi putant esse non credere, quia ipse in principio fecit cælum et terram, et omnia quæ in eis sunt (*Gen. i*). Neque illa nimis antiqua, quod Enoch transtulit (*Id. v, 24*), quod impios diluvio delevit, quod Noe justum domumque ejus per lignum inde liberavit (*Id. vii*). Ab Abraham in hominibus facta ejus exordior. Huic enim facta est per angelicum oraculum manifesta promissio, quam nunc videmus impleri. Huic quippe dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes Gentes* (*Id. xxi, 18*): ex cujus semine populus Israel, unde virgo Maria quæ peperit Christum, in quo benedici omnes Gentes audeant jam negare si possunt. Hæc promissio facta est etiam ad Isaac filium Abraham (*Id. xxvi, 4*). Hæc et ad Jacob nepotem Abraham (*Id. xxviii, 14*), qui etiam Israel appellatus est, ex quo universus ille populus et propagatus et nominatus est, ut hujus populi Deus appellaretur Deus Israel: non quod ipse non sit Deus omnium Gentium, sive nescientium, sive jam scientium; sed quia in isto populo voluit manifestius apparere virtutem promissorum suorum. Ille enim populus primo in Ægypto multiplicatus, et de illa servitute per Moysen in multis signis portentisque liberatus, debellatis plurimis Gentibus terram etiam promissionis accepit, in qua regnavit per reges suos de tribu Juda exortos. Qui Judas unus fuit ex duodecim filiis Israel nepotis Abraham; atque inde Judæi cognominati, multa ipso Deo adjuvante fecerunt, multa pro peccatis suis ipso flagellante perpassi sunt, donec veniret semen cui promissum est, in quo benedicerentur omnes gentes, et patrum suorum simulacra sponte confringerent.

CAPUT XXVI. — *Idololatria per Christi nomen et Christianorum fidem juxta prophetias eversa.*

40. Neque enim temporibus christianis, sed tanto ante prædictum est quod per Christianos impletur. Ipsi Judæi qui remanserunt inimici nominis Christi, de quorum etiam futura perfidia in illis propheticis litteris tacitum non est, ipsi habent et legunt prophetam dicentem: *Domine Deus meus, et refugium meum in die malorum, ad te gentes venient ab extremo terræ, et dicent, Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra et non est in illis utilitas* (*Jerem. xvi, 19*). Ecce nunc sit, ecce nunc gentes ab extremo terræ veniunt ad Christum ista dicentes, et simulacra frangentes. Et hoc enim magnum est, quod Deus præstitit Ecclesiæ suæ ubique diffusæ, ut gens Judæa merito debellata et dispersa per terras, ne a nobis hæc composita putarentur, codices prophetiarum nostrarum ubique portaret<sup>3</sup>; et inimica fidei nostræ, testis fieret

<sup>3</sup> Editi: *Codices prophetiarum nostrarum ubique portaret*. At plures Mss., *prophetiarum nostrarum*.



veritatis nostræ. Quomodo ergo discipuli Christi docuerunt quod a Christo non didicerunt, sicut stulti desipiendo jactitant, ut deorum gentilium et simulacrorum superstitio deleteretur? Numquid et illas prophetias quæ nunc leguntur in codicibus inimicorum Christi, possunt dici fluxisse discipuli Christi?

41. Quis enim hæc evertit, nisi Deus Israel? Ipsi enim populo dictum est per divinas voces factas ad Moysen: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est (Deut. vi, 4). Non facies tibi idolum, neque cujusquam similitudinem, neque in caelo sursum, neque in terra deorsum (Exod. xx, 4)*. Ut autem etiam evertat ista, ubi potestatem acceperit, sic ei præcepit: *Non adorabis deos illorum, sed neque servies eis; non facies secundum opera ipsorum, sed deponendo depones, et confringendo confringes simulacra eorum (Id. xxxiii, 24)*. Quis autem dicat Christum atque Christianos non pertinere ad Israel, cum Israel nepos fuerit Abraham, cui primo, et deinde Isaac filio ejus, et deinde ipsi Israel nepoti ejus dictum est, quod jam commemoravi, *In semine tuo benedicentur omnes Gentes?* Quod fieri jam videmus in Christo, cum inde exorta sit illa virgo, de qua propheta populi Israel et Dei Israel cecinit, dicens: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel*. Interpretatur autem Emmanuel, *Nobiscum Deus (Isai. vii, 14; Matth. i, 23)*. Deus ergo Israel qui prohibuit alios deos coli, qui prohibuit idola fabricari, qui præcepit everti, qui per prophetam prædixit gentes ab extremo terræ dicturas, *Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, in quibus non est utilitas; ipse per Christi nomen et Christianorum fidem istarum omnium superstitionum eversionem jus sit, promisit, exhibuit*. Frustra ergo miseri, quia blasphemare Christum etiam a diis suis, hoc est, a dæmonibus nomen Christi metuentibus prohibiti sunt, volunt ab eo doctrinam istam facere alienam, qua Christiani contra idola disputant, easque omnes falsas religiones ubi potuerint eradicant.

CAPUT XXVII. — *Urget idololatrarum reliquias, ut demum serviant vero Deo idola ubique subvertenti.*

42. De Deo Israel respondeant, quem docere ista est jubere, non tantum Christianorum, sed et Judæorum Libri testantur: de ipso consulant deos suos, qui Christum blasphemari prohibuerunt; de Deo Israel, si audent, aliqua contumeliosa respondeant. Sed quos consulant? aut ubi jam consulant? Libros suorum legant. Si Deum Israel Jovem putant, sicut Varro scripsit (ut interim secundum eorum opinionem loquar), cur ergo Jovi non credunt idola esse delenda? Si Saturnum putant<sup>1</sup>, cur eum non colunt? Aut cur non sic colunt, quemadmodum se coli per eos vates præcepit, per quos ea quæ prædixit, implevit? Cur ei non credunt simulacra evertenda esse, et alios deos colendos non esse? Si nec Jovis<sup>2</sup>, nec Saturnus est (quia si unus eorum esset, contra sacra Jovis et Saturni eorum tanta non diceret); quis ergo

<sup>1</sup> Fr. et Lov.: *Si Saturnum Deum putant*. Sed melius Rat. et Mss.: *Si Saturnum putant*: subaudi, Deum Israel.

<sup>2</sup> Lov., *Jupiter*. Alii editi et Mss., *Jovis*: pro nominandi casu, uti supra, n. 30.

est, qui propter deos alios solus ab istis non colitur, et eversis diis aliis, tam evidenter efficit ut solus colatur, humiliata omni superba altitudine, quæ se adversus Christum erexerat pro idolis, persequens interficiensque Christianos? Nunc certe quærunt, ubi se abscondant, cum sacrificare volunt; vel ubi deos ipsos suos retrudant<sup>3</sup>, ne a Christi mis inveniantur atque frangantur. Unde hoc, nisi a timore legum atque regum, per quos Deus Israel suam exserit potestatem, jam subditos Christi nomini? sicut longe ante promisit, dicens per Prophetam: *Et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient illi (Psal. lxxi, 11)*.

CAPUT XXVIII. — *Prædicta idolorum rejectio.*

43. Nempe jam completur quod per prophetam identidem canitur, quod remissurus esset impiam plebem suam (non quidem totam, quia multi et ex Israelitis crediderunt in Christum; nam inde erant et Apostoli ejus), et humiliaturus omnem superbum atque injuriosum, ut ipse solus exaltaretur, id est, solus altus et potens hominibus manifestaretur: donec projicerentur a credentibus idola, et a non credentibus absconderentur; cum ejus timore terra confringitur, id est, terreni homines timore franguntur, timendo legem vel ipsius, vel eorum qui credentes in eum, gentibusque regnantes, talia sacrilegia prohiberent.

44. Hæc enim, quæ ut facilius intelligerentur, breviter prælocutus sum, propheta sic dicit: *Et nunc tu, domus Jacob, venite, et ambulamus in luce Domini. Remisit enim plebem suam domum Israel; quoniam repleta est, sicut ab initio, regio eorum auguriis, sicut alienigenarum; et filii multi alienigenæ nati sunt illis. Repleta est enim regio eorum argento et auro, nec erat numerus thesaurorum illorum. Et repleta est terra abominationibus operum manuum ipsorum, et adoraverunt ea quæ fecerunt digiti eorum. Et inclinavit se homo, et humiliavit se vir, et non remittam illis. Et nunc intrate in petras, et abscondite vos in terra a facie timoris Domini, et a majestate Virtutis ejus, cum surrexerit confringere terram. Oculi enim Domini excelsi, homo autem humilis; et humiliabitur altitudo hominum, et exultabitur Dominus solus in illa die. Dies enim Domini sabaoth supra omnem injuriosum et superbum, et supra omnem altum et humiliatum<sup>4</sup>, qui humiliabuntur; et supra omnem cedrum Libani excelsorum et elatorum, et supra omnem arborem Libani Busan, et super omnem montem, et super omnem collem altum, et super omnem navem maris, et super omne spectaculum nutium decoris. Et humiliabitur, et cadet contumelia hominum,*

<sup>1</sup> Rat. et Fr., *recludant*.

<sup>2</sup> Legendum videtur, et *elatum*; cum in græco sit, *metébron*. Pa. lo post in editis legebatur: *Et supra omnem cedrum Libani excelsam et elatam*. At in Mss. habetur, *excelsorum et elatorum*: juxta LXX, *ὄνι ἠψυλόν καὶ μετέβρον*; qui sic proseguuntur, *καὶ ἐπὶ πάντων δένδρων βάλανου βασάν, et super omnem arborem glandis Busan*: ubi Augustinus pro *βάλανου*, legit *Libanou*. Hic denique post illa verba, et *super omnem collem altum*, omittitur versiculus 13: *Et super omnem turrin altam, et super omnem murum altum*.

*et exaltabitur Dominus solus in illa die. Et manibus fabricata omnia abscondent in speluncis, et in scissuris petrarum, et in cavernis terræ a facie timoris Domini, et a majestate Virtutis ejus, cum exsurrexerit confringere terram. Illa enim die projiciet homo abominaciones aureas et argenteas, quæ fecerunt ut adorarent supervacanea et noxia; ut intrent in foramina solidæ petræ, et in scissuras petrarum, a facie timoris Domini, et a majestate Virtutis ejus, cum exsurrexerit comminuerè terram (Isai. II, 5-21).*

CAPUT XXIX. — *Deum Israel quidni colant pagani, si eum vel præpositum elementorum esse opinantur.*

45. Quid dicunt de isto Deo sabaoth, quod interpretatur Deus virtutum vel exercituum; quia illi serviunt virtutes et exercitus Angelorum? quid dicunt de isto Deo Israel, quia Deus est illius populi, de quo venit semen, in quo benedicerentur omnes Gentes? Cur solum non colunt, qui omnes deos colendos esse contendunt? cur ei non credunt, qui alios deos falsos et ostendit, et evertit? Audivi quemdam eorum dicere, se egisse apud nescio quem philosophum, quod ex his quæ Judæi in suis sacramentis agerent, intellexisset quem Deum colerent: « Præpositum, inquit, istorum elementorum, quibus iste visibilis et corporeus mundus exstructus est: » cum in Scripturis sanctis Prophetarum ejus aperte ostendatur, illum Deum colendum præceptum esse populo Israel, qui fecit cælum et terram, et a quo est omnis vera sapientia. Sed quid opus est hinc diutius disputare, cum ad id quod ago sufficiat, quod illi qualibet præsumptione opinantur de illo Deo, quem Deum esse negare non possunt? Si enim præpositus est elementorum quibus mundus iste consistit, cur non ipse potius colitur, quam Neptunus, qui solius maris præpositus est? quam denique Silvanus, qui solorum agrorum atque silvarum? quam Sol, qui solius diei, vel etiam universi cælestis calor? quam Luna, quæ solius noctis, vel etiam humoris potestate præfulget? quam Juno, quæ solum aërem tenere perhibetur? Certe enim isti partium præpositi, quicumque sunt, necesse est ut sub illo sint, qui omnium elementorum et universæ hujus molis præposituram gerit. At iste illos omnes coli prohibet: cur ergo isti contra præceptum majoris illorum, non solum eos colere volunt, sed propter istos illum nolunt? Adhuc non inveniunt quid de isto Deo Israel constanter liquidoque pronuntient; nec unquam inveniunt, donec eum inveniunt Deum solum verum, a quo creata sunt omnia.

CAPUT XXX. — *Deus Israel impletis prophetiis jam ubique innotuit.*

46. Proinde quidam Lucanus magnus eorum in carmine declamator, credo et ipse diu querens, sive per suas cogitationes, sive per suorum libros, quisnam esset Judæorum Deus; et quia non pie quærebat, non inveniens; maluit tamen incertum Deum quem non inveniebat, quam nullum Deum dicere, cujus tam magna documenta sentiebat. At enim:

Et dedita sacris  
incerti Judæa Dei.

(Lucanus, lib. 2, sub finem.)

Et nondum Deus is- sanctus et verus Deus Israel, nondum per Christi nomen tanta in omnibus gentibus fecerat, quanta usque in hodiernum diem post Lucani tempora consecuta sunt. Nunc vero quis tam durus non flectatur? quis tam torpidus non ignescat, cum impletur quod scriptum est, *quia non est qui se abscondat a calore ejus?* quando jam clarissima luce manifestantur quæ in eodem psalmo, unde versiculum istum commemoravi, tanto ante prædicta sunt? Cælorum enim nomine Apostoli Christi significati sunt, quod in eis Deus præsideret, ut Evangelium annuntiarent. Jam ergo cæli enarraverunt gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiavit firmamentum. Dies diei eructavit verbum, et nox nocti annuntiavit scientiam. Jam non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Jam in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Jam in sole, hoc est in manifestatione, posuit tabernaculum suum, quod est Ecclesia ipsius. Quia, ut hoc faceret, ipse, sicut ibi sequitur, tanquam sponsus processit de thalamo suo, id est, conjugatum Verbum carni humanæ processit de utero virginali. Jam exsultavit ut gigas, et cucurrit viam. Jam a summo cæli facta est egressio ejus, et recursus ejus usque ad summum cæli. Et ideo rectissime sequitur versus, quem paulo ante commemoravi, *Et non est qui se abscondat a calore ejus* (Psal. xviii, 1-7). Et adhuc isti fragiles contradictinniculas garrientes eligunt isto igne, sicut stipula in cinerem verti, quam sicut aurum a sorde purgari: cum et deorum falsorum jam fallacia monumenta frustrata sint, et illius incerti Dei veracia promissa certa jam facta sint.

CAPUT XXXI. — *Prophetia de Christo impleta.*

47. Desinant ergo dicere mali laudatores Christi, qui nolunt esse christiani, quod Christus non docuerit deos eorum deseri, et simulacra confringi. Deus enim Israel, de quo prædictum est quod Deus universæ terræ vocabitur, et Deus universæ terræ jam vocatur; hoc per Prophetas futurum prædixit, hoc per Christum congruo tempore implevit. Certe enim si jam Deus Israel, Deus universæ terræ vocatur, necesse est ut fiat quod jussit, quando qui jussit, innotuit. Quia vero per Christum et in Christo innotuit, ut Ecclesia ejus per orbem diffunderetur, et per ipsam Deus Israel universæ terræ vocaretur, paulo superius apud eundem prophetam legant qui volunt imo et a me commemoretur. Neque enim ita longum est, ut oporteat prætermitti. Dicuntur enim multa de præsentia et humilitate et passione Christi, et corpore ejus, cui caput est, id est de Ecclesia ejus, cum appellatur tanquam sterilis quæ non pariebat. Per multos enim annos Ecclesia, quæ futura erat in omnibus Gentibus in filiis suis, hoc est in sanctis suis, non apparuit, nondum Christo annuntiatus per Evangelistas, eis quibus non est annuntiatus per Prophetas: et dicitur plures filios desertæ futuros, quam ejus quæ

Er. et Lov., tepidus. Rat. et Mss., torpidus.

habet virum; cuius viri nomine significata est Lex, vel Rex quem acceperat primus populus Israel: nec acceperant gentes Legem eo tempore, quo propheta loquebatur; neque Rex Christianorum apparuerat adhuc Gentibus, ex quibus tamen Gentibus longe fertilior et numerosior sanctorum multitudo provenit. Ita ergo dicit Isaias, incipiens ab humilitate<sup>1</sup> Christi, et se postea convertens ad alloquendam Ecclesiam usque ad eum versum quem commemoravimus, ubi ait, *Et qui eruit te, ipse Deus Israel, universæ terræ vocabitur: Ecce, inquit, in intellectu erit<sup>2</sup> puer meus, et exaltabitur, et honorificabitur vehementer. Quomodo multi mirabuntur super te, sic tamen et inhonesta videbitur ab omnibus species tua, et honor tuus ab hominibus. Ita enim mirabuntur gentes multæ super eum, et continebunt reges os suum. Quoniam quibus non est nuntiatum de illo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent. Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Nuntiavimus coram illo, ut puer, ut radix in terra sitiienti: non est species illi, neque honor. Et vidimus illum, et non habuit speciem neque decorem: sed vultus ejus abjectus et deformis, positio ejus ab omnibus hominibus; homo in plaga, et qui sciat ferre infirmitates, propter quod et avertit se facies ejus, injuriata est, nec magni æstimata est. Hic infirmitates nostras portat, et pro nobis in doloribus est. Et nos existimavimus illum in doloribus esse, et in plaga et in pœna. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, et infirmatus est propter iniquitates nostras. Eruditio pacis nostræ in eum, livore ejus sanati sumus. Omnes ut oves erravimus, et Dominus tradidit illum pro peccatis nostris. Et ipse quoniam male tractatus est, non aperuit os: ut ovis ad immolandum ductus est, et ut agnus ante eum qui se tonderet fuit sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate sublatus est iudicium ejus. Generationem ejus quis enarrabit? Quoniam tollitur de terra vita ejus: ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. Dabo ergo malos propter sepulturam ejus, et divites propter mortem ejus; ob hoc quod iniquitatem non fecerit, nec dolum in ore suo. Dominus vult purgare illum de plaga. Si dederitis vos ob delicta vestra animam vestram, videbitis semen longissimæ vitæ. Et vult Dominus auferre a doloribus animam ejus, ostendere illi lucem, et figurare per sensum, justificare justum bene servientem pluribus; et peccata illorum ipse sustinebit. Propterea ipse hæreditabit complures, et fortium partietur spolia. Propter quod tradita est ad mortem anima ejus, et inter iniquos æstimata est: et ipse peccata multorum sustinuit, et propter iniquitates eorum traditus est. Delectare, sterilis quæ non parit; exsulta et clama, quæ non parturit; quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum. Dixit enim Dominus, Dilata locum tabernaculi tui, et aulæ<sup>3</sup> tuas confige; non est quod parcas: porrige longius funiculos, et palos validos constitue. Etiam atque*

<sup>1</sup> Sic editio Rat. suffragantibus Mss. At Er. et Lov., ab humilitate.

<sup>2</sup> Mss. Septem, intellectum intelliget.

<sup>3</sup> Er. et Lov., aulæ. Rat. vero et Mss. prope omnes habent, aulæ: qui us consentiunt codices non pauci in Epist. 103, n. 15; quo tamen loco post editionem Lov. legitur, aulæ.

*etiam in dexteram atque sinistram partem extende. Semen enim tuum hæreditabit gentes, et civitates quæ desertæ erant, inhabitabis, non est quod metuas. Prævalabis enim, nec erubescas quod detestabilis fueris. Confusionem eam in perpetuum oblivisceris, ignominiam viduitatis tuæ non eris memor: quoniam ego Dominus qui facio te, Dominus nomen ei; et qui eruit te, ipse Deus Israel, universæ terræ vocabitur (Isai. LI, 13- LIV, 5).*

48. Quid contra hanc evidentiam expressionemque rerum et prædictarum et impletarum dici potest? Si de Christi divinitate discipulos ejus putant esse mentitos, numquid de Christi passione dubitabunt? Resurrexisse non solent credere: at illa omnia ab hominibus humana perpassum etiam libenter credunt, quia hominem tantummodo credi volunt. Ille itaque sicut ovis ad immolandum ductus, ille inter iniquos deputatus, ille vulneratus propter peccata nostra; cujus livore sanati sumus, cujus facies injuriata est, nec magni æstimata, palmis cesa, et sputis illita, cujus deformis in cruce positio: ille ab iniquitatibus populi Israel ductus ad mortem; ille qui non habebat speciem neque decorem, quando colaphis percutiebatur, quando spinis coronabatur, quando pendens irridebatur; ille qui, sicut agnus coram ton. lente non habet vocem, sic non aperuit os suum, cum ei diceretur ab insultantibus, *Prophetiza nobis, Christe (Matth. xxvi, xxvii; Marc. xiv, xv; Luc. xii, xiii, et Joan. xviii, xix)*: nempe jam exaltatus est, jam honorificatus est vehementer. Nempe jam mirantur gentes multæ super eum. Jam continuerunt reges os suum, quo adversus Christianos leges sævissimas promulgabant. Nempe quibus non est nuntiatum de illo, jam vident, et qui non audierunt jam intelligunt (*Rom. xv, 16-21*). Quoniam gentes quibus non annuntiaverunt Prophetæ, magis ipsæ vident quam vera nuntiata sint per Prophetas. Et qui non audierunt ipsum Isaiam loquentem, jam in Litteris ejus de quo ista sit locutus, intelligunt. Nam et in ipsa gente Judæorum quis credidit auditui Prophetarum, aut brachium Domini, quod est Christus ipse, qui per eos annuntiabatur, cui revelatum est (*Joan. xii, 37, 38, et Rom. x, 16*); quando manibus suis ea scelera in Christo admittebant, quæ futura prædixerant Prophetæ quos habebant? Nempe jam hæreditate possidet multos, et fortium partitur spolia, cum ea quæ diabolus et dæmones possidebant, per ecclesiarum suarum fabricas, et quoslibet necessarios usus, illis expulsis proditisque distribuit.

CAPUT XXXII. — Apostolorum contra idololatriam doctrina vindicatur ex prophetiis.

49. Quid ergo ad hæc dicunt perversi laudatores Christi, et Christianorum obtractores? Numquid ut ista per Prophetas tanto ante prædicerentur, Christus magicis artibus fecit, aut discipuli ejus ista finxerunt. Nunquid ut delectetur<sup>1</sup> Ecclesia diffusa per gentes quondam sterilis, nunc in pluribus illiis, quam illa Synagoga quæ Legem sive Regem tanquam virum ac-

<sup>1</sup> In prius editis, dilataetur. At in Mss., delectetur: quo quidem alludit primum Augustinus ad illud, *Delectare sterilis*; explicaturus postea aliud Prophetæ dictum, *Dilata locum tabernaculi tui*.

ceperat : numquid ut sic dilatet locum tabernaculi sui omnes nationes et linguas occupans, ut longius quam Romani imperii jura tenduntur, usque in Persas et Indos aliasque barbaras gentes funiculos porrigat; ut in dexteram per veros christianos, et in sinistram per fletos christianos in tam multis populis nomen ejus extendatur; ut semen ejus hæreditet gentes, ut civitates quæ a vero Dei cultu et a vera religione desertæ fuerant, jam nunc inhabitet; ut non timuerit hominum minas et furias, quando in sanguine martyrum tanquam honore purpureo vestiebatur, ut prævaleret tam multis tamque vehementibus et potentibus persecutoribus suis; ut non erubesceret quod detestabilis fuerit, quando magnum erat crimen fieri vel esse christianum; ut confusionem in perpetuum obliviscatur, quia ubi abundaverat peccatum, superabundavit gratia (Rom. v, 20); ut ignominie viduitatis suæ memor non sit, quia paululum derelicta et opprobrio subjecta<sup>1</sup>, tam eminenti gloria refflorescit: numquid postremo ut Dominus qui fecit eam, et a dominatu diaboli et demonum eruit eam, ipse Deus Israel universæ terræ jam vocetur, discipuli Christi finxerunt, quod Prophete, quorum Libri nunc in manibus inimicorum Christi habentur, tam longe antequam Christus filius hominis fieret, prædixerunt?

50. Hinc ergo intelligant, quod ne tardissimis quidem atque obtusissimis<sup>2</sup> obscurum dubiumve relinquatur: hinc, inquam, intelligant Christi perversi laudatores et christianæ religionis execratores, etiam Christi discipulos contra deos eorum ea didicisse atque docuisse quæ doctrina continet Christi; quia Deus Israel, qui hæc omnia quæ isti colere volunt, abominanda atque evertenda in Libris Prophetarum præcepisse invenitur, ipse Deus universæ terræ, sicut tanto ante promisit, per Christum et Christi Ecclesiam jam vocatur. Si enim Christum mira dementia suspicantur deos eorum coluisse, ac per hos eum tanta potuisse; numquid et Deus Israel deos eorum coluit, qui de se per omnes gentes colendo et de illis abominandis atque evertendis (Deut. vii, 5), per Christum quod promisit implevit? Ubi sunt dii eorum? ubi vaticinia fanaticorum, et divinationes pythorum? ubi auguria, vel auspicia, vel aruspicia, vel oracula demonum? Cur non profertur ex istiusmodi antiquis libris admonitum aliquid et prædictum contra christianam fidem, et contra Prophetarum nostrorum expressam jam in omnibus gentibus tam perspicuam veritatem? Offendimus, inquit, deos nostros, et deseruerunt nos: ideo adversus nos Christiani prævaluerunt, et humanarum rerum felicitas defessa<sup>3</sup> ac deminuta dilabitur. Hoc sibi certe per Christianos fuisse eventurum, legant ex libris vatum suorum: sed ea legant, ubi si non Christus, quia cum deorum suo-

rum volunt fuisse cultorem, saltem Deus Israel improbatus et detestatus sit, quem constat istorum eversorem. Sed nunquam hoc profertur, nisi quod modo forte confinxerint. Quod cum protulerint apparet, eo ipse certe, quod tanta res tam ignota profertur, quæ utique debuit antequam hoc quod prædictum est, accidisset, in deorum templis<sup>4</sup> omnium gentium recitari, ut præstruerentur et præmonerentur qui nunc volunt<sup>5</sup> esse christiani.

CAPUT XXXIII. — *In eos qui rerum humanarum felicitatem per christiana tempora deminutam esse conqueruntur.*

51. Deinde quod de felicitatis rerum humanarum deminutione per christiana tempora conqueruntur, si libros philosophorum suorum legant, ea reprehendentium, quæ nunc eis etiam recusantibus et murmurantibus subtrahuntur, tum vero magnam laudem reperient temporum christianorum. Quid enim eis minuitur felicitatis, nisi quod pessime luxurioseque abutebantur in magnam Creatoris injuriam? Nisi forte hinc sunt tempora mala, quia per omnes pene civitates cadunt theatra, cavæ turpitudinum et publicæ professiones flagitiorum<sup>6</sup>; cadunt et fora vel mœnia, in quibus dæmonia colebantur. Unde enim cadunt, nisi inopia rerum, quarum lascivo et sacrilego usu constructa sunt? Nonne Cicero eorum cum Roscium quemdam laudaret histrionem, ita peritum dixit, ut solus esset dignus qui in scenam deberet intrare; ita virum bonum, ut solus esset dignus qui eo non deberet accedere (Cic. Orat. pro Roscio)? quid aliud aperitissime ostendens, nisi illam scenam esse tam turpem, ut tanto minus ibi esse homo debeat, quanto fuerit magis vir bonus? et tamen dii eorum tali dedecore placabantur, quale a viris bonis removendum esse censebat. Est etiam hinc ejusdem ipsius Ciceronis aperta confessio, ubi ait, sibi Floram matrem ludorum celebritate placandam (Cic. in Verrem, act. 5). In quibus ludis tanta exhiberi turpitudine consuevit, ut in eorum comparatione ceteri honesti sint, a quibus tamen etiam ipsi agendis viri boni prohibentur. Quæ ista est Flora mater, qualis dea est, quam celebrior et habentis effusioribus laxata conciliat et propitiat turpitudinem? Quanto jam honestius in scenam Roscius intrabat, quam Cicero deam talem colebat? Si deminuta rerum copia, quæ in hæc celebranda funduntur, dii Gentium offenduntur, apparet quales sint qui talibus delectantur. Si autem ipsi irati ista minuunt, utilius irascuntur quam placantur. Quapropter, aut philosophos suos arguant, qui talia in luxuriosis hominibus reprehenderunt; aut deos suos frangant, qui talia de suis cultoribus exegerunt: si tamen jam inveniunt vel quos frangant, vel quos abscondant: Christianorum vero temporibus defectum rerum secundarum quibus in turpia et noxia defluebant, blasphemando, impulare desistant, ne magis nos unde amplius Christi potestas laudetur, admoneant.

<sup>1</sup> In editione Ratisponensi additur, *auribus*.

<sup>2</sup> Sic Rat. et aliquot Mss. At Lov. et Er., *moluit*.

<sup>3</sup> Editi habent, *flagitiorum*: pro quo Sins., *flagitiorum*.

<sup>1</sup> Sic optime vetus codex Corbeiensis; Et enim respondet prophete verbis ante allatis: *ignominie viduitatis tuæ non eris memor*. [ *opprobriis objecta*. ]

<sup>2</sup> In antiquis codicibus constantiter scriptum est, *obtusissimis*.

<sup>3</sup> Lov., *depressa*. Editi vero alii, *suffragantibus* Mss., *defessa*.

CAPUT XXXIV. — *Epilogus superiorum.*

52. Multa hinc dicerem, nisi me jam librum istum concludere, atque ad propositam intentionem redire, suscepti operis necessitas cogeret. Cum enim evangelicas quæstiones, ubi videntur quibusdam quatuor Evangelistæ non inter se constare, solvere aggrederer, ut potui expositis intentionibus singulorum, primo mihi discutiendum occurrit, quod nonnulli quærere solent, cur ipsius Christi nulla scripta proferramus. Ita enim volunt et ipsum credi nescio quid aliud scripsisse quod diligunt, nihilque sensitse contra deos suos, sed eos potius magico ritu coluisse: et discipulos ejus non solum de illo fuisse mentitos, dicendo illum Deum per quem facta sunt omnia, cum aliud nihil quam homo fuerit, quamvis excellentissimæ sapientiæ; verum etiam de diis eorum non hoc docuisse quod ab illo didicissent. Unde factum est ut eos de Deo Israel potius urgeremus, qui per Ecclesiam Christianorum ab omnibus gentibus colitur, et istorum sacrilegas vanitates ubique jam evertit, sicut per Prophetas suos tanto ante prædixit, et per Christi nomen, in quo benedici omnes gentes promiserat, ea quæ prædixit, implevit. Ex quo intelligere debent nec Christum aliud de diis eorum vel nosse vel docere potuisse, quam Deus Israel per Prophetas suos jus sit atque prædixit, per quos ipsum Christum promisit et misit; in cuius nomine secundum pollicitationem quam Patribus fecit, cum benedicerentur omnes gentes, factum est ut et ipse Deus Israel, universæ terræ vocaretur: nec discipulos ejus a sui magistri doctrina deviasse, cum deos Gentium coli prohiberent, de vel insensatis simulacris supplicarem, vel societatem cum dæmoniis haberemus, vel creaturæ potius quam Creatori religionis obsequio serviremus.

CAPUT XXXV. — *Mediatoris mysterium antiquis per prophetiam, nobis per Evangelium prædicatur.*

53. Quapropter, cum sit ipse Christus Sipientia Dei, per quem creata sunt omnia, cumque nullæ mentes rationales sive Angelorum sive hominum, nisi participatione ipsius sapientes fiant, cui per Spiritum sanctum, per quem charitas in cordibus nostris diffunditur, inhæremus, quæ Trinitas unus Deus est; consultum est divinâ providentiâ mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus et occidentibus occupata tenebatur, ut eadem ipsa Dei Sipientia ad unitatem personæ suæ homine assumpto, in quo temporaliter nasceretur, viveret, moreretur, resurgeret, congrua salutis nostræ dicendo et faciendo, patiundo et sustinendo, fieret et deorsum hominibus exemplum redeundi, et eis qui sursum sunt Angelis exemplum manendi. Nisi enim et in animæ rationalis natura temporaliter aliquid oriretur, id est, inciperet esse quod non erat, nunquam ex vita pessima et stulta ad sapientem atque optimam veniret. Ac per hoc,

cum rebus æternis contemplantium veritas perfruatur, rebus autem ortis fides credentium debeatur, purgatur homo per rerum temporalium fidem, ut æternarum percipiat veritatem. Nam et quidam eorum nobilissimus philosophus Plato, in eo libro quem Timæum vocant, sic ait: «Quantum ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas.» Duo illa sursum sunt, æternitas et veritas: duo ista deorsum, quod ortum est, et fides. Ut ergo ab imis ad summa revocemur, atque id quod ortum est recipiat æternitatem, per fidem veniendum est ad veritatem. Et quia omnia quæ in contrarium pergunt, per aliquid medium reducuntur, et ab æterna justitia temporalis iniquitas nos alienabat; opus ergo erat media justitia temporali, quæ mediæ, temporalis esset de imis, justa de summis<sup>1</sup>, atque ita se nec abrumpens a summis, et contemperans imis, ima redderet summis. Ideo Christus mediator Dei et hominum dictus est, inter Deum immortalem et hominem mortalem Deus et homo (1 Tim. II, 5), reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat. Ipse est nobis fides in rebus ortis, qui est veritas in æternis.

54. Hoc magnum et inenarrabile sacramentum, hoc regnum et sacerdotium antiquis per prophetiam revelabatur, posteris eorum per Evangelium prædicatur. Oportebat enim ut aliquando in omnibus gentibus redderetur, quod diu per unam gentem promittebatur. Proinde qui Prophetas ante descensionem suam præmisit, ipse et Apostolos post ascensionem suam misit. Omnibus autem discipulis suis per hominem quem assumpsit, tanquam membris sui corporis caput est. Itaque cum illi scripserunt quæ ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit; quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendam illis tanquam suis manibus imperavit. Hoc unitatis consortium et in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. Quamobrem illa potius jam videamus qualia sint, quæ putant Evangelistas sibi met ipsis scripsisse contraria (quod parum intelligentibus videri potest); ut his quæstionibus dissolutis, ex hoc quoque appareat, illius capituli membra, non solum idem sentiendo, verum etiam convenientia scribendo, in corporis ipsius unitate germanam servasse concordiam.

<sup>1</sup> sic olim ferebat editio Ratisbonensis; sed hanc germanam certe lectionem in posterioribus editionibus contra manuscriptorum fidem mutaverant ad hunc modum: *Quæ mediæ temporalis esset de imis mixta et summis.*



## LIBER SECUNDUS.

In quo Matthæi Evangelium usque ad cenæ narrationem ex ordine pertractat Augustinus, cumque eo comparat alia Marci, Lucæ et Joannis Evangelia, demonstrans perpetuam inter quatuor Evangelistas reperiri consensuam



**PROLOGUS.** — 1. Quoniam sermone non brevi et admodum necessario, quem libro uno complexi sumus, refutavimus eorum vanitatem, qui discipulos Christi Evangelium conscribentes, ideo contemnendos putant, quia ipsius Christi quem licet non ut Deum, tamen ut hominem sapientia longe præ cæteris excellentem honorandum esse non dubitant, nulla scripta profertur a nobis; et eum talia scripsisse videri volunt, qualia perversi diligunt, non quilibus lectis et creditis a perversitate corrigi possunt: nunc jam videamus ea quæ quatuor Evangelistæ de Christo scripserunt, quemadmodum sibi atque inter se congruant; ne quid ex hoc in fide christiana offendiculi patiantur, qui curiosiores quam capaces sunt, quod non utcumque perlectis, sed quasi diligentius perscrutatis evangelicis Libris, inconvenientia quædam et repugnantia se deprehendisse existimantes, magis ea contentiose objectanda, quam prudenter consideranda esse arbitrantur.

**CAPUT PRIMUM.** — *Quare usque ad Joseph generatores Christi commemorentur, cum de illius semine Christus non sit natus, sed de Virgine Maria.*

2. Matthæus evangelista sic orsus est: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham* (Matth. 1, 1). Quo exordio suo satis ostendit, generationem Christi secundum carnem se suscepisse narrandam. Secundum hanc enim Christus filius hominis est, quod etiam se ipse sæpissime appellat (*Id.* vii, 20, et ix, 6), commendans nobis quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis. Nam illa superna et æterna generatio, secundum quam Filius Dei unigenitus est ante omnem creaturam, quia omnia per ipsum facta sunt, ita ineffabilis est, ut de illa dictum a propheta intelligatur, *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* Liii, 8)? Exsequitur ergo humanam generationem Christi Matthæus, ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Joseph virum Mariæ: de qua natus est Jesus. Neque enim fas erat ut ob hoc eum a conjugio Mariæ separandum putaret, quod non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentia, pos e permanere vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu: præsertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est. Neque enim propterea non erat appellandus Joseph pater Christi, quia non cum concubendo generat, quandoquidem recte pater esset etiam ejus quem non ex sua conjugè procreatum, aliunde adoptasset.

3. Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Joseph, tanquam ex ejus omnino carne progenitus;

sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat virginitas. Nam Lucas ait: *Et ipse Jesus erat incipiens quas annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph* (*Luc.* iii, 23). Qui tamen Lucas non ejus parentem solam Mariam, sed ambos parentes ejus appellare minime dubitavit, ubi ait: *Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solenni Pasche.* Sed ne quisquam hic parentes consanguineos potius Mariæ cum ipsa matre ejus intelligendos putet, quid ad illud respondebit, quod ipse item Lucas superius dixit. *Et erat pater ejus et mater mirantes super iis quæ dicebantur de illo* (*Id.* ii, 40, 41, 35)? Cum igitur ipse narret, non ex concubitu Joseph, sed ex Maria virgine natum Christum; unde eum patrem ejus appellat, nisi quia et virum Mariæ recte intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugii; et ob hoc etiam Christi patrem multo conjunctius, qui ex ejus conjugè natus sit, quam si esset aliunde adoptatus? Unde manifestum est illud, quod ait, *Ut putabatur, filius Joseph*, propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrabantur.

**CAPUT II.** — *Quomodo sit Christus filius David, cum ex Joseph filii David concubitu non sit natus.*

4. Ac per hoc, etiam si demonstrare aliquis posset, Mariam ex David nullam consanguinitatis originem ducere, sat erat secundum istam rationem accipere Christum filium David, qua ratione etiam Joseph pater ejus recte appellatus est: quanto magis, cum evidenter dicat apostolus Paulus, ex semine David secundum carnem Christum (*Rom.* i, 3), ipsam quoque Mariam de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare utique non debemus. Cujus femine quoniam nec sacerdotale genus taceat, insinuante Luca, quod cognata ejus esset Elisabeth, quam dicit de filiabus Aaron (*Luc.* i, 36, 5); firmissime tenendum est carnem Christi ex utroque genere propagatam, et regim scilicet et sacerdotum, in quibus personis apud illum populum Hebræorum etiam mystica unctio figurabatur, id est, chrisma, unde Christi nomen elucet, tanto ante etiam illa evidentissima significatione prænuntiatum.

**CAPUT III.** — *Quare alios progeneratores Christi Matthæus enumerat, alios Lucas.*

5. Quos autem movet, quod alios progeneratores Matthæus enumerat, descendens a David usque ad Joseph (*Matth.* i, 1-16), alios autem Lucas ascendens a Joseph usque ad David (*Luc.* iii, 23-38), facile est, ut adveriant duos patres habere potuisse Joseph, unum a quo genitus, alterum a quo fuerit adoptatus (a). Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam

(a) II retract. cap. 16.

in illo populo Dei, ut sibi filios facerent quos non ipsi genuissent. Nam excepto quod filia Pharaonis Moysen adoptaverat (*Exod. ii, 10*) (illa quippe alienigena fuit), ipse Jacob nepotes suos ex Joseph natos, verbis manifestissimis adoptavit dicens: *Nunc itaque filii tui duo, qui facti sunt tibi priusquam ad te venirem, mei sunt: Ephraem et Manasse, tanquam Ruben et Simcon erunt mihi. Natos autem si genueris postea, tibi erunt* (*Gen. XLVIII, 5, 6*). Unde etiam factum est ut duodecim tribus essent Israel, excepta tribu Levi, quae templo serviebat; cum ea quippe tredecim fuerunt, cum duodecim fuissent filii Jacob. Unde intelligitur Lucas patrem Joseph, non a quo genitus, sed a quo fuerat adoptatus, suscepisse in Evangelio suo, cujus progenitores darsum versus commemoraret, donec exiret ad David. Cum enim necesse sit, utroque evangelista vera narrante, et Matthæo scilicet et Luca, ut unus eorum ejus patris originem tenuerit qui genuerat, alter ejus qui adoptaverat Joseph, quem probabilius intelligimus adoptantis originem tenuisse, quam eum qui noluit Joseph genitum dicere ab illo cujus eum filium esse narrabat? Commodius enim filius ejus dictus est, a quo fuerat adoptatus, quam diceretur ab illo genitus cujus carne non erat natus. Matthæus autem dicens, *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob*, atque ita in hoc verbo quod est, *genuit*, perseverans donec in ultimo diceret, *Jacob autem genuit Joseph*; satis expressit ad eum patrem se perduxisse ordinem<sup>1</sup> generantium, a quo Joseph non adoptatus, sed genitus erat.

6. Quanquam si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus quam ab uno evangelista gignentem, ab altero adoptantem patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurde quisque dicitur non carne, sed charitate genuisse, quem filium sibi adoptaverit: aut vero etiam nos quibus dedit Deus potestatem filios ejus fieri, de natura atque substantia sua nos genuit, sicut unicum Filium, sed utique dilectione adoptavit. Quo verbo Apostolus saepe uti non ob aliud intelligitur (*Rom. viii, 15, et ii, 4*), nisi ad discernendum Unigenitum ante omnem creaturam, per quem facta sunt omnia, qui solus de substantia Patris natus est, secundum aequalitatem divinitatis hoc omnino quod Pater: quem missum dicit ad suscipiendam carnem ex illo genere, quo et nos secundum naturam nostram sumus, ut illo participante mortalitatem nostram per dilectionem, nos efficeret participes divinitatis suae per adoptionem. Ita enim dicit: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*<sup>2</sup> (*Galat. iv, 4, 5*). Et tamen dicimur etiam nati ex Deo, id est, accepta potestate ut filii ejus efficiamur, qui jam homines eramus: efficiamur autem per gratiam, non per naturam. Nam si per naturam filii essemus, nunquam aliud fuisset. Cum

<sup>1</sup> sic in Mss. At in editis, *originem*.

<sup>2</sup> Plerique et antiquiores Mss., *recipimus*.

enim dixisset Joannes, *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus; secutus ait, Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Ita quos dixit accepta potestate factos Dei filios, quod illa adoptio significat quam Paulus commemorat, eosdem dixit natos ex Deo. Atque ut apertius ostenderet qua gratia factum sit, *Et Verbum, inquit, caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan. i, 12-14*): tanquam diceret, Quid mirum si filii Dei facti sunt cum caro essent, propter quos unicus caro factus est, cum Verbum esset? Hac sane magna distantia, quia nos effecti filii Dei mutamur in melius, ille autem Filius Dei cum filius hominis factus esset, non est mutatus in deterius, sed assumpsit quod erat inferius. Dicit et Jacobus: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquid creaturae ejus* (*Jacobi i, 18*). Ne scilicet in eo quod ait, *genuit*, hoc nos fieri putaremus quod ipse est, ideo principatum quemdam in creatura vobis hac adoptione concessum satis ostendit.

7. Non ergo alienum esset a veritate, etiamsi Lucas ab illo esse Joseph genitum diceret, a quo fuerat adoptatus. Etiam sic quippe genuit eum, non ut homo esset, sed ut filius esset: sicut nos genuit Deus, ut filii ejus simus, quos fecerat ut homines essemus. Unicum autem genuit, non solum ut Filius esset, quod Pater non est; sed etiam ut Deus esset, quod et Pater est. Sed plane si hoc verbo etiam Lucas uteretur, omni modo esset ambiguum quis eorum adoptantem, quis ex propria carne gignentem patrem commemorasset: quomodo etsi neuter eorum diceret, *genuit*, sed et iste cum filium illius, et ille in ius diceret, nihilominus esset ambiguum quis eorum illum de quo natus, quis illum a quo adoptatus erat commemorasset. Nunc vero cum alter dicit, *Jacob genuit Joseph*; alter, *Joseph qui fuit filius Heli*: etiam ipsa verborum differentia quod singuli suscepissent eleganter intinuerunt. Sed hoc facile sane, ut dixi, posset occurrere homini religioso, qui quodlibet aliud querendum potius judicaret, quam evangelistam crederet esse mentitum; facile, inquam, occurreret, ut videret quibus causis unus homo duos patres habere potuerit: hoc et illis calumniosis occurreret, nisi litigare quam considerare maluissent.

CAPUT IV. — *Quare quadraginta generationes, excepto ipso Christo, invenimus apud Matthæum, cum quatuordecim triplicet.*

8. Illud autem quod deinceps insinuandum est, revera ut adverti et videri posset, lectorem attentissimum et diligentissimum requirebat. Acute quippe animadversum est, Matthæum, qui regiam in Christo instituerat insinuare personam, excepto ipso Christo, quadraginta homines in generationum serie nominasse. Numerus autem iste illud tempus significat, quo in hoc saeculo et in hac terra regi nos oportet a Christo secundum disciplinam laboriosam, qua *flagellat Deus*, ut scriptum est, *omnem filium quem recipit* (*Hebr. xii, 6*): de qua dicit Apostolus, per tribulationem oportere nos intrare in regnum Dei (*Act. xiv,*

21). Quam significat etiam illa virga ferrea, de qua in Psalmo legitur, *Reges eos in virga ferrea*; cum superius dixisset, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*. Reguntur enim etiam boni in virga ferrea, de quibus dicitur, *Tempus est ut iudicium incipiat a domo Domini*; et si initium a nobis, qualis finis erit eis qui non credunt Dei Evangelio? et si iustus vix saluus erit; peccator et impius ubi parebunt (II Petr. IV, 17, 18)? Ad quos pertinet quod sequitur: *Tanquam vas figuli conteres eos* (Psal. II, 9). Reguntur enim boni per hanc disciplinam; mali vero comminuntur: qui tanquam iidem ipsi commemorantur propter una atque eadem sacramenta<sup>1</sup>, quæ habent communia mali cum bonis.

9. Quia ergo numerus iste laboriosi hujus temporis sacramentum est, quo sub disciplina regis Christi adversus diabolum dimicamus, etiam illud declarat, quod quadraginta dierum jejunium, hoc est humiliationem animæ, consecravit et Lex et Prophetæ per Moysen et Eliam, qui quadragenis diebus jejunaverunt (Exod. XXXIV, 28, et III Reg. XIX, 8); et Evangelium per ipsius Domini jejunium, quibus diebus quadraginta etiam tentabatur a diabolo (Matth. IV, 1, 2), quid aliud quam per omne hujus sæculi tempus tentationem nostram in carne sua, quam de nostra mortalitate assumere dignatus est, præfigurans? Post resurrectionem quoque non amplius quam dies quadraginta cum discipulis in hac terra esse voluit (Act. I, 3), huic eorum vitæ adhuc humana conversatione commixtus, et cum illis alimenta mortalium, quamvis jam non moriturus, accipiens: ut per ipsos quadraginta dies significaret, se occulta præsentia quod promiserat impleteram, quando ait, *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (Matth. XXVIII, 20). Cur autem iste numerus hanc temporalem vitam terrenamque significet, illa interim causa de proximo occurrit, quamvis sit alia fortasse secretior, quod et tempora annorum quadripartitis vicibus currunt, et mundus ipse quatuor partibus terminatur, quas aliquando ventorum nomine Scriptura commemorat, ab Oriente et Occidente, Aquilone et Meridie (Zach. XIV, 4). Quadraginta autem, quater habent decem. Porro ipsa decem ab uno usque ad quatuor progrediente numero consummantur.

10. Ad hunc igitur mundum, et ad istam terrenam mortalemque vitam hominum, ad nos regendos in tentatione laborantes, venientem regem Christum Matthæus suscipiens, exorsus est ab Abraham, et enumeravit quadraginta homines. Ab ipsa enim gente Hebræorum, quæ a cæteris gentibus ut distingueretur, Deus de terra sua et de cognatione sua separavit Abraham (Gen. XII, 1, 2), Christus venit in carne; ut et hoc ad eum distinctius prophetandum et prænuntiandum maxime pertineret, quod promittebatur ex qua esset gente venturus. Cum enim quaterdenas generationes tribus distinctis articulis, dicens ab Abraham usque ad David generationes esse quatuor-

<sup>1</sup> Duo Vss. vaticani, cæteris refragantibus, propter unam eadem utque eadem sacramenta.

decima, et a David usque ad transmigrationem Babyloniz alias quatuordecim, totidemque alias usque ad nativitatem Christi (Matth. I, 17); non tamen cas duxit in sumam ut diceret, Fiant omnes quadraginta duæ. Unus quippe in illis progenitoribus bis numeratur, id est Jechonias, a quo facta est quedam in extraneas gentes deflexio, quando in Babyloniam transmigratum est. Ubi autem ordo a rectitudine flectitur, atque ut eat in diversum, tanquam angulum facit; illud quod in angulo est, bis numeratur, in fine scilicet prioris ordinis, et in capite ipsius deflexionis. Et hoc ipsum jam præfigurabat Christum a circumcissione ad præputium, tanquam ab Jerusalem ad Babyloniam quodammodo migratum, et hinc atque hinc utrisque in se credentibus tanquam lapidem angularem futurum. Hæc tunc in figura præparabat Deus rebus in veritate venturis. Nam et ipse Jechonias, ubi angulus iste præfiguratus est, interpretatur Præparatio Dei. Sic ergo jam non quadraginta duæ, quod faciunt ter quatuordecim, sed propter unum bis numeratum, quadraginta una generationes sunt, si et ipsum Christum annumeremus, qui huic regendæ vitæ nostræ temporali atque terrenæ, tanquam numero quadragenario regaliter præsidet.

11. Quem ad istam mortalitatem nobiscum participandam quia descendente voluit significare Matthæus, ideo et ipsas generationes ab Abraham usque ad Joseph et usque ad ipsius Christi nativitatem, descendendo commemoravit ab initio Evangelii sui: Lucas autem non ab initio Evangelii sui, sed a baptismo Christi, generationes enarrat, nec descendendo, sed ascendendo, tanquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans; ubi eum vox de cælo declaravit, ubi testimonium Joannes ipsi perhibuit, dicens, *Ecce qui tollit peccata mundi* (Joan. I, 29). Ascendende autem transit et Abraham, et pervenit ad Deum, cui mundati et expiati reconciliamur. Merito et adoptionis originem ipse suscepit, quia per adoptionem efficimur filii Dei, credendo in filium Dei. Per carnalem vero generationem Filius Dei potius propter nos filius hominis factus est. Satis autem demonstravit non se ideo dixisse, Joseph filium Heli, quod de illo genitus, sed quod ab illo fuerat adoptatus; cum et ipsum Adam filium Dei dixit, cum sit factus a Deo, sed per gratiam quam postea peccando amisit, tanquam filius in paradiso constitutus sit.

12. Quapropter in generationibus Matthæi, significatur nostrorum susceptio peccatorum a Domino Christo: in generationibus autem Lucae, significatur abolitio nostrorum peccatorum a Domino Christo. Ideo eas ille descendens enarrat, iste ascendens. Quod enim dicit Apostolus, *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*; hæc est susceptio peccatorum: quod autem addit, *Ut de peccato damnaret peccatum in carne* (Rom. VIII, 3); hæc est expiatio peccatorum. Proinde Matthæus ab ipso David per Salomonem descendit, in cujus matre ille peccavit (II Reg. XI, 4): Lucas vero ad ipsum David per Nathan ascendit; per quem prophetam Deus peccatum illius



expiavit (II Reg. xii, 1-11) (a). Ipse quoque numerus quem Lucas exsequitur, certissime prorsus abolitionem indicat peccatorum. Quia enim Christi aliqua iniquitas, qui nullam habuit, non est utique conjuncta iniquitatibus hominum, quas in sua carne suscepit; ideo numerus penes Matthæum, excepto Christo, est quadragenarius. Quia vero justitiæ suæ Patrisque nos expiatis ab omni peccato purgatosque conjungit, ut fiat quod ait Apostolus, *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est* (I Cor. vi, 17); ideo in eo numero qui est penes Lucam, et ipse Christus a quo incipit enumeratio, et Deus ad quem pervenit, connumerantur, et sit numerus septuaginta septem, quo significatur omnium prorsus remissio et abolitio peccatorum. Quam etiam ipse Dominus per hujus numeri mysterium evidenter expressit, dicens remittendum esse peccati, non solum septies, sed etiam septuagies septies (Matth. xviii, 22).

13. Nec frustra iste numerus ad peccatorum omnium pertinet mundationem, si diligentius inquiratur. Denarius quippe tanquam justitiæ numerus in decem præceptis Legis ostenditur. Porro peccatum est Legis transgressio; et utique transgressio denarii numeri congruenter undenario figuratur: unde et vela cilicina jubentur in tabernaculo undecim fieri (Exod. xxvi, 7); quis autem dubitet ad peccati significationem cilicium pertinere? Ac per hoc quia universum tempus septenario dierum numero volvitur, convenienter undenario septies multiplicato ad numerum septuagesimum et septimum cuncta peccata perveniunt. In quo numero etiam sit plena remissio peccatorum, expiante nos carne sacerdotis nostri, a quo nunc iste numerus incipit; et reconciliante nos Deo, ad quem nunc iste numerus pervenit per Spiritum sanctum, qui in columbæ specie in hoc baptismo, ubi numerus iste commemoratur, apparuit (Luc. iii, 22).

CAPUT V. — *Quomodo Matthæi ordini congruat ordo Lucæ in his quæ de conceptu et de infantia vel pueritia Christi alius prætermittit, alius commemorat.*

14. Post enumeratas generationes Matthæus ita sequitur: *Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata matri ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Hoc quemadmodum factum sit, quod hic prætermisit, Lucas exposuit post commemoratum conceptum Joannis, ita narrans: In mense autem sexto missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum vidisset<sup>1</sup>, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum:*

<sup>1</sup> Editi hic et infra, *audisset*. At plerique et melioris notæ Mss. constanter habent, *vidisset*; juxta græcum textum, *ἰδέθησα*.

(a) v. retract. cap. 16.

*hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur; et dicitur illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur sanctum<sup>1</sup>, vocabitur Filius Dei; et cætera, quæ ad id quod nunc agitur non pertinent. Hoc ergo Matthæus commemoravit dicens de Maria, *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*: nec contrarium est quia Lucas exposuit id quod Matthæus prætermisit; cum de Spiritu sancto Mariam concepisse uterque testetur: sicut non est contrarium quia Matthæus deinceps connectit quod Lucas prætermittit. Sequitur enim, et dicit Matthæus: *Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut impleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem, Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabitur<sup>2</sup> nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Exurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini; et accepit conjugem suam: et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum; et vocavit nomen ejus Jesum. Cum ergo natus esset Jesus in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis, et cætera.**

15. De civitate Bethleem Matthæus Lucasque consentiunt: sed quomodo et qua causa ad eam venerint Joseph et Maria, Lucas exponit, Matthæus prætermittit. Contra, de Magis ab Oriente venientibus Lucas tacet, Matthæus dicit, ita contextens: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est; et cætera, usque ad eum locum, ubi scriptum est de ipsis Magis quod responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Hoc totum Lucas prætermittit, sicut Matthæus non narravit quod Lucas narrat, in præsepi positum Dominum; et quod pastoribus eum natum angelus nuntiaverit; et quod multitudo militiæ cælestis facta est cum angelo laudantium Deum; et quod venerunt pastores, et viderunt verum esse quod eis angelus nuntiaverat; et quod die circumcisionis suæ nomen acceperit; et quæ post impletos dies purgationis Mariæ idem Lucas narrat, quod attulerint eum ad Jerusalem, et de Simeone vel*

<sup>1</sup> In editis, *ex te sanctum*. Abest, *ex te*, a tribus Vaticanis Mss. et a Callicanis plerisque, nec in græco textu habetur.

<sup>2</sup> Editi, *vocabitur*. At Mss., *vocabunt*: excepto Audoenensi, qui habet, *vocabis*. Sic in græcis exemplaribus varie legitur, *καλεσούσιν* et *καλεσει*.

Anna, quæ dixerint de illo in templo, posteaquam cognoverunt eum impleti Spiritu sancto : omnia hæc tacet Matthæus.

16. Unde merito quæritur quando facta sint, sive quæ Matthæus prætermittit et Lucas dicit, sive quæ Lucas prætermittit et Matthæus dicit. Quandoquidem Matthæus, regressis in regionem suam Magis qui venerant ab Oriente, sequitur et narrat, Joseph ab angelo admonitum ut cum infante in Ægyptum fugeret, ne ab Herode necaretur; deinde Herodem illo non invento, a bimatu et infra pueros occidisse: defuncto autem Herode rediisse ab Ægypto, et audito quod Archelaus in Judæa regnaret pro Herode patre suo, habitasse cum puero in Galilææ civitate Nazareth: quæ omnia Lucas tacet. Nec ideo contrarium videri potest, quod vel hic dicit quæ ille prætermittit, vel ille commemorat quæ iste non dicit. Sed quæritur quando fieri potuerint quæ contexit Matthæus de protectione in Ægyptum atque inde regressione post Herodis mortem, ut jam in civitate Nazareth habitarent, quo eos Lucas, posteaquam perfecerunt in templo circa puerum omnia secundum Legem Domini, reversos esse commemorat. Hic proinde cognoscendum est quod deinceps ad cætera talia valeat, ne similiter moveant animumque conturbent, sic unumquemque Evangelistam contextero narrationem suam, ut tanquam nihil prætermittentis series digesta videatur: tacitis enim quæ non vult dicere, sic ea quæ vult dicere, illis quæ dicebat adjungit, ut ipsa continuo sequi videantur: sed cum alter ea dicit quæ alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat locum ubi ea potuerit, a quo prætermissa sunt, transilire, ut ea quæ dicere intenderat ita superioribus copularet. tanquam ipsa nullis interpositis sequerentur. Ac per hoc intelligitur Matthæus, ubi ait somnio admonitos Magos ne redirent ad Herodem, et per aliam viam regressos in regionem suam; illic prætermisisse quæ Lucas narravit gesta circa Dominum in templo, et dicta a Simeone et Anna: ubi rursus Lucas prætermittens protectionem in Ægyptum, quam narrat Matthæus, tanquam continuam contexit regressionem ad civitatem Nazareth.

17. Si quis autem velit unam narrationem ex omnibus, quæ de Christi nativitate et infantia vel pueritia in utriusque narratione ab alterutro seu dicuntur seu prætermittuntur, ordinare sic potest: *Christi autem generatio sic erat (Matth. 1, 18). Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: et uxor illi de filiabus Aaron, et women ejus Elisabeth. Erant autem justiambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis. Factum est autem cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret ingressus in templum Domini: et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi angelus Domini, stans a dextris altaris incensi: et Zacharias turbatus*

*est videns, et timor irritus super eum. At autem ad illum angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exsultata est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem: et erit gaudium tibi, et exsultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt: erit enim magnus coram Domino: et vinum et siceram non bibit; et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum: et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filias, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. Et respondens angelus dixit ei: Ego sum Gabriel qui adsto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare: et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs expectans Zachariam, et mirabantur quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos, et cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus. Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam. Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens: Quia sic mihi fecit Dominus in diebus, quibus respecti auferre opprobrium meum inter homines. In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum vidisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratium apud Deum: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus, et filius Altissimi, vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei: et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua; et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus. Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda: et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus; et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in*

auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo : et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus in progenies et progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mens cordis sui. Deposuit potentes de sede, et exultavit humiles. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, memorari misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam (Luc. 1, 5, 36) : et inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini in somniis apparuit ei dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Exurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam : et non cognoscebat eam (Matth. 1, 18-25). Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris ejus Zachariam. Et respondens mater ejus, dixit : Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuent autem patri ejus quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens : Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum; et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes : Quid putas puer iste erit? Etenim manus Domini erant cum illo. Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu sancto, et prophetavit, dicens : Benedictus Dominus, Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui san-

<sup>1</sup> Unus e Colbertinis Mss. : *quis*? Alii codices, *quis*? et sic in antiquis Corb. biblis; nempe quia græce est, *ti*, neutro genere concordans cum voce, *io paterem*, quæ puerum significat.

cti. Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi, in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis : præbis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum. Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Illuminare iis qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu; et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est præside<sup>1</sup> Syriæ Syriano. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret : et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit; et reclinavit eum in præsepio; quia non erat eis locus in diversorio. Et pastores erant in eadem regione vigilantes et custodientes vigiliis noctis supra gregem suum : et ecce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timerunt timore magno. Et dixit illis angelus : Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum : invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum est ut discesserunt ab eis angeli in cælum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt, et de iis quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos. Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur (Luc. 1, 57, 11, 21). Et ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et Scribas populi,

<sup>1</sup> In aliquot Mss. et editione Ratisponensi, a præside. Apud Er. et Lov., sub præside. sed in pluribus et melioris notæ Mss. absque præpositione est, *præside*; id est, præsidem agente, juxta græc., *ἐγεμονεύοντος*.

sciscilabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei, In Bethleem Juda: sic enim scriptum est per prophetam, Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiit dux qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis. Et mittens eos in Bethleem dixit: Ite, et interrogate diligenter de puero; et cum inveneritis renuntiatis mihi, ut et ego veniens adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt: et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedit eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus: et procidentes adoraverunt eum; et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam regressi sunt in regionem suam (Matth. II, 1-12). Qui cum recessissent, posteaquam impleti sunt dies purgationis matris ejus, secundum Legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino: sicut scriptum est in Lege Domini, Quia omne masculinum adaperiens rulturam, sanctum Domino vocabitur. Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in Lege Domini, par turturam, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo: et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini: et venit in Spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo, et ipse accepit eum in amplexus suos, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. Et erant pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illos Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur; et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phanael de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua; et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de illis omnibus qui expectabant redemptionem Jerusalem<sup>1</sup>. Et ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini (Luc. II, 22-39), ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi; futurum est enim ut He-

rodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui surgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et recessit in Ægyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem, ex Ægypto vocavi filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde: et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari quia non sunt. Defuncto autem Herode, ecce apparuit angelus Domini in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui surgens accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire. Et admonitus in somnis, recessit in partes Galilææ: et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, Quoniam Nazareus vocabitur (Matth. II, 13-23). Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemnium Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis in Jerusalem secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter dii, et requirebant eum inter cognatos et notos. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem requirentes eum. Et factum est post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui audiebant eum, super prudentiam et responsis ejus. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo<sup>1</sup>. Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines (Luc. II, 40-52).

CAPUT VI. — De ordine prædicationis Joannis Baptistæ inter omnes quatuor.

18. Jam hinc de prædicatione Joannis narrari incipit, quam omnes quatuor commemorant. Nam et Matthæus post illa verba, quæ ultima ejus posui, ubi commemoravit ex propheta testimonium, Quoniam Nazareus vocabitur, sequitur et adjungit: In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, etc. (Matth. III, 1). Et Marcus qui nihil de natiuitate vel infantia vel pueritia Domini narravit, hinc Evangelii sumpsit initium, id est, a Joannis prædicatione. Sic enim exorsus est: Initium Evangelii Jeru-

<sup>1</sup> Editi, redemptionem Israel. At Mss. magno consensu ferunt, redemptionem Jerusalem: quibuscum etiam concordat vetustissimus Bihliorum codex Corbeiensis. Porro in græco textu est, Introin en Ierousalem, redemptionem in Jerusalem, addita præpositione in, quæ propter in præcedentibus litteræ concursum facile exciderit librariæ incuria.

<sup>1</sup> Editi: confers in corde suo. Abst confrens 2 Mss.

*Christi filii Dei : sicut scriptum est in Isaiâ propheta, Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facile semitas ejus. Fuit Joannes in deserto baptizans et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, etc. (Marc. i, 1-4).* Et Lucas post verba ubi ait, *Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines, de Joannis prædicatione jam sequitur dicens : Anno autem quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caïpha, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto, etc. (Luc. iii, 1, 2).* Joannes quoque apostolus in Evangelistis quatuor eminentissimus, posteaquam dixit de Verbo Dei, qui est ipse Filius ante omnia sæcula creaturæ, quia omnia per ipsum facta sunt, intulit continuo de Joannis prædicatione ac testimonio dicens : *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes (Joan. i, 6).* Unde jam videndum est, de ipso Joanne Baptista quatuor Evangelistarum narrationes quemadmodum inter se non discordent : non ut hoc a nobis per omnia requiratur aut exigatur, quod modo fecimus de primordiis nati ex Maria Christi, quemadmodum inter se Matthæus Lucasque consentiant, ut ex utriusque narratione unam faceremus, demonstrantes tardioribus quemlibet eorum commemorando quod alter tacet, vel tacendo quod alter commemorat, non impedire intellectum veracis narrationis alterius ; ut hoc exemplo, sive ut a me factum est, sive alio modo commodius fieri possit, videat unusquisque et in cæteris talibus locis fieri posse quod hic factum esse perspexerit.

19. Jam ergo, ut dixi, videamus quatuor Evangelistarum de Baptista Joanne consensum. Matthæus ita sequitur : *In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ.* Marcus non dixit, *In diebus illis* ; quia nullam seriem rerum ante præmiserat, in quarum rerum diebus intelligeretur dicere, si diceret, *In illis diebus.* Lucas autem per potestates terrenas signantius ipsa tempora expressit prædicationis vel baptismi Joannis dicens : *Anno autem quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caïpha, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto.* Nec tamen intelligere debemus hos dies, id est hoc tempus harum potestatum, significasse Matthæum cum diceret, *In diebus illis* ; sed in multo longioris temporis spatio voluisse accipi, quod ait, *In diebus illis.* Mox enim ut narravit reversum de Ægypto Christum mortuo Herode ; quod utique tempore infantie vel pueritiæ ejus factum est, ut possit constare quod Lucas de illo, cum duodecim annorum esset, gestum narravit in templo Jerusalem (Luc. ii, 42-50) : cum ergo infantem vel puerum ex Ægypto revocatum commemorasset

Matthæus, continuo intulit, *In diebus autem illis venit Joannes Baptista,* non utique tantummodo pueritiæ illius dies insinuans, sed omnes dies ab ejus nativitate usque ad tempus quo prædicare ac baptizare cepit Joannes, quo jam tempore Christi juvenilis <sup>1</sup> ætas invenitur ; quia coævi erant ipse et Joannes, et triginta ferme annorum narratur fuisse cum ab illo baptizatus esset.

#### CAPUT VII. — *De duobus Herodibus.*

20. Sed plane de Herode solet movere nonnullos quod Lucas narravit, in diebus baptismi Joannis Herodem fuisse tetrarcham Galilææ, quando etiam Dominus juvenis baptizatus est (Luc. iii, 1-21) ; Matthæus autem, mortuo Herode, dicit puerum Jesum ab Ægypto remeasse : quod utrumque verum esse non potest, nisi duo fuisse intelligantur Herodes. Quod cum fieri potuisse nemo nesciat, qua cæcitate insaniant, qui procliviores sunt ad calumniandum eyangelicæ veritati, quam paululum consideratioribus, ut duos homines eodem vocabulo appellatos intelligant ? cujus rei exemplis plena sunt omnia. Nam iste posterior Herodes prioris Herodis filius fuisse perhibetur ; sicut Archelaus, quem Matthæus in Judææ regnum patri mortuo successisse commemorat (Matth. ii, 19-22) ; sicut Philippus, quem fratrem tetrarchæ Herodis et ipsum Ituræ tetrarcham Lucas insinuat. Rex enim fuit Herodes ille qui quærebat animam pueri Christi ; Herodes autem alius filius ejus, non rex, sed tetrarcha dictus est, quod nomen præcum a parte regni quarta inditum resonat.

CAPUT VIII. — *Quomodo Matthæus dicat timuisse Joseph ire cum infante Christo in Jerusalem, propter Archelaum ; et non timuisse ire in Galilæam, ubi erat tetrarcha Herodes frater ejus.*

21. Nisi forte hinc rursus quispiam moveatur, cum Matthæus dixerit ideo timuisse Joseph cum puero redeunte ire in Judæam, quia pro patre suo Herode Archelaus filius ejus ibi regnabat ; quomodo potuerit ire in Galilæam, ubi alius filius ejus Herodes tetrarcha erat, sicut Lucas testatur. Quasi vero ipsa sint tempora, quibus tunc puero timebatur, quæ nunc Lucas commemoravit, quæ usque adeo mutata erant, ut in ipsa Judæa non jam rex esset Archelaus, sed Pontius Pilatus, qui non rex Judæorum, sed præses erat : cujus temporibus agentes sub Tiberio Cæsare filii majoris Herodis, non regnum habebant, sed tetrarchiam. Quod utique nondum factum erat, quando Joseph timens Archelaum in Judæa regnantem, se in Galilæam cum puero contulit, ubi et civitas ejus erat Nazareth.

CAPUT IX. — *Quomodo dicat Matthæus ideo isse in Galilæam Joseph cum infante Christo quia timuit Archelaum pro suo patre regnantem in Jerusalem ; cum Lucas dicat ideo isse in Galilæam, quia ibi erat Nazareth civitas eorum.*

22. An forte et hoc movet, quomodo dicat Matthæus, propterea cum puero Jesu parentes ejus isse in Galilæam, quia metu Archelai in Judæam ire noluerunt ; cum propterea magis isse in Galilæam videantur,

<sup>1</sup> Mss., *juvenalis ætas.* Sic passim pro, *juvenilis.*

quia civitas eorum erat Nazareth Galilææ, sicut Lucas non tacuit? Sed intelligendum est, ubi angelus in somnis in Ægypto dixit ad Joseph, *Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel*, sic intellectum esse primo a Joseph, ut putaret jussum se esse pergere in Judæam; ipsa enim primitus intelligi potuit terra Israel: porro autem posteaquam comperit illic regnare filium Herodis Archelaum, noluit obijcere se illi periculo, cum posset terra Israel etiam sic intelligi, ut et Galilæa illic deputaretur, quia et ipsam populus Israel incolebat. Quanquam et alio modo solvi possit hæc quæstio, quia potuit videri parentibus Christi cum puero, de quo talia per angelica responsa cognoverant, non esse habitandum nisi in Jerusalem, ubi erat templum Domini; et propterea redeuntes ex Ægypto, illuc eos ituros fuisse, et illic habituros, nisi Archelai præsentia terrerentur. Neque enim divinitus jubebantur ibi habitare, ut de Archelao quod timebant deberent continere.

CAPUT X. — *Quomodo Lucas dicit, ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemnium Paschæ cum illo puero; cum dicat Matthæus quod metu Archelai timuerint illum ire ab Ægypto redeuntes.*

23. An et hoc aliquis dicit: Quomodo ergo, sicut Lucas narrat, ibant parentes ejus per omnes annos pueritiae Christi in Jerusalem, si Archelai timore illum prohibebantur accedere? Hoc mihi dissolvere non esset difficile, nec si aliquis Evangelistarum expressisset, quamdiu ibi regnaret Archelaus. Fieri enim poterat ut per diem festum inter tam ingentem turbam latenter ascenderent, mox reversuri, ubi tamen aliis diebus habitare metuerent: ut nec solemnitate prætermissa essent irreligiosi, nec continua mansione conspicui. Cum vero etiam de regno Archelai quam fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iste quoque intellectus patet, ut quod Lucas dicit per omnes annos eos ascendere solitos in Jerusalem (*Luc. 11, 41*), tunc accipiamus factitatum, cum jam non timeretur Archelaus. Quod si Archelai regnum aliquanto diuturnius ulla præter Evangelium prodit historia, cui fides habenda videatur; illud quod superius dixi suffecerit, quod ita timebant parentes pueri habitationem in Jerusalem, ut tamen propter Dei timorem festivitatem solemnem non prætermitterent, in qua latere facillime possent: neque enim incredibile est, captatis temporibus opportunis vel dierum vel horarum, accedere homines ad ea loca in quibus esse formidant.

CAPUT XI. — *Quomodo potuerint, completis diebus purgationis matris Christi, sicut Lucas dicit, ascendere cum illo in templum ad peragenda solemnia, si secundum Matthæum jam Herodi, per Magos notum erat eum natum, pro quo, cum eum quæreret, tot occidit infantes.*

24. Hinc etiam illa solvitur quæstio, si aliquem movet, cum jam sollicitus esset ille major Herodes percussus Magorum nuntio, quod rex Judæorum natus fuisset, quomodo potuerint completis diebus purgationis matris ejus tuto cum illo ascendere in templum, ut fierent circa eum secundum Legem Domini

quæ Lucas commemorat. Quis enim non videat, etiam illum unum diem regem multis occupatum latere potuisse? Si autem illud verisimile non videtur, quod Herodes qui valde sollicitus expectabat, quid sibi Magi de puero renuntiarent, post tam multos dies se sensit illusum, ut transacto tempore purgationis matris ejus, et peracta circa infantem solemnitate primogenitorum in templo Jerusalem, post etiam projectionem eorum in Ægyptum, in mentem illi venerit quærere animam pueri, et necare tot parvulos: si hoc ergo movet, omitto dicere quot et quantis occupationibus regia cura distendi potuerit, et per plurimos dies ab illa intentione vel averti omnino, vel impediri. Neque enim enumerari possunt causæ quibus hoc potuerit accidere; quas tamen multas et maguas esse potuisse nemo ita rerum humanarum inexpertus est, ut aut neget, aut dubitet. Cujus enim cogitationi non occurrat, quam multa alia terribiora regi nuntiari potuerint seu vera seu falsa, ut qui regem infantem post aliquot annos sibi vel filiis suis adversaturum timuerat, aliquorum magis propinquantium periculorum terroribus agitatus, ab illa cura mentem abreptam in aliis proxime cavendis potius occuparet? Ut ergo hæc omittam, illud dico, posteaquam nihil Herodi Magi renuntiaverunt, eum credere potuisse, illos fallaci stellæ visione deceptos, posteaquam non invenerunt quem natum putaverant, erubuisse ad se redire, atque ita eum timore depulso ab inquirendo ac persequendo puero quievisse. Cum ergo post purgationem matris ejus in Jerusalem cum illo venissent, et ea gesta essent in templo, quæ a Luca narrantur (*Luc. 11, 22-39*), quia verba Simeonis et Annæ de illo prophetantium, cum cœpissent ab eis qui audierant prædicari, ad pristinam intentionem revocatura erant animum regis, admonitus per somnium Joseph cum infante et matre ejus fugit in Ægyptum. Deinde vulgatis rebus, quæ in templo factæ dictæque fuerant, Herodes se a Magis sensit illusum; ac deinde ad Christi mortem cupiens pervenire, multos infantes, sicut Matthæus narrat, occidit (*Matth. 11, 3-16*).

CAPUT XII. — *De verbis Joannis inter omnes quatuor.*

25. Matthæus vero de Joanne ita contextit: *In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum. Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (*Id. m, 1-3*). Marcus quoque et Lucas consentiunt hoc Isaïæ testimonium esse de Joanne (*Marc. 1, 3, et Luc. 11, 4*). Nam plura verba etiam consequentia ex eodem propheta Lucas commemoravit, cum de Baptista Joanne narraret. Joannes autem evangelista ipsum Joannem Baptistam de seipso idem testimonium Isaïæ protulisse commemorat (*Joan. 1, 23*): sicut nunc Matthæus dixit quedam Joannis verba, quæ alii non dixerunt. *Prædicans, inquit, in deserto Judææ, et dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum: hæc verba Joannis alii prætermiserunt. Jam vero quod sequitur Matthæus et adjungit,*

*Ille est enim qui dictus est per prophetam Isaiam dicentem: Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus, ambigue positum est, nec elucet utrum ex persona sua idem Matthæus hoc commemoraverit, an adhuc verba ejusdem Joannis servatus adjunxerit, ut totum hoc Joannes dixisse intelligatur, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum: hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam, et cœtera. Neque enim hoc movere debet quia non ait, Ego sum enim, qui dictus sum per Isaiam prophetam; sed ait, Hic est enim, qui dictus est. Solet quippe esse talis locutio<sup>1</sup> et ipsorum Evangelistarum Matthæi et Joannis. Nam et Matthæus dixit, Invenit hominem sedentem in telonio (Math. ix, 9); nec dixit, Invenit me: et Joannes, Hic est, inquit, discipulus qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc; et scimus quia verum est testimonium ejus (Joan. xxi, 24); non dixit, Ego sum, aut, Verum est testimonium meum. Dominus autem ipse sæpissime dicit, Filius hominis (Math. ix, 6, et xvi, 27), aut Filius Dei (Joan. v, 25); et non dicit, Ego: et, Oportebat, inquit, Christum pati et resurgere a mortuis tertio die (Luc. xxiv, 46); non ait, Oportebat me pati. Potuit ergo et Joannes Baptista, cum dixisset, Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum, de seipso adjungere quæ sequuntur, Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam, etc., ut post verba ejus Matthæus ita narrationem contexat, Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, etc. Quod si ita est, non mirum si et interrogatus quid diceret de seipso, sicut narrat Joannes Evangelista, Ego, ait, vox clamantis in deserto (Joan. i, 25); sicut jam dixerat, præcipiens ut agerent pœnitentiam. De vestitu ergo ejus et victu ita Matthæus sequitur, dicens: Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos ejus. Esca autem ejus erat locustæ et mel silvestre. Hoc et Marcus dicit pene totidem verbis, cæteri autem duo tacent.*

26. Sequitur ergo Matthæus, et dicit: *Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnia Judæa, et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur in Jordane aë eo, confitentes peccata sua. Videns autem multos Phariseorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a futura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ: et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potest Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ. Jam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni: cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit trituum suum in horreum, pileas autem comburet igni inextinguibili. Hæc omnia dicit et Lucas, eadem pene verba Joannis exprimens. Et ubi aliquid varium est in verbis, ab eadem tamen*

sententia non receditur: velut cum dicit Matthæus Joannem dixisse, *Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham*; ille autem, *Et ne cæperitis dicere, Patrem habemus Abraham*. Iste, *Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam*; ille interponit interrogationem turbarum, quid facerent, et eis respondentem Joannem de bonis operibus, tanquam de fructibus pœnitentiæ, quod Matthæus omisit: deinde in cordibus suis cogitantibus de illo utrum ipse esset Christus eum dicit respondisse, *Ego quidem aqua baptizo vos*; non dixit, in pœnitentiam. Deinde Matthæus, *Qui autem, inquit, post me venturus est, fortior me est*: ille vero, *Venit autem, inquit, fortior me*. Item Matthæus, *Cujus non sum, inquit, dignus calceamenta portare*: ille autem, *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus*. Quod et Marcus dicit, cum cætera taceat: nam post commemoratum habitum et victum ejus, secutus ait, *Et prædicabat dicens: Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto*. De calceamentis ergo hoc a Luca distat, quod addidit, *procumbens*. De baptismo autem hoc ab utroque, quia non dixit, *et igni*, sed tantum, *in Spiritu sancto*. Sicut enim Matthæus, ita et Lucas dixit, et eodem ordine, *Ipse vos baptizabit in Spiritu et igni*: nisi quod Lucas non addidit, *sancto*, (a), sicut Matthæus dixit, *in Spiritu sancto et igni* (Math. iii, 3-12, Marc. i, 6 8, et Luc. iii, 7 17). His tribus attestatur Joannes evangelista, cum dicit: *Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens, Hic erat quem dixi, Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat* (Joan. i, 15). Sic enim ostendit, tunc eum hoc dixisse, quando eum illi dixisse commemorant; repetisse autem et commemorasse quod jam dixisset, cum ait, *Hic erat quem dixi, qui post me venit*.

27. Si ergo quaeritur quæ verba potius Joannes Baptista dixerit, utrum quæ Matthæus, an quæ Lucas eum dixisse commemorat, an quæ Marcus in ipsis paucis quæ illum dixisse posuit, tacens cætera; nullo modo hinc laborandum esse judicat, qui prudenter intelligit ipsas sententias esse necessarias cognoscendæ veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatæ. Quod enim alius alium verborum ordinem tenet, non est utique contrarium. Neque illud contrarium est, si alius dicit quod alius prætermittit. Ut enim quisque menauerat, et ut cuique cordi erat vel brevius vel prolixius, eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est.

28. Et in hoc satis apparet quod ad rem maxime pertinet, quoniam veritas Evangelii, verbo Dei, quod supra omnem creaturam æternum atque incommutabile permanet, per creaturam temporalibus signis et linguis hominum dispensato, summum culmen auctoritatis obtinuit; non nos debere arbitrari mentiri quemquam, si pluribus rem quam audierunt vel viderunt reminiscuntibus, non eodem modo atque eisdem verbis, eadem tamen res fuerit indicata; aut sive nu-

<sup>1</sup> Sic Mss. et Gal. At Fr. et Lov., esse quasi de altis acutis.

(a) Nunc tamen Lucas in Bibliis græcis et in latinis habet additum, *sancto*.

tetur ordo verborum, sive alia pro aliis quæ tamen idem valeant verba proferantur; sive aliquid vel quod recordanti non occurrit, vel quod ex aliis quæ dicuntur possit intelligi, minus dicatur; sive aliorum quæ magis dicere statuit narrandorum gratia, ut congruus temporis modus sufficiat, aliquid sibi non totum explicandum, sed ex parte tangendum quisque suscipiat; sive ad illuminandam declarandamque sententiam, nihil quidem rerum, verborum tamen aliquid addat, cui auctoritas narrandi concessa est; sive rem bene tenens non assequatur, quamvis id conetur, memoriter etiam verba quæ audivit ad integrum enuntiare. Quisquis autem dicit Evangelistis certe per Spiritus sancti potentiam id debuisse concedi, ut nec in genere verborum, nec in ordine, nec in numero discrepent; non intelligit, quanto amplius Evangelistarum excellit auctoritas, tanto magis per eos fuisse firmendam cæterorum hominum vera loquentium securitatem: ut pluribus eandem rem forte narrantibus, nullo modo quisquam eorum de mendacio recte arguatur, si ab altero ita discrepaverit, ut possit etiam Evangelistarum exemplo præcedente defendi. Cum enim fas non sit, Evangelistarum aliquem mentitum fuisse, vel existimare vel dicere; sic apparebit nec eum fuisse mentitum, cui recordanti tale aliquid acciderit, quale illis accidisse monstratur. Et quanto magis ad mores optimos pertinet cavere mendacium, tanto magis tam eminente auctoritate regi debebamus, ne putaremus esse mendacia, cum sic inter se variari aliquorum narrationes inveniremos, ut inter Evangelistas variatæ sunt. Simul etiam, quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intelligeremus non tam verborum quam rerum querendam vel amplectendam esse veritatem, quando eos qui non eadem locutione utuntur, cum rebus sententiisque non discrepant, in eadem veritate constituisse approbamus.

29. Quid ergo in his quæ de narrationibus Evangelistarum collata proponi, putandum est esse contrarium? An quod alius dixit, *cujus non sum dignus calceamenta portare*; alii vero, *corrigiam calceamenti solvere*? Non enim verbis, aut verborum ordine, aut aliquo genere locutionis, sed etiam re ipsa videtur aliud esse calceamenta portare, aliud corrigiam calceamenti solvere. Merito ergo queri potest quid Joannes dixerit non se dignum esse; utrum calceamenta portare, an corrigiam calceamenti solvere. Si enim alterum horum dixit, ille verum videtur narrasse qui hoc potuit narrare quod dixit; qui autem aliud, etsi non est mentitus, certe vel oblitus, aliud pro alio dixisse putabitur. Omnem autem falsitatem abesse ab Evangelistis decet, non solum eam quæ mentiendo promitur, sed etiam eam quæ obliviscendo. Itaque si ad rem pertinet, aliquid aliud intelligere ex eo quod dictum est, *calceamenta portare*; et aliquid aliud ex eo quod dictum est, *corrigiam calceamenti solvere*: quid aliud accipiendum recte existimaveris, nisi Joannem utrumque dixisse, sive aliud alio tempore, sive contextim? Potuit enim sic dicere, *Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, nec calceamenta portare*;

ut unus Evangelistarum hinc aliud, alii vero aliud, omnes tamen verum narraverint. Si autem nihil intendit Joannes, cum de calceamentis Domini diceret, nisi excellentiam ejus et humilitatem suam; quodlibet horum dixerit, sive de solvenda corrigia calceamentorum, sive de portandis calceamentis, eandem tamen sententiam tenuit, quisquis etiam verbis suis per calceamentorum commemorationem eandem significationem humilitatis expressit, unde ab eadem voluntate non aberravit. Utilis igitur modus et memorie maxime commendandus, cum de convenientia dicimus Evangelistarum, non esse mendacium, cum quisque etiam dicens aliquid aliud quod etiam ille non dixit de quo aliquid narrat, voluntatem tamen ejus hanc explicat, quam etiam ille qui ejus verba commemorat. Ita enim salubriter discimus, nihil aliud esse querendum, quam quid velit ille qui loquitur.

#### CAPUT XIII. — De baptizato Jesu.

30. Sequitur ergo Matthæus, et dicit: *Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo: Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Respondens autem Jesus, dicit ei: Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum. Attestantur et cæteri venisse Jesum ad Joannem. Baptizatum autem tres commemorant: sed tacent quod Matthæus ait, dixisse Domino Joannem, vel Joanni Dominum respondisse (Matth. iii, 13-15, Marc. i, 9; Luc. iii, 21, et Joan. i, 32-34).*

#### CAPUT XIV. — De verbis vocis factæ de cælo super baptizatum.

31. Deinde sequitur Matthæus: *Baptizatus autem confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Hoc et alii duo, Marcus et Lucas, similiter narrant: sed de verbis vocis quæ de cælo facta est, variant locutionem, salva tamen sententia. Quod enim Matthæus ait dictum, *Hic est Filius meus dilectus*, et alii duo dicunt, *Tu es Filius meus dilectus*, ad eandem sententiam explicandam valet, sicut superius tractatum est. Vox enim cælestis unum horum dixit, sed Evangelista ostendere voluit ad id valere quod dictum est, *Hic est Filius meus*, ut illis potius qui audiebant indicaretur quod ipse esset Filius Dei, atque ita dictum referre voluit, *Tu es Filius meus*, ac si diceretur illis, *Hic est Filius meus*. Non enim Christo indicabatur quod sciebat: sed audiebant qui aderant, propter quos etiam ipsa vox facta est. Jam vero quod alius dicit, *in quo mihi complacui*; alius, *in te complacui*, alius, *in te complacuit mihi* (Matth. iii, 16, 17; Marc. i, 10, 11, et Luc. iii, 22): si queris quid horum in illa voce sonuerit, quodlibet accipe, dummodo intelligas eos qui non eandem locutionem retulerunt, eandem retulisse sententiam. Quæ diversitas locutionum ad hoc etiam utilis est, ne uno modo dictum minus intelligatur, et aliter quam res se habet, interpretetur. Quod enim dictum est, *in quo mihi comple-**



cui, si velit quis ita intelligere, ut Deus in Filio sibi placuisse videatur; admonetur ex eo quod dictum est, *in te complacui*. Si rursus ex hoc uno intelligat quisque, in Filio Patrem placuisse hominibus; admonetur ex eo quod dictum est, *in te complacuit mihi*. Ex quo satis apparet, quilibet Evangelistarum cœlestis vocis etiam verba tenuerit, alios ad eandem sententiam familiariter explicandam verba variasse: ut intelligatur hoc dictum esse ab omnibus, tanquam diceretur, In te placitum meum constitui, hoc est, per te gerere quod mihi placet. Illud vero quod nonnulli cœdices habent secundum Lucam, hoc illa voce sonuisse quod in Psalmo scriptum est, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Psalm. 11, 7); quanquam in antiquioribus codicibus græcis non inveniri perhibeatur, tamen si aliquibus fide dignis exemplaribus confirmari possit, quid aliud quam utrumque intelligendum est quolibet verborum ordine de cœlo sonuisse?

CAPUT XV. — *Quomodo secundum Joannem Evangelistam dicat Joannes Baptista, Ego non noveram eum; cum secundum alios inveniat quod jam noverat eum.*

32. Quod autem secundum Joannem de columba dicitur, non quando factum est narratur, sed verba Joannis Baptistæ referuntur commemorantis quid viderit. In quo quæritur, quemadmodum dictum sit, *Et ego non noveram eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto* (Joan. 1, 33). Si enim tunc eum cognovit, cum columbam vidit descendentem super eum, quærendum est quomodo dixerit venienti ut baptizaretur, *Ego magis a te debeo baptizari* (Matth. 3, 14): hoc enim ei dixit antequam columba descenderet. Ex quo apparet, quamvis eum jam nosset (nam etiam in utero matris exsultavit, cum ad Elisabeth Maria venisset (Luc. 1, 41), aliquid tamen in eo quod nondum noverat, columbæ descensione didicisse, quod ipse scilicet baptizaret in Spiritu sancto propria quadam et divina potestate: ut nullus homo qui accepisset a Deo Baptismum, etiamsi aliquem baptizaret, posset dicere suum esse quod traderet, vel a se dari Spiritum sanctum.

CAPUT XVI. — *De tentato Jesu.*

33. Sequitur Matthæus, et dicit: *Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Scriptum est, Non in pane solo vivit homo<sup>1</sup>, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, etc. usque ad id quod dictum est, Tunc reliquit eum diabolus; et ecce Angeli accesserunt et ministrabant ei. Totum hoc similiter Lucas narrat, etsi non eodem ordine. Unde incertum est quid prius factum sit, utrum regna terræ prius demonstrata sint ei, et postea in*

pinnam templi levatus sit; an hoc prius, et illud postea. Nihil tamen ad rem, dum omnia facta esse manifestum sit: et quod aliis verbis easdem sententias Lucas explicat, non semper commendandum est quam nihil depereat veritati. Marcus autem attestatur quidem eum in deserto a diabolo esse tentatum quadraginta diebus et noctibus; sed tacet quid ei dictum sit, quidve responderit. Item quod Lucas prætermisit, iste non tacuit, quod Angeli ministrabant illi (Matth. 4, 1-11, Marc. 1, 12, 13, et Luc. 4, 1-13): Joannes vero totum istum locum prætermisit.

CAPUT XVII. — *De vocatione apostolorum piscantium.*

34. Sequitur narrans Matthæus, *Cum autem audisset quod Joannes traditus esset, recessit in Galilæam* hoc et Marcus dicit, et Lucas (Matth. 4, 12; Marc. 1, 14, et Luc. 4, 14); sed Lucas de Joanne tradito nihil hoc loco dicit. Joannes autem Evangelista, priusquam iret Jesus in Galilæam, dicit Petrum et Andream mansisse cum illo uno die, et tunc Petro nomen impositum, cum antea Simon vocaretur. Sequenti item die jam volentem exire in Galilæam, invenisse Philipum, et ei dixisse ut sequeretur eum: inde ventum est, ut etiam de Nathanaele narraret. Die autem tertio in Galilæa constitutum, fecisse illud in Cana de aquæ in vinum conversione miraculum (Joan. 1, 39-41, 41). Quæ omnia cæteri Evangelistæ prætermiserunt, id contextentes narrationibus suis, quod Jesus reversus in Galilæam sit: unde intelligitur fuisse interpositos aliquot dies, quibus illa de discipulis gesta sunt, quæ interponuntur a Joanne. Non est autem contrarium ei loco, ubi Matthæus narrat Dominum dixisse Petro, *Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam* (Matth. 16, 18). Neque enim hoc nomen tunc accepisse intelligendus est, sed tunc potius, quando ei Joannes dictum esse commemorat; *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (Joan. 1, 42): ut eum hoc nomine appellaret postea Dominus dicens, *Tu es Petrus*. Non enim ait, *Tu vocaberis Petrus, sed, Tu es Petrus*; quod ei jam dictum erat antea, *Tu vocaberis*.

35. Deinde contextit narrationem Matthæus, et dicit: *Et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Neptalim, et cætera, quousque sermo terminetur, quem habuit in monte. In quo contextu narrationis attestatur ei Marcus de discipulorum vocatione, Petri et Andream, et paulo post Jacobi et Joannis. Sed cum Matthæus continuo conjungeret narrationem prolixi illius sermonis quem in monte habuit, posteaquam multos curavit, et eum multæ turbæ secutæ sunt, Marcus interposuit alia, quia docebat eos in synagoga, et stupebant super doctrina ejus. Tunc ipse dixit, quod et Matthæus post illum prolixum sermonem, quia erat docens eos quasi potestatem habens, et non sicut Scribæ. Narravit etiam de homine a quo expulsus est immundus spiritus; deinde de opere Petri. In his autem Lucas ei consentit (Matth. 4, 13, 14, 29, Marc. 1, 16-31, et Luc. 4, 31-39): Matthæus vero de isto dæmonio ni-*

<sup>1</sup> Editio Rat. et unus e Cod. Mss. *vivet homo*; in futuro, *vixit* græcum *zesteti*: favente hebræo textu Deut. cap. 8, v. 3.

bil narravit; de socru autem Petri non tacuit, sed postea (*Math. viii, 14, 15*).

36. In hoc autem loco, quem nunc consideramus, idem Matthæus post vocationem discipulorum, quibus piscantibus jussit ut eum sequerentur, narrat eum circuisse Galilæam, docentem in synagogis, et prædicantem Evangelium, et sanantem omnem languorem; et collectis ad eum turbis, ascendisse in montem, et usum fuisse illo sermone prolixo. Dat ergo locum intelligendi, tunc facta esse qua: Marcus post electionem eorumdem discipulorum narrat, cum circumiret Galilæam, et doceret in synagogis eorum: tunc etiam de socru Petri: sed eum postea commemorasse quod prætermiserat, quamvis non omnia prætermissa in narrationem revocaverit.

37. Sane potest movere, quomodo Joannes dicat, non in Galilæa, sed juxta Jordanem, primo Andream secutum esse Dominum cum alio, cujus nomen taceatur, deinde Petrum ab illo nomen accepisse, tertio Philippum vocatum ut eum sequeretur: cæteri autem tres Evangelistæ de piscatione vocatos eos dicant satis inter se convenienter, maxime Matthæus et Marcus. Nam Lucas Andream non nominat, qui tamen intelligitur in ea navi fuisse secundum Matthæi et Marci narrationem, qui breviter hoc perstringunt, quemadmodum gestum sit: quod Lucas apertius explicavit, commemorans ibi etiam miraculum super captura piscium, et quod ex ipsa navi Dominus prius fuerit locutus ad turbas. Hoc etiam videtur distare, quod tantum Petro a Domino dictum commemorat, *Ex hoc jam homines eris captiens*; quod illi ambobus fratribus dictum esse narrarunt. Sed potuit utique prius hoc Petro dici, cum de capta ingenti multitudine piscium miraretur, quod Lucas insinuavit; et ambobus postea, quod illi duo commemoraverunt. Illud ergo quod de Joanne diximus, diligenter considerandum est: non enim parva repugnantia putari potest, cum et locorum plurimum intersit, et temporis, et ipsius vocationis. Nam si juxta Jordanem, antequam Jesus isset in Galilæam, ad testimonium Joannis Baptistæ secuti sunt cum duo, quorum erat unus Andreas, qui fratrem suum Simonem continuo adduxit ad Jesum, quando et nomen ut Petrus vocaretur accepit; quomodo ab aliis Evangelistis dicitur quod eos in Galilæa piscantes invenerit, atque ad discipulatum vocaverit (*Math. iv, 13-23; Marc. i, 16-20; Luc. v, 1-11, et Joan. i, 35-44*)? nisi quia intelligendum est, non sic eos vidisse tunc Dominum juxta Jordanem, ut ei jam inseparabiliter cohererent, sed tantum cognovisse quis esset, cumque miratos ad propria remeasse.

38. Nam et in Cana Galilæe cum fecisset de aqua vinum, dicit idem Joannes, quod crediderint in eum discipuli ejus. Quod ita narrat: *Et die tertio nuptiæ factæ sunt in Cana Galilæe, et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus et discipuli ejus ad nuptias* (*Joan. ii, 1, 2*). Qui utique si tunc in eum crediderunt, sicut paulo post dicit, nondum erant discipuli cum ad nuptias vocati sunt. Sed illo more locutionis hoc dictum est, quo loquimur, cum dicimus apostolum

Paulum in Tarso Ciliciæ natum (*Act. xxii, 3*): neque enim tunc jam erat apostolus. Ita discipulos Christi invitatos ad nuptias cum andimus, non jam discipulos, sed qui futuri erant discipuli intelligere debemus. Jam enim utique discipuli Christi erant, quando ista narrata atque conscripta sunt; et idem sic de illis locutus est temporum præteritorum narrator.

39. Quod autem dicit idem Joannes, *Post hoc descendit Capharnaum ipse, et mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus; et ibi manserunt non multis diebus* (*Joan. ii, 12*); incertum est utrum jam illi adhæserant, etiam Petrus et Andreas et filii Zebedæi. Matthæus enim primo narrat quod venerit, et habitaverit in Capharnaum; et postea quod eos de navibus piscantes vocaverit: iste autem, quod cum illo Capharnaum venerint discipuli ejus. An forte Matthæus quod prætermiserat recapitulavit: quia non ait ipse, *Post hoc ambulans juxta mare Galilæe, vidit duos fratres*; sed sine ulla consequentis temporis differentia, *Ambulans autem, inquit, juxta mare Galilæe, vidit duos fratres, et cætera*? Proinde fieri potest ut postea narraverit, non quod postea factum erat, sed quod prius prætermiserat, ut cum illo intelligantur venisse Capharnaum, quo Joannes dicit et ipsum et matrem et discipulos ejus venisse. An potius alii discipuli fuerunt; sicut cum jam Philippus sequebatur, quem sic vocaverat, ut diceret ei, *Sequere me?* Quo enim ordine vocati sint omnes duodecim Apostoli, in Evangelistarum narrationibus non apparet, quandoquidem non tantum ordo vocationis, sed nec ipsa vocatio commemorata est omnium, sed tantum Philippi, et Petri, et Andree, et filiorum Zebedæi, et Matthæi publicani, qui etiam Levi vocabatur (*Math. iv, 18-22, et ix, 9; Marc. i, 16-20, et ii, 14; Luc. v, 1-11, et Joan. i, 35-44*) Singillatim tamen ab eo nomen et primum et solus Petrus accepit (*Joan. i, 42*). Nam filios Zebedæi non singillatim, sed simul ambos appellavit filios tonitruum (*Marc. iii, 17*).

40. Sane animadvertendum est quod Scriptura evangelica et apostolica non solos illos duodecim appellat discipulos ejus, sed omnes qui in eum credentes, magisterio ejus ad regnum cælorum erudiebantur. Ex quorum multitudine elegit duodecim, quos et Apostolos nominavit, sicut Lucas commemorat. Ipse quippe paulo post ait: *Et descendens cum illis stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis* (*Luc. vi, 15-17*). Non utique diceret turbam discipulorum, homines duodecim. Aliis quoque Scripturarum locis hoc evidenter apparet, discipulos ejus omnes appellatos qui ab eo discerent quod ad æternam vitam pertineret.

41. Quæri autem potest quomodo binos vocaverit de naviculis piscatores, primo Petrum et Andream; deinde progressus paululum, alios duos filios Zebedæi, sicut narrant Matthæus et Marcus: cum Lucas dicat ambas eorum naviculas impletas magna illa captura piscium, sociosque Petri commemoret Jacobum et Joannem filios Zebedæi vocatos ad adjurandum, cum retia extrahere plena non possent, simulque mi-

ratos tantam multitudinem piscium, quæ capta erat : et cum Petro tantum dixisset, *Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens*; simul eum tamen subductis ad terram navibus secutos fuisse. Unde intelligendum est hoc primo esse factum quod Lucas insinuat; nec tunc eos a Domino vocatos, sed tantum Petro fuisse prædictum quod homines esset capturus. Quod non ita dictum est, quasi jam pisces nunquam esset capturus: nam et post resurrectionem Domini legitimus eos esse piscatos (*Joan. xxi, 3*). Dictum est ergo quod deinceps capturus esset homines; non dictum est quod jam non esset capturus pisces. Unde datur locus intelligere eos ad capturam piscium ex more remeasse, ut postea sciret quod Matthæus et Marcus narrant, quando eos binos vocavit, et ipse jussit ut eum sequerentur, primo duobus Petro et Andrea, deinde aliis duobus filiis Zebedæi. Tunc enim non subductis ad terram navibus tanquam cura redeundi, sed ita eum secuti sunt, tanquam vocantem ac jubentem ut eum sequerentur.

CAPUT XVIII. — *De tempore secessionis ejus in Galilæam.*

42. Illud etiam requirendum est, quomodo Joannes evangelista; antequam Joannes Baptista missus esset in carcerem, dicit Jesum isse in Galilæam (Postea enim quam commemoravit, quod in Cana Galilææ fecit de aqua vinum, et descendit Capharnaum cum matre et discipulis, et ibi manserunt non multis diebus, dicit eum deinde ascendisse Jerosolymam propter Pascha; post hæc venisse in Judæam terram et discipulos ejus, et illic demoratum cum eis et baptizantem: ubi secutus ait, *Erat autem et Joannes baptizans in Ænon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic; et adveniebant, et baptizabantur: nondum enim nissus erat in carcerem Joannes* [*Joan. ii, 13, et iii, 22-24*]); Matthæus autem dicat, *Cum autem audisset quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam* (*Matth. iv, 12*). Similiter et Marcus: *Posteaquam autem traditus est, laquit, Joannes, venit Jesus in Galilæam* (*Marc. i, 13*). Lucas etiam nihil quidem dicit de tradito Joanne, sed tamen et ipse post baptismum et tentationem Christi dicit eum isse in Galilæam, sicut illi duo. Nam ita contextit narrationem suam: *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam, et summa exiit per universam regionem de illo* (*Luc. iv, 13, 14*). Unde intelligitur hos tres evangelistas non Joanni evangelistæ contraria narrasse, sed prætermisisse primum Domini adventum in Galilæam posteaquam baptizatus est, quando illic aquam convertit in vinum; tunc enim nondum erat traditus Joannes: eum vero adventum ejus in Galilæam connexuisse narrationibus suis, qui post Joannem traditum factus est; de quo ejus reditu in Galilæam ipse Joannes evangelista sic loquitur: *Ut ergo cognovit Jesus quia audierunt Pharisæi quia Jesus plures discipulos facit et baptizat quam Joannes (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus), reliquit Judæam, et abiit iterum in Galilæam* (*Joan. iv, 1-5*). Tunc ergo intelligimus jam fuisse

SANCT. AUGUST. III.

traditum Joannem, Judæos vero audisse quod plures discipulos faceret et baptizaret, quam fecerat et baptizaverat Joannes.

CAPUT XIX. — *De illo sermone prolixo quem secundum Matthæum habuit in monte.*

43. Jam nunc de illo sermone prolixo, quem secundum Matthæum in monte habuit Dominus, videamus utrum ei cæteri Evangelistæ nihil adversari videantur. Marcus quippe non eum commemoravit omnino, nec aliquid ejus simile dixit, nisi quasdam sententias, non contextim, sed sparsim, quas Dominus locis aliis repetivit. Reliquit tamen locum in textu narrationis suæ, ubi intelligamus hunc dictum esse sermonem, sed ab eo prætermisum: *Et erat, inquit, prædicans in synagogis eorum, et omni Galilæa, et demonia ejiciens*. In hac prædicatione quam dicit eum habuisse in omni Galilæa, intelligitur etiam sermo iste habitus in monte, cujus commemorationem facit Matthæus. Namque idem Marcus ita sequitur, *Et venit ad eum leprosus deprecans eum, et genuflexo dixit: Si vis, potes me mundare* (*Marc. i, 39, 40*), et cætera de hoc leproso mundato talia connectit, ut ipse intelligatur, quem Matthæus commemorat tunc esse mundatum, quando post illum sermonem Dominus de monte descendit. Sic enim ait Matthæus: *Cum autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus, veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare* (*Matth. viii, 1, 2*), et cætera.

44. Hujus leprosi etiam Lucas meminit (*Luc. v, 12, 13*), non sane hoc ordine, sed ut solent prætermismissa recordari, vel posterius facta præoccupare, sicut divinitus suggererantur, quæ antea cognita, postea recordando conscriberent. Veruntamen idem Lucas sermonem etiam ipse Domini prolixum narravit, ubi etiam sic exorsus est, ut in isto Matthæus. Illic enim dixit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: et ille: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*. Deinde multa quæ sequuntur etiam in Lucæ narratione similia sunt. Et ad extremum sermonis ipsa conclusio persorsus eadem reperitur, de homine prudente quæ ædificat super petram, et de stulto qui ædificat super arenam: nisi quod in flumen tantum dicit illisum domum, non et pluviam et ventos, sicut Matthæus. Posset ergo facillime credi eundem etiam ipse Domini interposuisse sermonem, aliquas autem prætermisisse sententias, quas Matthæus posuit: item alias posuisse, quas iste non dixit; quasdam etiam non iisdem verbis, custodita tamen veritatis integritate, similiter explicasse.

45. Posset hoc, sicut dixi, facillime credi, nisi moveret quod Matthæus in monte dicit hunc habitum esse sermonem a Domino sedente; Lucas autem in loco campestri a Domino stante. Hæc itaque diversitas facit videri alium fuisse illum, alium istum. Quid enim prohiberet Christum alibi quædam repetere quam jam antea dixerat, aut iterum quædam facere quam antea jam fecerat? Non sane istos duos sermones, quorum unum Matthæus, alterum Lucas inseruit, longa temporis distantia separari, hinc probabiliter

(*Trente-cinq.*)

creditur, quod et ante et postea quædam similia vel eadem ambo narrarunt, ut non absurde sentiatur eorum narrationes hæc interponentium in eisdem locis et diebus esso versatas. Nam Matthæus hoc ita dicit: *Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, et Decapoli, et Jeroosolymis, et Judæa et de trans Jordanem. Videns autem turbas ascendit in montem; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum, et cætera (Matth. iv, 25; vii, 29).* Hic potest videri multas turbas vitare voluisse, et ob hoc ascendisse in montem, tanquam recedendo a turbis, ut solis suis discipulis loqueretur. Cui rei videtur attestari etiam Lucas, ita narrans: *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit: Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem ejus, Jacobum et Joannem, Philippum et Bartholomæum, Matthæum et Thomam, Jacobum Alphæi et Simonem qui vocatur Zelotes, Judam Jacobi et Judam Scarioth, qui fuit proditor. Et descendens cum illis stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis, ab omni Judæa, et Jerusalem, et maritima, et Tyri<sup>1</sup>, et Sidonis, qui venerant ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos dicebat: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei, etc. (Luc. vi, 12-49).* Hic potest intelligi cum in monte duodecim discipulos elegit ex pluribus, quos Apostolos nominavit, quod Matthæus prætermisit, tunc illum habuisse sermonem quem Matthæus interposuit, et Lucas tacuit, hoc est in monte; ac deinde cum descendisset, in loco campestri habuisse alterum similem, de quo Matthæus tacet, Lucas non tacet: et utrumque sermonem eodem modo esse conclusum.

46. Quod autem Matthæus isto sermone terminato sequitur et dicit, *Et factum est, cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus, potest videri discipulorum turbas dixisse, ex quibus illos duodecim elegerat. Quod vero mox ait, Cum autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: et ecce leprosus veniens adorabat eum, potest intelligi post utrumque sermonem factum fuisse, non solum quem Matthæus, verum etiam quem Lucas interponit. Neque enim apparet post descensionem de monte quantum temporis fuerit interpositum; sed hoc solum voluit significare Matthæus, post illam descensionem multas turbas fuisse cum Domino, quando leprosum mundavit, non quantum temporis interfuerit: præsertim cum eundem leprosum Lucas jam in civitate posito Domino dicat esse mundatum, quod Matthæus dicere non curavit.*

47. Quanquam etiam illud possit occurrere, in ali-

<sup>1</sup> Nos cum editis, et maritima et Tyri. At aliquot MSS., et maritima Tyri: onusso, et, quod a græco etiam abest.

qua excelsiore parte montis primo cum solis discipulis Dominum fuisse, quando ex eis illos duodecim elegit: deinde cum eis descendisse, non de monte, sed de ipsa montis celsitudine in campestrum locum, id est, in aliquam æqualitatem, quæ in latere montis erat, et multas turbas capere poterat; atque ibi stetit donec ad eum turbæ congregarentur: ac postea cum sedisset, accessisse propinquius discipulos ejus, atque ita illis cæterisque turbis præsentibus unum habuisse sermonem, quem Matthæus Lucasque nararunt, diverso narrandi modo, sed eadem veritate rerum et sententiarum, quas ambo dixerunt. Jam enim præmonuimus, quod et nullo præmonente unicuique sponte videndum fuit, si quis prætermittat aliquid quod alius dicat, non esse contrarium; nec si alius alio modo aliquid dicat, dum eadem rerum sententiarumque veritas explicetur: ut quod Matthæus ait, *Cum autem descendisset de monte*, simul etiam de illo campestri loco qui in latere montis esse potuit, intelligatur. Deinde Matthæus de leproso mundato narrat, quod etiam Marcus et Lucas similiter.

CAPUT XX. — *Quomodo dicat Matthæus Centurionem ad eum accessisse pro puero suo, cum Lucas dicat quod amicos ad eum miserit.*

48. Post hæc Matthæus sequitur, et dicit: *Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad illum Centurio, rogans eum, et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur, et cætera, usque ad eum locum ubi ait, Et sanatus est puer ex illa hora (Matth. viii, 5-13).* Hoc de puero Centurionis etiam Lucas commemorat: non, sicut iste, post leprosum mundatum, quem ille postea recordatus commemoravit, sed post suum illius prolixioris sermonis, quod ita conjungit: *Cum autem impleisset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum: Centurionis autem cujusdam servus male habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus, etc., usque in eum locum quo sanatus est (Luc. vii, 1-10).* Illic intelligendum est, cum impleisset quidem omnia verba sua in aures plebis, intrasse Christum Capharnaum, hoc est, quia non antequam hæc verba terminasset intravit: sed non esse expressum post quantum temporis intervallum cum istos sermones terminasset intraverit Capharnaum. Ipso quippe intervallo leprosus ille mundatus est, quem loco suo Matthæus interponit, iste autem postea recordatur.

49. Jam ergo videamus utrum sibi de hoc sermo Centurionis Matthæus Lucasque consentiant. Matthæus enim dicit: *Accessit ad eum Centurio, rogans eum et dicens: Puer meus jacet in domo paralyticus. Cui videtur repugnare quod ait Lucas: Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus. At illi cum venissent ad Jesum rogabant eum sollicite, dicentes ei: Quia dignus est, ut hoc illi præstet: diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis. Jesus autem ibat cum illis: et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos dicens: Domine, non vexari non enim dignus sum ut sub lectum meum in-*

tras; propter quod et meipsum non sum dignum arbitratu ut venire ad te: sed dic verbo, et sanabitur puer meus. Si enim hoc ita gestum est, quomodo erit verum quod Matthæus narrat, *Accessit ad eum quidam Centurio*, cum ipse non accesserit, sed amicos miserit? nisi diligenter advertentes intelligamus Matthæum non omni modo deseruisse usitatum morem loquendi. Non solum enim dicere solemus accessisse aliquem, etiam antequam perveniat illic quo dicitur accessisse; unde etiam dicimus, *Parum accessit*, vel *multum accessit*, eo quo appetit pervenire: verum etiam ipsam perventionem cujus adipiscendæ causa acceditur, dicimus plerumque factam, etsi eum ad quem pervenit, non videat ille qui pervenit, cum per amicum pervenit ad aliquem, cujus ei favor est necessarius. Quod ita tenuit consuetudo, ut jam etiam vulgo perventores appellentur, qui potentium quorumlibet tanquam inaccessibiles animos, per convenientium personarum interpositionem, ambitionis arte pertingunt. Si ergo ipsa perventione dicitur per alios fieri, quanto magis accessus per alios fieri potest, qui plerumque infra perventionem remanet, quando potuerit quisque plurimum quidem accedere, sed tamen non potuerit pervenire? Non ergo absurde Matthæus, etiam quod vulgo possit intelligi, per alios factu accessu Centurionis ad Dominum, compendio dicere voluit, *Accessit ad eum Centurio*.

50. Verum tamen non negligenter intuenda est etiam sancti Evangelistæ altitudo mysticæ locutionis, secundum quam scriptum est in Psalmo, *Accedite ad eum, et illuminamini* (Psal. xxxiii, 6). Proinde quia fidem Centurionis, qua vere acceditur ad Jesum, ipse ita laudavit ut diceret, *Non inveni tantam fidem in Israel*; ipsum potius accessisse ad Christum dicere voluit prudens Evangelista, quam illos per quos verba sua miserat. Porro autem Lucas ideo totum quemadmodum gestum esset aperuit, ut ex hoc intelligere cogeremur, quemadmodum eum accessisse dixerit alius qui mentiri non potuit. Sic enim et illa mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, quamvis simbriam vestimenti ejus tenuerit, magis tamen tetigit Dominum, quam illæ turbæ a quibus premebatur (Luc. viii, 42-48). Ut enim hæc quo magis credidit, eo magis tetigit Dominum; ita et Centurio quo magis credidit, eo magis accessit ad Dominum. Jam cætera in hoc capitulo quæ alter dicit, et alter prætermittit, superfluo pertractantur; cum ex illa regula primitus commendata nihil inveniantur habere contrariam.

CAPUT XXI. — *De socru Petri quo ordine narratum sit.*

51. Sequitur Matthæus et dicit: *Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febricitantem: et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris; et surrexit, et ministrabat eis* (Math. viii, 14, 15). Hoc quando factum sit, id est, post quid vel ante quid, non expressit Matthæus. Non enim post quod narratur, post hoc etiam factum necesse est intelligatur. Nimirum tamen iste hoc recoluisse intelligitur, quod prius omiserat. Nam id Marcus narrat (Marc. i, 29-31), antequam illud de leproso mundato commemoret,

quod post sermonem in monte habitum, de quo ipse tacuit, videtur interposuisse. Itaque et Lucas post hoc factum narrat de socru Petri (Luc. iv, 38, 39.), post quod et Marcus, ante sermonem etiam ipse, quem prolixum interposuit, qui potest idem videri quem dicit habitum in monte Matthæus. Quid autem interest quis quo loco ponat, sive quod ex ordine inserit, sive quod omissum recollit, sive quod postea factum ante præoccupat; dum tamen non adversetur eadem vel alia narranti, nec sibi, nec alteri? Quia enim nullus in potestate est, quamvis optime fideliterque res cognitæ, quo quisque ordine recordetur (quid enim prius posteriusve homini veniat in mentem, non est ut volumus, sed ut datur); satis probabile est quod unusquisque Evangelistarum eo se ordine credidit debuisse narrare, quo voluisset Deus ea ipsa quæ narrabat ejus recordationi suggerere, in eis duntaxat rebus, quarum ordo, sive ille, sive ille sit, nihil minuit auctoritati veritatique evangelicæ.

52. Cur autem Spiritus sanctus dividens propria unicuique prout vult (I Cor. xii, 11), et ideo mentes quoque sanctorum propter Libros in tanto auctoritatis culmine collocandos, in recolendo quæ scriberent sine dubio gubernans et regens, alium sic, alium vero sic narrationem suam ordinare permiserit, quisquis pia diligentia quæsiverit, divinitus adjutus poterit invenire. Hoc tamen non est hujus operis munus, quod nunc suscepimus, tantum ut demonstremus Evangelistas neque sibi neque inter se repugnare, quolibet ordine, vel eadem res, vel alias factorum dictorumque Christi unusquisque eorum potuerit volueritque narrare. Quapropter ubi ordo temporum non apparet, nihil nostra interesse debet, quem narrandi ordinem quilibet eorum tenuerit: ubi autem apparet, si quid moverit quod sibi aut alteri repugnare videatur, utique considerandum et enodandum est.

CAPUT XXII. — *De ordine rerum quas post hocarrant utrum nil inter se dissentiant Matthæus, Marcus et Lucas.*

53. Sequitur ergo Matthæus dicens: *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes. et eiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit; ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem, Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes portavit* (Math. viii, 16-18). Hoc ad ejusdem diei tempus pertinere satis indicat, cum jungit, *Vespere autem facto*. Sic et Marcus cum de ipsa socru Petri sanata dixisset, *Et ministrabat eis*; hoc idem subjecit: *Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, et dæmonia habentes; et erat omnis civitas congregata ad januam: et curavit multos qui vexabantur variis languoribus; et dæmonia multa eiciebat; et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. Et diluculo valde surgens egressus est et abiit in desertum locum* (Marc. i, 31-35). Videtur hic ordinem tenuisse Marcus, ut post illud quod dictum est, *Vespere autem facto*, deinde diceret, *Et diluculo valde surgens*. Quamvis nec illud necesse sit, ubi dicitur, *Vespere autem facto*, ejusdem diei vespereum ac-

cipere; nec ubi dicitur, *diluculo*, ejusdem noctis diluculum: tamen utcumque videri potest hic rerum gestarum ordo servatus, propter digestum ordinem temporum. Lucas quoque cum de socru Petri narrasset, non ait ipse, *Vespere autem facto*; sed tamen quod idem significaret adjunxit, dicens: *Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum: at ille singulis manus imponens curabat eos. Exibant etiam dæmonia a multis clamantia et dicentia, Quia tu es Filius Dei. Et increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. Facta autem die, egressus ibat in desertum locum* (Luc iv, 40-42). Et hic videmus eundem prorsus ordinem temporum custoditum, quem comperimus apud Marcum. Matthæus autem qui videtur non ordine quo gestum est, sed quo prætermissum recollit, hoc de socru Petri commemorasse, posteaquam narravit quid ipso die, facto etiam vespere, gestum sit, jam non subjungit diluculum, sed ita narrat: *Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum*. Jam hoc aliud est, non illud quod Marcus et Lucas contextunt, qui post vespere diluculum ponunt. Quod ergo hic dictum est, *Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum*, aliud eum recordatum interposuisse debemus accipere, quod die quodam cum vidisset Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum.

CAPUT XXIII. — *De illo qui ait Domino, Sequar te quocumque ieris, et aliis quæ juxta sunt, quo ordine narrentur a Matthæo et Luca.*

54. Deinde quod subjungit, *Et accedens unus Scriba ait illi: Magister, sequar te quocumque ieris, usque ad illud ubi ait, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (Matth. viii, 19-22); hoc similiter narrat et Lucas. Sed ille post plura, nec ipse sane expresso ordine temporum, sed recordantis modo: utrum quod prius omisit, an quod posterius etiam factum quam sunt ea quæ sequuntur, præoccupavit, incertum est. Ita enim dicit: *Factum est autem ambulanti- bus illis in via, dixit quidam ad illum, Sequar te quocumque ieris*. Et respondit ei prorsus eadem quæ Matthæus commemorat. Quod autem Matthæus dicit tunc istud gestum esse, quando jussit ut irent trans fretum, Lucas vero, ambulanti- bus illis in via, non est contrarium; quia in via utique ambulaverunt, ut venirent ad fretum. Et de illo qui petit primum sepelire patrem suum, Matthæus et Lucas omnino consentiunt. Quod enim Matthæus primo ejusdem verba posuit hoc propter patrem suum petentis, et deinde Domini dicentis, *Sequere me*, Lucas autem primo Domini dicentis, *Sequere me*, et deinde illius hoc petentis, ad sententiam nihil interest. Commemoravit Lucas et alium dixisse, *Sequar te, Domine, sed primum permittit mihi renuntiare his qui domi sunt*<sup>1</sup>; de quo tacet Matthæus. Inde jam Lucas in aliud perrexit, non in illud quod ordine temporis sequebatur. *Post hæc autem, in-*

<sup>1</sup> sic Mss. et editio hatisponensis, quibus consentit Augustini Speculum, et Corbeicensis Bbiblia. Al. Fr. et Lov. habent. *his qui domi sunt*.

quit, *designavit Dominus et alios septuaginta duos* (Luc. ix, 57; x, 1). Post hæc quidem, manifeste; sed quæ- dam temporis intervallo posthæc fecerit illud Dominus, non apparet. In ipso tamen intervallo fit quod deinceps Matthæus subjungit: nam idem Matthæus ordinem temporum adhuc tenet, ita narrans:

CAPUT XXIV. — *De transfretatione ejus, ubi dormivit in navicula, et de expulsis dæmonibus, quos permisit in porcos, quomodo ea quæ gesta vel dicta sunt, conveniant inter Matthæum, Marcum et Lucam.*

55. *Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus: et ecce motus magnus factus est in mari; usque ad illud ubi ait: Et venit in civitatem suam*. Ista duo facta continuatim quæ narrat Matthæus de tranquillo mari, posteaquam ventis imperavit Jesus a somno excitatus, et de illis qui habebant seivum dæmonium, ruptisque vinculis agebantur in desertum, similiter narrat Marcus et Lucas (Matth. viii, 23-34, Marc. iv, 36: v, 17, et Luc. viii, 22-37): verbis aliis dictæ sunt ab alio atque alio quædam sententiæ, non tamen aliæ, velut illud quod eum dicit dixisse Matthæus, *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Marcus ita dicit, *Quid timidi estis? necdum habetis fidem?* id est, illam perfectam, velut granum sinapis: hoc ergo et ille ait, *modicæ fidei*. Lucas autem, *Ubi est fides vestra?* Et totum quidem dici potuit, *Quid timidi estis? Ubi est fides vestra? Modicæ fidei*. Unde aliud hic, aliud ille commemorat. Et illud quod excitantes eum dixerunt. Matthæus sic, *Domine, salva nos, perimus*; Marcus, *Magister, non ad te pertinet quia perimus?* Lucas, *Præceptor, perimus: una eademque sententia est excitantium Dominum, volentiumque salvari; nec opus est querere quid horum potius Christo dictum sit. Sive enim aliquid horum trium dixerint, sive alia verba quæ nullus Evangelistarum commemoravit, tantumdem tamen valentia ad eandem sententiæ veritatem, quid ad rem interest? Quamquam et hoc fieri potuit, ut pluribus eum simul excitantibus, omnia hæc, aliud ab alio dicerentur. Item quod sedata tempestate dixerunt secundum Matthæum, *Qualis est hic, quia ventis et mare obediunt ei?* Secundum Marcum, *Quis putas est iste, quia et ventus et mare obediunt ei?* Secundum Lucam, *quis putas hic est, quia et ventis imperat et mari, et obediunt ei?* quis non videat unam esse sententiam? Tantumdem enim prorsus valet, *Quis putas est iste?* et, *Qualis est hic?* et ubi non est dictum, *imperat*, utique consequenter intelligitur, quia Imperanti obeditur.*

56. Quod vero Matthæus duos dicit fuisse, qui legionem illam dæmonum patiebantur, quæ in porcos ire permissa est, Marcus autem et Lucas unum commemorant: intelligas unum eorum fuisse personam alicujus clarioris et famosioris, quem regio illa maxime dolebat, et pro cujus salute plurimum satagebat. Hoc volentes significare duo Evangelistæ, solum commemorandum judicaverunt, de quo facti hujus fama latius præclariorumque fragoravit. Nec quod verba dæmonum diverse ab Evangelistis dicta sunt, habet aliquid scrupuli; cum vel ad unam redigi sententiam vel omnia dicta possint intelligi. Nec quia pluraliter

apud Matthæum, apud illos autem singulariter loquitur; cum et ipsi narrent quod interrogatus quid vocaretur, legionem se esse respondit, eo quod multa essent dæmonia. Nec quod Marcus dixit circa montem fuisse gregem porcorum, Lucas autem in monte, quidquam repugnat. Grex enim porcorum tam magnus fuit, ut aliquid ejus esset in monte, aliquid circa montem. Erant enim duo millia porcorum, sicut Marcus expressit.

CAPUT XXV. — *De paralytico cui dixit, Dimittuntur tibi peccata, et, Tolle grabatum tuum, maxime utrum locus ubi hoc factum est, conveniat inter Matthæum et Marcum; quia Matthæus dicit in civitate sua, Marcus autem in Capharnaum.*

57. Hinc ergo sequitur Matthæus, adhuc temporum ordinem servans, atque ita narrationem contexit: *Et ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto, etc.*, usque ad illud quod ait, *Videntes autem turbæ, timerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit postestatem talem hominibus (Matth. ix, 1-8)*. De hoc paralytico dixerunt etiam Marcus et Lucas. Quod ergo Matthæus dicit Dominum dixisse, *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua*; Lucas autem non dixit, *Fili, sed, homo*, ad sententiam Domini expressius insinuandam valet: quia homini dimittebantur peccata, qui hoc ipso quod homo erat, non posset dicere, Non peccavi; simul etiam ut ille qui homini dimittebat, intelligeretur Deus. Marcus autem hoc dixit quod et Matthæus; sed non dixit, *Confide*. Potuit quidem et ita dici: *Confide, homo; dimittuntur tibi peccata, fili; aut, Confide, fili; dimittuntur tibi peccata, homo; aut quolibet verborum ordine congruenti.*

58. Illud sane potest movere, quod de isto paralytico Matthæus ita narrat: *Et ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto*: Marcus autem non hoc in ejus civitate factum dicit, quæ utique Nazareth vocatur, sed in Capharnaum; quod ita narrat: *Et iterum intravit in Capharnaum post dies: et auditum est quod in domo esset; et convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam: et loquebatur eis verbum. Et venerunt ferentes ad eum paralyticum, qui a quatuor portabatur. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat, et patefacientes submitserunt grabatum in quo paralyticus jacebat. Cum vidisset autem Jesus fidem illorum, etc. (Marc. ii, 1-12)*. Lucas autem non commemorat quo in loco factum sit, sed ita dicit: *Et factum est in una dierum, et ipse sedebat docens: et erant Pharisei sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ et Judææ et Jerusalem: et virtus erat Domini ad sanandos eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus, et quærebant eum inferre, et ponere ante eum: et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, et per tegulas submitserunt illum cum lecto in medium ante Jesum. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua, etc. (Luc. v, 17-26)*. Remanet igitur quæstio in-

ter Marcum et Matthæum, quod Matthæus ita scribit, tanquam in civitate Domini factum sit, Marcus autem in Capharnaum. Quæ difficiliter solveretur, si Matthæus etiam Nazareth nominaret: nunc vero cum potuerit ipsa Galilæa dici civitas Christi, quia ipsa Galilæa erat Nazareth: sicut universum regnum in tot civitatibus constitutum, dicitur Romana civitas; cumque in tot gentibus constituta civitas sit, de qua scriptum est, *Gloriosissima dicta sunt de te, civitas Dei (Psal. lxxxvi, 3)*; et cum ipse prior populus Dei in tot civitatibus habitans, etiam una domus dictus sit domus Israel (*Isai. v, 7; Jerem. iii, 20, et Ezech. iii, 4*): quis dubitaverit in civitate sua hoc fecisse Jesum, cum hoc fecerit in civitate Capharnaum civitate Galilææ, quo transfretando resierat de regione Gerasenorum, ut veniens in Galilæam, recte diceretur venisse in civitatem suam, in quocumque oppido esset Galilææ; præsertim quia et ipsa Capharnaum ita excelebat in Galilæa, ut tanquam metropolis haberetur? Quod si prorsus non liceret accipere civitatem Christi, vel ipsam Galilæam, in qua erat Nazareth, vel ipsam Capharnaum, quæ sicut caput Galilææ civitatibus eminebat; diceremus Matthæum prætermisisse quæ gesta sunt, posteaquam venit Jesus in civitatem suam, donec veniret Capharnaum, et hoc adjunxisse de sanato paralytico: sicut in multis ita faciunt, prætermittentes media, tanquam hoc continuo sequatur, quod sine ulla præmissionis suæ significatione subjungunt.

CAPUT XXVI. — *De vocatione quoque Matthæi, utrum Marco et Lucæ qui dicunt Levin Alphæi, idem Matthæus congruat.*

59. Hinc ergo sequitur Matthæus, dicens: *Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, et ait illi, Sequere me: et surgens secutus est eum (Matth. ix, 9)*. Hoc Marcus ita narrat, eundem etiam ipse ordinem tenens post illius paralytici sanitatem: *Et egressus est, inquit, ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos. Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium, et ait illi, Sequere me: et surgens secutus est eum (Marc. ii, 13, 14)*. Nil hic repugnat; ipse est enim Matthæus qui et Levi. Lucas etiam hoc post eundem paralyticum sanatum ita subjungit: *Et post hæc exiit, et vidit publicanum nomine Levi sedentem ad telonium, et ait illi, Sequere me. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum (Luc. v, 27, 28)*. Hinc autem probabilius videtur quod hæc prætermisita recordando Matthæus commemorat: quia utique ante illum sermonem habitum in monte, credendum est vocatum esse Matthæum. In eo quippe monte tunc Lucas commemorat omnes duodecim ex plurimis discipulis electos, quos et Apostolos nominavit (*Id. vi, 13*).

CAPUT XXVII. — *De convivio ubi objectum est et quod cum peccatoribus manducaret, et quod non jejunarent discipuli ejus, quod videtur alius alios di-*

<sup>1</sup> In plerisque Mss., *Levin Alphæi*. Sic etiam in veteribus Cæsaribus Bibliis.

*cere a quibus objectum sit, et de verbis eorum, responsisque Domini, utrum Matthæus, Marcus et Lucas congruant.*

60. Sequitur itaque Matthæus, et dicit: *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, et discipulis ejus, etc., usque ad illud ubi ait, Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur (Matth. ix, 10-17).* Illic Matthæus non expressit in cuius domo discumbebat Jesus cum publicanis et peccatoribus: unde posset videri non hoc ex ordine subjunxisse, sed quod alio tempore factum est recordatus interposuisse, nisi Marcus et Lucas qui hoc omnino similiter narrant, manifestarent in domo Levi, hoc est Matthæi, discubuisse Jesum, et dicta illa omnia quæ sequuntur. Ita enim Marcus hoc idem dicit, eundem ordinem servans: *Et factum est, cum accumberet in domo illius, multi publicani et peccatores simul discumbebant cum Jesu (Marc. ii, 15-22).* Cum ergo dicit, *in domo illius;* exprimit utique illum, de quo superius loquebatur, id est Levi. Sic et Lucas cum dixisset, *Ait illi, Sequere me: et relictis omnibus surgens secutus est eum;* continuo subjecit, *Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua; et erat turba multa publicanorum et aliorum, qui cum illis erant discumbentes (Luc. v, 27-39).* Manifestum est itaque in cuius domo ista gerebantur.

61. Jam ipsa verba videamus, vel quæ Domino dicta, vel quæ ab illo respondeas omnes isti tres Evangelistæ posuerunt. Matthæus: *Et videntes, inquit, Pharisei, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?* Totidem pene verbis hoc ait et Marcus: *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester?* Prætermissum est ergo a Matthæo quod iste addidit, *et bibit:* sed quid ad rem, cum plena sit sententia, insinuans pariter convivantes? Lucas autem aliquanto differentius hoc videtur commemorasse: *Et murmurabant, inquit, Pharisei et Scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis?* Non utique magistrum eorum volens<sup>1</sup> illic intelligi; sed simul omnibus, et ipsi et discipulis ejus hoc objectum insinuans: non tamen ei dictum, sed illis, quod et de ipso et de illis acciperetur. Nam utique et ipse Lucas ita dicit Dominum respondisse, *Non veni vocare justos, sed peccatores in penitentiam:* quod non eis respondisset, nisi quod dixerant, *manducatis et bibitis,* ad ipsum maxime pertineret. Propterea etiam Matthæus et Marcus de illo discipulis ejus hoc objectum esse narrarunt, quia et cum de discipulis dicebatur, magistro magis obiciebatur, quem sectando imitabantur. Una ergo sententia est, et tanto melius insinuata, quanto quibusdam verbis, manente veritate, variata. Item quod Matthæus refert Dominum respondisse, *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite quid est, Misericordiam volo, et non sacrificium.*

<sup>1</sup> Miss. cum Er. Al. Rat. et Lov. totum: mendose.

*Non enim veni vocare justos, sed peccatores;* Marcus quoque et Lucas eisdem pene verbis eandem sententiam tenuerunt, nisi quod ambo non interponunt illud ex propheta testimonium, *Misericordiam volo, quam sacrificium.* Lucas autem cum dixisset, *Non veni vocare justos, sed peccatores,* addidit, *in penitentiam;* quod ad explanandam sententiam valet, ne quisquam peccatores ob hoc ipsum quod peccatores sunt, diligi arbitretur a Christo: cum et illa similitudo de ægrotis bene intimet quid velit Deus vocando peccatores, tanquam medicus ægros, utique ut ab iniquitate tanquam ab ægritudine salvi fiant; quod fit per penitentiam.

62. Item quod dicit Matthæus, *Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos et Pharisei jejunamus frequenter?* Marcus similiter intulit, dicens, *Et erant discipuli Joannis et Pharisei jejunantes; et veniunt, et dicunt illi: Cur discipuli Joannis et Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?* nisi quod iste putari potest addidisse Pharisæos, quod simul cum discipulis Joannis hoc dixerint, cum Matthæus tantum discipulos Joannis hoc dixisse perhibeat. Sed verba ipsa quæ illos dixisse apud Marcum legitur, magis indicant alios hoc dixisse de aliis; id est, convivas qui aderant venisse ad Jesum, quia jejunabant discipuli Joannis et Pharisei, et hoc ei de illis dixisse: ut quod ait, *veniunt,* non de ipsis dixerit, de quibus interposuerat, *Et erant discipuli Joannis et Pharisei jejunantes;* sed cum isti essent jejunantes, veniunt illi, quos hoc movet, et dicunt illi, *Cur discipuli Joannis et Pharisæorum jejunant, tui autem non jejunant?* Quod Lucas evidentius expressit, ita hoc idem intimans, cum dixisset quid eis responderit Dominus de vocatione peccatorum, tanquam ægrotorum: *At illi, inquit, dixerunt ad eum, Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, et obsecrationes faciunt, similiter et Pharisæorum, tui autem edunt et bibunt?* Ergo et hic, sicut Marcus, alios de aliis hoc dixisse narravit. Unde ergo Matthæus, *Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis dicentes: Quare nos et Pharisei jejunamus?* nisi quia et ipsi aderant, et omnes certatim, ut quisque poterat, hoc objecerunt: quorum sententia diverso loquendi modo, sed tamen a veritate non alieno, a tribus Evangelistis insinuata est.

63. Item illud de sponsi filiis, quia non jejunabunt quamdiu cum eis est sponsus, similiter interposuerunt Matthæus et Marcus: nisi quod Marcus filios nuptiarum appellavit, quos ille sponsi; quod ad rem nihil interest. Filios quippe nuptiarum non tantum sponsi, sed etiam sponsæ intelligimus. Eadem ergo est aperta sententia, non altera adversa. Lucas autem non ait, *Numquid possunt filii sponsi jejunare?* sed ait, *Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare?* in quo et ipse ad aliud quiddam insinuandum, eandem sententiam eleganter aperuit. Sic enim intelligitur eosdem ipsos qui loquebantur fuisse facturos, ut lugentes jejunarent filii sponsi, quoniam ipsi essent sponsum occisuri. Quod



autem dixit Matthæus, *lugere*; hoc Marcus et Lucas, *jejunare*: quia et ille postea, *tunc jejunabunt*, ait; non, tunc lugebunt. Verum illo verbo significavit de tali jejunio Dominum locutum, quod pertinet ad humilitatem tribulationis: ut illud alterum, quod pertinet ad gaudium mentis in spiritualia suspensæ, atque ob hoc alienatæ quodammodo a corporalibus cibis, posterioribus similitudinibus Dominus significasse intelligatur, de panno novo et de vino novo, id ostendens quod animalibus atque carnalibus circa corpus occupatis, et ob hoc veterem adhuc sensum trahentibus, hoc genus jejunii non congruat; quas similitudines et alii duo similiter explicarunt. Jam enim satis in promptu est nihil esse contrarium, si quid aliud dicit, quod aliud prætermittit, seu verbi, seu rei; dum vel ab eadem sententia non recedatur, vel quæ forte alia ponitur, alii non adversetur.

CAPUT XXVIII. — *De filia Archisynagogi resuscitata, et muliere quæ tetigit fimbriam vestimenti ejus: utrum ordo quo dicta sunt nihil cuiquam eorum adversetur, ut quibus dicta sunt; et maxime de verbis Archisynagogi, quibus rogavit Dominum.*

64. Sequitur deinde Matthæus adhuc temporum ordinem servans: *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum dicens: Filii, modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet, etc.*, usque ad illud ubi ait, *Et surrexit puella: et exiit sana hæc in universam terram illam (Matth. ix, 18-26)*. Dicunt hoc et alii duo, Marcus et Lucas; sed ab isto ordine jam recedunt. Alibi enim hoc recordantur atque inserunt, id est, eo loco ubi redit transfretando a regione Gerasenorum, post expulsa et in porcos permixta dæmonia. Nam hoc Marcus ita conjungit post illud apud Gerasenos factum: *Et cum transcendisset, inquit, Jesus in navi rursus trans fretum, convenit turba multâ ad illum: et erat circa mare. Et venit quidam de archisynagogis, nomine Jairus, et videns eum prociidit ad pedes ejus, etc. (Marc. v, 21-43)*. Ac per hoc intelligendum est, hoc quidem de archisynagogi filia factum esse, cum transcendisset Jesus in navi rursus trans fretum: sed quanto post, non apparet. Nisi enim fuisset intervallum, non esset quando fieret quod modo narravit Matthæus in convivio domus suæ: tanquam de alio quippe narravit, more Evangelistarum, quod de se ac domi suæ gestum erat: post quod factum nihil aliud continuo sequitur, quam hoc de archisynagogi filia. Sic ipse enim contexit ut ipse transitus aperte indicet hoc consequenter narrari, quod et consequenter factum est: quandoquidem cum superius commemorasset, quæ de panno novo et de vino novo Jesus dixerit, continuo subjecit, *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit*; ac per hoc si hæc illo loquente accessit, nihil aliud factorum dictorumque ejus interpositum est. In narratione autem Marci, patet locus ubi interponi alia potuerunt, sicut jam ostendimus. Similiter et Lucas cum post narratum apud Gerasenos miraculum transit ad narrandum de archisynagogi filia, non sic transit ut renitatur Matthæo, qui post illas de panno

et vino similitudines hoc gestum esse demonstrat, dicendo, *Hæc illo loquente*. Iste quippe cum terminasset quod apud Gerasenos factum narraverat, hoc modo transit in aliud: *Factum est autem, inquit, cum redisset Jesus, excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum. Et ecce vir cui nomen Jairus, et ipse princeps synagogæ erat, et cecidit ad pedes Jesu, etc. (Luc. viii, 40-56.)* Sic intelligitur, quod turba quidem illa continuo excepit Dominum, quippe quem reditum exspectabat: quod vero adjunxit, *Et ecce vir cui nomen erat Jairus, non continuo factum accipiendum est, sed prius illud de convivio publicanorum, sicut narrat Matthæus; cui rei sic conjungit hoc, ut non possit aliud factum consequenter intelligi.*

65. In hac ergo narratione, quam nunc considerandam suscepimus, de illa quidem quæ fluxum sanguinis patiebatur, omnes isti tres Evangelistæ sine ulla quæstione concordant. Neque enim interest ad rei veritatem, quod ab alio aliquid tacitum, ab alio dicitur; nec quod Marcus dicit, *Quis tetigit vestimenta mea?* et Lucas, *Quis me tetigit?* Alter enim dixit usitate, alter proprie, eandem tamen uterque sententiam. Nam usitatus dicimus, *Conscindis me, quam, Conscindis vestimenta mea*; cum tamen in aperto sit quid velimus intelligi.

66. At vero cum Matthæus archisynagogum, non morituram, vel morientem, vel in extremo vitæ positam filiam suam narrat Domino nuntiasse, sed omnino defunctam; illi autem duo, morti jam proximam, nondum tamen mortuam, usque adeo ut dicant venisse postea qui mortuam nuntiarent, et ob hoc jam non debere vexari magistrum, tanquam sic veniret, ut manum imponendo mori non siceret, non ut qui posset mortuam suscitare: considerandum est, ne repugnare videatur, et intelligendum brevitatis causa Matthæum hoc potius dicere voluisse, rogatum esse Dominum ut faceret quod eum fecisse manifestum est, ut scilicet mortuam suscitaret: attendit enim non verba patris de filia sua, sed quod est potissimum, voluntatem; et talia verba posuit, qualis voluntas erat. Ita enim desperaverat, ut potius eam vellet reviviscere, non credens vivam posse inveniri, quam morientem reliquerat. Duo itaque posuerunt quid dixerit Jairus: Matthæus autem, quid voluerit atque cogitaverit. Utrumque ergo petitum est a Domino, ut vel morientem salvam faceret, vel mortuam suscitaret: sed cum instituisset Matthæus totum breviter dicere, hoc insinuavit patrem rogantem dixisse, quod et ipsum certum est voluisse, et Christum fecisse. Sane si illi duo vel quisquam eorum, patrem ipsum commemorasset dixisse, quod sui domo venientes dixerant, ut jam non convexaretur Jesus, quod puella mortua fuisset, repugnarent ejus cogitationi verba quæ posuit Matthæus: nunc vero et illud suis nuntiantibus, et prohibentibus ne jam magister veniret, non legitur quod ille consenserit. Ac per hoc et illud quod ei Dominus ait, *Noli timere, credo tantum, et salva erit, non diffidentem reprehendit, sed credentem robustius confirmavit. Talis quippe in illo fides erat, qualis et*

in illo qui ait, *Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam* (Marc. ix, 25).

67. Quæ cum ita sint per huiusmodi Evangelistarum locutiones varias, sed non contrarias, rem plane utilissimam discimus, et pernecessariam; nihil in cuiusque verbis nos debere inspicere, nisi voluntatem, cui debent verba servire; nec mentiri quemquam, si aliis verbis dixerit quid ille voluerit, cuius verba non dicit: ne miseri aucupes vocum, apicibus quodammodo litterarum putent ligandam esse veritatem; cum utique non in verbis tantum, sed etiam in cæteris omnibus signis animorum, non sit nisi ipse animus inquirendus.

68. Quod autem nonnulli codices habent secundum Matthæum, *Non enim mortua est mulier, sed dormit*; eam Marcus et Lucas duodecim annorum puellam fuisse testentur; intelligas hebræo more locutum esse Matthæum. Nam et aliis Scripturarum locis hoc invenitur, non eas tantum quæ virum passæ fuerant, sed omnino feminas etiam intactas atque integras, mulieres appellari: sicut de ipsa Eva scriptum est, *Formavit eam in mulierem* (Gen. ii, 22); et illud in libro Numerorum, ubi jubentur custodiri mulieres quæ nescierunt cubile masculi, id est virgines, ne interficiantur (Num. xxxi, 18): qua locutione etiam Paulus ipsum Christum ait *factum ex muliere* (Galat. iv, 4). Hoc enim melius intelligimus, quam ut illam duodecim annorum jam nuptam, vel virum expertam fuisse credamus.

CAPUT XXIX. — *De duobus cæcis et muto dæmonio, quæ solus Matthæus dicit.*

69. Sequitur Matthæus, et dicit: *Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes, et dicentes: Miserere nostri, fili David*, et cætera, usque ad illud ubi ait, *Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eicit dæmones* (Matth. ix, 27-34). Hoc de duobus cæcis et de muto dæmonio, solus Matthæus ponit. Illi enim duo cæci, de quibus et alii narrant (Marc. x, 46-52, et Luc. xviii, 35-43), non sunt isti, sed tamen simile factum est: ita ut si ipse Matthæus non etiam illius facti meminisset (Matth. xx, 29-34), posset putari hoc quod nunc narrat, dictum fuisse etiam ab aliis duobus. Quod commendare memoriæ diligenter debemus, esse quædam facta similia; quod probatur, cum idem ipse evangelista utrumque commemorat: ut si quando talia singula apud singulos invenerimus, atque in eis contrarium, quod solvi non possit, occurrat nobis non hoc esse factum, sed aliud simile, vel similiter factum.

CAPUT XXX. — *Ubi turbarum misertus misit discipulos suos, dans eis potestatem sanitatum præstandarum, et eis multa mandavit, ordinans quemadmodum viverent: ubi querendum est quomodo Matthæus Marco et Luca congruat maxime de virga quam secundum Matthæum dicit non ferendam, secundum Marcum autem solam ferendam; et de habitu calceamentorum atque vestium.*

70. Sane deinceps non apparet ordo rerum gestarum. Nam post hæc duo facta, de cæcis et muto dæ-

monio, ita sequitur: *Et circumibat Jesus civitates omnes et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans regnum Evangelii, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem. Videns autem turbas, misertus est eis; quia erant vexati, et jacentes, sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci: rogat ergo Dominum messis, ut ejiciat operarios in messem suam. Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, et cætera, usque ad aliud ubi ait, Amen dico vobis non perdet mercedem suam* (Id. ix, 35; x, 42). In hoc toto loco, quem nunc commemoramus, multa monuit discipulos suos: sed utrum eum ex ordine Matthæus subjunxit, an ei ordo narrandi recordatio sua fuerit, sicut dictum est, non apparet. Hunc locum breviter videtur perstrinxisse Marcus, et eum sic ingressus est, dicens: *Et circumibat castella in circuitu docens. Et convocavit duodecim, et cepit eos mittere binos; et dabat illis potestatem spirituum immundorum, et cætera, usque ad illud ubi ait, Excutite pulverem de pedibus vestris, in testimonium illis* (Marc. vi, 6-11). Sed antequam hoc narraret Marcus, prius post resuscitatum filiam archisynagogi, illud narravit, ubi Dominum in patria sua mirabantur, unde illi esset tanta sapientia et virtutes, cum ejus cogitationem nossent: quod Matthæus post admonitionem istam discipulorum, et post alia multa commemorat (Matth. xiii, 54). Itaque incertum est, utrum hoc quod agitur in ejus patria, Matthæus omissum revocaverit; an Marcus recordatum anticipaverit; quisnam eorum ordinem rei geste, et quis recordationis suæ tenuerit. Lucas autem continuo post resurrectionem filie Jairi, subjungit hunc locum de potestate et admonitione discipulorum (Luc. ix, 1-6), tam breviter sane quam Marcus: neque ipse ita, ut hoc sequi etiam in rerum gestarum ordine appareat. In nominibus ergo discipulorum, Lucas, qui eos alio loco nominat<sup>2</sup>, cum prius eliguntur in monte, a Matthæo non discrepat, nisi in nomine Judæ Jacobi (Id. vi, 14-16), quem Matthæus Thaddæum appellat; nonnulli autem codices habent Lebbaeum<sup>3</sup>. Quis autem unquam prohiberit duobus vel tribus nominibus hominem unum vocari?

71. Solet item quæri, quomodo Matthæus et Lucas commemoraverint dixisse Dominum discipulis ut nec virgam ferrent, cum dicat Marcus, *Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*; et sequatur etiam ipse, *non peram, non panem, neque in zona cæs*: ut ostendat in eodem loco versari narrationem suam, in quo et illorum qui dixerunt nec virgam ferendam. Quod ita solvitur, ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est; et sub alia illam quæ secundum Matthæum et Lucam non est ferenda: sicut sub alia significatione

<sup>1</sup> Editi, *mittat*. Mss. vero, *eficiat*. In græco est, *ekball*.

<sup>2</sup> Editio Ratisponensis et novemdecim Mss., alio nomine nominat.

<sup>3</sup> In quinque Mss., *Lebbaeum*: corrupte, ut patet ex græco textu qui Matth. cap. 10, v. 3, habet, *καὶ Lebbaῖος ὁ ἐπίκληθῆς Thaddaios*, et *Lebbaeus* qui vocatur *Thaddæus*.

intelligitur tentatio, de qua dictum est, *Deus neminem tentat* (Jacobi. 1, 13); et sub alia de qua dictum est, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (Deut. xiii, 3); illa seductionis est, hæc probationis. Sicut iudicium aliter accipitur, de quo dictum est, *Qui bene fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui male fecerunt, in resurrectionem iudicii* (Joan. v, 29); et aliter, de quo dictum est, *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (Psal. xlii, 1): illud enim iudicium damnationis est, hoc discretionis.

72. Et multa alia sunt verba quæ non habent unam significationem, sed diversis locis congruenter posita, diverso modo intelliguntur, et aliquando cum expositione dicuntur: ut est illud, *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis* (I Cor. xiv, 20). Hoc enim breviter clausa sententia dici potuit, Nolite esse pueri, sed estote pueri. Et illud, *Si quis putat se sapientem esse in vobis in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens* (Id. iii, 18): quid enim aliud dixit, quam, Non sit sapiens, ut sit sapiens? Aliquando autem clausæ ita dicuntur, ut exerceant inquirentem: ut est quod ait ad Galatas, *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi. Qui enim putat se esse aliquid, cum nihil sit, seipsum seducit. Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso habebit gloriam, et non in altero. Unusquisque enim proprium onus portabit* (Galat. vi, 2-5). Nisi oneris nomen sub diversis significationibus acceperis, procul dubio putabis eundem sibi in loquendo esse contrarium, et hoc in una sententia tam vicine positis verbis: qui cum paulo ante diceret, *Alter alterius onera portate*; postea dixit, *Unusquisque proprium onus portabit*. Sed alia sunt onera participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris: illa cum fratribus sustentanda communicantur, hæc propria ab unoquoque portantur. Ita et virga intelligitur spiritualiter, de qua dicebat Apostolus, *In virga veniam ad vos* (I Cor. iv, 21)? et corporaliter, sive ad equum qua utimur sive ad aliquid aliud opus fuerit: ut interim omittam et alias hujus nominis figuratas significationes.

73. Utrumque ergo accipiendum est a Domino Apostolis dictum, et ut nec virgam ferrent, et ut non nisi virgam ferrent. Cum enim secundum Matthæum diceret eis, *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zona vestra; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*; continuo subjecit, *Dignus est enim operarius cibo suo*. Unde satis ostendit cur eos hæc possidere ac ferre noluerit: non quod necessaria non sint sustentationi hujus vitæ; sed quia sic eos mittebat, ut eis hæc debere demonstraret ab illis ipsis quibus Evangelium credentibus annuntiarent, tanquam stipendia militantibus, tanquam fructum vineæ plantatoribus, tanquam lac gregis pastoribus. Unde Paulus dicit: *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non percipit?* Hinc enim loquelatur de iis quæ necessaria sunt prædicatoribus

Evangelii: unde paulo post dicit, *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metemus? Si alii potestatis vestræ participant, non magis nos? sed non sumus nisi hac potestate*. Unde apparet hæc non ita præcepisse Dominum, tanquam Evangelistæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus quibus annuntiant Evangelium; alioquin contra hoc præceptum fecit idem apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, ne cuiquam gravis esset (I Thess. ii, 9): sed potestatem dedisse, in qua scirent sibi ista deberi. Cum autem a Domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientiæ culpa est: cum autem potestas datur, licet cuique non uti, et tanquam de suo jure cedere. Hæc ergo Dominus loquens discipulis, id agebat, quod ipse Apostolus paulo post apertius ita explicat: *Nescitis quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt edunt? qui altari deserviunt, altari compartiuntur? Sic et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: ego autem nullius horum usus sum* (I Cor. ix, 7-15). Cum itaque dicit ita Dominum ordinasse, se autem usum non esse, utique ostendit utendi potestatem datam, non impositam serviendi necessitatem.

74. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinasse dicit Apostolus, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere, illa Apostolis loquebatur, ut securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima. Ideo posuit, *nec virgam*, ostendens a fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. Ac per hoc addendo, *Dignus est enim operarius cibo suo*, prorsus aperuit et illustravit unde et quare hæc omnia loqueretur. Hanc ergo potestatem virgæ nomine significavit, cum dixit, *ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*. Potuit enim etiam sic breviter dici, Nihil necessariorum vobiscum feratis, nec virgam, nisi virgam tantum: ut illud quod dictum est *nec virgam*, intelligatur, ne minimas quidem res; quod vero adjunctum est, *nisi virgam tantum*, intelligatur, quia per potestatem a Domino acceptam, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur non deerunt. Utrumque ergo Dominus dixit, sed quia non utrumque unus evangelista commemoravit, putatur ille qui virgam sub alia significatione positam tollendam dixit, ei qui virgam rursus aliud significantem non tollendam dixit, esse contrarius; sed jam ratione reddita non putetur.

75. Sic et calceamenta cum dicit Matthæus in via non esse portanda, curam prohibet, qua ideo portanda cogitantur, ne desint. Hoc et de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam quam esset indutus, aliam portandam putaret, sollicitus ne opus esset, cum ex illa potestate posset accipere. Proinde Marcus dicendo calceari eos sandaliis vel soleis, aliquid hoc calceamentum mysticæ significationis habere adinonet, ut pes neque tectus sit, neque nudus ad terram; id est, nec occultetur Evangelium, nec terrenis commodis innitatur. Et quod non portari vel haberi duas tunicas, sed expressius indui prohibet dicens, *Et ne induerentur duabus tunicis; quid eos mo*

net nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare?

76. Ita Dominum omnia dixisse, nullo modo dubitandum est, partim proprie, partim figurate: sed Evangelistas, alia istum, alia illum inseruisse scriptis suis; quædam vero eadem vel duos, vel tres eorum quælibet, vel omnes quatuor posuisse: nec sic tamen omnia esse conscripta, quæ ab illo seu dicta seu facta sunt. Quisquis autem putat non potuisse Dominum in uno sermone quædam figurate, quædam proprie ponere eloquia, cætera ejus inspiciat; videbit quam hoc temere atque inerudite arbitretur. Potest enim iste (ut unum aliquid dicam quod animo interim occurrit), quoniam monet ut non sciat sinistra quod facit dextra (*Matth. vi, 3*), et ipsas elemosynas, et quidquid illic aliud præcipit, figurate accipiendum putare.

77. Sane rursus admonere, quod oportet meminisse lectorem, ne tali admonitione sæpissime indigeat, aliis atque aliis sermonum suorum locis Dominum multa iterasse quæ alibi jam dixerat; ne forte ipsorum locorum ordo cum ex alio evangelista non convenerit, alicui eorum hinc putet esse contrarium; cum intelligere debeat iterum alibi dici, quod jam alibi dictum erat: nec tantum de dictis, verum etiam de factis observari debere. Nihil enim prohibet hoc idem iterum factum credere: calumniari autem Evangelio, dum non credit iterum factum, quod iterum, fieri non potuisse nemo convincit, sacrilegæ vanitatis est.

CAPUT XXXI. — *Ubi Joannes Baptista misit ad Dominum de carcere discipulos suos, quid Matthæus et Lucas dicunt.*

78. Sequitur Matthæus, et dicit: *Et factum est, cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret, et prædicaret in civitatibus eorum. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* etc., usque ad illud ubi ait, *Et justificata est sapientia a filiis suis* (*Matth. xi, 4-19*). Hunc totum locum de Joanne Baptista, quod miserit ad Jesum, et cujusmodi responsum acceperint illi quos misit, et quidquid post eorum abscessum de Joanne Dominus dixit, interponit et Lucas (*Luc. vii, 18-35*): non quidem ipso ordine, sed quis eorum recordationis suæ, quis rerum ipsarum hic ordinem teneat, non apparet.

CAPUT XXXII. — *Ubi exprobravit civitatibus quod non egerint poenitentiam, quod et Lucas dicit: ubi quærendum est quemadmodum illi Matthæus ipso ordine congruat.*

79. Sequitur Matthæus, et dicit: *Tunc cepit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam*, etc., usque ad illud ubi ait, *Terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi* (*Matth. xi, 20-24*). Etiam hoc commemorat Lucas (*Luc. x, 12-15*), continuato cuidam sermone Domini etiam hæc ex ipsius ore conjungens: unde magis videtur ipse hoc ordine illa commemorare, quo a Domino dicta sunt; Matthæus autem suæ recordationis ordinem tenuisse: aut si illud quod idem Matthæus ait, *Tunc cepit exprobrare civitatibus*, sic ac-

ceptiendum putatur, ut punctum ipsum temporis vultu credatur exprimere in eo quod dictum est, *Tunc*, non autem ipsum tempus aliquanto latius quo hæc multa gerebantur et dicebantur; quisquis hoc credit, credat etiam hoc esse bis dictum. Cum enim et apud unum Evangelistam inveniantur quædam quæ his dixerit Dominus; sicut apud eundem Lucam de non tollenda pera in via et similiter cæteris, duobus locis dictum a Domino invenitur (*Luc. ix, 3, et x, 4*): quid mirum si et aliquid aliud bis dictum singillatim a singulis dicitur eodem ordine quo dictum est, et ideo diversus ordo apparet in singulis, quia et tunc quando et ille, et tunc quando iste commemorat, dictum est? CAPUT XXXIII. — *Ubi vocat ad tollendum jugum et sarcinam suam, quemadmodum Matthæus a Luca non discrepet in narrandi ordine.*

80. Sequitur Matthæus: *In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus*, etc., usque ad illud ubi ait, *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth. xi, 25-30*). Hujus loci et Lucas meminit, sed ex parte. Non dicit enim ipse, *Venite ad me, omnes qui laboratis*, et alia quæ sequuntur. Semel autem hoc dictum a Domino, sed Lucam non totum quod dictum est commemorasse, credibile est. Matthæus enim dicit, *In illo tempore respondens Jesus dixit*, posteaquam exprobravit civitatibus: Lucas autem post illam exprobrationem civitatum interponit quædam, non tamen multa; atque hoc ita subjungit, *In ipsa hora exsultavit Spiritu sancto, et dixit* (*Luc. x, 21*). Unde etiam si Matthæus non *In illo tempore* diceret, sed *In ipsa hora*, tam pauca interponit Lucas in medio, ut etiam eadem hora dictum non absurde videatur.

CAPUT XXXIV. — *Ubi discipuli spicas vellentes manducaverunt, quemadmodum inter se congruant Matthæus, Marcus et Lucas in narrandi ordine.*

81. Sequitur Matthæus, et dicit: *In illo tempore abiit Jesus sabbato per sata; discipuli autem ejus esurientes ceperunt vellere spicas, et manducare*, etc., usque ad illud ubi ait, *Dominus est enim Filius hominis etiam sabbati* (*Matth. xii, 1-8*). Hoc quoque sine ulla repugnantia questione commemoratur et a Marco et a Luca (*Marc. ii, 23-28, et Luc. vi, 1-5*): sed illi non dicunt, *In illo tempore*. Unde fortassis magis Matthæus rei gestæ hic ordinem tenuit, illi autem recordationis suæ: nisi latius accipiatur quod dictum est, *In illo tempore*, id est, quo hæc multa et diversa gerebantur.

CAPUT XXXV. — *De illo qui manum aridam cum haberet, sabbato curatus est, quemadmodum narratio Matthæi concordet cum Marco et Luca, vel rerum ordine, vel Domini et Judæorum verbis.*

82. Sequitur ergo Matthæus, ita narrans: *Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam, et cætera*, usque ad illud ubi ait, *Et restituta est sanitati sicut altera* (*Matth. xii, 9-13*). De isto sanato, qui manum habebat aridam, etiam Marcus et Lucas non tacent (*Marc. iii, 1-5, et Luc. vi, 6-10*) Posset autem putari eo die factum et

de spicis et de isto sanato, quoniam et sabbatum hic commemoratur; nisi Lucas aperuisset alio sabbato factum esse de sanitate aridæ manus: Proinde quod ait Matthæus, *Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum*, non quidem venit nisi cum inde transisset, sed post quot dies in synagogam eorum venerit, posteaquam a segete illa transivit, an recta continuoque illuc ierit, non expressum est. Ac per hoc locus datur narrationi Lucæ, qui dicit alio sabbato huius manum sanatam. Sed potest movere, quomodo Matthæus dixerit, quod ipsi interrogaverint Dominum, *Si licet sabbato curare*, volentes invenire accusandi occasionem; ipse vero illis de ove proposuerit similitudinem, dicens, *Quis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit, et levabit eam? Quanto melior est homo ove? Itaque licet sabbatis bene facere; cum Marcus et Lucas illos potius a Domino interrogatos esse perhibeant, Licet sabbato bene facere, an male? animum salvam facere, an perdere? Itaque intelligendum est quod illi prius interrogaverint Dominum, *Si licet sabbato curare*: deinde quod intelligens cogitationes eorum, aditum accusandi quærentium, constituerit in medio illum quem fuerat sanaturus, et interrogaverit quæ Marcus et Lucas eum interrogasse commemorant; ac tunc illis tacentibus, proposuisse similitudinem de ove, et conclusisse quod liceat sabbato bene facere; postremo circumspicentibus eis cum ira, sicut Marcus dicit, contristatum super cæcitate cordis eorum, dixisse homini, *Exeunte manum tuam*.*

**CAPUT XXXVI.** — *Considerandum utrum ab isto cuius arida manus sanata est, ita digrediantur hi tres Evangelistæ ut in nullo sibi adversentur ipso narrationis ordine.*

83. Sequitur Matthæus, ita contextens narrationem suam: *Exeuntes autem Pharisei consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent. Jesus autem sciens, recessit inde; et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes: et præcepit eis ne manifestum eum facerent. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem, et cætera, usque ad illud ubi ait, Et in nomine ejus gentes sperabunt (Matth. xii, 14-21)*. Hoc solus iste commemorat, illi duo in alia perrexerunt. Ordinem sane rei gestæ videtur Marcus aliquantulum tenuisse, qui dicit Jesum cognita maligna adversum se dispositione Judæorum, secessisse ad mare cum discipulis suis, et ad eum turbas confluisse, et sanasse eum plurimos (*Marc. iii, 7-12*). Unde autem cœperit in aliud ire, non quod ordine sequeretur, vix apparet: utrum ubi dicit convenisse ad eum turbas; potuit enim hoc jam et alio tempore: an ubi dicit, *ascendit in montem*. Quod et Lucas videtur commemorare dicens, *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare (Luc. vi, 12)*: dicendo enim, *in illis diebus*, satis ostendit non continuo factum.

**CAPUT XXXVII.** — *De mutuo et cæco qui dæmonium habebat, quomodo Matthæus Lucasque consentiunt.*

84. Matthæus ergo sequitur et dicit: *Tunc oblatum*

*est ei dæmonium habens, cæcus et mutus; et curavit eum, ita ut loqueretur et videret (Matth. xii, 22)*. Hoc non isto ordine, sed post alia multa Lucas commemorat, et mutum dicit tantum non etiam cæcum (*Luc. xi, 14*): sed non ex eo quod aliquid tacet, de alio dicere putandus est: ea enim sequentia etiam ipse contextit quæ Matthæus.

**CAPUT XXXVIII.** — *Ubi ei dictum est quod in Beelzebub ejicit dæmonia, quidquid ex ipsa occasione locutus est de blasphemia adversus Spiritum sanctum, et de duabus arboribus, utrum in nullo Matthæus a duobus aliis, maxime a Luca, dissentiat.*

85. Sequitur Matthæus, dicens: *Et stupebant omnes turbæ, et dicebant: Numquid hic est filius David? Pharisei autem audientes dixerunt: Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Jesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis: Omne regnum dirisum contra se, desolabitur, etc., usque ad illud ubi ait, Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis (Matth. xii, 23-37)*. Marcus non ex occasione illius muti subjicit dictum de Jesu quod in Beelzebub ejiceret dæmonia; sed post alia quædam, quæ solus commemorat, hoc quoque subnectit, sive alio loco id recolens et adjungens, sive aliquid prætermittens, et deinde ad hunc ordinem rediens (*Marc. iii, 23-30*). Lucas autem pene totidem verbis hoc dicit quod Matthæus (*Luc. xi, 14-26*): et quod digitum Dei appellat Spiritum Dei, ab eadem sententia non recedit; quin potius et aliquid docet, ut noverimus quemadmodum intelligamus ubicumque Scripturarum legerimus digitum Dei. In aliis autem, quæ non hic dicunt Marcus et Lucas, nulla controversia est; nec in his quæ aliquanto aliter dicunt, quia eadem sententia est.

**CAPUT XXXIX.** — *Quod respondit petentibus signum, de Jona propheta et de Ninivitis, et de Regina Austri, et de spiritu immundo, qui cum exierit ab homine, redit et invenit domum mundatam, quomodo Matthæus Lucas congruat.*

86. Sequitur Matthæus, et dicit: *Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Phariseis dicentes: Magister, volumus a te signum videre, etc., usque ad illud ubi ait, Sic erit et generationi huic proximæ (Matth. xii, 38-45)*. Hæc etiam Lucas narrat eo quidem loco, sed aliquanto dispari ordine (*Luc. xi, 16-37*). Nam illud quod petierunt signum a Domino de celo, supra commemoravit post illud de mutuo miraculum: et non ibi retulit, quid eis ad hoc Dominus respondisset; sed postea cum turbæ concurrissent, dicit hoc fuisse responsum eis, quos dat intelligi superius a se commemoratos, quod de celo signum quærebant: et hoc annectit posteaquam interposuit de muliere quæ dixit Domino, *Beatus venter qui te portavit*. Hanc autem mulierem interponit, cum de sermone Domini commemorasset, quod spiritus immundus exiens ab homine, redit, et invenit mundatam domum. Post mulierem ergo illam, cum diceret responsum esse turbis de signo quod de celo quærebant, interposita similitudine Jonæ prophetæ, deinde continuato sermone ipsius Domini, commemorat dictum de regina

Austr. et de Ninivitis : ita aliquid potius commemoravit quod Matthæus tacuit, quam aliquid prætermisit eorum quæ hoc loco ille narravit. Quis autem non videat superfluo quæri, quo illa ordine Dominus dixerit; cum et hoc discere debeamus per Evangelistarum excellentissimam auctoritatem, non esse mendacium, si quisquam non hoc ordine cujusquam sermonem digesserit, quo ille a quo processit, cum ipsius ordinis nihil intersit ad rem, sive ita, sive ita sit? Et adhuc Lucas productiorem hunc Domini sermonem indicat, et in eo quædam commemorat, qualia Matthæus in sermone illo qui est habitus in monte (*Matth. v-vii*), quæ bis dicta intelligimus, et ibi scilicet, et hic. Terminato autem isto sermone, in aliud pergit Lucas : in quo utrum ordinem rerum gestarum servarit, incertum est. Ita enim connectit : *Et cum loqueretur, rogavit eum quidam Phariseus ut pranderet apud se.* Non autem ait, Cum hæc loqueretur; sed, *cum loqueretur.* Nam si dixisset, Cum hæc loqueretur, necessario cogeret intelligere hoc ordine non tantum a se fuisse narrata, verum et a Domino gesta.

CAPUT XL. — *Ubi ei nuntiata est mater et fratres ejus, utrum a Marco et Luca ordo ipse non discrepet.*

87. Sequitur ergo Matthæus, et dicit : *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei, etc., usque ad illud ubi ait, Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater et soror et mater est (Matth. i, 46-50).* Hoc sine dubio consequenter gestum intelligere debemus. Præmisit enim, cum ad hoc narrandum transiret, *Adhuc eo loquente ad turbas* : quid est autem, *Adhuc*, nisi illud quod loquebatur? Non enim dixit, *Et eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres*; sed, *Adhuc eo loquente* : quæ cum dicit, cogit intelligi, hæc loquente, quæ superius indicabat. Nam et Marcus post illud quod de blasphemia Spiritus sancti, quid Dominus dixerit retulit, *Et veniunt*, inquit, *mater ejus et fratres (Marc. iii, 31-35)* : prætermisiss quibusdam, quæ in eodem textu sermonis Domini et Matthæus prolixius Marco, et Lucas prolixius Matthæo posuerunt. Lucas autem non hujus rei gestæ ordinem tenuit, sed præoccupavit hoc, et recordatum ante narravit. Denique hoc sic interposuit, ut solum appareat a nexu et superiorum et posteriorum. Post commemoratas enim quasdam parabolas Domini, ita hoc de matre et fratribus ejus recordatum interposuit : *Venerunt autem ad illum*, inquit, *mater et fratres ejus : et non poterant ad eum adire præ turba* : non expressit quando ad eum venerint. Rursus cum et hinc transit, ita loquitur : *Factum est autem, inquit, in una dierum, et ipse ascendit in naviculam, et discipuli ejus (Luc. viii, 19-22).* Et hic utique cum dicit, *Factum est in una dierum*, satis indicat, non necesse esse ut hæc dies intelligatur in qua hoc gestum est, vel illa quæ continuo sequitur. Nihil itaque habet repugantiæ cum cæteris duobus quod Matthæus de matre et fratribus Domini narrat,

neque in verbis Domini, neque in ipso ordine rerum gestarum.

CAPUT XLI. — *Quod ex navicula turbis locutus est de illo cujus in seminando aliud cecidit in via, etc., et de illo cui superseminata sunt sisania, et de grano sinapis, et de fermento; et quod in domo locutus est, de thesauro abscondito in agro, et de margarita, et de sagena missa in mare, et de proferente de thesauro nova et vetera, quomodo Marco et Luca Matthæus consentiat, vel in his quæ cum illo dixerunt, vel narrationis ordine.*

88. Sequitur Matthæus : *In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare : et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet : et omnis turba stabat in littore; et locutus est eis multa in parabolis dicens, et cætera, usque ad illud ubi ait, Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera (Matth. xiii, 1-52).* Post illud quod narratum est de matre et fratribus Domini, hoc continuo gestum esse, et eum ordinem Matthæum etiam in narrando tenuisse, ea res insinuat, quia cum illinc transiret, ita contexit ut diceret, *In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare, et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ.* Cum enim dicit, *In illo die* (nisi forte dies, more Scripturarum, tempus significet), satis indicat aut hoc consequenter gestum, aut non multa interponi potuisse; maxime quia et Marcus eum ordinem tenet (*Marc. iv, 1-34*) : Lucas autem post illud quod narrat de matre et fratribus Domini, in aliud transit, nec eo transitu connexionem aliquam facit, qua huic ordini repugnare videatur (*Luc. viii, 22*) : Omnium ergo horum quæ Matthæus Dominum locutum esse narravit, quæ cum illo dixerunt Marcus et Lucas, non habent repugantiæ questionem; quæ autem ipse solus dixit, multo magis sine controversia sunt : nec in ipso ordine, quamvis aliquanto diversum alius alium teneat, partim gestarum rerum, partim recordationis suæ, video quid vel cui quisque adverteretur.

CAPUT XLII. — *Quod venit in patriam suam, et mirabantur doctrinam, cum genus ejus contemnerent : quomodo consentiat Marco et Luca Matthæus, maxime utrum narrandi ordo nihil alteri adverteretur.*

89. Sequitur ergo Matthæus : *Et factum est cum consummasset Jesus parabolas istas, transit inde : et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum*<sup>1</sup>, etc., usque ad illud ubi ait, *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum (Matth. xiii, 53-58).* A superiore sermone parabolarum sic transit, ut non ostendat consequentis ordinis necessitatem : præsertim quia Marcus ab istis parabolis, non in quod iste, sed in aliud tendens, in quod et Lucas ita contexit narrationem, ut credibilis ostendatur hoc esse potius consequenter gestum, quod ipsi duo continuenter adjungunt, de navi scilicet in

<sup>1</sup> Mss. tres, *in synagoga eorum* : juxta græcum textum.

qua dormiebat Jesus, et de illo miraculo expulsorum dæmoniorum apud Geraseos (*Marc.* iv, 35; v, 17, et *Luc.* viii, 22-37), quæ duo Matthæus jam superioris recolens interposuit (*Matth.* viii, 23-34). Nunc ergo quæ in patria sua Dominus dixerit vel ei dicta sint, videamus utrum cum aliis duobus Marco et Luca concordent. Nam Joannes longe in diversis et dissimilibus narrationis suæ locis vel dicta esse Dominum talia (*Joan.* vi, 42), vel eum dixisse commemorat, qualia hoc loco tres cæteri meminerunt.

90. Et Marcus quidem eadem prope commemorat hic omnia quæ Matthæus, nisi quod Dominum fabrum et Mariæ filium dicit a civibus suis dictum (*Marc.* vi, 1-6), non, sicut Matthæus, fabri filium. Nec mirandum est, cum utrumque dici potuerit: eo enim et fabrum credebant, quo fabri filium. Lucas autem eandem rem gestam latius indicat, et plura ibi commemorat; nec longe post baptismum et tentationem ejus hoc inserit, sine dubio præoccupans quod multis rebus interpositis postea gestum est: unde quisque possit advertere, quod huic tam magnæ questioni, quam de consensu Evangelistarum enodandam Deo adjuvante suscepimus, plurimum necessarium est, non nescientes aliquid eos præternisisse, aut nescientes quemadmodum se ordo rerum gestarum haberet, alium potius ordinem suæ recordationis tenuisse; quod hinc evidentissime intelligi potest, quia Lucas antequam aliquid narraret Dominum fecisse Capharnaum, præoccupavit hunc locum, quem nunc consideramus, ubi cives ejus et potentiam virtutis in eo stupebant, et ignobilitatem generis contemnebant. Nam hoc eum dicit eis dixisse, *Utique dicetis mihi: Medice, cura teipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua;* cum secundum ejuſdem ipsius Lucæ narrationem nihil adhuc legatur fecisse Capharnaum. Quod quia longum non est, et facillimum est et pernecessarium, totum inserimus, unde ad hoc narrandum et quomodo venerit. Postquam baptizatum et tentatum Dominum indicavit, ita sequitur: « Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam: et fama exiit per universam regionem de illo. Et ipse docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere. Et traditus est illi liber prophetæ Isaïæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere contractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum et diem retributionis. Et cum pliusset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intententes in eum. Coepit autem dicere ad illos, Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant: Nonne hic est

filius Joseph? Et ait illis, Utique dicetis mihi hæc similitudinem: Medice, cura teipsum. Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua (*Luc.* iv, 13-23), et cætera, donec peragat totum ipsum narrationis suæ locum. Quid ergo evidentius, quam hoc eum scientem præoccupasse narrandum, cum utique jam magna ab illo in Capharnaum facta fuisset et ipse noverit, et ipse commemoret, quæ se nondum narrasse utique scit? Neque enim tantum ab ejus baptismo progressus est, ut oblitus putetur nondum se aliquid commemorasse de iis quæ in Capharnaum gesta fuerant: modo enim coepit post baptismum aliquid narrare de Domino.

CAPUT XLIII. — *Quemadmodum inter se convenient Matthæus, Marcus et Lucas de verbis Herodis cum audisset de mirabilibus Domini, vel de ipso narrationis ordine.*

91. Sequitur Matthæus: *In illo tempore audivit Herodes tetrarcha samam Jesu, et ait pueris suis: Ille est Joannes Baptista; ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo* (*Matth.* xiv, 1, 2). Marcus hoc idem et eodem modo dicit, sed non eodem ordine (*Marc.* vi, 14-16). Nam postquam discipulus Dominus misit, dicens eis ne quid in via ferrent, nisi virgam tantum, terminato eo sermone, quantum ab illo commemoratum est, etiam hoc subiecit, nulla tamen facta necessitate, qua hoc etiam consequenter gestum esse intelligere cogemur: sicut nec Matthæus; *In illo enim tempore dixit, non, In illo die, vel hora: nisi quod Marcus non quod Herodes dixerit, sed, Dicebant, inquit, quia Joannes Baptista surrexit a mortuis: Matthæus vero de ipso Herode, Ait, inquit, pueris suis. Lucas etiam cum narrandi ordinem, quem Marcus, teneus, nec ipse sane etiam rerum gestarum eundem ordinem fuisse credi cogens, ita hoc idem commemorat: Audivit autem, inquit, Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, et hæsitabat, eo quod diceretur a quibusdam quia Joannes surrexit a mortuis; a quibusdam vero, quia Elias apparuit; ab aliis autem, quia propheta unus de antiquis surrexit. Et ait Herodes: Joannem ego decollavi; quis est autem iste de quo ego audio talia? Et quærebat videre eum* (*Luc.* ix, 7-9). In his verbis Lucas quoque Marco attestatur, ad hoc duntaxat quod alii dixerint, non Herodes, Joannem a mortuis surrexisse. Sed quia hæsitantem commemoravit Herodem, verbaque ejus ita postea posuit dicens, *Joannem ego decollavi; quis est autem iste de quo audio ego talia?* intelligendum est aut eum post hanc hæsitationem confirmasse in animo suo quod ab aliis dicebatur, cum ait pueris suis, sicut Matthæus narrat, *Et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista; ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo:* aut ita pronuntianda sunt hæc verba, ut hæsitantem adhuc indicent. Si enim diceret, Numquidnam hic est, aut, Numquid forte hic est Joannes Baptista? non opus esset admonere aliquid de pronuntiatione, qua dubitans atque hæsitans intelligatur. Nunc quia illa verba desunt, utroque modo pronuntiarî potest; ut aut confirmatum eum ex aliorum verbis, credentem dixisset

accipiamus; aut adhuc, sicut Lucas commemorat, hesitantem: præsertim quia et Marcus, qui superius dixerat, ab aliis fuisse dictum quod Joannes a mortuis resurrexit, in extremo tamen ipsum Herodem dixisse non tacet, *Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit*. Quæ item verba duobus modis pronuntiarî possunt, ut aut confirmantis, aut dubitantis intelligantur. Cum autem Lucas posteaquam hoc commemoravit, in aliud transeat; duo isti, Mathæus et Marcus ex hac occasione narrant quemadmodum sit ab Herode Joannes occisus.

CAPUT XLIV. — *De Joanne incluso, vel etiam occiso, quo ordine ab his tribus narretur.*

92. Sequitur ergo Mathæus, et dicit: *Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem propter Herodiadem, uxorem fratris sui, etc., usque ad eum locum ubi ait, Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus<sup>1</sup>, et sepelierunt illud; et venientes nuntiaverunt Jesu (Matth. xiv, 3-12)*. Marcus hoc similiter narrat (*Marc. vi, 17-29*): Lucas autem non eodem ordine id recordatur, sed circa ipsum baptismum quo Dominus baptizatus est. Unde hoc præoccupasse intelligitur et ipse ex occasione, ut ibi narraret quod multo post factum est. Cum enim commemorasset Joannis verba de Domino, quod ventilabrum in manu ejus, et mundabit aream suam, frumenta recondet in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili: continuo subjecit, quod non continuo factum esse Joannes evangelista apertissime exposuit, cum commemorat, posteaquam baptizatus esset Jesus, isse illum in Galilæam, quando fecit de aqua vinum; et inde post paucorum dierum in Capharnaum habitationem, rediisse ad Judæam terram, et ibi baptizasse multos circa Jordanem, antequam missus esset Joannes in carcerem (*Joan. ii, 1, 12, et iii, 22-24*). Quis autem non putet, qui minus<sup>2</sup> in his litteris eruditus est, tanquam post illa verba de ventilabro et de area mundata, continuo sit a Joanne offensus Herodes, et eum in carcerem miserit? Non autem hoc ordine ista narrata quo gesta sunt, et alibi jam probavimus, et hoc ipso loco non quilibet alius, sed idem Lucas hoc probat (*Luc. iii, 15-21*). Si enim post verba illa continuo Joannes in carcerem missus est, quomodo post ipsam commemorationem Joannis in carcerem missi baptizatus est Jesus, secundum ipsius Lucæ narrationem? Proinde manifestum est, ex occasione recordatum præoccupasse, et ante multa quæ priusquam Joanni hoc fieret, gesta narraturus erat, hoc præoccupatum in sua narratione præmissæ. Sed nec illi duo Mathæus et Marcus eo rerum ordine de Joanne in carcerem misso in sua narratione posuerunt, quo factum apparet etiam in eorum scriptis: nam et ipsi dixerunt, tradito Joanne Dominum huc in Galilæam (*Matth. iv, 12, et Marc. i, 14*); et post multa quæ fecit in Galilæa, veniunt ad Herodis

<sup>1</sup> Editi, corpus ejus. Abest. ejus, a Mss. et a græco.

<sup>2</sup> Editi, nisi qui minus, etc. Abest, nisi, a Mss. ut sit iste sensus, Quis autem, si minus in his litteris eruditus est, non putet.

admonitionem vel hæsitationem, quod Joannes, quem decollavit, a mortuis resurrexit (*Matth. xiv, 1, 2, et Marc. vi, 14-16*); et ex hac occasione narrant omnia quæ de Joanne contigerunt incluso et occiso.

CAPUT XLV. — *Ad miraculum de quinque panibus quo ordine ab omnibus, et quemadmodum ventum sit.*

93. Sequitur ergo Mathæus, cum dixisset nuntiatum esse Christo quod Joannes occisus ait, et ita narrationem contexit: *Quod cum audisset, inquit, Jesus, recessit inde in navicula in locum desertum soorsum. Et cum audissent turbæ secutæ sunt eum pedestres de civitatibus. Et extera vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum (Matth. xiv, 13, 14)*.

Hoc continuo post Joannis passionem factum esse commemorat. Unde post hæc, facta sunt illa quæ primo narrata sunt, quibus motus Herodes dixit, *Joannem ego decollavi*. Illa enim posteriora debent intelligi, quæ ad Herodem pertulit fama, ut moveretur, et hæsitaret quisnam iste esse posset, de quo audiret talia, cum Joannem ipse occidisset. Marcus autem posteaquam passionem Joannis narravit, commemorat discipulos missos rediisse ad Jesum, et renuntiassæ illi omnia quæ egerant et docuerant; et Dominum eis (quod ipse solus commemorat) dixisse ut requiescerent pusillum in deserto, et ascendisse cum eis in navem, et isse: et turbas hoc videntes prævenisse eos illum; quarum misertum Dominum docuisse multa; et hora jam progrediente factum esse ut de quinque panibus et duobus piscibus omnes qui aderant pascerentur (*Marc. vi, 30-44*). Quod miraculum omnes quatuor Evangelistæ commemoraverunt. Lucas etiam qui jam longe supra de Joannis passione narraverat (*Luc. iii, 20*), ex occasione qua diximus, nunc posteaquam commemoravit illam Herodis hæsitationem de Domino quisnam esset, hoc continuo subjungit quod Marcus, id est, rediisse ad illum Apostolos, et narrasse illi quæcumque fecerant, et assumptis eis recessisse in locum desertum, atque eo secutis turbas, et locutum esse de regno Dei, et eos qui cura indigebant sanasse: atque inde etiam ipse<sup>3</sup> die declinante commemorat miraculum de quinque panibus factum (*Id. ix, 10-17*).

94. At vero Joannes, qui multam ab eis tribus Evangelistis eo distat, quia magis in sermonibus quos Dominus habuit immoratur, quam in factis quæ mirabiliter fecit, posteaquam commemoravit eum relicta Judæa abiisse iterum in Galilæam, quod tunc intelligitur factum, cum et alii Evangelistæ dicunt eum Joanne tradito isse in Galilæam; posteaquam ergo id commemoravit Joannes, in transitu ejus per Sainariam multa quæ locutus est ex occasione illius Samaritanæ quam invenit ad puteum, contexit narrationi suæ: et post duos dies dicit eum inde exiisse in Galilæam, deinde venisse in Cana Galilææ, ubi fecerat de aqua vinum, et sanasse filium reguli cujusdam (*Joan. iv, 3, 5, 43-54*). Alia vero, quæ illum in Galilæa fecisse atque dixisse alii dixerunt, Joannes tacet: sed sano,

<sup>3</sup> Er. et Lov. serunt, ipso die. M.



quod illi tacuerunt, dicit ascendisse eum in die festo Jerosolymis, et fecisse ibi miraculum illud de homine qui triginta octo annos habebat in infirmitate, nec habebat hominem a quo in piscinam deponeretur, in qua variis valetudinibus affecti sanabantur; et ex hac occasione multa eum locutum fuisse commemorat. Post hæc eum dicit abiisse trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, et secutam multitudinem magnam: deinde abiisse in montem, et ibi sedisse cum discipulis suis, proximo Pascha die festo Judæorum: tum levatis oculis et visa multitudine maxima, pavise eam de quinque panibus et duobus piscibus (*Joan. v-vi, 13*); quod et cæteri Evangelistæ dicunt. Ac per hoc, prætermisisse illum per quæ illi narrando ad hujus miracoli commemorationem venerunt, certum est: verumtamen tanquam ex alia narrationis via, cum et illi tacuissent quæ iste dixisset, ad hoc miraculum de quinque panibus occurrerunt sibi et illi tres qui pene pariter ambulabant, et iste qui sermonum Domini alta connectans, per alia quæ illi tacuerunt circumvolavit quodammodo, et eis ad miraculum de quinque panibus pariter commemorandum, non multo post ab eis rursus in altiora revolaturus occurrat.

CAPUT XLVI. — *In ipso de quinque panibus miraculo quemadmodum inter se omnes quatuor conveniant.*

95. Sequitur ergo Matthæus, et ad ipsum de quinque panibus factum narrationem suam ex ordine ita perducit: *Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: Desertus est locus, et hora jam præterit; dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire; date illis vos manducare, etc.*, usque ad illud ubi ait, *Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis* (*Math. xiv, 15-21*). Hoc ergo miraculum quod omnes quatuor Evangelistæ commemorant (*Marc. vi, 34-44, et Luc. ix, 12-17*), et putantur inter se aliquid discrepare, considerandum atque tractandum est, ut ex hoc etiam ad cætera similia regulæ locutionum discantur, quibus tam diversis eadem tamen sententia retinetur, et eadem rerum veritas custoditur. Et inchoanda quidem est consideratio, non a Matthæo secundum ordinem Evangelistarum, sed a Joanne potius, a quo ita expressa est ista narratio, ut etiam nomina discipulorum diceret, cum quibus de hac re locutus est Dominus. Ita enim dicit: *Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Unde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset factururus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem serenum multum in loco: discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Accipit ergo panes Jesus, et cum gratias egisset, distribuit dis-*

*cumbentibus: similiter et ex piscibus quantum orlebant. Hi autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfluerunt his qui manducaverant* (*Joan. vi, 5-13*).

96. Non hic queritur quod iste dixit, cujusmodi essent panes; hordeaceos enim fuisse non tacuit, quod cæteri tacuerunt: neque hoc queritur, quod iste non dixit, fuisse ibi etiam præter quinque millia virorum, mulieres et parvulos, quod dicit Matthæus. Et omnino jam certum esse debet, et regulariter teneri in talibus quæstionibus, neminem moveri oportere, cum ab alio dicitur quod ab alio prætermittitur. Sed queritur quomodo ea quæ dixerunt, vera sint omnia, ne narrationem alterius narrans aliud alter excludat. Si enim Dominus, secundum narrationem Joannis, prospectis turbis, quæsiivit a Philippo, tentans eum, unde illis escæ dari possent; potest movere quomodo sit verum, quod alii narraverunt, prius dixisse Domino discipulos, ut dimitteret turbas, quo possent sibi alimentum emere de proximis locis: quibus ille respondit secundum Matthæum, *Non habent necesse ire; date eis vos manducare*. Cui etiam Marcus Lucasque consentiunt, tantum hoc prætermittentes quod ait, *Non habent necesse ire*. Intelligitur ergo post hæc verba Dominum inspexisse multitudinem, et dixisse Philippo quod Joannes commemorat, isti autem prætermiserunt. Deinde quod Philippus apud Joannem respondit, hoc Marcus a discipulis responsum esse commemorat, volens intelligi hoc ex ore cæterorum Philippum respondisse: quanquam et pluralem numerum pro singulari usitatissimo ponere potuerunt. Quod ergo ait Philippus, *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat*; hoc est dicere, quod ait Marcus, *Euntes ememus ducentis denariis panes, et dabimus eis manducare*. Quod autem commemorat idem Marcus dixisse Dominum, *Quot panes habetis?* prætermiserunt cæteri. Quod autem Andreas apud Joannem de quinque panibus et duobus piscibus suggestit, hoc cæteri pluralem numerum pro singulari ponentes, ex discipulorum persona retulerunt. Et Lucas quidem responsum Philippo ait et responsum Andree in unam sententiam constrinxit: quod enim ait, *Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces*, Andree retulit responsum: quod vero adjunxit, *Nisi forte nos escas, et emamus in omnem hanc turbam escas*, videtur ad responsum Philippo pertinere; nisi quod de ducentis denariis tacuit: quanquam et in ipsius Andree sententia potest hoc intelligi. Cum enim dixisset, *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces*; adjunxit etiam ipso, *Sed hæc quid sunt inter tantos?* hoc est dicere, *Nisi forte nos escas, et emamus in omnem hanc turbam escas*.

97. Ex qua universa varietate verborum, rerum autem sententiarumque concordia, satis apparet, salubriter nos doceri, nihil querendum in verbis nisi loquentium voluntatem: cui demonstrandæ invigilare

debent omnes veridici narratores, cum de homine, vel de angelo, vel de Deo aliquid narrant; horum enim voluntas verbis promi potest, ne de ipsa inter se aliquid discrepent.

98. Sane prætermittere non oportet hoc loco intentum et ad cætera, quæ talia forte occurrerint, facere lectorem, quia Lucas dixit quinquagenos jussos esse discumbere, Marcus vero et quinquagenos et centenos. Quod hic ideo non movet, quia unus partem dixit, alter totum: qui enim etiam de centenis retulit, hoc retulit quod ille prætermisit: nihil itaque contrarium est. Verumtamen si alius de quinquagenis tantum commemoraret, alius tantum de centenis, valde videretur esse contrarium; nec facile dignosceretur utrumque dictum esse, unum autem ab altero, alterum ab altero esse commemoratum: et tamen attentius consideratum inveniri debuisset quis non fateatur? Hoc ideo dixi, quia existunt sæpe aliqua ejusmodi, quæ parum intendentibus et temere judicantibus contraria videantur, et non sint.

•CAPUT XLVII. — *Quod ambulavit super aquas, quomodo qui hoc dixerunt inter se conveniant; et quomodo ab illo loco digrediantur, ubi turbas de quinque panibus pavit.*

99. Sequitur Matthæus, et dicit: *Et dimissa turba ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi: navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus; erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare. Et videntes eum supra mare ambulantem turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est, etc.*, usque ad illud ubi ait, *Venerunt et adoraverunt eum dicentes: Vere Filius Dei es* (Matth. xiv, 23-33). Marcus quoque hoc idem post narratum de quinque panibus miraculum ita sequitur: *Et cum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra. Et videns eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis, etc.* (Marc. vi, 47-54), similiter, nisi quod de Petro super aquas ambulante nihil dixit. Hoc autem ne moveat præcavendum est, quod Marcus dixit de Domino, cum ambularet super aquas, et volebat præterire eos. Quomodo enim hoc intelligere potuerunt, nisi quia in diversum ibat, eos volens tanquam alienos præterire, a quibus ita non agnoscebatur, ut phantasma putaretur? Quod ad mysticam significationem referri, quis usque adeo tardus est, ut nolit advertere? Sed tamen turbatis et exclamantibus subvenit, dicens, *Confidite, ego sum; nolite timere*. Quomodo ergo eos volebat præterire, quos paventes ita confirmat, nisi quia illa voluntas præterendi ad eliciendum illum clamorem valebat, cui subveniri oportebat!

100. Joannes etiam adhuc cum istis aliquantum immoratur. Nam post narratum de quinque panibus miraculum, ipse quoque hoc de laborante navicula, et de ambulatione Domini super aquas non tacet, ita contextens: *Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent, ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare: et cum ascendis-*

*sent navem, venerunt trans mare in Capharnaum. Et tenebræ jam factæ erant, et non venerat ad eos Jesus. Mare autem vento magno flante exsurgebat, etc.* (Joan. vi, 15-21). Nihil hic contrarium videri potest, nisi quod Matthæus dimissis turbis eum dicit ascendisse in montem, ut illic solus oraret: Joannes autem, in monte fuisse, cum eisdem turbis quas de quinque panibus pavit<sup>1</sup>. Sed cum et ipse Joannes dicat post illud miraculum fugisse eum in montem, ne a turbis teneretur, quæ eum volebant regem facere; utique manifestum est quod de monte in planiora descenderant, quando illi panes turbis ministrati sunt. Et ideo non est contrarium quod ascendit rursus in montem, sicut et Matthæus et Joannes dicunt: nisi quod Matthæus dicit, *ascendit*; Joannes autem, *fugit*: quod esset contrarium, si fugiens non ascenderet. Nec illud repugnat quod Matthæus dixit, *ascendit in montem solus orare*; Joannes autem, *Cum cognovisset, inquit, quia venturi essent, ut facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus*. Neque enim causæ orandi contraria est causa fugiendi: quandoquidem et hinc Dominus, transfigurans in se corpus humilitatis nostræ, ut conforme faceret corpori gloriæ suæ (Philipp. iii, 21), id quoque docebat, hanc esse nobis magnam causam orandi, quando est causa fugiendi. Nec illud adversum est, quod Matthæus prius cum dixit jussisse discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas, ac deinde dimissis turbis ascendisse in montem solum orare; Joannes vero prius eum fugisse commemorat solum in montem, ac deinde, *Ut autem sero factum est, inquit, descenderunt discipuli ejus ad mare; et cum ascendissent navem, etc.* Quis enim non videat hoc recapitulando Joannem postea dixisse factum a discipulis, quod jam Jesus jusserat antequam fugisset in montem; sicut solet in sermone ad aliquid prætermisum rediri quodammodo? Sed quia ipse reditus, maxime in brevitate ac puncto temporis factus, non commemoratur; putant plerumque qui audiunt, hoc etiam postea factum esse quod postea dicitur. Sic etiam quos dixerat ascendisse navem, et venisse trans mare in Capharnaum, dicit ad eos in mari laborantes venisse Dominum ambulantem super aquas: quod utique prius in ipsa navigatione factum est, qua veniebant Capharnaum.

101. Lucas autem post narratum de quinque panibus miraculum pergit in aliud, et ab ordine isto digreditur. Neque enim aliquid de navicula illa commemorat, et de via Domini super aquas: sed cum dixisset: *Et manducaverunt omnes, et saturati sunt, et sublatum est quod supersuit illis fragmentorum coplini duodecim*; deinde subjunxit, *Et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo et discipuli, et interrogavit illos dicens: Quem me dicunt esse turbæ* (Luc. ix, 17, 18)? jam deinceps aliud narrans, non quod illi

<sup>1</sup> Sic in aliquot melioris notæ Mss. At in aliis duodecim Mss. habetur *in monte fuisse, cum eisdem turbis de quinque, etc.* In editis autem Er. et Lov., *in montem fugisse, cum eisdem turbis de quinque, etc.*

tres, qui Dominum ambulantes super aquas venisse ad navigantes discipulos retulerunt. Nec ideo putari debet in illo monte, quo eum dixit Matthæus ascendisse, ut solus oraret, dixisse discipulis, *Quem me dicunt esse turbæ* (Lucas enim videtur in hoc congruere Matthæo, quia dixit, *cum solus esset orans*; cum ille dixisset, *ascendit in montem solus orare*)? sed omnino alibi, cum solus oraret, et essent cum illo discipuli, hoc interrogavit. Solum quippe Lucas fuisse dixit, non sine discipulis, sicut Matthæus et Joannes, quando ab illo discesserunt, ut præcederent eum trans mare. Iste namque apertissime adjunxit, *Erant cum illo et discipuli*. Proinde solum dixit, sine turbis, quæ cum illo non habitabant.

CAPUT XLVIII. — *Quomodo Matthæus et Marcus Joanni non adversentur in eo quod ab eis tribus narratur quid posteaquam transfretarunt factum sit.*

102. Sequitur Matthæus, dicens: *Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes: et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent; et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ et Pharisei dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant, etc., usque ad illud ubi ait, *Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem* (Matth. xiv, 34; xv, 20).*

Hæc et Marcus commemorat sine aliqua repugnantie questione (Marc. vii, 1-23): quidquid enim diverso modo ab alio dicitur, ab eadem sententia non recedit. Joannes autem ab navicula, ad quam Dominus super mare ambulans venit, posteaquam exierunt in terram, more suo in sermonem Domini intentus, cum ex occasione panis multa præcipueque divina locutum esse commemorat; postque ipsum sermonem rursus in aliud atque aliud ejus narratio sublimiter fertur (Joan. vi, 22-72). Nec tamen in eo quod ab istis digreditur, aliquid ordini istorum, illius in alia transitus adversatur. Quid enim prohibet intelligere et illos esse sanatos a Domino, de quibus narrant Matthæus et Marcus; et illis qui eum secuti sunt trans mare, hæc eum locutum esse, quæ prædicat Joannes: quandoquidem Capharnaum, quo dicuntur secundum Joannem transfretasse, juxta stagnum est Genesar, ad quam terram secundum Matthæum dicuntur exisse?

CAPUT XLIX. — *De muliere Chananaea quæ dixit, Et canes edunt de micis cadentibus de mensa dominorum suorum, quomodo inter se Matthæus Lucasque consentiant.*

103. Sequitur itaque Matthæus post illum sermonem Domini, ubi de non lotis manibus cum Phariseis egit, atque ita conserit narrationem, ordinem, quantum ipse transitus indicat, rerum etiam quæ consecutæ sunt servans: *Et egressus, inquit, inde Jesus recessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananaea a finibus illis egressa, clamavit dicens ei: Miserere mei, Domine, fili David; filia mea male a læmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum, etc.,*

SANCT. AUGUST. III.

usque ad illud ubi ait, *O mulier, magna est fides tua; fiat sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora* (Matth. xv, 21-23). Hoc de muliere Chananaea etiam Marcus commemorat, eundem rerum gestarum ordinem servans, nec afferens aliquam repugnantie questionem, nisi quod in domo dicit fuisse Dominum cum ad illum venit eadem mulier profilia sua rogans (Marc. vii, 24-30). Matthæus autem posset quidem facile intelligi de domo tacuisse, eandem tamen rem commemorasse: sed quoniam dicit discipulos Domino ita suggessisse, *Dimitte illam, quoniam clamat post nos*; nihil videtur aliud significare, quam post ambulantes Dominum mulierem illam deprecatorias voces emisisse. Quomodo ergo in domo, nisi quia intelligendum est dixisse quidem Marcum quod intraverit ubi erat Jesus, cum eum prædixisset fuisse in domo? Sed quia Matthæus ait, *Non respondit ei verbum*; dedit agnoscere, quod ambo tacuerunt, in eo silentio egressum fuisse Jesum de domo illa: atque ita cætera contexuntur, quæ jam in nullo discordant. Quod enim Marcus commemorat ei Dominum respondisse de pane filiorum non mittendo canibus, illis interpositis, dictum est, quæ Matthæus dicta non tacuit: id est, quia discipuli rogaverunt eum pro illa; et quia respondit non se esse missum nisi ad oves quæ perierunt domus Israel; et quia illa venit, id est, consecuta est, et adoravit eum dicens, *Domine, adjuva me*: tunc deinde dictum est quod Evangelista ambo commemorant.

CAPUT L. — *Cum de septem panibus pavit turbas, utrum inter se Matthæus Marcusque consentiant.*

104. Sequitur Matthæus ita narrans: *Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ; et ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, claudos, cæcos, debiles, et alios multos, et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos: ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes; et magnificabant Deum Israel. Jesus autem convocatis discipulis suis dixit: Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, et non habent quod manducant, etc., usque ad illud ubi ait, *Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres* (Matth. xv, 29-38). Hoc aliud miraculum de septem panibus et paucis pisciculis etiam Marcus commemorat eodem pene etiam ordine, nisi quia interponit quod nullus alius dicit, de surdo cui Dominus aures aperuit, spuens et dicens, *Effeta, quod est, adaperire* (Marc. vii, 31; viii, 9).*

105. Hoc sane non ab re fuerit admonere in hoc miraculo de septem panibus, quod duo evangelistæ Matthæus Marcusque posuerunt, quia si aliquis eorum id dixisset, qui de illis quinque panibus non dixisset, contrarius cæteris putaretur. Quis enim non existimaret unum idemque factum esse; non autem integre et veraciter, sive ab illo, sive ab aliis, sive ab omnibus fuisse narratum, sed aut illum pro quinque panibus septem dum falleretur commemorasse, aut illos pro septem quinque, aut utrosque mentitos, vel oblivione deceptos? Hoc et de duodecim cophinis, et de septem

(Trente-six.)

sportis opinaretur quasi contrarium : hoc de quinque millibus, et de quatuor millibus eorum qui pascerentur. Sed quia illi qui miraculum de septem panibus narraverunt, nec illud de quinque tacuerunt, neminem movet, et utrumque factum omnes intelligunt. Hoc ideo diximus, ut sicubi simile invenitur factum a Domino, quod in aliquo alteri Evangelistæ ita repugnare videatur, ut omnino solvi non possit, nihil aliud intelligatur quam utrumque factum esse, et aliud ab alio commemoratum : sicut de centenis, et quinquagenis discumbentibus commendavimus; quia si non etiam illud utrumque apud unum inveniremus, contraria singulos dixisse putaremus (a).

CAPUT LI. — *Quod dicit Matthæus inde eum venisse in fines Magedan, quomodo congruat Marco; et in eo quod petentibus signum respondit iterum de Jona.*

106. Sequitur Matthæus, et dicit : *Et dimissa turba ascendit in naviculam et venit in fines Magedan*, etc. usque ad illud ubi ait, *Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ* (Matth. xv, 39; xvi, 4). Hoc jam et alibi dixit idem Matthæus (Id. xii, 39). Unde etiam atque etiam retinendum est, sæpius Dominum eadem dixisse; ut quod existente contrario solvi non potuerit, bis dictum intelligatur. Hunc sane ordinem etiam Marcus tenens, post illud de septem panibus miraculum, hoc idem subjicit quod Matthæus, nisi quod Dalmanutha, quod in quibusdam codicibus legitur, non dixit Matthæus, sed Magedan (Marc. viii, 10-12). Non autem dubitandum est eundem locum esse sub utroque nomine. Nam plerique codices non habent etiam secundum Marcum, nisi Magedan. Nec illud moveat, quod Marcus non dicit responsum esse quærentibus signum de cælo, idem quod Matthæus de Jona, sed ait Dominum respondisse, *Signum non dabitur ei*. Intelligendum est enim quale petebant, hoc est, de cælo : prætermisit autem dicere de Jona, quod Matthæus commemoravit.

CAPUT LII. — *De fermento Pharisæorum, quomodo cum Marco conveniat, vel re vel ordine.*

107. Sequitur Matthæus : *Et relictis illis abiit. Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis : Intuemini, et cavete a fermento Pharisæorum et Saducæorum*, etc., usque ad illud ubi ait, *Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum et Saducæorum* (Matth. xvi, 5-12). Hæc eadem etiam Marcus et eodem ordine digere (Marc. viii, 13-21).

CAPUT LIII. — *Cum interrogavit discipulos, quem illi dicerent homines, utrum nihil inter se repugnet Matthæus, Marcus et Lucas, rebus aut ordine.*

108. Sequitur Matthæus : *Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos dicens : Quem me<sup>1</sup> dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt : Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophe-*

<sup>1</sup> In editis exciderat, me; quod hic in optimæ notæ Mss. habetur, et in græco.

(a) Vide supra, cap. 46.

tis, etc., usque ad illud ubi ait, *Et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis* (Matth. xvi, 13-19). Hoc eodem pene ordine Marcus narrat, sed interposuit primo de cæco illuminato, quod solus ipse commemorat, de illo qui dixit Domino, *Video homines sicut arbores ambulantes* (Marc. viii, 22-29). Lucas autem post miraculum illud de quinque panibus hoc recordatur, atque inserit (Luc. ix, 18-20) : cujus recordationis ordo, sicut supra jam ostendimus, nihil repugnat ordini istorum. Sed potest illud movere, quod Lucas Dominum interrogasse discipulos suos, quem illum dicerent homines, tunc dixit, cum esset solus orans, et adessent etiam ipsi : porro autem Marcus in via dicit illos hoc ab eodem interrogatos. Sed eum movet, qui nunquam oravit in via<sup>1</sup>.

109. Jam etiam dixisse me recolo, ne quis arbitretur quod hic Petrus nomen accepit, ubi illi ait, *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Non enim accepit hoc nomen, nisi ubi Joannes commemorat ei dictum esse, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (Joan. i, 42). Unde nec illo loco, ubi Marcus duodecim discipulos nominatim commemorans, dixit appellatos Jacobum et Joannem filios tonitruum, arbitrandum est nomen accepisse Petrum; quia dixit illic quod imposuerit ei nomen ut vocaretur Petrus (Marc. iii, 16-19) : hoc enim recollendo dixit, non quod tunc factum sit.

CAPUT LIV. — *Ubi prænuñtiavit discipulis passionem suam, quæ sit inter Matthæum, Marcum et Lucam convenientia.*

110. Sequitur Matthæus, et dicit : *Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus. Exinde cæpit Jesus ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Jerosolyman, et multa pati a senioribus et Scribis*, etc., usque ad illud ubi ait, *Non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum* (Matth. xvi, 20-23). Hæc eodem ordine subnectunt Marcus et Lucas (Marc. viii, 30-33, et Luc. ix, 21, 22) : sed Lucas de Petro, quod passioni Christi contradixerit, tacet.

CAPUT LV. — *Ubi subjungunt iidem tres quomodo præcepit Dominus ut post eum qui voluerit veniat quam secum concordent.*

111. Sequitur Matthæus : *Tunc Jesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*, etc., usque ad illud ubi ait, *Et tunc reddet unicuique secundum opus ejus* (Matth. xvi, 24-27). Hoc et Marcus subjungit eundem ordinem servans : sed ipse non dicit de Filio hominis venturo cum Angelis suis, ut reddat unicuique secundum opus suum. Commemoratur tamen etiam illud dixisse Dominum, *Qui enim me confusus fuerit, et mea verba, in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur eum cum venerit in gloria sua cum Angelis sanctis* (Marc. viii, 34-38). Quod intelligi potest ad eamdem sententiam pertinere, qua dixit Matthæus, ut reddat unicuique secun-

<sup>1</sup> Er. et Lov. : Qui putat quod nunquam oravit in via At. Rat. Mss. non habent, prædat quod.

adum opus suum. Lucas quoque eadem eodemque ordine annectit, non multum diverso verborum modo, eadem tamen sententiarum veritate simillimus<sup>1</sup> (*Luc. ix, 25-26*).

CAPUT LVI. — *Quod se Dominus tribus discipulis in monte ostendit cum Moyse et Elia, quomodo inter se congruant tres isti ordine et rebus, et maxime propter numerum dierum, quia Matthæus et Marcus dicant post sex dies factum, quod Lucas post octo.*

112. Sequitur Matthæus: *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo. Et post dies sex assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, etc.*, usque ad illud ubi ait, *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.* Hæc visio Domini in monte coram tribus discipulis, Petro, Jacobo et Joanne, ubi etiam de cælo illi testimonium paternæ vocis perhibuitur, a tribus Evangelistis eodem ordine commemoratur, et ad easdem omnino sententias (*Matth. xvi, 28; xvii, 9; Marc. viii, 39; ix, 9, et Luc. ix, 27-56*): sed cætera secundum ea genera locutionum diversa, sine ulla sententiarum diversitate, quæ multis locis superius demonstravimus, videri a legentibus possunt.

113. Quod autem Marcus post sex dies factum dicit, sicut Matthæus, Lucas autem post octo, non contemnendi sunt, si quos movet, sed ratione reddita instruendi. Dicit enim quando enuntiamus dicentes: Post tot dies; aliquando non annumeramus cum in quo loquimur, et eum quo res ipsa futura est, quam prænuntiamus vel pollicemur, sed medios, post quos revera plenos atque integros illud futurum est. Hoc fecit Matthæus et Marcus; excepto eo die quo hæc loquebatur Jesus, et illo quo exhibuit memoratam in monte visionem, medios dies intuentes dixerunt, *Post sex dies*: quod ille annumeratis finalibus, id est primo atque ultimo, dixit, *Post octo dies*, eo loquendi modo quo pars pro toto commemoratur.

114. Item quod Lucas ait de Moyse et Elia, *Et factum est, dum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præceptor, bonum est nos hic esse, et cætera*, non debet putari contrarium ei quod Matthæus Marcusque ita conjunxerunt, Petrum hoc suggestisse quasi adhuc Moyses et Elias cum Domino loquerentur. Non enim expresserunt, quod tunc; sed tacuerunt potius, quod iste addidit, illis discedentibus hoc Petrum de tribus tabernaculis faciendis Domino suggestisse. Addidit etiam Lucas, intransibus illis in nubem, factam esse vocem de nube; quod illi non dixerunt, sed nec contradixerunt.

CAPUT LVII. — *Ubi de adventu Eliæ locutus est eis, quæ sit convenientia inter Matthæum et Marcum.*

115. Sequitur Matthæus: *Et interrogaverunt eum discipuli dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire? At ille respondens ait eis: Elias quidem venturus est, et restituet omnia: dico autem vobis quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum,*

<sup>1</sup> Rat. et duo Mas., sententiam veritate simillimo.

*sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt; sic et Filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli quia de Joanne Baptista dixisset eis (Matth. xvii, 10-15).* Hoc idem Marcus, etiam hunc ordinem servans, commemoravit et in nonnulla diversitate verborum, nusquam tamen ab ejusdem sententiæ veritate discessit (*Marc. ix, 10-12*): sed ipse non addidit, intellexisse discipulos quod Joannem Dominus significasset, dicendo quod Elias jam venerit.

CAPUT LVIII. — *De illo qui ei obtulit filium suum, quem discipuli sanare non potuerant, quemadmodum tres isti consentiant etiam ordine narrationis.*

116. Sequitur Matthæus, et dicit: *Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutis ante eum, dicens: Domine, miserere filii mei, quia lunaticus est, et male patitur, etc.*, usque ad illud ubi ait, *Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium (Matth. xvii, 14-20).* Hoc et Marcus et Lucas eodem etiam ordine memorant, sine ulla repugnantia quæstione (*Marc. ix, 16-28, et Luc. ix, 38-43*).

CAPUT LIX. — *Ubi de passione sua cum eis dixisset, contristati sunt, quod tres ipsi eodem ordine commemorant.*

117. Sequitur Matthæus, dicens: *Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum; et occidetur eum, et tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer (Matth. xvii, 21, 22).* Hoc eodem ordine Marcus Lucasque commemorant (*Marc. ix, 29-31, et Luc. ix, 44, 45*).

CAPUT LX. — *Ubi de ore piscis solvit tributum, quod Matthæus solus dicit.*

118. Sequitur Matthæus, dicens: *Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait, Etiam, etc.*, usque ad illud ubi ait, *Invenies staterem; illum sumens da eis pro me et te (Matth. xvii, 23-26).* Hoc solus iste commemorat, quo interposito eundem ordinem sequitur, in quo cum eo etiam Marcus et Lucas pariter ambulant.

CAPUT LXI. — *De puero parvulo quem proposuit imitandum, de scandalis mundi, de membris corporis scandalizantibus, de angelis parvulorum qui vident faciem Patris, de una ove ex ovis centum, de fratre corripiendo in secreto, de solvendis ligandisque peccatis, de concordia duorum et congregatione trium, de dimittendis peccatis usque septuagies septies, de servo cui dimissum est multum debitum, et ipse parvum non dimisit conservo, Matthæus quemadmodum cæteris non repugnat.*

119. Sequitur ergo idem Matthæus, et dicit: *In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis, putas, major est in regno cælorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum, usque ad illud ubi ait, Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris (Matth. xviii).* Ex isto aliquanto proluxiore Domini sermone non omnia, sed quædam Marcus eundem

sequens ordinem posuit; quædam etiam ipse, quæ Matthæus non dicit, inseruit (*Marc. ix, 55-59*). Totus autem sermo quousque eum considerandum suscepimus, a Petro solo interpellatur, quærente quoties fratri debeat ignosci. Talia enim Dominus loquebatur, ut satis eluceat, etiam hoc quod Petrus interrogavit, eique responsum est, ad eundem pertinere sermonem. Lucas autem, nisi illud de parvulo quem constituit ante discipulos imitandum, cum de sua magnitudine cogitarent, nihil hoc ordine servato commemorat (*Luc. ix, 46-48*). Si qua enim alia similiter dixit, quæ et in isto sermone sunt posita, alibi et ex aliis occasionibus dicta recoluit: sicut Joannes de remissione peccatorum, quod tenebuntur, si cui tenuerint; et dimittentur, si cui dimiserint, post resurrectionem a Domino dictum commemorat (*Joan. xx, 23*); cum Matthæus in hoc sermone Dominum hoc dixisse meminerit, quod et Petro antea dictum fuisse idem ipse testatur (*Matth. xvi, 19*). Eadem itaque sæpe ac pluribus locis Jesus dixisse, necubi movcamur, si ordo dictorum quibusdam repugnare putabitur, sicut jam toties commendavimus, meminisse debemus, ne hoc semper admonere necesse sit.

CAPUT LXII. — *Quando interrogatus est utrum liceat dimittere uxorem, quemadmodum inter se consentiant Matthæus et Marcus, maxime de ipsis interrogationibus vel Domini vel Judæorum atque responsis, in quibus videntur aliquantulum variare.*

120. Sequitur Matthæus, ita narrans: *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilæa, et venit in fines Judææ trans Jordanem: et secutæ sunt eum turbæ multæ, et curavit eos ibi. Et accesserunt ad eum Pharisei, tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa, etc., usque ad illud ubi ait, Qui potest capere capiat (Id. xix, 1-12). Hoc et Marcus commemorat, eundem ordinem tenens (Marc. x, 1-12). Sane videndum est, ne repugnare videatur, quod idem Marcus a Domino dicit interrogatos Phariseos, quid eis Moyses præceperit, atque ita illos interroganti respondisse de permissio sibi libello repudii: cum Matthæus dixerit verbis Domini, quibus ostenderat ex Lege Deum conjunxisse masculum et feminam, et propterea non eos debere ab homine separari, illos retulisse responsionem, *Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, et dimittere?* Quibus iterum ait, *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non sic fuit.* Nam et Marcus hanc Domini responsionem non tacet, sed posteaquam ei responderunt interroganti de libello repudii.*

121. In quo ordine vel modo verborum hoc intelligere debemus, ad rei veritatem nihil interesse utrum Domino separationem prohibentem et sententiam suam de Lege firmanti, ipsi intulerint questionem de libello repudii per eundem Moysen sibi permissio, per quem et illud scriptum est, quod Deus conjunxerit masculum et feminam (*Gen. ii, 24*); an hoc idem illi de præcepto Moysi eos interroganti responderint. Nam et voluntas ejus ita se habebat, ut non eis redderet

rationem cur illud Moyses permisit, nisi prius ipse hoc commemorasset; quæ voluntas ejus, ea quam Marcus posuit, interrogatione significata est: et illorum voluntas ipsa erat, ut de auctoritate Moysi, quoniam mandavit dari libellum repudii, tanquam concluderent eum separationem sine dubio vetaturum; hoc enim dicturi etiam tentantes accesserant. Quæ voluntas eorum sic expressa est per Matthæum, ut non eos esse commemoraret interrogatos, sed ultro intulisse de mandato Moysi, quo velut convincerent Dominum separationem conjugum prohibentem. Cum ergo voluntas loquentium, cui debent verba servire, ab Evangelista utroque nonstrata sit, nihil interest quam diversus inter ambos fuerit uarrandi modus, dum ab eadem veritate neuter abscederet.

122. Potest etiam hoc intelligi, quod, sicut dicit Marcus, prius eos de uxore dimittenda interrogantes Dominum vicissim interrogaret, quid eis præceperit Moyses: qui cum respondissent, Moysen permisisse libellum repudii scribere, et dimittere, respondit eis de ipsa Lege per Moysen data, quomodo Deus instituerit conjugium masculi et feminæ, dicens ea quæ ponit Matthæus, id est, *Non legistis quia qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos, et cætera.* Quibus auditis illi id quod ei primo interroganti responderant, repeterunt, dicentes, *Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, et dimittere?* Tunc Jesus causam ostendit esse duritiam cordis ipsorum, quam Marcus brevitatis causa prius ponit, tanquam illi priori, quam Matthæus intermisit, eorum responsioni redditam; nihil deperire judicans veritatem, quocumque loco eisdem ipsis verbis quæ bis dixerant redderetur, quoniam ipsis verbis eam reddiderat Dominus.

CAPUT LXIII. — *De parvulis quibus manus imposuit, de divite cui dixit, Vende omnia tua; de vinea quo conducti sunt operarii per horas diversas, quemadmodum Matthæus duobus aliis non repugnet.*

123. Sequitur Matthæus: *Tunc oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret: discipuli autem increpabant eos, et cætera, usque ad illud ubi ait, Multi enim sunt vocati, pauci autem electi (Matth. xix, 13; xx, 16).* Hunc cum Matthæo Marcus ordinem tenuit (*Marc. x, 13-16*), sed de conductis operariis ad vineam solus Matthæus interponit. Lucas autem cum commemorasset illud quod eis dixit quærentibus inter se quoniam major esset, adjunxit de illo quem viderant ejicientem dæmonia, cum eum non sequeretur: inde jam digreditur ab istis duobus, ubi ait eum firmasse faciem suam ut iret in Jerusalem (*Luc. ix, 46-51*); ac post multa interposita occurrit eis rursus ad commemorandum istum divitem cui dicitur, *Vende omnia quæ habes (Id. xviii, 18-30)*; quem nunc isti commemorant ex ordine quo pariter eunt. Nam ibi etiam Lucas de istis parvulis, antequam divitis faciat mentionem, quemadmodum et isti, non prætermittit. De illo ergo divite qui quærit, quid boni faciat ut vitam æternam consequatur, potest videri distare aliquid quod secundum Matthæum dicitur, *Quid me interrogas de bono?* secundum illos autem, *Quid me dicis bonum?* Nam,

*Quid me interrogas de bono?* ad illud magis referri potest, quod ait ille quærens, *Quid boni faciam?* Ibi enim et bonum nominavit, et interrogatio est: *Magister autem bono*, nondum est interrogatio. Commodissime ergo intelligitur utrumque dictum, *Quid dicis me bonum*; et, *interrogas me de bono?*

CAPUT LXIV. — *Ubi secreto duodecim discipulis de passione sua prædixit, et mater filiorum Zebedæi cum filiis suis petiit ut unus eorum ad dexteram ejus, alter ad sinistram sederet, quomodo non repugnet Matthæus aliis duobus.*

124. Sequitur Matthæus, et dicit: *Et ascendens Jesus Jerosolymam assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis; et condemnabunt eum morte, et tradent eum Gentibus ad detudendum et flagellandum et crucifigendum; et tertia die resurget. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, et petens aliquid ab eo, etc., usque ad illud ubi ait, Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis (Matth. xx, 17-28). Hunc cum illo ordinem etiam Marcus tenet, filios Zebedæi perhibens dixisse quod ab eis, non per eos ipsos, sed per matrem dictum esse Matthæus expressit, cum illa eorum voluntatem attulisset ad Dominum. Unde magis ipsos quam illam dixisse quod dictum est, Marcus breviter intimavit. Denique et Dominus, et secundum Matthæum et secundum Marcum, ipsis potius quam matri respondit. Lucas autem posteaquam ex eodem ordine commemoravit, quæ de passione et de resurrectione sua duodecim discipulis prædixerit, prætermittit ea quæ isti commemorant, post quæ interposita occurrunt ei ad Jericho (Luc. xviii, 31-35). Quod autem dixerunt Matthæus et Marcus de principibus gentium, qui dominantur subjectis, non ita futurum inter illos, sed eum qui erit major etiam servum aliorum futurum: dicit tale aliquid et Lucas, sed non eo loco (*Id.* xxii, 24-27); et ordo ipse indicat, iterum esse eandem sententiam a Domino dictam.*

CAPUT LXV. — *De cæcis Jericho illuminatis, quemadmodum non adversetur Matthæus vel Marco, vel Lucæ.*

125. Sequitur Matthæus: *Et egredientibus eis ab Jericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt quia Jesus transiret, et clamaverunt, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David, etc., usque ad illud ubi ait, Et confestim viderunt, et secuti sunt eum (Matth. xx, 29-34). Hoc et Marcus commemorat, sed de uno cæco factum (Marc. x, 46-52). Quæ ita solvitur quæstio, ut illa soluta est de duobus, qui legionem dæmonum patiebantur in regione Gerasenorum (*Supra*, cap. 24, n. 56). Nam duorum etiam cæcorum, quos modo interposuit, unum fuisse notissimum et in illa civitate famosissimum, ex hoc etiam satis apparet, quod et nomen ejus et patris ejus Marcus commemoravit: quod in tot superius sanatis a Domino non facile occurrit, nisi cum Jairum archi-*

synagogum etiam nomine expressit, cujus filiam resuscitavit Jesus (*Marc. v, 22-43*). In quo etiam magis iste sensus apparet, quia et ille archisynagogus utique in loco isto nobilis fuit. Procul dubio itaque Bartimæus iste Timari filius ex aliqua magna felicitate dejectus, notissimæ et famosissimæ miseræ fuit, quod non solum cæcus, verum etiam mendicus sedebat. Hinc est ergo quod ipsum solum voluit commemorare Marcus, cujus illuminatio tam claram famam huic miraculo comparavit, quam erat illius nota calamitas.

126. Lucas vero quamvis omnino eodem modo factum, tamen in alio cæco intelligendus est par commemorare miraculum, et ejusdem miraculi parem modum. Ille quippe hoc factum dicit, cum appropinquaret Jericho (*Luc. xviii, 35-43*): at isti cum egrederetur ab Jericho. Sed nomen civitatis et facti similitudo putari suadet semel esse factum: sed Evangelistas in hoc sibi adversari, quod alius dicat, *Cum appropinquaret Jericho*, alii, *Cum egrederetur ab Jericho*, non sane hoc persuadet, nisi eis qui præcivius credi volunt mentiri Evangelium, quam duo similia similiterque miracula fecisse Jesum. Quid autem sit creditur, et quid potius verum, et omnis fidelis filius Evangelii facillime videt; et omnis contentiosus saltem cum admonitus fuerit, vel tacendo, vel etiam si tacere noluerit, cogitando sibi ipse respondet.

CAPUT LXVI. — *De asinæ pullo, quomodo Matthæus cæteris congruat, qui solum pullum commemorant.*

127. Sequitur Matthæus, et dicit: *Et cum appropinquassent Jerosolymis, et venissent Bethphage ad montem Oliveti, tunc Jesus misit duos discipulos, dicens eis. Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenistis asinam alligatam et pullum cum ea, etc., usque ad eum locum ubi ait, Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis (Matth. xxi, 1-9). Hoc etiam Marcus narrat eodem ordine custodito (*Marc. xi, 1-10*). Lucas autem in Jericho immoratur, quædam commemorans quæ isti prætermiserunt, de Zachæo principe Publicanorum, et quædam in parabolis dicta. Post hæc et ipse occurrit eis ad hujus pulli commemorationem, in quo sedit Jesus (*Luc. xix, 1-38*). Nec moveat quod Matthæus asinam dicit et pullum, cæteri autem de asina tacent. Imo etiam recordanda est illa regula, quam de quinquagenis et centenis discumbentibus, cum quinque panibus turba pascerentur, supra insinuavimus (*Supra*, cap. 46, n. 98): qua insinuata, non deberet hoc jam permovere lectorem, nec si Matthæus ita de pullo tacuisset, quemadmodum illi de asina tacuerunt, ut maxime contrarium putaretur, quod unus asinam dixit, alii pullum asinæ; quanto minus moveri oportet, quia unus ita commemoravit asinam, de qua cæteri tacuerunt, ut tamen pullum non taceret, de quo illi dixerunt? Ubi ergo utrumque factum potest intelligi, nulla repugnancia est, nec si alius aliud, et aliud alius commemoret: quanto minus ubi alius unum, alius utrumque?*

128. Joannes quoque cum taceat quemadmodum Dominus discipulos suos ad hæc animalia sibi adducenda miserit, interponit tamen breviter hoc de pullo,

cum testimonio etiam prophetæ, quod Matthæus adhibet (*Joan.* xi, 14, 15). In quo etiam testimonio prophetico aliquantum diversa Evangelistarum locutio ab ea quidem sententia non recedit: sed potest movere quod hoc Matthæus sic adhibet, ut asinam dicat commemorasse prophetam; non autem ita se habet, vel quod Joannes interponit, vel codices ecclesiastici interpretationis usitata. Cujus rei causa illa mihi videtur, quod Matthæus hebræa lingua perhibetur Evangelium conscripsisse. Manifestum est autem interpretationem illam quæ dicitur Septuaginta in nonnullis se aliter habere quam inveniunt in hebræo, qui eam linguam noverunt, et qui interpretati sunt singuli eosdem Libros hebræos. Hujus item distantie causa si queratur, cur tanta auctoritas interpretationis Septuaginta multis in locis distet ab ea veritate quæ in hebræis codicibus invenitur; nihil occurrere probabilius existimo, quam illos Septuaginta eo spiritu interpretatos, quo et illa quæ interpretabantur dicta fuerant: quod ex ipsa eorum mirabili quæ prædicatur consensione firmatum est. Ergo et ipsi nonnulla in eloquio variando, et ab eadem voluntate Dei, cujus illa dicta erant, et cui verba servire debent non recedendo, nihil aliud demonstrare voluerunt, quam hoc ipsum quod nunc in Evangelistarum quatuor concordia quadam diversitate miramur, qua nobis ostenditur non esse mendacium, si quisquam ita diverso modo aliquid narret, ut ab ejus voluntate cui consonandum et consentiendum est, non recedat. Quod nosse et moribus utile est, propter cavenda et judicanda mendacia; et ipsi fidei, ne putemus quasi consecratis sonis, ita muniri veritatem, tanquam Deus nobis quemadmodum ipsam rem, sic verba quæ propter illam sunt dicenda, commendat; cum potius ita res quæ dicenda est, sermonibus per quos dicenda est<sup>1</sup>, præferatur, ut istos omnino querere non debeamus, si eam sine his nosse possemus, sicut illam novit Deus, et in ipso Angeli ejus.

CAPUT LXVII. — *De expulsis templo vendentibus et ementibus, quemadmodum tres isti non repugnent Joanni qui hoc idem longe alibi dicit.*

129. Sequitur Matthæus, et dicit: *Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ. Et intravit Jesus in templum Dei, et eiciebat omnes vendentes et ementes in templo, etc., usque ad eum locum ubi ait, Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Hoc de turbis vendentium ejectis e templo, omnes commemorant, sed Joannes longe diverso ordine (*Matth.* xxi, 10-13; *Marc.* xi, 15-17; *Luc.* xix, 45, 46; et *Joan.* ii, 1-17). Nam post testimonium Baptistæ Joannis de Jesu, cum eum commemorasset isse in Galileam, quando aquam convertit in vinum, inde post commemorationem paucorum in Capharnaum dierum, dicit eum ascendisse in Jerosolymam, cum esset Pascha Judæorum, et factio flagello de resticulis expulisse de templo ven-

<sup>1</sup> In duodecim Mss. et in editione Ratisponensi: *Quæ discenda est, sermonibus per quos discenda est.*

ientes. Unde manifestum est, non semel, sed iterum hoc esse a Domino factum: sed illud primum commemoratum a Joanne, hoc ultimum a cæteris tribus.

CAPUT LXVIII. — *De arefacta arbore ficulnea, et quæ juxta narrata sunt, quomodo non repugnet Matthæus cæteris, et maxime Marco de ordine narrationis.*

150. Sequitur Matthæus: *Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos. Videntes autem principes sacerdotum et Scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo et dicentes, Hosanna filio David; indignati sunt, et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dicit eis: Utique; nunquam legitis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit. Mane autem revertens in civitatem, esurivit: et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum; et ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum; et arefacta est continuo ficulnea. Et videntes discipuli mirati sunt dicentes: Quomodo continuo aruit? Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis, Tolle te, et jacta te in mare, fiet: et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis (*Matth.* xxi, 14-22).*

151. Hoc et Marcus consequenter dicit, sed non eundem ordinem tenet. Primo enim quod eum Matthæus in templum dixit intrasse, et eiecisse vendentes et ementes, non commemorat Marcus, sed circumspectis omnibus, cum jam vespera esset, exisse dicit in Bethaniam cum duodecim; et alia die cum exirent a Bethania esurisse, et arbori fici maledixisse: quod et Matthæus commemorat. Et subjungit idem Marcus, quod venerit Jerosolymam, et cum introisset in templum, eiecit vendentes et ementes, quasi altero die, non primo factum esset (*Marc.* xi, 11-17). Sed quia Matthæus ita connectit, *Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam*, unde mane revertentem in civitatem arbori maledixisse commemorat; probabilius creditur ipse potius tenuisse ordinem temporis de vendentibus et ementibus ejectis de templo. Cum enim dicit, *Et relictis illis, abiit foras*; quibus relictis intelligi poterit, nisi cum quibus superius loquebatur, indignantibus quod pueri clamarent, *Hosanna filio David?* Prætermisit ergo Marcus quod primo die factum est, cum intravit in templum; et recordatum interposuit, cum dixisset quod non invenerit aliquid in ficulnea præter folia, quod secundo die factum est, sicut ambo testantur. Miratos autem esse discipulos quod arbor aruerit, et eis Dominum respondisse de fide et de monte in mare transferendo, non ipso secundo die quo dixit arbori, *Jam non amplius in æternum quisquam ex te fructum manducet*, sed tertio die dicit. Ipso quippe die secundo commemoravit idem Marcus de templo ejectos vendentes, quod primo die factum prætermiserat. Ipso ergo secundo die dicta facta vespera egressum de civitate, et cum mane transirent, vidisse discipulos ficum aridam factam a radicibus, et



recordatum Petrum dixisse ei, *Rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit*: tunc eum de potentia fidei respon-  
dissime. Matthæus autem tanquam secundo die hoc to-  
tum factum sit, id est, et dictum arbori, *Nunquam ex  
te fructus nascatur in sempiternum*; et arefactam esse  
continuo; et videntibus hoc discipulis atque mirantibus  
illud de virtute fidei fuisse responsum. Unde intelligi-  
tur, Marcum quidem secundo die commemorasse quod  
primo die factum prætermiserat, de templo scilicet  
ejectos vendentes et ementes: Matthæus vero cum  
commemorasset quod altero die factum est, de ar-  
bore maledicta quando mane revertebatur a Betha-  
nia in civitatem, prætermisit ea quæ Marcus com-  
memoravit, venisse illum in civitatem, et vespere  
exiisse, et mane cum transirent, discipulos arborem  
aridam fuisse miratos; et ei quod secundo die gestum  
erat, quo arbor maledicta est, adjunxit illud quod  
tertio die gestum est, ejus ariditatem miratos esse  
discipulos, et de potentia fidei a Domino audisse: sic  
ea conjungens, ut nisi ex Marci narratione cogamur  
intendere, ubi et quid Matthæus prætermiserit, non  
possit agnosci. Cum ergo dixisset Matthæus, *Et relictis  
illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique  
mansit. Mane autem revertens in civitatem, esurivit: et  
videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et  
nihil invenit in ea, nisi folia tantum; et ait illi: Nun-  
quam abs te fructus nascatur in sempiternum; et arefacta  
est continuo ficulnea*; prætermisissis cæteris ad eundem  
diem pertinentibus, adjunxit statim, *Et videntes disci-  
puli mirati sunt dicentes: Quomodo continuo aruit?* quod  
alio die viderunt, alio die mirati sunt. Intelligitur au-  
tem non tunc aruisse quando viderunt, sed continuo  
cum maledicta est. Neque enim ariscentem, sed peni-  
tus arefactam viderunt, ac sic eam continuo in verbo  
Domini aruisse intellexerunt.

CAPUT LXIX. — *Cum Dominum interrogaverunt Ju-  
dæi, in qua potestate ista faceret, quomodo inter se  
consentiant isti tres.*

132. Sequitur Matthæus, et dicit: *Et cum venisset  
in templum, accesserunt ad eum docentes principes sa-  
cerdotum et seniores populi dicentes: In qua potestate  
hæc facis? Et quis dedit tibi hanc potestatem? Respon-  
dens Jesus dixit illis: Interrogabo vos et ego unum ser-  
monem; quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in  
qua potestate hæc faciam. Baptismus Joannis unde  
erat?* etc., usque ad illud ubi ait, *Nec ego vobis dico in  
qua potestate hæc facio* (Matth. xxi, 23-27). Hoc totum  
et alii duo Marcus et Lucas totidem pene verbis ex-  
plicaverunt (Marc. xi, 27-33, et Luc. xix, 47; xx, 8):  
nec in ordine inter se videntur aliquid discrepare,  
nisi unde superius locutus sum, quod prætermisissis  
quibusdam Matthæus ad alterum diem pertinentibus  
ita contexit narrationem, ut nisi advertatur, possit  
putari ipsum in secundo die adhuc versari, Marcum  
autem in tertio. Lucas vero non quæ ex ordine dies  
persequens hoc subjunxit, sed cum commemorasset  
ejectos de templo ementes et vendentes, prætermisit  
quod exhibat in Bethaniam, et regrediebatur in civita-  
tem, et quod de ficulnea factum est, et quod miran-

tibus discipulis de fidei virtute responsum est: atque  
his prætermisissis intulit dicens, *Et erat docens quotidie  
in templo. Principes autem sacerdotum et Scribæ et  
principes plebis quærebant illum predere: et non inve-  
niebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus  
erat audiens illum. Et factum est in una dierum, docente  
illo populum in templo et evangelizante, convenerunt  
principes sacerdotum et Scribæ cum senioribus, et aiunt  
dicentes ad illum: Dic nobis in qua potestate hæc fa-  
cis?* etc., quæ etiam duo illi commemorant. Unde appa-  
ret, nihil eis etiam ipso ordine repugnare, quando  
id quod dicit factum in una dierum, ea dies intelli-  
gitur, in qua id gestum illi etiam retulerunt.

CAPUT LXX. — *De duobus quibus imperaverit pater  
ut irent in vineam, et de vinea quæ locata est aliis  
agricolis, quomodo non adverteretur Matthæus illis  
duobus; cum quibus eundem ordinem tenet, et maxime  
in hac parabola quam omnes tres dicunt de vinea lo-  
cata, propter responsonem eorum quibus dicebatur,  
ubi aliquantum videtur variare.*

133. Sequitur Matthæus: *Quid autem vobis videtur?  
Homo<sup>1</sup> habebat duos filios, et accedens ad primum dixit,  
Fili, vade, hodie operare in vinea mea: ille autem re-  
spondens, ait, Nolo; postea autem pœnitentia motus,  
abiit. Accedens autem ad alterum dixit similiter: at  
ille respondens, ait, Eo, Domine; et non iit, etc., usque  
ad illud ubi ait, *Et qui ceciderit super lapidem istum,  
confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum*  
(Matth. xxi, 28-44). Marcus et Lucas non commemo-  
rârunt de duobus istis filiis, quibus imperatum est ut  
irent atque operarentur in vinea: sed quod post hoc  
narrat Matthæus de vinea quæ locata est agricolis,  
qui persecuti sunt servos missos ad se, et postea di-  
lectum filium occiderunt, et ejecerunt extra vineam,  
etiam illi ambo non tacent, eodem ordine custodito  
(Marc. xii, 1-11, et Luc. xx, 9-18), id est, postea-  
quam de baptismo Joannis interrogati Judæi se ne-  
scire dixerunt, et respondit eis, *Nec ego dico vobis in  
qua potestate hæc facio.**

134. Nullius ergo hic repugnantia quæstio nasci-  
tur, nisi quod Matthæus, cum dixisset quod Dominus  
interrogaverit Judæos, *Cum venerit dominus vineæ,  
quid faciet agricolis illis?* illos respondisse subjungit  
atque dixisse, *Malos male perdet, et vineam locabit aliis  
agricolis qui reddant ei fructum temporibus suis.* Quod  
Marcus non ab ipsis responsum esse commemorat,  
sed Dominum hoc consequenter locutum post inter-  
rogationem suam, ipsum sibi quodammodo respon-  
disse: ita enim dicit, *Quid ergo faciet dominus vineæ?  
Veniet, et perdet colonos, et dabit vineam aliis.* Sed fa-  
cile potest intelligi vel illorum vocem ita subjunctam,  
ut non interponeretur, Illi dixerunt, aut, Illi respon-  
derunt, sed tamen intelligeretur; aut ideo responso-  
nem istam Domino potius attributam, quia cum ve-  
rum dixerunt, etiam de illis hoc ipse respondit qui  
veritas est.

135. Sed illud magis movet, quod Lucas non solum

<sup>1</sup> Editi: *Homo quidam habebat.* Abest, *quidam*, a Mas. et a græco.

eos hoc respondisse non dicit, hæc etiam verba ipse quoque sicut Marcus Domino attribuens, verum etiam contrariam retulisse responsionem, dicentes, *Absit*. Ita enim narrat: *Quid ergo faciet illis dominus vineæ? Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis. Quo audito dixerunt illi: Absit. Ille autem aspiciens eos ait: Quid est ergo hoc quod scriptum est, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Quomodo ergo secundum Matthæum illi, quibus hæc loquebatur, dixerunt, *Malos male perdet, et vineam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis*; cum secundum Lucam talibus verbis contradixerint dicentes, *Absit*? Et revera quod secutus Dominus ait de lapide reprobato ab ædificantibus, et facto in caput anguli, ita illatum est, ut hoc testimonio convincerentur illi parabolæ contradicentes. Nam et ipse Matthæus hoc sic commemorat dictum, tanquam contradicentibus, cum ait, *Nunquam legistis in Scripturis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Quid est enim, *Nunquam legistis*, nisi quia hoc responderant, quod esset contrarium? Hoc et Marcus significat, qui hæc ipsa verba ita refert, *Nec Scripturam hanc legistis; Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Quæ sententia secundum Lucam magis apparet loco suo dicta, post illorum contradictionem qua dixerunt, *Absit*. Tantumdem enim valet, sicut hoc etiam ipse ponit, *Quid est ergo hoc quod scriptum est, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Hanc enim sententiæ voluntatem intimat, sive *Nunquam legistis*, sive *Nec hoc legistis*, sive *Quid est ergo hoc quod scriptum est*.

156. Restat ergo ut intelligamus in plebe quæ audiebat, quosdam respondisse quod Matthæus commemorat dicens, *Aiunt illi: Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis*; quosdam vero illud quod Lucas non tacuit, hoc est, *Absit*. Iis ergo qui illud Domino responderant, illi alii responderunt, *Absit*; sed illorum responsio quibus isti retulerunt, *Absit*, propterea Domino tributa est et a Marco et a Luca, quia, sicut dixi, per eos veritas ipsa locuta est, sive per nescientes si mali erant, sicut per Caipham, qui nesciens quid dixerit, cum esset pontifex, prophetavit (*Joan. xi, 49-51*); sive per scientes ac jam intelligentes atque credentes. Ibi enim erat etiam illa multitudo, per quam jam erat impleta illa prophetia, cum venienti magna celebritate occurrentes acclamarent, *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Psal. cxvii, 26; Math. xxi, 9*).

157. Nec moveat quod idem Matthæus principes sacerdotum et seniores populi dixit accessisse ad Dominum, et quævisse in qua potestate hæc faceret, et quis ei dederit hanc potestatem, quando eos de baptismo Joannis vicissim interrogavit unde esset, de cælo an ex hominibus; quibus respondentibus quod nescirent, ait, *Nec ego vobis dico in qua potestate hæc facio*. Inde enim secutus est contextim loquendo, et ait: *Quid autem vobis videtur? Homo habebat duos filios, etc.*, sine ulla cujusquam rei vel personæ inter-

positione, secundum Matthæum sermo contextitur, usque ad hoc quod de locata agricolis vinea commemoratur. Potest enim putari omnia eum principibus sacerdotum et senioribus populi locutum fuisse, a quibus fuerat de sua potestate interrogatus. Qui utique si tentantes et inimici quæsierant, non in eis posunt intelligi qui crediderant, atque illud clarum ex propheta testimonium Domino perhibuerant; qui etiam modo respondere potuissent, non nescientes, sed credentes, *Malos male perdet, et vineam locabit aliis agricolis*. Hoc omnino movere non debet, ut ideo putemus non fuisse credentes in illa multitudine, quæ tunc Domini parabolas audiebat. Tacuit namque idem Matthæus brevitatis causa, quod Lucas non tacet, parabolam istam scilicet non ad eos solos dictam, qui de potestate interrogaverant, sed ad plebem. Sic enim ait, *Cæpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam, etc.* In hac ergo plebe intelligendum est etiam illos esse potuisse, qui sic eum audirent, quomodo qui dixerant, *Benedictus qui venit in nomine Domini*; et ipsos vel ex ipsis fuisse qui responderunt, *Malos male perdet, et vineam locabit aliis agricolis*. Quorum responsionem non solum propterea Domino tribuerunt Marcus et Lucas, quod hoc ipse dixisset, quia veritas est<sup>1</sup>, quæ etiam per malos atque nescientes sæpe loquitur, occulto quodam instinctu mentem hominis movens, non sanctitatis illius merito, sed jure propriæ potestatis: verum etiam quia tales esse potuerunt, ut non frustra in ipso corpore Domini jam sicut membra deputarentur, ut merito eorum vox illi tribueretur, cujus membra erant, quia jam baptizaverat plures quam Joannes (*Joan. iv, 1*), et habebat turbas discipulorum, sicut ipsi Evangelistæ sæpe testantur, et unde erant etiam illi quingenti fratres, quibus eum apostolus Paulus post resurrectionem præsentatum esse commemorat (*I Cor. xv, 6*): præsertim quia et secundum eundem Matthæum non ita dictum est, *Aiunt illi, Malos male perdet*, ut in eo quod positum est, *illi*, pluralis numerus accipiendus sit, tanquam eorum fuerit ista responsio, qui eum de sua potestate dolose interrogaverant; sed, *Aiunt illi*, dictum est, id est, illi ipsi Domino, singulari pronomine, non plurali, quod in codicibus græcis sine ullo scrupulo ambiguitatis apparet (a).

158. Est quidam sermo Domini apud evangelistam Joannem, ubi hoc quod dico, facilius possit intelligi. Dicebat ergo, inquit, *Jesus ad eos qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis; et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Et responderunt ei: Semen Abraham sumus, et nemini servivimus unquam: quomodo tu dicis, Liberi eritis? Respondit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati: servus autem non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum: si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Scio quia filii Abraham estis, sed quæritis*

<sup>1</sup> *10v.*, ipse dixisset qui veritas est. Cæteri libri, *quæ veritas est*.

(a) Græc., *autò*.

me interficere, quia sermo meus non capit in vobis (Joan. vii, 31-37). Non utique illis diceret, *queritis me interficere*, qui in eum jam crediderant, quibus dixerat, *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis*: sed quia hoc ad eos dixerat, qui jam in eum crediderant, ea vero multitudo præsens erat quæ plures habebat inimicos, etiam non exprimente Evangelista qui essent qui responderunt, ex hoc ipso quod responderunt, et quod deinde ab illo audire meruerunt, satis apparet quæ verba quibus sint tribuenda personis. Sicut ergo in hac multitudine secundum Joannem erant qui jam crediderant in Jesum, erant etiam qui eum occidere quærebant: sic in illa de qua nunc loquimur, erant qui dolose Dominum interrogaverant, in qua potestate illa faceret; erant etiam qui non dolose, sed fideliter acclamaverant, *Benedictus qui venit in nomine Domini*: ac per hoc erant qui dicerent, *Perdet illos, et vineam suam dabit aliis*. Quæ vox recte etiam ipsius Domini fuisse intelligitur, sive propter veritatem quæ ipse est<sup>1</sup>, sive propter membrorum ejus cum suo capite unitatem. Erant etiam qui talia respondentibus dicerent, *Absit*, quia intelligebant in seipsos esse parabolam dictam.

CAPUT LXXI.— *De nuptiis filii Regis ad quas turbæ invitatae sunt, quem Matthæus ordinem tenuerit, propter Lucam qui tale quiddam alibi dicit.*

139. Sequitur Matthæus: *Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisei parabolam ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret: et querentes eum tenere, timerunt turbas; quoniam sicut prophetam eum habebant. Et respondens Jesus dixit iterum in parabolis eis, dicens: Simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et notebant venire, etc.*, usque ad illud ubi ait, *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi* (Matth. xxi, 45; xii, 14). Parabolam istam de invitatis ad nuptias, solum Matthæus narrat: simile quiddam etiam Lucas commemorat; sed non est hoc, sicut et ordo ipse indicat, quamvis et illud nonnullam hujus similitudinem gerat (Luc. xiv, 16-24). Quod vero post illam parabolam de vinea et occiso filio patrisfamilias subnectit Matthæus, cognovisse Judæos quod in eos totam dictum fuerit, et insidias cœpisse moliri, hoc etiam Marcus Lucasque testantur eundem ordinem retinentes (Marc. xii, 12, et Luc. xx, 19): sed inde ipsi pergunt in aliud, ex hoc subjungentes quod et Matthæus post istam, quam solus interposuit de nuptiis parabolam, ex ordine inscruit.

CAPUT LXXII.— *De nummo Cæsari reddendo, cujus habeat imaginem, et de muliere quæ septem, fratribus nupsit, quemadmodum tres isti concordent.*

140. Sequitur ergo Matthæus: *Tunc abeuntes Pharisei cœnsitium inierunt ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet census dari Cæsari, an non? et cætera, usque ad*

illud ubi ait, *Et audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus* (Matth. xii, 45-53). Hæc duo Domini responsa, unum de nummo propter tributum reddendum Cæsari, alterum de resurrectione propter illam mulierem quæ septem sibimet succedentibus fratribus nupsit, Marcus et Lucas similiter narrant, nec in ordine aliquid discrepant (Marc. xii, 13-27, et Luc. xx, 20-40). Post parabolam quippe illam de conductoribus vineæ, et de Judæis in quos dicta est, insidias præparantibus, quæ omnes tres commemoraverunt, prætermittunt hi duo Marcus et Lucas parabolam de invitatis ad nuptias, quam solus Matthæus interposuit: et cum illo jam sequuntur, narrantes hæc duo, de tributo Cæsaris, et de muliere septem singillatim virorum, eodem prorsus ordine, sine aliqua repugnantia quæstione.

CAPUT LXXIII.— *De illo cui commendata sunt duo præcepta dilectionis Dei et proximi, qui ordo sit narrantium Matthæi et Marci, ne a Luca discrepare videantur.*

141. Sequitur ergo Matthæus, et dicit: *Pharisei autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum; et interrogavit eum unus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in Lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua: hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetæ* (Matth. xxii, 34-40). Hoc et Marcus commemorat, eundem ordinem servans (Marc. xii, 28-34). Nec moveat quod Matthæus dicit tentantem fuisse illum a quo Dominus interrogatus est; Marcus autem hoc tacet, et in fine ita concludit<sup>1</sup>, quod ei Dominus sapienter respondenti dixerit, *Non longe es a regno Dei*. Fieri enim potest ut quamvis tentans accesserit, Domini tamen responsione correctus sit. Aut certe ipsam tentationem non accipiamus malam, tanquam decipere volentis inimicum; sed cautam potius, tanquam experiri amplius volentis ignotum. Neque enim frustra scriptum est, *Qui facile credit, levis corde est, et minorabitur* (Eccli. xix, 4).

142. Lucas autem non hoc ordine, sed longe alibi tale aliquid interponit (Luc. x, 25-37): utrum autem hoc recordetur, an alius ille sit cum quo similiter de duobus istis præceptis Dominus egerit, prorsus incertum est: hinc autem etiam recte videtur alius esse, non solum propter ordinis multam differentiam, sed quia etiam ipse dicitur respondisse Domino interroganti, et in sua responsione commemorasse duo ista præcepta; et cum ei dixisset Dominus, *Hoc fac, et vives*, ut illud faceret quod magnum esse in Lege ipse responderat, secutus Evangelista ait, *Ille autem volens se justificare dixit: Et quis est meus proximus?* Tunc Dominus narravit de illo qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones. Unde quia et tentans prædictus est, et duo præcepta ipse respondit, et post admonitionem Domini dicentis, *Hoc fac, et*

<sup>1</sup> Illi: Lucas autem hoc tacet, et in fine Marcus illa concludit: mendose.

<sup>1</sup> In Mss. non additur, *que ipse est*.

vives, non bonus commendatur cum dicitur de eo, *Ille autem volens se justificare*; iste autem quem pari ordine Matthæus Marcusque commemorant, tam bene commendatus est, ut ei diceret Dominus, *Non longe es a regno Dei*: probabilius creditur hunc alium esse, non illum.

CAPUT LXXIV. — *Quod Judæi interrogantur de Christo, cujus eis filius videatur, utrum non repugnet Matthæus aliis duobus; quia secundum istum dicitur, Quid vobis videtur de Christo? cujus est filius? cui responderunt, David: secundum illos autem, Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David?*

143. Sequitur Matthæus: *Congregatis autem Phariseis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare* (Matth. xxii, 41-46). Hoc consequenter et eodem ordine Marcus quoque commemorat (Marc. xi, 35-37). Lucas etiam, tantummodo de illo tacet, qui interrogavit Dominum, quod esset mandatum primum in Lege: hoc autem prætermissio, eundem etiam ipse ordinem servat; et hoc de Christo, quomodo sit filius David, quæsisse a Judæis Dominum pariter narrat (Luc. xx, 41-44). Nec interest ad sententiam, quod secundum Matthæum, cum interrogasset Jesus quid eis videretur de Christo, cujus esset filius, illi responderunt, *David*, tum demum intulit, quomodo eum David diceret Dominum; secundum illos autem duos, Marcum et Lucam, nec interrogati esse, nec respondisse inveniuntur. Intelligere enim debemus, post eorum responsionem sententiam ipsius Domini a duobus Evangelistis insinuatam, quomodo ab illo dicta sit, his audientibus quos volebat suo magisterio utiliter informare, et a Scribarum alienare doctrina: qui de Christo illud solum sapiebant, quod secundum carnem factus erat ex semine David, non eum autem intelligebant Deum, propter quod erat Dominus ipsius David. Ideo tanquam de illis errantibus Dominus ad istos sermonem faciens, quos volebat ab illorum errore liberari, secundum hos duos Evangelistas commemoratur: ut quod illis dictum est, *Quomodo dicitis, sicut Matthæus narrat, sic accipiatur, non tanquam ad illos, sed tanquam de illis ad eos potius dictum sit, quos volebat instruere.*

CAPUT LXXV. — *De Phariseis sedentibus super cathedram Moysi, et dicentibus quæ non faciunt, cæterisque in eos dem Phariseos a Domino dictis, utrum sermo Matthæi congruat aliis duobus, et maxime Lucæ, qui non hoc ordine, sed alibi similem commemorat.*

144. Sequitur Matthæus, ita narrationis ordinem tenens: *Tunc Jesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei: omnia ergo quæcumque dixe-*

*rint vobis, servate et facite; secundum vero opera eorum nolite facere. Dicunt enim et non faciunt, etc., usque ad illud ubi ait, Non me videbitis amodo donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini* (Matth. xxiii). Similem sermonem habuisse Dominum adversus Phariseos et Scribas Legisque doctores, Lucas quoque commemorat, sed in domo cujusdam Pharisei, qui eum vocaverat ad convivium. Quod ut narraret, digressus erat a Matthæo, circa illum locum, ubi ambo commemoraverant quod dictum est a Domino, de signo Jonæ trium dierum et noctium, et de regina Austri, et de Ninivitis, et de spiritu immundo qui redit et invenit mundatam domum: post quem sermonem dicit Matthæus, *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, et fratres stabant foris, quærentes loqui ei* (Id. xii, 39-46); Lucas autem in eo sermone Domini, commemoratis etiam quibusdam quæ Matthæus dixisse Dominum prætermisit, ab ordine quem cum Matthæo tenuerat ita digreditur: *Et cum loqueretur, inquit, rogavit illum quidam Phariseus ut prænderet apud se; et ingressus recubuit. Phariseus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptisatus esset ante prædium. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos, Pharisei, quod de foris est caticis et catini, mandatis. Atque hinc jam cætera in eisdem Phariseos et Scribas et Legis doctores talia dicit, qualia Matthæus hoc loco, quem nunc considerandum suscepimus* (Luc. xi, 29-52). Quanquam ergo ita ista Matthæus commemoret, ut quamvis domum illius Pharisei non nominet, non tamen locum exprimat ubi dicta sint, quo repugnet aliquid illi domui: tamen quia jam venerat Dominus in Jerusalem a Galilæa, et post ejus adventum ita superiora usque ad hunc sermonem contextuntur, ut probabiliter accipiantur in Jerusalem gesta, Lucas autem illud narrat, cum adhuc Dominus iter ageret in Jerusalem; videntur mihi similes duo esse sermones, quorum ille alterum, alterum iste narravit.

145. Sane considerandum est quomodo hic dictam sit, *Non me videbitis amodo donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini*; cum secundum eundem Matthæum jam hoc dixerint (Matth. xxi, 9). Et Lucas enim dicit hoc esse responsum a Domino illis qui eum monuerant ut inde iret, quoniam vellet eum Herodes occidere. Ibi etiam adversus ipsam Jerusalem ea prorsus verba ab illo esse dicta commemorat, quæ hic Matthæus. Sic enim narratur secundum Lucam: *In ipsa die accesserunt quidam Phariseorum, dicentes illi: Exi, et vade hinc; quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite, dicite vulpi illi, Ecce eficio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia consummor<sup>1</sup>: verumtamen oportet me hodie et cras et sequenti ambulare, quia non capit prophetam perire extra Jerusalem. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat*

<sup>1</sup> Editi, et tertia die consummor. Abest die a MSS. et a græco.

cum dicetis, *Benedictus qui venit in nomine Domini* (Luc. xiii, 31-35). Narrationi quidem haec Lucæ non videtur adversari, quod turbæ dixerunt, Domino veniente ad Jerusalem; *Benedictus qui venit in nomine Domini*: secundum quippe Lucæ ordinem nondum illuc venerat, et nondum dictum erat. Sed quia non dicit quod inde tunc abcesserit, ut non veniret nisi eo tempore quo jam illud diceretur (perseverat quippe in itinere suo, donec veniat Jerusalem, atque illud quod ait, *Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia consummor*, mystice ab illo et figurate dicta intelliguntur; neque enim eo die passus est, qui est ab hoc die tertius, cum continuo dicat, *Oportet me hodie et cras et sequenti ambulare*), cogit profecto etiam illud mystice intelligi quod ait, *Non videbitis me, donec veniat cum dicetis, Benedictus qui venit in nomine Domini*, de illo suo adventu, quo in claritate venturus est, hoc significans, ut illud quod ait, *Ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia consummor*, referatur ad corpus ejus, quod est Ecclesia. Expelluntur enim dæmonia, cum relictis paternis superstitionibus credunt in eum gentes: et perficiuntur sanitates, cum secundum ejus præcepta vivitur, postquam fuerit diabolo et huic sæculo renuntiatum, usque in finem resurrectionis, qua tanquam tertia consummabitur, hoc est ad plenitudinem angelicam per corporis etiam immortalitatem perficietur Ecclesia. Quapropter ordo iste Matthæi nequam putandus est in aliquid aliud esse digressus: sed Lucas magis intelligendus est, vel præoccupasse quæ gesta sunt in Jerusalem, et recordando interposuisse, antequam ejus narratio Dominum perduceret Jerusalem; aut eidem civitati jam propinquam talia respondisse monentibus ut caveret Herodem, qualia Matthæus eum dicit etiam turbis locutum, cum jam pervenisset in Jerusalem, atque illa omnia peracta essent quæ supra narrata sunt.

CAPUT LXXVI. — *Cum prænuntiavit templi ever-  
sionem, quomodo aliis duobus narrandi ordine  
congruat.*

146. Sequitur Matthæus, et dicit: *Et egressus Jesus de templo ibat: et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei adificationes templi. Ipse autem respondens dixit illis, Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruat* (Matth. xxiv, 1, 2). Marcus etiam commemorat hoc eodem pene ordine, post aliquantam digressionem, ad hoc factam, ut commemoraret de vidua, quæ misit duo minuta in gazophylacium (Marc. xii, 41; xiii, 2), quod cum eo Lucas solus commemorat. Nam etiam secundum Marcum, postquam illud Dominus egit cum Judæis, quomodo acciperent Christum filium David, ea narrantur quæ dicit de vendendis Pharisæis et hypocrisi eorum: quem locum Matthæus latissime persecutus est, et plura ibi dicta narravit: atque ideo post eundem locum quem breviter perstrinxit Marcus, et copiose digessit Matthæus, nihil amplius Marcus intulit, sicut dixi, quam de illa vidua pauperrima et uberrima; ac deinde

subjungit ea quibus Matthæo iterum cõhereret, dicens de templi futura eversione. Lucas quoque post illud de Christo, quomodo esset filius David, pauca de cavenda hypocrisi Pharisæorum commemorat. Inde sicut Marcus pergit ad viduam, quæ duo minuta in gazophylacium misit. Deinde subjungit de templi futura eversione, quod Matthæus et Marcus<sup>1</sup> (Luc. xx, 46; xxi, 6).

CAPUT LXXVII. — *De sermone quem habuit in monte Oliveti, quærentibus discipulis quando erit consummatio, quemadmodum tres isti inter se congruant.*

147. Sequitur Matthæus dicens: *Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt, et quod signum adventus tui, et consummationis sæculi. Et respondens Jesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, et multos seducent, etc., usque ad illud ubi ait, Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Nunc jam istum prolixum sermonem Domini secundum tres Evangelistas, Matthæum, Marcum et Lucam consideremus. Eundem quippe tenentes ordinem pariter ista contextunt (Matth. xxiv, 3; xxv, 46, Marc. xiii, 4-37, et Luc. xxi, 7-36). Dicunt quidem hic etiam aliqua singuli propria, in quibus nulla est repugnantia metuenda suspicio: de his autem quæ pariter dicunt, neubi sibi met adversari putentur, videndum est. Neque enim dici potest, si aliquid tale occurrerit, aliud esse atque alibi a Domino similiter dictum, quando eodem loco rerum ac temporum, omnium trium versatur narratio. Sane quod earundem sententiarum a Domino dictarum, non eundem omnes ordinem servant, nihil ad rem pertinet vel intelligendam vel insinuandam, dum ea quæ ab illo dicta referuntur, non sibi met adversentur.*

148. Quod ergo Matthæus ait, *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio*; etiam Marcus eodem ordine ita commemorat, *Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium*: non dixit, *et tunc veniet consummatio*; sed hoc significat quod ait, *primum*, id est, *Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium*: quia illi de fine interrogaverant. Cum ergo dicit, *Primum oportet in omnes gentes prædicari Evangelium*, significat utique, *primum*, antequam veniat consummatio.

149. Item quod Matthæus ait, *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat*; hoc Marcus dicit ita, *Cum autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet, qui legit intelligat*: in qua mutatione verbi exposuit eandem sententiam; ideo quippe *ubi non debet*, quia in loco sancto non debet. Lucas autem non ait, *Cum autem videritis abominationem desolationis, stantem in loco sancto*; aut, *ubi non debet*: sed ait, *Cum autem videritis circumdari ab*

<sup>1</sup> Post has voces, quod Matthæus et Marcus, addunt *non secreto discipulis Dominum interrogantibus quod signum sui adventus esset.*

*exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus. Tunc erit ergo abominatio desolationis in loco sancto.*

150. Quod autem ait Matthæus, *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; et qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua; et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam; totidem pene verbis hoc etiam Marcus commemorat. Lucas autem, Tunc qui in Judæa sunt, inquit, fugiant in montes: hoc sicut illi duo; cætera vero aliter. Sequitur enim, et dicit, Et qui in medio ejus, discedant; et qui in regionibus, non intrent in eam: quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. Satis diversum videtur quod illi duo dixerunt, Et qui super tectum, non descendant tollere aliquid de domo sua; et quod iste dicit, Et qui in medio ejus, discedant: nisi forte quia perturbatio magna erit tam magno instante periculo, illi quos inclusisset obsidio, quod significat dicendo, qui in medio ejus, in tecto erunt attoniti et volentes videre quid impendat, vel qua evadendum sit. Sed quomodo ait, discedant, quando supra dixit, cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem? Nam illud quod sequitur, Qui in regionibus, non intrent in eam, videtur ad congruam pertinere admonitionem; et potest observari, ut qui extra sunt non in eam intrent: qui autem in medio sunt, quomodo discedant, ab exercitu jam civitate circumdata? An hoc est esse in medio ejus, quando jam ita periculum urgebit, ut temporaliter ad præsentem vitam tuendam non possit evadi; et quoniam tunc parata debet esse anima ac libera, nec carnalibus desideriis occupata et oppressa, hoc significat quod ab illis duobus dictum est, in tecto, vel super tectum: ut quod iste ait, discedant, id est non jam hujus vitæ desiderio capiantur, sed in aliam vitam migrare parati sint; hoc illi duo dixerint, non descendant tollere aliquid de domo, id est nullo affectu inclinatur in carnem tanquam aliquid inde commodi percepturus: et quod iste ait, Qui in regionibus, non intrent in eam, id est, qui jam bono cordis proposito extra illam facti sunt, non eam rursus carnali cupiditate desiderant; hoc illi dixerint, Et qui in agro est, non revertatur retro tollere vestimentum suum, tanquam iterum involvi curis quibus erat exutus?*

151. Quod vero ait Matthæus, *Orate autem, ut non fiat fuga vestra hieme vel sabbato; hinc Marcus partem dixit, partem tacuit: Orate vero, inquit, ut hieme non fiant. Lucas autem hoc non dixit, sed tamen dixit aliquid solus, quo mihi videatur hanc ipsam, quæ ab istis obscure posita est, illustrasse sententiam: ait enim, Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem orbis terræ. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt. Hæc intelligitur fuga, quam Matthæus commemorat, quæ non debet fieri hieme vel sabbato. Ad hiemem autem pertinet curæ hujus vitæ, quas Lucas aperte posuit: ad sabbatum vero crapula et ebrietas. Curæ quippe tristes*

sunt velut hiems: crapula vero et ebrietas, carnali lætitia luxuriaque cor submergit atque obruit; quod malum sabbati nomine propterea significatum est, quia hæc erat jam, sicuti et nunc est Judæorum pessima consuetudo, illo die deliciis affluere, dum spirituale sabbatum ignorant. Aut si aliquid aliud in illis secundum Matthæum et Marcum verbis intelligendum est, aliquid aliud etiam Lucas dixerit, dum tamen nulla repugnantia quæstio moveatur. Neque enim nunc Evangelia exponenda suscepimus, sed a falsitatis vel fallaciæ calumniis defendenda. Alia vero quæ in hoc sermone Matthæus posuit communia cum Marco, nihil habent quæstionis: quæ autem cum Luca, non in hoc sermone Lucas ea posuit, cujus huic ordo concordat; sed alibi talia vel recordatur atque inserit præoccupando, ut prius commemoret quæ postea a Domino dicta sunt; vel bis a Domino dicta facit intelligi, et nunc secundum Matthæum, et tunc secundum ipsum.

CAPUT LXXVIII. — *Quod commemorant Matthæus et Marcus ante biduum futuras Paschæ, et postea dicunt quod in Bethania fuit, quomodo non repugnet Joanni, qui cum ipsis narrat hoc idem quod factum est in Bethania, et dicit, Ante sex dies Paschæ.*

152. Sequitur Matthæus: *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur (Matth. xxvi, 1, 2). Huic attestantur alii duo Marcus et Lucas, ab eodem ordine non recedentes (Marc. xiv, 1, et Luc. xxii, 1). Neque hoc tanquam a Domino dictum insinuant; hoc enim intimare prætermiserunt: ex sua tamen persona et Marcus dicit, Erat autem Pascha et azyma post biduum; et Lucas, Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha. Sic ergo appropinquabat, ut esset post biduum, sicut alii duo apertius consonant. Joannes vero tribus quidem locis commemoravit ejusdem diei festi propinquitatem, cum alia quædam duobus superioribus locis narraret: tertio autem loco apparet ejus narratio circa ipsa versari tempora, ubi hoc etiam illi tres intimant, id est impendentis jam dominicæ passionis (Joan. xi, 55, xii, 1, et xiii, 1).*

153. Sed hoc videri potest parum diligenter intuentibus esse contrarium, quod Matthæus et Marcus posteaquam dixerunt Pascha post biduum futurum, deinde commemoraverunt quod erat Jesus in Bethania, ubi de unguento illo pretioso dicitur: Joannes autem ante sex dies Paschæ dicit Jesum venisse in Bethaniam, de unguento eadem narraturus (Id. xii, 1). Quomodo ergo secundum illos duos, post biduum futurum erat Pascha, cum posteaquam id dixerunt, inveniantur cum Joanne in Bethania illud de unguento quod ipse narrantes, tunc autem ipse dicat post sex dies futurum Pascha? Sed qui ita moventur non intelligunt Matthæum et Marcum illud quod in Bethania de unguento factum erat recapitulando posuisse, non post illam de biduo prædicationem suam, sed ante jam factum cum adhuc sex dies

essent ad Pascha. Non enim quisquam eorum cum dixisset, post biduum futurum Pascha, sic adjunct de illo facto in Bethania, ut diceret, Post hæc cum esset in Bethania: sed Matthæus quidem, *Cum autem esset, inquit, Jesus in Bethania; Marcus autem, Cum esset Bethaniæ*: quod utique intelligitur et antequam illa dicerentur quæ ante biduum Paschæ dicta sunt. Sicut ergo ex Joannis narratione colligitur, ante sex dies Paschæ venit in Bethaniam: ibi factum est illud convivium ubi de unguento pretioso fit commemoratio; inde venit Jerosolymam sedens super asellum; deinde postea geruntur ea quæ narrant post hunc adventum ejus Jerosolymis gesta. Ex illo ergo die quo venit in Bethaniam atque illud de unguento factum est, usque ad diem quo ista omnia gesta atque dicta sunt, intelligimus, etiam Evangelistis non commemorantibus, consumptum fuisse quatrimum, ut occurreret dies quem ante biduum Paschæ duo definierunt. Lucas autem cum ait, *Appropinquabat autem dies festus azymorum*, non expressit biduum: sed hanc propinquitatem, quam commemoravit, in ipso intervallo bidui debemus accipere. Joannes vero cum dicit, *Proximum erat Pascha Judæorum* (Joan. xi, 55), non hoc biduum vult intelligi, sed sex dies ante Pascha. Proinde, cum quædam post hoc dictum commemorasset, tunc jam volens ostendere quam proximum fuisse Pascha dixisset: *Jesus ergo ante sex dies, inquit, Paschæ, venit in Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit Jesus* (Id. xii, 1, 2). *Fecerunt autem ei cænam ibi*. Hoc illud est quod commemorant recapitulantes Matthæus et Marcus, cum jam dixissent post biduum futurum Pascha. Recapitulando ergo ad illum diem redeunt in Bethaniam, qui erat ante sex dies Paschæ, et narrant quod Joannes de cæna et unguento: unde venturus erat Jerosolymam, et peractis illis quæ narrata sunt, perventurus ad diem qui erat ante biduum Paschæ, unde isti digressi sunt, ut recapitulando commemorarent quod ante in Bethania de unguento gestum est; cujus rei peracta narratione, illuc iterum redeunt, unde digressi fuerant, id est, ut jam sermo Domini narretur, quem habuit ante biduum Paschæ. Nam si tollamus de medio quod gestum in Bethania digredientes ab ordine recolendo et recapitulando narrarunt, et ipsum ordinem contexamus, ita sermo dirigitur secundum Matthæum dicente Domino: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Dicebant autem, Non in die festo; ne forte tumultus fieret in populo. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Judas Scarioth, ad principes sacerdotum* (Matth. xxvi, 2-14), etc. Inter illud enim quod dictum est, *Ne tumultus fieret in populo*, et illud quod dictum est, *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Judas*, interpositum est illud de Bethania, quod recapitulando dixerunt: quo nos prætermissio contexamus narrationem, ut insinuaremus non repugnare ordinem temporum. Se-

cundum Marcum autem, eodem Bethaniæ convivio, quod recapitulando et ipse interposuit, similiter prætermissio, ita se ordo narrationis tenet: *Erat autem Pascha et azyma post biduum; et quærebant summi sacerdotes et Scribæ quomodo eum dolo tenerent, et occiderent. Dicebant enim, Non in die festo; ne forte tumultus fieret populi. Et Judas Scariothes, unus ex duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum* (Marc. xiv, 1-10), etc. Etiam hic inter illud quod dictum est, *Ne forte tumultus fieret populi*, et illud quod adjunximus, *Et Judas Scariothes unus ex duodecim*, positum est illud de Bethania, quod recapitulando dixerunt. Lucas sane ipsam rem gestam in Bethania prætermisit. Hæc diximus propter sex dies ante Pascha, quos dixit Joannes, cum in Bethania rem gestam narraret; et biduum ante Pascha, quod Matthæus et Marcus dixerunt, cum post hoc a se dictum illud ipsum in Bethania quod Joannes, commemorarent.

CAPUT LXXIX. — *De cæna in Bethania ubi mulier unguento pretioso Dominum perfudit, quomodo inter se congruant Matthæus, Marcus et Joannes, et quomodo Lucæ non adversentur tale aliquid alio tempore commemoranti.*

154. Sequitur ergo Matthæus ab eo loco, ubi finem feceramus considerandæ narrationis, et dicit: *Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent. Dicebant autem, Non in die festo; ne forte tumultus fieret in populo. Cum autem esset Jesus in Bethania, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis, etc.*, usque ad illud ubi ait, *Dicitur et quod hæc fecit in memoriam ejus* (Matth. xxvi, 3-13). Nunc jam de muliere atque unguento pretioso quod in Bethania gestum est, consideremus. Lucas enim quamvis simile factum commemoret, nomenque conveniat ejus, apud quem convivabatur Dominus; tamen et ipsum Simonem dicit: tamen quia non est contra naturam vel contra morem hominum, ut si potest unus homo habere nomina duo, multo magis possint et unum nomen habere homines duo; potius credibile est alium fuisse illum Simonem non leprosum, in cujus domo hoc in Bethania gerebatur. Nam nec Lucas in Bethania rem gestam dicit, quam narrat: et quamvis non commemoret civitatem aut castellum, ubi factum sit; tamen non videtur in eodem loco versari ejus narratio. Nihil itaque aliud intelligendum arbitror, nisi non quidem aliam fuisse mulierem, quæ peccatrix tunc accessit ad pedes Jesu, et osculata est, et lavit lacrymis, et tersit capillis, et unxit unguento; cui Dominus adhibita similitudine de duobus debitoribus, ait dimissa esse peccata multa, quoniam dilexit multum: sed eandem Mariam bis hoc fecisse, nemel scilicet quod Lucas narravit, cum primo accedens cum illa humilitate et lacrymis meruit peccatorum remissionem (Luc. vii, 36-50). Nam hoc et Joannes, quamvis non sicut Lucas quemadmodum factum esset narraverit, tamen ipsam Mariam commendans cogit-

memoravit, cum jam de Lazaro resuscitando cœpisset loqui, antequam veniret in Bethaniam. Quod ita ibi narrat: *Erat autem quidam, inquit, languens Lazarus a Bethania de castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur* (Joan. xi, 1, 2). Hoc dicens Joannes attestatur Lucæ, qui hoc in domo pharisæi cujusdam Simonis factum esse narravit. Jam itaque hoc Maria fecerat. Quod autem in Bethania rursus fecit, aliud est, quod ad Lucæ narrationem non pertinet, sed pariter narratur a tribus, Joanne scilicet (*Id.* xii, 1-8), Matthæo et Marco (*Marc.* xiv, 3-9).

155. Inter istos igitur tres, Matthæum, Marcum et Joannem, quemadmodum hoc conveniat attendamus, de quibus non est dubium quod eandem rem narrent gestam in Bethania, ubi etiam discipuli, quod omnes tres commemorant, murmuraverunt adversus mulierem tanquam de perditione pretiosissimi unguenti. Quod ergo Matthæus et Marcus caput Domini unguento illo perfusum dicunt, Joannes autem pedes, regula illa ostenditur non esse contrarium, quam demonstravimus, eum de quinque panibus pasceret turbas. Ibi enim quia non defuit qui et quinquagenos, et centenos discubuisse commemoraret, cum alius quinquagenos dixerit, non potuit videri contrarium: potuisset autem si alius centenos tantum posuisset, sicut alius quinquagenos, et tamen debuit inveniri utrumque factum esse. Quo exemplo informari nos oportuit, sicut illic admonui, etiam ubi singuli Evangelistæ singula commemorant, utrumque factum intelligere (*Supra*, cap. 46, n. 98). Proinde et hic non solum caput, sed et pedes Domini accipiamus perfudisse mulierem. Nisi forte quoniam Marcus fracto alabastro perfusum caput commemorat, tam quisquam absurdus et calumniosus est, ut aliquid in vase fracto neget remanere potuisse, unde etiam pedes perfunderet. Sed cum iste contenderit sic esse fractum, ut nihil ibi residui fieret, nitens adversus veritatem Evangelii; quanto melius et religiosius contendit alius non esse ita fractum, ut totum effunderet, nitens pro veritate Evangelii? Ille autem calumniator si tam pertinaciter cæcus est, ut Evangelistarum concordiam de alabastro fracto frangere conetur, prius accipiat perfusos pedes antequam illud fractum esset, ut in integro remaneret, unde etiam caput perfunderetur, ubi fractura illa totum effunderet. A capite quippe nobis ordinate consuli agnoscimus, sed ordinate etiam nos a pedibus ad caput ascendimus.

156. Cætera facti hujus nullam mihi videntur habere quæstionem. Quod enim alii dicunt discipulos murmurasse de unguenti effusione pretiosi, Joannes autem Judam commemorat, et ideo quia fur erat; manifestum puto esse discipulorum nomine eundem Judam significatum, locutione illa quam de Philippo in quinque panibus insinuavimus, plurali numero pro singulari usurpato (*Ibid.*, n. 96). Potest etiam intelligi quod et alii discipuli aut scenserint hoc, aut dixerint, aut eis Juda dicente persuasum sit, atque omniam

voluntatem Matthæus et Marcus etiam verbis expresserint; sed Judas propterea dixerit, quia fur erat, ceteri vero propter pauperum curam; Joannem autem de solo illo id commemorare voluisse, cujus ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intinendam.

CAPUT LXXX. — *Ubi mittit discipulos ut præparent ei manducare Pascha, quomodo inter se congruant Matthæus, Marcus et Lucas.*

157. Sequitur Matthæus: *Tunc abiit unus de duodecim qui dicitur Judas Scarioth, ad principes sacerdotum, et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos, etc.*, usque ad illud, ubi ait, *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha* (*Matth.* xxvi, 14-19). Nihil in hoc capitulo contrarium putari potest Marco et Lucæ, qui hoc idem similiter narrant (*Marc.* xiv, 10-16, et *Luc.* xxii, 3-13). Quod enim dicit Matthæus *Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis*, eum significat quem Marcus et Lucas dicunt patremfamilias vel dominum domus, in qua eis cenaculum demonstratum est, ubi pararent Pascha: quod ergo interposuit Matthæus, *ad quemdam*, tanquam ex persona sua studio brevitate illum compendio voluit insinuare. Si enim diceret dixisse Dominum, *Ite in civitatem, et dicite ei, Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha*; tanquam civitati dicendum esset, acciperetur. Ac per hoc non ex Domini, cujus mandatum narrabat, sed ex sua persona interposuit, ad quemdam jussisse Dominum ut irent, ne haberet necesse totum dicere, cum hoc illi ad insinuandam jubentis sententiam sufficere videretur. Nam neminem sic loqui, ut dicat, *Ite ad quemdam, quis nesciat? Si enim diceret, Ite ad quemcumque, aut, ad quemlibet*; posset esse integra locutio, sed non esset certus homo ad quem mitterentur (a): cum eum certum ostendunt, quamvis tacito ejus nomine, Marcus et Lucas. Sciebat quippe Dominus ad quem mitteret. Et ut eum etiam illi quos mitterebat, invenire possent, præmonuit quod indicium sequerentur, de lumine gestante aquæ lagenam vel amphoram, ut eum secuti, ad domum quam volebat, venirent. Cum itaque non hic posset dici, *Ite ad quemlibet*, quod integritas quidem locutionis admittit, sed hoc loco rei hujus quæ insinuabatur veritas non admittit; quanto minus hic dici potuit, *Ite ad quemdam*, quod omnino nunquam recta locutione dici potest? Sed plane discipulos a Domino, non ad quemlibet, sed ad quemdam hominem; id est, ad certum aliquem missos esse manifestum est. Quod nobis ex persona sua recte potuit Evangelista narrare, ut diceret, *Misit eos ad quemdam, ut dicerent ei, Apud te facio Pascha. Potuit etiam sic, Misit eos ad quemdam dicens: Ite, dicite ei, Apud te facio Pascha. Ac per hoc cum verba Domini posuisset dicentis, Ite in civitatem*; interposuit ipse, *ad quemdam*: non quia hoc

(a) Hæc difficultas locum non habet in græco: *pròs tîn deûna*.



Domini dixerit, sed ut ipse nobis insinuaret tacito nomine fuisse quemdam in civitate, ad quem Domini discipuli mittebantur, ut præpararent Pascha. Ac sic post hanc ex persona sua interpositionem duorum verborum, sequitur ordinem verborum Domini dicentis, *Et dicite ei, Magister dicit.* Jam enim si quæras, Cui? recte respondetur, Illi cuidam homini, ad quem misisse insinuavit Evangelista, cum ex persona sua interposuisset, *ad quemdam*: minus quidem usitata locutio, sed tamen sic intellecta integerrima est; aut si habet aliquid proprietatis hebræa lingua, qua perhibetur scripsisse Matthæus, ut etiam totum ex persona Domini dictum locutionis integritate non careat, viderint qui noverunt. Sane ita posset etiam latine dici, si diceretur, *Ite in civitatem ad quemdam, quem vobis demonstraverit homo qui vobis occurrerit lagenam aquæ portans*: hoc modo jubenti sine ambiguitate posset obtemperari. Velut etiam si diceret, *Ite in civitatem ad quemdam qui manet illo aut illo loco, in tali vel tali domo; cum expressione loci et designatione domus; posset intelligi, posset fieri.* His autem

atque hujusmodi cæteris tacitis indicis qui dicit, *Ite ad quemdam*, et dicite ei, ideo non potest audiri, quia certum aliquem vult intelligi, cum dicit, *ad quemdam*, et non exprimit quomodo dignoscatur. Quod si ex persona Evangelistæ dictum illud interpositum acceperimus, erit quidem necessitate veritatis subobscura locutio, sed tamen integra. Quod vero Marcus lagenam dicit, quam Lucas amphoram; ille vasis genus, ille modum significavit: uterque tamen veritatem sententiæ custodivit.

158. Sequitur Matthæus: *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis; et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? etc.*, usque ad illud ubi ait, *Respondens autem Judas qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti (Matth. xxvi, 20-25).* In his quæ consideranda nunc proposuimus, nihil asserunt quæstionis etiam cæteri Evangelistæ, qui talia commemorant (*Marc. xiv, 17-21: Luc. xxii, 14-23, et Joan. xiii, 21-27).*

## LIBER TERTIUS.

In quo Evangelistarum a cœnæ narratione ad Evangelii finem concordia, collato simul ordineque digesto singulorum contextu, demonstratur.



PROLOGUS. — 1. Jam quoniam omnium quatuor narratio in eo versatur loco, in quo necesse est eos usque in finem pariter ambulare, nec multum digredi ab invicem, sicubi forte alius aliquid commemorat, quod alii prætermittit; videtur mihi expeditius nos demonstrare posse omnium Evangelistarum convenientiam, si ab hoc jam loco omnium omnia contexamus, et in unam narrationem faciemque<sup>1</sup> digeramus. Sic ergo arbitrator commodius faciliusque id quod suscepimus explicari, ut aggrediamur narrationem omnia commemorantes, cum eorum Evangelistarum attestatione, qui ex his omnibus<sup>2</sup> quisque quod potuit aut quod voluit commemoravit: ut tamen ab omnibus hæc omnia dicerentur, quæ demonstrandum est in nullo sibi esse contraria.

CAPUT PRIMUM. — *De cœna Domini et de expresso traditore ejus, quemadmodum inter se quatuor conveniant.*

2. Hinc igitur incipiamus secundum Matthæum: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite; hoc est corpus meum (Matth. xxvi, 26).* Hæc et Marcus Lucasque commemorant (*Marc. xiv, 17-22, et Luc. xxii, 14-23*). Quod enim Lucas de calice bis commemoravit, prius antequam panem daret, deinde posteaquam panem dedit; illud quod superius dixit, præoccupavit ut solet; illud vero quod ordine suo posuit, non commemoraverat superius: utrumque autem conjunctum hanc senten-

tiam facit, quæ et illorum est. Joannes autem de corpore et sanguine Domini hoc loco nihil dixit, sed plane alibi multo uberius hinc Dominum locutum esse testatur<sup>1</sup> (*Joan. vi, 52-64*). Nunc vero cum Dominum a cœna surrexisse et pedes discipulorum lavasse commemorasset, reddita etiam ratione cur eis hoc fecerit, in qua Dominus adhuc clause significaverat per testimonium Scripturæ, ab eo se tradi qui manducaret ejus panem; venit ad hunc locum, quem tres cæteri pariter insinuant: *Cum hæc dixisset*, inquit, *Jesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Aspicebant ergo, sicut idem ipse Joannes subnectit, ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret (Id. xiii, 2-32).* Et contristati, sicut Matthæus et Marcus dicunt, *cœperunt ei singillatim dicere: Numquid ego sum? At ipse respondens ait, sicut Matthæus sequitur, Qui intingit mecum manum in peropside, hic me tradet.* Et sequitur idem Matthæus ita subnectens: *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: vobis autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur! bonum erat ei si natus non fuisset homo ille: in his et Marcus hoc etiam ordine consonat.* Deinde Matthæus subjungit: *Respondens autem Judas; qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.* Etiam hic non expressum est, utrum ipse esset. Potest enim adhuc intelligi, tanquam, Non ego dixi: potuit etiam hoc sic dici a Juda et a Domino responderi, ut non omnes adverterent.

<sup>1</sup> Apud Rat. et Er., *seriemque.*

<sup>2</sup> Sic MSS. At editi Er. et Lov., *cum eorumdem Evangelistarum attestatione quæ ex his, etc.*

<sup>1</sup> MSS. optimæ notæ Corbeiensis et Remigiensis, præter alios paucos, omittunt, *hinc Dominum locutum esse testatur*: at habent tamen cum cæteris verba illa, *sed plane alibi multo uberius.*

5. Deinde sequitur Matthæus et inserit mysterium corporis et sanguinis a Domino discipulis datum, sicut et Marcus et Lucas. Sed cum tradidisset calicem, rursus de traditore suo locutus est, quod Lucas persequitur dicens: *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa: et quidem Filius hominis secundum quod definitum est vadit; verumtamen vix homini illi per quem tradetur!* Hic jam intelligendum est illud consequi quod Joannes narrat, isti autem prætermiserunt; sicut Joannes quædam prætermisit quæ illi dixerunt. Cum ergo post traditum calicem dixisset Dominus, quod a Luca positum est, *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa, etc.*, conjungitur illud secundum Joannem: « Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus: innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei: Quis est de quo dicit? Itaque cum recubisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine, quis est? Respondit Jesus: Ille cui ego intinctum panem portexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Scarioth. Et post buccellam, tunc introiit in illum satanas. »

4. Hic videndum est, ne non solum Lucæ, qui jam dixerat intrasse satanam in cor Judæ, quando pactus est tunc cum Judæis, ut cum accepta pecunia traderet, sed etiam sibi ipse Joannes repugnare videatur, qui jam dixerat superius, antequam istam buccellam acciperet. *Et cæna facta, cum jam diabolus inmisisset in cor ut traderet eum Judas.* Quomodo enim intrat in eor, nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationibus iniquorum? Sed nunc intelligere debemus a diabolo Judam plenius esse possessum: sicut contra in bono, illi qui jam acceperant Spiritum sanctum, quando eis post resurrectionem insufflavit dicens, *Accipite Spiritum sanctum* (Joan. xx, 23); postea eum, cum desuper missus esset die Pentecostes, utique plenius acceperunt. Post buccellam ergo tunc introiit in eum satanas: « Et, » sicut contextim Joannes ipse commemorat, « dicit ei Jesus: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia oculos habebat Judas, quia dixit ei Jesus<sup>1</sup>, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum; aut egenis ut aliquid daret. Cum ergo acceperat ille buccellam, exiit continuo. Erat autem nox. Cum ergo exisset, dicit Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo: et si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in sometipso, et continuo clarificabit eum. »

CAPUT II. — De prædicta negatione Petri, quemadmodum ostendantur nihil inter se repugnare.

5. « Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me; et, sicut dixi Judæis, quo ego vado vos non potestis venire: et vobis dico modo. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si di-

<sup>1</sup> Sic Mss. Editi autem, *persuasiones cogitationum iniquarum.*  
<sup>2</sup> Mss. prope omnes, *dicit ei Jesus.* Duo e Vat. et Raf., *dixerit.* Græc., *legit.*

lectionem habueritis ad invicem. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Jesus: Quo ego vado non potes me modo sequi; sequeris autem postea. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam. Respondit Jesus: Animam tuam pro me pones? amen, amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter me neget » (Joan. xiii, 33-38). Hoc de prædicta negatione sua Petro non solus Joannes, ex cujus Evangelio modo ista interposui, sed et cæteri tres commemorant (Math. xxvi, 30-35; Marc. xiv, 26-31, et Luc. xxii, 31-34). Non sane omnes ex una eadem que occasione sermonis ad eam commemorandam veniunt: nam Matthæus et Marcus pari prorsus ordine et eodem narrationis suæ loco eam subnectunt ambo, posteaquam Dominus egressus est ex illa domo, ubi manducaverant Pascha; Lucas vero et Joannes, antequam inde esset egressus. Sed facile possemus intelligere aut illos duos eam recapitulando posuisse, aut istos præoccupando; nisi magis moveret quod tam diversa, non tantum verba, sed etiam sententias Domini præmittunt, quibus permotus Petrus illam præsumptionem proferret, vel cum Domino vel pro Domino moriendi, ut magis cogant intelligi ter eum expressisse præsumptionem suam diversis locis sermonis Christi, et ter illi a Domino responsum quod cum esset ante galli cantum ter negaturus.

6. Neque enim incredibile est, aliquantum disjunctis intervallis temporis Petrum commotum esse ad præsumendum, sicut ad negandum; vel ei Dominum aliquid ter similiter respondisse: quandoquidem etiam contextim, nullis aliis interpositis rebus aut verbis, post resurrectionem ter illum interrogaverit utrum cum amet, et ei ter hoc idem respondentem etiam ipse mandatum de pascendis ovibus suis unum idemque ter præceperit (Joan. xxi, 15-17). Hoc autem esse credibilis, quod ter ostenderit præsumptionem suam Petrus, et de trina sua negatione ter a Domino audierit, ex ipsis Evangelistarum verbis, quæ a Domino dicta diversæ ac diversa commemorant, sic probatur. Ecce meminimus quod nunc interposui ex Evangelio Joannis; hoc certe dixerat: « Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me; et, sicut dixi Judæis, quo ego vado vos non potestis venire: et vobis dico modo. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? » Nempe hic manifestum est, ex illis verbis motum esse Petrum ut diceret, *Domine, quo vadis?* quia dicentem audierat, *Quo ego vado vos non potestis venire.* Respondit Jesus eidem Petro: *Quo ego vado non potes me sequi modo; sequeris autem postea.* Tunc ille: *Quare non possum, inquit, sequi te modo? animam meam pro te ponam.* Huic præsumptioni respondit Dominus futuram ejus negationem. Lucas autem cum commemorasset dixisse Dominum, *Simon, ecce satanas expetivit vos ut*

*cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ; et tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos ; tunc subiecit Petrum respondisse, Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. Et ille dixit : Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Quam hoc aliud sit, aliud illud unde Petrus ad præsumendum permotus sit, quis non videat ? At vero Matthæus, Et hymno dicto, inquit, exierunt in montem Oliveti. Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Sic prorsus et Marcus. Quid habent etiam hæc verba vel sententiæ simile illis<sup>1</sup>, vel quibus secundum Joannem, vel quibus secundum Lucam, Petrus retulit præsumptionem suam ? Et hic ergo ita sequitur : Respondens autem Petrus, ait illi : Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus : Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt.*

7. Hæc pene ipsis verbis etiam Marcus commemorat, nisi quod non generaliter, sed distinctius, quemadmodum futurum esset, expressit dictum a Domino, Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus. Cum itaque omnes dicant prædixisse Dominum quod cum Petrus esset negaturus antequam gallus cantaret, non autem omnes dicant quoties gallus cantaret. Marcus hoc solus narravit expressius. Unde nonnullis videtur non congruere cæteris, quia parum attendunt, et maxime eorum obnubilatur intentio, cum adversus Evangelium animo induuntur hostili. Tota enim Petri negatio, trina negatio est. In eadem namque permansit trepidatione animi, propositoque mendacii, donec admonitus quid ei prædictum sit, amaro fletu et cordis dolore sanaretur. Hæc autem tota, id est trina negatio, si post primum galli cantum inciperet, falsum dixisse viderentur tres : quorum Matthæus dixit, Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis ; Lucas autem, Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me ; Joannes autem, Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges. Diversis enim verbis et verborum ordine eandem explicaverunt sententiam dixisse Dominum, quod antequam gallus cantaret, ter cum Petrus esset negaturus. Rursus si totam trinam negationem ante peregisset, quam cantare gallus inciperet, superfluo dixisse Marcus deprehenderetur ex persona Domini, Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me negaturus es. Quid enim attinebat dicere, priusquam bis, quando, si ante primum galli cantum tota illa trina negatio completeretur, simul et ante secundum, et ante tertium, et ante omnes galli cantus ejusdem

noctis completa inveniretur, quæ ante ipsum primum completa probaretur ? Sed quia ante primum galli cantum cœpta est illa trina negatio, attenderunt illi tres, non quando, eam completurus esset Petrus, sed quanta<sup>2</sup> futura esset, et quando cœptura ; id est, quia trina, et quia ante galli cantum : quanquam in animo ejus, et ante primum galli cantum tota possit intelligi. Quamvis enim verbis negantis ante primum cœpta, ante secundum autem galli cantum peracta sit tota illa trina negatio ; tamen affectione animi et timore Petri ante primum tota concepta est<sup>3</sup>. Nec interest quantis morarum intervallis trina voce enuntiata sit, cum cor ejus etiam ante primum galli cantum tota possederit, tam magna scilicet formidine imbibita, ut posset Dominum, non solum semel, sed iterum et tertio interrogatus negare, ut rectius diligentiusque attendentibus<sup>4</sup>, quomodo jam mœchatus est mulierem in corde suo qui eam viderit ad concupiscendum ( *Matth. v, 28* ) ; sic Petrus quodcumque verbis ederet timorem, quem tam vehementem animi conceperat, ut perdurare posset usque ad tertiam Domini negationem, tota trina negatio ei temporis deputanda est, quando eum trine negationi sufficiens timor invasit : ex quo etiam si post primum galli cantum inciperent, pulsato interrogationibus pectore, verba illa negationis erumpere, nec sic absurde atque mendaciter ante galli cantum ter negasse diceretur, quando ante galli cantum tantus timor obsederat mentem, qui eum<sup>4</sup> posset usque ad tertiam negationem perducere. Multo minus igitur movere debet, quia trina negatio etiam trinis negantis vocibus ante galli cantum cœpta, etsi non ante primum galli cantum peracta est. Tanquam si alicui diceretur, Ille nocte, antequam gallus cantet, ad me scribes epistolam, in qua mihi ter conviciaberis : non utique si eam ante omnem galli cantum scribere inciperet, et post primum galli cantum finiret, ideo dicendum erat falsum fuisse prædictum. Marcus ergo de ipsarum vocum intervallis planius elocutus est, qui dixit ex persona Domini, Priusquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus. Ita gestum esse apparebit, cum ad eundem locum narrationis evangelicæ venerimus, ut etiam illic ostendatur Evangelistas sibi congruere.

8. Si autem quaerantur ipsa omnino verba quæ Petro Dominus dixerit ; neque inventri possunt, et superfluo quaeruntur ; cum sententia ejus, propter quam cognoscendam verba proferuntur, etiam in diversis Evangelistarum verbis possit esse notissima. Sive ergo diversis sermonum Domini locis commotus Petrus singillatim ter enuntiaverit præsumptionem suam, et ter ei Dominus suam negationem prædixerit, sicut probabilius indagatur ; sive aliquo narraadi ordine possint omnium Evangelistarum commemorationes in unum redigi, quibus demonstratur semel Dominum prædixisse Petro præsumenti quod eum negaturus

<sup>1</sup> Lov., quando. Sed melius editi alii et Mss., quanta.

<sup>2</sup> Ita Mss. et Rat. At Er. et Lov., cœpta est.

<sup>3</sup> In sex Mss. additum hic est, videtur.

<sup>4</sup> In Mss. prope omnibus et Rat., eam.

esset; nulla hic Evangelistarum repugnantia deprehendi poterit, sicut nulla est.

**CAPUT III.** — *De his quæ dicta sunt a Domino donec exiret de domo ubi cænarant, quemadmodum nihil discrepare monstrantur.*

O. Nunc ergo quantum possumus, ipsam ex omnibus ordinem jam sequamur. Cum itaque secundum Joannem hoc Petro prædictum esset, sequitur idem Joannes, et conserit Domini sermonem, dicentis: *Non turbatur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite: in domo Patris mei mansiones multæ sunt, etc.* Sermonis ejus præclaræ maximeque sublimis diu narrat, donec contextim veniat ad illum locum, ubi ait Dominus: *Pater juste, et mundus te non cognovit; ego autem te cognovi: et illi cognoverunt quia tu me misisti; et notum eis feci nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis (Joan. xiv-xvii).* Cum autem facta esset contentio inter eos, quis eorum videretur esse major, sicut Lucas commemorat, dixit eis: *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut junior; et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui ministrat: vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposui mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeat super thronos, judicantes duodecim tribus Israel. Ait autem Dominus Simoni, sicut Lucas ipse subjungit, *Simon, ecce satanas expellit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. Et ille dixit: Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis: Quando misit vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat; similiter et peram: et qui non habet, vendat tunicam suam, et amet gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me, Et cum injustis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce gladii duo hic. At ille dixit eis: Satis est (Luc. xii, 24-28). Et hymno dicto, sicut Matthæus Marcusque commemorant, exierunt in montem Olivæ. Tunc dicit illis Jesus: *Omnes vos scandalum patientini in me in ista nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam***

<sup>1</sup> In editis omnia erant particula, et; quæ hic in melioris notæ MSS. habetur, neque in antiquis Corbeiensibus Bibliis et in textu græco.

<sup>2</sup> Biblii, sicut minor. At MSS., sicut junior: sic etiam antiqua Corbeiensia Biblia et Augustini speculum; juxta græc. et veteros.

scandalizabor. Ait illi Jesus: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt (Matth. xxvi, 30-35).* Hæc secundum Matthæum inseruimus: sed et Marci pene ipsa et totidem verba sunt (Marc. xiv, 26-31), nisi quia distat illud quod de galli cantu jam supra enodavimus.

**CAPUT IV.** — *De his quæ gesta sunt in illo prædio vel horto, quo ex illa domo post cænam venerunt, quemodo trium, id est Matthæi, Marci et Lucæ consonantia demonstratur, quoniam Joannes de hoc tacet.*

10. Contextit ergo narrationem Matthæus, et dicit: *Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani (Matth. xxvi, 36-46).* Hoc dicit et Marcus (Marc. xiv, 32-42); hoc et Lucas non expressè nominato prædio, cum ait: *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum: secuti sunt autem illum et discipuli. Et cum pervenisset ad locum dixit illis: Orate ne intretis in tentationem (Luc. xxi, 39-46).* Iste locus est, cujus nomen illi dixerunt Gethsemani. Ibi fuisse intelligimus hortum, quem commemorat Joannes, ita narrans: *« Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus » (Joan. xviii, 1).* Deinde, secundum Matthæum, *« dixit discipulis: Sedete hic, donec vadam illuc et orem. Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic et vigilate mecum. Et progressus pusillum, proclidit in faciem suam, orans et dicens: Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad discipulos, et invenit eos dormientes; et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilare, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundo abiit et oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, et invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati. Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eundem sermonem dicens. Tunc venit ad discipulos suos, et ait illis: Dormite jam, et requiescite: ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, camus; ecce appropinquavit qui me tradet. »*

11. Hæc etiam Marcus, eoque prorsus modo atque ordine conserit, aliquando brevius quasdam constringens sententias, et aliquid magis aperiens. Nam videtur hic sermo secundum Matthæum tanquam sibi ipsi contrarius, quod post tertiam orationem venit ad discipulos suos et dicit illis, *Dormite jam, et requiescite: ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus; ecce appropinquavit qui me tradet.* Quomodo enim supra, *Dormite jam, et requiescite, cum concludat ecce as-*

*propinquavit hora*; et ideo dicat, *Surgite, eamus?* Qua velut repugnantia commoti qui legunt, conantur ita pronuntiare quod dictum est, *Dormite jam, et requiescite*, tanquam ab exprobrante, non a permittente sit dictum. Quod recte fieret, si esset necesse: cum vero Marcus ita hoc commemoraverit, ut cum dixisset, *Dormite jam, et requiescite*, adjungeret, *sufficit*; et deinde inferret, *Venit hora; ecce tradetur Filius hominis*: utique intelligitur post illud quod eis dictum est, *Dormite jam, et requiescite*, siluisse Dominum aliquantum, ut hoc fieret quod permiserat; et tunc intulisse, *ecce appropinquavit hora*. Ideo post illa verba secundum Marcum positum est, *sufficit*, id est, quod requievistis jam sufficit. Sed quia commemorata non est ipsa interpositio silentii Domini, propterea coarctat intellectum, ut in illis verbis alia pronuntiatio requiratur.

12. Lucas autem prætermisit quoties oraverit: dixit sane quod isti tacuerunt, et orantem ab angelo confortatum, et prolixius orantis sudorem fuisse sanguineum, et guttas decurrentes in terram. Cum ergo dicit, *Et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos*, non expressit quanta oratione: nihilo tamen illis duobus repugnat. Joannes vero posteaquam in hortum ingressum dicit cum discipulis suis, non commemorat quid illic egerit, donec ejus traditor cum Judæis ad eum comprehendendum veniret.

13. Tres igitur isti eandem rem ita narraverunt, sicut etiam unus homo ter posset<sup>1</sup> cum aliqua varietate, nulla tamen adversitate. Lucas enim, quantum ab eis progressus, id est avulsus fuerit ut oraret, manifestius aperuit, dicens, *quantum jactus est lapidis*. Porro autem Marcus primo ex verbis suis idem narravit rogasse Dominum, *ut si fieri posset, transiret ab eo illa hora*, id est passionis, quam calicis nomine mox significavit. Deinde verba ipsa Domini sic enuntiavit: *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt; transfer calicem hunc a me*. Quibus verbis si adjungas quod illi duo dixerunt, et quod ipse etiam Marcus ex persona sua pariter supra posuit, ita sententia manifestatur, *Pater, si fieri potest, omnia enim tibi possibilia sunt, transfer calicem istum a me*; ne quis cum putaret Patris minuisse potestatem, cum ait, *si fieri potest*: non enim dixit, Si facere potes; sed, *si fieri potest*: fieri autem potest quod ille voluerit. Sic itaque dictum est, *si fieri potest*, ac si diceretur, *si vis*. Manifestavit enim Marcus quo intellectu accipiendum sit, *si fieri potest*, quando ait, *omnia tibi possibilia sunt*. Et quod commemoraverunt eum dixisse, *Verum non quod ego volo, sed quod tu* (quod tantumdem valet, quantum si et ita dicatur, *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*), satis ostendit non ex impossibilitate, sed ex voluntate Patris dictum esse, *si fieri potest*: præsertim quia Lucas et hoc ipsum planius intumavit: non enim ait, *si fieri potest*; sed, *si vis*. Cui apertiori sententiæ apertius jungitur quod Marcus posuit, ut ita dicatur: Si

<sup>1</sup> Itic in oratione adhibitum fuerat, loquitur: superfluo, cum optime subaudiatur, narrare.

*vis, omnia enim tibi possibilia sunt, transfer a me calicem istum*.

14. Quod autem ipso Marcus, non solum *Pater*, sed *Abba, Pater*, eum dixisse commemorat, hoc est *Abba* hebraice, quod est latine *Pater*. Et fortasse Dominus propter aliquod sacramentum utrumque dixerit, volens ostendere illam se tristitiam in persona sui corporis, id est Ecclesie, suscepisse, cui factus est angularis lapis, venienti ad eum partim ex Hebræis, ad quos pertinet quod ait, *Abba*; partim ex Gentibus, ad quas pertinet quod ait, *Pater* (*Ephes. ii, 11-23*). Etiam Paulus apostolus non prætermittens hoc sacramentum, *In quo clamamus, inquit, Abba, Pater* (*Rom. viii, 15*): et iterum ait, *Misit Deus Spiritum suum in corda vestra, clamantem Abba, Pater* (*Galat. iv, 6*). Oportuit enim ut bonus magister et verus salvator infirmioribus compatiens, in se ipso demonstraret non debere suos martyres desperare, si qua forte cordibus eorum irreperet sub tempus passionis ex humana fragilitate tristitia, cum eam vincerent, voluntati suæ præponendo voluntatem Dei, quia ille scit quid expediat quibus consulit. De qua tota re non nunc tempus est ut uberius disseratur: agitur enim modo de convenientia Evangelistarum, in quorum diversitate verborum salubriter discimus non aliud in verbis ad audiendam veritatem, quam sententiam loquentis esse requirendam. Hoc est enim *Pater*, quod *Abba, Pater*: sed ad sacramentum intimandum, planius est *Abba, Pater*; ad unitatem significandam, sufficit *Pater*. Et Dominum quidem *Abba, Pater*, dixisse credendum est: sed tamen non eluceret sententia, nisi aliis dicentibus *Pater*, demonstraretur sic esse illas duas Ecclesias ex Judæis et Græcis, ut etiam una sit. Ex illo ergo intellectu dictum est, *Abba, Pater*, quo idem Dominus alibi ait, *Habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovili*; Gentes utique significans, cum haberet oves etiam in populo Israel. Sed quia secutus adjecit, *Oportet me et eas adducere, ut sit unus grex et unus pastor* (*Joan. x, 16*); quantum valet ad Israelitas et Gentes, *Abba, Pater*, tantum ad unum gregem, solum *Pater*.

CAPUT V. — *De his quæ in ejus apprehensione facta et dicta omnes commemorant, quomodo inter se nihil appareat dissentire.*

15. *Adhuc ergo ipso loquente*, sicut dicunt *Matthæus* et *Marcus*, *ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, a principibus sacerdotum et senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave, rabbi. Et osculatus est eum* (*Matth. xxvi, 47-56, et Marc. xiv, 43-50*). Dixitque illi primo, quod ait *Lucas*, *Juda, osculo Filium hominis tradis* (*Luc. xxii, 47-53*)? deinde quod *Matthæus*, *Amice, ad quid venisti?* Deinde dixit, quod *Joannes* commemorat: *Quem quaeritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis: ut ergo dixit eis, Ego sum,*

<sup>1</sup> Editi, *missi a principibus*. Abest vox, *missi*, a meliori notæ mss., nec est in græco.

abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Iterum ergo eos interrogavit: *Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo quem dixit, Quia quos dedisti mihi, non perdidisti ex ipsis quemquam* (Joan. xviii, 2-11).

16. *Videntes autem, sicut Lucas dicit, ii qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? Et percussit unus ex ipsis, quod omnes quatuor dicunt, servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam ejus, sicut Lucas et Joannes dicunt, dexteram. Qui autem percussit, secundum Joannem Petrus erat: quem percussit autem, Malchus vocabatur. Deinde quod Lucas dicit, Respondens Jesus ait: Sinite usque huc; et adjunxit quod Matthæus commemorat, Convertite gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebantur Scripturæ, quia sic oportet fieri? His verbis adjungi potest quod illum eo loco dixisse Joannes commemorat, Calicem quem dedit mihi Pater, non vis bibam illum? Tunc, sicut Lucas dicit, tetigit auriculam illius qui percussus erat, et sanavit eum.*

17. Nec moveat quasi contrarium sit quod Lucas dixit, interrogantibus discipulis si percuterent in gladio, Dominum respondisse, *Sinite usque huc*: quasi post illam percussorem ita dictum fuerit, ut placuerit ei usque huc factum, id est amplius fieri noluerit; cum in verbis quæ Matthæus posuit, intelligatur potius totum factum quo usus est gladio Petrus, Domino displicuisse. Illud enim verius est, quod cum eum interrogassent dicentes, *Domine, si percutimus in gladio?* tunc respondit, *Sinite usque huc*: id est, non vos moveat quod futurum est; permittendi sunt huc usque progredi, hoc est, ut me apprehendant, et impleantur quæ de me scripta sunt. Sed inter moras verborum interrogantium Dominum et illius respondentis, Petrus defensionis aviditate et majori pro Domino commotione percussit: sed non potuerunt etiam simul dici, quæ simul fieri potuerunt. Non enim diceret, *Respondens autem Jesus*, nisi illorum interrogationi responderet, non facto Petri. Nam de facto Petri quid judicaverit, Matthæus solus dixit. Ubi etiam non dixit Matthæus, Respondit Jesus Petro, *Convertite gladium tuum*; sed dixit, *Tunc ait illi Jesus, Convertite gladium tuum*: quod post factum apparet dixisse Dominum. Illud vero quod Lucas posuit, *Respondens autem Jesus ait, Sinite usque huc*, illis qui interrogaverant responsum esse accipiendum est: sed quia, ut diximus, inter verba interrogantium et respondentis Domini, facta est uno ictu percussio, hoc ordine judicavit esse narrandum, ut etiam inter verba interrogationis et responsionis eam insereret. Non est ergo contrarium hoc ei quod dixit Matthæus, *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*, id est, qui usi fuerint gladio. Videri autem posset contrarium, si Dominus ex illa responsione, saltem usque ad unum,

nec ipsum lethale vulnus, usum tamen gladii spontaneum approbasse demonstraretur. Quamquam etiam Petro dictum totum congruenter intelligi possit, ut sic connectatur et quod Lucas et quod Matthæus retulit, quemadmodum supra commemoravi, *Sinite usque huc*; et, *convertite gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*, etc. Quomodo autem sit intelligendum, *Sinite usque huc*, jam exposui: et si aliter melius potest, ita sit; dum tamen Evangelistarum veritas constet.

18. Postea sequitur Matthæus, et commemorat eum in illa hora dixisse turbis: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis. Tunc addidit etiam verba quæ Lucas ponit: Sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est, sicut Matthæus dicit, ut implerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt; sicut et Marcus dicit. Sequebatur autem illum unus adolescens amictus sindone, sicut idem Marcus commemorat; et cum tenuissent eum, rejecta sindone nudus profugit ab eis.*

CAPUT VI. — *De his quæ gesta sunt cum duceretur Dominus ad domum principis sacerdotum, et quæ in ipsa domo cum nocte perductus esset, et maxime de Petri negatione, quemadmodum inter se omnes congruant.*

19. *At illi tenentes Jesum duxerunt ad Caipham, principem sacerdotum, ubi Scribæ et seniores convenerant, sicut Matthæus dicit (Matth. xxvi, 57-75). Sed primo ad Annam ductus est, socerum Caiphæ, sicut Joannes dicit (Joan. xviii, 12-27). Marcus autem et Lucas nomen non dicunt pontificis (Marc. xiv, 53-72, et Luc. xxii, 54-62). Ductus est autem ligatus, cum adessent in illa turba tribunos et cohors et ministri Judæorum, sicut Joannes commemorat. Petrus autem sequebatur eum a longe usque in atrium principis sacerdotum: et ingressus intro sedebat cum ministris, ut videret finem, sicut dicit Matthæus. Et calefaciebat se ad ignem, sicut in eo loco narrationis dicit Marcus. Hoc et Lucas commemorat, quod Petrus sequebatur a longe: accenso autem igne in medio atrio, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Et Joannes dicit, quod sequebatur Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille alius erat notus pontifici, et introiit cum Jesu in atrium pontificis, sicut Joannes dicit. Petrus autem stabat ad ostium foris, secundum eundem Joannem. Exiit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum, sicut idem Joannes dicit. Sic enim factum est, ut intus esset et Petrus in atrio, sicut et alii dicunt.*

20. *Principes autem sacerdotum et omne consilium, sicut Matthæus dicit, quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent: et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Convenientia enim testimonia non erant, sicut Marcus dicit, cum eundem locum commemoraret. Novissime autem venerunt duo falsi testes, sicut dicit Matthæus, et dixerunt: Ille dixit, Possum destruere templum Dei, et post*

*triduum reedificare*<sup>1</sup> *illud*. Alios etiam Marcus commemorat dixisse, *Nos audivimus eum dicentem, Ego dissolvam templum hoc manu factum, et post triduum aliud non manu factum edificabo*: et ideo non erat conveniens testimonium illorum, sicut idem Marcus ibidem dicit. *Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dixisti*; hæc Matthæus. Marcus autem eadem aliis verbis dicit, nisi quod tacet quod eum adjuraverit princeps sacerdotum: sed tantum valere ostendit quod ei dicit Jesus, *Tu dixisti*, quantum si diceret, *Ego sum*. Sequitur enim, ut ait idem Marcus: *Jesus autem dixit illi, Ego sum. Et videbitis Filium hominis a dextris sedentem virtutis, et venientem cum nubibus cæli*. Hoc dicit etiam Matthæus, sed non dicit respondisse Jesum, *Ego sum*. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit; quid adhuc egenus testibus?* quod Matthæus commemorat, et sequitur, *Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis*. Hoc etiam testatur et Marcus. Et sequitur Matthæus: *Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt. Alii autem palmas in faciem ei dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* Hoc dicit et Marcus: commemorat etiam quod ei faciem velaverunt. De his quoque Lucas attestatur.

21. Hæc intelligitur passus Dominus usque ad mane in domo principis sacerdotum, quo prius adductus est, ubi etiam Petrus tentatus est. Sed de Petri tentatione, quæ inter has Domini contumelias facta est, non eodem ordine omnes narrant: nam ipsas primo commemorant Matthæus et Marcus, deinde Petri tentationem; Lucas vero explicat prius tentationem Petri, tum deinde has Domini contumelias: Joannes autem incipit Petri tentationem dicere, et interponit quædam de contumeliis Domini, et adjungit quod inde missus est ad Caipham pontificem; et inde recapitulat, ut explicet quam cœperat tentationem Petri in domo, quo prius adductus est, et redit ad ordinem, ubi ostendat quemadmodum ductus sit Dominus ad Caipham.

22. Sic ergo Matthæus sequitur: *Petrus vero sedebat foris in atrio, et accessit ad eum una ancilla dicens: Et tu cum Jesu Galilæo eras? At ille negavit coram omnibus dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit illum alia ancilla, et ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento, Quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro: Vere et tu ex illis es; nam et loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari et jurare, quia non novisset hominem: et continuo gallus cantavit*: hæc dicit Matthæus. Intelligitur autem quod posteaquam exiit foras, cum jam semel negasset, gallus cantavit primus, quod Matthæus tacet, et Marcus dicit.

23. Non autem foris ante januam iterum negavit,

<sup>1</sup> *Plerique Mss., edificare: juxta græc., oikodomēsai.*

sed cum rediisset ad focum: quando autem redierit, non opus erat commemorare. Marcus ergo sic illud narrat: *Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit. Rursum autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus, Quia hic ex illis est. At ille iterum negavit. Hæc vero ancilla non eadem, sed alia est, sicut dicit Matthæus. Sane hoc quoque intelligitur, quia in secunda negatione a duobus compellatus est: et ab ancilla scilicet, quam commemorant Matthæus et Marcus; et ab alio, quem commemorat Lucas. Sic enim hoc narrat Lucas: *Petrus vero sequebatur a longe. Accenso autem igne in medio atrio, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum. Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Hoc ergo quod Lucas ait, Et post pusillum, jam egressus erat Petrus januam, et primus gallus cantaverat; jamque redierat, ut quemadmodum dicit Joannes, ad focum stans iterum negaret. Joannes enim in prima negatione Petri, non solum de primo galli cantu tacet, sicut cæteri, excepto Marco; sed etiam quod sedentem ad ignem cognoverit ancilla, non commemorat. Hoc enim tantum ait, *Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid et tu de discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum*. Deinde interponit quæ gesta sunt cum Jesu in eadem domo, quæ commemoranda arbitratus est, ita narrans: *Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat; et calefaciebant se: erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se. Hic ergo jam intelligitur exiisse foras Petrum, et rediisse: primo enim sedebat ad ignem; et postea jam rediens, stare cœperat.***

24. Sed forte ait aliquis: Nondum exierat, surrexerat autem exiturus. Hoc potest dicere qui putat foris ante januam secundo interrogatum negasse. Videamus ergo Joannis sequentia: *Pontifex ergo, inquit, interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil: quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis: ecce ii sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit aliam Jesu, dicens: Sic respondes pontifici? Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. Hic sane ostenditur quod Annas pontifex erat: nondum enim missus erat ad Caipham, cum jam illi diceretur, *Sic respondes pontifici?* Et hos duos, Annam et Caipham pontifices, commemorat etiam Lucas in initio Evangelii sui (*Luc. iii, 2*). His dictis Joannes redit ad quod cœperat de negatione Petri, id est, ad eandem domum, ubi gesta sunt quæ narravit, et unde ad Caipham missus est Jesus, ad quem ab initio ducebatur, sicut dixit Matthæus. Commemoravit autem ista Joannes quæ interposuit recapitulans de Petro, et ad eam narrationem rediens, ita dicit, ut compleat trinam negationem: *Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei.**

*Namquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit illa, et dixit: Non sum. Hoc igitur loco invenimus, et non ante januam, sed ad focum stantem, secundo negasse Petrum: quod fieri non posset, nisi jam rediisset, posteaquam foras exierat. Neque enim jam exierat, et foris cum vidit altera ancilla: sed cum exierat, cum vidit, id est, cum surgeret ut exiret, animadvertit eam, et dixit his qui erant ibi, id est, qui simul erant ad ignem intus in atrio, *Et hic erat cum Jesu Nazareno. Ille autem qui foras exierat, hoc audito, rediens, juravit illis contra nitentibus, Quia non novi hominem. Nam et Marcus sic ait de eadem ancilla: Et cepit dicere circumstantibus, Quia hic ex illis est. Dicebat enim non illi, sed his qui illo exeunte ibi remanserant, sic tamen ut ille audiret: unde rediens, et rursus ad ignem stans, resistebat negando verbis eorum. Deinde in eo quod Joannes ait, Dixerunt, Numquid et tu ex discipulis ejus es? quod redeunti et stanti dictum intelligimus, quod quoque confirmatur, non illam tantum alteram ancillam, quam commemorant in hac secunda negatione Matthæus et Marcus, sed et alium quem commemorat Lucas, cum Petro id egisse; unde Joannes dicit, Dixerunt ergo ei. Quapropter sive posteaquam illo exeunte dixit ancilla his qui secum erant in atrio, quia hic ex illis est, hoc audito ille regressus est, ut se quasi purgaret negando: sive, quod est credibilis, non audivit quid de illo dictum fuerit, cum foras exiret, et posteaquam rediit, dixerunt ei ancilla, et ille alius quem Lucas commemorat, Numquid et tu ex discipulis ejus es? et dixit, Non sum: pertinacius insistente illo de quo Lucas ait, atque dicente, Et tu de illis es; cui Petrus ait, O homo, non sum. Liquido tamen colligitur, collatis de hac re omnibus Evangelistarum testimoniis, non ante januam secundo Petrum negasse, sed intus in atrio ad ignem. Matthæum autem et Marcum, qui commemoraverunt exitum cum foras, regressum ejus brevitalis causa tacuisse.**

25. Nunc jam de tertia negatione inspiciamus eorum congruentiam, quam Matthæum solum jam explicasse meminerimus. Sequitur ergo Marcus et dicit: *Et post pusillum rursus qui adstabant, dicebant Petro: Vere ex illis es; nam et Galilæus es. Ille autem cepit anathematizare et jurare, Quia nescio hominem istum quem dicitis. Et statim iterum gallus cantavit.* Lucas autem ita secutus, hoc idem narrat: *Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere et hic cum illo erat; nam et Galilæus est. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicitis. Et continuo adhuc illo loquente, cantavit gallus.* Joannes secutus de tertia Petri negatione, ita explicat: *Dicit unus ex servis pontificis, cognatus ejus cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negavit Petrus, et statim gallus cantavit.* Quod igitur Matthæus et Marcus dicunt, post pusillum, quantum esset hoc temporis, manifestat Lucas dicendo, *Et intervallo facto quasi horæ unius: de hoc autem intervallo tacet Joannes. Item quod Matthæus et Marcus non singulari, sed plurali numero enuntiant eos qui cum Petro agebant, cum Lucas unum dicat, Joannes*

quoque unum, eumque cognatum ejus, cujus abscidit Petrus auriculam; facile est intelligere, aut pluralem numerum pro singulari, usitata locutione usurpasse Matthæum et Marcum; aut quod unus maxime tanquam sciens, et qui cum viderat, affirmabat, ceteri autem secuti ejus fidem, Petrum simul urgebant: unde duos Evangelistas compendio pluralem numerum posuisse; alios autem duos enim solum significare voluisse, qui præcipuus in hoc erat. Jam vero illud quod Matthæus ipsi Petro dictum fuisse asserit, *Vere et tu ex illis es; nam et loquela tua manifestum te fecit;* sicut Joannes eidem Petro dictum asseverat, *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* Marcus autem inter se illos de Petro locutos dicit, *Vere ex illis est; nam et Galilæus est (a);* sicut et Lucas, non Petro, sed de Petro dicit, *Alius quidam affirmabat dicens: Vere et hic cum illo erat; nam et Galilæus est:* aut sententiam intelligimus tenuisse eos qui compellatum dicunt Petrum; tantumdem enim valuit quod de illo coram illo dicebatur, quantum si illi diceretur: aut utroque modo actum, et alios illum, alios alium modum commemorasse. Galli autem cantum post tertiam negationem secundum intelligimus, sicut Marcus expressit.

26. Sequitur ergo Matthæus, ita dicens: *Et recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat, Priusquam gallus cantet, ter me negabis: et egressus foras, flevit amare.* Marcus autem ita dicit: *Recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus, Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis: et cepit flere.* Lucas autem sic ait: *Et conversus Dominus respexit Petrum: et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis: et egressus foras, Petrus flevit amare.* Joannes de recordatione et flectu Petri tacet. Sane in eo quod ait Lucas, quod *conversus Dominus respexit Petrum;* quomodo accipiendum sit, diligentius considerandum est. Quamvis enim dicantur etiam interiora atria, tamen in exteriori atrio fuit Petrus inter servos, qui simul se ad ignem calefactabant: non est autem credibile quod ibi audiebatur Dominus à Judæis, ut corporalis fieret illa respectio. Namque cum dixisset Matthæus, *Tunc expuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ei dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe; quis est qui te percussit?* Secutus est dicens, *Petrus vero sedebat foris in atrio;* quod non diceret, nisi illa cum Domino intus agerentur: et quantum colligitur in narratione Marci, non solum in interioribus, sed etiam in superioribus domus agebantur. Nam posteaquam Marcus talia narravit, secutus ait, *Et cum esset Petrus in atrio deorsum.* Sicut ergo eo quod Matthæus ait, *Petrus vero sedebat foris in atrio,* ostendit quod illa intus agerentur: sic eo quod dixit Marcus, *Et cum esset Petrus in atrio deorsum,* ostendit non solum in interioribus, sed etiam in superioribus gesta

(a) Forte legendum, *Marcus autem in quibusdam codicibus inter se illos,* etc. Nam paulo supra non secus ac in sacris Bibliis habetur hunc ipsum Marci locum: retulit Aug. in hæc verba, *dicebant Petro, Vere ex illis es,* etc., quibus illa non de Petro interse, sed si si Petro locuti narrantur.



quæ dixerat. Quomodo ergo respexit Petrum Dominus facte corporali? Quapropter mihi videtur illa respectu divinitus facta, ut ei veniret in mentem quoties jam negasset, et quid ei Dominus prædixisset, atque ita misericorditer Domino respiciente poeniteret eum, et salubriter fieret: sicut quotidie dicimus, Domine, respice me; et, Respexit eum Dominus, qui de aliquo periculo vel labore divina misericordia liberatus est: et sicut dictum est, *Respice, et exaudi me* (Psalm. xii, 4); et *Convertere, Domine, et libera animam meam* (Psalm. vi, 5): ita dictum arbitror, *Convertens Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini*. Denique cum frequentius soleant in narrationibus suis ponere Jesum quam Dominum, modo Lucas Dominum posuit dicens, *Convertens Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini*; Matthæus autem et Marcus, quia de ista respectione tacuerunt, non verbi Domini, sed verbi Jesu cum recordatum esse dixerunt: ut etiam ex hoc intelligamus illam respectionem a Jesu, non humanis oculis, sed divinitus factam.

CAPUT VII. — *De his quæ mane gesta sunt, priusquam Pilato traderetur, quomodo Evangelistæ inter se non discrepent; et de testimonio Jeremiæ quod Matthæus propter Domini pretium interposuit, cum hoc in ejusdem prophetæ Scriptura non invenitur.*

27. Sequitur ergo Matthæus, et dicit: *Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent: et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato prævidi* (Matth. xxvii, 1-10). Marcus similiter: *Et confestim mane, inquit, consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus et Scribis et universo concilio, vincientes Jesum duxerunt et tradiderunt Pilato* (Marc. xv, 1). Lucas autem posteaquam complevit narrando Petri negationem, recapitulavit quæ cum Domino gesta sunt, jam ut apparet, circa mane, atque ita contexit narrationem: *Et viri qui tenebant illum, illudabant ei, cadentes; et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus, et interrogabant eum, dicentes: Prophetiza; quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et ut factus est dies, conveniunt seniores plebis et principes sacerdotum et Scribæ; et duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixerò, non credetis mihi; si autem et interrogaverò, non respondebitis mihi, neque dimittetis: ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus de ore ejus. Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt eum ad Pilatum* (Luc. xxii, 63; xxiii, 1). Hæc omnia narravit Lucas; ubi intelligitur quod etiam Matthæus et Marcus narraverunt, quod interrogatus sit Dominus utrum ipse esset Filius Dei, et quod dixerit, *Dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis*<sup>1</sup>, et *venientem in nubibus cæli*, jam luce-

<sup>1</sup> Editi, *virtutis Dei*. Aliamen vocem, *Dei*, hoc loco, non

scente die positum, quando Lucas dicit, *Et ut factus est dies: atque ita narrat similia, ceteri quæ etiam ipse commemorat quod illi tacuerunt*. Noctis autem intelligimus per falsos testes actum esse cum Domino, quod breviter commemoraverunt Matthæus et Marcus, Lucas tacuit, qui enarravit quæ circa mane sunt gesta. Nam et illi, id est Matthæus et Marcus, contexerunt narrationem in his quæ cum Domino acta sunt usque ad mane: sed postea redierunt ad narrationem Petri negationem; qua terminata redierunt ad mane, ut inde cætera contexerent, quousque perducerent<sup>1</sup> quæ cum Domino acta erant, sed nondum commemoraverant quod mane factum esset (Matth. xxvii, 59-75, et Marc. xiv, 53-72). Joannes quoque, cum ea quæ cum Domino gesta sunt ex quanta parte visum est, et Petri negationem totam commemorasset, *Adducunt ergo, inquit, Jesum ad Caipham in prætorium. Erat autem mane* (Joan. xviii, 28): ubi intelligimus aut aliquam fuisse causam quæ coegerit Caipham esse in prætorio, nec esse præsentem cum illi principes sacerdotum haberent de Domino quæstionem; aut in domo ejus fuisse prætorium (a): tamen ad ipsum ab initio ducebatur, ad quem in extremo perductus est. Sed quia jam tanquam convictum reum adducebant, Caiphas autem jam antea visum fuerat ut Jesus moreretur, nulla mora interposita est quin occidendus Pilato traderetur. Quæ igitur per Pilatum cum Domino gesta sunt, ita Matthæus narrat.

28. Ac primum excurrit inde, ut commemoret exitum Judæe traditoris, quem solus narravit, ita dicens: *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quia damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit; et abiens, laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum: propter hoc vocatus est ager ille Acheldeniach, hoc est, Ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: Et acciperunt triginta argenteos pretium appretiatum, quem appretiauerunt filii Israel<sup>2</sup>, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.*

29. Si quis autem movetur quod hoc testimonium non invenitur in Scriptura Jeremiæ prophetæ, et ideo putat fidei Evangelistæ aliquid derogandum; primo noverit non omnes codices Evangeliorum habere quod per Jeremiam dictum sit, sed tantummodo per prophetam. Possumus ergo dicere his potius codicibus videmus in Mss., nec eam in antiquis Corbelensibus Bibliis representat versio Vulgata seu Matth. cap. 26, v. 64; seu Marc. cap. 14, v. 63, quibus locis abest etiam a textu græco.

<sup>1</sup> In septem Mss., *perduxerunt*.

<sup>2</sup> In sacris Bibliis, *a filiis Israel*.

(a) Hujus lectionis difficultatem, ab exemplari scilicet proferam non sincero, quandoquidem in sacris Bibliis non ad Caipham, sed a Caipha, græc., ἀπὸ τοῦ καίφα legitimus expellere cunatur iterum in Joan. Tract. 114.

esse credendam, qui Jeremiæ nomen non habent; dictum est enim hoc per prophetam, sed Zachariam: unde putatur, codices esse mendosos qui habent nomen Jeremiæ, quia vel Zachariæ habere debuerunt, vel nullius, sicut quidam, sed tantum *per prophetam dicentem*, qui utique intelligitur Zacharias. Sed utatur ista defensione, cui placet: mihi autem cur non placeat, hæc causa est, quia et plures codices habent Jeremiæ nomen; et qui diligentius in græcis exemplaribus Evangelium consideraverunt, in antiquioribus græcis ita se perhibent invenisse: et nulla fuit causa cur adderetur hoc nomen, ut mendositas fieret; cur autem de nonnullis codicibus tolleretur, fuit aliqua causa, ut hoc audax imperitia faceret, cum turbaretur quæstione, quod hoc testimonium apud Zachariam non inveniretur.

30. Quid ergo intelligendum est, nisi hoc actum esse secretiore consilio providentiæ Dei, qua mentes Evangelistarum sunt gubernatæ? Potuit enim fieri ut animo Matthæi Evangelium conscribentis pro Zacharia Jeremias occurreret, ut fieri solet, quod tamen sine ulla dubitatione emendaret, saltim ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in carne vivente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret recordationi suæ, quæ sancto Spiritu regebatur, non frustra occurrisset aliud pro alio nomen prophætæ, nisi quia ita Dominus hoc scribi constituit. Cur autem ita constituit Dominus, prima illa causa utilissima debet facillime cogitari, etiam sic esse insinuatam ita omnes sanctos Prophetas uno spiritu locutos mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit, quam si omnium omnia Prophetarum uno unius hominis ore dicerentur: et ideo indubitanter accipi debere quæcumque per eos Spiritus sanctus dixit, et singula esse omnium, et omnia singulorum. Cum igitur, et quæ dicta sunt per Jeremiam tam sint Zachariæ quam Jeremiæ, et quæ dicta sunt per Zachariam tam sint Jeremiæ quam Zachariæ; quid opus erat ut emendaret Matthæus, cum aliud pro alio sibi nomen occurrens a se scriptum relegisset; ac non potius sequens auctoritatem Spiritus sancti, a quo mentem suam regi plus nobis ille utique sentiebat, ita hoc scriptum relinqueret, sicut eum admonendo constituerat ei Dominus, ad informandos nos tantam verborum suorum inter Prophetas esse concordiam, ut non absurde, imo congruentissime etiam Jeremiæ deputaremus quod per Zachariam dictum reperiremus? Si enim hodie quisquam volens alicujus verba indicare, dicat nomen alterius a quo dicta non sint<sup>1</sup>, qui tamen sit amicissimus et familiaritate conjunctissimus illi cujus verba dicere voluit; et continuo recordatus alium pro alio se dixisse, ita se colligat atque corrigat, ut tamen dicat, Bene dixi; quid aliud intuens, nisi tantam inter ambos esse concordiam, inter illum scilicet cujus verba dicere voluit, et alium cujus ei nomen pro illius nomine occurrit, ut tale sit hoc istum dixisse, quale si ille dixisset? quanto magis hoc de Prophetis sanctis intelligendum et maxime commendandum fuit, ut omnium libros

<sup>1</sup> In Mss. prope omnibus, *alterius a quo dicta sint*.

tanquam unius unum librum acciperemus, in quo nulla rerum discrepantia crederetur, sicut nulla invenitur, et in quo major esset constantia veritatis, quam si omnia illa unus homo quamlibet doctissimus loqueretur? Quod ergo hinc argumentum sumere conantur vel infideles vel imperiti homines, quasi ad ostendendam dissonantiam sanctorum Evangelistarum, hoc potius debent assumere fideles et docti ad ostendendam unitatem sanctorum etiam Prophetarum.

31. Est et alia causa, quæ mihi videtur alio tempore diligentius pertractanda, ne amplius sermonem protendamus, quam hujus operis terminandi necessitas flagitat, cur hoc nomen Jeremiæ in testimonio Zachariæ sic manere permissum, vel potius sancti Spiritus auctoritate præceptum sit. Est apud Jeremiam, quod emerit agrum a filio fratris sui, et dedit ei argentum; non quidem sub hoc nomine pretii quod positum est apud Zachariam, triginta argenteis; veruntamen agri emptio non est apud Zachariam: quod autem prophetiam de triginta argenteis ad hoc interpretatus sit Evangelista, quod modo de Domino completum est, ut hoc esset pretium ejus, manifestum est; sed ad hoc pertinere etiam illud de agro empto quod Jeremias dixit, hinc potuit mystice significari, ut non hic Zachariæ nomen poneretur, qui dixit triginta argenteis, sed Jeremiæ, qui dixit de agro empto; ut lecto Evangelio atque invento nomine Jeremiæ, lecto autem Jeremia et non invento testimonio de triginta argenteis, invento tamen agro empto, admoneatur lector utrumque conferre, et inde sensum enucleare prophetiæ, quomodo pertineat ad hoc quod in Domino impletum est. Nam illud quod subjecit huic testimonio Matthæus cum ait, *Quem appetiverunt filii Israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus, nec apud Zachariam nec apud Jeremiam reperitur*. Unde magis ex persona ipsius Evangelistæ accipiendum est eleganter et mystice insertum, quia hoc ex Domini revelatione cognoverit ad hanc rem, quæ de Christi pretio facta est, hujusmodi pertinere prophetiam. Liber quippe empti agri apud Jeremiam jubetur mitti in vas fictile (*Jerem. xxxii, 9-14*), et emitur hic de pretio Domini ager figuli, et hoc ad sepulturam peregrinorum, tanquam ad permansionem quietis eorum qui in hoc sæculo peregrinantes conspeliuntur Christo per Baptismum. Nam et illam emptionem agri hoc significare Jeremiæ dixit Dominus, quia erit permansio de captivitate liberatorum in illa terra. Hæc tanquam delineanda<sup>2</sup> arbitratus sum, cum admonerem quid in his prophetiis testimonis in unum redactis et evangelicæ narrationi collatis, diligentius attentiusque requiratur. Hæc interposuit Matthæus de Juda traditore.

CAPUT VIII. — *De his quæ apud Pilatum gesta sunt, quomodo inter se nihil dissentiant.*

32. Deinde sequitur, et dicit: « Jesus autem stetit ante præsidem, et interrogavit eum præses, dicens<sup>3</sup>

<sup>2</sup> In quatuor Mss., *delibanda*.

Tu es rex Judæorum? Dicit ei Jesus : Tu dicis. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta adversum te dicant testimonia? Et non respondit ei ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer. Per diem autem solemnem consueverat præses dimittere populo unum vincetum quem voluissent : habebat autem tunc vincetum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis dixit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis; Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad illum uxor ejus dicens : Nihil tibi et justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent. Respondens autem præses ait illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt : Barabbam. Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes : Crucifigatur. Ait illis præses : Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes : Crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justii hujus; vos videritis. Et respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos et super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbam; Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. » Hæc narravit Matthæus per Pilatum gesta de Domino (*Math. xxvii, 11-26*).

33. Marcus quoque pene iisdem verbis et rebus concinit. Verba autem Pilati, quibus respondit populo petenti ut solemniter unus vincetum dimitteretur, ita refert : *Pilatus autem respondit eis, et dixit : Vultis dimittam vobis regem Judæorum?* Matthæus autem sic ait : *Congregatis ergo illis, dixit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis; Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?* Nulla quæstio est, quod tacet ipsos petiisse ut aliquis eis dimitteretur : sed quæri potest quæ verba Pilatus dixerit; utrum quæ a Matthæo, an quæ a Marco referuntur. Aliud enim videtur esse, *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?* aliud, *Vultis dimittam vobis regem Judæorum?* Sed quia christos reges dicebant, et qui dixit illum an illum, manifestum est eum quæsisse an vellent sibi dimitti regem Judæorum, id est Christum; nihil interest sententiæ, quod hic tacuit Marcus de Barabba, hoc solum volens dicere quod ad Dominum pertinebat; quandoquidem in eorum responsione satis et ipse ostendit, quem sibi dimitti voluerint : *Pontifices*, inquit, *concitaverunt turbam ut magis Barabbam dimitteret eis : sequitur autem, et dicit, Pilatus autem iterum respondens, ait illis : Quid ergo vultis faciam regi Judæorum?* Unde jam satis apparet, quod id Marcus velit ostendere, dicendo *regem Judæorum*, quod Matthæus dicendo *Christum*. Non enim dicebantur christi reges, nisi Judæorum : namque in eo etiam loco Matthæus ait, *Dicit illis Pilatus, Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?* Ergo sequitur Marcus, *At illi iterum*

*clamaverunt, Crucifige eum : quod ille ait, Dicant omnes, Crucifigatur. Et sequitur Marcus, Pilatus vero dicebat eis, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, Crucifige eum. Hoc Matthæus non dixit : sed quoniam dixit, Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret; dixit etiam eum lavisse manus coram populo, ut innocentem se a sanguine justii significaret; quod item et Marcus et alii tacent : satis ostendit etiam Matthæus egisse præsidem cum populo, ut dimitteretur. Quod breviter significavit Marcus in eo quod refert Pilatum dixisse, Quid enim mali fecit? Deinde sic etiam ipse concludit, quæ per Pilatum cum Domino gesta sunt : Pilatus autem, inquit, volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur : hæc apud præsidem gesta narravit Marcus (*Marc. xv, 2-15*).*

34. Lucas apud Pilatum gesta sic narrat : *Cœperunt autem accusare illum, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. Hoc illi duo Evangelistæ non dixerunt, cum tamen dicerent quod eum accusabant. Ergo iste etiam ipsa crimina quæ falsa objecerunt, aperuit. Tacuit autem quod ei dixit Pilatus, Non respondes quidquam? Vide in quantis te accusant : sed plane sequitur, et dicit quod etiam illi dixerunt, Pilatus autem interrogavit eum, dicens : Tu es rex Judæorum? At ille respondens ait : Tu dicis. Hoc autem Matthæus et Marcus commemoraverunt, antequam dicerent compellatum Jesum quod eis accusantibus non responderet. Nihil autem interest veritatis, quo ordine Lucas ista retulerit : quemadmodum nihil interest si alius aliquid tacet, quod alius commemorat; quemadmodum in consequentibus dicit : Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas : Nihil invenio causæ in hoc homine. At illi invalescebant, dicentes : Commoret populum, docens per universam Judæam, et incipiens a Galilæa usque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset; et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerusalemis erat in illis diebus. Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde : erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret multa de illo; et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem illum multis sermonibus : at ipse illi nihil respondebat. Stabant etiam principes sacerdotum et Scribæ, constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illis indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die : nam antea inimici erant ad invicem. Hæc omnia, id est, quod a Pilato ad Herodem Dominus missus est, et quæ ibi gesta sunt; Lucas solus indicat; etiamsi aliquid ibi ait simile, quod in aliis narrationum locis apud alios possit inveniri : cæteri autem ea tantum dicere voluerunt quæ apud Pilatum gesta sunt, quousque Dominus crucifigendus traderetur. Rediens ergo Lucas ad ea quæ apud præsidem gerebantur, unde digressus erat, ut narraret quod apud Herodem actum*

est, ita sequitur : *Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum et magistratibus et plebe, dixit ad illos : Oblulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his in quibus eum accusatis. Hic intelligimus eum prætermisisse quemadmodum a Domino quæsierit, quid accusatoribus responderet. Sed neque Herodes, inquit : nam remisit vos ad illum ; et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necessæ autem habebat dimittere eis per diem festum unum. Exclamavit autem simul universa turba dicens, Tolle hunc, et dimitte nobis Barabam : qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad illos, volens dimittere Jesum. At illi succlamabant dicentes : Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim multi fecit iste? nullam causam mortis inveni in eo : corripam ergo illum, et dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur, et inualescebant voces eorum. Matthæus huic conatui Pilati, quo sæpius cum eis egit, volens ut dimitteretur Jesus, paucissimis verbis satis attestatus est, ubi ait, Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret : quod non diceret nisi multum ille nisus esset ; quamvis taceret, quoties hoc efficere tentaverit, ut crueret Jesum furori eorum. Et Lucas itaque ita concludit quod actum est apud præsidem : *Et Pilatus, inquit, adjudicavit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant ; Jesum vero tradidit voluntati eorum (Luc. xxiii, 2-25).**

35. Nunc eadem secundum Joannem consideremus, id est, quæ per Pilatum facta sunt. *Et ipsi, inquit, non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha. Exiit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt ei et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Hoc videndum est, ne contrarium sit ei quod Lucas dicit, certa in eum dicta esse crimina ; et dicit quæ dicta sint : Cæperunt autem, inquit, accusare illum, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. Quod vero nunc secundum Joannem commemoravi, videntur Judæi noluisse dicere crimina, cum dixisset eis Pilatus, Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt enim, Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum : videlicet ut eorum auctoritatem secutus, quid ei objiceretur desineret quærere ; sed ob hoc tantum nocentem crederet, quod sibi ab eis tradi meruisset. Ergo intelligere debemus, et hoc dictum esse, et illud quod Lucas commemoravit. Multa enim dicta, et multa responsa sunt, unde cuique eorum quantum visum est decerpit, et in narratione sua posuit quod satis esse judicavit. Nam et ipse Joannes dicit quædam quæ objecta sunt, quæ suis locis videbimus. Itaque sequitur : *Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judi-**

*cate eum. Dixerunt ergo ei Judæi, Nobis non licet interficere quemquam : ut sermo Jesu impleatur, quem dixit, significans quæ esset morte moriturus. Introiit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei : Tu es rex Judæorum? Et respondit Jesus, A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Et hoc videretur non convenire illi quod ab aliis commemoratum est, Respondit Jesus, Tu dicis ; nisi in consequentibus ostenderet et illud dictum esse. Unde ostendit ea quæ nunc dicit, a cæteris potius Evangelistis tacita quam a Domino dicta non esse. Attende ergo cætera : Respondit, inquit, Pilatus : Numquid ego Judæus sum? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti? Respondit Jesus : Regnum meum non est de mundo hoc : si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis ; nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu? Respondit Jesus : Tu dicis, quia rex sum ego. Ecce quando ventum est ad id quod alii Evangelistæ commemoraverunt. Sequitur ergo, item dicente adhuc Domino, quod cæteri tacerunt. « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiit ad Judæos, et dicit eis : Ego nullam inveni in eo causam. Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha : vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum? Clamaverunt rursus omnes, dicentes, Non hunc, sed Barabam : erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum : et veniebant ad eum, et dicebant, Ave rex Judæorum ; et dabant ei alapas. Exiit iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia in eo nullam causam inveni. Exiit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis : Ecce homo. Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes : Crucifige, crucifige ! Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite ; ego enim non inveni in eo causam. Responderunt ei Judæi : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. » Hoc potest congruere ei quod Lucas commemorat in accusatione Judæorum dictum, « Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, » ut adjungatur, « Quia Filium Dei se fecit. » Sequitur itaque Joannes, et dicit : « Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit : et ingressus est prætorium iterum, et dicit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus : Non haberes potestatem adver-*

<sup>1</sup> In editis additur, *eum* : quæ vox a Mss. abest et a vetustis Corbelesibus Bibliis, nec reperitur in græco. Itaque itaque, et alias quasdam particulas, præsertim quod eas repetita eadem sententia non constanter nec ubique habent editi, antiquorum exemplarium auctoritate respiciamus.

sas me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet. Exinde querebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. Illic potest congruere quod Lucas in eadem accusatione Judæorum ita narrat: cum dixissent, *Invenimus eum subvertentem gentem nostram; adjecit, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse.* Ex quo solvitur illa quæstio, qua putari poterat Joannes dixisse nullam a Judæis Domino crimen objectam, quando responderunt et dixerunt ei, *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Sequitur ergo Joannes, et dicit: « Pilatus ergo cum audivisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta, et dicit Judæis: Ecce rex vestræ. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur: » hæc narravit Joannes per Pilatum gesta (*Joan. xviii, 28; xix, 16*).

CAPUT IX. — *De illusione qua illusus est a cohorte Pilati, quomodo non dissonant tres qui hoc dicunt, Matthæus, Marcus et Joannes.*

36. Consequens est jam, ut ipsam Domini passionem secundum quatuor Evangelistarum testimonia videamus, quam Matthæus sic incipit: « Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem; et exeuntes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei; et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus: et genu flexo ante eum illudebant, dicentes: Ave, rex Judæorum » (*Matth. xxvii, 27-31*). Hoc Marcus in eodem loco narrationis ita dicit: « Milites autem duxerunt eum intro in atrium prætorii, et convocant totam cohortem; et induunt eum purpuram, et imponunt ei plectentes spinam coronam: et cœperunt salutare eum, Ave, rex Judæorum: et percutiebant caput ejus arundine, et conspuebant eum; et ponentes genua, adorabant eum » (*Marc. xv, 16-20*). Intelligitur itaque quod Matthæus ait, « Chlamydem coccineam circumdederunt ei, » hoc Marcum dixisse, indutum purpuram. Pro regia enim purpura, chlamys illa coccinea ab illudentibus adhibita erat: et est rubra quædam purpura cocco simillima. Potest etiam fieri, ut purpuram etiam Marcus commemoraverit, quam chlamys habebat, quamvis esset coccinea. Lucas hoc prætermisit. Joannes autem antequam diceret quod eum Pilatus crucifigendum tradiderit, commemoravit hoc dicens: « Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit, Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum: et veniebant ad eum, et dicebant, Ave, rex Judæorum; et dabant ei alapas » (*Joan. xix, 1-3*). Unde apparet Matthæum et Marcum recapitulando istud commemorasse, non

quod tunc factum sit, cum eum Pilatus jam crucifigendum tradidisset: Joannes enim apud Pilatum dicit hæc gesta satis evidenter; unde isti quod præterlerant recoluerunt. Ad hoc pertinet etiam quod consequenter dicit Matthæus: « Et exspuentes in eum acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus: et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent. » Hoc quod exuerunt chlamydem, et induerunt eum vestimentis ejus, in fine factum intelligitur, cum jam duceretur. Marcus hoc ita dicit: *Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpuram, et induerunt eum vestimentis suis.*

CAPUT X. — *Quomodo non repugnet quod Matthæus, Marcus et Lucas angariatum dicunt, qui portaret ejus crucem; cum Joannes dicat quod eam Jesus ipse portaverit.*

37. Sequitur ergo Matthæus: « Excuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem; hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus » (*Matth. xxvii, 32*). Marcus quoque: « Et educunt illum, » inquit, « ut crucifigerent eum. Et angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem ejus » (*Marc. xv, 20, 21*). Hoc Lucas ita dicit: « Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem venientem de villa, et imposuerunt illi crucem portare post Jesum » (*Luc. xxiii, 26*). Joannes autem sic narrat: « Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt: et bajulus sibi crucem exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum, hebraice Golgotha, ubi eum crucifixerunt » (*Joan. xix, 16-18*). Unde intelligitur quod ipse sibi portabat crucem, cum exiret in locum memoratum. Simon autem ille in itinere angariatus est, de quo tres commemorant, cui postea data est crux portanda usque ad locum. Ita utrumque factum invenimus; primo id quod Joannes dixit, deinde quod cæteri tres.

CAPUT XI. — *De potu quem dederunt ei priusquam commemorata esset ejus crucifixio, quomodo conveniat inter Matthæum et Marcum.*

38. Sequitur itaque Matthæus: *Et venerunt, inquit, in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvarias locus: de hoc loco apertissime consentiunt. Deinde adjungit idem Matthæus: Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, et cum gustasset, noluit bibere* (*Matth. xxvii, 33, 34*). Hoc Marcus ita narrat: *Et dabant ei bibere vinum myrrhatum; et non accepit* (*Marc. xv, 23*). Hoc intelligendum est Matthæum dixisse, *cum felle mixtum*: fel quippe pro amaritudine posuit; myrrhatum enim vinum amarissimum est: quamquam fieri possit ut et fel et myrrha vinum amarissimum redderent. Quod ergo ait Marcus, *non accepit*; intelligitur, non accepit ut biberet. Gustavit autem, sicut Matthæus testis est; ut quod idem Matthæus ait, *noluit bibere*, hoc Marcus dixerit, *non accepit*; tacuerit autem quod gustaverit.

CAPUT XII. — *De divisione vestimentorum ejus, quomodo inter se omnes conveniant.*

39. Sequitur Matthæus : « Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes (a); et sedentes, servabant eum » (*Math. xvii, 35, 36*). Hoc idem Marcus sic : « Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret » (*Marc. xv, 24*). Hoc Lucas sic ait : « Dividentes vero vestimenta ejus miserunt sortes; et stabat populus spectans » (*Luc. xxiii, 34, 35*). Breviter a tribus dictum est; Joannes autem distinctius hoc explicat quemadmodum gestum sit : « Milites ergo, » inquit, « cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit : ut Scriptura impleretur dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem » (*Joan. xix, 25, 21*).

CAPUT XIII. — *De hora dominicæ passionis, quemadmodum non inter se dissentiant Marcus et Joannes, propter tertiam et sextam.*

40. Sequitur Matthæus : *Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam : Hic est Jesus rex Judæorum* (*Math. xxvii, 37*). Marcus autem priusquam hoc dixisset, *Erat autem, inquit, hora tertia, et crucifixerunt eum* (*Marc. xv, 25*); hoc enim subjungit cum de vestium divisione dixisset : quæ res diligentissime consideranda est, ne magnum faciat errorem. Sunt enim qui arbitrentur hora quidem tertia Dominum crucifixum; a sexta autem hora tenebras factas usque ad nonam, ut consumptæ intelligantur tres horæ ex quo crucifixus est, usque ad tenebras factas. Et posset quidem hoc rectissime intelligi, nisi Joannes diceret, hora quasi sexta Pilato sedisse pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. Sequitur enim : *Erat autem paraceve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis : Ecce rex vester. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dixit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur* (*Joan. xix, 13-16*). Si igitur hora quasi sexta Pilato sedente pro tribunali traditus est crucifigendus Judæis, quomodo hora tertia crucifixus est, sicut verba Marci non intelligentes quidam putaverunt?

41. Prius enim qua hora crucifigi potuerit videamus; deinde videbimus cur hora tertia crucifixum dixerit Marcus. Hora erat quasi sexta cum traditus est crucifigendus a Pilato sedente, ut dictum est, pro tribunali. Non enim jam plena sexta erat, sed quasi sexta, id est, peracta quinta aliquid etiam de sexta esse coeperat. Nunquam autem isti dicerent, Quinta et quadrans, aut quinta et triens, aut quinta et semis, aut aliquid

(a) Hic Augustinus silentio præterit verba illa versionis vulgatæ, *ut impleretur quod dictum est per prophetam dicens, Diviserunt sibi vestimenta mea, etc.*, quæ in antiquis libris non exstare, et secundum Hieronymum de Matthæi textu non esse observavit jam pridem Nicolaus de Lira : habentur tamen in vetust. Corb. Bibliis.

hujusmodi. Habent enim istam morem Scripturæ, ut a parte totum ponant, maxime in temporibus : sicut de octo illis diebus, post quos eum dicunt ascendisse in montem (*Luc. ix, 28*), quorum medios intuentes Matthæus et Marcus dixerunt, *Post dies sex* (*Math. xvii, 1, et Marc. ix, 1*). Præsertim quia tam moderate idem Joannes locutus est, ut non diceret, sexta; sed, quasi sexta : quod si ita non diceret, sed tantummodo sextam diceret, possemus nos ita intelligere, quemadmodum loqui solent Scripturæ, sicut dixi, a parte totum, ut peracta quinta et inchoata sexta gererentur hæc quæ narrata sunt in crucifixione Domini nostri, donec completa sexta illo pendente fierent tenebræ, quibus tres Evangelistæ attestantur, Matthæus, Marcus et Lucas (*Math. xxvii, 45; Marc. xv, 33, et Luc. xxiii, 44*).

42. Quæramus jam consequenter, cur dixerit Marcus, cum commemorasset quod crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortes super eis quis quid tolleret, et secutus adjunxerit, *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum*. Jam certe dixerat, *Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus* (*Marc. xv, 21*) : sic etiam cæteri attestantur, quod eo crucifixo vestimenta divisa sunt. Si ejus rei gestæ tempus voluit commemorare Marcus, sufficeret dicere, *Erat autem hora tertia* : ut quid adjunxit, et *crucifixerunt eum*, nisi quia voluit aliquid recapitulando significare, quod quæsitum inveniretur, cum Scriptura ipsa illis temporibus legeretur, quibus universæ Ecclesiæ notum erat qua hora Dominus ligno suspensus sit, unde posset hujus vel error corrigi, vel mendacium refutari? Sed quia sciebat a militibus suspensum Dominum, non a Judæis, sicut Joannes apertissime dicit (*Joan. xix, 23*), occulte ostendere voluit eos magis crucifixisse qui clamaverunt ut crucifigeretur, quam illos qui ministerium principi suo secundum suum officium præbuerunt. Intelligitur ergo fuisse hora tertia cum clamaverunt Judæi ut Dominum crucifigeretur, et veracissime demonstratur tunc eos crucifixisse quando clamaverunt : maxime quia nolebant videri se hoc fecisse, et propter ea eum Pilato tradiderant, quod eorum verba satis indicant, secundum Joannem. Cum enim dixisset eis Pilatus, « Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? responderunt, et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi ; nobis non licet interficere quemquam » (*Id. xviii, 29-31*). Quod ergo maxime videri fecisse nolebant, hoc eos hora fecisse tertia Marcus ostendit; verissime judicans magis fuisse Domini necatricem linguam Judæorum, quam militum manus.

43. Quisquis autem dixerit non fuisse horam tertiam, cum hoc Judæi primitus clamaverunt, insanissime se ostendit inimicum Evangelii; nisi forte aliter potuerit eandem dissolvere quæstionem : non enim habet unde convincat non fuisse tunc horam tertiam; et ideo veridico Evangelistæ potius credendum, quam contentiosis suspicionibus hominum. Unde, inquis, probas horam tertiam fuisse? Respondco, Quia credo

Evangelistis : quibus et tu si credis, ostende quemadmodum et hora sexta et hora tertia potuerit Dominus crucifigi? De sexta enim, ut fateamur, narratione Joannis urgemur; tertiam Marcus commemorat : quibus si uterque nostrum credit, ostende tu aliter quemadmodum fieri utrumque potuerit; libentissime requiescam. Non enim sententiam meam, sed Evangelii diligo veritatem. Atque utinam etiam plures ab aliis inventiantur hujus exitus quæstionis : quod donec fiat, utere mecum isto si placet. Si enim nullus alius exitus potuerit inveniri, solus iste sufficiet : si autem poterit, cum demonstratus fuerit, eligemus. Tantum non putes consequens esse ut quilibet omnium quatuor Evangelistarum mentitus sit, aut in tanto et tam sancto culmine auctoritatis erraverit.

44. Si autem quis dixerit se inde convincere non fuisse horam tertiam, cum illud Judæi clamaverunt, quia posteaquam dixit idem Marcus, *Pilatus autem iterum respondens ait illis : Quid ergo vultis faciam regi Judæorum? At illi iterum clamaverunt : Crucifige eum*; non interponitur aliquid morarum ab eodem Marco in ejus narratione, et continuo ad id pervenitur, ut traderetur ad crucem Dominus a Pilato, quod Joannes hora quasi sexta factum esse commemorat : intelligat qui hoc dicit, multa prætermissa esse, quæ in medio gesta sunt, cum Pilatus ageret quærens quomodo eum a Judæis eriperet, et adversus eorum insanissimam voluntatem quibuscumque modis potuit, instantissime niteretur. Matthæus enim ait, *Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicant omnes : Crucifigatur* : tunc fuisse dicimus horam tertiam. Quod autem Matthæus sequitur, et narrat, *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret*; et in conatibus Pilati ad eripiendum Dominum, et in tumultu Judæorum contra nitentium, consumptum tempus duarum horarum intelligimus, et ceptam fuisse sextam, qua nondum terminata gesta sunt quæ ab eo tempore quo Pilatus Dominum tradidit, usque ad tenebras factas narrantur. Quod autem Matthæus supra commemorat, *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad illum uxorem ejus dicens : Nihil tibi et justo illi; multa enim passa sum hodie per risum propter eum (Matth. xxvii, 22, 23, 24, 19)*; postea sederat pro tribunali Pilatus, sed inter illa quæ prius gesta narrabat, recordatus Matthæus quod de Pilati uxore dixit, voluit hoc ibi interponere, ut præstrueret qua maxime causa Pilatus nec novissime volebat eum tradere Judæis.

45. Lucas autem narrat, cum dixisset Pilatus, *Emendatum ergo illum dimittam*, exclamasse universam turbam, *Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam*; sed fortasse nondum dixerant, *Crucifige*. Iterum autem Pilatus, secundum eundem Lucam, *locutus est ad illos volens dimittere Jesum : at illi succlamabant dicentes, Crucifige, crucifige illum* : tunc intelligitur fuisse hora tertia. Quod ergo sequitur Lucas, et dicit, *Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum, et dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur; et invalesce-*

*bant voces eorum.* (Luc. xxiii, 16-23); satis etiam ipse significat magnum tumultum fuisse; et post quantum morarum illis tertio dixerit, *Quid enim mali fecit?* licet intelligere quantum indagandæ veritati satis est : et postea quod ait, *Instabant vocibus magnis, et invalescebant voces eorum*, quis non videat ideo factum, quia videbant Pilatum nolle eis tradere Dominum? Et quia hoc magnopere volebat, non utique in momento temporis cessit, sed vel duæ horæ et aliquid amplius in illa cunctatione transierunt.

46. Joannem quoque interroga, et vide quanta fuerit Pilati illa cunctatio et recusatio tam sædi ministri : idem namque multo explicatius ea narrat<sup>1</sup>, quamvis nec ipse utique dicat omnia, in quibus duæ horæ et de sexta aliquid præterfluxit. Tunc cum flagellasset Jesum, et a militibus veste illusoria, multisque illusionibus male tractari permisisset (credo ut hoc modo saltem eorum furorem mitigaret, ne usque ad mortem scire pertenderent), « Exiit iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia in eo nullam causam invenio. Exiit ergo Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum. Et dicit eis : Ecce homo; » ut illa velut ignominiosa specie visa placarentur. Sed adjungit, et dicit : « Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes : Crucifige, crucifige : » tunc horam tertiam fuisse dicimus. Attende quæ sequantur : « Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Judæi : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori; quia Filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit : et ingressus est prætorium iterum, et dicit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet. Exinde Pilatus quærebat dimittere eum. » In hoc igitur quod quærebat Pilatus dimittere eum, quantum temporis putamus fuisse consumptum, quanta prætermissa quæ vel a Pilato dicebantur, vel a Judæis contradicebantur, quousque dicerent Judæi unde ille commoveretur, et cederet? Ita enim sequitur : « Judæi autem clamabant dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus ergo cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceve Paschæ, horæ quasi sexta. » Ab illa ergo voce Judæorum qua primo dixerunt, *Crucifige*, cum esset hora tertia, usque ad hoc quo sedit pro tribunali, per medias moras cunctationis Pilati et tumultuantium Judæorum, duæ horæ præterierant, et peracta quinta jam de sexta aliquid cæperat. *Dixit ergo Judæis : Ecce*

<sup>1</sup> Codices plures, explicatius enarrat, quamvis. Et infra, pro : *Tunc cum flagellasset*, MSS. magno consensu habent : *Tamen cum flagellasset.*

rex vester. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Sed neque jam commotus Pilatus timore calumniæ facile cedeat. Tunc enim uxor ejus ad eum miserat sedentem pro tribunali : quod præoccupavit Matthæus, qui hoc solus commemoravit antequam ad eum locum narrationis veniret, ut ibi hoc poneret, ubi opportunum judicavit. Tentans itaque adhuc Pilatus, ne quid proficeret, dixit eis : *Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur* (Joan. xix, 4-16). Et dum pergit, et dum crucifigitur cum duobus latronibus, dum vestes ejus dividantur, et in sortem illa tunica mittitur<sup>1</sup>, atque inter hæc variis conviciis illuditur (simul enim cum illa gererentur, etiam convicia jaciebantur), completa est hora sexta, et factæ sunt tenebræ, quas Matthæus, Marcus et Lucas commemorant.

47. Jam itaque corrumpat impia pertinacia, et credat Dominum Jesum Christum, et tertia hora crucifixum lingua Judæorum, et sexta manibus militum : quia in tumultu Judæorum, et Pilati æstibus, dux atque amplius horæ præterierunt a voce qua dixerunt, *Crucifige*. Sed ipse Marcus, qui maxime brevitatis sectator est, breviter voluit intimare Pilati voluntatem et conatum pro Domini vita. Cum enim dixisset, *At illi iterum clamaverunt, Crucifige eum*, ubi ostendit quod jam clamaverant, cum vellent sibi dimitti Barabam : adjunxit, *Pilatus vero dicebat eis, Quid enim mali fecit* (Marc. xv, 13, 14)? Hoc modo breviter insinuavit quid diu gestum est. Memor tamen etiam ipse quod vellet intelligi, non ait, Pilatus vero dixit eis ; sed ait, *Pilatus vero dicebat eis, Quid enim mali fecit?* Quia si diceret, dixit ; quasi semel dictum intelligeremus : quia vero ait, *dicebat* ; satis intimavit intelligentibus, multis modis et sæpe dictum esse, quousque inciperet hora sexta. Cogitemus ergo quam breviter hoc dixerit Marcus in comparatione Matthæi, quam breviter Matthæus in comparatione Lucæ, quam breviter Lucas in comparatione Joannis, cum tamen alia atque alia quisque commemoraret ; quam denique breviter ipse Joannes in comparatione rerum quæ gestæ sunt, et morarum cum illa gererentur : et sine insaniam resistendi credamus duas horas et quiddam in illo intervallo transire potuisse.

48. Quisquis autem dixerit potuisse Marcum, si ita esset, eo tempore dicere fuisse horam tertiam, quo erat hora tertia, cum vox Judæorum de crucifigendo Domino sonuisset, dicere etiam quod eum tunc ipsi crucifixerint ; nimis superbe leges narratoribus veritatis imponit. Sic enim potest dicere, si hæc ipse narraret, eo modo eodemque ordine ab omnibus debuisse narrari, quo ipse narravit. Dignetur ergo consilio Marci evangelistæ supervari consilium suum, qui eo loco id ponendum judicavit, quo loco divina inspiratione suggestum est. Recordationes enim eorum ejus manu gubernatæ sunt, qui gubernat aquam, sicut scriptum est, qualiter illi placuerit. Fluitat enim humana memoria per varias cogitationes, nec in cæjusquam

<sup>1</sup> *Ms. duo, et sors in illam tunicam mittitur.*

potestate est quid et quando ei veniat in mentem. Cum ergo illi saneti et veraces viri quasi fortalita recordationem suarum propter narrationis ordinem occultæ Dei potestati, cui nihil fortuitum est, commississent, non oportet quemquam hominum dicere longe abjectam ab oculis Dei et longe peregrinantem, hoc loco poni debuit, quod valde ignorat cur eo loco Deus poni voluerit. *Quia et si obvelatum est evangelium nostrum*, ait Apostolus, *in his qui percutunt obvelatum est* (II Cor. iv, 3). Et cum dixisset, *Aliis quidem cumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* ; subjecit statim, *Et ad hæc quis idoneus* (Id. ii, 16) ? id est, quis idoneus intelligere quam justo fiat ? Quod idem Dominus dicit : *Ego veni, ut qui non vident, videant ; et qui vident, cæci fiant* (Joan. ix, 39). Ipsa est enim altitudo divitiarum scientiæ et sapientiæ Dei, qua fit ex eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam ; et dicitur carni et sanguini, *O homo tu quis es qui respondeas Deo* (Rom. ix, 21, 20) ? Quis ergo et in hac re cognoscit intellectum Domini, aut quis consiliarius illi fuit (Id. xi, 33, 34), ubi sic gubernavit corda reminiscantium Evangelistarum, et in Ecclesiæ fastigio tanto auctoritatis culmine sublimavit, ut per hæc ipsa quæ in eis contraria videri possunt, non exæccarentur, digne tradit in concupiscentias cordis sui, et in reprobum sensum (Id. i, 24, 28) ; et multi exercerentur ad eliminandum pium intellectum secundum occultam Omnipotentis justitiam ? Dicit enim propheta Domino : *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ ; vir imprudens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc* (Psal. xci, 6, 7).

49. Peo autem, et admonco eos qui hæc legunt, per nos adjuvante Domino elaborata, ut hujus sermonis quæ hoc loco interponendum arbitratus sum, in omni simili questionum difficultate meminerint, ne scripius eodem repetenda sint. Facile autem videbit qui sine impietatis duritia voluerit attendere, quam opportuno loco Marcus hoc de tertia hora posuerit, ut ibi quisque recordetur qua hora Judæi crucifixerunt Dominum, qui volebant in Romanos vel principes vel milites transferre ipsum facinus, ubi factum ministrorum militum commemoratum est. Ait enim, *Et crucifigentes eum dividerunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret* : qui hoc<sup>1</sup>, nisi milites, sicut Joannes manifestat ? Ergo ne quisquam cogitationem tanti criminis, aversus a Judæis, in milites illos converteret, *Erat autem, inquit, hora tertia et crucifixerunt eum* ; ut illi eum potius crucifixisse inveniantur, quos hora tertia ut crucifigeretur clamare potuisse, diligens inquisitor inveniet, cum advererit hoc quod a militibus factum est, hora sexta factum esse.

50. Quanquam non desinat qui pasceves, quam Joannes commemoravit dicens, *Erat autem pasceve Paschæ, hora fere sexta*, horam diei tertiam velint intelligi, qua sedit Pilatus pro tribunali : ut eadem tertia completa videatur, quando crucifixus est ; atque illo jam pendente in ligno, aliæ tres horæ peractæ sint, et reddiderit spiritum : ut ab ea hora qua de-

<sup>1</sup> *In editis additur, fecerunt : quod abest a Mss.*



functus est, id est diei sexta, tenebrae fierent usque ad nonam. Dicunt enim, die quidem illo quem dies sabbati sequebatur, parasceven fuisse Paschæ Judæorum, quod ab eodem sabbato jam incoeperent Azyma: sed tamen verum Pascha, quod jam in passione Domini gerebatur, non Judæorum, sed Christianorum, cœpisse præparari, id est, parasceven habere, ab hora noctis nona, in eo quod Dominus a Judæis occidendus præparabatur. Parasceve quippe interpretatur præparatio. Ab illa ergo nona noctis hora usque ad ejus crucifixionem occurrit hora parasceves sexta secundum Joannem, et hora diei tertia secundum Marcum: ut non Marcus horam illam recordatam recapitulando commemoraverit, qua clamaverunt Judæi, *Crucifige, crucifige*; sed eam prorsus horam tertiam dixerit, qua Dominus est fixus in ligno. Quis fidelis non huic faveat solutioni questionis, si modo possit aliquis articulus conjici ab hora nona noctis, unde cœpisse parasceven Paschæ nostri, id est præparationem mortis Christi, congruentur intelligamus? Si enim dicamus eam cœpisse quando a Judæis apprehensus est Dominus; adhuc noctis primæ partes erant: si quando ad domum perductus est sacerci Caiaphæ, ubi et auditis ad principibus sacerdotum; adhuc gallus non cantaverat, quod ex Petri negatione colligimus, quæ, cum jam audiretur, facta est: si autem quando Pilato traditus est; jam mane fuisse apertissime scriptum est. Restat ergo ut intelligamus tunc cœpisse istam parasceven Paschæ, id est præparationem mortis Domini, quando responderunt omnes principes sacerdotum apud quos primo audiebatur, et dixerunt, *Reus est mortis*; quod apud Matthæum et Marcum invenitur (*Matth. xxvi, 66, et Marc. xiv, 64*): ut recapitulando intelligantur de Petri negatione postea dixisse quod antea factum erat. Non enim absurde conjicitur, tempore eo, quando, ut dixi, reum mortis pronuntiaverunt, horam nonam noctis esse potuisse: ex qua hora usque ad horam qua sedit Pilatus pro tribunali, quasi hora sexta fuit, non diei, sed parasceves, id est præparationis immolationis Domini, quod verum Pascha est: ut plena sexta ejusdem parasceves, quæ plena diei tertia occurrebat, Dominus suspenderetur in ligno. Sive ergo hoc potius intelligendum eligatur, sive Marcus tertiam horam recolverit, eamque maxime ad condemnationem Judæorum in Domini crucifixione commemorare voluerit, qua intelliguntur clamare potuisse ut crucifigeretur, ut ipsos potius crucifixisse acciperemus, quam eos quorum manibus in ligno suspensus est; sicut ille Centurio magis accessit ad Dominum, quam illi amici quos misit (a): procul dubio questio soluta est de hora Dominicæ passionis, quæ maxime solet et contentiosorum concitare impudentiam, et infirmorum imperitiam perturbare.

CAPUT XIV. — *De duobus latronibus cum illo crucifixis, quomodo omnes concordent.*

51. Sequitur Matthæus, et dicit: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, et unus a sinistris*

(*Matth. xxvii, 38*). Et Marcus similiter et Lucas (*Marc. xv, 27, et Luc. xxiii, 33*). Nec Joannes aliquam facit questionem, quamvis latrones eos non dixerit: ait enim, *Et cum eo alios duos, hinc et hinc, medium autem Jesum* (*Joan. xix, 18*). Esset autem contrarium, si cum illi dixissent latrones, iste diceret innocentes.

CAPUT XV. — *De his qui Domino insultaverunt, quomodo inter se consonent Matthæus, Marcus et Lucas.*

52. Sequitur Matthæus, et dicit: *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Qui destruis templum, et in triduo illud reedificas, salva te ipsum; si Filius Dei es, descende de cruce*. Huic Marcus pene ad eadem verba consonat. Sequitur deinde Matthæus, et dicit: *Similiter et principes sacerdotum illudentes cum Scribis et senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei: confidit in Deum, liberet nunc eum si vult; dixit enim, Quis Filius Dei esum* (*Matth. xxvii, 39-43*). Marcus et Lucas, quamvis alia verba dicant, ad eandem tamen sententiam concinunt, cum alius præmittit, quod alius commemorat (*Marc. xv, 29-32, et Luc. xxiii, 35-37*). De principibus enim sacerdotum quod insultaverint Domino crucifixo pariter non tacent; quamvis seniores tacuit Marcus: Lucas autem quia principes dixit, nec addidit sacerdotum, magis nomine generali omnes primates complexus est, ut ibi possint intelligi et Scribæ et seniores.

CAPUT XVI. — *De latronum insultatione, quomodo non repugnent Matthæus et Marcus Lucas, qui dixit unum eorum insultasse, alium credidisse.*

53. Sequitur Matthæus, et dicit: « Idipsum autem et latrones qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei » (*Matth. xxvii, 44*). Nec Marcus discrepat, hoc idem dicens aliis verbis (*Marc. xv, 32*). Lucas autem potest putari repugnare, nisi genus locutionis satis usitatum non obliviscamur. Ait enim Lucas: « Unus autem de iis qui pendebant latronibus blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac te ipsum et nos. » Et sequitur idem ipse, atque ita contextit: « Respondens autem alter, increpabat illum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso » (*Luc. xxiii, 39-43*). Quomodo ergo, sicut Matthæus dicit, « Latrones qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei »; vel, sicut Marcus dicit, « Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei »: quandoquidem unus eorum conviciatus est, secundum Lucæ testimonium, alter et comescuit eum, et in Dominum credidit? nisi intelligamus Matthæum et Marcum breviter perstringentes hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse: sicut in Epistola ad Hebræos legitur pluraliter dictum, *Clau-*

<sup>1</sup> Editi, *rah!* qui. At veteres lxx. et textus græcus carcat particula, *rah*.

(a) Vid. supra, lib. 2, cap. 20.

runt ora leonum, cum solus Daniel significari intelligatur; et pluraliter dictum, *Secti sunt* (Hebr. xi, 35-37), cum de solo Isaia tradatur. In Psalmo etiam quod dictum est, *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum*, etc., pluralem numerum pro singulari positum, in Actibus Apostolorum exponitur: nam reges propter Herodem, principes propter Pilatum intellexerunt, qui testimonium ejusdem psalmi adhibuerunt (Psal. ii, 2; Act. iv, 26, 27). Sed quia et Pagani solent calumniari Evangelio, videant quemadmodum locuti sint auctores eorum, Phædras, Medeus et Clytemnestras, cum singule fuerint. Quid autem usitatus, verbi gratia, quam ut dicat aliquis, *Et rustici mihi insultant*; etiam si unus insultet? Tunc enim esset contrarium quod Lucas de uno manifestavit, si illi dixissent ambos latrones conviciatos Domino; ita enim non posset sub numero plurali unus intelligi: cum vero dictum est, *latrones*, vel, *qui cum eo crucifixi erant*, nec additum est, ambo; non solum si ambo fecissent, posset hoc dici, sed etiam quia unus hoc fecit, potuit usitato locutionis modo per pluralem numerum significari.

CAPUT XVII. — *D: potu aceti, quomodo inter se omnes consentiant.*

54. Sequitur Matthæus et dicit: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam* (Matth. xxvii, 45-49). Hoc et duo alii contestantur (Marc. xv, 35-36, et Luc. xxiii, 44, 45): addidit autem Lucas etiam unde factæ sint tenebræ, id est solem obscuratum. Sequitur Matthæus: *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabachthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes et audientes, dicebant: Etiam vocat iste.* Marcus pene ad eadem verba, ad eandem tamen sententiam non pene, sed omnino consentit. Sequitur Matthæus: *Et continuo currens unus ex eis acceptans spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere.* Sic et Marcus dicit: *Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.* Quod quidem de Elia, non ipsum qui obtulit spongiam cum aceto, sed cæteros dixisse Matthæus narravit: ait enim, *Cæteri vero dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum*; unde intelligimus et illum et cæteros hoc dixisse. Lucas autem antequam de latronis insultatione narraret, hoc de aceto ita commemoravit: *Illudabant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes illi, et dicentes: Si tu es rex Judæorum, salvum te fac* (Luc. xxiii, 36, 37). Semel complecti voluit quod a militibus factum et dictum est. Ubi movere non debet, quod non unum eorum dixit acetum obtulisse: genus enim locutionis enuit, de quo supra tractavimus, pluralem pro singulari ponens (Superiori cap. 16). Hoc autem de aceto etiam Joannes commemoravit, ubi ait: *Postea sciens Jesus quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas autem positum erat aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto hy-*

*sopo circumponentes obtulerunt ori ejus* (Joan. xix, 28, 29). Sed quod apud eundem Joannem invenitur dixisse, *Sitio*, et quia vas ibi erat aceto plenum, non mirum est si cæteri tacuerunt.

CAPUT XVIII. — *De vocibus Domini quæ continuo meriturus emisit, quomodo non repugnent Matthæus et Marcus Lucæ, et ipsi tres Joanni.*

55. Sequitur Matthæus: *Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum* (Matth. xxvii, 50). Marcus similiter: *Jesus autem emissa voce magna, expiravit* (Marc. xv, 37). Lucas autem quid ipsa voce magna dixerit, declaravit; dixit enim: *Et clamans voce magna Jesus, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et hæc dicens expiravit* (Luc. xxiii, 46). Joannes vero sicut tacuit illam vocem primam, *Eli, Eli*, quam Matthæus et Marcus retulerunt; tacuit etiam istam quam Lucas solus indicavit, illi autem duo nomine vocis magnæ significaverunt, id est, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: quod eum voce magna dixisse et ipse Lucas similiter attestatus est, ut intelligeremus hanc fuisse vocem magnam, quam Matthæus et Marcus commemoraverunt. Sed dixit Joannes quod nullas illorum trium, eum dixisse, *Consummatum est*, cum acetum accepisset: quod eum ante ipsam vocem magnam dixisse intelligimus. Hæc sunt enim verba Joannis: *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit, Consummatum est; et inclinato capite tradidit spiritum* (Joan. xix, 30). Inter illud quod ait, *Consummatum est*, et illud quod ait, *et inclinato capite tradidit spiritum*, emissa est illa vox magna quam tacuit iste, cæteri autem tres commemoraverunt. Hoc enim apparet esse ordinis, ut ante diceret, *Consummatum est*, cum perfectum in illo esset quod de illo prophetatum erat, et tanquam ad hoc expectaret, qui utique eum vollet moreretur, deinde commendans tradidit spiritum. Sed quovis ordine quilibet arbitretur dici potuisse, hoc magnopere cavendum est, ne cui videatur quisquam Evangelistarum alteri repugnare, si vel tacuit quod alius dixit, vel dixit quod alius tacuit.

CAPUT XIX. — *De scissione veli quomodo non disconsentiant Matthæus et Marcus a Lucæ, quo ordine factum sit.*

56. Sequitur Matthæus: *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum* (Matth. xxvii, 51). Et Marcus sic: *Et velum templi scissum est in duo, a sursum usque deorsum* (Marc. xv, 38). Lucas autem similiter hoc ait: *Et velum templi scissum est medium* (Luc. xxiii, 45); sed non eodem ordine. Volens enim miraculum miraculo adungere, cum dixisset, *Sol obscuratus est*, continuo subjungendum existimavit, *Et velum templi scissum est medium*: præoccupans videlicet quod exspirante Domino factum est, ut deinde recapitulans exsequeretur et de potu aceti, et de illa voce magna, et de ipsa morte, quam ante scissionem veli post tenebras facta intelliguntur. Matthæus enim, qui cum dixisset, *Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum*, continuo subiecit, *Et ecce velum templi scissum est*, satis expressit

tunc esse scissum, cum Jesus emisisset spiritum. Si autem non addidisset, *Et ecce*, sed simpliciter dixisset, *Et velum templi scissum est*; incertum esset utrum ipse et Marcus hoc recapitulando commemorassent, Lucas autem ordinem tenuisset; an Lucas recapitulasset quod illi ordine posuissent.

CAPUT XX. — *De admiratione Centurionis et eorum qui cum illo erant, quomodo inter se consentiant Matthæus, Marcus et Lucas.*

57. Sequitur Matthæus: « Et terra mota est, et petre scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt; et excentes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. » Hæc quæ solus dixit, non est metuendum ne cuiquam cæterorum repugnare videantur. Sequitur idem ipse: « Centurio autem et qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terræ motu et iis quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste » (*Matth. xxvii, 51-54*). Marcus sic: « Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait: Vere homo hic Filius Dei erat » (*Marc. xv, 39*). Lucas sic: « Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens: Vere hic homo justus erat » (*Luc. xxiii, 47*). Non est contrarium quod Matthæus viso terræ motu dicit admiratum Centurionem, et eos qui cum illo erant, cum Lucas dicat hoc eum admiratum, quod emissa illa voce exspirasset, ostendens quam in potestate habuerit quamvis moreretur: in eo quippe quod idem Matthæus non solum dixit, *viso terra motu*, sed etiam addidit, *et iis quæ facta erant*; integrum locum fuisse demonstravit Lucæ, ut diceret Centurionem ipsam Domini mortem fuisse miratum; quia et hæc inter illa est, quæ tunc mirabiliter facta erant. Quanquam etsi Matthæus illud non addidisset, intelligendum erat, cum multa miranda facta fuerint, et omnia Centurio et qui cum eo erant, mirari potuerint, liberum fuisse narratibus quid quisque illum miratum commemorare voluisset: nec eos ibi repugnare, cum alius illud, alius illud diceret fuisse miratum; quando omnia fuerat ille miratus. Quod autem alius ait Centurionem dixisse, *Vere Filius Dei erat iste*, alius autem, *Vere homo hic Filius Dei erat*; non movebit eum cui non exciderunt tam multa superius similiter dicta et exposita: ad unam quippe sententiam utraque verba concurrunt; nec quod alius tacuit, *homo*, alius dixit, ullo modo contrarium est. Magis quod Lucas non ait Centurionem dixisse, *Filius Dei erat*, sed, *justus erat*, potest putari diversum: sed vel utrumque dictum a Centurione intelligere debemus, et aliud illos, aliud istum commemorasse; vel fortasse Lucam exprimere voluisse sententiam Centurionis, quomodo dixerit Jesum Filium Dei. Forte enim non cum Unigenitum æqualem Patri Centurio intellexerat; sed ideo Filium Dei dixerat, quia justum crediderat, sicut multi justii dicti sunt filii Dei. Quod autem etiam ipse Lucas dixit, *Videns autem Centurio quod factum erat*, in eo genere inclusit omnia quæ in illa hora mirabiliter facta erant,

SANCT. AUGUST. III.

tanquam unum mirabile factum commemorans, eorum quasi membra et partes erant omnia illa miracula. Jam vero quod Matthæus addidit eos qui cum Centurione erant, alii autem hoc tacuerunt; cui non appareat ex notissima regula non esse contrarium, cum alius dicit quod alius tacet? Et quod Matthæus dixit, *timuerunt valde*; Lucas autem non dixit, *timuit*, sed, *glorificavit Deum*; quis non cum intelligat timendo glorificasse?

CAPUT XXI. — *De mulieribus quæ ibi stabant, quomodo Matthæus, Marcus et Lucas, qui dixerunt eas a longe stetisse, non repugnet Joanni, qui nominavit unam earum juxta crucem stetisse.*

58. Sequitur Matthæus: « Erant autem ibi mulieres multe a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei; inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi » (*Matth. xxvii, 55 et 56*). Marcus sic: « Erant autem et mulieres de longe aspicientes; inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris et Joseph mater, et Salome; et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, et ministrabant ei, et aliæ multe quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam » (*Marc. xv, 40, 41*). Inter hos nihil video quod contrarium possit putari: quid enim interest ad veritatem, quod quasdam mulieres pariter, quasdam singuli nominaverunt? Lucas quoque ita narrationem contexit: *Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ fuerant eum a Galilæa, hæc videntes* (*Luc. xxiii, 48, 49*). Unde superioribus duobus de mulierum præsentia satis consentit, quamvis nullam earum nominatim exprimat; de turba etiam quæ simul aderat, et videntes quæ fiebant tudebant pectora sua, et revertebantur, consentit Matthæo, quamvis seorsum annexerit, *Centurio autem et qui cum eo erant*: quapropter tantummodo de notis ejus qui stabant a longe solus invenitur dixisse. Nam et Joannes commemoravit de præsentia feminarum antequam Dominus emisisset spiritum, ita narrans: *Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua* (*Joan. xix, 25-27*). Qua in re nisi apertissime Matthæus quoque et Marcus Mariam Magdalenen nominassent, possemus dicere, alias a longe, alias juxta crucem fuisse; nullus enim eorum, præter Joannem, matrem Domini commemoravit: nunc ergo quomodo intelligitur eadem Maria Magdalene, et a longe stetisse cum aliis mulieribus, sicut Matthæus et Marcus dicunt, et juxta crucem fuisse, sicut Joannes dicit; nisi quia in tanto intervallo erant, ut et juxta dici possent, quia in conspectu ejus præsto aderant, et a longe in comparatione turbæ propinquius circumstantis cum Centurione et militibus. Possumus etiam intelligere, quod illæ quæ simul aderant cum matre Domini, postquam

(Trente-huit.)

eam discipulo commendavit, abire jam cœperant, ut a densitate turbæ se exuerent, et cetera quæ facta sunt longius intuerentur; ut cæteri Evangelistæ qui post mortem Domini eas commemoraverunt, jam longe stantes commemorarent.

**CAPUT XXII.** — *De Joseph qui corpus Domini petiit a Pilato, quomodo omnes consentiant, et quomodo a seipso Joannes non dissentiat.*

59. Sequitur Matthæus: « Cum sero autem factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathia, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu; hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu: tunc Pilatus jussit reddi corpus » (*Matth. xxvii, 57, 58*). Marcus sic: « Et cum jam sero esset factum, quia erat parasceve, quod est ante sabbatum, venit Joseph ab Arimathia, nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei; et audacter introiit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset: et accessit Centurione interrogavit eum si jam mortuus esset; et cum cognovisset a Centurione, donavit corpus Joseph » (*Marc. xv, 42-45*). Lucas sic: « Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus et justus (hic non consenserat consilio et actibus eorum), ab Arimathia civitate Judææ, qui expectabat et ipse regnum Dei; hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu » (*Luc. xxiii, 50-52*). Joannes autem posteaquam narravit de cruribus fractis eorum qui cum Domino crucifixi erant, et de latere Domini lancea percusso, quod totum solus dixit, subjungit consentiens cæteris, ita narrans: *Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathia, eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum, ut tolleretur corpus Jesu: et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu* (*Joan. xix, 38*). In hoc nihil exstat in quo aliquis eorum alicui repugnare videatur. Sed aliquis forsitan querat quomodo a semetipso Joannes ipse non discrepet, contestans cum cæteris quod Joseph petierit corpus Jesu, et solus dicens quod occultus fuisset discipulus Domini propter metum Judæorum: merito enim movet, cur ille qui propter timorem occultus discipulus erat, ausus sit petere corpus ejus, quod nullus eorum qui eum palam sequebantur, auderet. Sed intelligendum est, istum fiducia dignitatis hoc fecisse, qua præditus poterat familiariter intrare ad Pilatum: in extremo autem illo officio funeri exhibendo minus curasse de Judæis, quamvis soleret in Domino audiendo eorum inimicitias devitare.

**CAPUT XXIII.** — *De sepultura ejus, quomodo tres a Joanne non dissentiant.*

60. Sequitur Matthæus: « Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda, et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra: et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit » (*Matth. xxvii, 59, 60*). Marcus sic: « Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum involvit sindone, et posuit eum in monumento quod erat excisum de petra; et advolvit lapidem ad ostium monumenti » (*Marc. xv, 46*). Lucas sic: « Et depositum involvit in sindone, et posuit eum in monumento exciso,

in quo nondum quisquam positus fuerat » (*Luc. xxiii, 53*). Ex his tribus nulla quæstio dissensionis oriri potest: Joannes autem sepulturam Domini, non a solo Joseph, sed a Nicodemo quoque curatam fuisse commemorat. Consequenter enim a Nicodemo incipiens, ita narrat: « Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum. » Deinde sequitur adjungens ipsum Joseph, et dicit: « Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos Judæis est sepelire. Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus; et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat: ibi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum » (*Joan. xix, 39-42*). Neque hic aliquid repugnat recte intelligentibus. Neque enim illi qui de Nicodemo tacent, affirmaverunt a solo Joseph Domino sepultum, quamvis solius commemorationem fecerint; aut quia illi una sindone a Joseph involutum dixerunt, propterea prohibuerunt intelligi et alia lintea potuisse afferri a Nicodemo et superaddi, ut verum narraret Joannes, quod non uno linteo, sed linteis involutus sit: quamvis et propter sudarium quod capiti adhibebatur, et institas quibus corpus totum alligatum est, quia omnia de lino erant, etiamsi una sindon ibi fuit, verissime dici potuit, *ligaverunt eum linteis*. Lintea quippe generaliter dicuntur quæ lino texuntur.

**CAPUT XXIV.** — *De his quæ circa tempus resurrectionis Domini facta sunt, quemadmodum omnes non inter se dissentiant.*

61. Sequitur Matthæus: « Erat autem ibi Maria Magdalene et altera Maria sedentes contra sepulcrum » (*Matth. xxvii, 61*). Quod Marcus ita dicit: « Maria autem Magdalene et Maria Joseph aspicebant ubi poneretur » (*Marc. xv, 47*). Unde nihil eos ex hoc dissentire manifestum est.

62. Sequitur Matthæus: « Altera autem die, quæ est post parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisei ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens, Post tres dies resurgam: jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium; ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi, Surrexit a mortuis; et erit novissimus error pejor priore. At illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abentes munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus » (*Matth. xxvii, 62-66*). Hoc solus Matthæus narrat, nullo aliorum narrante aliquid quod huic videatur esse contrarium.

63. Deinde sequitur idem Matthæus, et dicit: « Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primam sabbati<sup>1</sup>, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de caelo, et

<sup>1</sup> Editi, *in prima sabbati*. At optimæ notæ Mss. Corleicensis, Floriacensis, etc., constanter habent, *in primam*. Codex græcus, *eis man sabbatôn, in unam sabbatorum*.

accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere, vos: scio enim quod Jesum qui crucifixus est, queritis; non est hic, surrexit enim sicut dixit: venite, et videte locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite discipulis ejus quia surrexit; et ecce præcedit<sup>1</sup> vos in Galilæam; ibi eum videbitis: ecce dixi vobis (Math. xxviii, 1-15). Huic Marcus consonat (Marc. xvi, 1-11). Sed potest movere quomodo secundum Matthæum angelus super lapidem sedebat revolutum a monumento: Marcus enim introeuntes eas in monumentum dicit vidisse juvenem sedentem in dextris coopertum stola candida, et obstupuisse: nisi intelligamus aut Matthæum tacuisse de illo angelo, quem intrantes viderunt; Marcum vero de illo tacuisse, quem foris viderunt sedentem super lapidem: ut duos viderint, et a duobus singillatim audierint quæ dixerunt angeli de Jesu, prius ab illo quem foris viderunt sedentem super lapidem, deinde ab illo quem viderunt intrantes in monumentum, sedentem a dextris; quo ut intrarent, illius qui foris sedebat verbis exhortatæ sunt dicentis, *Venite, et videte locum ubi positus erat Dominus*: quo venientes, ut dictum est, et intrantes viderunt eum de quo Matthæus tacet, Marcus autem loquitur, sedentem a dextris, a quo talia similiter audierunt. Aut certe intrantes in monumentum in aliqua septa maceræ debemus accipere, qua communitum locum tunc fuisse credibile est in aliquo spatio ante petram, qua excisa locus factus fuerat sepultura: ut ipsum viderint in eodem spatio sedentem a dextris, quem dicit Matthæus sedentem super lapidem, quem terræ motu ab ostio monumenti revolverat, id est a loco sepulcri, quod effossus erat in petra.

64. Item queri potest, quemadmodum Marcus dicit, *At illæ exeuntes fugerunt de monumento; invaserat enim eas tremor et pavor: et nemini quidquam dixerunt; timebant enim*; cum dicat Matthæus, *Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus*: nisi intelligamus ipsorum angelorum nemini ausas fuisse aliquid dicere, id est, respondere ad ea quæ ab illis audierant, aut certe custodibus quos jacentes viderunt. Nam illud gaudium quod Matthæus commemorat, non repugnat timori de quo Marcus dicit: debuimus enim utrumque in illarum animo factum intelligere, etiamsi ipse Matthæus de timore non diceret; cum vero et ipse dicat, *Exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno*, nihil ex hac re questionis remanere permittit.

65. De hora quoque ipsa qua venerunt mulieres ad monumentum, non contemnenda exoritur questio. Cum enim Matthæus dicat, *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primam sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum*: quid est quod dicit

<sup>1</sup> vulgata versio, *præcedet*: pauloque post, *ecce præcedit vobis*. At editi et MSS. codices hujus operis ferunt, *præcedit*: tum ex iis plerisque MSS. *ecce dixi vobis*; juxta Græcum *προυει* et *ειπον*.

Marcus, *Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, oriente jam sole*? In quo quidem a cæteris duobus, id est, Luca et Joanne non discrepat. Quod enim dicit Lucas, *valde diluculo*; et Joannes, *mane cum adhuc tenebræ essent*: hoc intelligitur Marcus dicere, *valde mane, oriente jam sole*, id est cum cælum ab orientis parte jam albesceret; quod non sit utique nisi solis orientis vicinitate: ejus enim est ille fulgor qui nomine auroræ appellari solet. Ideo non repugnat illi qui ait, *cum adhuc tenebræ essent*. Die quippe surgente, aliquæ reliquæ tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux. Nec sic accipiendum est quod ait, *valde mane*, tanquam sol ipse videretur jam super terras: sed potius sicut dicere solemus eis quibus volumus significare temperius aliquid faciendum. Cum enim dixerimus, *Mane*, ne putent jam sole supra terram conspicuo nos dicere, ad hoc plerumque addimus, *Valde mane*; ut illud quod etiam albescente vocatur, intelligant: quanquam et hoc usitatum sit, ut post galli cantum sæpe repetitum, cum conjectare homines cœperint diem jam propinquare, dicant, *Jam mane est*; et cum post hoc verbum attenderint, et jam oriente, id est jam de proximo adveniente in has partes sole, cælum rubescere vel albescere viderint, addant qui dicebant, *Mane est*, et dicant, *Valde mane est*. Quid autem interest, dum sive illo sive isto modo nihil aliud intelligamus a Marco appellatum *mane*, nisi quod Lucas appellavit *diluculo*; et hoc *valde mane*, quod ille *valde diluculo*, et quod Joannes *mane cum adhuc tenebræ essent*; *sole autem jam oriente*, id est; ortu suo jam cælum illuminare incipiente? Quomodo ergo his tribus congruat Matthæus, qui nec *diluculo*, nec *mane*, sed *vespere* ait *sabbati, quæ lucescit in primam sabbati*, attentius indagandum est. A parte quippè prima noctis, quod est vesper, ipsam noctem voluit significare Matthæus, cujus noctis sine venerunt mulieres ad monumentum. Ea vero causa intelligitur eandem noctem sic appellasse, quia jam a vespere licebat afferre aromata, transacto utique sabbato. Ergo quoniam sabbato impediabantur, ut non ante facerent, ab eo tempore nominavit noctem, ex quo eis licere cœpit ut facerent, quocumque vellent tempore ejusdem noctis. Sic itaque dictum est, *vespere sabbati*, ac si diceretur, nocte sabbati, id est nocte quæ sequitur diem sabbati: quod ipsa verba ejus satis indicant. Sic enim ait: *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primam sabbati*: quod fieri non potest, si tantummodo primam noctis particulam, id est solum initium noctis, intellexerimus dicto *vespere* significatam; neque enim ipsum initium lucescit in primam sabbati, sed ipsa nox quæ luce incipit terminari. Nam terminus primæ partis noctis, secundæ partis initium est; lux autem terminus totius noctis est: unde non potest dici *vesper lucescens* in primam sabbati, nisi nomine vesperi nox ipsa intelligatur quam lux terminat. Et usitatus loquendi modus divinæ Scripturæ est, a parte totum significare<sup>1</sup>: a vespere ergo noctem significavit, cujus extremum est diluculum. Diluculo enim venerunt illæ mulieres ad

<sup>1</sup> in B. deest vox, *significare*. Er. et Lov. secuti sumus.

monumentum; ac per hoc ea nocte venerunt, quæ significata est nomine vesperi. Tota enim significata est eo nomine, ut dixi; et ideo quacumque ejus noctis parte venissent, ea utique nocte venissent: cum ergo venerunt parte ejus noctis extrema, ea procul dubio nocte venerunt. Vespere autem quæ lucescit in primam sabbati, non potest nisi tota ipsa nox intelligi: eo igitur vespere venerunt, quæ ipsa nocte venerunt; ipsa autem nocte venerunt, quæ noctis ipsius quamvis extrema parte venerunt.

66. Nam et ipsum triduum, quo Dominus mortuus est et resurrexit, nisi isto loquendi modo, quo a parte totum dici solet, recte intelligi non potest<sup>1</sup>. Ipse quippe ait, *Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (Matth. xii, 40). Computantur<sup>2</sup> autem tempora, sive ex quo tradidit spiritum, sive ex quo sepultus est, et non occurrit ad liquidum; nisi medium diem, hoc est sabbatum totum diem accipiamus, id est cum sua nocte, illos autem qui eum in medio posuerunt, id est parasceven et primam sabbati, quem diem dominicum dicimus, a parte totum intelligamus. Quid enim juvat quod quidam his angustiis coarctati, et istum locutionis modum, id est a parte totum, in sanctarum Scripturarum solvendis quæstionibus plurimum valere nescientes, noctem voluerunt annumerare tres illas horas a sexta usque ad nonam quibus sol obscuratus est, et diem tres horas alias quibus iterum terris est redditus, id est a nona usque ad ejus occasum? Sequitur enim nox futuri sabbati, qua cum suo die computata, erunt jam duæ noctes et duo dies; porro autem post sabbatum sequitur nox primæ sabbati<sup>3</sup>, id est illucescentis diei dominici, in qua tunc Dominus resurrexit: erunt ergo duæ noctes et duo dies, et una nox, etiamsi tota posset intelligi, nec ostenderemus quod illud diluculum pars ejus extrema sit; quapropter nec annumeratis illis sex horis, quarum tribus sol contenebratus est, et tribus eluxit, constabit ratio trium dierum et trium noctium. Restat ergo ut illo Scripturarum usitatissimo loquendi modo, quo a parte totum intelligitur, inveniamus extremum diem<sup>4</sup> tempus parasceves, quo crucifixus et sepultus est Dominus, et ex ipsa extrema parte totum diem cum sua nocte, qui jam peractus fuerat, accipiamus: medium verò, id est sabbati diem, non a parte, sed integre totum: tertium rursus a parte sua prima, id est a nocte totum cum suo diurno tempore; ac sic erit triduum: quemadmodum illi octo dies post quos ascendit in montem, quorum medios integros attendentes Matthæus et Marcus dixerunt, *Post sex dies*; quod Lucas dixit, *Post octo dies* (a).

67. Nunc jam cætera videamus, quemadmodum

<sup>1</sup> Illic in editis interponebatur: *Nunc magna redditur ratio verbi Domini*: quod abest a MSS.

<sup>2</sup> Er. et Lov., *computentur*: et inferius, *msi ad medium diem*. M.

<sup>3</sup> Editi, *primi sabbati*: et paulo post, *diei dominicæ*.

<sup>4</sup> Unus e Vatic. MSS., *primum diem*.

(a) *Supra*, lib. 2, cap. 58, n. 113.

Matthæo congruant. Lucas enim apertissime duos angelos dicit visos fuisse a mulieribus, quæ venerunt ad monumentum, quorum singulos intellexeramus commemoratos a duobus; unum a Matthæo, id est, illum qui extra monumentum sedebat in lapide; alterum a Marco, id est illum qui intra monumentum sedebat a dextris. Sed Lucas ita narrat: *Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum ipso venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus; et reverentes paraverunt aromata et argenta: et sabbatum quidem silverunt secundum mandatum: Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata; et invenerunt lapidem revolutum a monumento; et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu: et factum est dum mente consternatæ essent de isto, et ecce duo viri<sup>1</sup> steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid queritis viventem cum mortuis? non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus, et regressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus* (Luc. xxiii, 54; xxiv, 12). Quomodo ergo singuli visi sunt sedentes, unus secundum Matthæum foris super lapidem; et alter secundum Marcum intus a dextris; cum secundum Lucam duo steterint secus illas, quamvis similia dixerint? Possumus quidem adhuc intelligere unum angelum visum a mulieribus, et secundum Matthæum, et secundum Marcum, sicut supra diximus: ut eas ingressas in monumentum sic accipiamus, in aliquod scilicet spatium quod erat aliqua maceria communitum, ut intrari posset ante illum saxeam sepulcri locum, atque ibi vidisse angelum sedentem supra lapidem revolutum a monumento, sicut dicit Matthæus, ut hoc sit sedentem a dextris, quod dicit Marcus; deinde intus ab eis, dum inspicerent locum in quo jacebat corpus Domini, visos alios duos angelos stantes, sicut dicit Lucas, similia locutos ad earum exhortandum animum et ædificandam fidem.

68. Sed videamus et illa quæ Joannes dicit, utrum vel quemadmodum his congruant. Sic ergo narrat Joannes: *Una autem sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, et vidit lapidem sublatum a monumento. Currenit ergo, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum quem amabat Jesus, et dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus præcurrenit citius Petro, et venit primus ad monumentum: et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introiit in monumentum; et*

<sup>1</sup> sic Editi. At MSS., *et ecce*; juxta græcun.

vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Tunc ergo introit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, et vidit, et credidit. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oporteret eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans: dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum; et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus est, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicitio mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur Magister. Dicit ei Jesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, et dic eis, Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, et Deum meum et Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi (Joan. xx, 1-18). In hac Joannis narratione dies vel tempus quo ventum est ad monumentum, cum cæteris convenit; illud etiam quod duo angeli visi sunt, concordat cum Luca: sed quod illo stantes dicit angelos visos, iste autem sedentes, et cætera quæ illi non dicunt, quomodo hic possint intelligi non discrepare a cæteris, et quo ordine gesta sint, nisi diligentèr considerentur, repugnantia possunt videri.

69. Quapropter hæc omnia quæ circa tempus resurrectionis Domini facta sunt, secundum omnium Evangelistarum testimonia in una quadam narratione, quantum nec Dominus adjuverit, quemadmodum geri potuerint, ordinemus. Prima sabbati diluculo, sicut omnes consentiunt, ventum est ad monumentum. Jam factum erat quod solus Matthæus commemorat de terræ motu et lapide revoluto conterritisque custodibus, ita ut in parte aliqua velut mortui jacerent. Venit autem, sicut Joannes dicit, Maria Magdalene, sine dubio cæteris mulieribus<sup>1</sup>, quæ Domino ministraverant, plurimum dilectione ferventior, ut non immerito Joannes solam commemoraret, tacitis eis quæ cum illa fuerunt, sicut alii testantur. Venit ergo, et ut vidit lapidem sublatum a monumento, antequam aliquid diligentius inspiceret, non dubitans ablatum inde esse corpus Jesu, cucurrit, sicut dicit idem Joannes, et nuntiavit Petro atque ipsi Joanni. Ipse est enim discipulus quem amabat Jesus. At illi currere cœperunt ad monumentum, et præveniens Joannes inclinavit se, et vidit posita linteamina, nec intravit: Petrus autem consecutus intravit in monumentum, et vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput

<sup>1</sup> Editi, cum cæteris mulieribus. At Mss. carent particula, cum.

ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum. Deinde et Joannes intravit, et vidit similiter, et credidit quod Maria dixerat, sublatum esse Dominum de monumento. « Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans, » id est ante illum saxei sepulcri locum, sed tamen intra illud spatium quo jam ingressæ fuerant: hortus quippe illic erat, sicut idem Joannes commemorat (*Id.* xix, 41). Tunc viderunt angelum sedentem a dextris super lapidem revolutum a monumento, de quo angelo narrant Matthæus et Marcus. « Tunc eis dixit, Nolite timere, vos: scio enim quod Jesum qui crucifixus est quæritis; non est hic, surrexit enim sicut dixit: venite et videte locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit; et ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis; ecce dixi vobis: » quibus similia Marcus quoque non tacuit. Ad hæc verba Maria dum fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos, sicut dicit Joannes, in albis sedentes; unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. « Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Illic intelligendi sunt surrexisse angeli, ut etiam stantes viderentur, sicut eos Lucas visos fuisse commemorat, et dixisse secundum eundem Lucam timentibus mulieribus et vultum in terram declinantibus, « Quid quæritis viventem cum mortuis? non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens, Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus. Post hæc conversa est retrorsum Maria, et vidit Jesum stantem, sicut dicit Joannes, et non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus est, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicitio mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Jesus: Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, et dic eis, Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum et Deum meum et Deum vestrum. » Tunc egressa est a monumento, hoc est ab illo loco ubi erat horti spatium ante lapidem effossum: et cum illa alix, quas secundum Marcum invaserat tremor et pavor; et nemini quidquam dicebant. Tunc jam, secundum Matthæum, « ecce Jesus occurrit illis dicens: Ave. Illæ autem accesserunt et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. » Sic enim colligimus et angelorum allocutionem his numero eas habuisse venientes ad monumentum, et ipsius Domini: semel scilicet illic quando Maria hortulanum putavit; et nunc iterum cum eis occurrit in via, ut eas ipsa repetitione firmaret, atque a timore recrearet. « Tunc ergo ait illis: Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam; ibi me videbunt. Venit ergo Maria Magda-

hæc annuntians discipulis quia vidit Dominum, et hæc ei dixit : non solum ipsa, sed et alix, quas Lucas commemorat, quæ nuntiaverunt hæc discipulis undecim, et cæteris omnibus. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non credebant illis. His et Marcus attestatur. Nam posteaquam commemoravit eas trementes et paventes exisse a monumento, et nemini quidquam dixisse, adjunxit quod resurgens Dominus apparuerit mane prima sabbati, primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia; et quia illa vadens nuntiavit iis qui cum eo fuerant lugentibus et flentibus; et quia illi audientes quod viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt. Sane Matthæus etiam illud inseruit, abscedentibus mulieribus quæ illa omnia viderant et audierant, venisse etiam quosdam in civitatem de illis custodibus qui jacuerant velut mortui, et nuntiassent principibus sacerdotum omnia quæ facta erant, hoc est quæ etiam illi sentire potuerunt: illos vero congregatos cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dedisse militibus, ut dicerent quod discipuli ejus venissent, eumque furati essent illis dormientibus; pollicentes etiam securitatem a præside qui eos custodes dederat: et illos accepta pecunia fecisse sicut erant edocti, divulgatumque esse verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.

CAPUT XXV. — *In eo quod se postea discipulis manifestavit, quomodo sibi omnes Evangelistæ non adversentur, collatis testimoniis et de apostolo Paulo et de Actibus Apostolorum.*

70. Jam post resurrectionem quemadmodum apparuerit Dominus discipulis, considerandum est, non solum ut elucescat etiam ex hac re convenientia quatuor Evangelistarum (*Matth. xxviii, Marc. xvi, Luc. xxiv, et Joan. xx, xxi*), verum etiam ut cum Paulo apostolo consonent, qui de hac re in prima ad Corinthios Epistola ita loquitur: *Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas: et quia apparuit Cephæ, postea duodecim<sup>1</sup>, deinde apparuit plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus plures manent usque adhuc, quidam autem dormierunt; postea apparuit Jacobo, deinde Apostolis omnibus; novissime<sup>2</sup> autem omnium quasi abortivo apparuit et mihi (I Cor. xv, 38).* Hunc autem ordinem nullus Evangelistarum tenuit: unde considerandum est utrum ordo quem illi tenuerunt, huic non adversetur: nam nec ille omnia, nec isti omnia dixerunt; quæ autem dixerunt omnes utrum nihil inter se repugnent tantum videndum est. Lucas enim solus quatuor Evangelistarum, non dicit a mulieribus visum Dominum, sed tantummodo angelos: Matthæus autem dicit quod eis occurrerit redeuntibus a monumento: Marcus quoque dicit primo visum esse Mariæ Magdalene,

<sup>1</sup> Editi, undecim., At Mss. duodecim; juxta græc., τοὺς δώδεκα.

<sup>2</sup> In decem Mss. novissimo: his infra, n. 83, conscriptum editi

sicut et Joannes; sed quomodo sit ei visus non dicit, quod explicatur a Joanne. Lucas autem non solum tacet, ut dixi, eum apparuisse mulieribus, sed etiam duos, quorum unus fuit Cleophas, talia dicit locutos cum illo antequam agnoscerent eum, tanquam mulieres nihil se aliud quam angelos vidisse nuntiaverint, qui dicebant eum vivere. Ita enim narrat: *Ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emaus; et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant: et factum est dum loquerentur, et secum quærerent, et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis; oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Et respondens unus cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo; et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel: et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quo hæc facta sunt. Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, et non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non viderunt.<sup>3</sup> Hæc secundum Lucam ita narrant, ut meminisse ac recolere potuerunt quod a mulieribus dictum erat, vel a discipulis qui cucurrerant ad monumentum, quando eis nuntiatum est quod ablatum inde sit corpus ejus. Et ipse quidem Lucas Petrum tantum dicit cucurrisse ad monumentum, et procumbentem vidisse hincemina sola posita, et abiisse secum mirantem quod factum fuerat. Hoc autem de Petro commemorat, priusquam narret de his duobus quos invenit in via, posteaquam narravit de mulieribus quæ viderant angelos, et ab eis audierant quod resurrexisset Jesus, tanquam tunc Petrus ad monumentum cucurrerit. Sed intelligitur hoc Lucas recapitulando posuisse de Petro. Tunc enim cucurrit Petrus ad monumentum, quando et Joannes, cum tantummodo a mulieribus, præcipue a Mariæ Magdalene nuntiatum eis fuerat de corpore ablato; tunc autem illa nuntiaverat, quando vidit lapidem avulsam a monumento: et postea facta sunt hæc de visione angelorum, atque ipsius Domini, qui bis numero apparuerat mulieribus; semel ad monumentum, et iterum occurrens revertentibus a monumento. Hoc autem antequam duobus illis in via visus fuisset, quorum erat unus Cleophas. Namque et Cleophas loquens cum Domino quem nondum agnoscebat, non Petrum dixit esse ad monumentum; sed, *abierunt quidam ex nostris, inquit, ad monumentum, et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt: quod et ipse recapitu-**

<sup>3</sup> In prius excusis, non invenerunt. At in Gallicanis et Vaticanis Mss., non viderunt: favente græco, οὐκ εἶδον.



lando intelligitur dixisse, illud scilicet quod primo mulieres nuntiaverant Petro et Joanni de ablato corpore Domini. Ac per hoc cum ipse Lucas Petrum dixerit cucurrisse ad monumentum, et Cleopham dixisse ipse retulerit quod quidam eorum ierant ad monumentum, intelligitur attestari Joanni, quod duo ierant ad monumentum; sed Petrum solum primo commemoravit, quia illi primitus Maria nuntiaverat. Item potest movere quod Petrum non intrantem, sed procumbentem dicit idem Lucas vidisse sola linteamina, et discessisse mirantem; cum Joannes dicat se potius ita vidisse, hoc est discipulum illum quem diligebat Jesus; non intrasse in monumentum, quo prior venerat, sed cum se inclinasset vidisse posita linteamina: sed et seipsum postea dicit intrasse. Ita et Petrus intelligendus est primo procumbens vidisse, quod Lucas commemorat, Joannes tacet; post autem ingressus; sed ingressus tamen antequam Joannes intraret, ut omnes verum dixisse sine ulla repugnancia reperiantur.

71. Ordo ergo rerum qui esse potuit, quemadmodum Dominus, excepto quod jam mulieribus locutus erat, etiam maribus discipulis visus fuerit, secundum testimonia non solum quatuor Evangelistarum, sed etiam Pauli apostoli, contendendus et demonstrandus est. Omnium ergo virorum primo apparuisse intelligitur Petro, ex his duntaxat omnibus quos Evangelistæ quatuor et Paulus apostolus commemoraverunt. Cæterum si apparuit alicui eorum prius quam Petro, quod omnes tacuerunt, quis vel dicere audeat vel negare? Neque enim et Paulus dixit, Apparuit primo Cephæ; sed, Apparuit, inquit, Cephæ, postea duodecim, deinde apparuit plus quam quingentis fratribus simul. Sic autem non apparet quibus duodecim, quemadmodum nec quibus quingentis. Fieri enim potest ut de turba discipulorum fuerint isti duodecim nescio qui. Nam illos quos Apostolos nominavit, non jam duodecim, sed undecim diceret, sicut nonnulli etiam codices habent; quod credo perturbatos homines emendasse, putantes de illis duodecim Apostolis dictum, qui jam Juda extincto undecim erant. Sed sive illi codices verius habeant qui undecim habent, sive alios quosdam duodecim discipulos Paulus velit intelligi<sup>1</sup>, sive sacramentum illum numerum<sup>2</sup> etiam in undecim stare voluerit; quia duodenarius in eis numerus ita mysticus erat, ut non posset in locum Judæ nisi alius, id est Matthias, ad conservandum sacramentum ejusdem numeri subrogari (Act. 1, 26); quodlibet ergo eorum sit, nihil inde existit quod veritati vel istorum alicui veracissimo narratori repugnare videatur: probabiliter tamen creditur postquam Petro apparuit, deinde apparuisse istis duobus, quorum erat unus Cleophas, de quibus Lucas totum narrat, Marcus autem breviter ita perstringit: *Post hæc autem, inquit, duobus ex eis ambulatibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam.* Castellum quippe illud non

<sup>1</sup> Vss., sive alios quosdam duodecim apostolos Paulus velit intelligi.

<sup>2</sup> Quinque Mss., sive sacramentum illius numeri.

absurde accipimus etiam villam potuisse appellari; quod nunc jam appellatur ipsa Bethleem, quæ civitas antea vocitata est; quamvis nunc sit honoris amplioris, nomine Domini, qui in illa natus est, sic per Ecclesias omnium gentium diffamato. Et in codicibus quidem græcis magis agrum invenimus (a) quam villam: agri autem nomine non castella tantum, verum etiam municipia et colonix solent vocari extra civitatem, quæ caput et quasi mater est cæterarum, unde metropolis appellatur.

72. Quod autem ait Marcus, eis in alia effigie Dominum apparuisse; hoc Lucas dicit, quod eorum oculi tenebantur ne agnoscerent eum. Oculis quippe eorum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est usque ad fractionem panis, certi mysterii causa, ut eis in illo alia ostenderetur effigies, et sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent, sicut Luca narrante monstratur. Pro merito quippe mentis eorum, adhuc ignorantis quod oportebat Christum mori et resurgere, simile aliquid eorum oculi passi sunt, non veritate fallente, sed ipsis veritatem percipere non valentibus, et aliud quam res est opinantibus; ne quisquam se Christum agnovisse arbitretur, si ejus corporis particeps non est, id est Ecclesix, cujus unitatem in sacramento panis commendat Apostolus, dicens, *Unus panis, unum corpus multi sumus* (1 Cor. x, 17): ut cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, et agnoscerent eum; aperirentur utique ad ejus cognitionem, remoto scilicet impedimento, quo tenebantur ne eum agnoscerent. Neque enim clausis oculis ambulabant; sed inerat aliquid quo non sinerentur agnoscere quod videbant: quod scilicet et caligo et aliquid humor efficere solet. Non quia Dominus non poterat transformare carnem suam, ut alia revera esset effigies, non quam solebant illi contueri; quandoquidem et ante passionem suam transformatus est in monte, ut facies ejus claresceret sicut sol (Matth. xvii, 2): quale vult enim corpus de qualicumque corpore verum de vero facit, qui de aqua vera verum vinum fecit (Joan. ii, 7-11); sed non ita fecerat, cum apparuit illis duobus in alia effigie. Non enim sicut erat apparuit eis<sup>1</sup>, quorum oculi tenebantur ne agnoscerent eum. Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a satana fuisse, ne agnosceretur Jesus: sed tamen a Christo est facta permissio usque ad sacramentum panis; ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.

73. Nam ipsos esse istos et quibus et Marcus narrat, credendum est; quia dicit ipsos euntes nuntiasse cæteris: sicut Lucas dicit eos surgentes eadem hora,

<sup>1</sup> Editi: Non enim aliter quam erat, sed sicut erat apparuit eis. At Mss. carent his vocibus, aliter quam erat sed; quæ imprudenter additæ fuerant, non probe intellecto verbo, apparuit, quod hic præ. visus est, ponit Augustinus; et Christum, quando illis duobus in alia effigie visus fuit, non propterea transformata sua carne effigiem aliam revera præ se tulisse probat hæc ratio, quia si videntium oculi tenebantur ne eum agnoscerent, sequitur ut non in ipsa quam præ se ferebat effigie visus eis fuerit.

(a) Eis agron.

regressos esse Jerusalem, et invenisse congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant, dicentes quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni; et tunc etiam ipsos narrasse quæ gesta erant in via, et quomodo eum cognoverint in fractione panis. Jam ergo erat fama quod resurrexerat Jesus, ab illis mulieribus facta, et a Simone Petro, cui jam apparuerat: hoc enim isti duo invenerunt loquentes ad quos in Jerusalem venerunt. Fieri itaque potest ut timore prius in via noluerint dicere quod eum audierant resurrexisse, quando tantummodo angelos dixerunt visos esse mulieribus: ignorantes enim cum quo loquerentur, merito possent esse solliciti ne quid passim de Christi resurrectione jactantes in manus inciderent Judæorum. Quod autem ait Marcus, *Annuntiaverunt cæteris, nec illis crediderunt*; cum Lucas dicat, quod jam inde loquebantur vere resurrexisse Dominum, et Simoni apparuisse: quid intelligendum est, nisi aliquos ibi fuisse qui hoc nollent credere? Cui autem non eluceat prætermisisse Marcum quæ Lucas narrando explicavit, hoc est, quæ cum illis locutus fuerit Jesus antequam agnoscerent eum, et quomodo eum in fractione panis agnoverint? Quandoquidem mox ut dixit eis apparuisse in alia effigie euntibus in villam, continuo conjunxit, *Et illi euntes nuntiaverunt cæteris, nec illis crediderunt*: quasi possent nuntiare quem non agnoverant; aut possent agnoscere, quibus alia effigies ejus apparuerat. Quomodo ergo eum agnoverint, ut nuntiare possent, Marcus sine dubio prætermisit. Quod ideo memoriæ commendandum est, ut assuescimus advertere Evangelistarum morem ita prætermittentium quæ non commemorant, et conjungentium quæ commemorant, ut eis qui usum in hac consideratione non habent, non aliunde maxime error oriatur, quo putent eos non sibi congruere.

74. Lucas ergo sequitur, et dicit: « Dum hæc autem loquuntur, Jesus stetit in medio eorum, et dicit eis: Pax vobis; ego sum, nolite timere. Conturbati vero et confertiti existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes meos, quia ipse ego sum: palpate, et videte, quia spiritus carnum et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. » Hanc ostensionem Domini post resurrectionem intelligitur at Joannes commemorare, sic loquens: « Cum esset ergo sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dicit eis: Pax vobis. Et hoc cum dixisset, ostendit eis manus et latera. » Ac per hoc his verbis Joannes possunt conjungi ea quæ Lucas dicit, idem autem Joannes prætermittit. Ita enim Lucas sequitur: « Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. » His item verbis possunt adjungi quæ Lucas taceat, dicit autem Joannes: « Gavisi sunt ergo discipuli

viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis; sicut misit me Pater et ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum detinueritis, detenta sunt. » Illis rursus adjungamus quæ Joannes prætermisit, Lucas commemorat: « Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia; et prædicari in nomine ejus penitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem: vos autem estis testes horum. Et ego mitto <sup>1</sup> promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtutem ex alto. » Ecce quomodo commemoravit et Lucas promissionem Spiritus sancti, quam non invenimus a Domino factam, nisi in Evangelio Joannis (*Joan. xiv, 26, et xv, 26*). Quod non prætereunter advertendum est, ut meminerimus quemadmodum sibi Evangelistæ invicem attestantur de quibusdam etiam quæ ipsi non dicunt, et tamen dicta noverunt. Post hæc Lucas quæ gesta sunt omnia prætermittit, nec omnino commemorat, nisi quando Jesus ascendit in cælum: atque id tamen ita conjungit quasi hoc sequatur hæc verba quæ dixit, cum hoc gestum sit una sabbatorum, quo die Dominus resurrexit; illud autem quadragesimo die, sicut idem ipse Lucas in Apostolorum Actibus narrat (*Act. 1, 2-9*). Quod autem dicit Joannes, non cum illis fuisse tunc apostolum Thomam, cum secundum Lucam duo illi, quorum erat unus Cleophas, regressi Jerusalem, invenerint congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant; procul dubio intelligendum est quod inde Thomas exierit, antequam eis Dominus hæc loquentibus appareret.

75. Hinc jam Joannes aliam commemorat sui demonstrationem a Domino discipulis factam post dies octo, ubi erat et Thomas qui prius eum non viderat. « Et post dies octo, » inquit, « iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis: venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et asser manum tuam, et mitte in latera meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas et dixit ei: Dominus meus et Deus meus. Dicit ei Jesus: Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt. » Hanc secundam Domini visionem erga discipulos factam, id est quam secundo loco Joannes commemorat, apud Marcum possemus agnoscere, breviter eam sicuti assolet perstringentem, nisi moveret quod ibi ait, *Novissime recumbantibus illis undecim apparuit*: non ideo quia Joannes tacuit recumbentes, potuit enim hoc prætermittere; sed quia iste dixit, *Novissime*, quasi ultra jam non eis apparuerit; cum adhuc Joannes tertiam sit ejus narraturus demonstra-

<sup>1</sup> Sic Mas. juxta græc., *apostellò*. At editi habent *future tempore, mittam*.

tionem ad mare Tiberiadis : deinde quod dicit idem Marcus, Exprobrans illis incredulitatem illorum, et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderant : illis videlicet duobus, quibus in villam euntibus apparuit, posteaquam resurrexit; et Petro, cui primitus eum apparuisse apud Lucam investigatum est; fortasse et Mariæ Magdalenaë, et aliis mulieribus quæ cum illa erant, quando eis et ad monumentum apparuit, et inde redeuntibus in itinere occurrit. Nam ita contexit narrationem idem Marcus, cum commemorasset breviter de duobus illis, quibus apparuit in villam euntibus, quod nuntiassent cæteris, nec illis creditum esset : *Novissime, inquit, recumbentibus illis undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderant.* Quomodo ergo novissime, quasi jam ultra cum non viderint? Novissimum quippe illud est, quo Dominum Apostoli in terra viderunt, quando ascendit in cælum; quod factum est quadragesimo die post ejus resurrectionem. Numquidnam tunc exprobraturus erat quod non credidissent eis qui eum viderant resurrexisse, quando jam et ipsi post resurrectionem toties eum viderant, et maxime ipso die resurrectionis ejus, id est una sabbati jam circa noctem, sicut Lucas Joannesque commemorant? Remanet igitur ut intelligamus eundem diem resurrectionis ejus, id est unam sabbati, quando eum post diluculum vidit Maria et aliæ cum illa mulieres, quando etiam Petrus, quando et illi duo quorum unus erat Cleophas, quos videtur etiam idem Marcus commemorare, quando jam circa noctem illi undecim (præter Thomam) et qui cum eis erant, quando eis et isti quod viderant narra-verunt, nunc etiam Marcum more suo breviter commemorare voluisse; et ideo dixisse, *Novissime*, quia ipso die hoc novissimum fuit, jam incipiente nocturno tempore, posteaquam illi de castello, ubi eum in fractione panis agnoverant, redierunt in Jerusalem, et invenerunt, sicut dicit Lucas, illos undecim, et eos qui cum illis erant, jam colloquentes de resurrectione Domini, et quod visus fuerit Petro : quibus et ipsi narra-verunt quod in via gestum erat, et quomodo eum cognoverint in fractione panis. Sed erant ibi utique non credentes : unde verum est quod Marcus dicit, *Nec illis crediderunt.* Illis ergo jam, sicut Marcus dicit, discumbentibus, et adhuc inde, sicut Lucas dicit, loquentibus, stetit in medio eorum Dominus, et ait illis, *Pax vobis*, sicut Lucas et Joannes : fores autem clausæ erant, cum ad eos intravit, quod solus Joannes commemorat. Verbis itaque Domini quæ tunc eum locutum esse discipulis Lucas Joannesque dixerunt, interponitur et illa exprobratio de qua Marcus dicit, quod non crediderint eis qui eum resurrexisse viderant.

76. Sed hoc rursus movet, quomodo discumbentibus undecim dicit Dominum apparuisse Marcus, si illud tempus est diei dominici jam noctis initio, quod Lucas Joannesque ineminerunt. A parte quippe Joannes dicit non cum eis tunc fuisse apostolum Thomam, quem credimus exiisse inde antequam Dominus ad eos intraret, posteaquam illi duo redeuntes de ca-

stello cum ipsis undecim collocti sunt, sicut apud Lucam invenitur. Sed Lucas in sua narratione dat locum quo possit intelligi, dum hæc loquerentur, prius inde exiisse Thomam, et postea Dominum intrasse. Marcus autem qui dicit, *Novissime recumbentibus illis undecim apparuit*, etiam Thomam illic fuisse cogit fateri. Nisi forte, quamvis uno absente, undecim tamen voluit appellare, quia eadem tunc apostolica societas hoc numero nuncupabatur, antequam Matthias in locum Judæ subrogaretur. Aut si hoc durum est sic accipere, illud ergo accipiamus, post multas demonstrationes ejus quibus per dies quadraginta discipulis præsentatus est, eum etiam novissime recumbentibus illis undecim apparuisse, id est ipso quadragesimo die : et quoniam jam erat ab eis ascensurus in cælum, hoc eis illo die maxime exprobrare voluisse, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderant, antequam ipsi eum viderent; eum utique post ascensionem suam prædicantibus illis Evangelium, etiam gentes quod non viderunt fuerant credituræ. Post illam quippe exprobrationem, secutus ait idem Marcus : *Et dixit eis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ : qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Hoc ergo prædicaturi, quoniam qui non crediderit condemnabitur, cum id utique non crediderit quod non vidit; nonne ipsi primitus fuerant objurgandi, quod antequam Dominum viderent, non crediderunt eis quibus prius apparuisset?

77. Hanc autem novissimam fuisse corporaliter in terra representationem Domini Apostolis etiam illud admonet ut credamus, quod ita sequitur idem Marcus : *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis; serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægrotos manus imponent, et bene habebunt.* Deinde subjungit : *Et Dominus quidem postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, et sedit a dextris Dei. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Cum ergo dicit, *Et Dominus quidem postquam locutus est eis, assumptus est in cælum*; satis videtur ostendere novissimum cum illis in terra hunc eum habuisse sermonem : quamvis non omnimodo ad id coarctare videatur. Non enim ait, Postquam hæc locutus est eis; sed, *postquam locutus est eis* : unde admittit, si necessitas cogeret, non istam fuisse novissimam locutionem, nec istum fuisse novissimum diem quo eis in terra præsens fuit, sed ad omnia quæ cum eis omnibus illis diebus locutus est, posse pertinere quod dictum est, *postquam locutus est eis, assumptus est in cælum.* Sed quia ea quæ supra diximus, magis suadent hunc novissimum diem fuisse, quam ut intelligantur undecim qui Thoma absente decem fuerunt; ideo post hanc locutionem quam Marcus commemorat, adjunctis etiam consequenter illis verbis, vel discipulorum vel ipsius, quæ commemorantur in Actibus Apostolorum (Act. 1, 4-8), credendum est assumptum Dominum in cælum, quæ

dragesimo scilicet die post diem resurrectionis ejus.

78. Joannes autem, quamvis fateatur multa se prætermisisse quæ fecit Jesus, voluit tamen etiam tertiam ejus repræsentationem discipulis post resurrectionem factam commemorare ad mare Tiberiadis, septem scilicet discipulis, Petro, Thomæ, Nathanaeli, filii Zebedæi, et aliis duobus quos nominatim non expressit, cum piscarentur; quando jussu ejus retia mittentes in dextram partem, extraxerunt magnos pisces centum quinquaginta tres; quando etiam Petrum ter interrogavit utrum ab illo amaretur, et ei pascendas commendavit oves suas, et de ejus ipsius passione prædixit, et de ipso Joanne ait, Sic <sup>1</sup> eum volo manere donec veniam. Ad hoc Joannes Evangelium suum terminavit.

79. Jam nunc quærendum est quando primum visus sit a discipulis in Galilæa; quia et hoc quod tertio narrat Joannes, in Galilæa factum est ad mare Tiberiadis: quod facile videt qui recolit illud miraculum de quinque panibus, quod ita narrare incipit idem Joannes: *Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est, Tiberiadis (Joan. vi, 1).* Ubi autem putari potest primum a discipulis post resurrectionem videri debuisse, nisi in Galilæa? si recolantur verba illius angeli qui secundum Matthæum venientibus ad monumentum mulieribus ita loquitur, *Nolite timere, vos: scio enim quod Jesum qui crucifixus est quæritis; non est hic, surrexit enim sicut dixit: venite, et videte locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite discipulis ejus quia surrexit; et ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis: ecce dixi vobis:* item secundum Marcum, sive ipse sit angelus sive alius, *Nolite, inquit, expavescere: Jesum quæritis Nazarenum crucifixum; surrexit, non est hic: ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis sicut dixi vobis?* Hæc verba ita videntur sonare, quod Jesus non erat se demonstraturus post resurrectionem discipulis, nisi in Galilæa. Quam demonstrationem nec ipse Marcus commemoravit, qui eum dixit mane prima sabbati apparuisse primo Mariæ Magdalenzæ, et illam nuntiasse discipulis, his qui cum eo fuerant lugentibus et stentibus; illos autem non credidisse: post hæc deinde duobus ex his apparuisse euntibus in villam, et illos cæteris nuntiasse; quod factum est, sicut Lucas et Joannes coattestantur, in Jerusalem, eodem ipso die resurrectionis, jam noctis initio: deinde venit ad illam ejus manifestationem, quam novissimam dicit, recumbentibus illis undecim: post hæc dicit eum assumptum in cælum; quod factum scimus in monte Oliveti, non longe ab Jerusalem: nusquam igitur commemorat Marcus completum quod ab angelo prænuntiatum esse testatur. Matthæus vero nihil aliud dicit, nec ullum alium locum omnino commemorat, vel ante vel postea, ubi discipuli, posteaquam resurrexit, viderint Dominum, nisi in

<sup>1</sup> Lov., si; juxta textum græcum em. At Rat. Er. et omnes MSS., sic: atque Augustinum ita legisse patet infra, lib. 4, s. 30.

Galilæa secundum angeli prædicti nomen. Denique cum insinuasset quid ab angelo mulieribus dictum sit, et illis abeuntibus subjecisset quid de corruptis ad mentendum custodibus gestum sit; continuo tanquam nihil aliud sequeretur (quia et revera sic erat dictum ab angelo, *Surrexit, et ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis*, ut nihil aliud sequi debuisset videatur), *Undecim autem, inquit, discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus: et videntes eum, adoraverunt; quidam autem dubitaverunt. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra: cuntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ita Matthæus clausit Evangelium suum.

80. Ac per hoc, si aliorum considerata narrationes ad diligentiorum inquisitionem non compellerent, nihil aliud arbitrarem nisi Dominum post resurrectionem nusquam præter in Galilæa primum esse a discipulis visum. Item, si Marcus de illa prænuntiatione angeli tacuisset, posset cuiquam putari Matthæus ideo dixisse discipulos abiisse in Galilæam in montem, atque ibi adorasse Dominum, ut impletum videretur quod ipse per angelum mandatum ac prænuntiatum esse narraverat. Nunc autem et Lucas et Joannes satis dilucide manifestantes ipso die resurrectionis ejus visum esse Dominum in Jerusalem a discipulis suis, unde ita longe est Galilæa, ut uno die ab eis utroque loco videri non posset; et Marcus illam quidem prædictionem angeli similiter narrans, in Galilæa vero visum a discipulis Dominum post resurrectionem nusquam commemorans: vehementer cogunt quærere quemadmodum dictum sit, *Ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis.* Nam et ipse Matthæus si omnino non diceret undecim discipulos abiisse in montem in Galilæam, ubi constituerat eis Jesus, et illic eum vidisse atque adorasse, nihil ex hac prædictione completum ad litteram putarem, sed totum figurata significatione prædictum: sicut illud secundum Lucam, *Ecce hodie et cras ejicio demonia, et sanitates perficio, et tertia consummor;* quod ad litteram certum est non esse completum (a). Item si angelus dixisset, *Præcedit vos in Galilæam; ibi primum eum videbitis; aut, ibi tantum eum videbitis; aut, non nisi ibi eum videbitis;* cæteris Evangelistis Matthæus sine dubio repugnaret: cum vero dictum est, *Ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis;* nec expressum est quando id futurum esset, utrum quamprimum antequam alibi ab eis visus esset; an posteaquam eum alicubi etiam præterquam in Galilæa vidissent: idque ipsum quod discipulos Matthæus dicit esse in Galilæam in montem, non exprimit diem, nec narrandi ordinem ita contexit, ut necessitatem ingerat nihil aliud intelligendi, quam hoc primitus factum: non adversatur quidem narrationibus cæterorum, et dat eis intelligendis atque accipiendis locum; verumtamen quod

(a) vide supra, lib. 2, cap. 73, n. 115.

Dominus non ubi primum se demonstraturus erat, sed in Galilæa, ubi necessario postea visus est, se videndum mandavit, et per angelum dicentem, *Ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis*; et per seipsum dicens, *ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam; ibi me videbunt*; quemvis fidelem facit intentum ad quærendum in quo mysterio dictum intelligatur.

81. Sed prius considerandum est quando etiam corporaliter in Galilæa videri potuerit, dicente Matthæo: *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus: et videntes eum adoraverunt; quidam autem dubitaverunt*. Quia enim non ipso die quo resurrexit manifestum est: nam in Jerusalem visum esse eo die initio noctis Lucas et Joannes apertissime consonant; Marcus autem non aperte. Quando ergo viderunt Dominum in Galilæa? non secundum id quod dicit Joannes, ad mare Tiberiadis; tunc enim septem fuerunt, et piscantes inventi sunt: sed secundum id quod dicit Matthæus, ubi erant undecim in monte, quo eos secundum prædictionem angeli Jesus præcesserat. Nam ita narrare apparet, quod illic eum repererint, quia utique secundum constitutum præcesserat. Non ergo ipso die quo resurrexit, neque in consequentibus octo diebus, post quos dicit Joannes discipulis apparuisse se Dominum, ubi eum primo vidit Thomas, qui eum non viderat die resurrectionis ejus. Nam utique si intra eosdem octo dies eum in monte Galilææ jam illi undecim viderant, quomodo post octo dies eum primum vidit Thomas, qui in illis undecim fuerat? Nisi quis dicat non illos undecim qui jam tunc Apostoli vocabantur, sed discipulos illic undecim fuisse, ex multo numero discipulorum. Soli quippe adhuc vocabantur Apostoli illi undecim, sed non soli erant discipuli. Potest ergo fieri ut non omnes, sed aliqui eorum ibi fuerint; alij vero discipuli cum eis, ita ut undecim completerentur: ac sic non ibi fuisse Thomam, qui post illos dies octo primo Dominum vidit. Marcus quippe quando illos undecim memoravit, non utrumque undecim, sed *illis*, inquit, *undecim apparuit*. Lucas etiam, *Regressi sunt*, inquit, *Jerusalem, et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant*. Et iste ostendit illos undecim, hoc est, Apostolos fuisse. Nam cum adjunxit, *et eos qui cum ipsis erant*; satis utique declaravit eminentius illos undecim appellatos cum quibus erant cæteri: ac per hoc illi intelliguntur qui jam vocabantur Apostoli. Hoc proinde fieri potuit, ut ex numero Apostolorum et aliorum discipulorum, undecim discipuli completerentur, qui viderint intra illos octo dies in Galilææ monte Jesum.

82. Sed occurrit aliud quod obsistat: Joannes enim quando commemoravit non in monte ab undecim, sed ad mare Tiberiadis a septem piscantibus visum esse Dominum, *Hoc jam tertio*, inquit, *manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis*. Si autem acceperimus intra illos octo dies, antequam Thomas eum vidisset, ab undecim quibusque discipulis Dominum visum; non erit hoc ad mare Tiberiadis tertio mani-

festatum esse, sed quarto. Quod quidem cavendum est, ne quis existimet tertio Joannem dixisse, tanquam tres solæ factæ fuerint manifestationes ejus: sed hoc intelligendus est ad numerum dierum retulisse, non ad numerum ipsarum manifestationum; nec continuorum dierum, sed per intervalla, sicut idem ipse testatur. Nam primo ipso die resurrectionis suæ, excepto quod a mulieribus visus est, id est quod in Evangelio claret, ter se manifestavit; semel Petro, iterum duobus illis quorum unus erat Cleophas, tertio plurimis jam inde colloquentibus noctis exordio: sed hoc totum Joannes ad unum diem referens semel computat; iterum autem, hoc est alio die, quando eum vidit et Thomas; tertio vero ad mare Tiberiadis, hoc est tertio die manifestationis ejus, non tertia manifestatione. Ac per hoc post hæc omnia cogimur intelligere factum esse, quod eum in monte Galilææ secundum Matthæum discipuli undecim viderunt, quo eos secundum constitutum præcesserat, ut impleretur etiam ad litteram quod et per angelum et per seipsum prædixerat.

83. Invenimus itaque apud quatuor Evangelistas decies commemoratum Dominum visum esse ab hominibus post resurrectionem. Semel, ad monumentum mulieribus (*Joan. xx, 14*). Iterum, eisdem regredientibus a monumento in itinere (*Matth. xxviii, 9*). Tertio, Petro (*Luc. xxiv, 35*). Quarto, duobus euntibus in castellum (*Ibid. 15*). Quinto, pluribus in Jerusalem ubi non erat Thomas (*Joan. xx, 19-24*). Sexto, ubi eum vidit Thomas (*Ibid. 26*). Septimo, ad mare Tiberiadis (*Id. xxi, 1*). Octavo, in monte Galilææ, secundum Matthæum (*Matth. xxviii, 16, 17*). Nono, quod dicit Marcus, *Novissime recumbentibus*, quia jam non erant in terra cum illo convivaturi (*Marc. xvi, 14*). Decimo, in ipso die, non jam in terra, sed elevatum in nube, cum in cælum ascenderet; quod Marcus et Lucas commemorant: Marcus quidem post illud, quod eis discumbentibus apparuit, ita continuans ut diceret: *Et Dominus quidem postquam locutus est eis, assumptus est in cælum* (*Ibid. 19*): Lucas autem prætermisiss omnibus quæ per quadraginta dies agi ab illo cum discipulis potuerunt, illi primo diei resurrectionis ejus quando in Jerusalem pluribus apparuit, conjungit tacite novissimum diem quo ascendit in cælum, ita narrans: *Eduxit autem illos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis benedixit eis: et factum est, cum benediceret eis, recessit ab eis, et ferebatur in cælum* (*Luc. xxiv, 50, 51*). Viderunt ergo eum præter quod in terra viderant, etiam dum ferretur in cælum. Toties ergo in evangelicis Libris commemoratus est ab hominibus visus, antequam ascendisset in cælum; in terra scilicet novies, et in aere semel ascendens.

84. Sed non omnia scripta sunt, sicut Joannes testatur (*Joan. xxi, 25*). Crebra enim erat ejus cum illis conversatio per dies quadraginta, priusquam ascendisset in cælum (*Act. 1, 3*): non tamen eis per omnes quadraginta dies continuos apparuerat. Nam post diem primum resurrectionis ejus, alios octo dies intervenisse dicit Joannes, post quos eis rursus apparuit. Tertio autem ad mare Tiberiadis, fortassis continuo con-

quenti die; nihil enim repugnat: et deinde quando voluit, constituens eis, quod et ante prædixerat, ut eos in Galilææ montem præcederet: atque omnino per illos quadraginta dies quoties voluit, quibus voluit, quemadmodum voluit; sicut Petrus dicit, quando cum Cornelio et iis qui cum illo fuerant, prædicabat, *Qui simul, inquit, manducavimus et bibimus cum illo, posteaquam resurrexit a mortuis, per dies quadraginta* (Act. x, 41): non quod quotidie per dies quadraginta cum illo manducassent et bibissent; nam erit contrarium Joanni, qui octo illos dies interposuit quibus eis visus non est, ut tertio manifestaretur ad mare Tiberiadis. Inde jam etiamsi quotidie illis visus et cum illis convivatus est, nihil repugnat. Et fortasse ideo dictum est, *per quadraginta dies*, qui quater deni sunt in mysterio vel totius mundi vel totius temporalis sæculi, quia et illi primi decem dies, in quibus erant illi octo dies, a parte totum possunt more Scripturarum non dissone computari.

85. Conferatur ergo et quod ait apostolus Paulus, utrum nihil afferat questionis: *Resurrexit, inquit, tertio die secundum Scripturas, et apparuit Cephæ*. Non dixit, Primo apparuit Cephæ; nam esset contrarium, quod primo mulieribus apparuisse in Evangelio legitur. *Postea, inquit, duodecim*<sup>1</sup>: quibuslibet, qua hora libet, ipso tamen resurrectionis die. Deinde *apparuit plusquam quingentis fratribus simul*: sive isti cum illis undecim erant congregati clausis ostiis propter metum Judæorum, unde cum exiisset Thomas, venit ad eos Jesus; sive post octo illos dies quando libet; nihil habet adversi. *Postea, inquit, apparuit Jacobo*: non tunc autem primum accipere debemus visum esse Jacobo, sed aliqua propria manifestatione singulariter. *Deinde Apostolis omnibus*: nec illis tunc primum, sed jam ut familiaribus conversaretur cum eis usque ad diem ascensionis suæ. *Novissime autem omnium, inquit, quasi abortivo apparuit et mihi* (1 Cor. xv, 4-8): sed hoc jam de cælo post non parvum tempus ascensionis suæ.

86. Nunc jam videamus quod distuleramus, cujus mysterii gratia secundum Matthæum et Marcum resurgens ita mandaverit, *Præcedam vos in Galilæam; ibi me videbitis* (Matth. xxvi, 52, xxviii, 7, et Marc. xiv, 28, xvi, 7): quod et si completum est, tamen post multa completum est, cum sic mandatum sit (quanquam siue præjudicio necessitatis), ut aut hoc

solum, aut hoc primum exspectaretur fieri debuisset. Procul dubio ergo quoniam vox est ista non Evangelistæ narrantis quod ita factum sit, sed angeli ex mandato Domini et ipsius postea Domini, Evangelistæ autem narrantis, sed quod ita ab angelo et a Domino dictum sit, propheticè dictum accipiendum est. Galilæa namque interpretatur vel Transmigratio, vel Revelatio. Prius itaque secundum transmigratiois significationem, quid aliud occurrit intelligendum, *Præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis*; nisi quia Christi gratia de populo Israel transmigratura erat ad Gentes? Quibus Apostoli prædicantes Evangelium nullo modo crederentur, nisi eis ipse Dominus viam in cordibus hominum præpararet: et hoc intelligitur, *Præcedit vos in Galilæam*. Quod autem gaudentes mirarentur disruptis et evictis difficultatibus, aperiri sibi ostium in Domino per illuminationem fidelium; hoc intelligitur, *ibi eum videbitis*, id est, ibi ejus membra invenietis, ibi vivum corpus ejus in iis qui vos susceperint agnoscetis. Secundum illud autem quod Galilæa interpretatur Revelatio, non jam in forma servi intelligendum est, sed in illa in qua æqualis est Patri (Philipp. ii, 6, 7): quam promissit apud Joannem dilectoribus suis, cum diceret, *Et ego diligam eum, et ostendam me ipsum illi* (Joan. xiv, 21). Non utique secundum id quod jam videbant, et quod etiam resurgens cum cicatricibus, non solum videndum, sed etiam tangendum postmodum ostendit: sed secundum illam ineffabilem lucem, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, secundum quam lucet in tenebris, et tenebræ eum non comprehendunt (Id. i, 9, 5). Illuc nos præcessit, unde ad nos veniens non recessit, et quo nos præcedens non deseruit. Illa erit revelatio tanquam vera Galilæa, cum similes ei erimus; ibi eum videbimus sicuti est (1 Joan. iii, 2). Ipsa erit etiam beatorum transmigratio ex isto sæculo in illam æternitatem, si ejus præcepta sic amplectamur, ut ad ejus dexteram segregari mereamur. Tunc enim ibunt sinistri in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam (Matth. xxv, 33, 46). Hinc illuc transmigrabunt, et ibi eum videbunt, quomodo non vident Impii. Tolle tur enim impius, ut non videat claritatem Domini (Isai. xxvi, 10): et impii lumen non videbunt. *Hæc est autem, inquit, vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem nūcisti Jesum Christum* (Joan. xvii, 3); sicut in illa æternitate cognoscetur, quo servos perducet per formam servi, ut liberi contemplantur formam Domini.

<sup>1</sup> Lov., undecim. At Mss. in hoc Apostoli testimonio habent constanter, *duodecim*; consentientibus hic loci editionibus Rat. et Er., licet iidem Mss. codices paulo post ferant, *cum illis undecim*.

## LIBER QUARTUS.

De iis quæ peculiariter sunt Marci, Luce et Joannis.

PROLOCUS. — 1. Nunc quoniam Matthæi narrationem contextim considerantes, et ei tres alios confrentes usque in finem, in nullo eos vel sibi vel inter se repugnare docuimus, Marcum similiter videamus; ut exceptis iis quæ cum Matthæo dixit, de quibus jam quod disserendum videbatur absolvimus, cætera ejus in-

specta atque collata, nulli eorum repugnare monstrentur usque ad cœnam Domini. Nam inde jam omnia omnium quatuor quemadmodum sibi conveniant usque in finem considerata tractavimus.

CAPUT PRIMUM. — In Evangelio Marci, exceptis his quæ cum Matthæo dixit, quomodo nulla repugnantia

demonstretur ab initio usque ad illud ubi ait, Et ingrediuntur Capharnaum, et statim sabbatis docebat eos : quod cum Luca dicit.

2. Sic ergo incipit Marcus : *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaiâ propheta, etc., usque ad illud ubi ait, Et ingrediuntur Capharnaum, et statim sabbatis ingressus synagogam docebat eos (Marc. i, 1-21).* In hac tota contextione omnia superiora cum Matthæo considerata sunt : hoc autem Marcus quia ingressus Capharnaum in synagogam eorum docebat eos sabbatis, cum Luca dixit (*Luc. iv, 31*) ; sed nihil habet quæstionis.

CAPUT II. — *De homine a quo spiritus immundus ejectus est convexans eum, quomodo Lucæ qui hoc cum eo dixit, non repugnet.*

3. Sequitur Marcus, et dicit : *Et stupebant super doctrina ejus : erat enim docens eos quasi potestatem habens, et non sicut Scribæ. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, et exclamavit, dicens : Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos, etc., usque ad eum locum ubi ait, Et erat prædicans in synagoga eorum, et in omni Galilæa, et dæmonia ejiciens (Marc. i, 22-39).* Et in hoc toto loco quamvis sint quædam, quæ cum solo Luca dixit, tamen jam tractata sunt, cum Matthæi narrationem continuam teneremus ; quia in ipsum ordinem sic incurrerant, ut ea præmittenda non arbitrarent. Sed Lucas de spiritu immundo ait quod sic exierit ab homine, ut nihil ei noceret : Marcus autem, *Et discernens eum, inquit, spiritus immundus, exclamans voce magna, exiit ab eo.* Potest ergo videri contrarium : quomodo enim discernens, vel, sicut aliqui codices habent, *convexans eum*, cui nihil nocuit secundum Lucam ? Sed et ipse Lucas, *Et cum projecisset illum, inquit, dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque ei nocuit (Luc. iv, 33-35).* Unde intelligitur hoc dixisse Marcum, *convexans eum*, quod Lucas dixit, *cum projecisset eum in medium* : ut quod secutus ait, *nihilque ei nocuit*, hoc intelligatur, quia illa jactatio membrorum atque vexatio non eum debilitavit, sicut solent exire dæmonia, etiam quibusdam membris amota vexatione ellis<sup>1</sup>.

CAPUT III. — *De nomine Petri, quomodo etiam atque etiam commendatur, non repugnans Joanni, qui dixit quando hoc nomen accepit.*

4. Sequitur idem Marcus : *Et venit ad eum leprosus deprecans eum, et genu flexo dixit : Si vis, potes me mundare, etc., usque ad illud ubi ait, Et clamabant dicentes : Tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum (Marc. i, 40 ; iii, 12).* Huic quod ultimum posuimus simile aliquid et Lucas dicit, sed sine aliqua repugnantia quæstione (*Luc. iv, 41*). Sequitur Marcus : *Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse, et venerunt ad eum : et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare ; et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi dæmonia. Et imposuit Simoni nomen Petrus, etc., usque*

<sup>1</sup> *ms. septem, membris amputatis aut evulsis. Alii aut vitæ.*

ad illud ubi ait, *Et abiit, et cepit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Jesus, et omnes mirabantur (Marc. iii ; v, 20).* De nominibus discipulorum jam et antea me locutum scio, cum Matthæi sequerer ordinem (*Supra, lib. 2, c. 17 et 53*) ; et hic rursus admonéo, ne quisquam putet nunc accepisse nomen Simonem, ut Petrus vocaretur, et sit contrarium Joanni qui longe ante illi dictum esse commemorat, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus (Joan. i, 42)* : ipsa enim verba Domini commemoravit, quibus ei nomen imposuit ; Marcus autem hoc loco id recapitulando commemoravit, cum ait, *Et imposuit Simoni nomen Petrus.* Cum enim vellet nomina duodecim Apostolorum enumerare, et necesse haberet Petrum dicere, breviter insinuare voluit quod non hoc antea vocaretur, sed hoc ei Dominus nomen imposuerit, non tunc, sed quando Joannes ipsa verba Domini posuit. Cætera nihil cuiquam repugnant, et antea jam pertractata sunt.

CAPUT IV. — *Quod dixit, Quanto magis eis præcipiebat ut tacerent, tanto magis plus dicebant, quomodo non repugnet præscientiæ ipsius, quæ in Evangelio commendatur.*

5. Sequitur Marcus : *Et cum transcendisset Jesus in navi rursus trans fretum, convenit turba multa ad illum, et erat circa mare, etc., usque ad illud ubi ait, Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt illi omnia quæ egerant et docuerant (Marc. v, 21 ; vi, 30).* Hoc ultimum dixit cum Luca, nihilo discordans (*Luc. ix, 10*) : cætera jam ante tractata sunt. Sequitur Marcus : *Et ait illis : venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum, etc., usque ad illud ubi ait, Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, et eo amplius admirabantur, dicentes : Bene omnia fecit ; et surdos fecit audire, et mutos loqui (Marc. vi, 31, vii, 37).* In his cum Luca Marcus nihil est quod repugnare videatur : et superiora omnia jam consideravimus, quando eos Matthæo conferebamus. Sed cavendum est ne quisquam arbitretur, hoc quod in ultimo ex Evangelio Marci posui, repugnare omnibus qui eum aliis ejus plerisque factis et dictis ostendunt scisse quid ageretur in hominibus, id est, quod eum cogitationes et voluntates eorum latere non poterant : sicut apertissime Joannes dicit, *Ipsæ autem Jesus non credebant semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine (Joan. ii, 24-25).* Sed quid mirum si præsentis hominum voluntates videbat, qui etiam futuram<sup>1</sup> Petro prænuntiavit, quam tunc utique non habebat, quando pro illo vel cum illo paratum se mori præsumebat (*Math. xxvi, 33-35*) ? Quæ cum ita sint, quomodo huic ejus tantæ scientiæ et præscientiæ non est contrarium quod Marcus dicit, *Præcepit illis ne cui dicerent : quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant* ? Si enim sciebat eos, sicut ille qui notas habebat et præsentis et futuras hominum

<sup>1</sup> *Editi, futuram negationem. At *ms.* non addunt, negationem, cujus loco subaudiendum est, voluntatem.*

voluntates, tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat; ut quid hoc præcipiebat? Nisi quia pigris volebat ostendere, quanto studiosius quantoque ferventius cum prædicare debeant, quibus jubet ut prædicent, quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant.

CAPUT V. — *De quo suggestit Joannes, quod in nomine ejus ejiceret dæmonia non sociatus discipulis, et dixit, Nolite prohibere eos: qui enim contra vos non est, pro vobis est; quomodo non repugnet illi sententiæ ubi ait, Qui non est mecum, adversus me est.*

6. Sequitur Marcus: « In illis diebus iterum cum turba multa esset<sup>1</sup>, nec haberent quod manducarent, » etc., usque ad illud ubi ait, « Respondit illi Joannes dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nobiscum, et prohibuimus eum. Jesus autem ait: Nolite prohibere eum: nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me; qui enim non est adversus vos, pro vobis est » (*Marc. viii, 1; ix, 39*). Hoc Lucas similiter narrat (*Luc. ix, 49, 50*), nisi quod ipse non dicit, « Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me: » nulla est ergo inter eos quæstio cujusquam repugnantia. Sed videndum est ne hoc illi sententiæ Domini putetur contrarium ubi ait, *Qui mecum non est, adversus me est; et qui mecum non colligit, spargit* (*Matth. xii, 30, et Luc. xi, 23*). Quomodo enim iste non erat adversus eum, qui cum illo non erat, de quo Joannes suggestit quod cum illis eum non sequebatur, si adversus illum est qui non est cum illo? aut si adversus illum erat, quomodo dicit discipulis, *Nolite prohibere: qui enim non est adversus vos, pro vobis est*? An hoc interesse aliquis dicet, quia hic discipulis ait, *Qui non est adversus vos, pro vobis est*; ibi autem de seipso locutus est, *Qui mecum non est, adversus me est*? Quasi vero possit cum illo non esse qui discipulis ejus tanquam membris ejus sociatur: alioquin quomodo verum erit, *Qui vos recipit, me recipit* (*Matth. x, 40*); et, *Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Id. xxv, 40*)? aut potest etiam non esse adversus eum, qui fuerit adversus discipulos ejus? Nam ubi erit illud, *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc. x, 16*); et, *Quando uni ex minimis meis non fecistis, neque mihi fecistis* (*Matth. xxv, 45*); et, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act. ix, 4*)? cum discipulos ejus persequeretur? Sed nimirum hoc vult intelligi, in tantum cum illo non esse aliquem, in quantum est adversus illum; et in tantum adversus illum non esse, in quantum cum illo est. Exempli gratia, sicut iste ipse qui in nomine Christi virtutes faciebat et in societate discipulorum Christi non erat, in quantum operabatur virtutes in illius nomine, in tantum cum ipsis erat, et adversus eos non erat; in quantum vero eorum societati non adhærebat, in tantum cum ipsis non erat, et adversus eos erat. Sed quia illi hoc eum facere prohibuerant, in quo cum ip-

<sup>1</sup> In editis addebatur, *cum Jesu*: quod a Mss. et a sacris Bibliis abest.

sis erat, dixit eis Dominus, *Nolite prohibere*. Illud enim prohibere debuerunt, quod extra eorum erat societatem, ut illi unitatem Ecclesiæ suaderent; non illud in quo cum illis erat, nomen scilicet Magistri et Domini eorum in dæmoniorum expulsionem commendans. Sicut catholica Ecclesia facit, non improbens in hæreticis Sacramenta communia; in his enim nobiscum sunt, et adversus nos non sunt: sed improbat et prohibet divisionem ac separationem, vel aliquam adversam paci veritatique sententiam; in hoc enim adversus nos sunt, quia in hoc nobiscum non sunt, et nobiscum non colligunt, et ideo spargunt.

CAPUT VI. — *Quod in occasione hujus qui in nomine Christi ejiciebat dæmonia, quamvis cum discipulis non sequeretur, Marcus amplius quam Lucas Dominum dixisse narravit, quomodo ostendatur ad hoc ipsum pertinere quod illum in nomine suo virtutem facientem vetuit prohiberi.*

7. Sequitur Marcus et dicit: « Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur. Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur, » etc., usque ad illud ubi ait, « Habete in vobis salem, et pacem habete inter vos » (*Marc. ix, 40-49*). Hæc Marcus Dominum locutum, posteaquam illum qui in nomine ejus ejiciebat dæmonia et cum discipulis non eum sequebatur, vetuit prohiberi, contextim commemorat; aliqua ponens quæ nullus alius Evangelistarum posuit, aliqua vero quæ Matthæus quoque posuit, et aliqua itidem quæ et Matthæus et Lucas: sed illi ex aliis occasionibus, et alio rerum ordine, non hoc loco ubi de illo suggestum est, qui cum discipulis Christi non eum sequebatur, et dæmonia in ejus nomine ejiciebat. Unde mihi videtur etiam hoc loco Dominus secundum Marci fidem ideo dixisse quæ aliis etiam locis dixit, quia satis pertinebant ad hanc ipsam ejus sententiam, qua vetuit prohiberi virtutes in nomine suo fieri, etiam ab illo qui cum discipulis eum non sequebatur. Sic enim contextit: *Qui enim non est adversus vos, pro vobis est: quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam*. Unde ostendit etiam illum de quo Joannes suggesterat, et unde iste ejus sermo exortus est, quod non ita separabatur a societate discipulorum, ut eam tanquam hæreticus improbaret: sed sicut solent homines nondum audere Christi suscipere Sacramenta, et tamen nomini favere christiano, ita ut Christianos etiam suscipiant, et non ob aliud eis, nisi quia christiani sunt, obsequantur, de qualibus dicit, quod non perdunt mercedem suam. Non quia jam tuti atque securi sibi debent videri ex hac benevolentia, quam erga Christianos habent, etiamsi Christi baptismo non



abluantur, nec unitati ejus incorporentur : sed quia ita jam Dei misericordia gubernantur, ut ad ea<sup>1</sup> quoque perveniant, atque ita securi de hoc sæculo abscendant. Qui profecto, et priusquam Christianorum numero socientur, utiliores sunt, quam ii qui cum jam christiani appellentur, et christianis Sacramentis imbuti sint, talia suadent, ut quibus ea persuaserint secum in æternam pœnam pertrahant : quos membrorum corporalium nomine tanquam manum vel oculum scandalizantem jubet erui a corpore, hoc est ab ipsa unitatis societate, ut sine his potius veniatur ad vitam, quam cum eis eatur in gehennam. Hoc ipso autem separantur a quibus separantur, quod eis mala suadentibus, hoc est scandalizantibus non consentitur. Et si quidem omnibus bonis, cum quibus eis societas est<sup>2</sup>, etiam de hac perversitate innotescunt, ab omnium penitus societate, atque ab ipsa divinorum Sacramentorum participatione separantur : si autem quibusdam ita noti sunt, pluribus autem ista eorum est ignota perversitas; ita tolerandi sunt, sicut ante ventilationem palea toleratur in area, ut neque illis ad iniquitatis communionem consentiatur, neque propter illos bonorum societas deseratur : hoc faciunt qui habent in seipsis salem, et pacem habent inter se.

**CAPUT VII.** — *Hinc usque ad cœnam Domini unde omnia omnium considerari cœperunt, nullam de Marco quæstionem esse tractatam.*

8. Sequitur Marcus : *Et inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem, et conveniunt iterum turbæ ad eum, et sicut consueverat iterum docebat illos, etc.*, usque ad illud ubi ait, *Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt : hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum (Marc. x, 1; xii, 44).* In hac tota contextione omnia superiora considerata sunt, ne quid viderentur habere contrarium, quando cum Matthæi ordine cæteros conferebamus : hoc autem de vidua paupercula quæ duo minuta misit in gazophylacium, duo soli dicunt, Marcus et Lucas (*Luc. xxi, 1-4*), sed sine ulla quæstione concordant. Hinc jam usque ad cœnam Domini, unde omnium omnia considerata tractavimus, non dicit et Marcus quod cogat cum aliquo comparari, ad inquirendum ne quid repugnare videatur.

**CAPUT VIII.** — *De Lucæ Evangelio, quomodo principium ejus congruat principio libri Actuum Apostolorum.*

9. Nunc ergo deinceps Lucæ Evangelium ex ordine pertractemus, exceptis eis quæ habet cum Matthæo Marcoque communia; quoniam illa jam omnia pertractata sunt. Sic ergo incipit Lucas : *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis : visum est et mihi assecuto a principio omnibus<sup>3</sup> diligenter*

<sup>1</sup> Editi, *ad eam*. At Mss., *ad ea*.

<sup>2</sup> In plerisque Mss., *notitia est*.

<sup>3</sup> Mss. quatuor, *omnia*. Cæteri cum editis habent, *omnibus* : sic etiam antiqua Corbeiensis Biblia; juxta græcum, *pâsin*.

*ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem (Luc. i, 1-4).* Hoc principium ad Evangelii narrationem nondum pertinet. Admonet autem ut noverimus eundem Lucam etiam illum librum scripsisse, qui Actus Apostolorum vocatur, non solum quia Theophili nomen etiam illic inest; nam posset fieri, ut et alius aliquis Theophilus esset, et si idem ipse esset, ab alio ad illum aliquid scriberetur, sicut a Luca Evangelium : sed quia et ibi ita exorsus est ut diceret, *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem quo Apostolis quos elegit<sup>1</sup> per Spiritum sanctum mandans jussit prædicare Evangelium (Act. i, 1 et 2)*; dedit intelligi quod jam scripserit Evangelii librum unum ex quatuor, quorum est in Ecclesia sublimis auctoritas. Nec ideo quia dixit de omnibus se fecisse sermonem, quæ cœpit Jesus facere et docere usque in diem quo mandavit Apostolis, putari debet omnia scripsisse in Evangelio suo quæ Jesus cum Apostolis in terra versatus fecit et dixit; ne sit contrarium Joanni, qui ait multa alia fecisse Jesum, quæ si scriberentur, mundum totum non potuisse capere illos libros (*Joan. xxi, 25*): cum etiam constet ab aliis evangelistis non pauca narrata, quæ Lucas ipse narrando non attigit. De omnibus ergo fecit sermonem, eligendo de omnibus unde faceret sermonem, quæ judicavit apta et congrua sufficere officio dispensationis suæ. Et quod dicit multos conatos ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum, videtur significare nonnullos, qui non potuerunt hoc susceptum munus implere : ideo autem dicit sibi visum esse *ex ordine diligenter scribere, quoniam multi conati sunt*; sed eos debemus accipere, quorum in Ecclesia nulla exstat auctoritas, quia id quod conati sunt, implere minime potuerunt. Iste autem non solum usque ad resurrectionem assumptionemque Domini perduxit narrationem suam, ut in quatuor auctoribus evangelicæ Scripturæ dignum labore suo haberet locum : verum etiam deinceps quæ per Apostolos gesta sunt, quæ sufficere credidit ad ædificandam fidem legentium vel audientium, ita scripsit, ut solus ejus liber fide dignus haberetur in Ecclesia de Apostolorum actibus narrantis, reprobatis omnibus qui non ea fide qua oportuit, facta dictaque Apostolorum ausi sunt scribere. Eo quippe tempore scripserunt Marcus et Lucas, quo non solum ab Ecclesia Christi, verum etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari potuerunt.

**CAPUT IX.** — *Quomodo ostendatur, quod de piscibus captis Lucas commemoravit non pertinere ad illud quod videtur simile Joannes narrasse post Domini resurrectionem, atque inde jam usque ad cœnam Domini, unde omnium omnia usque in finem considerata sunt, nullam etiam ex Evangelio Lucæ tractatam esse quæstionem.*

10. Sic ergo narrare Lucas incipit Evangelium : *Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia; et uxor illi de filiabus*

<sup>1</sup> Ita in aliquot Mss. At in editis, *quo apostolos elegit*.

Aaron, et nomen ejus Elisabeih, etc., usque ad eum locum ubi ait, *Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam* (Luc. 1, 5; v. 4). Hoc totum non habet ullam repugnantiae quaestionem. Joannes quidem videtur simile aliquid dicere, sed illud longe aliud est, quod factum est post resurrectionem Domini ad mare Tiberiadis (Joan. xxi, 1-11). Ibi enim non solum ipsum tempus valde diversum est, sed etiam res ipsa plurimum distat. Nam retia illic in dexteram partem missa, centum quinquaginta tres pisces ceperunt; magnos quidem: sed pertinuit ad Evangelistam dicere, quod cum tam magni essent, retia non sunt disrupta, respicientem scilicet ad hoc factum, quod Lucas commemorat, ubi prae multitudine piscium retia rumpebantur. Jam caetera similia Joanni Lucas non dixit, nisi circa Domini passionem et resurrectionem: qui totus locus a cena ipsius usque ad finem sic a nobis tractatus est, ut omnium collatis testimoniis nihil eos dissentire doceremus.

CAPUT X. — *De Joanne evangelista, quid a caeteris tribus distet.*

11. Joannes est reliquus, qui jam non restat cui conferatur. Quidquid enim singuli dixerunt, quae ab aliis non dicta sunt, difficile est ut habeant aliquam repugnantiae quaestionem. Ac per hoc liquido constat tres istos, Matthaeum scilicet, Marcum et Lucam, maxime circa humanitatem Domini nostri Jesu Christi esse versatos, secundum quam et rex et sacerdos est. Et ideo Marcus, qui in illo mysterio quatuor animalium (Apoc. iv, 6, 7), hominis videtur demonstrare personam, vel Matthaei magis comes videtur, quia cum illo plura dicit propter regiam personam quae incomitata esse non solet, quod in primo libro commemoravi (Lib. 4, cap. 3); vel quod probabilius intelligitur, cum ambobus incedit. Nam quamvis Matthaeo in pluribus, tamen in aliis nonnullis Lucae magis congruit: ut hoc ipso demonstratur ad leonem et ad vitulum, hoc est, et ad regalem quam Matthaeus, et ad sacerdotalem quam Lucas insinuat personam, id quod Christus homo est, pertinere, quam figuram Marcus gerit pertineus ad utrumque. Divinitas vero Christi quae aequalis est Patri, secundum quod Verbum est et Deus apud Deum, et Verbum caro factum ut habitaret in nobis (Joan. i, 11-14), secundum quod ipse et Pater unum sunt (Id. x, 30), a Joanne maxime commendanda suscepta est; qui sicut aquila in his quae Christus sublimius locutus est, immoratur, nec in terram quodammodo nisi raro descendit. Denique quamvis matrem Christi se nosse plane testetur, tamen nec in ejus nativitate cum Matthaeo et Luca aliquid dicit, nec ejus baptismum cum tribus commemorat, sed tantummodo ibi testimonium Joannis alte sublimiterque commendans, relictis eis pergit cum illo ad nuptias in Cana Galilaeae: ubi quamvis ipse Evangelista matrem ejus fuisse commemoret, ille tamen dicit, *Quid mihi et tibi est, mulier* (Id. ii, 1-11)? non repellens de qua suscepit carnem, sed suam tunc maxime insinuans divinitatem, aquam conversurus in vinum: quae divi-

nitatis iliam etiam feminam fecerat, non in illa facta erat.

12. Inde post paucos dies factos in Capharnaum, redit ad templum, ubi eum commemorat dixisse de templo corporis sui, *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (Ibid., 12-22): ubi maxime insinuat non solum quia Deus erat in templo Verbum caro factum; verum etiam, quia eandem carnem ipse resuscitavit, non utique nisi secundum id quod unum est cum Patre, nec separabiliter operatur: cum caeteris locis fortassis omnibus Scriptura non dicat, nisi quod Deus illum suscitaverit; nec alicubi sic expressum est, quod cum Deus resuscitavit Christum, etiam ipse se resuscitavit, quia cum Patre unus Deus est, sicut hoc loco ubi ait, *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.*

13. Inde cum illo Nicodemo quam magna, quam divina locutus est! Inde rursus pergit ad testimonium Joannis, et commendat amicum sponsi non gaudere nisi propter vocem sponsi. Ubi admonet animam humanam non de seipsa sibi lucere, nec beari, nisi incommutabilis participatione sapientiae. Inde ad mulierem Samaritanam, ubi commemoratur aqua unde qui biberit non sitiet in aeternum. Inde rursus in Cana Galilaeae, ubi fecerat de aqua vinum: ubi eum commemorat dixisse regulo, cujus filius infirmabatur, *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis* (Id. iii, 1-iv, 54); usque adeo super omnia mutabilia volens mentem credentis attollere, ut nec ipsa miracula, quae quamvis divinitus de mutabilitate corporum fiunt, a fidelibus quaeri velit.

14. Inde Jerosolymam redit; sit sanus triginta octo annorum languidus. Ex hac occasione quae dicuntur! quam diu dicuntur! Ibi dictum est, *Quaerebant eum Judaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo*: ubi satis ostenditur quam non usitate, sicut solent sancti homines dicere, dixerit patrem suum Deum, sed quod ei sit aequalis insinuans: quippe paulo superius dixerat eis de sabbato calumniantibus, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. Ibi exarserunt, non quia patrem suum diceret Deum; sed quod ei aequalis vellet intelligi, dicendo, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*: consequens esse ostendens, ut quoniam Pater operatur, et Filius operetur; quia Pater sine Filio non operatur. Ibi enim et paulo post ait, jam illis ob hoc irascentibus, *Quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit* (Id. v).

15. Inde tandem descendit Joannes ad illos tres cum eodem Domino in terra gradientes, ut quinque millia hominum panibus quinque pascantur: ubi tamen solus commemorat quod cum vellet eum regem facere, solus fugit in montem. Qua in re nihil mihi aliud videtur animam rationalem commonere voluisse, nisi eo se nostrae menti rationique regnare, quo est in excelsis, nulla cum hominibus comunione naturae, solus, quia unicus Patri: hoc autem mysterium deorsum repentes carnales homines fugit, quia

valde sublimis est; unde illos et ipse fugit in montem, qui regnum ejus terreno animo requirebant; unde et alibi dicit, *Regnum meum non est de hoc mundo* (Joan. xviii, 36): neque etiam hoc nisi Joannes ipse commemorat, volatu quodammodo æthereo supereminens terris, et gaudens luce solis justitiæ. Ab illo itidem monte post miraculum de quinque panibus factum, cum iisdem tribus paululum remoratus, donec mare transissent, quando ambulavit super aquas, continuo rursus se in verbum Domini attollit, quam magnum, quam prolixum, quam diu supernum et excelsum, ex occasione panis exortum, cum dixisset turbis, *Amen, amen dico vobis, queritis me, non quia signa vidistis, sed quia edistis de panibus, et satiati estis: operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*: et inde jam talia diutissime atque excelsissime. Tunc ab ista verbi celsitudine ceciderunt, qui post eum deinceps non ambulaverunt; cui sane inhæserunt; qui poterunt intelligere, *Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest* (Id. vi): quia utique et per carnem spiritus prodest<sup>1</sup>; et solus spiritus prodest; caro autem sine spiritu nihil prodest.

16. Deinde suis fratribus, id est cognatis carnis suæ, suggerentibus ut ascendat ad diem festum, quo possit innocescere multitudini; quanta altitudine respondit, *Tempus vobis nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odire vos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt!* Hoc est ergo, *Tempus vestrum semper est paratum*, quia vos diem istum concupiscitis, de quo propheta dicit, *Ego autem non laboravi subsequens te, Domine: et diem hominis non concupivi; tu scis* (Jerem. xvii, 16): hoc est volare ad lucem Verbi, et concupiscere illum diem quem videre concupivit Abraham, et vidit, et gavisus est (Joan. viii, 56). Inde jam ad diem festum cum ascendisset in templum, quæ illum Joannes locutum esse commemorat, quam mirabilia, quam divina, quam excelsa! quod ipsi venire non possent quo esset iturus; quod et ipsum nossent, et unde esset scirent; et esset verus qui eum miserit, quem illi nescirent: tanquam diceret, *Et unde sim scitis, et unde sim nescitis. Quo quid aliud voluit intelligi, nisi secundum carnem notum se illis esse potuisse, et gentem, et patriam?* secundum divinitatem autem incognitum? Ibi etiam de dono Spiritus sancti locutus, ostendit quis esset, quando munus altissimum dare potuisset (Id. vii).

17. Rursus illuc de Oliveti monte regredientem, quæ et quanta narrat locutura, post veniam illi adulteræ datam, quæ velut lapidanda oblata illi a tentatoribus fuerat; quando digito scribebat in terra, tanquam illos tales in terra scribendos significaret, non in cælo, ubi monuit discipulos se scriptos esse gauderent (Luc. x, 20); aut quod se humiliando, quod

capitis inclinatione monstrabat, signa in terra faceret; aut quod jam tempus esset ut in terra quæ fructum daret, non in lapide sterili, sicut antea, lex ejus conscriberetur! Ergo post hæc lucem mundi se dixit, et qui eum sequeretur non ambulaturum in tenebris, sed habiturum lucem vitæ. Dixit etiam se esse principium, quod et loqueretur eis. Quo nomine utique se distinguit ab illa luce quam fecit, tanquam lux per quam facta sunt omnia: ut illud quod se dixerat lucem mundi, non sic acciperetur quemadmodum discipulis ait, *Vos estis lux mundi*. Illi enim tanquam lucerna, quæ non est ponenda sub modio, sed super candelabrum (Matth. v, 14, 15), sicut et de Joanne Baptista, *Ille erat*, inquit, *lucerna ardens et lucens* (Joan. v, 35); sed ipse sicut principium, de quo dictum est, *Nos omnes de plenitudine ejus accepimus* (Id. i, 16). Ibi dixit se Filium esse veritatem<sup>2</sup>, quæ nisi liberaverit, nemo erit liber (Id. viii, 1-36).

18. Inde posteaquam illuminavit a nativitate cæcum, ex ipsa occasione in prolixo ejus sermone demoratur Joannes, de ovibus, et pastore, et janua, et de potestate ponendi animam suam et iterum sumendi eam, in quo excellentissimam potestatem suæ divinitatis ostendit. Inde cum Encarnia in Jerosolymis flerent, commemorat ei dixisse Judæos: *Quomodo animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam.* Atque inde sumpta opportunitate sermonis, quæ etiam sublimia dixerit, narrat. Ibi dixit, *Ego et Pater unum sumus*. Inde jam resuscitatum ab eo Lazarum prædicat, ubi dixit, *Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum*. In quibus verbis quid nisi altitudinem divinitatis ejus agnoscimus, cujus in æternum participatione vivemus? Inde iterum Joannes occurrit in Bethania Matthæo et Marco (Matth. xxvi, 6-13, et Marc. xiv, 3-9), ubi factum est illud de unguento pretioso, quo pedes ejus a Maria caputque perfusum est (Joan. ix, 1-xii, 8): atque hinc deinceps usque ad passionem et resurrectionem Domini cum tribus Evangelistis Joannes graditur, sed in locis eisdem narratione versante.

19. Cæterum quod ad sermones Domini attinet, non cessat se attollere in ea quæ ille ab hinc etiam sublimiter diuturneque locutus est. Nam et quando eum voluerunt videre Gentiles per Philippum et Andream, habuit excelsum sermonem, quem aliorum Evangelistarum nullus inseruit: ibi præclara iterum de luce illuminante et lucis filius faciente commemorat (Id. xii, 20-50). Deinde in ipsa cæca, de qua Evangelistarum nullus tacuit, quam multa et quam excelsa verba ejus Joannes commemorat, quæ alii tacuerunt! non solum de commendatione humilitatis, quando pedes discipulorum lavit; sed cum expressus per buccellam traditor ejus exiisset, remanentibus cum illo undecim, in sermone ipsius mirabiliter stupendo maximeque diuturno idem Joannes immoratus est, ubi dixit, *Qui vidit me, vidit et Patrem*: ubi multa

<sup>1</sup> Sic in septemdecim Mss. At in editis, *et carni spiritus prodest*.

<sup>2</sup> Fr. Lugd. Ven. Lov., *et gente et patria. M.*

<sup>1</sup> Ita omnes Mss. et Fr. Al. Lov., *veritatis. fatis, et veritatem*

locutus est de Spiritu sancto paraclito quem missuras eis erat; et de sua clarificatione quam habuit apud Patrem priusquam mundus esset; et quod unum nos faceret in se, sicut ipse et Pater unum sunt; non ut ipse et Pater et nos unum, sed nos unum sicut ipsi unum: multaque alia mireque sublimia, de quibus disserere sicut dignum est, etiam si essemus idonei, in hoc tamen opere non id nos suscepisse quis non advertat (*Joan. xiii xvii*)? quod alibi fortasse reddendum est, hic certe non est expetendum. Commendare quippe volumus amatoribus verbi Dei et studiosis sanctæ veritatis, quamvis ejusdem Christi qui verus et verax est, annuntiator atque prædicator Joannes in Evangelio suo fuerit, ceteri et ceteri tres qui scripserunt Evangelium, et ceteri Apostoli qui non quidem ipsam narrationem scribendam susceperunt, in ea tamen prædicatione sui officii munus impleverunt: longe tamen hunc in Christi altiora subiectum ab ipso initio libri sui, raro fuisse cum cæteris, id est, primo circa Jordanem propter testimonium Joannis Baptistæ; inde trans mare Tiberiadis, quando turbas de quinque panibus pavit, et super aquas ambulavit; tertio in Bethania, ubi unguento pretioso fidelis femine devotione perfusus est; donec inde illis occurreret ad passionis tempus, quod cum eis erat necessario narraturus: ubi tamen ipsam Dominicam cœnam, de qua nullos eorum tacuit, multo opulentiùs tanquam de cellario Domitici pectoris, ubi discumbere solebat, exhibuit. Ipsum deinde Pilatum verbis altioribus percudit, dicens regnum suum non esse de hoc mundo, regemque se natum, et ad hoc venisse in hunc mundum, ut testimonium perhibeat veritati (*Id. xviii, 36 et 37*). Mariam quoque post resurrectionem mystica altitudine vitans<sup>1</sup>, *Noli me, inquit, tangere: nondum enim ascendi ad Patrem* (*Id. xx, 17*). Discipulis etiam insufflando dedit Spiritum sanctum (*Ibid. 22*), ne ipse Spiritus qui Trinitati consubstantialis et cœternus est, tantummodo Patris esse, non etiam Filii Spiritus putaretur.

20. Postremo suas oves Petro se amanti, eumque amorem ter confitenti commendans, dicit eundem Joannem sic se velle manere donec veniat (*Id. xxi, 15 et 23*): ubi etiam mihi videtur alto docuisse mysterio, istam ipsam<sup>2</sup> Joannis evangelicam dispensationem, qua in lucem liquidissimam Verbi sublimiter fertur, ubi Trinitatis æqualitas et incommutabilitas videri potest, et qua maxime proprietate distet a cæteris homo cujus susceptione Verbum caro factum est, perspicue cerni cognoscique non posse, nisi cum ipse Dominus venerit: ideo sic manebit donec veniat; manebit autem nunc in fide credentium, tunc autem facie ad faciem contemplandum erit (*I Cor. xiii, 12*), cum apparuerit vita nostra, et nos cum ipso apparebimus in gloria (*Coloss. iii, 4*). Quisquis autem arbitratur homini vitam istam mortalem adhuc agenti posse contingere, ut demoto atque discusso omni nubilo phan-

<sup>1</sup> Er. Iov. et Mss., *visitans*. Sed melius editio Rat., *vitans*.

<sup>2</sup> Duo Mss., *secretam ipsam*. Paulo post Mss. tres et Rat., *verbi sublimitate fertur*.

tasiarum corporalium atque carnalium, serenissima incommutabilis veritatis luce potiatur, et mente penitus a consuetudine vitæ hujus alienata illi constanter et indeclinabiliter hæreat; nec quid quærat, nec quis quærat intelligit: credat ergo potius sublimi auctoritati minimeque fallaci, quamdiu sumus in corpore peregrinari nos a Domino, et ambulare per fidem, nondum per speciem (*II Cor. v, 6, 7*); ac sic perseveranter retinens atque custodiens fidem, spem et charitatem, intendat in speciem ex pignore quod accepimus sancti Spiritus, qui nos docebit omnem veritatem (*Joan. xvi, 13*), cum Deus qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra per inhabitantem Spiritum ejus in nobis (*Rom. viii, 10, 11*). Prius autem quam vivifectur hoc quod mortuum est propter peccatum, procul dubio corruptibile est, et aggravat animam (*Sap. ix, 15*); et si quando adjuncta excedit hanc nebulam, qua legitur omnis terra (*Eccli. xxiv, 6*), id est, hanc carnalem caliginem, qua legitur omnis vita terrena, tanquam rapida coruscatione perstringitur, et in suam infirmitatem redit, vivente desiderio quo rursus erigatur, nec sufficiente munditia qua figatur. Et quanto quisque hoc magis potest, tanto major est: quanto autem minus, tanto minor. Si autem nihil adhuc tale mens hominis experta est, in qua tamen habitat Christus per fidem, instare debet minuendis finiendisque cupiditatibus hujus sæculi, moralis virtutis actione, tanquam in comitatu trium illorum Evangelistarum cum mediatore Christo ambulans: eumque qui Filius Dei semper est, propter nos filium hominis factum, ut sempiterna virtus ejus et divinitas nostræ infirmitati et mortalitati temperata de nostro nobis in se atque ad se faceret viam, cum magnæ spei letitia fideliter teneat. Ne peccet, a rege Christo regatur; si forte peccaverit, ab eodem sacerdote Christo expietur: atque ita in actione bonæ conversationis et vitæ nutritus<sup>3</sup>, pennis geminæ dilectionis tanquam duabus alis validis evehctus a terris, ab eodem ipso Christo Verbo illuminetur, Verbo quod in principio erat, et Verbum apud Deum erat, et Verbum Deus erat (*Joan. i, 1*); etsi per speculum et in ænigmate, longe tamen sublimis ab omni similitudine corporali. Quapropter, quamvis in illis tribus activæ, in Joannis autem Evangelio dona contemplativæ virtutis eluceant eis qui hæc dignoscere sunt idonei; tamen et hoc Joannis, quoniam ex parte est, sic manebit donec veniat quod perfectum est (*I Cor. xiii, 12, 9, 10*). Et alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem Spiritum (*Id. xii, 8*); alius diem Domino sapit (*Rom. xiv, 6*), alius de pectore Domini liquidius aliquid bibit, alius levatus usque ad tertium cœlum, ineffabilia verba audit (*II Cor. xii, 2-4*): omnes tamen, quamdiu sunt in corpore, peregrinantur a Domino (*Id. v, 6*); et omnibus bonæ spei fidelibus in libro vitæ scriptis servatur quod dictum est, *Et ego diligam eum,*

<sup>3</sup> In septem Mss. præbæ notæ et apud Ægyptium, *nutritus pernis*.

et ostendam meipsum illi (Joan. xiv, 21). Verumtamen in hac peregrinatione quantum in rei hujus intelligentia vel scientia quisque profecerit, tanto magis caveat diabolica vitia, superbiam et invidentiam. Meminerit hoc ipsum Evangelium Joannis quam multo amplius erigit ad contemplationem veritatis, tam multo

amplius præcipere de dulcedine charitatis: et quia illud præceptum verissimum ac saluberrimum est, *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus* (Eccli. iii, 20); qui evangelista Christum longe cæteris altius commendat, apud eum discipulis pedes lavat (Joan. xiii, 5).

## ADMONITIO

IN SUBSEQUENTES LIBROS DE SERMONE DOMINI IN MONTE.



Ad Christi annum 393, sive 394, pertinet hoc opus, ab Augustino presbyterii sui tempore elaboratum. Quippe in primo Retractationum libro, cap. 19, post recensitam illam, quam in Hippone-regiensi anni 393 concilio habuit de Fide et Symbolo disputationem, recordatus Augustinus libri sui de Genesi ad litteram imperfecti, neque alia quam quæ ex ante laudato concilio sumi possit, ætatis assignata nota, facit proximo loco mentionem hujus operis in isthæc verba: *Per idem tempus de Sermone Domini in monte secundum Matthæum duo volumina scripsi.*

Porro uno volumine explicat primam ejusdem sermonis partem contentam Matthæi capite quinto: altero, posteriorem in sequentibus capitibus sexto et septimo comprehensam. Cur autem ex toto Evangelio istum in primis sermonem tractandum susceperit, eam videtur in operis initio subindicare causam, quod ipsum nempe omnibus præceptis quibus christiana vita informatur, perfectum esse intellexisset. Quæ quidem præcepta omnia, ea qua referuntur apud Matthæum serie sic exponit, ut illa ad priores septem sententias de Beatis in ipsius sermonis exordio pronuntiatas pertinere, iisque ex ordine respondere demonstrat.

Pollentius plurimis post annis hoc opus evolvens, aliquot difficultates de uxore quæ a viro suo discessisset, offendit, easque sancto Doctori proposuit, quas ille priore de Adulterinis Conjugiis libro enodavit.

Vide *librum 1, cap. 19, Retractationum, col. 614, a verbis, Per idem tempus de Sermone Domini, usque ad col. 617, verbis, Quem locutus est Dominus.* M.

## S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

## DE SERMONE DOMINI IN MONTE

SECUNDUM MATTHÆUM

LIBRI DUO <sup>(a)</sup>.



LIBER PRIMUS.

Explicatur prior pars sermonis a Domino in monte habiti, contenta Matthæi capite quinto.



**CAPUT PRIMUM.** 1. Sermonem quem locutus est Dominus noster Jesus Christus in monte, sicut in Evangelio secundum Matthæum legimus, si quis pie sobrieque consideraverit, puto quod inveniet in eo, quantum ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ

christianæ modum: quod polliceri non temere audeamus, sed ex ipsis ejusdem Domini verbis conjicientes. Nam sic ipse sermo concluditur, ut appareat in eo præcepta esse omnia quæ ad informandam vitam pertinent. Sic enim dicit: «Omnis ergo qui au

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

His castigandis libris adhibuimus Mss. Abinensem, Arnulfensem, Cisterciensem, Colbertinum, Corbeiensem, Floriacensem, Gemneticensem, Lyrensem, Michaelinum, Prætellesum, Sagiensem, Viadocinensem, Vaticanos duos, Beccenses totidem, et Lovaniensium Theologorum variantes lectiones ex sex Belgicis: necnon supra laudatas editiones Er. et Lov., quibus hic accessit editio Joannis Amerbachii perfecta Basileæ, an. 1576, et altera Jacobi Mareschalli Lugdun. an. 1520. Consulimus insuper Eugypii abbatis excerpta in Mss. Corbeiensi ac Germanensi, et Flori collectionem in alio Corbeien.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., t. 1, memoratas.* M.

(a) Scripti circiter Christi, annum 303

dit verba mea hæc et facit ea, similabo eum viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram: descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et offenderunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, similabo eum viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam: descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et offenderunt in domum illam, et cecidit; et facta est ruina ejus magna. » Cum ergo non dixit, *qui audit verba mea tantum*, sed addidit dicens, *qui audit verba mea hæc*; satis, ut arbitror, significavit, hæc verba quæ in monte locutus est, tam perfecte instruere vitam eorum qui voluerint secundum ea vivere, ut merito comparentur ædificanti super petram. Hoc dixi, ut appareat istum sermonem omnibus præceptis quibus christiana vita informatur, esse perfectum: nam de hoc capitulo diligentius suo loco tractabitur.

2. Hujus igitur sermonis initium sic assumitur: *Cum vidisset autem turbas multas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus; et aperiens os suum docebat eos, dicens.* Si quaeritur quid significet mons, bene intelligitur significare majora præcepta justitiæ; quia minora erant quæ Judæis data sunt. Unus tamen Deus per sanctos Prophetas et famulos suos, secundum ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora præcepta populo quem adhuc timore alligari oportebat; et per finem suum, majora populo quem charitate jam liberari convenerat. Cum autem minora minoribus, majora majoribus dantur, ab eo dantur qui solus novit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam. Nec mirum est quod dantur præcepta majora propter regnum cælorum<sup>1</sup>, et minora data sunt propter regnum terrenum, ab eodem uno Deo qui fecit cælum et terram. De hæc ergo justitia quæ major est, per prophetam dicitur, *Justitia tua sicut mons Dei* (Psal. xxxv, 7): et hoc bene significat, quod ab uno magistro solo docendis tantis rebus idoneo, locetur in monte. Sedens autem docet, quod pertinet ad dignitatem magisterii: et accedunt ad eum discipuli ejus, ut audiendis illius verbis hi essent etiam corpore viciniore, qui præceptis adimplendis etiam animo propinquabant. *Et aperiens os suum, docebat eos, dicens.* Ista circumlocutio qua scribitur, *Et aperiens os suum*, fortassis ipsa mora commendat aliquanto longiorem futurum esse sermonem: nisi forte non vacet quod nunc eum dictum est aperuisse os suum, quod ipse in Legge veteri aperire solet ora Prophetarum.

3. Quid ergo dicit? *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Legimus scriptum de appetitione rerum temporalium, *Omnia vanitas et præsumptio spiritus* (Eccl. i, 14. sec. LXX); præsumptio autem spiritus, audaciam et superbiam significat: vulgo etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur; et recte, quandoquidem spiritus etiam ventus vocatur. Unde scriptum est, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis*<sup>1</sup> (Psal. cxlviii, 8). Quis vero

<sup>1</sup> Septem Mss., *propter regnum terrarum.*

<sup>2</sup> Sic Mss. At ceteri, excepto Mar., *spiritus procellarum.*

nesciat superbos inflatos dici, tanquam vento distentos? Unde est etiam illud Apostoli: *Scientia inflat, charitas vero ædificat* (I Cor. viii, 1). Quapropter recte hic intelliguntur *pauperes spiritu*, humiles et timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum<sup>1</sup>. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem; siquidem pervertura est ad summam sapientiam: *Initium autem sapientiæ timor Domini* (Eccl. i, 16); quoniam et e contrario, *Initium omnis peccati superbia inscribitur* (Id. x, 15). Superbi ergo appetant et diligant regna terrarum: *Beati autem pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

CAPUT II. — 4. *Beati mites; quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram:* illam credo terram, de qua in Psalmo dicitur, *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium* (Psal. cxli, 6). Significat enim quamdam soliditatem et stabilitatem hæreditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum, tanquam loco suo requiescit, sicut corpus in terra; et inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra: ipsa est requies et vita sanctorum. Mites autem sunt qui cedunt improbitatibus, et non resistunt malo, sed vincunt in bono malum (Rom. xii, 21). Rixentur ergo immites, et dimittent pro terrenis et temporalibus rebus: *Beati autem mites; quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram,* de qua pelli non possint.

5. *Beati lugentes; quoniam ipsi consolabuntur.* Luctus est tristitia de amissione charorum: conversi autem ad Deum, ea quæ in hoc mundo chara amplectebantur, amittunt: non enim gaudent his rebus, quibus ante gaudebant; et donec fiat in illis amor æternorum<sup>2</sup>, nonnulla necessitas sauciantur: consolabuntur ergo Spiritu sancto, qui maxime propterea paracletus nominatur, id est consolator, ut temporalem amittentes æterna lætitia perfruantur.

6. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* Jam istos amatores dicit veri et incoccussi boni. Illo ergo cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus dicit, *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei*, quod est justitia: et illa aqua, de qua quisquis biberit, ut idem dicit, *fiat in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (Joan. iv, 54, 14).

7. *Beati misericordes; quoniam ipsorum miserabitur*<sup>3</sup>. Beatos esse dicit qui subveniunt mi seris, quoniam eis ita rependitur, ut de miseria librentur.

8. *Beati mundi corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* Quam ergo stulti sunt qui Deum istis exterioribus oculis quaerunt, cum corde videatur, sicut alibi scriptum est, *Et in simplicitate cordis quaerite illum* (Sap. i, 1). Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor: et quemadmodum lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis; ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud quo videri potest.

<sup>1</sup> Lov. cum quatuor Mss., *inflatum spiritum.* Cæteri codices, *inflantem.*

<sup>2</sup> In Corbeiensi codice, *dulcedo æternorum.* Paulo infra in editis legebatur, *ut temporalia amittentes:* in duobus Belgicis Mss., *ut temporalem amittentes luctum.* Sed melius in uno cat. et decem Gallicanis, *ut temporalem amittentes:* subaudi, lætitiã.

<sup>3</sup> Ed. ti, *miserabitur Deus.* Abest vox, *Deus,* a Mss. et ab Evangelio.

9. *Beati pacifici; quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* In pace perfectio est, ubi nihil repugnat; et ideo filii Dei pacifici, quoniam nihil resistit Deo<sup>1</sup>, et utique filii similitudinem patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes et subjicientes rationi, id est menti et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei: in quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod est in homine præcipuum et excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia; atque id ipsum quod excellit in homine, id est mens et ratio, subjiciatur potiori, quod est ipsa veritas unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subjiciat. Et hæc est pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis (*Luc. II, 14*); hæc vita consummati perfectique sapientis. De hujusmodi regno pacatissimo et ordinatissimo missus est foras princeps hujus sæculi, qui perversis inordinatisque dominatur. Hac pace intrinsecus constituta atque firmata, quascumque persecutiones ille qui foras missus est, forinsecus concitaverit, auget gloriam quæ secundum Deum est; non aliquid in illo ædificio labefactans, sed deficientibus machinis suis innotescere faciens quanta firmitas intus exstructa sit. Ideo sequitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

CAPUT III. — 10. Sunt autem omnes istæ octo sententiæ. Jam enim cætera compellens loquitur ad illos qui aderant, dicens: *Beati eritis, cum vobis maledicent, et persequentur vos.* Superiores autem sententiæ generaliter dirigebat: non enim dixit, *Beati pauperes spiritu*; quoniam vestrum est regnum cælorum; sed, *quoniam ipsorum est*, inquit, *regnum cælorum*: neque, *Beati mites*, quoniam vos possidebitis terram; sed, *quoniam ipsi possidebunt terram.* Et ita cæteras usque ad octavam sententiam, ubi ait: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Inde jam incipit loqui præsentibus compellens, cum et illa quæ supra dicta sunt, ad eos etiam pertinerent, qui præsentibus audiebant; et hæc postea quæ videntur præsentibus specialiter dici, pertineant etiam ad illos qui absentes vel post futuri erant. Quapropter iste sententiarum numerus diligenter considerandus est. Incipit enim beatitudo ab humilitate: *Beati pauperes spiritu*, id est, non inflati, dum se divinæ auctoritati subdit anima, timens post hanc vitam ne pergat ad pœnas, etiamsi forte in hac vita sibi beata esse videatur. Inde venit ad divinarum Scripturarum cognitionem, ubi oportet eam se mitem præbere pietate, ne id quod imperitis videtur absurdum vituperare audeat, et pervicacibus concertationibus efficiatur indocilis. Inde jam incipit scire quibus nodis sæculi hujus per carnalem consuetudinem ac peccata teneatur: itaque in hoc tertio gradu, in quo scientia est, lugetur amissio summi boni, quia inhæretur extremis. In quarto au-

tém gradu labor est, ubi vehementer incumbitur ut sese animus avellat ab eis quibus pestifera dulcedine innexus est: hic ergo esauritur et sititur justitia, et multum necessaria est fortitudo; quia non relinquitur sine dolore quod cum delectatione retinetur. Quinto autem gradu perseverantibus in labore datur evadendi consilium; quia nisi quisque adjuvetur a superiore, nullo modo sibi est idoneus ut sese tantis miseriarum implicamentis expediat: est autem justum consilium, ut qui se a potentiore adjuvari vult, adjuvet infirmiores in quo est ipse potentior: itaque *Beati misericordes; quia ipsorum miserabitur.* Sexto gradu est cordis munditia, de bona conscientia bonorum operum valens ad contemplandum summum illud bonum, quod solo puro et sereno intellectu cerni potest. Postremo est septima ipsa sapientia, id est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, et suscipiens similitudinem Dei, quæ ita concluditur: *Beati pacifici; quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* Octava tanquam ad caput redit; quia consummatum perfectumque ostendit et probat: itaque in prima et in octava nominatum est regnum cælorum, *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum; et, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum*: cum jam dicitur, *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius (Rom. VIII, 35)?* Septem sunt ergo quæ perficiunt: nam octava clarificat, et quod perfectum est demonstrat, ut per hos gradus perficiantur et cæteri, tanquam a capite rursus exordians.

CAPUT IV. — 11. Videtur ergo mihi etiam septiformis operatio Spiritus sancti, de qua Isaias loquitur (*Isai. XI, 2, 3*), his gradibus sententiisque congruere. Sed interest ordinis: nam ibi enumeratio ab excellentioribus cœpit, hic vero ab inferioribus. Ibi namque incipit a sapientia, et desinit ad timorem Dei: sed *initium sapientiæ timor Domini* est. Quapropter si gradatim tanquam ascendentes numeremus, primus ibi est timor Dei, secunda pietas, tertia scientia, quarta fortitudo, quintum consilium, sextus intellectus, septima sapientia. Timor Dei congruit humilibus, de quibus hic dicitur, *Beati pauperes spiritu*, id est non inflati, non superbi: quibus Apostolus dicit, *Noli altum sapere, sed time (Rom. XI, 20)*; id est, noli extolli. Pietas congruit mitibus: qui enim pie quærit, honorat sanctam Scripturam, et non reprehendit quod nondum intelligit, et propterea non resistit, quod est mitem esse: unde hic dicitur, *Beati mites.* Scientia congruit lugentibus, qui jam cognoverunt in Scripturis quibus malis vinciti teneantur, quæ tanquam bona et utilia ignorantes appetiverunt: de quibus hic dicitur, *Beati qui lugent.* Fortitudo congruit esurientibus et sitientibus: laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, et amorem a terrenis et corporalibus avertere cupientes: de quibus hic dicitur, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Consilium congruit misericordibus: hoc enim unum remedium est de tantis

<sup>1</sup> Sic Am. Fr. et omnes Mss. At Lov., *nihil in istis resistit Deo.*

<sup>1</sup> In decem Mss., non interponitur, *et.*

malis evadendi, ut dimittamus, sicut nobis dimitti volumus; et adjuvemus in quo possumus alios, sicut nos in quo non possumus cupimus adjuvari: de quibus hic dicitur, *Beati misericordes*. Intellectus congruit mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit quod corporeus oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*Isai. LXIV, 4; et I Cor. II, 9*): de quibus hic dicitur, *Beati mundi corde*. Sapientia congruit pacificis, in quibus jam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum et ipse obtemperet Deo (a): de quibus hic dicitur, *Beati pacifici*.

12. Unum autem præmium quod est regnum cælorum, pro his gradibus varie nominatum est. In primo, sicut oportebat, positum est regnum cælorum, quod est perfecta summaque sapientia animæ rationalis. Sic itaque dictum est, *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum*: tanquam diceretur, *Initium sapientiæ timor Domini*. Mitibus hæreditas data est, tanquam testamentum patris cum pietate quærentibus: *Beati mitis; quoniam ipsi hæreditate possidebant terram*. Lugentibus consolatio, tanquam scientibus quid amiserint, et quibus mersi sint: *Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur*. Esurientibus et sitientibus saturitas, tanquam refectio laborantibus fortiterque certantibus ad salutem: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur*. Misericordibus misericordia, tanquam vero et optimo consilio utentibus, ut hoc eis exhibeatur a potentiore, quod invalidioribus exhibent. *Beati misericordes; quoniam ipsorum miserebitur*. Mundis corde facultas videndi Deum, tanquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus. *Beati mundi corde; quoniam ipsi Deum videbunt*. Pacificis Dei similitudo, tanquam perfecte sapientibus formatisque ad imaginem Dei per regenerationem renovati hominis: *Beati pacifici; quoniam ipsi filii Dei vocabuntur*. Et ista quidem in hac vita possunt compleri, sicut completa esse in Apostolis credimus (b). Nam illa omnimoda in angelicam formam mutatio, quæ post hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi potest. *Beati ergo qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Hæc octava sententia, quæ ad caput redit, perfectumque hominem declarat, significatur fortasse et circumcissione octavo die in Veteri Testamento; et Domini resurrectione post sabbatum, qui est utique octavus, idemque primus dies; et celebratione octavarum feriarum, quas in regeneratione novi hominis celebramus; et numero ipso Pentecostes. Nam septenario numero septies multiplicato, quo fiunt quadraginta novem, quasi octavus additur, ut quinquaginta compleatur et tanquam redeatur ad caput: quo die missus est Spiritus sanctus, quo in regnum cælorum ducimur, et hæreditatem accipimus, et consolamur; et paciscimur, et misericordiam consequimur, et mundamur, et pacificamur; atque ita perfecti, omnes

(a) I Retract. cap. 10, n. 1.

(b) Ibid., n. 2.

extrinsecus illatas molestias pro veritate et justitia sustinemus.

CAPUT V. — 13. *Beati eritis, inquit, cum vobis maledicent, et persequentur vos, et dicent omne malum adversum vos, mentientes, propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis*. Animadvertat quisquis delicias hujus sæculi et facultates rerum temporalium quærit in nomine christiano, intrinsecus esse beatitudinem nostram; sicut de anima ecclesiastica ore prophetico dicitur: *Omnis pulchritudo filiarum regis intrinsecus* (*Psal. XLIV, 14*): nam extrinsecus maledicta et persecutiones et detractiones promittuntur: de quibus tamen magna merces est in cælis, quæ sentitur in corde patientium, eorum qui jam possunt dicere, « Gloriamur in tribulationibus; scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis » (*Rom. v, 3-5*). Non enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solum æquo animo, sed etiam cum exultatione tolerare. Nam multi hæretici, nomine christiano animas decipientes, multa talia patiuntur: sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non dictum est tantum, *Beati qui persecutionem patiuntur*; sed additum est, *propter justitiam*: ubi autem sana fides non est, non potest esse justitia; quia justus ex fide vivit (*Habac. II, 4, et Rom. I, 17*). Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant; quia similiter ubi charitas non est, non potest esse justitia: dilectio enim proximi malum non operatur (*Rom. XIII, 10*), quam si habent, non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia (*Coloss. I, 24*).

14. Quæri autem potest quid intersit quod ait, *Cum vobis maledicent, et, Omne malum dicent adversum vos*; cum maledicere, hoc sit, malum dicere. Sed aliter maledictum jactatur cum contumelia coram illo cui maledicetur, sicut Domino nostro dictum est, *Nonne verum dicimus, quia Samaritanus es, et demonium habes* (*Joan. VIII, 48*)? aliter cum absentis fama læditur, sicut de illo itera scribitur, *Alii dicebant, Quia propheta est: alii autem dicebant, Non, sed seducit populum* (*Id. VII, 12*). Persequi autem, est vim inferre, vel insidiis appetere: quod fecit qui eum tradidit, et qui eum crucifixerunt. Sane quod etiam hoc non est nude positum, ut diceretur, *Et dicent omne malum adversum vos*, sed additum est, *mentientes*; additum etiam, *propter me*: propter eos additum puto, qui volunt de persecutionibus et de famæ suæ turpitudine gloriari; et ideo dicere ad se pertinere Christum, quia multa de illis dicuntur mala; cum et vera dicantur, quando de illorum errore dicuntur: et si aliquando etiam nonnulla falsa jactantur, quod temeritate hominum plerumque accidit, non tamen propter Christum ista patiuntur. Non enim Christum sequitur, qui non secundum veram fidem et catholicam disciplinam Christianus vocatur.

15. *Gaudete, inquit, et exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis*. Non hic cælos dici putat su-



periores partes hujus visibilis mundi. Non enim merces nostra, quæ inconcussa et æterna esse debet, in rebus volubilibus et temporalibus collocanda est. Sed in cælis dictum puto, in spiritualibus firmamentis, ubi habitat sempiterna justitia : in quorum comparatione terra dicitur anima iniqua, cui peccanti dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (Gen. III, 19). De his cælis dicit Apostolus : *Quoniam conversatio nostra in cælis est* (Philipp. III, 20). Sentiant ergo jam istam mercedem, qui gaudent spiritualibus bonis : sed tunc ex omni parte perficietur, cum etiam hoc mortale induerit immortalitatem. *Ita enim persecuti sunt, inquit, et Prophetas qui ante vos fuerunt.* Nunc persecutionem generaliter posuit, et in maledictis et in dilaceratione famæ; et bene exemplo adhortatus est, quia vera dicentes solent persecutionem pati : nec tamen ideo Prophetæ antiqui timore persecutionis a veritatis prædicatione defecerunt.

CAPUT VI. — 16. Rectissime itaque sequitur, *Vos estis sal terræ* : ostendens fatuos esse judicandos, qui temporalium bonorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri. *Itaque si sal infutatum fuerit, in quo salietur?* id est, si vos per quos condiendi sunt quodammodo populi, metu persecutionum temporalium amiseritis regna cælorum; qui erunt homines per quos a vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cætorum? Ergo *ad nihilum valet sal infutatum, nisi ut mittatur foras, et calcetur ab hominibus.* Non itaque calcatur ab hominibus qui patitur persecutionem, sed qui persecutionem timendo infutatur. Calcari enim non potest nisi inferior : sed inferior non est qui quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in cælo est.

17. *Vos estis lumen mundi.* Quomodo dixit superius *sal terræ*, sic nunc dicit *lumen mundi*. Nam neque superius ista terra accipienda est, quam pedibus corporeis calcamus, sed homines qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condiendis et extinguendis putoribus apostolicum salem Dominus misit. Et hic mundum non cælum et terram, sed homines qui sunt in mundo vel diligunt mundum, oportet intelligi, quibus illuminandis Apostoli missi sunt. *Non potest civitas abscondi super montem constituta* : id est, fundata super insignem magnamque justitiam, quam significat etiam ipse mons in quo disputat Dominus. *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio.* Quid putamus? ita esse dictum *sub modio*, ut occultatio tantum lucernæ accipienda sit, tanquam si diceret, *Nemo accendit lucernam, et occultat illam? an aliquid etiam modius significat, ut hoc sit ponere lucernam sub modio, superiora facere corporis commoda, quam prædicationem veritatis; ut ideo quisque veritatem non prædicet, dum timet ne aliquid in rebus corporalibus et temporalibus molestia patiat? Et bene modius dicitur, sive propter retributionem mensuræ, quia ea quisque recipit quæ gessit in corpore, ut illic, inquit Apostolus, recipiat*

*unusquisque quæ gessit in corpore* (II Cor. V, 10) : et tanquam de hoc modio corporis alio loco dicitur, *In qua enim mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis* (Matth. VII, 2) : sive quoniam temporalia bona, quæ in corpore peraguntur, certa dierum mensura et iudicantur et transeunt, quam fortasse significat modius; æterna vero et spiritualia nullo tali fine coercentur (a) : *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum* (Joan. III, 34). Sub modio ergo lucernam ponit, quisquis lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obscurat et tegit. *Sed super candelabrum.* Super candelabrum autem, qui corpus suum ministerio Dei suljicit, ut superior sit prædicationi veritatis, et inferior servitus corporis : per ipsam tamen corporis servitutem excelsior luceat doctrina, quæ per officia corporalia, id est per vocem et linguam et cæteros corporis motus in bonis operibus insinuat discensibus. Super candelabrum ergo ponit lucernam, cum dicit Apostolus, *Non sic pugno tanquam aerem cædens; sed castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte aliis prædicans ipse reprobus inveniar* (I Cor. IX, 26, 27). Quod vero ait, *Ut luceat omnibus qui in domo sunt,* domum puto dictam habitationem hominum, id est ipsum mundum, propter id quod superius ait, *Vos estis lumen mundi* : aut si domum quisque vult accipere Ecclesiam, nec hoc est absurdum.

CAPUT VII. — 18. *Sic luceat, inquit, lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Si tantummodo diceret, *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra; finem constituisse videretur in laudibus hominum, quas quærunt hypo-critæ, et qui ambiunt ad honores, et captant inanissimam gloriam.* Contra quos dicitur, *« Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem »* (Galat. I, 10) : et per prophetam, *« Qui hominibus placent, confusi sunt, quia Deus nihili fecit illos; »* et iterum, *« Deus confregit ossa hominibus placentium »* (Psalm. LII, 6) : et rursus Apostolus, *« Non efficiamur inanis gloriæ cupidi »* (Galat. V, 26); et ipse iterum, *« Probet autem se homo, et tunc in semetipso habeat gloriam, et non in altero »* (Id. VI, 4). Non ergo tantum dixit, *« ut videant bona facta vestra; »* sed addidit, *« et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est; »* ut hoc ipsum quod homo per bona opera placet hominibus, non ibi finem constituat ut hominibus placeat; sed referat hoc ad laudem Dei, et propterea placeat hominibus ut in illo glorificetur Deus. Hoc enim laudantibus expedit, ut non hominem, sed Deum honorent : sicut in ipso homine qui portabatur<sup>1</sup>, Dominus ostendit, ubi admiratæ turbæ paralytico sanato virtutes ejus, sicut in Evangelio scriptum est, *« Timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus »* (Matth. IX, 8). Cujus imitator apostolus Paulus dicit : *« Tantum au-*

<sup>1</sup> In undecim Mss. et in editis Am. et Er., *quem portabant*. Apud Mar., *quem portabant*.

(a) I Retract. cap. 19, n. 3.

tem audientes erant quoniam qui aliquando nos persequerentur, nunc evangelizat fidem quam aliquando vastabat; et in me glorificabant Deum (Galat. 1, 23, 24).

19. Posteaquam ergo cohortatus est audientes ut se prepararent ad omnia sustinenda pro veritate atque iustitia, et ut non absconderent bonum quod accepturi erant, sed ea benevolentia discerent, ut ceteros docerent, non ad laudem suam, sed ad gloriam Dei bona sua opera referentes; incipit eos jam informare et docere quid doceant, tanquam si quaerent dicentes: Ecce volumus et omnia sustinere pro tuo nomine, et doctrinam tuam non abscondere; sed quid est hoc ipsum quod vetas abscondi, et pro quo jubes omnia tolerari? numquid alia diciturus es contra ea quae in Lege scripta sunt? Non, inquit. *Non lite enim putare, quoniam veni solvere Legem aut Prophetas: non veni solvere, sed implere.*

CAPUT VIII. — 20. In hac sententia sensus duplex est; secundum utrumque tractandum est. Nam qui dicit, *Non veni solvere Legem, sed implere*; aut addendo dicit quod minus habet, aut faciendo quod habet: illud ergo prius consideremus, quod primo posui. Nam qui addit quod minus habet, non utique solvit quod invenit, sed magis perficiendo confirmat: et ideo sequitur, et dicit, *Amen dico vobis, donec transeat caelum et terra, iota unum aut unus apex non transiet a Lege, donec omnia fiant.* Dum enim fiunt etiam illa quae adduntur ad perfectionem, multo magis fiunt illa quae praemissa sunt ad inchoationem. Quod autem nit, *Iota unum, aut unus apex non transiet a Lege, nihil potest aliud intelligi nisi vehemens expressio perfectionis (a)*, quando per litteras singulas demonstrata est: inter quas litteras iota minor est ceteris. quia uno ductu sit; apex autem est etiam ipsius aliqua in summo particula. Quibus verbis ostendit in Lege ad effectum etiam minima quaeque perducunt. Deinde subjicit: *Qui enim solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum.* Mandata ergo minima significantur per unum iota et unum apicem. Qui ergo solverit et docuerit sic, id est, secundum id quod solvit, non secundum id quod invenit et legit, *minimus vocabitur in regno caelorum*: et fortasse ideo non erit in regno caelorum, ubi nisi magni esse non possunt. *Qui autem fecerit et docuerit sic (b)*, hoc est, qui non solverit, et docuerit sic, secundum id quod non solvit, *magnus vocabitur in regno caelorum.* Qui vero magnus vocabitur in regno caelorum, sequitur ut etiam sit in regno caelorum, quo magni admittuntur: ad hoc enim pertinet quod sequitur.

CAPUT IX. — 21. *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum*: id est, nisi non solum illa minima Legis praecipita impleveritis quae inchoant hominem, sed etiam ista quae a me adduntur, qui non veni solvere Legem, sed implere,

(a) I Retract. cap. 19, n. 3.

(b) in graeco legebat *outō*, pro *outos*.

(c) I Retract. cap. 19, n. 4.

non intrabitis in regnum caelorum (c). Sed dicitis mihi: Si de illis mandatis minimis cum superius loqueretur, dixit minimum vocari in regno caelorum quisquis unum eorum solverit, et secundum suam solutionem docuerit; magnum autem vocari quisquis ea fecerit, et sic docuerit, et ex eo jam in regno caelorum suam esse quia magnus est: quid opus est addi praecipitis Legis minimis, si jam in regno caelorum potest esse, quia magnus est quisquis ea fecerit, et sic docuerit? Quapropter sic est accipienda illa sententia, *Qui autem fecerit et docuerit sic, magnus vocabitur in regno caelorum*: id est, non secundum illa minima, sed secundum ea quae ego diciturus sum. Quae sunt autem ista? Ut abundet iustitia, inquit, vestra super Scribarum et Pharisaeorum; quia nisi abundaverit, non intrabitis in regnum caelorum. Ergo qui solverit illa minima, et sic docuerit, minimus vocabitur: qui autem fecerit illa minima, et sic docuerit, non jam magnus habendus est et idoneus regno caelorum; sed tamen non tam minimus quam ille qui solvit: ut autem sit magnus atque illi regno aptus, facere debet et docere, sicut Christus nunc docet, id est, ut abundet iustitia eius super Scribarum et Pharisaeorum. Iustitia Pharisaeorum est, ut non occidant; iustitia eorum qui intraturi sunt in regnum Dei, ut non irascantur sine causa: minimum est ergo non occidere; et qui illud solverit, minimus vocabitur in regno caelorum: qui autem illud impleverit ut non occidat, non continuo magnus erit et idoneus regno caelorum, sed tamen ascendit aliquem gradum; perficietur autem, si nec irascatur sine causa: quod si perfecerit, multo remotior erit ab homicidio. Quapropter qui docet ut non irascamur, non solvit Legem ne occidamus, sed implet potius, ut et foris dum non occidimus, et in corde dum non irascimur, innocentiam custodiamus.

22. Audistis ergo, inquit, quia dictum est antiquis, *Non occides*: qui autem occiderit, iudicio reus erit. Ego autem dico vobis, *quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennae ignis.* Quid interest inter reum iudicio, et reum concilio, et reum gehennae ignis? Nam hoc postremum gravissimum sonat, et admonet quosdam gradus factos a levioribus ad graviora, donec ad gehennam ignis veniretur. Et ideo si levius est reum esse iudicio quam reum esse concilio; item levius est reum esse concilio, quam esse reum gehennae ignis; oportet levius esse intelligatur irasci sine causa fratri, quam dicere *Racha*, et rursus levius esse dicere *Racha*, quam dicere *Fatue*. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiam peccata commemorarentur.

23. Unum autem hic verbum obscurum positum est, quia nec graecum nec latinum est *Racha*: cetera vero in sermone nostro usitata sunt. Nonnulli autem de graeco trahere voluerunt interpretationem huius vocis, putantes pannosum dici *Racha*, quoniam graeco pannus *ῥάχος* dicitur: a quibus tamen cum quaeritur

quid dicatur græce pannosus, non respondent *Racha*; deinde posset latinus interpres ubi posuit *Racha*, pannosum ponere, nec uti verbo quod et in latina lingua nullum sit, et in græca inusitatum. Probabilius est ergo quod audiivi a quodam Hebræo, cum id interrogassem: dixit enim esse vocem non significantem aliquid, sed indignantis animi motum exprimentem. Has interjectiones grammatici vocant particulas orationis significantes commoti animi affectum: velut cum dicitur a dolente, Heu; vel ab irascente, Hem. Quæ voces quarumque linguarum sunt propriæ, nec in altam linguam facile transferuntur: quæ causa utique coegit tam græcum interpretem quam latinum vocem ipsam ponere, cum quomodo eam interpretaretur non inveniret.

24. Gradus itaque sunt in istis peccatis, ut primo quisque irascatur, et eum motum retineat corde conceptum: jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille cui irascitur; plus est utique quam si surgens ira silentio premeretur: si vero non solum vox indignantis audiat, sed etiam verbum quo jam certam ejus vituperationem in quem profertur, designat et notet, quis dubitet amplius hoc esse, quam si solus indignationis sonus ederetur? Itaque in primo unum est, id est, ira sola; in secundo duo, et ira, et vox quæ iram significat; in tertio tria, et ira, et vox quæ iram significat: et in voce ipsa, certæ vituperationis expressio. Vide nunc etiam tres reatus, iudicii, concilii, gehennæ ignis. Nam in iudicio adhuc defensionis datur locus: in concilio autem quanquam et iudicium esse solcat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fieri cogit ipsa distinctio, videtur ad concilium pertinere sententiæ prolatio; quando non jam cum ipso reo agitur, utrum damnandus sit, sed inter se qui iudicant conferunt quo supplicio damnari oporteat quem constat esse damnandum: gehenna vero ignis, nec damnationem habet dubiam, sicut iudicium; nec damnati poenam, sicut concilium; in gehenna quippe ignis certa est et damnatio et poena damnati. Videntur ergo aliqui gradus in peccatis et in reatu: sed quibus modis invisibiliter exhibeantur<sup>1</sup> meritis animarum, quis potest dicere? Audiendum est itaque quantum intersit inter iustitiam Phariseorum, et istam majorem quæ in regnum cælorum introducit, quod cum sit gravius occidere quam verbo irrogare convicium, illi occisio reum facit iudicio, hic autem ira facit reum iudicio, quod trium illorum peccatorum levissimum est: quia illic quæstionem homicidii inter homines agitant; hic autem omnia divino iudicio dimittuntur, ubi finis damnatorum est gehenna ignis. Quisquis autem dixerit quod graviore supplicio in majore iustitia puniatur homicidium, si gehenna ignis puniatur convicium, cogit intelligi esse differentias gehennarum.

25. Sane in tribus istis sententiis subaudiio verborum intuenda est. Habet enim prima sententia

omnia verba necessaria, ut nihil subaudiatur: *Qui irascitur, inquit, fratri suo sine causa, reus erit iudicio.* In secunda vero cum ait, *Qui autem dixerit fratri suo, Racha, subauditur, sine causa, et ita jungitur, reus erit concilio (a).* Jam in tertia ubi ait, *Qui autem dixerit, Fatue,* duo subaudiuntur, et fratri suo, et sine causa. Hoc est unde defenditur, quod Apostolus Galatas vocat stultos (*Galat. iii, 1*), quos etiam fratres nominat: non enim id facit sine causa. Ideo autem hic frater subaudiendus est, quia de inimico postea dicitur quomodo etiam ipse tractandus sit majore iustitia.

CAPUT X. — 26. Deinde hic sequitur: *Si ergo obtuleris munus tuum ad altare, et illic recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, et vade, prius reconciliare fratri tuo<sup>1</sup>: et tunc veniens offer munus tuum.* Hinc utique apparet de fratre dictum superius: quoniam sententia quæ sequitur, ea conjunctione connectitur ut superiori attestetur: non enim ait, *Si autem obtuleris munus tuum ad altare; sed ait, Si ergo obtuleris munus tuum ad altare.* Nam si irasci fas non est fratri suo sine causa, aut dicere *Fatue*, multo minus fas est animo tenere aliquid ut in odium indignatio convertatur. Quo pertinet etiam quod alio loco dicitur, *Non occidat sol super iracundiam vestram (Ephes. iv, 26).* Jubemur ergo illaturi munus ad altare, si recordati fuerimus aliquid adversum nos habere fratrem, munus ante altare relinquere, et pergere ac reconciliari fratri, deinde venire et munus offerre. Quod si accipiatur ad litteram, fortassis aliquis credat ita fieri oportere, si præsens frater sit, non enim diutius differri potest, cum munus tuum relinquere ante altare iubeatur: si ergo de absente, et quod fieri potest, etiam trans mare constituto aliquid tale veniat in mentem, absurdum est credere ante altare munus relinquendum, quod post terras et maria pererrata offeras Deo: Et ideo prorsus intro ad spiritualia refugere cogimur, ut hoc quod dictum est sine absurditate possit intelligi.

27. Altare itaque spiritualiter in interiore Dei templo ipsam fidem accipere possumus, cuius signum est altare visibile. Quodlibet enim munus offerimus Deo, sive prophetiam, sive doctrinam, sive orationem, sive hymnum, sive psalmum, et si quid tale aliud spiritualium donorum animo occurrit, acceptum esse non potest Deo, nisi fidei sinceritate fulciatur, et ei fixe atque immobiliter tanquam<sup>2</sup> imponatur, ut possit integrum atque illibatum esse quod loquimur. Nam multi hæretici non habentes altare, id est veram fidem, blasphemias pro laude dixerunt; terrenis videlicet opinionibus aggravati, votum suum tanquam in terram projicientes. Sed debet esse sana etiam offerentis intentio. Et propterea cum tale aliquid oblaturi sumus in corde nostro, id est in interiore Dei templo; *Templum enim Dei sanctum est, inquit, quod estis vos (I Cor. iii, 17)*; et,

<sup>1</sup> Am. Er. et plures Mss., *reconciliari fratri tuo.* At Lov., *reconciliare.* Optime, suffragante græco, *diallagethi.*

<sup>2</sup> Hic Lov. addit, *ultari*; qua voce caret cæteri codices. (a) I Retract. cap. 49, n. 4.

<sup>3</sup> Lov., *exhibeantur poenæ.* Abest, *poenæ*, ab aliis editis, et

In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris (Ephes. iii, 17) : si in mentem venerit quod aliquid habeat adversum nos frater, id est, si nos eum in aliquo læsimus; tunc enim ipse habet adversum nos : nam nos adversum illum habemus, si ille nos læsit : ubi non opus est pergere ad reconciliationem; non enim veniam postulabis ab eo qui tibi fecit injuriam, sed tantum dimittes, sicut tibi dimitti a Domino cupis, quod ipse commiseris : pergendum est ergo ad reconciliationem, cum in mentem venerit quod nos forte fratrem in aliquo læsimus; pergendum autem non pedibus corporis, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem chara cogitatione cucurreris, in conspectu ejus cui munus oblaturus es. Ita enim etiam si præsens sit, poteris eum non simulato animo lenire, atque in gratiam revocare veniam postulando, si hoc prius coram Deo feceris, pergens ad eum non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu; atque inde veniens, id est, intentionem revocans ad id quod agere cœperas, offeres munus tuum.

28. Quis autem hoc facit, ut fratri suo vel non irascatur sine causa, vel *Racha* non dicat sine causa, vel cum fatuum non appellet sine causa, quod totum superbissime admittitur; vel forte si in aliquo horum lapsus fuerit, quod est unum remedium, supplicii animo veniam deprecetur; nisi quisquis inanis jactantiæ spiritu non inflatur<sup>1</sup>? *Beati ergo pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Nunc jam videamus quod sequitur.

CAPUT XI. — 29. *Esto, inquit, adversario tuo benevolus cito dum es in via cum eo; ne forte te tradat adversarius judici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Judicem intelligo: *Pater enim non judicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio (Joan. v, 22).* Ministrum intelligo: *Et Angeli, inquit, ministrabant ei (Matth. iv, 11)* : et cum Angelis suis venturum credimus ad iudicandos vivos et mortuos. Carcerem intelligo; pœnas videlicet tenebrarum, quas alio loco exteriores vocat (*Id. viii, 12*) : credo propterea quod intrinsicus sit in ipsa mente, vel etiam si quid secretius cogitari potest, gaudium divinarum præmiorum; de quo dicitur servo bene merito, *Intra in gaudium Domini tui (Id. xxv, 23)* : quemadmodum etiam in hac ordinatione reipublicæ, vel a secretario, vel a prætorio iudicis extra mittitur qui in carcerem traditur.

30. De solvendo autem novissimo quadrante, potest non absurde intelligi aut pro eo positum quod nihil relinquitur impunitum; sicut loquentes etiam dicimus, Usque ad faciem, cum volumus exprimere aliquid ita exactum, ut nihil relinqueretur: vel ut significarentur nomine quadrantis novissimi, terrena peccata. Quarta enim pars distinctorum membrorum hujus mundi, et ea novissima, terra invenitur, ut in-

<sup>1</sup> *lav., deprecetur; quod quisquis non fecerit, inanis jactantiæ spiritu inflatur. Sed liquidior est nostra lectio, et a cæteris libris probata.*

cipias a caelo, secundum acrem numeres, aquam tertiam, quartam terram. Potest ergo convenienter videri dictum, *Donec solvas novissimum quadrantem*, donec luas terrena peccata : hoc enim et peccator audivit, *Terra es, et in terram ibis (Gen. iii, 19).* *Donec solvas* autem quod dictum est, miror si non eam significat pœnam quæ vocatur æterna. Unde enim solvitur illud debitum, ubi jam non datur pœnitendi et correctius vivendi locus? Ita enim fortasse hic positum est, *Donec solvas*, quomodo in illo ubi dictum est, *Sede ad dexteram meam, donec ponam omnes inimicos tuos sub pedibus tuis (Psal. cix, 1)*; non enim cum fuerint inimici sub pedibus positi, desinet ille sedere ad dexteram : aut illud Apostoli, *Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis (I Cor. xv, 25)*; non enim cum positi fuerint, desinet regnare. Quemadmodum ergo ibi intelligitur, de quo dictum est, *Oportet eum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus suis*, semper regnaturum, quoniam semper illi erunt sub pedibus : ita hic accipi potest, de quo dictum est, *Non exies inde, donec solvas novissimum quadrantem*, semper non exiturum esse; quia semper solvit novissimum quadrantem, dum sempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit. Neque ita hoc dixerim, ut diligentior tractationem videar admississe de pœnis peccatorum, quomodo in Scripturis dicantur æternæ : quanquam quolibet modo vitandæ sunt potius quam sciendæ.

31. Sed videamus jam quis sit ipse adversarius, cui jubemur esse benevoli cito, cum sumus cum illo in via. Aut enim diabolus est, aut homo, aut caro, aut Deus, aut præceptum ejus. Sed diabolus non video quomodo jubeamur benevoli esse, id est concordare aut consentientes. Namque alii quod græce positum est *εὐνοῦν*, interpretati sunt *concors*, alii *consentiens* : sed neque benevolentiam diabolo jubemur exhibere; ubi enim benevolentia, ibi amicitia : neque quisquam dixerit amicitiam cum diabolo esse faciendam; neque concordare cum illo expedit, cui semel renuntiando bellum indiximus, et quo victo coronabimur; neque consentire illi jam oportet, cui si nunquam consensissemus, nunquam in listas incidissemus miseras. De homine autem, quanquam jubeamur cum omnibus, quantum in nobis est, pacem habere, ubi utique et benevolentia, et concordia, et consensio potest intelligi; non video tamen quomodo accipiam ab homine nos judici tradi, ubi Christum judicem intelligo, ante cujus tribunal omnes oportet exhiberi, sicut dicit Apostolus (*II Cor. v, 10*) : quomodo ergo judici traditurus est, qui ante judicem pariter exhibebitur? Aut si propterea traditur quisque judici, quia hominem læsit, quamvis illo non tradente qui læsus est; multo commodius accipitur a lege ipsa reum tradi judici, contra quam fecit, cum hominem læderet. Quia et si occidendo quis nocuerit homini, non erit jam tempus quo concordet cum eo; quia jam non est cum illo in via, id est in hac vita : nec tamen ideo non sanabitur pœnitendo, et ad illius misericordiam cum sacrificio tribulati cordis refugiendo qui donat peccata conver-

sis ad se, et qui plus gaudet de uno poenitente, quam de nonaginta novem justis (*Luc. xv, 7*). Carni vero multo minus video quomodo benevoli vel concordēs vel consentientes esse jubeamur. Magis enim peccatores amant carnem suam, et concordant cum illa, et consentiunt ei : qui vero eam servituti subjiunt, non ipsi ei consentiunt, sed eam sibi consentire cogunt.

52. Fortasse ergo jubemur Deo consentire, et illi esse benevoli, ut ei reconciliemur, a quo peccando aversi sumus, ut adversarius noster dici possit. Quibus enim resistit, recte dicitur eorum adversarius : *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi iv, 6*) ; et, *Initium omnis peccati superbia; initium autem superbiae hominis, apostatare a Deo* (*Eccli. x, 15, 14*) : et Apostolus dicit, *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius* (*Rom. v, 10*). Ex quo intelligi potest, nullam naturam malam inimicam Deo esse, quandoquidem ipsi reconciliantur qui inimici fuerunt. Quisquis ergo in hac via, id est in hac vita, non fuerit reconciliatus Deo per mortem Filii ejus, tradetur judici ab illo; quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* : atque ita cætera quæ in hoc capitulo scripta sunt consequuntur, de quibus jam tractavimus. Unum solum est quod huic intellectui difficultatem facit, quomodo possit recte dici in via nos esse cum Deo, si hoc loco ipse accipiendus est adversarius impiorum, cui jubemur cito reconciliari : nisi forte quia ipse ubique est, nos etiam cum in hac via sumus, cum illo utique sumus. Si enim *ascendero in cælum*, inquit, *tu ibi es; si descendero in infernum, ades; si recipiam pennas meas in directum, et habitabo in norissima maris; etenim illuc manus tua deducet me, et continebit me dextera tua* (*Psal. cxxxviii, 8-10*). Aut si non placet impios dici esse cum Deo, quanquam nusquam non præsto sit Deus; quemadmodum non dicimus cæcos esse cum luce, tametsi oculos eorum lux circumfundat; unum reliquum est, ut hic adversarium præceptum Dei, intelligamus. Quid enim sic adversatur peccare volentibus quam præceptum Dei, id est lex ejus et Scriptura divina, quæ data est nobis ad hanc vitam, ut sit nobiscum in via, cui non oportet contradicere, ne nos tradat judici; sed ei oportet consentire cito? Non enim quisquam novit quando de hac vita exeat. Quis autem consentit Scripturæ divinæ, nisi qui legit vel audit pie, deferens et culmen auctoritatis, ut quod intelligit, non propter hoc foderit quod peccatis suis adversari sentit; sed magis diligit correptionem suam, et gaudeat quod morbis suis, donec sanentur, non parciatur : quod vero aut obscurum, aut absurdum illi sonat, non inde concitet contradictionum certamina, sed oret ut intelligat; benevolentiam tamen et reverentiam tantæ auctoritati exhibendam esse meminerit? Sed quis hoc facit, nisi quisquis ad testamentum patris aperiendum et cognoscendum,

<sup>1</sup> Am. Er. et Lov., in novissimo. At Mss. necnon editio Mar., in novissima; juxta græcum LXX, eis ta eschata.

non litium minatione acerbus, sed pietate mitis accesserit? *Beati ergo mites; quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram*. Videamus sequentia.

CAPUT XII.—53. *Audistis quia dictum est antiquis, Non mæchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo*. Justitia ergo minor est, non mæchari corporum conjunctione : justitia vero major regni Dei, non mæchari in corde. Quisquis autem non mæchatur in corde, multo facilius custodit ne mæchetur in corpore. Illud ergo confirmavit qui hoc præcepit : non enim venit Legem solvere, sed implere. Sane considerandum est quod non dixit, *Omnis qui concupiverit mulierem*; sed, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, id est, hoc sine et hoc animo attenderit ut eam concupiscat : quod jam non est titillari delectatione carnis, sed plene <sup>1</sup> consentire libidini; ita ut non refrenetur illicitus appetitus, sed si facultas data fuerit, satietur.

54. Nam tria sunt quibus impletur peccatum; suggestione, delectatione, et consensione. Suggestio, sive per memoriam fit, sive per corporis sensus, cum aliquid videmus, vel audimus, vel olfacimus, vel gustamus, vel tangimus. Quo si frui delectaverit, delectatio illicita refrenanda est. Velut cum jejunamus et visis cibis palati appetitus assurgit, non fit nisi delectatione : sed huic tamen non consentimus, et eam <sup>2</sup> dominantis rationis jure colibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit. notum Deo in corde nostro, etiamsi facto non innotescat hominibus. Ita ergo sunt isti gradus, quasi a serpente suggestio fiat, id est, lubrico et volubili, hoc est temporali corporum <sup>3</sup> motu; quia et si qualia phantasmata intus versantur in anima, de corpore forinsecus tracta sunt; et si quis occultus præter istos quinque sensus motus corporis animam tangit, est etiam ipse temporalis et lubricus; et ideo quanto illabitur occultius ut cogitationem contingat, tanto convenientius serpenti comparatur. Tria ergo hæc, ut dicere cœperam, similia sunt illi gestæ rei quæ in Genesi scripta est, ut quasi a serpente fiat suggestio et quædam suasio; in appetitu autem carnali, tanquam in Eva, delectatio; in ratione vero, tanquam in viro, consensio : quibus peractis, tanquam de paradiso, hoc est, de beatissima luce justitiæ in mortem homo expellitur (*Gen. iii, 1*); justissime omnino. Non enim cogit qui suadet. Et omnes naturæ in ordine suo gradibus suis pulchræ sunt : sed de superioribus in quibus rationalis animus ordinatus est, ad inferiora non est declinandum. Nec quisquam hoc facere cogitur; et ideo si fecerit, justa Dei lege punitur <sup>4</sup> : non enim hoc committit invitus. Verumtamen delectatio ante consuetudinem <sup>5</sup> vel nulla est, vel tam tenuis ut prope nulla sit : cui consentire ma-

<sup>1</sup> In omnibus prope Mss., plane.

<sup>2</sup> Editi Mar. et Lov., cæteris libris refragantibus, si erm.

<sup>3</sup> Mss. decem, corporalium.

<sup>4</sup> Sic Mss. et Mar. At Am. Er. et Lov., sine justa defensione punitur.

<sup>5</sup> Sic Am. Er. et Mss., uno tantum excepto. At Mar. et Lov., ante consensionem.

gnum peccatum est, cum illicita est. Cum autem quisque consenserit, committit peccatum in corde. Si autem etiam in factum processerit, videtur satiari et exstingui cupiditas : sed postea cum suggestio repetitur, major accenditur delectatio ; quæ tamen adhuc multo minor est quam illa quæ assiduis factis in consuetudinem vertit. Hanc enim vincere difficillimum est : et tamen etiam ipsam consuetudinem, si se quisque non deserat, et christianam militiam non reformidet, illo duce atque adjutore superabit ; ac sic in pristinam pacem<sup>1</sup> atque ordinem et vir Christo, et mulier viro subjicitur (I Cor. xi, 3, et Ephes. v, 23).

35. Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione ; ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tanquam tres mortes : una quasi in domo, id est cum in corde consentitur libidini ; altera jam prolata quasi extra portam, cum in factum procedit assensio ; tertia, cum vi consuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulcro jam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Evangelium legit, agnoscit. Et fortasse considerat quas differentias habeat etiam ipsa vox resuscitantis, cum alibi dicit, *Puella surge* (Matth. ix, 25) ; alibi, *Juvenis, tibi dico, surge* (Luc. vii, 14) ; alibi, *Infremuit spiritu, et flevit, et rursus fremuit, et post deinde voce magna clamavit, Lazare veni foras* (Joan. xi, 35-44).

36. Quapropter, nomine mœchantium qui hoc capitulo commemorantur, omnem carnalem et libidinosam concupiscentiam oportet intelligi. Cum enim tam assidue idololatricam Scriptura fornicationem dicat, Paulus autem apostolus avaritiam idololatriæ nomine appellet (Coloss. iii, 5, et Ephes. v, 5) ; quis dubitet omnem malam concupiscentiam recte fornicationem vocari, quando anima neglecta superiore lege qua regitur, inferiorum naturarum turpi voluptate, quasi mercede, prostituta corrumpitur ? Et ideo quisquis carnalem delectationem adversus rectam voluntatem suam rebellare sentit per consuetudinem peccatorum, ejus indomitæ<sup>2</sup> violentia trahitur in captivitatem, recolat quantum potest qualem pacem peccando amisit, et exclamet, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum* (Rom. vii, 24, 25). Ita enim cum se infelicem exclamat, lugendo implorat consolatoris auxilium. Nec parvus est ad beatitudinem accessus, cognitio infelicitatis suæ : et ideo, *Beati etiam lugentes ; quoniam ipsi consolabuntur*.

CAPUT XIII. — 37. Deinde sequitur, et dicit : *Si putem oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam*. Hic vero magna opus est fortitudine ad membra præcidenda. Quidquid enim est quod significat oculus, sine dubio tale est quod vehementer diligitur.

<sup>1</sup> Am. Fr. et Lov., potestatem. Mss., consensiente Mar., pretem.

<sup>2</sup> In decem Mss., indomita.

Solet enim et ab eis qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam, ita dici, Diligo eum ut oculos meos, aut etiam plus quam oculos meos. Quod autem additum est, *dexter*, fortasse ad augendam vim dilectionis valet. Quanquam enim ad videndum isti oculi corporis communiter intendantur, et si ambo intendantur, æqualiter possint ; amplius tamen formidant homines dextrum amittere. Ut iste sit sensus : Quidquid illud est quod ita diligis, ut pro dextro oculo habeas, si scandalizat te, id est, si tibi impedimento est ad veram beatitudinem, erue illud, et projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum horum, quæ ita diligis ut tanquam membra tibi hæreant, quam totum corpus tuum eat in gehennam.

38. Sed quoniam sequitur de manu dextera, et similiter dicitur, *Si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam* ; cogit querere diligentius quid dixerit oculus. In qua questione nihil mihi occurrit congruentius, quam dilectissimum amicum ; nam hoc est utique quod membrum recte possumus appellare, quod vehementer diligimus : et hunc consiliarium ; quia oculus est, tanquam demonstrans iter ; et in rebus divinis, quia dexter est : ut sinister sit dilectus quidem consiliarius, sed in rebus terrenis, ad necessitatem corporis pertinentibus ; de quo scandalizante superfluum erat dicere, quandoquidem nec dextro parcendum sit. In rebus autem divinis consiliarius scandalizans est, si in aliquam perniciosam hæresim nomine religionis atque doctrinæ conatur inducere. Ergo et dextera manus accipiatur dilectus adjutor et minister in divinis operibus : nam quemadmodum in oculo contemplatio, sic in manu recte actio intelligitur ; ut sinistra manus intelligatur in operibus quæ huic vitæ et corpori sunt necessaria.

CAPUT XIV. — 39. *Dictum est autem, Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii*. Hæc justitia minor est Pharisæorum, cui non est contrarium quod Dominus dicit, *Ego autem dico vobis, Quicumque dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœcham ; et qui solutam a viro duxerit, mœchatur*. Non enim qui præcepit dari libellum repudii, hoc præcepit, ut uxor dimittatur : sed, *Qui dimiserit*, inquit, *det illi libellum repudii* ; ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæsivit, significavit quantum potuit duris hominibus, se nolle discidium. Et ideo ipse Dominus alio loco de hoc interrogatus, ita respondit : *Hoc Moyses propter duritiam vestram fecit* (Matth. xix, 8). Quantumvis enim durus esset qui vellet dimittere uxorem, cum cogitaret libello repudii dato jam sine periculo eam posse nubere alteri, facile placaretur. Dominus ergo ad illud confirmandum ut non facile uxor dimittatur, solam causam fornicationis exceptit : cæteras vero universas molestias, si quæ forte existerint, jubet pro fide conjugali et pro castitate fortiter sustineri ; et mœchum dicit etiam virum qui eam duxerit, quæ soluta

est a viro. Cujus rei apostolus Paulus terminum ostendit, quia tamdiu observandum dicit, quamdiu vir ejus vivit : illo autem mortuo, dat nubendi licentiam (*Rom. vii, 2, 3*). Hanc enim etiam ipse regulam tenuit, et in ea non suum consilium, sicut in nonnullis monitis, sed præceptum Domini jubentis ostendit, cum ait : *Eis autem qui sunt in conjugio præcipio, non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere ; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari : et vir uxorem non dimittat* (*I Cor. vii, 10, 11*). Credo, simili forma, ut si dimiserit non ducat aliam, aut reconciliatur uxori. Fieri enim potest ut dimittat uxorem causa fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Jamvero si nec illi nubere conceditur vivo viro a quo recessit, neque huic alteram ducere viva uxore quam dimisit ; multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere. Beatiora sane conjugia judicanda sunt, quæ sive filiis procreatis, sive etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu servare potuerint : quia neque contra illud præceptum sit, quo Dominus diuitti conjugem vetat ; non enim dimittit, qui cum ea non carnaliter, sed spiritualiter vivit : et illud servatur, quod per Apostolum dicitur, *Reliquum est ut qui habent uxores, quasi non habentes sint* (*Ibid. 29*).

CAPUT XV. — 40. Illud magis solet sollicitare animum parvulorum, qui tamen secundum præcepta Christi jam vivere gestiunt, quod alio loco ipse Dominus dicit, *Quisquis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc. xiv, 26*). Videri enim potest contrarium minus intelligentibus, quod hic vetat dimitti uxorem, excepta causa fornicationis, alibi vero discipulum suum negat esse posse quemquam qui non oderit uxorem. Quod si propter concubitum diceret, non etiam patrem, et matrem, et fratres in eadem conditione poneret. Sed quam verum est quod *regnum cælorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud* (*Matth. xi, 12*) ! Quanta enim vi opus est, ut homo diligat inimicos, et oderit patrem, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres ! Utrumque enim jubet, qui ad regnum cælorum vocat. Et quomodo hæc non sint contraria inter se, ipso duce ostendere facile est ; sed ea intellecta implere difficile : quanquam et hoc eodem ipso adjuvante facillimum. Regnum enim æternum quo discipulos suos, quos etiam fratres appellat, vocare dignatus est, non habet hujusmodi necessitudines temporales. *Non enim est Judæus, neque Græcus, neque masculus, neque femina, neque servus, neque liber ; sed omnia et in omnibus Christus* (*Galat. iii, 28, et Coloss. iii, 11*). Et ipse Dominus dicit : *In resurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent ; sed erunt sicut Angeli Dei in cælis* (*Matth. xxii, 30*). Oportet ergo ut quisquis illius regni vitam jam hic meditari voluerit, oderit non ipsos homines, sed istas necessitudines temporales, quibus ista quæ transitura est vita fulcitur, quæ nascendo et moriendo peragitur : quod qui non odit, nondum amat illam vitam ubi nulla erit conditio nascendi atque

moriendi, quæ copulat terrena conjugia.

41. Itaque si aliquem bene christianum, qui tamen habet uxorem, quamvis cum ea adhuc filios generet, interrogem, utrum in illo regno habere velit uxorem ; memor utique promissorum Dei et vitæ illius, ubi corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc induet immortalitatem (*I Cor. xv, 53, 54*) ; jam magna vel certe aliquo amore suspensus, cum execratione respondebit, se vehementer id nolle. Rursus si interrogem, utrum uxorem suam post resurrectionem accepta angelicâ immutatione<sup>1</sup> quæ sanctis promittitur, secum ibi vivere velit ; tam vehementer se id velle quam illud nolle, respondebit. Sic invenitur bonus christianus diligere in una femina creaturam Dei, quam reformari et renovari desiderat ; odisse autem conjunctionem copulationemque corruptibilem atque mortalem : hoc est, diligere in ea quod homo est, odisse quod uxor est. Ita etiam diligit inimicum, non in quantum inimicus est, sed in quantum homo est ; ut hoc ei velit provepire quod sibi, id est, ut ad regnum cælorum correctus renovatusque perveniat. Hoc et de patre et de matre et cæteris vinculis sanguinis intelligendum est, ut in eis oderimus quod genus humanum nascendo et moriendo sortitum est (a), diligamus autem quod nobiscum potest ad illa regna perduci, ubi nemo dicit, Pater meus ; sed omnes uni Deo, *Pater noster* : nec, Mater mea ; sed omnes illi Jerusalem, Mater nostra : nec Frater meus ; sed omnes de omnibus, Frater noster : conjugium vero cum illo simul nobis in unum redactis, quasi unius conjugii erit, qui nos de prostitutione hujus sæculi sui sanguinis effusione liberavit. Necessè est ergo ut oderit ea quæ transeunt discipulus Christi, in iis quos secum ad ea venire desiderat, quæ semper manebunt ; et tanto magis hæc in eis oderit, quanto magis eos diligit.

42. Potest igitur christianus cum conjuge concorditer vivere ; sive indigentiam carnalem cum ea supplens, quod secundum veniam, non secundum imperium<sup>2</sup> dicit Apostolus ; sive filiorum propagationem, quod jam nonnullo gradu potest esse laudabile ; sive fraternam societatem, sine ulla corporum commixtione, habens uxorem tanquam non habens, quod est in conjugio Christianorum excellentissimum atque sublime : ut tamen oderit in ea nomen temporalis necessitatis<sup>3</sup>, et diligat spem sempiternæ beatitudinis. Odimus enim sine dubio, quod certe ut aliquando non sit optamus, sicut istam ipsam præsentis sæculi vitam, quam temporalem si non odissemus, non desideraremus futuram, quæ non est tempori obnoxia. Pro hac enim vita posita est anima, de qua ibi dictum est, *Qui non oderit insuper et animam suam, non potest esse meus discipulus* (*Luc. xiv, 6*). Huic namque vitæ cibus est necessarius iste corruptibilis, de quo ipse

<sup>1</sup> Sic Mss. et editi, præter Mar. et Lov., qui habent, *immortalitate*.

<sup>2</sup> In omnibus Mss., *non secundum debitum*.

<sup>3</sup> Am. Fr. et Lov., *oderit in ea omnes temporales necessitates*. At Mss., *oderit in ea nomen temporalis necessitatis*. Sic etiam Mar. ubi pro *necessitatis*, legendum videtur, *necessitudinis*.

(a) I Retract., cap. 10, n. 5.

dominus dicit, *Nonne anima plus est quam esca* (Matth. vi, 25)? id est, hæc vita cui necessaria est esca. Et quod dicit, ut animam suam ponat pro ovibus suis (Joan. x, 15); hanc utique vitam dicit, cum se pro vobis moriturum esse pronuntiat.

CAPUT XVI.—43. Exoritur hic altera questio, cum Dominus causa fornicationis permittat dimitti uxorem, quatenus hoc loco intelligenda sit fornicatio: utrum quousque intelligunt omnes, id est, ut eam fornicationem credamus dictam quæ in stupris committitur; an quemadmodum Scripturæ solent fornicationem vocare, sicut supra dictum est, omnem illicitam corruptionem, sicut est idololatria vel avaritia, et ex eo jam omnis transgressio legis propter illicitam concupiscentiam (a). Sed consulamus Apostolum, ne aliquid temere dicamus: *His qui sunt in conjugio*, inquit, *præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere inuuptam, aut viro suo reconciliari*. Potest enim fieri ut discedat ea causa qua Dominus permittit. Aut si feminæ licet virum dimittere etiam præter causam fornicationis, et non licet viro; quid respondebimus de hoc quod dixit posterius, *Et vir uxorem se dimittat*? Quare non addidit, excepta causa fornicationis, quod Dominus permittit; nisi quia similem formam vult intelligi, ut si dimiserit (quod causa fornicationis permittitur), maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori? Non enim male reconciliaretur vir illi mulieri, quam cum lapidare nemo ausus esset, dixit ei Dominus: *Vade, et vide deinceps ne pecces* (Id. viii, 11). Quia et qui dicit, Non licet dimittere uxorem, nisi causa fornicationis; cogit retinere uxorem, si causa fornicationis non fuerit; si autem fuerit, non cogit dimittere, sed permittit: sicut dicitur, Non liceat mulieri nubere alteri, nisi mortuo viro; si ante viri mortem nupserit, rea est: si post viri mortem non nupserit, non est rea; non enim jussa est nubere, sed permessa. Si ergo par forma est in isto jure conjugii inter virum et mulierem, usque adeo ut non tantum de femina, idem Apostolus dixerit, *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir; sed etiam de illo non tacuerit dicens, Similiter et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*; si ergo virum similis forma est, non oportet intelligi licere mulieri virum dimittere, nisi causa fornicationis, sicut et viro.

44. Considerandum est itaque quatenus fornicationem intelligere debeamus, et consulendus, ut cæperamus, Apostolus. Sequitur enim et dicit, *Cæteris autem ego dico, non Dominus*. Hic primo videndum est quibus cæteris; dicebat enim superius ex Domini persona iis qui sunt in conjugio, nunc vero ex sua persona cæteris dicit: ergo fortasse iis qui non sunt in conjugio: sed non hoc sequitur. Ita enim subjungit: *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*. Ergo etiam nunc iis dicit qui sunt in conjugio. Quid sibi ergo vult quod ait, *cæteris*: nisi quia superius eis loquebatur, qui sic copulati erant, ut pariter in fide Christi essent; cæteris vero nunc dicit, id est eis qui sic copulati sunt,

(b) 1 Retract. cap. 19, n. 6.

ut non ambo fideles sint? Sed quid eis dicit? *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum*. Si ergo non præcipit ex Domini persona, sed ex sua persona monet, ita est hoc bonum, ut si quis aliter fecerit, non sit præcepti transgressor: sicut de virginibus paulo post dicit, præceptum Domini se non habere, consilium autem dare; atque ita laudat virginitatem, ut arripiat eam qui voluerit, non tamen ut si non fecerit, contra præceptum fecisse judicetur. Aliud enim est quod jubetur, aliud quod monetur, aliud quod ignoscitur. Jubetur mulier a viro non discedere; quod si discesserit, manere inuuptam aut viro suo reconciliari: aliter ergo non licet facere. Monetur autem vir fidelis, si habet uxorem infidelem consentientem secum habitare, non eam dimittere: licet ergo et dimittere; quia non est præceptum Domini, ne dimittat, sed consilium Apostoli: sicut monetur virgo non nubere; sed si nupserit, consilium quidem non tenebit, sed contra præceptum non faciet. Ignoscitur cum dicitur, *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium*. Quapropter, si licet ut dimittatur conjux infidelis, quamvis melius si: non dimittere, et tamen non licet secundum præceptum Domini ut dimittatur conjux nisi causa fornicationis, fornicatio est etiam ipsa infidelitas.

45. Quid enim tu dicis, Apostole? Certe ut vir fidelis consentientem secum habitare mulierem infidelis non dimittat. Ita, inquit, Cum ergo hoc et Dominus præcipiat, ne dimittat vir uxorem, nisi causa fornicationis, quare hic dicis, *Ego dico, non Dominus?* Quia scilicet idololatria quam sequuntur infideles, et quælibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti: sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit non dimittat uxorem infidelem, quo sic fortasse possit fieri fidelis. *Sanctificatus est enim*, inquit, *vir infidelis in uxore*<sup>1</sup>; *et sanctificata est mulier infidelis in fratre*. Credo, jam provenerat ut novellæ feminæ per viros fideles, et viri per uxores fideles in fidem venirent; et quamvis non dicens nomina, exemplis tamen hortatus est, ad confirmandum consilium suum. Deinde sequitur: *Alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt* (I Cor. vii). Jam enim erant parvuli christiani, qui sive auctore uno ex parentibus, sive utroque consentiente sanctificati erant: quod non fieret, nisi uno credente dissociaretur conjugium, et non toleraretur infidelitas conjugis usque ad opportunitatem credendi. Hoc est ergo consilium ejus, cui credo dictum esse, *Si quid supererogaveris, rediens reddam tibi* (Luc. x, 35).

46. Porro si infidelitas fornicatio est, et idololatria infidelitas, et avaritia idololatria, non est dubitandum et avaritiam fornicationem esse. Quis ergo jam quam-

<sup>1</sup> dicit, *in uxore fidelis*: et paulo post, *in fratre fidelis*. At Mss. in utroque loco carent voce, *fidelis*: quæ ab Apostoli græco textu abest; nec in latino erat, teste Augustino, infra, cap. 22.



libet illicitam concupiscentiam potest recte a fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quæ in stupris cum alienis viris aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, et perniciose turpiterque corrumpi, possit sine crimine et vir uxorem dimittere, et uxor virum: quia exceptam facit Dominus causam fornicationis; quam fornicationem, sicut supra considerationem est, generalem et universalem intelligere cogimur.

47. Cum autem ait, *exceptu causa fornicationis*; non dixit cujus ipsorum, viri, an feminæ. Non enim tantum fornicantem uxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam quoque uxorem dimittit, a qua ipse cogitur fornicari, causa fornicationis utique dimittit. Velut si aliquem cogat uxor sacrificare idolis, qui talem dimittit, causa fornicationis dimittit, non tantum illius, sed et suæ: illius, quia fornicatur; suæ, ne fornicetur. Nihil autem iniquius, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud, *In quo enim alterum iudicas, temetipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas* (Rom. II, 1). Quapropter, quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus: quod similiter etiam de femina dixerim.

48. Quod autem dicit, *Quisquis solutam a viro duxerit, mœchatur*; quæri potest utrum quomodo mœchatur ille qui ducit, sic et illa quam ducit. Jubetur enim et illa manere innupta, aut viro reconciliari: sed si discesserit, inquit, a viro. Multum autem interest utrum dimittat, an dimittatur. Si enim ipsa virum dimiserit, et alteri nupsarit; videtur cupiditate mutandi conjugii virum priorem reliquisse, quæ sine dubio adulterina cogitatio est. Si autem dimittatur a viro, cum quo esse cupiebat; mœchatur quidem qui eam duxerit, secundum Domini sententiam, sed utrum et ipsa tali crimine teneatur, incertum est. Quamvis multo minus inveniri possit quomodo cum vir et mulier pari consensu sibi misceantur, unus eorum mœchus sit, et non sit alter. Huc accedit, quia si mœchatur ille ducendo eam quæ soluta est a viro, quamquam non dimiserit, sed dimissa sit, ipsa eum facit mœchari, quod nihilominus Dominus vetat. Ex quo colligitur, sive dimissa fuerit, sive dimiserit, oportere illam manere innuptam, aut viro reconciliari.

49. Rursum quæritur utrum si uxoris permisso, sive sterilis, sive quæ concubitum pati non vult, adhibuerit sibi alteram vir, non alienam, neque a viro sejunctam, possit esse sine crimine fornicationis? Et in historia quidem Veteris Testamenti invenitur exemplum; sed nunc præcepta majora sunt, in quæ per illum gradum generatio humana pervenit: tractanda illa sunt ad distinguendas ætates dispensationis divinæ providentiæ, quæ humano generi ordinatissime subvenit; non autem ad vivendi regulas usurpandas<sup>1</sup>. Sed tamen utrum quod ait Apostolus, *Mulier non ha-*

<sup>1</sup> In Corbeiensi codice, ad vivendi regulam usurpanda.

*bet potestatem sui corporis, sed vir; similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier*; possit in tantum valere, ut permittente uxore, quæ maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena uxor sit, nec a viro disjuncta, concumbere: sed non ita est existimandum, ne hoc etiam femina, viro permittente, facere posse videatur, quod omnium sensus excludit.

50. Quanquam nonnullæ causæ possint existere, ubi et uxor, mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur: sicut Antiochiæ factum esse perhibetur ante quinquaginta ferme annos, Constantii temporibus (a). Nam Acyndinus tunc præfectus, qui etiam consul fuit, cum quemdam libræ auri debitorem fisci exigeret, nescio unde commotus, quod plerumque in istis potestatibus periculosum est, quibus quodlibet licet, aut potius putatur licere, comminatus, est jurans et vehementer affirmans, quod si certo die quem constituerat, memoratum aurum non exsolveret, occideretur. Itaque cum ille teneretur immensi custodia, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere et propinquare cepit. Et forte habebat uxorem pulcherrimam, sed nullius pecuniæ qua subveniret viro: cujus mulieris pulchritudine cum quidam dives esset accensus, et cognovisset maritum ejus in illo discrimine constitutum, misit ad eam pollicens pro una nocte, si ei misceri vellet, se auri libram daturum. Tum illa quæ se sciret non habere sui corporis potestatem, sed virum suum, pertulit ad eam dicens paratam se esse pro marito id facere, si tamen ipse conjugalis corporis dominus, cui tota illa castitas deberetur, tanquam de re sua pro vita sua vellet id fieri. Egit ille gratias, et ut id fieret imperavit, nullo modo iudicans adulterinum esse concubitum, quod et libido nulla et magna mariti charitas se jubente et volente flagitaret. Venit mulier ad villam illius divitis, fecit quod voluit impudicus: sed illa corpus non nisi marito dedit, non concumbere, ut solet, sed vivere cupienti. Accepit aurum: sed ille qui dedit, fraude subtraxit quod dederat, et suppositum simile ligamentum cum terra. Quod ubi mulier jam domi suæ posita invenit, prosiluit in publicum eadem mariti charitate clamatura quod fecerat, qua facere coacta est: interpellat præfectum, fatetur omnia, quam fraudem passa esset ostendit. Tum vero præfectus primo se recum, quod suis minis ad id ventum esset, pronuntiat, tanquam in aliam sententiam dicens, de Acyndini bonis auri libram fisco inferendam; illam vero mulierem dominam in eam terram, unde pro auro terram accepisset, induci. Nihil hinc in aliquam partem disputo; liceat cuique æstimare quod velit: non enim de divinis auctoritatibus deprompta historia est: sed tamen narrato facto, non ita respuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere viro jubente commissum est, quemadmodum antea, cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus. Sed in hoc Evangelii capitulo nihil fortius considerandum est, quam tantum matum

(a) Circa Christi annum 345: quippe hoc scribebat sub an. 303.

esse fornicationis, ut cum tanto vinculo sibi conjugia constringantur, hæc una causa solutionis excepta sit : quæ sit autem fornicatio, jam tractatum est.

CAPUT XVII. — 51. *Iterum, inquit, audistis quia dictum est antiquis, Non pejerabis, reddes autem Domino jusjurandum tuum. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes facere capillum unum album aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non: quod autem amplius est, a malo est. Justitia Phariseorum est, non pejerare: hanc confirmat qui vetat jurare, quod pertinet ad justitiam regni cælorum. Sicut enim falsum loqui non potest qui non loquitur, sic pejerare non potest qui non jurat. Sed tamen quoniam jurat qui adhibet testem Deum, diligenter considerandum est hoc capitulum, ne contra præceptum Domini Apostolus fecisse videatur, qui sæpe hoc modo juravit, cum dicit, *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior (Galat. 1, 20): et iterum, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quia non mentior (II Cor. xi, 31)*. Tale est etiam illud, *Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quomodo sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis (Rom. 1, 9, 10)*. Nisi forte quis dicat tunc habendam esse jurationem, cum per aliquid dicitur per quod juratur: ut non juraverit, quia non dixit, per Deum; sed dixit, *Testis est Deus*. Ridiculum est hoc putare: tamen propter contentiosos aut multum tardos<sup>1</sup>, ne aliquid interesse quis putet, sciat etiam hoc modo jurasse Apostolum dicentem, *Quotidie morior, per vestram gloriam (I Cor. xv, 31)*. Quod ne quis existimet ita dictum, tanquam si diceretur, *Vestra gloria me facit quotidie mori; sicut dicitur, Per illius magisterium doctus factus est, id est, illius magisterio factum est ut perfecte doceretur: græca exemplaria dijudicant, in quibus scriptum est, Νὴ τῆν κἀρχὴν ὑμετέρων*, quod non nisi a jurante dicitur. Ita ergo intelligitur præcepisse Dominum ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, et assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, refrenet se quantum potest, ut non ea utatur, nisi necessitate, cum videt pigros esse homines ad credendum, quod eis utile est credere, nisi juratione firmentur<sup>2</sup>. Ad hoc itaque pertinet quod sic dicitur, *Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non: hoc bonum est, et appetendum, Quod autem amplius est, a malo est; id est, si jurare cogaris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades: quæ infirmitas utique malum est, unde nos quotidie liberari deprecamur, cum dicimus, *Libera nos a malo (Matth. vi, 13)*. Itaque non dixit, *Quod autem amplius est, malum est;***

<sup>1</sup> In undecim mss., *propter calumniosos aut multum tardiores*.

<sup>2</sup> In tribus mss., *firmetur*.

tu enim non malum facis, qui bene uteris Juratione, quæ etsi non bona, tamen necessaria est ut alteri persuadeas quod utiliter suades: sed *a malo est*, illius cuius infirmitate jurare cogaris. Sed nemo novit nisi qui expertus est, quam sit difficile et consuetudinem jurandi extinguere, et nunquam tomere facere quod nonnunquam facere necessitas cogit.

52. Quæri autem potest, cum diceretur, *Ego autem dico vobis non jurare omnino, cur additum sit, neque per cælum, quia thronus Dei est, et cætera, usque ad id quod dictum est, neque per caput tuum*. Credo propterea, quia non putabant Judæi se teneri jurejurando, si per ista jurassent: et quoniam audierant, *Reddes autem Domino jusjurandum tuum; non se putabant Domino debere jusjurandum, si per cælum aut terram, aut per Jerosolymam, aut per caput suum jurarent: quod non vitio præcipientis, sed illis male intelligentibus, factum est. Itaque Dominus docet nihil esse tam vile in creaturis Dei, ut per hoc quisque pejerandum arbitretur; quando a summis usque ad ima divina providentia creata regantur, incipientes a throno Dei usque ad capillum album aut nigrum. Neque per cælum, inquit, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est: id est, cum juras per cælum aut terram, non te arbitreris non debere Domino jusjurandum tuum; quia per eum jurare convinceris cuius cælum thronus est, et cuius scabellum terra est. Neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis: melius quam si diceret, mea; cum tamen hoc dixisset intelligatur. Et quia ipse utique Dominus est, Dominio jusjurandum debet, qui per Jerosolymam jurat. Neque per caput tuum juraveris. Quid enim poterat quisque magis ad se pertinere arbitrari, quam caput suum? Sed quomodo nostrum est, ubi potestatem faciendi unius capilli albi aut nigri non habemus? Ergo Deo debet jusjurandum ineffabiliter tenenti omnia, et ubique præsentis, quisquis etiam per caput suum jurare voluerit: et hic etiam cætera intelliguntur, quæ omnia utique dici non poterant; sicut illud commemoravimus dictum ab Apostolo, *Quotidie morior, per vestram gloriam*. Quam jurationem ut Domino se debere ostenderet, addidit, *quam habeo in Christo Jesu*.*

53. Verumtamen propter carnales dico, non oportet opinari quod dictum est cælum thronus Dei, et terra scabellum pedum ejus, quod sic habeat Deus collocata membra in cælo et in terra, ut nos cum sedemus; sed illa sedes judicium significat: et quoniam in hoc universo mundi corpore maximam speciem cælum habeat, et terra minimam; tanquam præsentior sit excellenti pulchritudini vis divina, minimam vero ordinet in extremis atque in infimis, sedero in cælo dicitur terramque calcare. Spiritualiter autem sanctas animas cæli nomen significat; et terræ, peccatrices: et quoniam spiritualis omnia judicat, ipso autem a nemine judicatur (I Cor. ii, 15), convenienter dicitur sedes Dei: peccator vero cui dictum est, *Terra es, et in terram ibis (Gen. iii, 19)*; quia per justitiam meritis digna tribuentem, in infimis ordinatur, et qui

in lege manere noluit, sub lege punitur<sup>1</sup>, congruenter accipitur scabellum pedum ejus.

CAPUT XVIII. — 54. Sed jam ut istam quoque concludamus summam, quid laboriosius et operosius dici aut cogitari potest, ubi omnes nervos industriæ suæ animus fidelis exerceat, quam in vitiosa consuetudine superanda? præcidat membra impediencia regnum cœlorum, nec dolore frangatur: toleret in conjugali fide omnia, quæ quamvis sint molestissima, crimen tamen illicitæ corruptionis, id est, fornicationis non habent: veluti si uxorem quisque habeat, sive sterilem, sive deformem corpore, sive debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, sive morbis et doloribus languoribusque confectam, et quidquid excepta fornicatione cogitari potest vehementer horribile, pro fide et societate sustineat; neque solum talem non abiciat, sed etiam si non habeat, non ducat eam quæ soluta est a viro, pulchram, sanam, divitem, secundam. Quæ si facere non licet, multo minus sibi licere arbitretur ad ullum alium illicitum concubitum accelerare: fornicationemque sic fugiat, ut ab omni turpi corruptione sese extrahat. Verum loquatur, neque id jurationibus crebris, sed morum probitate commendet: rebellantes adversum se omnium malarum consuetudinum innumerabiles turbas, de quibus ut omnes intelligerentur, paucae commemoratae sunt, confugiens ad arcem christianæ militiæ, tanquam de loco superiore prosterant. Sed quis tantos labores inire audeat, nisi qui sic flagrat amore justitiæ, ut tanquam fame et siti vehementissime accensus, et nullam sibi vitam donec satiatur existimans, viam faciat in regnum cœlorum? Non enim aliter esse poterit fortis ad toleranda omnia, quæ in præcidendis consuetudinibus laboriosa et ardua et omnino difficilia sæculi hujus amatores putant. *Beati ergo qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.*

55. Verum tamen in his laboribus cum quisque difficultatem patitur, et per dura et aspera gradum faciens circumvallatus variis tentationibus, et hinc atque hinc insurgere præteritæ vitæ moles<sup>2</sup> intueus, timet ne aggressa implere non possit, arripiat consilium, ut auxilium mereatur. Quod est autem aliud consilium, nisi ut infirmitatem aliorum ferat, et ei quantum potest opuletur, qui suæ divinitus desiderat subveniri? Consequenter itaque præcepta misericordiæ videamus. Mitis autem et misericors unum videntur: sed hoc interest, quod mitis, de quo superius tractatum est, pietate non contradicit divinis sententiis quæ in sua peccata proferuntur, neque illis Dei sermonibus quos noandum intelligit; sed nullum beneficium præstat ei cui non contradicit nec resistit: misericors autem ita non resistit, ut propter ejus correctionem id faciat, quem redderet resistendo pejorem.

CAPUT XIX. — 56. Sequitur ergo Dominus, et dicit: *Andistis quia dictum est, Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere*

*adversus malum: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram; et qui voluerit tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, remitte illi et vestimentum; et qui te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo. Omni petenti te da, et qui roluerit a te mutuari, ne aversatus fueris. Pharisæorum justitia minor est non excedere in vindicta modum, ne plus rependat quisque quam accepit: et magnus hic gradus est. Nemo enim facile invenitur qui pugno accepto pugnum reddere velit; et uno a conviciante verbo audito, unum et quod tantumdem valeat referro contentus sit: sed sive ira perturbatus immoderatus vindicat; sive quia justum putat, eum qui læsit prior gravius lædi, quam læsus est qui non læserat. Talem animam magna ex parte refrenavit lex, in qua scriptum est, *Oculum pro oculo, et dentem pro dente*. quibus nominibus significatur modus, ut injuriam vindicta non transeat. Et hæc est pacis inchoatio: perfecta autem pax est, talem penitus nolle vindictam.*

57. Inter illud ergo primum quod præter legem est ut majus malum pro minore malo reddatur, et hoc quod Dominus perliciendis discipulis dixit, ne pro malo ullum malum reddatur; medium quemdam locum tenet, ut tantum reddatur quantum acceptum est, per quod a summa discordia ad summam concordiam pro temporum distributione transitus factus est. Quisquis ergo malum infert prior studio lædendi et nocendi, vide quantum distet ab eo qui ne læsus rependit. Quisquis autem nulli prior male fecit, sed tamen læsus rependit gravius, vel voluntate vel facto, recessit aliquantum a summa iniquitate, et processit ad summam justitiam, et tamen pondum tenet quod lex quæ per Moysen data est imperavit. Qui ergo tantum reddit quantum accepit, jam donat aliquid: non enim tantam pœnam meretur nocens, quantum ille qui ab eo læsus innocens passus est. Hanc ergo inchoatam, non severam, sed misericordem justitiam ille perficit, qui legem venit implere, non solve. Duos ergo adhuc gradus qui intersunt, intelligendos reliquit, et de ipso summo misericordiæ culmine dicere maluit. Nam est adhuc quod faciat, qui non implet istam magnitudinem præcepti, quæ pertinet ad regnum cœlorum; ut non reddat tantum, sed minus, velut pro duobus pugnis unum, aut pro evulso oculo aurem præcidat. Hinc ascendens qui omnino nihil rependerit, propinquat præcepto Domini, nec tamen adhuc ibi est. Parum enim adhuc videtur Domino; si pro malo quod acceperis, nihil rependas mali, nisi etiam amplius sis paratus accipere. Quapropter non ait, *Ego autem dico vobis*, non reddere malum pro malo; quamquam hoc etiam magnum præceptum sit: sed ait, *non resistere adversus malum*; ut non solum non rependas quod tibi fuerit irrogatum, sed etiam non resistas quo minus aliud irrogetur. Hoc est enim quod etiam consequenter exponit: *Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram: non enim ait, Si quis te percusserit, noli tu percutere; sed, Para te adhuc percutienti. Quod ad misericordiam pertinere, hi maxime sentiunt, qui eis quos multum diligunt, tan-*

(Quarante.)

<sup>1</sup> Arnulienſis codex, *sub lege ponitur.*

<sup>2</sup> Sic MSS. et Mar. Al. Am. Fr. et Lov., *vita molestias.*

quam filiis vel quibuslibet dilectissimis suis egrotantibus seruiunt vel parvulis vel phreneticis : a quibus multa sæpe patiuntur, et si eorum salus id exigat, præbent se etiam et plura patiuntur, donec vel ætatis vel morbi infirmitas transeat. Quos ergo Dominus medicus animarum, curandis proximis instruebat, quid eos aliud docere posset, nisi ut eorum quorum salutem consulere vellent, imbecillitates æquo animo tolerarent? Omnis namque improbitas ex imbecillitate animi venit : quia nihil innocentius est eo qui in virtute perfectus est.

58. Quæri autem potest quid sibi velit dextera maxilla. Sic enim in exemplaribus græcis, quibus major fides habenda est, invenitur : nam multa latina, maxillam tantum habent, non etiam dexteram. Facies est autem qua quisque cognoscitur : et legimus apud Apostolum, *Toleratis enim si quis vos in servitute redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit* (II Cor. xi, 20, 21); ut exponat quid sit in faciem cædi, hoc est contemni atque despici. Quod quidem non ideo dicit Apostolus, ut illos non sustinerent; sed ut se magis qui eos sic diligeret, ut seipsum pro eis vellet impendi (Id. xii, 15). Sed quoniam facies non potest dici dextera et sinistra, et tamen nobilitas et secundum Deum et secundum hoc sæculum potest esse; ita distribuitur tanquam in dexteram maxillam et sinistram, ut in quocumque discipulo Christi contemptum fuerit quod christianus est, multo magis in se contemni paratus sit, si quos hujus sæculi honores habet. Sicut idem Apostolus, cum in eo persecuerentur homines nomen christianum, si taceret de dignitate quam habebat in sæculo, non præberat alteram maxillam cædentibus dexteram. Non enim dicendo, *Civis Romanus sum* (Act. xxii, 25), non erat paratus hoc in se contemni quod pro minimo habebat, ab eis qui in illo nomen tam pretiosum et salutarem contempserant. Numquid enim ideo minus postea vincula toleravit, quæ civibus Romanis non licebat imponi, aut quemquam de hac injuria voluit accusare? Et si qui ei propter civitatis Romanæ nomen pepercerunt, non tamen ille ideo non præbuit quod ferirent, cum eos a tanta perversitate corrigere cuperet patientia sua, quos videbat in se sinistras partes magis quam dexteram honorare. Illud est enim tantum attendendum, quo animo faceret omnia, quam benevole et clementer in eos a quibus ista patiebatur. Nam et pontificis jussu palma percussus, quod contumeliose visus est dicere, cum ait, *Percutiet te Deus, paries dealbate*, minus intelligentibus convicium sonat; intelligentibus vero prophetia est. Paries quippe dealbatus, hypocrisis est, id est simulatio sacerdotalium præferens dignitatem, et sub hoc nomine tanquam candido tegmine interiore quasi luteam turpitudinem occultans. Nam quod humilitatis fuit, inrabilliter custodivit, cum ei diceretur, *Principi sacerdotum maledictus?* respondit, *Nescivi, fratres, quia princeps est sacerdotum; scriptum est enim, Principi populi tui non maledices* (Act. xxiii, 3-5). Ubi ostendit

quanta tranquillitate illud dixisset, quod iratus dixisse videbatur, quod tam cito, tam mansuete respondit, quod ab indignantibus et perturbatis fieri non potest. Et in eo ipso intelligentibus verum dixit, *Nescivi quis princeps est sacerdotum* : tanquam si diceret, Ego alium scivi principem sacerdotum, pro cuius nomine ista sustinco, cui maledicere fas non est, et cui vos maledicistis, cum in me nihil aliud quam ejus odistis nomen. Sic ergo oportet non simulate ista factare<sup>1</sup>, sed in ipso corde esse ad omnia præparatum, ut possit canere illud propheticum : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (Psal. lvi, 8). Multi enim alteram maxillam præbere noverunt, diligere vero illum a quo feriuntur ignorant. At vero ipse Dominus, qui utique præcepta quæ docuit primus implevit, percutienti se in maxillam ministro sacerdotis non præbuit alteram; sed insuper dixit : *Si male locutus sum, exprobra de malo; si bene, quid me cædis* (Joan. xviii, 25)? Non tamen ideo paratus corde non fuit, non solum in alteram maxillam cædi pro salute omnium, sed etiam toto corpore crucifigi.

59. Ergo et illud quod sequitur, *Et qui voluerit tecum iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, remitte illi et vestimentum*, ad præparationem cordis, non ad ostentationem<sup>2</sup> operis præceptum recte intelligitur. Sed de tunica et vestimento quod dictum est, non in eis solis, sed in omnibus faciendum est, quæ aliquo jure temporaliter nostra esse dicimus. Si enim de necessariis hoc imperatum est, quanto magis superflua contemnere convenit? Verumtamen ea quæ nostra dixi, eo genere includenda sunt, quæ Dominus ipse præscribit, dicens, *Si quis vult iudicio tecum contendere, et tunicam tuam tollere*. Omnia ergo illa intelligantur, de quibus iudicio nobiscum contendere potest, ita ut a nostro jure in jus illius transeant, qui contendit vel pro quo contendit; sicut est vestis, domus, fundus, jumentum, et generaliter omnis pecunia. Quod utrum etiam de servis accipiendum sit magna questio est. Non enim christianum oportet sic possidere servum, quomodo equum aut argentum : quanquam fieri possit ut majore pretio valeat equus quam servus, et multo magis aliquid aureum vel argenteum. Sed ille servus, si rectius et honestius et ad Deum collocandum accommodatius abs te domino educatur, aut regitur, quam ab illo potest qui eum cupit auferre; nescio utrum quisquam dicere audeat, ut vestimentum eum debere contemni. Hominem namque homo tanquam seipsum diligere debet, cui ab omnium Domino, sicut ea, quæ sequuntur ostendunt, etiam ut inimicos diligat Imperatur.

60. Sane animadvertendum est omnem tunicam vestimentum esse, non omne vestimentum tunicam esse. Vestimenti ergo nomen plura significat quam nomen tunice. Et ideo sic dictum esse arbitror, *Et qui voluerit tecum iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, remitte illi et vestimentum*; tanquam si diceret, Qui voluerit tunicam tuam tollere, remitte illi et si

<sup>1</sup> Duodecim MSS., *insultare*.

<sup>2</sup> Sic MS. Al. editi, *a. tensionem*.

quid aliud indumenti habes. Ideo nonnulli *pallium* interpretati sunt, quod græce positum est *ἵματιον*.

61. *Et qui te angariaverit, inquit, mille passus, vade cum illo alia duo.* Et hoc utique non tam ut pedibus agas, quam ut animo sis paratus. Nam in ipsa christiana historia, in qua est auctoritas, nihil tale iavencis factum esse a sanctis, vel ab ipso Domino, cum in homine quem suscipere dignatus est, vivendi nobis præberet exemplum; cum tamen omnibus fere locis eos invenias paratos fuisse æquo animo tolerare quidquid eis improbe fuisset ingestum. Sed verbi gratia dictum putamus, *Vade cum eo alia duo?* an tria compleri voluit, quo numero significatur perfectio; ut meminerit quisque cum hoc facit, perfectam se implere iustitiam, misericorditer perferendo infirmitates eorum quos vult sanos fieri? Potest videri propterea etiam tribus exemplis hæc præcepto insinuisse: quorum primum est, si quis te percuterit in maxillam; secundum, si quis tunicam tollere voluerit; tertium, si quis mille passus angariaverit: in quo tertio exemplo simpli duplum additur, ut triplum compleatur. Qui numerus hoc loco si non, ut dictum est, significat perfectionem; illud accipiatur, quod in præcipiendo tanquam tolerabilis incipiens paulatim creverit, donec perveniret usque ad duplum aliud perferendum. Nam primo præberi voluit alteram maxillam, cum fuerit dextra percussa, ut minus perferre paratus sis quam pertulisti. Quidquid enim dextera significat, et charius est utique quam id quod sinistra significat, et qui in re chariore aliquid pertulit, si et in viliori perferat, minus est. Deinde illi qui tunicam vult tollere, jubet et vestimentum remitti: quod aut tantumdem est, aut non multo amplius; non tamen duplum. Tertio de mille passibus, quibus credenda dicit duo millia, usque ad duplum aliud perferas jubet: ita significans, sive aliquanto minus quam jam fuit, sive tantumdem, sive amplius quisque improbus in te esse voluerit, æquo animo tolerandum esse.

CAPUT XX. — 62. In his sane generibus trium exemplorum nullum genus injuriæ prætermisum esse video. Namque omnia in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera dividuntur: quorum alterum est quod restitui non potest; alterum quod potest. Sed in illo quod restitui non potest, vindictæ solatium quaeri solet. Quid enim prodest quod percussus repercutis? Numquid propterea illud quod in corpore laesum est, restituitur in integrum? Sed tumidus animus talia somenta desiderat: sanus autem firmiterque ista non juvat; quin potius misericorditer perferendam alterius infirmitatem iudicat, quam aliæ supplicio suam mitigandam, quæ nulla est.

63. Neque hic ea vindicta prohibetur, quæ ad correctionem valet: etiam ipsa enim pertinet ad misericordiam; nec impedit illud propositum, quo quisque paratus est ab eo quem correctum esse vult, plura perferre. Sed huic vindictæ referendæ non est idoneus, nisi qui odium quo solent flagrare qui se vindicare desiderant, dilectionis magnitudine superaverit<sup>1</sup>. Non

enim metuendum est ne odisse parvulum filium parentes videantur, cum ab eis vapulat peccans, ne peccet ulterius. Et certe perfectio dilectionis ipsius Dei Patris imitatione nobis proponitur, cum in sequentibus dicitur, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro eis qui vos persequuntur*; et tamen de ipso dicitur per prophetam, *Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit* (Prov. III, 12). Dicit et Dominus: *Servus qui nescit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit poena; servus autem qui scit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit multa* (Luc. XII, 48, 47). Non ergo quaeritur, nisi ut et ille vindicet, cui rerum ordine potestas data est; et ea voluntate vindicet, quæ pater in parvulum filium, quem per ætatem odisse novidum potest. Hinc enim aptissimum exemplum ducitur, quo satis appareat posse peccatum amore potius vindicari, quam impunitum relinqui: ut illum in quem vindicat non poena miserum, sed correctione beatum velit; paratus tamen, si opus sit, æquo animo plura tolerare ab eo illata, quem vult esse correctum, sive in eum habeat potestatem coercendi, sive non habeat.

64. Magni autem et sancti viri, qui jam optime scirent mortem istam quæ animam dissolvit a corpore, non esse formidandam, secundum eorum tamen animum qui illam timent, nonnulla peccata morte pavuerunt, quod et viventibus utilis melus incuteretur, et illis qui morte puniebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum, quod augeri posset, si viverent. Non temere illi iudicabant, quibus tale iudicium donaverat Deus. Inde est quod Elias multos morte affecit, et propria manu (III Reg. XVIII, 40), et igne divinitus impetrato (IV Reg. I, 10): quod et alii multi magni et divini viri eodem spiritu consulendi rebus humanis non tenere fecerunt. De quo Elia cum exemplum dedissent discipuli, Domino commemorantes quid ab eo factum sit, ut etiam ipsis daret potestatem petendi de cælo ignem ad consumendum eos qui sibi hospitium non præberent; reprehendit in eis Dominus non exemplum prophetæ sancti, sed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus (Luc. IX, 52-56): animadvertens eos non amore correctionem, sed odio desiderare vindictam. Itaque posteaquam eos docuit quid esset diligere proximum tanquam seipsum, infuso etiam Spiritu sancto, quem decem diebus completis post ascensionem suam desuper, ut promiserat, misit (Act. II, 1-4), non defuerunt tales vindictæ, quamvis multo rarius quam in Veteri Testamento. Ibi enim ex majore parte servientes timore premebantur; hic autem maxime dilectione liberi nutriebantur. Nam et verbis apostoli Petri Ananias et uxor ejus, sicut in Actibus Apostolorum legimus, exanimis ceciderunt, nec resuscitati sunt, sed sepulti (Id. V, 1-10).

65. Sed si huic libro hæretici (a) qui adversantur Veteri Testamento, nolunt credere, Paulum apostolum quem nobiscum legunt, intueantur dicentem de quodam peccatore quem tradidit satanæ in incertum car-

<sup>1</sup> Octo xss., dilectionis mansuetudine superaverit.

(a) Manichæi.

nis, ut anima salva sit (I Cor. v, 5). Et si nolunt hinc mortem intelligere (fortasse enim incertum est), quamlibet vindictam per satanam factam ab Apostolo factantur: quod non eum odio, sed amore fecisse manifestat illud adjectum, ut anima salva sit. Aut in illis libris quibus ipsi magnam tribuunt auctoritatem, animadvertant quod dicimus, ubi scriptum est apostolum Thomam imprecatum eundem, a quo palma percussus esset, atrocissime mortis supplicium, anima tamen ejus commendata, ut in futuro ei sæculo parceretur: cujus a leone occisi, a cætero corpore disceptam manum canis intulit mensis in quibus convivebatur Apostolus. Cui scripturæ licet nobis non credere; non est enim in catholico canone: illi tamen eam et legunt, et tanquam incorruptissimam verissimamque honorant, qui adversus corporales vindictas quæ sunt in Veteri Testamento, nescio qua cæcitate acerrime seviunt, quo animo et qua distributione temporum factæ sint omnino nescientes.

66. Tenebitur ergo in hoc injuriarum genere, quod per vindictam luitur, iste a Christianis modus<sup>1</sup>, ut accepta injuria non surgat in odium, sed infirmitatis misericordia paratus sit animus plura perpeti; nec correctionem negligat, qua vel consilio, vel auctoritate, vel potestate uti potest. Aliud injuriarum genus est, quod in integrum restitui potest: cujus duæ species, una ad pecuniam, altera ad operam pertinet. Quapropter illius de tunica et vestimento, hujus de angaria mille passuum et duum millium exempla subjecta sunt: quia et reddi vestimentum potest; et quem adjuveris opera, potest te etiam ipse, si opus fuerit, adjuvare. Nisi forte ita potius distinguendum est, ut prius quod positum est de percussa maxilla, omnia significet quæ sic ingeruntur ab improbis, ut restitui non possint nisi vindicta: secundum quod positum est de vestimento omnia significet quæ possunt restitui sine vindicta; et ideo forte additum est, *Qui voluerit tecum iudicio contendere*, quia quod per iudicium auferitur, non ea vi putatur auferri, cui vindicta debeatur: tertium vero ex utroque confectum sit, ut et sine vindicta et cum vindicta possit restitui. Nam qui operam indebitam violenter exigit sine ullo iudicio, sicut facit qui a gariat hominem improbe, et cogit se illicite adjuvari ab invito, et poenam improbitatis potest luere, et operam reddere, si hanc ille repetat qui improbum pertulit. In his ergo omnibus generibus injuriarum Dominus docet patientissimum et misericordissimum, et ad plura referenda paratissimum animum christiani esse oportere.

67. Sed quoniam parum est non nocere, nisi etiam præstes beneficium quantum potes, consequenter adjungit, et dicit: *Omni petenti te da, et qui voluerit mutuari a te, ne aversatus fueris. Omni petenti*, inquit; non, omnia petenti: ut id des quod dare honeste et juste potes. Quid si enim pecuniam petat, qua innocentem conetur opprimere? quid si postremo stuprum petat? Sed ne multa persequar quæ sunt

<sup>1</sup> Mss. tres, *iste christianus modus*. Paulo post, in omnibus fere Mss., *surgat odium*, prætermissa præpositione, in.

innumerabilia, id profecto dandum est quod nec tibi nec alteri noceat, quantum sciri aut credi ab homine potest: et cui juste negaveris quod petit, indicanda est ipsa justitia, ut non cum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamvis non semper id quod petit dabis; et aliquando melius aliquid dabis, cum petentem injusta correxeris.

68. Quod autem ait, *Qui voluerit a te mutuari, ne aversatus fueris*; ad animum referendum est. Hilarem enim datorem diligit Deus (II Cor. ix, 7). Mutuatur autem omnis qui accipit, etiam si non ipse soluturus est: cum enim misericordibus Deus plura restituit, omnis qui beneficium præstat, feneratur. Aut si non placet accipere mutuantem nisi eum qui accipit redditurus, intelligendum est Dominum duo ipsa genera præstandi esse complexum. Namque aut donamus quod damus benevole, aut reddituro commodamus. Et plerumque homines, qui proposito divino præmio donare parati sunt, ad dandum quod mutuum petitur pigri fiunt, quasi nihil recepturi a Deo, cum rem quæ datur, ille qui accipit exsolvat. Recte itaque ad hoc beneficium tribuendi genus nos divina hortatur auctoritas dicens, *Et qui voluerit a te mutuari, ne aversatus fueris*: id est, ne propterea voluntatem alienes ab eo qui petit, quia et pecunia tua vacabit<sup>1</sup>, et Deus tibi non redditurus est, cum homo reddiderit; sed cum id ex præcepto Dei facis, apud illum qui hæc jubet, infructuosum esse non potest.

CAPUT XXI.—69. Deinde adjungit, et dicit: *Audiatis quia dictum est, Diliges proximum tuum, et oderis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, et orate pro eis qui vos persequuntur: ut sitia filii Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri jubet super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, qui tamen amplius faciitis? nonne et Ethnici hoc ipsum faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester qui in cælis est; perfectus est. Nam sine ista dilectione, qua etiam inimicos et persecutores nostros diligere jubemur, ea quæ superius dicta sunt implere quis potest? Perfectio autem misericordiæ, qua plurimum animæ laboranti consulitur, ultra dilectionem inimici porrigi non potest; et ideo sic clauditur: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester qui in cælis est, perfectus est*. Ita tamen ut Deus intelligatur perfectus tanquam Deus, et anima perfecta tanquam anima.*

70. Gradum tamen esse aliquem in Plarisæorum justitia, quæ ad Legem veterem pertinet, hinc intelligitur, quod multi homines eos etiam a quibus diliguntur oderunt; sicut luxuriosi filii parentes coercitores luxuriæ sive: ascendit ergo aliquem gradum qui proximum diligit, quamvis adhuc oderit inimicum. Ejus autem imperio, qui venit Legem implere, non solvere, perficiet benevolentiam et benignitatem, cum eam usque ad inimici dilectionem perduxerit. Nam ille gradus quamvis nonnullus sit, tam parvus est tamen,

<sup>1</sup> sic Mss. At edidi, *pecunia tua te vacuat*.

ut cum Publicanis etiam possit esse communis. Nec quod in Lege dictum est, *Oderis inimicum tuum*, vox iubentis justo accipienda est, sed permittentis infirmo.

71. Oritur hic sane nullo modo dissimulanda quæstio, quod huic præcepto Domini, quo nos hortatur diligere inimicos nostros, et benefacere his qui nos oderrunt, et orare pro his qui nos persequuntur, multæ aliæ Scripturarum partes nimis diligenter et sobrie considerantibus videntur adversæ; quia et in Prophetis inveniuntur multæ imprecationes adversus inimicos, quæ maledictiones putantur: sicut est illud, *Fiat mensa eorum in laqueum* (*Psal. lxxviii, 23*); et cætera quæ ibi dicuntur: et illud, *Fiant filii ejus pupilli, et uxor ejus vidua* (*Psal. cviii, 9*); et quæ alia vel supra vel infra in eodem psalmo in personam Judæ per Prophetam dicuntur. Multa alia usquequaque in Scripturis reperiuntur, quæ videntur esse contraria et huic præcepto Domini, et illi apostolico, quo ait, *Benedicite, et nolite maledicere* (*Rom. xii, 14*): cum et de Domino scriptum sit quod maledixit civitatibus quæ verbum ejus non acceperunt (*Math. xi, 20-24, et Luc. x, 13-15*); et memoratus Apostolus de quodam ita dixerit, *Reddet illi Dominus secundum opera illius* (*II Tim. iv, 14*).

72. Sed hæc facile solvuntur, quia et Propheta per imprecationem quid esset futurum cecinit, non optantis voto, sed spiritu prævidentis; ita et Dominus, ita et Apostolus: quanquam in horum etiam verbis non hoc invenitur quod optaverint, sed quod prædixerint. Non enim cum ait Dominus, *Væ tibi, Capharnaüm*, aliud sonat nisi aliquid ei mali eventurum merito infidelitatis: quod futurum Dominus non malevolentia optabat, sed divinitate cernebat. Et Apostolus non ait, *Reddat*; sed, *Reddet illi Dominus secundum opera ejus*: quod verbum prænuntiantis est, non imprecantis. Sicut et de illa hypocrisis Judæorum, de qua jam dictum est, cui eversionem imminere cernebat, dixit, *Percutiet te Deus, paries dealbate* (*Supra, cap. 19, n. 58*). Prophetæ autem maxime sicut lent figura imprecantis futura prædicere, sicut figura præteriti temporis ea quæ ventura erant sæpe cecinerunt: sicut est illud, *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania* (*Psal. ii, 1*)? Non enim dixit, *Quare fremunt gentes, et populi meditantur inania*; cum ea non quasi jam transacta meminisset, sed ventura prospiceret. Tale etiam illud est, *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestimentum meum miserunt sortem* (*Psal. xxi, 19*): et hic enim non dixit, *Divident sibi vestimenta mea, et super vestimentum meum mittent sortem*. Nec tamen de his verbis quisquam calumniatur, nisi qui non sentit varietatem istam figurarum in loquendo nihil veritati rerum minuere, et plurimum addere affectibus animorum.

CAPUT XXII. — 73. Sed illud magis urget istam quæstionem, quod dicit apostolus Joannes, *Si quis scit peccare fratrem suum peccatum non ad mortem, postulabit, et dabit illi Dominus vitam qui peccat non ad mortem: est autem peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget* (*I Joan. v, 16*). Aperte enim ostendit

esse quosdam fratres pro quibus orare non nobis præcipitur, cum Dominus etiam pro persecutoribus nostris orare jubeat. Nec ista quæstio solvi potest, nisi fateamur esse aliqua peccata in fratribus, quæ inimicorum persecutione graviora sint. Fratres autem Christianos significare, multis divinarum Scripturarum documentis probari potest. Manifestissimum tamen illud est, quod Apostolus ita ponit, *Sanctificatus est enim vir infidelis in uxore, et sanctificata est mulier infidelis in fratre*. Non enim addidit, nostro; sed manifestum existimavit, cum fratris nomine christianum intelligi voluit, qui infidelem haberet uxorem. Et ideo paulo post dicit, *Quod si infidelis discedit, discedat: non autem servituti subjectus est frater vel soror in hujusmodi* (*I Cor. vii, 14, 15*). Peccatum ergo fratris admortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidentia facibus agitatur (a): Peccatum autem non ad mortem est, si quisquam non amorem a fratre alienaverit, sed officia fraternitatis debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Quapropter et Dominus in cruce ait, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc. xxiii, 34*): nondum enim gratiæ Spiritus sancti participes facti societatem sanctæ fraternitatis inierant. Et beatus Stephanus in Actibus Apostolorum orat pro eis a quibus lapidatur (*Act. vii, 59*); quia nondum Christo crediderant, neque adversus illam communem gratiam dimicabant. Et apostolus Paulus propterea, credo, non orat pro Alexandro, quia jam frater erat, et ad mortem, id est, invidentia fraternitatem oppugnando, peccaverat. Pro his autem qui non abruperant, amorem<sup>1</sup>, sed timore succubuerant, orat ut eis ignoscatur. Sic enim dicit: *Alexander ararius multa mihi mala ostendit; reddet illi Dominus secundum opera ejus: quem et tu devota; valde enim restitit nostris sermonibus*. Deinde subjungit pro quibus orat, ita dicens: *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur* (*II Tim. iv, 14-16*).

74. Ista differentia peccatorum Judam tradentem a Petro negante distinguit: non quia pœnitenti non sit ignoscendum, ne contra illam sententiam Domini veniamus, qua præcipit semper ignoscendum esse fratri petenti ut sibi frater ignoscat (*Luc. xvii, 3*): sed quia illius peccati tanta labes est, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia et agnoscere et enuntiare cogatur. Cum enim dixisset Judas, *Peccavi, quod tradiderim sanguinem justum*; facilius tamen desperatione cucurrit ad laqueum (*Math. xxvii, 4, 5*), quam humilitate veniam deprecatus est. Quapropter multum interest quali pœnitentiæ ignoscat Deus. Multi enim multo citius se fatentur peccasse, atque ita sibi succensent ut vehementer se peccasse nollent; sed ta-

<sup>1</sup> Post hæc, non abruperant amorem, in editis additur, ad mortem: quod abest a MSS.

(a) I Retract. cap. 19, n. 7.

men animum ad humiliandum et obtinendum cor, implorandamque veniam non deponunt: quam mentis affectionem, propter peccati magnitudinem, jam de damnatione illos habere credendum est.

75. Et hoc est fortasse peccare in Spiritum sanctum, id est, per malitiam et invidiam, fraternam oppugnare charitatem post acceptam gratiam Spiritus sancti, quod peccatum Dominus neque hic, neque in futuro sæculo dimitti dicit. Unde queri potest utrum in Spiritum sanctum Judæi peccaverint, quando dixerunt quod in Beelzebub principe demoniorum dæmonia Dominus expelleret: utrum hoc in ipsam Dominum dictum accipiamus, quia de se dicit alio loco, *Si enim patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus (Matth. x, 25)*? An quoniam de magna invidentia dixerant, ingrati tam præsentibus beneficiis, quamvis nondum christiani fuerint, tamen propter ipsam invidentiam magnitudinem in Spiritum sanctum peccasse credendi sunt? Non enim hoc colligitur de verbis Domini. Quamvis enim eodem loco dixerit, « Quicumque enim dixerit verbum nequam adversus Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit verbum adversus Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro; » tamen videri potest ad hoc eos monuisse, ut accedant ad gratiam, et post acceptam gratiam non ita peccent, ut nunc peccaverunt. Nunc enim in Filium hominis dixerunt verbum nequam, et potest eis dimitti, si conversi fuerint, et ei crediderint, et Spiritum sanctum acceperint: quo accepto si fraternitati invidere, et gratiam quam acceperunt oppugnare voluerint, non eis dimitti, neque in hoc sæculo neque in futuro. Nam si eos sic haberet condemnatos, ut nulla spes illis reliqua esset, non adhuc monendos judicaret, cum addidit dicens: *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, et fructum ejus malum (Id. xii, 24-33)*.

76. Sic itaque accipitur diligendos inimicos esse, et benefaciendum his qui nos oderunt, et orandum pro his qui nos persequuntur, ut pro quibusdam etiam fratrum peccatis intelligatur non præceptum esse ut oreinus; ne per imperitiam nostram divina Scriptura (quod fieri non potest) a se dissentire videatur. Sed utrum sicut pro quibusdam non est orandum, ita etiam contra aliquos orandum sit, nondum satis apparuit. Generaliter enim dictum est, *Benedicite, et nolite maledicere*: et illud, *Nemini malum pro malo reddentes (Rom. xii, 14, 17)*. Pro quo autem non oras, non etiam contra illum oras: potes enim videre certam ejus poenam, et penitus desperatam salutem, et non quia odisti eum, ideo pro illo non oras; sed quia sentis nihil te posse proficere, et orationem tuam non vis repelli a justissimo iudice. Sed quid agimus de his contra quos oratum a sanctis accepimus, non ut corrigerentur, nam hoc modo potius pro ipsis oratum est; sed ad illam ultimam damnationem: non sicut contra Domini traditorem per prophetam; nam illa, ut dictum est, prædictio futurorum, non optatio supplicii fuit: nec sicut ab Apostolo contra Ale-

xandrum; nam et inde jam satis dictum est: sed sicut in Apocalypsi Joannis legimus martyres orare ut vindicentur (*Apos. vi, 10*); cum ille primus martyr ut lapidatoribus suis ignosceretur, oraverit.

77. Sed hinc non oportet moveri. Quis enim audeat affirmare, cum illi sancti candidati se vindicari petierint, utrum contra ipsos homines, an contra regnum peccati petierint? Nam ipsa est sincera et plena justitiæ et misericordiæ vindicta martyrum, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta perperata sunt. Ad ejus eversionem nititur Apostolus, dicens: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore (Rom. vi, 12)*. Destruitur autem et evertitur peccati regnum, partim correctione hominum, ut caro spiritui subjiciatur; partim damnatione perseverantium in peccato, ut ita justitia ordinentur, ut justis cum Christo regnantibus molesti esse non possint. Intuere apostolum Paulum; nonne tibi videtur in seipso Stephanum martyrem vindicare, cum dicit: *Non sic pugno, tanquam aerem cædens; sed castigo corpus meum, et servituti subjicio (I Cor. ix, 26, 27)*? Nam hoc in se utique prosternebat, et debilitabat, et victum ordinabat, unde Stephanum ceterosque Christianos fuerat persecutus. Quis ergo convincit martyres sanctos non talem suam vindictam a Domino esse deprecatos, cum etiam finem hujus sæculi, in quo tanta exitia pertulerunt, ad suam vindictam potuerint licenter optare? Quod qui orant, et pro inimicis suis orant qui sanabiles sunt, et contra illos non orant qui insanabiles esse voluerunt: quia Deus quoque puniendo illos non est malevolus tortor, sed justissimus ordinator. Sine ulla ergo dubitatione diligamus inimicos nostros, beneficiamus his qui oderunt nos, et oremus pro eis qui nos persequuntur.

CAPUT XXIII. — 78. Quod autem consequenter positum est, *Ut sicut filii Patris vestri qui in cælis est, ex illa regula intelligendum est, qua et Joannes dicit, Dedit illis potestatem filios Dei fieri (Joan. i, 12)*. Unus enim naturaliter Filius est, qui nescit omnino peccare: nos autem potestate accepta efficitur filii, in quantum ea quæ ab illo præcipiuntur implemus. Unde apostolica disciplina adoptionem appellat, qua in æternam hæreditatem vocamur, ut coheredes Christi esse possimus (*Rom. viii, 17, et Galat. iv, 5*). Filii ergo efficitur regeneratione spirituali, et adoptamur in regnum Dei, non tanquam alieni, sed tanquam ab illo facti et creati: ut unum sit beneficium, quo nos fecit esse per omnipotentiam suam, cum ante nihil essemus; alterum quo adoptavit, ut cum eo tanquam filii vita æterna pro nostra participatione frueremur. Itaque non ait, *Facite ista, quia estis filii*; sed, *Facite ista, ut sitis filii*.

79. Cum autem ad hoc nos vocat per ipsum Unigenitum, ad similitudinem suam nos vocat. Ille enim, sicut consequenter dicit, *solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*. Sive solem suum non istam carnis oculis visibilem acci-

<sup>1</sup> Undecim Mss., *vinctum*.

<sup>2</sup> Mss. duo, *et contra illos orant*; ommissa negatione.




pias, sed illam sapientiam, de qua dicitur, *Candor est enim lucis æternæ* (Sap. vii, 26); de qua iterum dicitur, *Ortus est mihi justitiæ sol*; et iterum, *Vobis autem qui timetis nomen Domini, oriatur sol justitiæ* (Malach. iv, 2): ut etiam pluviam accipias irrigationem doctrinæ veritatis, quia bonis et malis apparuit, et bonis et malis evangelizatus est Christus. Sive istum solem navis accipere non solum hominum, sed etiam pecorum corporeis oculis propalatum; et istam pluviam qua fructus gignuntur, qui ad refectionem corporis dati sunt: quod probabilius intelligi existimo: ut ille sol spiritualis non oriatur, nisi bonis et sanctis; quia hoc ipsum est, quod plangunt iniqui in illo libro qui Sapientia Salomonis inscribitur, *Et sol non ortus est nobis* (Sap. v, 6): et illa pluvia spiritualis non irriget nisi bonos; quia malos significavit vinea, de qua dictum est, *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam* (Isai. v, 6). Sed sive hoc sive illud intelligas, magna Dei bonitate fit, quæ nobis imitanda præcipitur, si filii Dei esse volumus. Quantum enim hujus vite solatium afferat lux ista visibilis, et pluvia corporalis, quis tam ingratus est ut non sentiat? Quod solatium videmus et justis in hac vita et peccatoribus communiter exhiberi. Non autem ait, *qui facit solem*

*orbem super bonos et malos*; sed addidit, *meum*, id est, quem ipse fecit atque constituit, et a nullo aliquid sumpsit ut faceret, sicut in Genesi de omnibus luminaribus scribitur (Gen. i, 16); qui proprie potest dicere sua esse omnia quæ de nihilo creavit: ut hinc admoneremur quanta liberalitate inimicis nostris ex præcepto ejus præstare debeamus quæ nos non creavimus, sed de muneribus ejus accepimus.

80. Quis autem potest vel paratus esse ab infirmis injurias sustinere, quantum eorum saluti prodest; et nolle amplius iniquitatis alienæ perpetui, quam id quod perpeccatus est reddere; omni petenti a se aliquid, vel id quod petit, si habetur, et si recte dari potest, vel consilium bonum, vel benevolum dare animum, nec se avertere ab eo qui mutuari cupit; diligere inimicos, benefacere his qui se oderunt, orare pro eis qui se persequuntur? quis ergo hæc facit, nisi plene perfecteque misericors? Quo uno consilio miseria devitatur, opitulante illo qui ait, *Misericordiam volo magis quam sacrificium* (Osee vi, 6): *Beati ergo misericordes; quia ipsorum miserebitur*. Sed jam commode fieri puto, ut hic lector tam longo volumine fatigatus respiret aliquantum, et ad cætera se reficiat in alio libro consideranda.

## LIBER SECUNDUS.

In posteriore partem sermonis Domini in monte, contentam Matthæi capp. sexto et septimo:



**CAPUT PRIMUM.** — 1. Misericordiam, usque ad cujus tractationem liber primus terminum accepit, sequitur cordis mundatio, unde iste sumit exordium. Cordis autem mundatio est, tanquam oculi<sup>1</sup> quo videtur Deus; cujus simplicis habendi tantam curam esse oportet, quantam ejus rei dignitas flagitat, quæ tali oculo conspici potest. Huic autem oculo magna ex parte mundatio difficile est non subreperere sordes aliquas de his rebus quæ ipsas bonas nostras actiones comitari solent, veluti est laus humana. Si quidem non recte vivere, perniciosum est: recte autem vivere, et nolle laudari, quid est aliud quam inimicum esse rebus humanis, quæ utique tanto sunt miseriora, quanto minus placet recta vita hominum? Si ergo inter quos vivis, te recte viventem non laudaverint, illi in errore sunt: si autem laudaverint, tu in periculo; nisi tam simplex cor habueris et mundum, ut ea quæ recte facis, non propter laudes hominum facias; magisque illis recta laudantibus gratuleris, quibus id quod bonum est placet, quam tibi ipsi; quia recte viveres, etiam si nemo laudaret: ipsamque laudem tuam tunc intelligas utilem esse laudantibus, si non teipsum in tua bona vita, sed Deum honoret, cujus sanctissimum templum est quisquis vivit bene; ut illud impleatur quod ait David, *In Domino laudabitur anima mea; audiant miles, et jucundentur* (Psal. xxxiii, 3). Pertinet ergo ad oculum mundum non intueri in recte faciendo laudes hominum, et ad eas referre quod recte facis, id est, propterea recte

<sup>1</sup> Sic MSS. At editi, *tanquam oculus*.

facere aliquid, ut hominibus placeas. Sic enim etiam simulare bonum libebit, si non attenditur nisi ut homo laudet; qui quoniam videre cor non potest, potest etiam falsa laudare. Quod qui faciunt, id est, qui bonitatem simulant, duplici corde sunt. Non ergo habet simplex, id est, mundum cor, nisi qui transcendit humanas laudes, et illum solum intuetur, cum recte vivit, et ei placere nititur, qui conscientiæ solus inspector est. De cujus conscientiæ puritate quidquid procedit, tanto est laudabilius, quanto humanas laudes minus desiderat.

2. *Cavete ergo, inquit, facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis*: id est, cavete hoc animo juste vivere, et ibi constituere bonum vestrum, ut vos videant homines. *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est*: non si ab hominibus videamini; sed si propterea juste vivatis, ut ab hominibus videamini. Nam ubi erit, quod in principio sermonis hujus dictum est, *Vos estis lumen mundi? Non potest civitas abscondi super montem constituta; neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra*. Sed non ibi constituit finem; addidit enim, *et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est* (Matth. v, 14-16). Hic autem, quia hoc reprehendit, si ibi sit finis recte factorum, id est, si propterea recte faciamus, ut tantum videamur ab hominibus; posteaquam dixit, *Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis, nihil addidit. In quo apparet, non*

hoc eum prohibuisse ut recte fiat coram hominibus, sed ne ob id forte recte fiat coram hominibus, ut videamur ab eis, id est, ut hoc intueamur, et ibi finem nostri propositi collochemus.

3. Nam et Apostolus dicit, *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (Galat. 1, 10); cum alio loco dicat, *Placete omnibus per omnia, sicut et ego omnibus per omnia placeo* (1 Cor. x, 32, 33). Quod qui non intelligunt, contrarium putant; cum ille se dixerit non placere hominibus, quia non ideo recte faciebat ut placeret hominibus, sed ut Deo, ad cuius amorem corda hominum volebat convertere, eo ipso quo placebat hominibus. Itaque et non se placere hominibus recte dicebat, quia in eo ipso ut Deo placeret intuebatur: et placendum esse hominibus recte præcipiebat, non ut hoc appetetur tanquam merces recte factorum; sed quia Deo placere non posset, qui non se iis quos salvos fieri vellet præberet imitandum: imitari autem illum qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam potest. Sicut ergo non absurde loqueretur, qui diceret, In hac opera qua navem quaero, non navem quaero, sed patriam: sic et Apostolus convenienter diceret, In hac opera, qua hominibus placeo, non hominibus, sed Deo placeo, quia non hoc appeto, sed ad id refero ut me imitentur, quos salvos fieri volo. Sicut dicit de oblatione quæ sit in sanctos, *Non quia quaero datum, sed inquiri fructum* (Philipp. iv, 17): id est, Quod quaero datura vestrum, non hoc quaero, sed fructum vestrum. Hoc enim indicio apparere poterat quantum profecissent in Deum, cum id libenter offerrent<sup>4</sup>, quod non propter gaudium de muneribus, sed propter communionem charitatis ab eo quaerebatur.

4. Quanquam et cum addit, et dicit, *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in caelis est*, nihil aliud demonstrat nisi id nos cavere oportere, ne humanam laudem pro nostrorum operum mercede quaeramus, id est, ea nos beatos effici arbitremur.

CAPUT II. — 5. *Cum ergo facis eleemosynam, inquit, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut glorificentur ab hominibus.* Noli, inquit, sic velle humescere, ut hypocritæ. Manifestum est autem hypocritas non quod oculis prætendunt hominum, id etiam corde gestare. Sunt enim hypocritæ simulatores, tanquam pronuntiatores personarum alienarum, sicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in tragœdia, verbi gratia, sive alicujus alterius ad historiam vel fabulam quæ agitur pertinentis, vere ipse est; sed simulat eum, et hypocrita dicitur. Sic in Ecclesia, vel in omni vita humana, quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est. Simulat enim justum, non exhibet; quia totum fructum in laude hominum ponit, quam possunt etiam simulantes percipere, dum fallunt eos quibus videntur boni, ab eisque laudantur. Sed tales ab inspectore cordis Deo mercedem non accipiunt, nisi fallaciæ supplicium: ab hominibus autem, inquit, *perceperunt mercedem suam*; rectissimeque bis dicitur, *Recedite a me, operarii dolosi*: nomen

<sup>4</sup> Omnes Mss., *facient*.

meum habuistis, sed opera vœca non sociatis. Illi ergo perceperunt mercedem suam, qui non ob aliud eleemosynam faciunt, nisi ut glorificentur ab hominibus: non si glorificentur ab hominibus, sed si ideo faciant ut glorificentur, sicut superius tractatum est. Laus enim humana non appeti a recte faciente, sed subsequi debet recte facientem: ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt quod laudant; non ut hic putet aliquid eos sibi prodesse, quem laudant.

6. *Te autem faciente eleemosynam, non sciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Si intellexeris sinistram infideles dici, videbitur nulla esse culpa, placere fidelibus velle: cum prorsus nihilominus in quorumlibet hominum laude fructum et finem boni operis constituere prohibeamur. Quod autem ad id pertinet ut te timentur, quibus recte facta tua placuerint, non tantum fidelibus, sed etiam infidelibus exhibendum est, ut laudandis bonis operibus nostris Deum honorent, et veniant ad salutem. Si autem sinistram inimicum putaveris, ut nesciat inimicus tuus cum eleemosynam facis; cur ipse Dominus inimicis Judæis circumstantibus misericorditer sanavit homines? cur apostolus Petrus, sanato eo quem ad portam Speciosam, debilem miseratus est, etiam iras inimicorum in se atque in alios Christi discipulos pertulit (Act. iii, iv)? Deinde si non oportet scire inimicum, cum eleemosynam facimus, quomodo cum ipso inimico facimus, ut illum impleamus præceptum, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, potum da illi* (Prov. xxv, 21)?

7. Tertia solet esse carnalium opinio, tam absurda et ridenda, ut non eam commemorarem, nisi expertus essem non paucos eo errore detineri, qui dicunt sinistræ nomine uxorem significari: ut quoniam in re familiari tenaciores pecuniarum solent esse feminae, lateat eas cum aliquid misericorditer viri earum egenis impendunt propter domesticas lites. Quasi vero soli viri christiani sint, et non hoc præceptum etiam feminis datum sit. Cui ergo sinistræ jubetur femina occultare opus misericordiæ suæ? An etiam vir sinistra erit feminae? quod absurdissime dicitur. Aut si quispiam putat invicem sibi sinistras esse; si ab altero ita erogetur aliquid de re familiari, ut sit contra alterius voluntatem, non erit christianum tale conjugium: sed necesse est ut quisquis eorum eleemosynam facere voluerit ex præcepto Dei, quemcumque adversum habuerit, inimicus sit præcepto Dei, et ideo inter infideles deputetur: præceptum est autem de talibus, ut bona sua conversatione ac moribus lucrifaciat uxorem maritus fidelis, vel maritum mulier fidelis; quapropter non sibi debent occultare bona opera sua, quibus invitandi sunt ad invicem, ut alter alterum possit ad christianæ fidei communionem invitare. Nec furta faciendæ sunt, ut promereatur Deus. Quod si occultandum est aliquid, quamdiu alterius infirmitas a quo animo id non potest sustinere, quod tamen non injuste atque illicite sit; non tamen ipsam nunc sinistram significari totius capituli consideratione facile apparet, in qua simul invenietur quam sinistram vocet.

8. *Cavete, inquit, facere justitiam vestram curam*

hominibus ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est. Generaliter hic iustitiam nominavit, deinde particulariter exsequitur. Est enim pars aliqua iustitiæ opus quod per eleemosynam fit, et ideo connectit dicendo, *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut glorificentur ab hominibus.* Ad hoc respicit quod superius ait, *Cave facere iustitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis.* Quod autem sequitur, *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam,* ad illud respicit quod supra posuit, *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est.* Deinde sequitur, *Te autem faciente eleemosynam.* Cum dicit, *Te autem,* quid aliud dicit, quam, Non quomodo illi? Quid ergo mihi jubet? *Te autem faciente, inquit, eleemosynam, non sciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Ergo illi sic faciunt, ut sciat sinistra eorum quid faciat dextera eorum. Quod igitur in illis culpatum est, hoc tu facere vetaris. In illis autem hoc culpatum est, quod ita faciunt ut laudes hominum quærant. Quapropter nihil consequentius sinistra videtur significare, quam ipsam delectationem laudis. Dextera autem significat intentionem implendi præcepta divina. Cum itaque conscientia facientis eleemosynam miscet se appetitio laudis humanæ, fit sinistra conscia operis dextera: *Nesciat ergo sinistra tua quid faciat dextera tua,* id est, non se miscet conscientia tua laudis humanæ appetitio, cum in eleemosyna facienda divinum præceptum contendis implere.

9. *Ut sit eleemosyna tua in abscondito.* Quid est, in abscondito, nisi in ipsa bona conscientia, quæ humanis oculis demonstrari non potest, nec verbis aperiri? Quandoquidem multi multa mentiuntur. Quapropter si dextera intrinsecus agit in abscondito, ad sinistram pertinent omnia exteriora, quæ sunt visibilia et temporalia. Sit ergo eleemosyna tua in ipsa conscientia tua, ubi multi eleemosynam faciunt bona voluntate, etiam si pecuniam, vel si quid aliud, quod inopi largiendum est, non habent. Multi autem foris faciunt, et intus non faciunt qui vel ambitione, vel alicujus rei temporalis gratia volunt misericordes videri, in quibus sola sinistra operari existimanda est. Item alii quasi medium inter utrosque locum tenent, ut et intentione quæ in Deum est eleemosynam faciant, et tamen inserat se huic optimæ voluntati nonnulla etiam laudis vel ejusce rei fragilis et temporalis cupiditas. Sed Dominus noster multo vehementius prohibet solam sinistram in nobis operari, quando etiam misceri eam vetat operibus dextera: ut scilicet non modo sola temporalium rerum cupiditate caveamus eleemosynam facere; sed nec ita in hoc opere attendamus Deum, ut sese miscet vel adjungat exteriorum appetitio commodorum. Agitur enim de corde mundando, quod nisi fuerit simplex, mundum non erit. Simplex autem quomodo erit si duobus dominis servit, nec una intentione rerum æternarum purificat aciem suam, sed eam mortalium quoque fragilitumque rerum amore obnubilat?

*Sit ergo eleemosyna tua in abscondito; et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Rectissime omnino et verissime. Si enim præmium ab eo exspectas qui conscientia solus inspector est, sufficiat tibi ad promerendum præmium ipsa conscientia. Multa latina exemplaria sic habent, *Et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi palam*: sed quia in græcis, quæ priora sunt, non invenimus, *palam* (a), non putavimus hinc esse aliquid discredendum.

CAPUT III.—10. *Et cum oratis, inquit, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.* Neque hic videri ab hominibus nefas est; sed ideo hæc agere ut videaris ab hominibus: et superfluo toties eadem dicuntur, cum sit jam una regula custodienda, qua cognitum est, non si hæc sciant homines, formidandum esse aut fugiendum; sed si hoc animo fiant, ut fructus in eis expetatur placendi hominibus. Servat etiam ipse Dominus eadem verba, cum adjungit similiter, *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam*; hinc ostendens id se prohibere, ne ea merces appetatur, qua stulti gaudent cum laudantur ab hominibus.

11. *Vos autem cum oratis, inquit, introite in cubicula vestra.* Quæ sunt ista cubicula, nisi ipsa corda, quæ in Psalmo etiam significantur, cum dicitur, *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (Psal. xv, 5)? *Et claudentes ostia orate, ait, Patrem vestrum in abscondito.* Parum est intrare in cubicula, si ostium pateat importunis, per quod ostium ea quæ foris sunt improbe se immergunt, et interiora nostra appetunt. Foris autem diximus esse omnia temporalia et visibilia, quæ per ostium, id est per carnalem sensum, in cogitationes nostras penetrant, et turba vanorum phantasmatum orantibus obstreperunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum est, ut oratio spiritualis dirigatur ad Patrem, quæ sit in intimis cordis, ubi oratur Pater in abscondito. *Et Pater, inquit, vester qui videt in abscondito, reddet vobis.* Et hoc tali clausula terminandum fuit: non enim hoc monet nunc ut oremus, sed quomodo oremus; neque superius, ut faciamus eleemosynam, sed quo animo faciamus: quoniam de corde mundando, præcipit, quod non mundat, nisi una et simplex intentio in æternam vitam solo et puro amore sapientiæ.

12. *Orantes autem nolite, ait, multum loqui, sicut Ethnici: arbitrantur enim quod in multiloquio suo exaudiuntur.* Sicut hypocritarum est præbere se spectandos in oratione, quorum fructus est placere hominibus; ita Ethnicorum, id est Gentilium, in multiloquio se putare exaudiri. Et revera omne multiloquium a Gentilibus venit, qui exercendæ linguæ potius quam mundando animo dant operam. Et hoc negatorii studii genus etiam ad Deum prece flecendum transferre conantur, arbitantes sicut hominem judicem verbis adduci in sententiam. *Nolite itaque similes illis esse, dicit unus et verus magister. Scit enim Pater vester quid vobis necessarium sit, antequam petatis.*

(a) Contra hodie in græcis invenitur, non in latinis.

ab eo. Si enim verba multa ad id proferantur, ut instruiatur et doceatur ignarus, quid eis opus est ad rem omnium cognitorem, cui omnia quæ sunt, eo ipso quo sunt, loquuntur, seseque indicant facta; et ea quæ futura sunt ejus artem sapientiamque non latent, in qua sunt et quæ transierunt, et quæ transitura sunt, omnia præsentia, et non transeuntia?

13. Sed quoniam, quamvis pauca, tamen verba et ipse dicturus est quibus nos doceat orare; quæri potest cur vel his verbis paucis opussit ad eum qui scit omnia antequam fiant, et novit, ut dictum est, quid nobis sit necessarium, antequam petamus ab eo? Hic primo respondetur, non verbis nos agere debere apud Deum, ut impetremus quod volumus, sed rebus quas animo gerimus, et intentione cogitationis, cum dilectione pura et simplici affectu: sed res ipsas verbis nos docuisse Dominum nostrum, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordemur.

14. Sed rursus quæri potest, sive rebus, sive verbis orandum sit, quid opus sit ipsa oratione, si Deus jam novit quid nobis necessarium sit: nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat et purgat, capaciusque efficit ad excipienda divina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare suam lucem nobis, non visibilem, sed intelligibilem et spiritualem: sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamur in alia, et rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione conversio cordis ad eum, qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit; et in ipsa conversione purgatio interioris oculi, cum excluduntur ea quæ temporaliter cupiebantur, ut acies cordis simplicis ferre possit simplicem lucem, divinitus sine ullo occasu aut immutatione fulgentem: nec solum ferre, sed etiam manere in illa; non tantum sine molestia, sed etiam cum ineffabili gaudio, quo vere ac sinceriter beata vita perficitur.

CAPUT IV. — 15. Sed jam considerandum est quæ nos orare ille præceperit, per quem et discimus quid oremus, et consequimur quod oramus. Sic itaque orate vos, inquit: *Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra: panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos inferas in temptationem; sed libera nos a malo.* Cum in omni deprecatione benevolentia concilianda sit ejus quem deprecamur, deinde dicendum quid deprecemur; laude illius ad quem oratio dirigitur, solet benevolentia conciliari, et hoc in orationis principio poni solet: in quo Dominus noster nihil aliud nos dicere jussit, nisi, *Pater noster qui es in cælis*. Multa enim dicta sunt in laudem Dei, quæ per omnes sanctas Scripturas varie lateque diffusa poterit quisque considerare, cum legit: usquam tamen invenitur præceptum populo Israel ut diceret, *Pater noster*, aut ut oraret Patrem Deum;

<sup>1</sup> Vss. Vaticani duo et unus Corbeiensis, *lucem divinitatis*.

sed Dominus eis innotuit, tanquam servientibus, id est, secundum carnem adhuc viventibus. Hoc autem dico, cum mandata Legis acciperent, quæ observare jubebantur: nam Prophetæ sæpe ostendunt eundem Dominum nostrum etiam Patrem eorum esse potuisse, si ab ejus mandatis non aberrarent: sicuti est illud, *Filios genui, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me* (Isai. 1, 2); et illud, *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes* (Psal. LXXXI, 6); et illud, *Si Dominus sum, ubi est timor meus? et si Pater sum, ubi est honor meus* (Malach. 1, 6)? et alia per multa, ubi arguuntur Judæi, quia filii esse peccando noluerunt: exceptis eis quæ in prophetia dicuntur de futuro populo christiano, quod Patrem Deum esset habiturus, secundum illud evangelicum, *Dedit eis potentatem filios Dei fieri* (Joan. 1, 12): apostolus autem Paulus dicit, *Quandiu hæres parvulus est, nihil distat a servo; et spiritum adoptionis nos accepisse commemorat, in quo clamamus, Abba, Pater* (Rom. VIII, 15-23, et Galat. IV, 1-6).

16. Et quoniam quod vocatur ad æternam hæreditatem, ut simus Christi cohæredes, et in adoptionem filiorum veniamus, non est meritorum nostrorum, sed gratiæ Dei; eandem ipsam gratiam in orationis principio ponimus, cum dicimus, *Pater noster*. Quo nomine et claritas excitatur; quid enim charius filiis debet esse quam pater? et simplex affectus, cum homines dicunt Deo, *Pater noster*: et quedam impetrandi præsumptio, quæ petitori sumus; cum priusquam aliquid peteremus, tam magnam donum accepimus, ut sinamur dicere, *Pater noster*, Deo. Quid enim jam non det filiis petentibus, cum hoc ipsum ante dederit, ut filii essent? Postremo quanta cura animum tangit, ut qui dicit, *Pater noster*, tanto Patre non sit indignus? Si enim quisquam plebeius senatorem grandioris ætatis ab eo ipso patrem vocare permittatur; sine dubio trepidabit, nec facile audebit, cogitans humilitatem generis sui, et opum indigentiam, et plebeiæ personæ vilitatem: quanto ergo magis trepidandum est appellare Patrem Deum, si tanta est labes, tantæque sordes in moribus, ut multo justius eas a sua conjunctione Deus expellat, quam ille senator cujusvis mendici egestatem? Quandoquidem ille hoc contemnit in mendico, quo et ipse potest rerum humanarum fragilitate devenire: Deus autem in sordidos mores nunquam cadit. Et gratias misericordiæ ipsius, qui hoc a nobis exigit, ut *Pater noster* sit; quod nullo sumptu, sed sola bona voluntate comparari potest. Admonentur etiam hic divites, vel genere nobiles secundum sæculum, cum christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes et ignobiles; quoniam simul dicunt Deo, *Pater noster*: quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se fratres esse cognoscant.

CAPUT V. — 17. Utatur ergo voce Novi Testamenti populus novus, ad æternam hæreditatem vocatus, et dicat, *Pater noster qui es in cælis*: id est, in sanctis et justis. Non enim spatio locorum continetur Deus. Sunt enim cæli excellentia quidem mundi cor-

<sup>1</sup> Vss. decem, et filii Altissimi: vos autem sicut homines mortemini, et sicut unus ex principibus cadetis.

pora, sed tamen corpora, quæ non possunt esse nisi in loco: sed si in cælis tanquam in superioribus mundi partibus locus Dei esse creditur melioris meritum sunt aves, quarum vita est Deo vicinior. Non autem scriptum est, Prope est Dominus excelsis hominibus, aut eis qui in montibus habitant: sed scriptum est, Prope est Dominus obstritis corde (Psal. xxxiii, 19); quod magis pertinet ad humilitatem. Sed quemadmodum terra appellatus est peccator, cum ei dictum est, Terra es, et in terram ibis (Gen. iii, 19): sic cælum justus e contrario dici potest. Justis enim dicitur, Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (I Cor. iii, 17). Quapropter si in templo suo habitat Deus, et sancti templum ejus sunt; recte dicitur, qui es in cælis, qui es in sanctis. Et accommodatissima ista similitudo est, ut spiritaliter tantum interesse videatur inter justos et peccatores, quantum corporaliter inter cælum et terram.

18. Cujus rei significandæ gratia, cum ad orationem stamus, ad orientem convertimur, unde cælum surgit: non tanquam ibi habitet et Deus, quasi cæteras mundi partes deseruerit<sup>1</sup> qui ubique præsens est, non locorum spatiis, sed majestatis potentia<sup>2</sup>; sed ut admonetur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est ad Deum, cum ipsum corpus ejus quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est ad corpus cæleste convertatur. Convenit etiam gradibus religionis, et plurimum expedit, ut omnium sensibus et parvulorum et magnorum bene sentiant de Deo. Et ideo qui visibilibus adhuc pulchritudinibus dediti sunt, nec possunt aliquid incorporeum cogitare, quoniam necesse est cælum præferant terræ; tolerabilior est opinio eorum, si Deum quem adhuc corporaliter cogitant, in cælo potius credant esse, quam in terra: ut cum aliquando cognoverint dignitatem animæ cæleste etiam corpus excedere, magis eum quærant in anima, quam in corpore etiam cælesti; et cum cognoverint quantum distet inter peccatorum animas et justorum, sicut non audebant, cum adhuc carnaliter saperent, cum in terra collocare, sed in cælo, sic postea meliori fide vel intelligentia magis eum in animis justorum quam in peccatorum requirant. Recte ergo intelligitur quod dictum est, Pater noster qui es in cælis, in cordibus justorum esse dictum, tanquam in templo sancto suo. Simul etiam ut qui orat, in se quoque ipso velit habitare quem invocat: et cum hoc affectat, tenet justitiam; quo munere invitatur ad inhabitandum animum Deus.

19. Jam videamus quæ sint petenda. Dictum est enim quis sit qui petitur, et ubi habitet. Primum autem omnium quæ petuntur hoc est, Sanctificetur nomen tuum. Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed ut sanctum habeatur ab hominibus: id est, ita illis innotescat Deus, ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Neque enim quia dictum est, Notus in Judæa Deus, in Israel

magnum nomen ejus (Psal. lxxv, 1); sic intelligendum est quasi alibi minor sit Deus, alibi major: sed ibi magnum est nomen ejus, ubi pro suæ majestatis magnitudine nominatur. Ita ibi dicitur sanctum nomen ejus, ubi cum veneratione et offensionis timore nominatur. Et hoc est quod nunc agitur, dum Evangelium adhuc usque per diversas gentes innotescendo, commendat unius Dei nomen per administrationem Filii ejus.

CAPUT VI. — 20. Deinde sequitur, Adveniat regnum tuum. Sicut ipse Dominus in Evangelio docet, tunc futurum esse judicii diem, cum Evangelium prædicatum fuerit in omnibus gentibus (Matth. xxiv, 14): quæ res pertinet ad sanctificationem nominis Dei. Non enim et hic ita dictum est, Adveniat regnum tuum, quasi nunc Deus non regnet. Sed forte quis dicat, Adveniat dictum esse in terram. Quasi vero non etiam ipse nunc regnet in terra, semperque in ea regnaverit a constitutione mundi. Adveniat ergo accipiendum est, manifestetur hominibus. Quemadmodum enim etiam præsens lux absens est cæcis, et eis qui oculos claudunt; ita Dei regnum, quamvis nunquam discedat de terris, tamen absens est ignorantibus. Nulli autem licebit ignorare regnum Dei, cum ejus Unigenitus non solum intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine Dominico de cælo venerit judicaturus vivos et mortuos (a). Post quod judicium, id est, cum discretio et separatio justorum ab injustis facta fuerit, ita inhabitabit justos Deus, ut non opus sit quemquam doceri per hominem, sed sint omnes, ut scriptum est, docibiles Deo (Isai. liv, 13; Joann. vi, 45). Deinde beata vita omni ex parte perficietur in sanctis in æternum, sicuti nunc cælestes Angeli sanctissimi atque beatissimi, solo Deo illustrante sapientes et beati sunt; quia et hoc promisit Dominus suis: In resurrectione erunt, inquit, sicut Angeli in cælis (Matth. xxii, 30).

21. Et ideo post illam petitionem qua dicimus, Adveniat regnum tuum, sequitur, Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra: id est, sicut est in Angelis qui sunt in cælis, voluntas tua, ut omnimodo ad hæreant teque perfruantur, nullo errore obnubilante sapientiam eorum, nulla miseria impediante beatitudinem eorum; ita fiat in sanctis tuis qui in terra sunt, et de terra, quod ad corpus attinet, facti sunt, et quamvis in cælestem habitationem atque immutationem, tamen de terra assumendi sunt. Ad hoc respicit etiam illa Angelorum prædicatio, Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (Luc. ii, 14): ut cum præcesserit bona voluntas nostra, quæ vocantem sequitur, perficiatur in nobis voluntas Dei, sicuti est in cælestibus Angelis; ut nulla adversitas resistat nostræ beatitudini, quod est pax. Item Fiat voluntas tua, recte intelligitur, obediatur præceptis tuis: sicut in cælo et in terra, id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Nam fieri voluntatem Dei, cum obtemperatur præceptis ejus, ipse Dominus dicit, cum ait, Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui

<sup>1</sup> Fr. Ingd. Ven. Lov. legant, non tanquam ibi sit Deus, et quasi cæteras mundi partes deseruerit. M.

<sup>2</sup> Sic Mag. At editi. majestate potentia.

(a) I Retract. cap. 19, n. 8.

re misit (Joan. iv, 34); et sæpe, *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* (Joan. vi, 38); et cum ait, *Ecce mater mea, et ecce fratres mei, et quicumque fecerit voluntatem Dei, hic mihi est frater, et mater, et soror* (Matth. xii, 49 et 50). Qui ergo faciunt voluntatem Dei, in illis utique sit voluntas Dei: non quia ipsi faciunt ut velit Deus; sed quia faciunt quod ille vult, id est, faciunt secundum voluntatem ejus.

22. Est etiam ille intellectus: *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*, sicut in sanctis et justis, ita etiam in peccatoribus. Quod adhuc duobus modis accipi potest: sive ut oremus etiam pro inimicis nostris; (quid enim sunt aliud habendi, contra quorum voluntatem christianum et catholicum nomen augetur?) ut ita dictum sit, *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*, tanquam si diceretur, *Faciunt voluntatem tuam sicut justii, ita etiam peccatores, ut ad te convertantur*: sive ita, *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*, ut sua cuique tribuantur; quod fiet extremo judicio, ut justis præmium, peccatoribus damnatio retribuatur, cum agni ab hædis separabuntur (*Id.* xv, 33 et 46).

23. Ille etiam non absurdus, imo et fidei et spei nostræ convenientissimus intellectus est, ut cælum et terram accipiamus, spiritum et carnem. Et quoniam dicit Apostolus, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* vii, 25); videmus factam voluntatem Dei in mente, id est, in spiritu: cum autem absorpta fuerit mors in victoriam, et mortale hoc induerit immortalitatem, quod fiet carnis resurrectione, atque illa immutatione quæ promittitur justis, secundum ejusdem apostoli predicationem (*I Cor.* xv, 42, 55): fiat voluntas Dei et in terra, sicut in caelo: id est, ut quemadmodum spiritus non resistit Deo, sequens et faciens voluntatem ejus; ita et corpus non resistat spiritui vel animæ, quæ nunc corporis infirmitate vexatur, et in carnalem consuetudinem prona est: quod erit summæ pacis in vita æterna, ut non solum velle adiaceat nobis, sed etiam perficere bonum. *Nunc enim velle*, inquit, *adjacet mihi; perficere autem bonum non*: quia nondum in terra sicut in caelo, id est, nondum in carne sicut in spiritu facta est voluntas Dei. Nam et in miseria nostra sit voluntas Dei, cum ea patimur per carnem, quæ nobis mortalitatis jure debentur, quam peccando meruit nostra natura: sed id erandum est, ut sicut in caelo, ita et in terra fiat voluntas Dei; id est, ut quemadmodum corde condelectamur legi secundum interiorem hominem (*Rom.* vii, 18, 22), ita etiam corporis immutatione facta, huic nostræ delectationi nulla pars nostra terrenis doloribus seu voluptatibus adversetur.

24. Nec illud a veritate abhorret, ut accipiamus, *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*, sicut in ipso Domino nostro Jesu Christo, ita et in Ecclesia: tanquam in viro qui Patris voluntatem implevit, ita et in femina quæ illi desponsata est. Cælum enim et terra convenienter intelligitur, quasi vir et femina; quoniam terra cælo fecundante fructifera est.

CAPUT VII. — 25. Quarta petitio est, *Panem no-*

*strum quotidianum da nobis hodie*. Panis quotidianus, aut pro iis omnibus dictus est, quæ hujus vitæ necessitatem sustentant, de quo cum præciperet, ait, *Nolite cogitare de crastino*; ut ideo sit additum, *da nobis hodie*: aut pro Sacramento corporis Christi, quod quotidie accipimus: aut pro spirituali cibo, de quo idem Dominus dicit, *Operamini escam quæ non corrumpitur*; et illud, *Ego sum panis vitæ, qui de caelo descendi* (*Joan.* vi, 17, 41). Sed horum trium quid sit probabilius, considerari potest. Nam forte quispiam moveatur, cur oremus pro his adipiscendis quæ huic vitæ sunt necessaria, veluti est victus et tegumentum, cum ipse Dominus dicat, *Nolite solliciti esse quid edatis, vel quid induamini*. An potest quisque de ea re pro qua adipiscenda orat, non esse sollicitus; cum tanta intentione animi oratio dirigenda sit, ut ad hoc totum illud referatur quod de claudendis cubiculis dictum est, et illud quod ait, *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis?* Non ait utique, *Quærite primum regnum Dei*, et deinde ista quærite; sed, *hæc omnia*, inquit, *apponentur vobis*, scilicet etiam non quærentibus. Quomodo autem recte dicatur non quærere aliquis, quod ut accipiat intentissime Deum deprecatur, nescio utrum inveniri queat.

26. De Sacramento autem corporis Domini ut illi non moveant quæstionem, qui plurimi in orientalibus partibus, non quotidie cænæ dominicæ communicant, cum iste panis quotidianus dictus sit: ut ergo illi tacæant, neque de hac re suam sententiam defendant vel ipsa auctoritate ecclesiastica<sup>1</sup>, quod sine scandalo ista faciunt, neque ab eis qui ecclesiis præsent facere prohibentur, neque non obtemperantes damnantur; unde probatur non hunc in illis partibus intelligi quotidianum panem; nam magni peccati crimine arguerentur, qui ex eo non accipiunt quotidie: sed ut de istis, ut dictum est, nihil in aliquam partem disseramus, illud certe debet occurrere cogitantibus, regulam nos orandi a Domino accepisse, quam transgredi non oportet vel addendo aliquid, vel prætereundo. Quod cum ita sit, quis est qui audeat dicere, semel tantum nos orare debere orationem dominicam; aut certe etiam si iterum vel tertio, usque ad eam tantum horam qua corpori Domini communicamus, postea vero non sic orandum per reliquas partes diei? Non enim jam dicere poterimus, *da nobis hodie*, quod jam accepimus: aut poterit quisque cogere, ut etiam ultima diei parte Sacramentum illud celebremus.

27. Restat igitur ut quotidianum panem accipiamus spiritualem, præcepta scilicet divina, quæ quotidie oportet meditari et operari. Nam de ipsis Dominus dicit, *Operamini escam quæ non corrumpitur*. Quotidianus autem iste cibus nunc dicitur, quamdium ista vita temporalis per dies decedentes succedentesque peragitur. Et revera quamdiu nunc in superiora, nunc in inferiora, id est, nunc in spiritualia, nunc in car-

<sup>1</sup> Hic apud Græcos additur, *sint contenti*: quod abest a cæteris omnibus editis et MSS.

ualia animi affectus alternat, tanquam ei qui aliquando pascitur cibo, aliquando famem patitur; quotidie panis necessarius est, quo reficiatur esuriens, et relabens erigatur. Sicut itaque corpus nostrum in hac vita, ante illam scilicet immutationem, cibo reficitur, quia sentit dispendium: sic et animus, quoniam temporalibus affectibus quasi dispendium ab intentione Dei patitur, præceptorum cibo reficiatur. *Da nobis hodie* autem dictum est, quamdiu dicitur hodie, id est, in hac temporali vita. Sic enim cibo spirituali post hanc vitam saturabimur in æternum, ut non tunc dicatur quotidianus panis; quia ibi temporis volubilitas, quæ diebus dies succedere facit, unde appelletur quotidie, nulla erit. Ut autem dictum est, *Hodie si vocem ejus audieritis (Psal. xciv, 8)*; quod interpretatur Apostolus in Epistola quæ est ad Hebræos, *Quamdiu dicitur hodie (Hebr. iii, 13)*: ita et hic accipiendum est, *Da nobis hodie*. Si quis autem etiam de victu corporis necessario, vel de Sacramento Dominici corporis istam sententiam vult accipere, oportet ut conjuncte accipiantur omnia tria; ut scilicet quotidianum panem simul petamus, et necessarium corpori, et sacramentum visibilem, et invisibilem verbi Dei<sup>1</sup>.

CAPUT VIII. — 28. Sequitur quinta petitio, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Debita, peccata dici manifestum est, vel illo quod ait idem Dominus, *Non exitis inde donec reddas novissimum quadrantem (Matth. v, 26)*; vel illo quo debitores appellavit qui ei nuntiati sunt extincti, vel in ruina turris, vel quorum sanguinem Herodes sacrificio miscuit. Dixit enim putare homines quod illi ultra modum debitores essent, id est peccatores; et addidit, *Amen dico vobis, nisi poenitentiam egeritis, similiter moriemini (Luc. xiii, 1-5)*. Non hic ergo quisque urgeatur pecuniam dimittere debitoribus, sed quemque in eum alius peccaverit. Nam pecuniam dimittere illo potius jubemur præcepto, quod superius dictum est, *Si quis tibi tunicam tollere voluerit, et iudicio tecum contendere, remitte ei et vestimentum (Matth. v, 40)*: nec ibi necesse est omni pecuniario debitori dimittere debitum, sed ei qui reddere noluerit, in tantum ut velit etiam litigare; *Servum autem Domini, ut ait Apostolus, non oportet litigare (II Tim. ii, 24)*. Qui ergo vel sponte vel conventus pecuniam debitam reddere noluerit, dimittenda illi est. Duas enim ob res nolet reddere, vel quod non habeat, vel quod avarus sit rei que alienæ cupidus: utrumque autem pertinet ad inopiam; nam illa inopia est rei familiaris, hæc animi. Quisquis itaque tali dimittit debitum, inopi dimittit, opusque christianum operatur, manente illa regula, ut in animo paratus sit amittere quod sibi debetur. Nam si modeste ac leniter omni modo egerit, ut sibi restituatur, non tam intendens fructum pecuniæ, quam ut hominem corrigat, cui sine dubio perniciosum est habere unde reddat, et non reddere; non solum non peccabit, sed proderit etiam plurimum, ne ille dum alienam pecuniam lu-

erum facere vult, damnatum fidelis patiatúr; quod tanto est gravius, ut nulla sit comparatio. Ex quo intelligitur etiam in ista quinta petitione, qua dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, non de pecunia quidem dici; sed de omnibus quæ in nos quisque peccat, ac per hoc etiam de pecunia. Peccat namque in te, qui tibi pecuniam debitam, cum habeat unde reddat, recusat reddere. Quod peccatum si non dimiseris, non poteris dicere, *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus*: si autem ignoveris, vides etiam de pecunia dimittenda admoneri eum cui tali prece orare præcipitur.

29. Illud sane tractari potest, ut quoniam dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus*, tunc convincamur contra istam regulam fecisse, si eis non dimittamus, qui veniam petunt, quia et nos veniam petentibus nobis a benignissimo Patre dimitti volumus. Sed illo rursus præcepto, quo jubemur orare pro inimicis nostris (*Matth. v, 44*), non pro his jubemur qui veniam petunt. Jam enim qui tales sunt, non sunt inimici. Nullo modo autem quisquam vere dixerit orare se pro eo cui non ignoverit. Quapropter fatendum est omnia peccata dimittenda esse quæ in nos admittuntur, si volumus nobis a Patre dimitti quæ admittimus. Nam de vindicta superius, ut arbitrator, satis disputatum est (*Supra, lib. 1, ec. 19 et 20*).

CAPUT IX. — 30. Sexta petitio est, *Et ne nos inferas in tentationem*. Nonnulli codices habent, *inducas*, quod tantumdem valere arbitror: nam ex uno græco quod dictum est, *εισάγει*, utrumque translatum est. Multi autem precando ita dicunt, *Ne nos patiaris induci in tentationem*; exponentes videlicet quomodo dictum sit, *inducas*. Non enim per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit, ordine occultissimo ac meritis. Causis etiam sæpe manifestis dignum judicat ille quem deserat, et in tentationem induci sinat. Aliud est autem induci in tentationem, aliud tentari. Nam sine tentatione probatus esse nullus potest, sive sibi ipsi, sicut scriptum est, *Qui non est tentatus, qualia scit (Eccli. xxiv, 9, 11)*? sive alii, sicut Apostolus ait, *Et tentationem vestram in carne mea non spreceatis (Galat. iv, 15, 14)*: hinc enim eos firmos ipse cognovit, quod eis tribulationibus, quæ Apostolo secundum carnem acciderant, non sunt a charitate deflexi. Nam Deo noti sumus et ante omnes tentationes, qui scit omnia antequam fiant.

31. Quod itaque scriptum est, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum (Deut. xiii, 3)*; illa locutione positum est, *ut sciat*, pro eo quod est, ut scire vos faciat: sicut diem letum dicimus, quod letos faciat: frigus pigrum, quod pigros facit; et innumerabilia hujusmodi, quæ sive in consuetudine loquendi, sive in sermone doctorum, sive in Scripturis sanctis reperiuntur. Quod non intelligentes hæretici qui Veteri Testamento adversantur, velut ignorantie vitio notandum putant eum de quo dictum est, *Tentat vos Dominus Deus vester*: quasi in Evangelio de Domino scriptum non sit, *Hoc autem dicebat tentans eum*:

<sup>1</sup> Sic plerique Mss. At editi, et sacramentum visibile et invisibile verbi Dei.

nam ipse scietat quid eas et facturus (Ieron. vi, 6). Si enim noverat cur ejus quem tentabat, quid est quod voluit videre tentando? Sed profecto illud factum est, ut ipse sibi notus feret qui tentabatur, suamque desperationem condemnaret, saturatis turbis de pace homini, qui eas non habere quod edereat existimaverat.

32. Non ergo hic oratur, ut non tentemur, sed ut non inferamur in tentationem: tanquam si quispiam cui necesse est igne examinari, non oret ut igne non contingatur, sed ut non extoratur. Vasa enim figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (Ecclesi. xxvii, 6). Joseph ergo tentatus est illecebra stupri, sed non est illatus in tentationem (Gen. xxxix, 7-12); Susanna tentata est, nec ipsa inducta vel illata in tentationem (Dan. xiii, 19-24); multique alii utriusque sexus: sed Job maxime, cujus admirabilem stabilitatem in Deo Domino suo, cum illi heretici hostes Veteris Testamenti ore sacrilego irridere voluerint, illud præcæteris ventilant, quod satanas petierit eum tentandum (Job 1, 11). Querunt enim ab imperitis hominibus talia intelligere nequaquam valentibus, quomodo satanas cum Deo loqui poterit: non insuetus (non enim possunt, cum superstitione et contentione cæcati sint) Deum non loci spatium mole corporis occupare; et sic alibi esse, alibi non esse, vel certe hic habere partem aliam, et alibi aliam: sed majestate ubique præsto esse, non per partes divisum, sed ubique perfectum. Quod si carnaliter intuentur quod dictum est, *Cælum mihi thronus est, et terra scabellum pedum meorum* (Isai. lxxvi, 1); cui loco et Dominus attestatur dicens, *Non juretis, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus* (Matth. v, 34-35): quid mirum si in terra diabolus constitutus, aut pedes Dei stetit, et coram illo aliquid locutus est? Nam quando illi valent intelligere, nullam esse animam, quamvis perversam, quæ tamen illo modo ratiocinari potest, in cuius conscientia non loquatur Deus? Quis enim scripsit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus? De qua lege Apostolus ait: *Cum enim Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, hi Legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, contestante conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam excusantium, in die qua judicabit Dominus occulta hominum* (Rom. ii, 14-16). Quapropter si omnis anima rationalis etiam cupiditate cæcata, tamen cum cogitat et ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis, a quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, ut verum aliquid in ratiocinando sentiat; quid mirum si diaboli anima prava cupiditate perversa, quidquid tamen verum de justo viro cogitavit, cum eum tentare vellet, ipsius Dei voce, id est, ipsius veritatis voce audisse perhibetur? Quidquid autem falsum, illi cupiditati tribuitur, qua diaboli hominem accepit. Quanquam etiam per creaturam corporalem atque visibilem Deus plerumque locutus est

seu bonis seu malis, tanquam omnium Dominus et rector, et pro cujusque rei meritis ordinator: sicut per Angelos, qui hominum quoque aspectibus appaerunt; et per Prophetas dicentes, Hæc dicit Dominus. Quid ergo mirum, si quantum non in ipsa cogitatione, per aliquam certe creaturam læt operi accommodatam Deus locutus cum diabolo dicitur?

33. Nec dignitatis esse arbitretur, et quasi justitiam meritum, quod cum illo Deus locutus est: quantum locutus est cum anima angelica, quantum stulta et cupida, tanquam si loqueretur cum anima humana stulta et cupida. Aut ipsi dicant quomodo locutus est cum illo diabolo, cujus cupiditatem stultissimam arguere voluit, dicens: *Stulte, hæc nocte anima tua expostulatur a te; hæc quæ preparasti, cujus erant* (Luc. xii, 20)? Certe hoc ipse Dominus in Evangelio dicit, cui heretici isti, resistunt, nolunt, colla submittant. Si autem hoc moventur, quod tentandum justum satanas petit a Deo; non ego expono quare sit factum, sed ipsos cogo exponere quare sit dictum in Evangelio ab ipso Domino discipulis, *Ecce satanas petit vos vexare quomodo triticum*: et Petro ait, *Ego autem postulari ne deficiat fides tua* (Id. xxii, 31, 32). Cum autem hoc exponunt mihi, simul illud quod a me querunt exponunt sibi. Si vero non valuerint hoc exponere, non audeant id quod in Evangelio sine offensione legunt, in aliquo libro cum temeritate culpæ.

34. Fiunt igitur tentationes per satanam non potestate ejus, sed permissa Domini, ad homines aut pro suis peccatis puniendos, aut pro Domini misericordia probandos et exercendos. Et interest plurimum in qualem quisque tentationem incidat. Non enim in talem incidit Judas, qui vendidit Dominum, in qualem incidit Petrus, cum territus Dominum negavit. Sunt etiam tentationes humane, credo, cum bono quisque animo, secundum humanam tamen fragilitatem, in aliquo consilio labitur, aut irritatur in fraus studio corrigendi, paulo tamen amplius quam christiana tranquillitas postulat: de quibus Apostolus dicit, *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*; cum idem dicat, *Fidelis Deus, qui vos non s. nat tentari supra quam potestatis ferre; sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis tolerare* (I Cor. x, 13). In qua sententia satis ostendit non id nobis orandum esse ut non tentemur, sed ne in tentationem inducamur. Inducimur enim, si tales acciderint quas ferre non possumus. Sed cum tentationes periculosæ in quas inferri atque induci perniciosum est, aut prosperis rebus temporalibus, aut adversis oriantur, nemo frangitur adversarum molestia, qui prosperarum delectatione non capitur.

35. Ultima et septima petitio est, *Sed libera nos a malo*. Orandum est enim ut non solum non inducamur in malum, quo caremus, quod sexto loco petitur; sed ab illo etiam liberemur, quo jam inducti sumus. Quod cum factum fuerit, nihil remanebit formidolosum, nec omnino metuenda erit ulla tentatio. Quod tamen in hac vita quamdiu istam mortalitatem cir-

<sup>1</sup> Sic Mss. At editi, sine offensione non intelligunt.



cumferimus, in quam serpentina persuasione inducti sumus, non sperandum est posse fieri; sed tamen aliquando futurum sperandum est, et hæc est spes quæ non videtur: de qua cum loqueretur Apostolus, ait, *Spes autem quæ videtur, non est spes* (Rom. viii, 24). Sed tamen sapientia, quæ in hac quoque vita conuocata est, fidelibus servis Dei non est desperanda. Ea est autem, ut id quod Domino revelante fugiendum esse intellexerimus, cautissima vigilantia fugiamus; et id quod Domino revelante appetendum esse intellexerimus, flagrantissima charitate appetamus. Ita enim reliquo mortalitatis hujus onere ipsa morte deposito, ex omni hominis parte opportuno tempore perficietur beatitudo, quæ in hac vita inchoata est, et cui capessende atque obtinendæ aliquando nunc omnis conatus impenditur.

CAPUT X. — 36. Sed harum septem petitionum consideranda et commendanda distinctio est. Nam cum vita nostra temporaliter nunc agatur, atque spectetur æterna, et cum æterna priora sint dignitate, quamvis temporalibus prius actis ad illa transeat; triam primarum petitionum impetrationes quæquam in hac vita, quæ isto sæculo agitur, exordium capiant (nam et sanctificatio nominis Dei ab ipso humilitatis Domini adventu agi cœpit; et adventus regni ejus, quo in claritate venturus est, non jam finito sæculo, sed in fine sæculi manifestabitur; et perfectio voluntatis ejus, sicut in cælo et in terra, sive justos et peccatores cælum et terram intelligas, sive spiritum et carnem, sive Dominum et Ecclesiam, sive omnia simul, ipsa perfectione nostræ beatitudinis, et ideo sæculi terminatione complebitur), tamen omnia tria in æternum manebunt. Nam et sanctificatio nominis Dei sempiterna erit, et regni ejus nullus est finis, et perfectæ nostræ beatitudini æterna vita promittitur. Permanebunt ergo ista tria consummata atque cumulata in illa vita quæ nobis promittitur.

37. Reliqua vero quatuor quæ petimus, ad temporalem istam vitam pertinere mihi videntur. Quorum primum est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Ille enim quod dictus est quotidianus panis, sive spiritualis significetur, sive in Sacramento aut in victu isto visibilis, ad hoc tempus pertinet, quod appellavit *hodie*: non quia spiritualis cibus non est sempiternus; sed quia iste qui quotidianus dictus est in Scripturis, sive in strepitu sermonis, sive quibusque temporalibus signis exhibetur animæ: quæ omnia tunc utique non erunt, cum omnes erunt docibiles Deo (Isai. liv, 13; Joan. vi, 45), et ipsam ineffabilem lucem veritatis non motu corporum significantes, sed puritate mentis haurientes. Nam fortasse et propterea panis dictus est, non potus, quia panis frangendo atque mandendo, in alimentum convertitur, sicut Scripture aperiendo et disserendo animam pascunt; potus vero paratus, sicuti est, transit in corpus: ut isto tempore panis sit veritas, cum quotidianus panis dicitur; tunc autem potus, cum nullo labore disputandi et sermocinandi, quasi frangendi atque mandendi, opus erit, sed solo haustu sincere et per-

spiciæ veritatis. Et peccata nunc nobis dimittentur, et nunc dimittimus; quæ harum quatuor reliquarum secunda petitio est: tunc autem nulla erit venia peccatorum, quia nulla peccata. Et tentationes temporalem istam vitam infestant; non autem erunt, cum perfectum erit quod dictum est, *Abcondes eos in abscondito vultus tui* (Psal. xxx, 21). Et malum, a quo liberari optamus, et ipsa liberatio a malo ad hanc utique vitam pertinet, quam et justitia Dei mortalem meruimus, et unde ipsius misericordia liberamur.

CAPUT XI. — 38. Videtur etiam mihi septenarius iste numerus harum petitionum congruere illi septenario numero, ex quo totus iste sermo manavit. Si enim timor Dei est quo beati sunt pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum; petamus ut sanctificetur in hominibus nomen Dei, timore casto permanente in sæcula sæculorum (Psal. xviii, 10). Si pietas est qua beati sunt mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram; petamus ut veniat regnum ejus, sive in nos ipsos, ut amiscamus, nec ei resistamus; sive de cælo in terras in claritate adventus Domini, quo nos gaudebimus, et laudabimur<sup>1</sup>, dicente illo, *Venite, benedicti Patris mei, accipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (Math. xxv, 34). In Domino enim, inquit propheta, *laudabitur anima mea; audiant mites, et jucundentur* (Psal. xxxiiii, 2). Si scientia est qua beati sunt qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; oremus ut fiat voluntas ejus sicut in cælo et in terra, quia cum corpus tanquam terra, spiritui tanquam cælo, summa et tota pace consenserit, non lugebimus: nam nullus alius hujus temporis luctus est, nisi cum adversum se ista confligunt, et cogunt nos dicere, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*; et luctum nostrum lacrymosa voce testari, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis ejus* (Rom. vii, 23, 24)? Si fortitudo est qua beati sunt qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur; oremus ut panis noster quotidianus detur nobis hodie, quo fulti atque sustentati, ad plenissimam illam saturitatem venire possimus. Si consilium est quo beati sunt misericordes, quoniam ipsorum miserebitur; dimittamus debita debitoribus nostris, et oremus ut nobis nostra dimittantur. Si intellectus est quo beati sunt mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt; oremus non induci in tentationem, ne habeamus duplex cor, non appetendo simplex bonum, quo referamus omnia quæ operamur, sed simul temporalia et terrena<sup>2</sup> sectando. Tentationes enim de his rebus quæ graves et calamitosæ videntur hominibus, non in nos valent, si non valeant illæ quæ blanditiis earum rerum accidunt, quas homines bonas et letandas putant. Si sapientia est qua beati sunt pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur (Math. v, 3-9); oremus ut liberemur a malo: ipsa enim liberatio liberos nos faciet, id est filios Dei, ut spiritu adoptionis clamemus, *Abba*,

<sup>1</sup> Editi Mar. et Lov., *luxabimur*. Am. et Fr., *letabimur*. At Vss., *laudabimur*.

<sup>2</sup> Duo e Vatic Vss., *temporalia et æterna*.

*Pater* (Rom. viii, 15, et Galat. iv, 6).

39. Sæpe non negligenter prætereundum est quod ex omnibus iis sententiis, quibus nos orare Dominus præcepit, eam potissimum commendandam esse iudicavit, quæ pertinet ad dimissionem peccatorum: in qua nos misericordes esse voluit, quod unum est consilium miseris evadendi. In nulla enim alia sententia sic oramus, ut quasi paciscamur cum Deo: dicimus enim, *Dimitte nobis sicut et nos dimittimus*. In qua pactione si mentimur, totius orationis nullus est fructus. Sic enim dicit: *Si enim dimiseritis hominibus delicta eorum, dimittet et vobis Pater vester qui in caelis est. Si autem non dimiseritis hominibus, neque Pater vester dimittet vobis peccata vestra*.

CAPUT XII. — 40. Sequitur de jejuniis præceptum, pertinens ad eandem cordis mundationem, de qua hunc agitur. Nam et in hoc opere cavendum est ne subrepat aliqua ostentatio et appetitus laudis humanæ, qui duplicet cor, et non sinat mundum et simplex esse ad intelligendum Deum. « Cum autem jejunatis, inquit, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes: externant enim vultum suum, ut videantur hominibus jejunantes. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Vos autem jejunantes unгите capita vestra, et facies vestras lavate, ne videamini hominibus jejunantes, sed Patri vestro qui est in abscondito: et Pater vester qui videt in abscondito, reddet vobis. » Manifestum est his præceptis omnem nostram intentionem in interiora gaudia dirigi, ne foris quærentes mercedem huic sæculo conformemur, et amittamus promissionem tanto solidioris atque firmioris, quanto interioris beatitudinis, qua nos elegit Deus conformes fieri imaginis Filii ejus (Rom. viii, 29).

41. In hoc autem capitulo maxime animadvertendum est, non in solo rerum corporarum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam; et eo periculosiorem, quo sub nomine servitutis Dei decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis atque vestitus vel caterarum rerum nitore præfulget, facile convincitur rebus ipsis, pompæ sæculi esse sectator, nec quemquam fallit dolosa imagine sanctitatis: qui autem in professione Christianitatis inusitato squalore ac sordibus intentos in se oculos hominum facit, cum id voluntate facit, non necessitate patitur, cæteris ejus operibus potest conjici utrum hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat; quia et sub ovina pelle cavendos lupos Dominus præcepit; sed *ex fructibus*, inquit, *eorum cognoscetis eos*. Cum enim cæperint aliquibus tentationibus ea ipsa illis subtrahi vel negari, quæ isto velamine vel consecuti sunt, vel consequi cupiunt, tunc necesse est appareat utrum lupus in ovina pelle sit, an ovis in sua. Non enim propterea ornato superfluo debet aspectus hominum mulcere christianus, quia illum parvum habitum ac necessarium etiam simulatores sæpius usurpant, ut incautos decipiant: quia et illæ oves non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contigunt.

42. Quæri ergo solet quid sit quod ait, *Vos autem*

*cum jejunatis, unгите capita vestra, et facies vestras lavate, ne videamini hominibus jejunantes*. Non enim quispiam recte præcepit, quamvis faciem quotidiana consuetudine lavemus, unctis etiam capitibus cum jejunamus, nos esse debere. Quod si turpissimum omnes fatentur, intelligendum est hoc præceptum ungenderi caput, et faciem lavandi, ad interiorum hominum pertinere. Ungere ergo caput, ad lætitiæ pertinet; lavare autem faciem, ad munditiam: et ideo caput ungit qui lætatur interius mente atque ratione. Hoc enim recte accipimus caput, quod in anima præeminet, et quo cætera hominis regi et gubernari manifestum est. Et hoc facit qui non foris quærit lætitiæ, ut de laudibus hominum carnaliter gaudeat. Caro enim quæ subjecta esse debet, nullo modo est totius naturæ humanæ caput. *Nemo quidem unquam carnem suam odio habuit*, sicut Apostolus dicit, cum de diligenda uxore præcipit (Ephes. v, 25-33): sed caput mulieris vir, cui viro caput est Christus (I Cor. xi, 3). Interius ergo gaudeat in jejuniis suo, eo ipso quo sic se jejunando avertit a voluptate sæculi ut sit subditus Christo, qui secundum hoc præceptum caput unctum habere desiderat. Ita enim et faciem lavabit, id est, cor mundabit, quo visurus est Deum, non interposito velamine propter infirmitatem contractam de sordibus; sed firmus et stabilis, quoniam mundus et simplex. *Lavanini*, inquit, *mundi estote, auferte nequitias ab animis vestris, atque a conspectu oculorum meorum* (Isai. i, 16). Ab his igitur sordibus facies nostra lavanda est, quibus Dei aspectus offenditur. Nos enim revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformabimur (II Cor. iii, 18).

43. Sæpe etiam cogitatio necesse ariarum rerum a istam vitam pertinentium, sauciat et sordidat interiorum oculum nostrum; et plerumque cor duplicat, ut ea quæ videmur cum hominibus recte facere, non eo corde faciamus quo Dominus præcipit, id est, non quia eos diligimus, sed quia commodum ab eis aliquid propter necessitatem præsentis vitæ adipisci volumus. Debemus autem benefacere illis propter salutem ipsorum æternam, non propter temporale commodum nostrum. Inclinet ergo Deus cor nostrum in testimonia sua, et non in emolumentum (Psal. cxviii, 36). Finis enim præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (I Tim. i, 5). Qui autem propter suam in hac vita necessitatem fratri consultit, non utique charitate consultit; quia non illi, quem debet tanquam seipsum diligere, sed sibi consultit: vel potius nec sibi; quandoquidem hinc sibi facit duplex cor, quo impeditur ad videndum Deum; in qua sola visione beatitudo est certa atque perpetua.

CAPUT XIII. — 44. Recte ergo sequitur, et præcipit, qui mundando cordi nostro instat, dicens: « Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea et comestura exterminant<sup>1</sup>, et ubi fures effodiunt et

<sup>1</sup> Sic habent Mss. et Mar., necnon Cyprianus in lib. 3, ad Quirinum. At Am. Er. et Lov., ubi *ceruæ et tinea exterminant, et reliqua*: suppressis, ut solent, cætera verbis sem

furantur : thesaurizate autem vobis thesauros in caelo, ubi neque tinea neque comestura exterminant, et tibi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum. Ergo si in terra erit cor, id est, si eo cordo quisque operetur aliquid, ut terrenum commodum adipiscatur, quomodo erit mundum, quod in terra volutatur? Si autem in caelo, mundum erit, quia munda sunt quaecumque caelestia. Sordescit enim aliquid, cum inferiori misceatur naturae, quamvis in suo genere non sordide; quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si misceatur: ita et animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamvis ipsa terra in suo genere atque ordine munda sit. Caelum autem hoc loco non corporeum acceperimus, quia omne corpus pro terra habendum est. Totum enim mundum debet contemnere, qui sibi thesaurizat in caelo. In illo ergo caelo de quo dictum est, *Caelum caeli Domino* (*Psal. cxiii, 16*), id est in firmamento spirituali, non enim in eo quod transiet, constituere et collocare debemus thesaurum nostrum et cor nostrum, sed in eo quod semper manet: caelum autem et terra transiet (*Math. xxiv, 35*).

45. Et hic manifestat de mundando corde se cuncta ista praecipere, cum dicit: « Lucerna corporis tui oculus tuus est. Si ergo oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebrae sunt, tenebrae quantae? » Qui locus sic intelligendus est, ut noverimus omnia opera nostra tunc esse munda et placere in conspectu Dei, si fiant simplici corde, id est, intentione superna sine illo charitatis; quia et plenitudo legis charitas (*Rom. xiii, 10*). Oculum ergo hic accipere debemus ipsam intentionem qua facimus quidquid facimus: quae si munda fuerit et recta, et illud aspiciens quod aspiciendum est; omnia opera nostra, quae secundum eam operamur, necesse est bona sint. Quae omnia opera totum corpus appellavit; quia et Apostolus membra nostra dicit quaedam opera, quae improbat, et mortificanda praecipit dicens, *Mortificate ergo membra vestra quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, avaritiam* (*Coloss. iii, 5*), et cetera talia.

46. Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum est. Hoc est enim lumen in nobis, quia hoc nobis manifestum est bono animo nos facere quod facimus: omne enim quod manifestatur, lumen est (*Ephes. v, 13*). Nam ipsa facta quae ad hominum societatem a nobis procedunt, incertum habent exitum; et ideo tenebras eas vocavit. Non enim novi, cum pecuniam porrigo indigenti et petenti, quid inde aut facturus sit, aut passurus; et fieri potest ut vel faciat ex ea, vel propter eam patiat aliquid mali, quod ego cum darem, non evenire vulerim, neque hoc animo dederim. Itaque si bono animo feci, quod mihi cum facerem, notum erat, et ideo lumen vocatur; illuminatur etiam factum meum, qualem-

1 turc, quae a nobis passim hoc in opere magna religione restituntur ex vobis.

SANCT. AUGUST. III.

cumque exitum habuerit: qui exitus quoniam incertus et ignotus est, tenebrae appellatae sunt. Si autem malo animo feci, etiam ipsum lumen tenebrae sunt. Lumen enim dicitur, quia novit quisque quo animo faciat, etiam cum malo animo facit: sed ipsum lumen tenebrae sunt, quia non in superna dirigitur simplex intentio, sed ad inferiora declinatur, et duplici corde quasi umbram facit. Si ergo lumen quod in te est, tenebrae sunt, tenebrae quantae? hoc est, Si ipsa cordis intentio, qua facis quod facis, quae tibi nota est, sordidatur appetitu rerum terrenarum et temporalium, atque caecatur; quanto magis ipsum factum, cujus incertus est exitus, sordidum et tenebrosum est? quia etsi bene alicui proveniat, quod tu non recta et munda intentione facis; quomodo tu feceris, tibi imputatur, non quomodo illi provenit.

CAPUT XIV. — 47. Quod autem sequitur, et dicit, *Nemo potest duobus dominis servire*, ad hanc ipsam intentionem referendum est, quod consequenter exponit, dicens: *Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut alterum patietur, et alterum contemnet*. Quae verba diligenter consideranda sunt: nam qui sint duo domini, deinceps ostendit, cum dicit, *Non potestis Deo servire et mammonae*. Mammona apud Hebraeos divitiarum appellari dicuntur. Congruit et puniceum nomen: nam lacrum, punice mammon dicitur. Sed qui servit mammonae, illi utique servit, qui rebus istis terrenis merito suae perversitatis praepositus, magistratus huius saeculi a Domino dicitur (*Joan. xii, 31, et xiv, 30*). Aut ergo hunc odio habebit homo, et alterum diliget, id est, Deum; aut alterum patietur, et alterum contemnet. Patitur enim durum et perniciosum dominum, quisquis servit mammonae; sua enim cupiditate implicatus, subdit diabolus: et non eum diligit; quis enim est qui diligit diabolus? sed tamen patitur: sicut in majore aliqua domo, qui ancillae alienae conjunctus est, propter cupiditatem suam duram patitur servitutem, etiam si non diligit eam, cujus ancillam diligit.

48. *Alterum autem contemnet*, dicit; non, odio habebit. Nullus enim fere conscientia Deum odisse potest (a); contemnit autem, id est non timet eum, quasi de ejus bonitate securus est. Ab hac negligentia et perniciose securitate revocat Spiritus sanctus, cum per Prophetam dicit, *Fili, ne adjicias peccatum super peccatum, et dicas, Miseratio Dei magna est* (*Ecl. v, 5, 6*); et, *Ignoras quia patientia Dei ad poenitentiam te invitat* (*Rom. ii, 4*)? Cujus enim tanta misericordia commemorari potest, quam ejus qui omnia donat peccata conversis, et oleastrum facit particeps pinguedinis olivae? et ejus tanta severitas, quam ejus qui naturalibus ramis non pepercit, sed propter infidelitatem fregit illos (*Id. xi, 17-24*)? Sed quisquis vult diligere Deum, et cavere ne offendant, non se arbitretur duobus dominis posse servire, et intentionem cordis sui rectam ab omni duplicitate explicet: ita enim sentiet de Domino in bonitate, et in simplicitate

(a) 1 Retract. cap. 19, u. 8.

(Quarante-une.)

cordis quærret illum (*Sap. 1, 1*).

CAPUT XV. — 49. *Ideo, inquit, dico vobis, non habere sollicitudinem animæ vestræ quid edatis, neque corpori vestro quid induatis.* Ne forte, quamvis jam superflua non quærantur, propter ipsa necessaria cor duplicetur, et ad ipsa conquirenda nostra detorqueatur intentio, cum aliquid quasi misericorditer operamur; id est, ut cum consulere alicui videri volumus, nostrum emolumentum ibi potius, quam illius utilitatem attendamus; et ideo nobis non videamur peccare, quia non superflua, sed necessaria sunt quæ consequi volumus. Dominus autem admonet ut meminerimus multo amplius nobis Deum dedisse, quod nos fecit et composuit ex anima et corpore, quam est alimentum atque tegumentum, quorum cura nos duplicare cor non vult. *Nonne, inquit, anima plus est quam esca?* Ut tu intelligas eum qui dedit animam, multo facilius escam esse daturum. *Et corpus quam vestimentum,* id est, plus est: ut similiter intelligas, eum qui corpus dedit, multo facilius daturum esse vestimentum.

50. Quo loco quæri solet utrum ad animam cibus iste pertineat, cum anima incorporea sit, iste autem cibus corporeus. Sed animam hoc loco pro ista vita positam noverimus, cujus retinaculum est alimentum istud corporeum. Secundum hanc significationem dictum est etiam illud: *Qui amat animam suam, perdet illam (Joan. xii. 25).* Quod nisi de hac vita acceperimus, quam oportet pro regno Dei perdere, quod potuisse Martyres claruit, contrarium hoc præceptum erit illi sententiæ qua dictum est: *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat (Matth. xvi, 26)?*

51. *Respicite, inquit, volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et Pater vester cœlestis pascit illa: nonne vos pluris estis illis?* id est, carius vos valetis. Quia utique rationale animal, sicuti est homo, sublimius ordinatum est in rerum natura, quam irrationabilia, sicut sunt aves. *Quis autem, vestrum curans, inquit, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? id est, cujus potestate atque dominatu factum est ut ad hanc staturam corpus vestrum perduceretur, ejus providentia etiam vestiri potest; non autem vestra cura factum esse ut ad hanc staturam veniret corpus vestrum, ex hoc intelligi potest, quod si curetis, et velitis adjicere unum cubitum huic staturæ, non potestis: illi ergo etiam tegendi corporis curam relinquite, cujus videtis cura factum esse ut tantæ staturæ corpus habeatis.*

52. Dandum autem erat etiam documentum propter vestimentum, sicut datum est propter alimentum. Itaque sequitur, et dicit: *Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant neque nent: dico autem vobis quia nec Salomon in omni gloria sua sic vestitus est ut unum ex his. Si autem fenum agri, quod nodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis ergo vos, modicæ fidei?* Sed ista documenta non sicut allegoriæ discutienda sunt, ut quæramus quid significent aves cœli, aut lilia agri;

posita sunt enim, ut de rebus minoribus majora persuaderentur: sicuti illud est de iudice qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur, et tamen sæpe Interpellanti viduæ cessit, ut ejus causam consideraret; non propter pietatem aut humanitatem, sed ne tædium pateretur. Non enim ullo modo ille injustus iudex personam Dei allegorice sustinet: sed tamen quantum Deus, qui bonus est et justus, curet depræcantes se, hinc conjici Dominus voluit, quod nec injustus homo eos qui illum assiduis precibus tundunt, vel propter tædium devitandum, potest contemnere (*Luc. xviii, 2-8*).

CAPUT XVI. — 53. *Nolite ergo, inquit, solliciti esse, dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur: hæc enim omnia Gentes quærunt. Scit enim Pater vester quia horum omnium indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis.* Hic manifestissime ostendit non hæc esse appetenda, tanquam talia bona nostra, ut propter ipsa debeamus bene facere, si quid facimus, sed tamen esse necessaria. Quid enim intersit inter bonum quod appetendum est, et necessarium quod sumendum est, hac sententia declaravit, cum ait, *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis.* Regnum ergo et justitia Dei bonum nostrum est, et hoc appetendum, et ibi finis constituendus, propter quod omnia faciamus quæcumque facimus. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non potest; *Apponentur vobis hæc,* inquit, *sed vos regnum Dei et justitiam ejus primum quærite.* Cum enim dixit illud *primum,* significavit quia hoc posterius quærendum est, non tempore, sed dignitate: illud tanquam bonum nostrum, hoc tanquam necessarium nostrum; necessarium autem propter illud bonum.

54. Neque enim, verbi gratia, ideo debemus evangelizare, ut manducemus; sed ideo manducare, ut evangelizemus: nam si propterea evangelizamus, ut manducemus, vilius habemus Evangelium quam cibum; et erit jam bonum nostrum in manducando, necessarium autem in evangelizando. Quod etiam Apostolus prohibet, cum dicit licere sibi quidem, et permissum esse a Domino, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, id est, de Evangelio habeant ea quæ huic vitæ sunt necessaria; sed tamen se non esse absum hac potestate. Erant enim multi qui occasionem habere cupiebant acquirendi et vendendi Evangelium, quibus eam volens amputare Apostolus, manibus suis victum suum toleravit (*Act. xx, 34*). De his enim alio loco dicit, *Ut amputem occasionem, iis qui quærunt occasionem.* (*II Cor. xi, 12*). Quanquam etiam si, ut cæteri boni apostoli, permissum Domini de Evangelio viveret, non ideo in eo victu constitueret finem evangelizandi, sed magis ipsius victus sui finem in Evangelio collocaret: id est, ut superius dixi, non ideo evangelizaret, ut perveniret ad cibum, et si qua sunt alia necessaria; sed ideo ista sumeret, ut illud impleteret, ne non volens, sed necessitate evangelizaret. Hoc enim improbat, cum dicit:

« Nescitis quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt edunt; et qui altario deserviunt, altario compariuntur: sic et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: ego autem nullius horum usus sum. » Hinc ostendit permissum esse, non jussum; alioquin contra præceptum Domini fecisse tenebitur. Deinde sequitur, et dicit: « Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me. Bonum est mihi magis mori, quam gloriam meam quisquam inanem faciat. » Hoc dixit, quia jam statuerat, propter quosdam occasionem quærentes, manibus suis victum transigere. *Si enim evangelizavero, inquit, non est mihi gloria*: id est, si evangelizavero, ut ista fiant in me, id est, si propterea evangelizavero, ut ad illa perveniam, et finem Evangelii in cibo et potu et vestitu collocavero. Sed quare non est ei gloria? *Necessitas enim, inquit, mihi incumbit*; id est, ut idco evangelizem, quia unde vivam non habeo, aut ut acquiram temporalem fructum de prædicatione æternorum: sic enim jam necessitas erit in Evangelio, non voluntas. *Væ enim mihi est, inquit, si non evangelizavero*. Sed quomodo debet evangelizare? Scilicet ut in ipso Evangelio et in regno Dei ponat mercedem: ita enim potest non coactus evangelizare, sed volens. *Si enim volens, inquit, hoc facio, mercedem habeo; si autem invitatus, dispensatio mihi credita est (1 Cor. ix, 13-17)*: id est, si coactus inopia carum rerum, quæ temporali vitæ sunt necessariae, prædico Evangelium, alii per me habebunt mercedem Evangelii, qui Evangelium ipsum me prædicante diligent; ego autem non habeo, quia non ipsum Evangelium diligo, sed ejus pretium in illis temporalibus constitutum. Quod nefas est fieri, ut non tanquam filius ministret quisque Evangelium, sed tanquam servus cui dispensatio credita est; ut tanquam alienum erogo, nihil inde ipse accipiat præter cibaria, quæ non de participatione regni, sed ad sustentaculum miseræ servitutis dantur extrinsecus. Quamquam alio loco et dispensatorem se dicat. Potest enim et servus in filiorum numerum adoptatus, eam rem in qua coheredis sortem meruit, fideliter dispensare participibus suis. Sed nunc ubi ait, *Si autem invitatus, dispensatio mihi credita est*; talem dispensatorem intelligi voluit, qui alienum dispensat, unde ipse nihil accipiat.

55. Ergo quæcumque res propter aliud aliquid quæritur, sine dubio inferior est, quam id propter quod quæritur: et ideo illud primum est propter quod istam rem quæris, non ista res quam propter illud quæris. Quapropter si Evangelium et regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, et posterius regnum Dei; ita ut si non desit cibum, non quæramus regnum Dei: hoc est primum quærerere cibum, et deinde regnum Dei, id est, hoc priore loco ponere, illud posteriore. Si autem ideo quæramus cibum, ut habeamus regnum Dei, facimus quod dictum est, *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis*.

CAPUT XVII. — 56. Quærentibus enim primum regnum et justitiam Dei, id est, hoc præponentibus cæteris rebus, ut propter hoc cætera quæramus, non

debet subesse sollicitudo ne illa desint quæ huic vitæ propter regnum Dei sunt necessaria. Dixit enim superius, *Scit Pater vester quod horum omnium indigetis*. Et ideo cum dixisset, *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus*, non dixit, Deinde ista quærite; quamvis sint necessaria: sed ait, *hæc omnia apponentur vobis*, id est consequentur, si illa quæritis, sine ullo vestro impedimento: ne cum ista quæritis, illinc avertamini; aut ne duos fines constituatis, ut et regnum Dei propter se appetatis, et ista necessaria; sed hæc potius propter illud: ita vobis non deerunt. Quia duobus dominis servire non potestis. Duobus autem dominis servire conatur, qui et regnum Dei pro magno bono appetit, et hæc temporalia. Non poterit autem simplicem habere oculum, et uni Domino Deo servire, nisi quæcumque sunt cætera, si sunt necessaria, propter hoc unum assumat, id est propter regnum Dei. Sicut autem omnes militantes accipiunt annonam et stipendium, sic omnes evangelizantes accipiunt victum et tegumentum. Sed non omnes propter salutem reipublicæ militant, sed propter illa quæ accipiunt: sic et non omnes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc temporalia, quæ tanquam annonam et stipendia consequantur; aut et propter hoc, et propter illud. Sed supra jam dictum est, *Non potestis duobus dominis servire*. Ergo simplici corde tantummodo propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes; non autem in hac operatione, vel solam, vel cum regno Dei mercedem temporalium cogitare: quorum omnium temporalium nomina crastinum posuit, dicens, *Nolite cogitare de crastino*<sup>1</sup>. Non enim dicitur crastinus dies, nisi in tempore, ubi præterito succedit futurum. Ergo cum aliquid boni operamur, non temporalia, sed æterna cogitemus: tunc erit illud bonum et perfectum opus. *Crastinus enim dies, inquit, sollicitus erit sibi ipsi*: id est ut cum oportuerit sumas cibum vel potum, vel indumentum, cum ipsa scilicet necessitas urgere coeperit. Aderunt enim hæc, quia novit Pater noster quod horum omnium indigeamus. *Sufficit enim, inquit, diei malitia sua*: id est, sufficit quod ista sumere urgebit ipsa necessitas. Quam propterea malitiam nominatam arbitror, quia pœnalis est nobis: pertinet enim ad hanc fragilitatem et mortalitatem, quam peccando meruimus (a). Huic ergo pœnæ temporalis necessitatis non addere aliquid gravius, ut non solum patiaris harum rerum indigentiam, sed etiam propter hanc explendam milites Deo.

57. Hoc autem loco vehementer cavendum est, ne forte cum viderimus aliquem servum Dei providere ne ista necessaria desint, vel sibi, vel eis quorum sibi cura commissa est, judicemus eum contra præceptum Domini facere, et de crastino esse sollicitum. Nam et ipse Dominus, cui ministrabant Angeli (*Matth. iv, 11*), tamen propter exemplum, ne quis postea scandalum pateretur, cum aliquem servorum ejus animadvertisset ista necessaria procurare, loculos

<sup>1</sup> in vss. prope omnibus, *Nolite solliciti esse de crastino*.

(a) I retract. cap. 19, n. 9.

habere dignatus est cum pecunia <sup>1</sup>, unde usibus necessariis quicquid opus fuisset præberetur: quorum loculorum custos et fur, sicut scriptum est, Judas fuit, qui eum tradidit (*Joan. xii, 6*). Sicut et apostolus Paulus potest videri de crastino cogitasse, cum dixit: « De collectis autem in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite: secundum unam sabbati unusquisque vestrum apud se ponat thesaurizans, quod ei placuerit, ut non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem advenero, quoscumque probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem: quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos, cum Macedoniam transiero: nam Macedoniam pertransibo: apud vos autem forsitan remanebo, vel etiam hiemabo, ut vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos nunc in transitu videre: spero enim me aliquod temporis manere apud vos, si permiserit Dominus. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten » (*I Cor. xvi, 4-8*). Item in Actibus Apostolorum scriptum est, ea quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter imminentem famem. Sic enim legitur: « In illis autem diebus descenderunt ab Jerosolymis propheta: Antiochiam, eratque magna exultatio. Congregatis autem nobis, surgens unus ex illis nomine Agabus, significabat per Spiritum, famem magnam futuram in universo mundo, quæ et facta est sub Claudio Cæsare. Discerunt autem ut quisque abundabat, staverunt unusquisque eorum in ministerium mittere presbyteris habitantibus in Judæa fratribus, qui et miserunt per manum Barnabæ et Sauli » (*Act. xi, 27-30*). Et quod naviganti eidem apostolo Paulo imposita sunt utensilia, que offerrebantur (*Id. xxviii, 10*), non ad unum tantum diem videtur victus esse procuratus. Et quod idem scribit, *Qui furubatur, jam non furetur; magis autem laboret operans manibus suis bonum, ut habeat unde tribuere cui opus est* <sup>2</sup> (*Ephes. iv, 28*): male intelligentibus non videtur servare præceptum Domini, quod ait, *Respice volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et. Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant neque nent; cum istis præcipit ut laborent, operantes manibus suis, ita ut habeant quod etiam aliis possint tribuere. Et quod sæpe de seipso dicit, quod manibus suis operatus sit, ne quem gravaret (*I Thess. ii, 9, et II Thess. iii, 8*); et de illo scriptum est quod conjunxerit se Aquilæ propter artis similitudinem, ut simul operarentur unde victum transigerent (*Act. xviii, 2, 3*): non videtur imitatus aves cæli et lilia agri. His et hujusmodi Scripturarum locis, satis apparet Dominum nostrum non hoc improbare, si quis humano more ista procuret; sed si quis propter ista Deo militet, ut in operibus suis non regnum Dei, sed istorum acquisitionem latueatur.*

58. Ad hanc ergo regulam hoc totum præceptum

<sup>1</sup> Mss. octo, quibus portabatur pecunia.

<sup>2</sup> Am. Er. et Lov., Descendentium. Verius Mar. et Mss., Discendentium.

<sup>3</sup> Sic Mss. juxta græcum textum Apostoli. At Am. Er. et Lov., unde tribuat cui opus est quod bonum est.

redigitur, ut etiam in istorum provisione regnum Dei cogitemus, in militia vero regni Dei ista non cogitemus. Ita enim etiamsi aliquando defuerint, quæd plerumque propter exercitationem nostram Deus sinit, non solum non debilitant propositum nostrum, sed etiam examinatum probatumque confirmant. « Gloriamur enim, inquit, in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes vero non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis » (*Rom. v, 3-5*). In commemoratione autem tribulationum ac laborum suorum idem apostolus non tantum in carceribus et naufragiis, atque hujusmodi multis molestiis, sed etiam in fame et siti, in frigore et nuditate se laborasse commemorat (*II Cor. xi, 23-27*). Quod cum legimus, non æstimemus Domini promissam titubasse, ut famem ac sitim et nuditatem pateretur Apostolus, quærens regnum et justitiam Dei. cum dictum sit nobis, *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis*: quandoquidem ista sicut adjutoria novit ille medicus, cui seipsum nos totos commisimus, et a quo habemus promissionem vite præsentis et futuræ, quando apponat, quando detrahat, sicut nobis judicat expedire; quos et consolandos et exercendo: in hac vita, et post hanc vitam in perpetua regule stabiliendos atque firmandos gubernat, ac dirigit. Non enim et homo, cum plerumque jumento suo cibaria detrahit, deserit illud cura sua, ac non potius curando hæc facit.

CAPUT XVIII. — 59. Et quoniam cum ista vel procurantur in futurum, vel si causa non est quare illa impendas, reservantur, incertum est quo animo fiat, cum possit simplici corde fieri, possit et duplici, opportune hoc loco subjicit: *Nolite judicare, ne judicetur de vobis: in quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri: sicut sunt stupra, vel blasphemie, vel furta, vel ebriositates, et si qua sunt talia, de quibus nobis judicare permittitur, dicente Apostolo, *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? Nonne de iis qui intus sunt vos judicatis* (*I Cor. v, 12*)? De genere autem ciborum, quia possunt bono animo et simplici corde sine vitio concupiscentiæ quicumque humani cibi indifferenter sumi, prohibet idem apostolus judicari eos qui carnibus vescabantur et vinum bibebant, ab eis qui se ab hujusmodi alimentis temperabant: *Qui manducat, inquit, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicat*. Ibi etiam ait: *Tu quis es, qui judices alienum serrum? domino suo stat, aut cadit* (*Rom. xiv, 3, 4*). De talibus enim rebus quæ possunt bono et simplici et magno animo fieri, quamvis possint etiam non bono, volebant illi cum homines essent, in occulta cordis ferre senten-

tam, de quibus solus Deus iudicat.

40. Ad hoc pertinet etiam illud quod alio loco dicit: *Nolite ante tempus quidquam iudicare, quousque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis: et tunc laus erit unicuique a Deo* (1 Cor. iv, 5). Sunt ergo quaedam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia et bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maxime ut condemnemus. Horum autem veniet tempus ut iudicentur, cum *Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis*. Item alio loco dicit idem apostolus: *Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium; quædam autem et subsequuntur*. Manifesta ea dicit, de quibus clarum est quo animo fiant: hæc præcedunt ad iudicium; id est, quia si fuerit ista subsequutum iudicium, non est temerarium. Subsequuntur autem illa quæ occulta sunt; quia nec ipsa latebunt tempore suo. Sic et de bonis factis intelligendum est. Nam ita subiungit: *Similiter et facta bona manifesta sunt; et quæcumque aliter se habent, abscondi non possunt* (1 Tim. v, 24, 25). De manifestis ergo iudicemus; de occultis vero Deo iudicium relinquamus: quia et ipsa abscondi non possunt, sive mala sive bona, cum tempus advenerit quo manifestentur.

61. Duo sunt autem in quibus temerarium iudicium cavere debemus; cum incertum est quo animo quidque factum sit, vel cum incertum est qualis futurus sit qui nunc vel bonus vel malus apparet. Si ergo quispiam, verbi gratia, conquestus de stomacho jejunaire noluit, et tu id non credens edacitatis id vitio tribueris, temere iudicabis. Item si manifestam edacitatem ebriositatemque cognoveris, et ita reprehenderis quasi nunquam ille possit corrigi atque mutari, nihilominus temere iudicabis. Non ergo reprehendamus ea quæ nescimus quo animo fiant; neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem; et vitabimus iudicium de quo nunc dicitur, *Nolite iudicare, ne iudicetur de vobis*.

62. Potest autem movere quod ait, *In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabitur de vobis; et in qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis*. Numquid enim si nos iudicio temerario iudicaverimus, temere etiam de nobis Deus iudicabit? aut numquid si in mensura iniqua mensi fuerimus, et apud Deum iniqua mensura est unde nobis remetietur? nam et mensuræ nomine ipsum iudicium significatum arbitror. Nullo modo Deus vel temere iudicat, vel iniqua mensura cuiquam rependit: sed hoc dictum est, quoniam temeritas qua punis alium, eadem ipsa te puniat necesse est. Nisi forte arbitrandum est quod iniquitas ei noceat aliquid in quem procedit, ei autem nihil a quo procedit: imo vero sæpe nihil nocet ei, qui patitur injuriam, ei autem qui facit necesse est ut noceat. Quid enim nocuit martyribus iniquitas persequentium? ipsis autem persecutoribus plurimum. Quia etsi aliquorum correcti sunt, eo tamen tempore quo persequebantur, excæcabat illos malitia eorum. Sic et temerarium iudicium per unumque nihil nocet ei de

quo temere iudicatur; et autem qui temere iudicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat. Ista regula etiam illud dictum arbitror: *Omnis qui percusserit gladio, gladio morietur* (Math. xxvi, 52). Quam multi enim gladio percutiunt, nec tamen gladio moriuntur, sicut neque ipse Petrus? Sed ne istum veniam peccatorum talem evasisse pœnam quis putet, quanquam nihil absurdus, quam ut majorem putet gladii pœnam esse potuisse, quæ Petro non accidit, quam crucis quæ accidit: quæ tamen de latronibus dicturus est, qui cum Domino crucifixi sunt; quia et ille qui meruit veniam, postquam crucifixus est meruit (Luc. xxiii, 33-43), et alter omnino non meruit? An forte omnes quos occiderant, crucifixerant; et propterea hoc etiam ipsi pati meruerunt? Ridiculum est hoc putare. Quid ergo aliud dictum est, *Omnis enim qui gladio percusserit, gladio morietur*, nisi quia ipso peccato anima moritur, quodcumque commiserit?

CAPUT XIX. — 63. Et quoniam de temerario et iniquo iudicio nos hoc loco Dominus monet: vult enim ut simplici corde et in unum Deum intento faciamus quæcumque facimus; et multa incertum est quo corde fiant, de quibus iudicare temerarium est; maxime autem hi temere iudicant de incertis, et facile reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare atque corrigere; quod vitium vel superbiæ est, vel invidentiæ: consequenter subiecit, et dicit, *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* Ut si forte, verbi gratia, ira ille peccavit, tu odio reprehendas: quantum autem inter festucam et trabem, quasi tantum inter iram distat et odium. Odium enim est ira inveterata, quasi quæ vetustate ipsa tantum robur acceperit, ut merito appelletur trabs. Fieri autem potest ut si irascaris homini, velis eum corrigi; si autem oderis hominem, non potes eum velle corrigere.

64. *Quomodo enim dicis fratri tuo, Sine ejciam festucam de oculo tuo, et ecce trabes est in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui*: id est, primum abs te expelle odium, et deinde poteris jam eum quem diligis, emendare. Et bene ait, *Hypocrita*. Accusare enim vitia, officium est honorum virorum et benevolorum: quod cum mali faciunt, alienas partes agunt; sicut hypocritæ, qui tegunt sub persona quod sunt, et ostentant in persona quod non sunt. Hypocritarum ergo nomine simulatores acceperis. Et est vere multum cavendum et molestum simulatorum genus, qui cum omnium vitiorum accusationes odio et amore suscipiant, etiam consultores videri se volunt. Et ideo pie cauteque vigilandum est, ut, cum aliquem reprehendere vel objurgare nos necessitas coegerit, primum cogitemus utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, vel quo jam caruimus: et si nunquam habuimus, cogitemus nos homines esse, et habere potuisse; si vero habuimus, et non habemus, tangat memoriam communis infirmitas, ut illam reprehensionem aut objurgationem non odium, sed mi-

mercordia præcelat : ut sive ad correctionem ejus, propter quem id facimus, sive ad perversionem valuerit (nam incertus est exitus), nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos invenerimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque objurgemus : sed tamen congemiscamus ; et non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter conandum <sup>1</sup> invitemus.

65. Nam et illud quod dicit Apostolus, « Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrificarem ; his qui sub Lege sunt, quasi sub Lege, cum non sim ipse sub Lege, ut eos qui sub Lege erant lucrificarem ; his qui sine Lege sunt, quasi sine Lege, cum sine lege Dei non sim, sed sim in lege Christi, ut lucrificarem eos qui sine Lege sunt. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrificarem : omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrificarem : » non utique simulatione faciebat, quemadmodum quidam intelligi volunt, ut eorum detestanda simulatio tanti exempli auctoritate muniat ; sed hoc faciebat charitate ; qua ejus infirmitatem, cui volebat subvenire, tanquam suam cogitabat. Hoc enim et præstruit dicendo : *Cum enim liber sim ex omnibus, me omnium servum feci, ut plures lucrificarem* (I Cor. ix, 19-22). Quod ut intelligas non simulatione, sed charitate fieri, qua infirmis hominibus tanquam nos simus compati-mur, ita monet alio loco, dicens : *Vos in libertatem vocati estis, fratres ; tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem servite invicem* (Galat. v, 13). Quod fieri non potest, nisi alterius infirmitatem quisque habeat quasi suam, ut eam æquanimitè ferat, donec ab ea liberetur ille cujus curat salutem.

66. Raro ergo et in magna necessitate objurgationes adhibendæ sunt, ita tamen ut etiam in his ipsis non nobis, sed Deo ut serviatur instemus. Ipse est enim finis : ut nihil duplici corde faciamus, auferentes trabem de oculo nostro, invidentiæ, vel malitiæ, vel simulationis, ut videamus ejicere festucam de oculo fratris. Videbimus enim eam oculis columbæ, quales in sponsa Christi prædicantur (*Cant. iv, 1*), quam sibi elegit Deus gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam (*Ephes. v, 27*), id est mundam et simplicem (a).

CAPUT XX. — 67. Sed quoniam potest nonnullos Dei præceptis obtemperare cupientes nomen simplicitatis decipere, ut sic putent vitiosum esse aliquando verum occultare, quomodo vitiosum est aliquando falsum dicere, atque hoc modo aperiendo ea quæ ni quibus aperiuntur sustinere non possunt, amplius noceant quam si ea penitus semperque occultarent, rectissime subjungit : *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos*. Quia et Dominus quamvis nihil mentitus sit, vera tamen aliqua occultare se ostendit, dicens : *Adhuc multa habeo vobis dicere ; sed adhuc non potestis illa portare*

<sup>1</sup> Ita Mss. At editi excepto Mar., *cavendum*.  
(a) † *Retract. cap. 19, n. 9.*

(*Joan. xvi, 12*). Et apostolus Paulus : *Non potui, inquit, vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam ; neque enim poteratis : sed neque nunc potestis ; adhuc enim estis carnales* (I Cor. iii, 1, 2).

68. In hoc autem præcepto quo prohibemur sanctum dare canibus, et mittere ante porcos margaritas nostras, diligenter quærendum est quid sit sanctum, quid margaritæ, quid canes, quid porci. Sanctum est, quod violare atque corrumpere nefas est : cujus utique sceleris conatus et voluntas tenetur rea, quamvis illud sanctum natura inviolabile atque incorruptibile maneat. Margaritæ autem, quæcumque spiritualia magni æstimanda sunt ; et quia in abdito latent, tanquam de profundo eruntur, et allego-riarum integumentis quasi apertis conchis inveniuntur. Licet itaque intelligi quod una eademque res et sanctum et margarita dici potest : sed sanctum ex eo quod non debet corrumpi, margarita ex eo quod non debet contemni. Conatur autem quisque corrumpere quod non vult esse integrum : contemnit vero quod vile ducit, et quasi intra se esse existimat ; et ideo calcari dicitur quicquid contemnitur. Quapropter canes quoniam insilium ad dilacerandum, quod autem dilacerant integrum esse non sinunt ; *Nolite, inquit, sanctum dare canibus* : quia etsi dilacerari et corrumpi non potest, et manet integrum atque inviolabile ; illi tamen quid velint cogitandum est, qui acriter atque inimicissime resistunt, et quantum in ipsis est, si fieri possit, conantur perimere veritatem. Porci vero quamvis non ita ut canes morsu appetant, passim tamen calcando coinquinant : « *Non ergo miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos*. » Canes ergo pro oppugnatoribus veritatis, porcos pro contemptoribus positos non incongrue accipimus.

69. Quod autem ait, *Conversi dirumpant vos*, non ait, ipsas margaritas dirumpant. Illas enim conculcando, etiam cum convertuntur ut adhuc aliquid audiant, dirumpunt tamen eum a quo jam missas margaritas conculcaverunt. Non enim facile inveneris quid gratum ei esse possit, qui margaritas calcaverit, id est, cum magno labore divina inventa contempserit. Qui autem tales docet quomodo non dirumpantur indignando et stomachando, non video. Utrumque autem animal immundum est, et canis et porcus. Cavendum est ergo ne quid aperiatur ei qui non capit : melius enim quærit quod clausum est, quam id quod apertum est aut infestat aut negligit. Neque vero alia causa reperitur cur ea quæ manifesta et magna sunt, non accipiant <sup>1</sup> præter odium et contemptum, quorum propter unum canes, propter alterum porci nominati sunt. Quæ tamen omnis immunditia rerum temporalium dilectione concipitur, id est, dilectione hujus sæculi, cui jubemur renuntiare ut mundi esse possimus. Qui ergo mundum et simplex cor habere appetit, non debet sibi reus videri, si aliquid occultat,

<sup>1</sup> Editi, *accipiuntur*. At Mss., *accipiunt* : subauditur, *illa*.



quod ille qui occultat, capere non potest. Nec ex eo arbitrandum est licere mentiri : non enim est consequens ut cum verum occultatur, falsum dicatur. Agendum ergo primum est ut impedimenta detrahantur, quibus efficitur ut non capiat; quia utique si propter sordes non capit, mundandus est vel verbo vel opere, quantum fieri a nobis potest.

70. Quod autem Dominus noster quardam dixisse invenitur, quæ multi qui aderant, vel resistendo vel contemnendo non acceperunt; non putandus est sanctum dedisse canibus, aut margaritas misisse ante porcos : non enim dedit eis qui capere non poterant, sed eis qui poterant, et simul aderant; quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat. Et cum eum tentatores interrogabant, respondebatque illis, ita ut quid contradicerent non haberent, quamvis venenis suis contabescerent potius, quam illius cibo saturarentur; alii tamen qui poterant capere, ex illorum occasione multa utiliter audiebant. Hoc dixi, ne quis forte, cum interroganti respondere non potuerit, hac sententia sibi excusatus videatur, si dicat nolle se sanctum dare canibus, vel ante porcos mittere margaritas. Qui enim novit quid respondeat, debet respondere, vel propter alios, quibus desperatio suboritur, si propositam quæstionem solvi non posse crediderint : et hoc de rebus utilibus, et ad instructionem salutis pertinentibus. Multa sunt enim quæ inquiri ab otiosis possunt, supervacua et inania, et plerumque noxia, de quibus tamen nonnihil dicendum est : sed hoc ipsum aperiendum et explicandum, cur inquiri talia non oporteat. De rebus ergo utilibus aliquando ad id respondendum est quod interrogamur : sicut Dominus fecit, cum eum Sadducæi de muliere interrogassent, quæ septem viros habuit, cuius eorum in resurrectione futura esset. Respondit enim quod in resurrectione neque uxores ducent, neque nubent, sed erunt sicut Angeli in cælis. Aliquando autem ille qui interrogat, interrogandus est aliud, quod tamen si dixerit, ipse sibi ad id quod interrogavit, respondeat : si autem dicere noluerit, non videatur iis qui adsunt injustum, si et ipse quod interrogavit, non audiat. Nam et illi qui interrogaverunt tentantes, utrum reddendum caset tributum, interrogati sunt aliud, id est, cujus haberet nummus imaginem, qui ab ipsis prolatus est; et quia dixerunt quod interrogati erant, id est, Cæsaris imaginem habere nummum, ipsi sibi quodammodo responderunt id quod Dominum interrogaverant : itaque ille ex eorum responsione ita conclusit, *Reddite ergo Cæsari quod Cæsaris est, et Deo quod Dei est* (Matth. xxi, 15-17). Cum autem principes sacerdotum et seniores populi interrogassent in qua potestate illa faceret, interrogavit eos de baptismo Joannis; et cum nolent dicere, quod contra se videbant dici, de Joanne autem nihil mali dicere audent propter circumstantes; *Nec ego vobis dicam*, inquit, *in qua potestate hæc facio* (Id. xxi, 23-27) : quod justissimum apparuit circumstantibus. Hoc enim se dixerunt nescire quod non nesciebant, sed dicere volebant. Et revera justum erat ut qui sibi volebant

respondere quod interrogaverant, prius ipsi facerent quod erga se fieri postulabant : quod si fecissent, ipsi sibi utique respondissent. Ipsi enim miserant ad Joannem quærentes quis esset; vel potius ipsi missi erant sacerdotes et levitæ, putantes quod ipse esset Christus, quod ille se negavit esse, et de Domino testimonium perhibuit (Joan. 1, 19-27) : de quo testimonio si confiteri vellent, ipsi se docerent in qua potestate illa faceret Christus; quod quasi nescientes interrogaverant, ut calumniandi aditum reperirent.

CAPUT XXI. — 71. Cum igitur præceptum esset ne sanctum detur canibus, et margaritæ ante porcos mittantur, potuit auditor occurrere et dicere, conscius ignorantia atque infirmitatis suæ, et audiens præcipi sibi ne daret, quod seipsum nondum accepisse sentiebat : potuit ergo occurrere ac dicere, Quod sanctum me dare canibus, et quas margaritas me mittere ante porcos velas, cum adhuc ea me habere non videam? opportunissime subiecit, dicens, « Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. » Petitio pertinet ad impetrandam sanitatem firmitatemque animi, ut ea quæ præcipiuntur, implere possimus : inquisitio autem, ad inveniendam veritatem. Cum enim beata vita actione et cognitione compleatur, actio facultatem virium, contemplatio manifestationem rerum desiderat : horum ergo primum petendum, secundum quærendum est; ut illud detur, hoc inveniat. Sed cognitio in hac vita, viæ prius quam ipsius possessionis<sup>1</sup> est : sed cum quisque veram viam invenerit, perveniet ad ipsam possessionem; quæ tamen pulsanti aperitur.

72. Ut ergo tria ista, id est, petitio, inquisitio, pulsatio, manifesta fiant, sub aliquo exemplo ponamus aliquem infirmis pedibus ambulare non posse : prius ergo sanandus et firmandus est ad ambulandum; et ad hoc pertinet, quod dixit, *Petite*. Quid autem prodest quod ambulare jam, vel etiam currere potest, si per devia itinera erraverit? secundum est ergo, ut inveniat viam quæ ducit eo quo vult pervenire : quam cum tenuerit, et pervenerit ad eum ipsum locum<sup>2</sup> ubi habitare vult, si clausum invenerit; neque ambulare potuisse, neque ambulasse ac pervenisse profuerit, nisi aperiat : ad hoc ergo pertinet quod dictum est, *Pulsate* (a).

73. Magnam autem spem dedit et dat ille qui promittendo non decipit : ait enim, *Omnis qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur*. Ergo perseverantia opus est, ut accipiamus quod petimus, et inveniamus quod quærimus, et quod pulsamus aperiat. Quemadmodum autem egit de volatilibus cæli et de liliis agri, ne victum nobis vestitumque desperaremus adfuturam, ut spes a minoribus ad

<sup>1</sup> Er. et Lov., *possessio*. Sed melius *us. et antiquiores editi, possessionis est*.

<sup>2</sup> Editi et *us.*, *tenuerit et peregert, eum ipsam locum* : excepta sola editione Lov., quæ habet, *et pervenerit ad eum ipsam locum*.

(a) 1 Retract. cap. 10, n. 2.

majora consurgeret; ita et hoc loco, « Aut quis erit, ex vobis, inquit, homo, quem si petierit filius ejus panem, numquid lapidem porriget ei? aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cum si is mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? » Quomodo mali dant bona? Sed malos appellavit dilectores adhuc sæculi hujus et peccatores. Bona vero quæ dant, secundum eorum sensum bona dicenda sunt, quia hæc pro bonis habent. Quanquam et in rerum natura ista bona sint, sed temporalia et ad istam vitam infirmam pertinentia: et quisquis ea malus dat, non de suo dat; Domini est enim terra et plenitudo ejus (*Psal.* xxii, 1) qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt (*Psal.* cxlv, 6). Quantum ergo sperandum est daturum Deum nobis bona petentibus, nec nos posse decipi, ut accipiamus aliud pro alio, cum ab ipso petimus; quando etiam nos, cum sinus mali, novimus id dare quod petimus? non enim decipimus filios nostros; et qualiacumque bona damus, non de nostro, sed de ipsius damus.

CAPUT XXII.—74. Firmitas autem et valentia quædam ambulandi per sapientiæ viam, in bonis moribus constituta est, qui perducuntur usque ad mundationem simplicitatemque cordis, de qua jam diu loquens ita concludit: *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis: hæc est enim Lex et Prophetæ* (*Matth.* vii, 12). In exemplaribus græcis sic invenimus, *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis*. Sed ad manifestationem sententiæ puto a latinis additum *bona*. Occurrebat enim quod si quisquam flagitiose aliquid erga se fieri velit, et ad hoc referat istam sententiam, veluti si velit aliquis provocari ut immoderate bibat et se ingurgitet poculis, et hoc prior illi faciat a quo sibi fieri cupit, ridiculum est hunc putare istam implevisse sententiam. Cum ergo hoc moveret, ut arbitror, additum est ad manifestationem rei unum verbum, ut posteaquam dictum est, *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines*, adderetur *bona*. Quod si deest exemplaribus græcis, etiam illa emendanda sunt: sed quis hoc audeat? Intelligendum est ergo plenam esse sententiam et omnino perfectam, etiam si hoc verbum non addatur. Id enim quod dictum est, *quæcumque vultis*, non usitate ac passim, sed proprie dictum accipi oportet. Voluntas namque non est nisi in bonis: nam in malis flagitiosisque factis cupiditas proprie dicitur, non voluntas. Non quia semper proprie loquuntur Scripturæ, sed ubi oportet ita omnino proprium verbum tenent, ut non aliud sinant intelligi.

75. Videtur autem hoc præceptum ad dilectionem proximi pertinere, non etiam ad Dei, cum alio loco duo præcepta esse dicat, in quibus *tota Lex pendet et Prophetæ*<sup>1</sup>. Nam si dixisset, *Omnia quæcumque vultis fieri vobis, hæc et vos facite*; hac una sententia utrumque illud præceptum complexus esset: cito enim

diceretur, diligite se velle unumquemque, et a Deo, et ab hominibus: itaque cum hoc ei præciperetur, ut quod sibi fieri vellet, hoc faceret; id utique præciperetur, ut diligeret Deum et homines. Cum vero expressius de hominibus dictum est, *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis*; nihil aliud dictum videtur, quam, *Diligens proximum tuum tanquam teipsum*. Sed non est negligenter attendendum quod hic subjicit, *Hæc est enim Lex et Prophetæ*. In his autem duobus præceptis, non tantum ait, *Lex pendet et Prophetæ*; sed etiam addidit, *tota Lex et Prophetæ*<sup>2</sup> (*Matth.* xxii, 37-40); pro eo quod est *tota prophetia*: quod cum hic non addidit, servavit locum alteri præcepto, quod ad dilectionem Dei pertinet. Hic autem quoniam præcepta simplicis cordis exequitur, et erga eos metuendum est ne habeat quisque duplex cor, quibus occultari cor potest, id est erga homines; id ipsum præcipiendum fuit. Nemo enim fere est qui velit quemquam duplici corde secum agere. Id autem fieri non potest, id est, ut simplici corde homo homini aliquid tribuat, nisi ita tribuat, ut nullum ab eo temporale commodum exspectet, et ea intentione faciat, de qua superius satis tractavimus, cum de oculo simplici loqueremur.

76. Mundatus ergo oculus simplexque redditus, aptus et idoneus erit ad intuendam et contemplandam interiorum lucem suam. Iste enim oculus cordis est. Huic autem oculum talem habet ille qui finem bonorum operum suorum, ut vere bona opera sint, non in eo constituit ut hominibus placeat, sed etiam si provenerit ut eis placeat, ad eorum salutem potius hoc refert et ad gloriam Dei, non ad inanem jactantiam suam; neque propterea boni aliquid ad salutem proximi operatur, ut ex eo comparet ea quæ huic vitæ transigendæ sunt necessaria; neque tenere animum hominis voluntatemque condemnat in eo facto in quo non apparet quo animo et voluntate sit factum; et quidquid officiorum exhibet homini, hac intentione exhibet qua sibi exhiberi vult, id est, ut non ab eo aliquid commodi temporalis exspectet: ita erit cor simplex et mundum in quo queritur Deus. « Beati ergo mundi corde<sup>3</sup>; quoniam ipsi Deum videbunt » (*Id.* v, 8).

CAP. XXIII.—77. Sed hoc quia paucorum est, jam incipit de investiganda et possidenda sapientia loqui, quod est lignum vitæ: cui<sup>4</sup> utique investigandæ ac possidendæ, id est contemplandæ, talis oculus per omnia superiora perductus est, quo videri jam possit arcta via et angusta porta. Quod ergo deinceps dicit, « Introite per angustam portam; quia lata porta<sup>5</sup> et spatiosa via quæ ducit ad perditionem; et multi sunt qui introeunt per eam: quam angusta est porta, et arcta via quæ ducit ad vitam; et pauci sunt qui eam inveniunt! » non ideo dicit, quia jugum Domini asperum est, aut sarcina gravis; sed quia labores finire

<sup>1</sup> Hoc loco rursum additur, *omnes*, in duobus Vaticanis Mss.

<sup>2</sup> Mss. plures hic et alibi, sed non constanter, *manus cordes*.

<sup>3</sup> Mss., *cujus*. Sic etiam Mar. et Am.

<sup>4</sup> Mar. et Mss. uno tantum excepto, *quam lata porta*.

<sup>5</sup> In editione Mar. et decem Mss., *et omnes Prophetæ*.

pauci volunt<sup>1</sup>, minus credentes clamanti, « Venite ad me, omnes qui laboratis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quoniam mitis sum et humilis corde: jugum enim meum leue est, et sarcina mea leuis est » (*Math. xi. 28-30*) (hinc autem iste sermo sumpsit exordium, de humilibus et mitibus corde): quod jugum leue et leuem sarcinam multi respiciunt, pauci subeunt; eoque fit arcta via<sup>2</sup> quæ ducit ad vitam, et angusta porta qua intratur in eam.

CAPUT XXIV.—78. Hic ergo illi qui promittunt sapientiam cognitionemque veritatis quam non habent, præcipue cavendi sunt; sicut sunt hæretici, qui se plerumque pauci ate commendant. Et ideo cum dixisset paucos esse qui inveniunt angustam portam et arctam viam, ne se illi supponant nomine paucitatis, statim subiicit: « Cavete a pseudopropheta, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rances. » Sed isti non fallunt oculum simplicem, qui arborem dignoscere ex fructibus novit. At enim: « A fructibus eorum cognoscetis eos. » Deinde similitudines adiungit: « Numquid colligit de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit; non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. »

79. Quo loco illorum error maxime cavendus est, qui de his ipsis duabus arboribus duas naturas opinantur esse, quarum una sit Dei, altera vero neque Dei, neque ex Deo. De quo errore in aliis libris et jam disputatum est uberius, et si adhuc parum est, disputabitur: nunc autem, non eos adjuvare duas istas arbores, docendum est. Primum, quia de hominibus cum dicere tam clarum est, ut quisquis præcedentia et consequentia legerit, miretur eorum cæcitate. Deinde attendunt quod dictum est, « Non potest arbor bona fructus malos facere; neque arbor mala fructus bonos facere, » et ideo putant neque animam malam fieri posse ut in melius commutetur, neque in deterius bonam; quasi dictum sit, Non potest arbor bona mala fieri, neque arbor mala bona fieri: sed dictum est, « Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere. » Arbor est quippe ipsa anima, id est, ipse homo, fructus vero opera hominis: non ergo potest malus homo bona operari, neque bonus mala. Malus ergo si vult bona operari, bonus primo fiat. Sic alio loco evidentius dicit ipse Dominus: « Ant facite arborem bonam, aut facite arborem malam. » Quod si duas naturas istorum his duabus arboribus figuraret, non diceret, *Facite*: quis enim hominum potest facere naturam? Deinde etiam ibi cum ipsarum duarum arborum mentionem fecisset, subiicit: « Hypocritæ, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali » (*Id. xii. 33, 34*)? Quamdiu ergo quisque malus est, non potest facere fructus bonos: si enim bonos fructus fecerit, jam malus non erit. Sic verissime dici potuit, Non potest esse nix calida: cum enim calida e-se cœperit, non jam eam nivem, sed aquam vocamus. Potest ergo fieri ut quæ nix fuit, non sit; non autem potest fieri ut nix calida sit. Sic potest fieri ut qui malus fuit, non sit malus; non tamen fieri potest ut malus bene faciat. Qui etiam si aliquando utilis est, non hoc ipse facit, sed fit de illo, divina providentia procurante, sicut de Pharisæis dictum est, « Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. » Hoc ipsum quod bona dicebant, et ea quæ dicebant, utiliter audiebantur et fiebant, non erat illorum: *Super cathedram enim, inquit, Moysi sedent* (*Id. xxiii. 5, 2*). Per divinam ergo providentiam legum Dei prædicantes, possent esse audeatibus utiles,

cum sibi non essent. De talibus alio loco per prophetam dictum est, « Seminastis triticum, et spinas metetis » (*Jerem. xii. 13*): quia bona præcipiunt, et mala faciunt. Non ergo qui eos audiebant et faciebant quæ ab eis dicebantur, de spinis legebant uvas; sed per spinas de vite legebant uvas: tanquam si manum aliquis per sepe mittat, aut certe de vite, quæ sepi fuerit involuta, uvam legat<sup>3</sup>, non spinarum est fructus iste, sed vitis.

80. Rectissime sane quaeritur quos fructus nos attendere voluerit, quibus cognoscere arborem possimus. Multi enim quædam in fructibus deputant, quæ ad vestitum ovium pertinent, et hoc modo a lupis decipiuntur: sicuti sunt vel jejunia, vel orationes, vel elemosynæ; quæ omnia nisi fieri etiam ab hypocritis possent, non superius diceret, *Cavete justitiam vestram facere coram hominibus, ut videamini ab eis*. Quia sententia præposita, ipsa tria exsequitur, elemosynam, orationem, jejuniium. Multi enim multa pauperibus, non misericordia, sed ambitione largiuntur; et multi orant, vel potius videntur orare, non intuentes Deum, sed hominibus placere cupientes; et multi jejulant, et mirabilem abstinentiam prætentunt eis quibus ista difficilia videntur, et honore digna existimantur: et luxuriosum dolis eos capiunt, dum aliud ostentant ad decipiendum, aliud exserunt ad deprædandum vel interficiendum eos qui sub isto vestitu ovium lupos videre non possunt. Hi ergo non sunt fructus de quibus cognosci arborem monet. Ista enim cum bono animo in veritate fiunt, propriæ sunt ovium vestes; cum autem malo in errore, non aliud quam lupos contegunt. Sed non ideo debent oves odisse vestimentum suum, quia plerumque illo se occultant lupi.

81. Qui sunt ergo fructus quibus inventis cognoscamus arborem malam, dicit Apostolus: « Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, venæciæ, inimicitia, contentiones, annulationes, animositates, dissensiones, hæreses, sectæ<sup>4</sup>, invidia, ebrietates, comessationes, et his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Et qui sunt fructus per quos cognoscamus arborem bonam, idem ipse consequenter dicit: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia* (*Galat. v. 19-25*). Sane sciendum est, hic *gaudium* proprie positum; mali enim homines non gaudere, sed gestire dicuntur proprie: sicut superius diximus voluntatem proprie positam, quam non habent mali, ubi dictum est, *Unnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc et vos facite illis*. Ex ista proprietate verbi, quæ gaudium non dicitur nisi in bonis, etiam propheta loquitur, dicens: *Non est gaudere impiis, dicit Dominus* (*Isai. lvi. 21, sec. LXX*). Ita quoque posita est *fides*, non quæcumque utique, sed vera fides: et cætera quæ hic posita sunt, habent quasdam imagines suas in malis hominibus et deceptoribus; ut omnino fallant, nisi quisque jam mundum oculum et simplicem habuerit, quo ista cognoscat. Optimo itaque ordine primo actum est de munda oculo, et deinde dicta sunt quæ caverentur.

CAPUT XXV.—82. Sed quoniam quamvis quisque oculo mundo sit, id est, simplici et sincero corde vivat, non potest tamen cor alterius intueri; quæcumque in factis vel dictis apparere non poterint, tentationibus aperiantur. Tentatio autem duplex est; aut in spe adipiscendi aliquod commodum temporale, aut in terrore amittendi. Et maxime cavendum est ne tendentes ad sapientiam, quæ in solo Christo inveniri potest, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ

<sup>1</sup> In B., *finiri pauci volunt*. Fr. Lugd. Ven. et Lov. seculo sumus. M.

<sup>2</sup> Sic Mss. At editi, excepto Mar., habent, *quoniam jugum leue et levem sarcinam multi respiciunt, pauci subeunt; eoque fit arcta via*.

<sup>3</sup> Novem Mss., *Seminastis triticum, et spinas metetis*.

<sup>4</sup> Sic Er. In B., *aut certe de vite que sepi fuerit involuta, uvam legat*. M.

<sup>5</sup> Ex septem Mss. additur, *sectæ*; quæ vox in editis olerat.

et scientiæ absconditi (Coloss. ii, 3); cavendum ergo est, ne ipso Christi nomine ab hæreticis vel quibuslibet male intelligentibus et sæculi hujus amatoribus decipiamur. Nam ideo sequitur, et monet, dicens, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed is qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum*: ne putemus ad illos fructus jam pertinere, si quis Domino nostro dicat, *Domine, Domine*; et ex eo nobis arbor bona videatur. Sed illi sunt fructus, facere voluntatem Patris qui est in cælis, cujus faciendæ seipsum exemplum præbere dignatus est.

85. Sed merito potest movere quomodo huic sententiæ conveniat illud Apostoli ubi ait, *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu; et nemo potest dicere, Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (I Cor. xii, 3): quia neque aliquos habentes Spiritum sanctum possumus dicere non Introituros in regnum cælorum, si perseveraverint usque in finem; neque illos qui dicunt, *Domine, Domine*, et tamen non intrant in regnum cælorum, possumus dicere habere Spiritum sanctum. Quomodo ergo nemo dicit, *Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto*, nisi quia proprie Apostolus posuit verbum quod est, *dicit*, ut significet voluntatem atque intellectum dicentis? Dominus vero generaliter posuit verbum quod ait, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*. Videtur enim dicere etiam ille qui nec vult, nec intelligit quod dicit: sed ille proprie dicit, qui voluntatem ac mentem suam sono vocis enuntiat. Sicut paulo ante quod dictum est *gaudium* in fructibus Spiritus<sup>1</sup>, proprie dictum est; non eo modo quo alibi dicit idem apostolus, *Non gaudet super iniquitatem* (I Cor. xiii, 6): quasi quisquam possit super iniquitatem gaudere: quia illa elatio est animi turbide<sup>2</sup> gestientis, non gaudium; nam hoc soli boni habent. Ergo dicere videntur etiam illi qui non hoc quod sonant et intellectu cernunt et voluntate agunt, sed voce tantum sonant: secundum quem modum Dominus ait, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*. Vere autem ac proprie illi dicunt, a quorum voluntate ac mente non abhorret prolatio sermonis sui, secundum quam significationem dixit Apostolus: *Nemo potest dicere, Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto*.

84. Atque illud ad rem maxime pertinet, ne decipiamur tendentes ad contemplationem veritatis, non solum nomine Christi, per eos qui nomen habent et facta non habent, sed etiam quibusdam factis atque miraculis: qualla propter infideles cum fecerit Dominus, monuit tamen ne talibus decipiamur, arbitantes ibi esse invisibilem sapientiam, ubi miraculum visibile viderimus. Adjungit ergo, et dicit: *Multi mihi dicent in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc dicam illis: Nunquam vos cognovi; recedite a me, qui operamini iniquitatem.* Non ergo cognosceat nisi eum qui operatur æquitatem. Nam et ipsos discipulos suos prohibuit gaudere de talibus, id est, quod dæmonia illis subjecta fuerint: *Sed gaudete, inquit, quia nomina vestra scripta sunt in cælis* (Luc. x, 20); credo, in illa civitate Jerusalem quæ est in cælis, in qua nonnisi justī sanctique regnabunt. *An nescitis, ait Apostolus, quoniam iniqui regnum Dei non possident* (I Cor. vi, 9)?

85. Sed fortasse quis dicat non posse iniquos visibilia illa miracula facere, et mentiri potius illos credat, qui dicituri sunt, *In nomine tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus*. Legat

ergo quanta fecerint resistentes famulo Dei Moysi magi Ægyptiorum (Exod. vii, viii): aut si hoc non vult legere, quia non in nomine Christi fecerunt, legat quæ ipse Dominus dicit de pseudoprophetis, ita loquens: *« Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errore inducantur etiam electi: ecce prædixi vobis »* (Math. xxiv, 23-25).

86. Quam ergo mundo et simplici oculo opus est, ut inveniatur via sapientiæ, cui tantæ malorum et perversorum hominum deceptiones erroresque obstruunt, quos omnes evadere, hoc est venire ad certissimam pacem et immobilem stabilitatem sapientiæ! Vehementer enim metuendum est, ne studio altercandi et contendendi quisque non videat quod a paucis videri potest, ut parvus sit strepitus contradicentium, nisi etiam ipse sibi obstrepat. Quo pertinet etiam illud quod Apostolus dicit: *« Servum autem Domini non oportet litigare; sed mitis esse ad omnes, docilem, patientem, in modestia corripientem diversa sentientes: ne forte det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem* (II Tim. ii, 24, 25). Beati ergo pacifici; quoniam ipsi filii Dei vocabuntur» (Math. v, 9).

87. Conclusio ergo hujus totius sermonis quam terribiliter inferatur, valde attendendum est: *« Omnis ergo, inquit, qui audit verba mea hæc et facit ea, similis est viro sapienti qui edificavit domum suam super petram*. Non enim quisque firmat quod audit vel percipit, nisi faciendo. Et si petra Christus est, sicut multa Scripturarum testimonia prædicant (I Cor. x, 4), ille ædificat in Christo, qui quod audit ab illo, facit. *« Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et offenderunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat supra petram*. Non ergo iste metuit illas caliginosas superstitiones; (quid enim aliud intelligitur pluvia, cum in mali alicujus significatione ponitur?) aut rumores hominum, quos ventis concupiscentiis tanquam fluentem super terram. Horum enim trium, qui prosperitatibus inducitur, adversitatibus frangitur; quorum nihil metuit qui *fundatam* habet domum super petram, id est, qui non solum audit præcepta Domini, sed etiam facit. Et his omnibus periculose subjacet qui audit et non facit: non enim habet stabile fundamentum; sed audiendo et non faciendo ruina ædificat. Ait enim consequenter: *« Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificat domum super arenam: descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et offenderunt in domum illam, et cecidit; et facta est ruina ejus magna*. Et factum est cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrinam ejus: erat enim docens eos, quasi potestatem habens, non quasi Scribæ eorum<sup>3</sup>. » Hoc est quod ante dixi per prophetam esse significatum in Psalmis, cum diceret: *Fiducialiter agam in eo: eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum* (Psalm. xi, 6, 7). Propter quem numerum admonitus sum etiam præcepta ista ad septem illas referre sententias, quas in principio sermonis hujus posuit, de beatis cum diceret; et ad illas septem operationes Spiritus sancti, quas Isaias propheta commemorat (Isai. xl, 3, 5); sed sive iste ordo in his considerandus sit, sive aliquis alius, faciendæ sunt quæ audivimus a Domino, si volumus ædificare super petram.

<sup>1</sup> Sic Mss. At editi, excepto Mar., non potuerunt illam movere.

<sup>2</sup> Apud Am. Er. et Lov. additur, et Pharisei. Id tamen hic nullo in Ms. reperimus, nec apud Mar. Est quidem in versione Vulgata, sed non exstat in textu græco.

<sup>1</sup> Am. Er. et Lov. addunt, sancti; quod a Mar. et Mss. abest.

<sup>2</sup> Duo e Vaticanis Mss., turpiter.

EXPLICIT TOMI TERTII PARS PRIOR.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.















MAR 10 1955

